1.10

6
G
160

Dr. med. R. Kob
pract. Arzt

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://www.archive.org/details/officinasanitati00hart

Prof. R. Kobert
Geh. Med.-Rat
Rostock



Corneliꝰ Nicolaꝰ Schurtz fecit.

OFFICINA SANITATIS

Sive

PRAXIS CHYMIATRICA PLANE AUREA.

Antehac à Johanne Hartmanno Med. Doct. & Chymiatriæ in Academia Marpurgenſi Profeſſ. Publ. celeberrimo, nec non Celſiſſimorum Principum Haſſiæ Archiatro inſolito candore conſcripta, & à Clariſſ. D. D. Johanne Michaelis ac Georgio Everharto Hartmanno Authoris filio publici juris facta, aſt à typographis adeò depravata, ut ejuſmodi falſatio & depravatio cunctis hactenus editionibus inemendabilis fuerit.

Nunc verò indefeſſo labore & pari Chemiatriæ experientiâ ab innumeris iſtis mendis & falſatione typographica revindicata, nec non acceſſione prætermiſſæ ab Authore morborum theoriæ, unà cum eorum ſignis diagnoſticis, cauſis & prognoſticis, præcipuarumque totius corporis partium anatomicâ deſcriptione illuſtrata atque compluribus arcanis, experimentis & ſecretioribus præparationibus locupletata.

à

JOHANNE HISKIA CARDILUCIO,
Com. Pal. Phil. & Med. Doctore.

Plato in Gorg. *Medicina eſt ars, quia ejus quem curat, naturam conſiderat, cauſam eorum quæ facit, & ſingulorum horum rationem reddere poteſt.*

NORIBERGÆ,
Sumptibus WOLFGANGI MAURITII ENDTERI,
& JOHANNIS ANDREÆ ENDTERI Hæredum.
ANNO M DC LXXVII.

Dr med. R. Kober
pract. Arzt.

PRÆFATIO.

Quanto candidiſſimus Hartmannus ſibi opere rempublicam devinxerit Medicam , tonſoribus quoque & lippis notum eſt ; ſicuti enim vir haud exigui talenti , variæque ſcientiæ & experientiæ fuit , ita etiam ſe planè apertum & communicativum eorum , quæ alii ſibi ſolis reſervare ſolent , poſteritati exhibuit , ut palam ipſius ſcripta ſincera teſtantur , quorum quælibet ferè pagina aliquid ſecretioris, vel melioris, vel rarioris continet , ſecus ac aliorum opera , imprimis eorum, qui in Chemia & Philoſophia per ignem , alios docere præſumunt , ubi ſæpè in multis tractatibus vix unicam omnino ſinceram detectionem , vel remedium fideliter communicatum reperies , ſed meras obſcuritatum tenebras , defoſſionem talenti , & abſconſionem candelæ accenſæ ſubter modium, adeò ut vel ab ingenioſiſſimis , omniumque ſagaciſſimis non intel-

ligantur, multò minus ab hebetibus & tardis, quorum tamen gratiâ omnis ſcriptio ſuſcipitur, & non propter ſcientes & illuminatos, qui jam ad lucem intelligentiæ rerum ſibi neceſſariarum perducti ſunt, ſed illos qui etiamnum ſunt ignari, ſimplices & ſtupidi, & ad cognitionem neceſſitatum corporalium, & poſtmodum ſpiritualium tanquam per alphabeta adhuc promovendi, his ſi ducem quis ſe præbere velit, & ſcribendo ipſos erudire, oportet ut omnino vulgaribus, ſimpliciſſimis, & cuilibet idiotæ intelligibilibus verbis utatur, aliàs infructuosè laborabit. Talem præmonſtratorem inexpertis rei medicæ tyronibus ſe præſtitit Hartmannus noſter, cujus ideò ſcripta ab omnibus cordatis impensè adamantur, omnia tamen nimis breviter pertractat, ubique ferè theoriam morborum omittens, atque eveſtigiò ad praxin ſe applicans, qua in re minus his prodeſt, qui nondum in theoricis ſolida fundamenta poſuerunt, proindeque non immeritò querimoniam de hac re inſtituunt, quemadmodum idem etiam praxi Medicæ Riverii excellentiſſimi contigit, quum initio absque theoria prodiiſſet, adeò ut multorum querelis permotus iſtum tandem defectum ipſus ſuppleverit, optandumque foret, ut idem Author noſter fecis-

feciſſet. Verumenimverò cum fato præventus id nequiverit, aliis jam ea provincia ſubeunda venit, quam tamen nondum quisquam in ſe ſuſcepit, eam forte ob cauſam, quod plerique viri docti ſcripturientes de integro malint proprium ingenii partum formare, quàm alienis ad majorem perfectionem deducendis operam dare, quod tamen minus laudabile, bonoque communi utile deprehenditur, enim verò hoc modo libri ita cumulantur, ut tandem impoſſibile ſit omnes perlegere, nedum utiles ab ineptis diſtingvere, quinimò cum viro uni datum non ſit omnia noviſſe, didiciſſe vel obſervaſſe, longè utique melius foret, ut ſemper poſteriores ſuis ſcientiis & experientiis bonum publicum exornaturi, id facerent in aliquo anteceſſorum libro in eadem profeſſione conſcripto & probato, reaſſumendo ipſum, ſuisque experimentis & obſervationibus illuſtratum & auctum denuo publicando, ita enim libri multis paraſangis forent perfectiores, utiliores, nec ſic ut nunc numeroſi, ſed perlectu jucundiores facilioresque, neque verò cuiquam hac ſorte verendum, ne ſibi ejusmodi conatus ſtudiumque minori ſit futurum gloriæ, quàm ſi ſolus alicujus libri Author ſit, neutiquam, imò forſan majori, etenim ſi hujuscemodi

liber

liber à diverſis elaboratus eximiè bonus ſit, mox primâ fronte ejus Authores pari laude condecorantur, quod ſine æmulatione ac fuco ſua dona pro bono publico contulerint. Viceversâ autem contrarium ſæpenumerò evenit ſolitariis ſcriptoribus, quòd ob curtam ſibi ſupellectilem (unicum enim granum rarò multos culmos profert, imò crebrius planè ſterileſcit, plura verò ſemina ſimul ſparſa fermè ſemper germinant, ſi non unum, ſaltem alterum) mox primo intuitu contemnantur, & nonnunquam ad latrinas relegentur. Id verò ita ſe habere ipſe Author noſter teſtimonio eſt luculento, qui dictum in modum obſtetricando baſilicæ Crollianæ tantum abeſt ut ſe objecerit contemptui, ut potius eò magis laudibus ad cœlum evehatur, & par cum incomparabili Crollio encomium promeritus cenſeatur, quod ejus operi majorem fœcunditatem conciliare maluerit, quàm proprio partui operam navare. His itaque nobiscum probè penſitatis deprehendimus dudum, iſtam methodum pro amplificando bono publico eſſe amplectendam & ſequendam, cœpimusque jam pridem nobiliſſimis Carrichteri ſcriptis deſiderata quædam adjicere, eaque ſimul ab innumeris mendis typographicis, quibus adeò corrupta & defœdata erant, ut

quibus-

quibusdam fermè in locis incorrigibiles viderentur, laborioſo adhibito ſtudio emendare, & denuò ſub nomine Pharmacopœæ Urbano-ruralis in lucem emittere, quemadmodum & librum excellentiſſimum docimaſticum Erckeri egregiâ acceſſione auctum denuò ad publicationem promovimus, quanquam etiam optima diligentiâ noſtrâ impensâ obtinere minimè potuimus, quin multa rurſum ſphalmata typographica eidem irrepſerint, & quibusdam in locis integræ lineæ omiſſæ fuerint, cujus rei gratia impreſſionis curatorem Dn. Bibliopolam Zunnerum crebrius per literas & oretenus monuimus, ut ſaltim errata ipſi à nobis transmiſſa in fine libri imprimi curaret, verùm id hucusque ab ipſo nullo impetrare modo potuimus, quod hic tacere noluimus, ut quilibet norit, per nos non ſtetiſſe, quò minus præfatus liber ita correctus, ut à nobis traditus fuit, in lucem prodiret, vel ſaltem errata à nobis denuò laboriosè & ſcrupulosè excerpta, & multâ cum rogatione crebrâque per literas hortatione, ut librò excuſa annecterentur, præfato curatori maturè transmiſſa imprimerentur, utinam & alii non deſiſterent tantisper ipſum literis ſtimulare, donec æquitati pareat.

Eâdem quoque mente, uberiorandi nimirum

aurean laudati noſtri Authoris praxin Chymiatricam aggreſſi, invenimus duplex eo nomine requiri ſtudium, primò ut ab Authore prætermiſſa, à ſtudioſis tamen hactenus deſiderata theorica morborum deſcriptio adjiciatur, deinde ut dictus liber ab ingenti depravatione typographica (quâ per omnes hucusque editiones adeò ſcatet, ut inemendabilis ferè factus ſit) ad priſtinum ſuum candorem & nitorem poſtliminiò revocetur; prius quidem quum ſit præter conſvetudinem moremque receptum, ſupervacaneum videri poſſet, at poſterius tam nemini non probari meretur, quàm omnium ſemper votis expeti ſolet, ut quò præſtantior aliquis liber eſt, eò correctior conſervetur, vel alicubi depravatus reſtituatur, ac proinde non mediocri aviditate excepta eſt Hollandica illa editio hujus praxeos, quæ ſe omnibus aliis emendatiorem jactitat, quum tamen quibusdam in locis plus aliis deteriorata ſit, quod unico ſaltem exemplo probabo, nempe quod ipſa ad tincturam ☽æ, ad quam Author noſter calcem ☽æ vulgari modo per ♀ ⊽tam (i. e. calcem argenti ex aqua forti mediante cupro præcipitatam) accipere jubet, eandem calcem per venerem ſublimatam explicet, at quis unquam fixiſſimam calcem argenti per cuprum ſublimare,

limare, ſeu in ſuperiorem partem vaſis elevare potuit? tales verò deteriorationes complures in dicta editione occurrunt, prout quilibet, qui propriis manibus in laboribus Chymicis eſt exercitatus, conferendo eam cum hac, animadvertere & teſtari poterit, iſti enim & non alii poſſunt noſtrum Authorem intelligere, corrigere & aliis interpretari. Tametſi verò gemino hoc labori arduo ſuſcipiendo longè nos impares arbitremur, præſertim cum in theoricis jam ferè nova ſint omnia, tantoque etiamnum opere intricata, ut vel defæcatiſſima ingenia plus dubitent quàm certò ſciant. Nihilominus cum non nulla ſecretiora & rariora nobis per DEI gratiam comperta ſint, quibus aliis prodeſſe tenemur, quantum poſſimus, quod melius non poſſumus, quàm ea publicando, ſic enim in vita & morte proderimus, idcirco etiam in reliquis aliquid audendum eſſe rati ſumus, commodiusque id fieri poſſe ea annectendo alii bono libro ob rationes ſuperius allatas, dictus autem liber jam pridem opus haberet reaſſumptione, correctione & reeditione, itaque eundem commentandum aſſumpſimus, multisque rarioribus, ſcituque dignis locupletavimus, absque tamen immutatione

verborum Authoris, ſed potius ſervato ipſius textu genuino, quem eo ordine, ut à D. D. Michaelis evulgatus eſt, literis majoribus recenſemus, ubi notandum, quod quæ in textu in parentheſi poſita ſint, pariter non Authoris noſtri verba eſſe, ſed D. D. Michaelis, quibus unam vel alteram obſcuritatem illuſtrare voluit, neuter tamen ornatum ſtyli quæſivit, ſed potius utilitatem ſolummodò publicam, de cætero parum ſollicitus, an eruditè vel indoctè quid ſcribatur, ſi modò probè intelligatur & multis proſit, quod etiam nobis placuit imitandum. Proinde in hoc Authoris ſcripto & ordine ab ipſo inſtituto nihil mutavimus præter mendas, niſi quando ſicubi in diverſis locis de eodem morbo ſcripſit, ea in hac noſtra editione neceſſariò ſub unum caput redigenda fuere, ne idem caput alibi cum omnibus circumſtantiis denuò repetendum foret. Adjecimus quoque aliqualem præcipuarum corporis partium anatomicam deſcriptionem, non tamen eum in finem, ut tyronibus famem caninam curioſitatis anatomicæ excitaremus, qualis hodiè adeò invaluit, ut plurimi nil niſi ſectionem cadaverum & ſcrupuloſiſſimam minutiſſimarum fibrarum indagationem indefeſsè moliantur, ſperantes ſe exinde in abſolutiſſimos evaſuros Medicos,

cos, parum tamen etiam ditiſſimâ anatomiæ cognitione in curandis magnis morbis præſtant, imò ſæpè minus quibusdam idiotis, qui uno vel altero arcano Chymico propriis laboribus potiti ſunt. Talia enim utplurimum licet ab indoctiſſimo ruſtico exhibeantur, æquè totum corpus pervadunt, & locum morbi reperire norunt, ac ſi ab abſolutiſſimo anatomico propinata fuiſſent, imò niſi ipſa natura ſedem morbi quærat & aſſumpta medicamina eò deducat, ars certè anatomica medicamen ad locum deſtinatum mittere non poterit. Non ergò ſine ratione etiam magnus Helmontius ſuperfluam ejusmodi curioſitatem in tract. *Ignota actio regiminis*; reprehendit his verbis: *Sufficiebat pro anatome ſitum, colligationem & uſus partium noviſſe, non autem tota vita cadaverum lanienam ad minimæ venæ ductus inveniendos exercuiſſe. Siquidem ad inanem & ſordidam jactantiam ſpectant, in qua precioſisſimum vitæ ſtadium infrugiferè conſumitur.* Conſimilem quoque ſuperabundantis ſcrupuloſitatis rationem ineunt quamplurimi botanici, pererrantque multis annis valles & montes, pro reperiendis novis herbis hactenus incognitis, nimisque curioſè deſcribunt minutiſſimos floſculos, foliola & eorum venulas alias-

que circumſtantias, interim tamen diu cognitarum herbarum virtutes ignorant, ubi econtra multæ ſunt vetulæ, quæ quibusdam experimentis ſæpè difficiles affectus curant, prædictosque botanicos longiſſimè ſuperant, quamvis pauciſſimas herbas cognitas habeant, ita ſemper Mundus minus neceſſariis occupatur, eaque quibus maximè opus eſt, negligit. Potius ergò noſtros tyrones à tali præpoſtera ſedulitate dehortamur, quàm ut eandem velimus commendatam. Quod ſupereſt, benevolum lectorem rogatum volumus, ut noſtrum ipſi inſerviendi, & benè merendi ſtudium æqui bonique conſulat, ſuisque nos precibus ad Deum ter opt. max. fundendis includat in cujus gratiam nos omnes humilimè commendo.

PROOEMIUM AUTHORIS.

Eliciter in Praxi Chymiatrica proceſſuro ad duo reſpiciendum eſt. 1. Ut benè cognoſcat morbum. 2. Ut remedia convenientia & ſelectiora in promptu habeat. Prius cognoſcitur ex pathologia, alterum ex therapeuſi, quæ tamen præcipua eſt Chymica: In pathologicis doctiſſimus Fernelius eſt conſulendus: In therapeuſi, quæ imprimis pharmaciam ſpectat, hoc loco præſtant Chymica, ſcilicet ſpecifica, & quidem euporiſta in quibus duobus tota ratio medendi conſiſtit. Antequam igitur ad ſingularum partium morbos & ſymptomata perveniamus, non erit inutile præmittere univerſalia medicamenta in certas claſſes redacta, ex quibus univerſales curationes particularium morborum petendæ. Cum autem in Medica Praxi frequentiſſima intentio ſit evacuatio. Medicum eandem per medicamenta cita, tuta & jucunda ritè adminiſtrare callentem principalem praxeos nervum callere meritò arbitramur. Igitur de morborum principalium

palium cura tractaturis, operæ precium erit univerſalia illa evacuantia, quæ in ſingulis quaſi morbis offerenda, præmittere. Cum autem natura per quatuor vias (a) *ordinariè morbi mineram expellere ſoleat. 1. Per ſuperiora. 2. Per inferiora. 3. Per veſicam urinariam. Et 4. per ambitum corporis; Medicus naturæ miniſter eam in his meritò imitatur, & propterea quatuor evacuantium medicamentorum claſſes conſtituit, ſcilicet vomitoriorum, purgantium, diureticorum & diaphoreticorum, atque hæc pro diverſitate ſubjecti & morbi ſcilicet modò ex vegetabilibus, nunc ex mineralibus depromit.*

Quemadmodum autem in ſingulis morbis hæc in uſum veniunt, ita ſæpius ob virium imbecillitatem, aut doloris vehementiam nunc æger confortandus, nunc dolor mitigandus, nunc confortantia & anodyna adhibenda, quæ particularibus curis præmittenda.

(a) *Hiſce meritò accenſenda ſunt ſalivativa, genus profectò corpus impurum ſelectivè purgans & depurans, imò ſæpè planè renovans, uti innumera experimenta admiranda vidimus & novimus, eorumque uſum in convenientibus locis docemus.*

PRAXIS

PRAXIS CHYMIATRICÆ
PARS PRIOR.

TRACTATUS PRIMUS
DE DIGESTIVIS.

DIvinus Medicorum Princeps in omnibus imitationis Naturæ ſtudioſiſſimus, & cum ipſo omnes magni Authores maximè neceſſarium eſſe obſervarunt, ut nunquam ab una extremitate ad alteram ſine intermedio tranſitus fiat, quod etiam omnino in evacuatione impuri corporis humani convenit, in tali enim multæ cruditates ſuccique non concocti partim à viſcerum debilitate, partim verò ab internis meatuum obſtructionibus & òppletionibus ſtagnant, quas ſi quis pharmaco purgante ex abrupto è corpore exturbare violenter præſumeret, magna & periculoſa corporis conturbatio facilè excitari poſſet, præmonſtrante itaque naturâ didicerunt, in qualibet magna corporis impuritate & cruditate evacuationem præcedere debere convenientem præparationem, quæ vulgò vocatur digeſtio & concoctio, non quidem quod ejuſmodi impura colluvies digeſtione & concoctione maturetur in legitimum ſuccum alimentarium, uti fit in vera coctione quæ pepſis dicitur ſeu coctio rerum alibilium naturæque conformium & conſocialium, ſed quâ res è ſtatu naturali egreſſæ mitigantur & percoquuntur, quæ pepasmus vocatur, eſtque plenior naturæ elaboratio & ſeparatio puri ab impuro, quemadmodum enim in molendino farina puriſſima totalis non poteſt ſeparari à furfuribus, niſi frumentum prius per molituram penitus in minutiſſimum pulverem conteratur & comminuatur, ita etiam purum corporis alimentum non poteſt penitiſſimè à fæcibus ſegregari, niſi per plenam fermentationem & percoctionem, ad quam abſolvendam neceſſe eſt, ut omnes viſcerum meatus ſint aperti, & ab obſtructionibus liberi, tunc enim ſpontaneo naturæ curſu temporis ſufficienti ſpacio interpoſito purum ſe ab impuro ſeparat, uti fæces à muſto, & ſerum à lacte, tuncque impurum ſponte ſecedens convenienti purgativo evacuari poteſt,

antea verò admodùm difficulter ob exactam commixtionem puri cum impuro, prout etiam muſtum ante fermentationem non facilè à fæcibus ſeparari poteſt, ſed purum cum impuro effunditur, at ſi expectatur donec muſtum fermentando deferbuerit, tunc fæces ſponte fundum petunt, muſtum verò fit clariſſimum vinum, ac à fæcibus decantari poteſt. Idem etiam in lacte contingit, è quo ſerum & caſeus à cremore & ſubſtantiâ butyroſa initio non ſeparantur, niſi lac per unum & alterum diem quaſi in digeſtionem & concoctionem reponatur, vel liquor ipſi contrarius, nempe auſteri vel acidi quid infundatur, tunc enim mox ſeparatio fit, talis itaque pari modo digeſtio & maturatio in impuro corpore ante ipſius evacuationem neceſſaria eſt, in qua conſimiliter ut in ſeparatione lactis, purum ab impuro ſequeſtratur, quod fit præinjunctâ corporis quiete, & reſeratione obſtructorum meatuum, ut libera evacuatio ſubſequi poſſit, quorum utrumque etiam in repurgatione fæcum muſti & cereviſiæ novellæ neceſſarium eſt, ut nimirum dolia, in quibus defæcari debent, in cella in quiete detineantur, atque etiam in ſuperiori parte aperta ſint, aliàs præ violentiâ efferveſcentiæ periculum foret, ne rumperentur.

De hac digeſtione & præparatione loquitur etiam Hippocrates in ſequentibus:

Concocta & non cruda ſunt movenda & educenda. lib. 1. aph. 22
Neque per initia purgandum, niſi materiâ turgente. 1. 22
Educenda eò dirigenda quò vergunt. 1. 21
Corpora purganda oportet fluida facere. 2. 9
Corpora quum quis repurgare volet, fluida faciat. 7. 70
Supra ſi purgandum, alvus ſiſtenda. 7. 70
Si verò infrà, humectanda. 7. 70
Corpora non facilè ſupra purgabilia ante potionem copioſiori alimento & quiete ſunt præhumectanda. 4. 13
Materiâ turgente in valdè acutis eodem die purgandum. 4. 10
In talibus enim differre, malum. 4. 10
Corporibus humida carne præditis fames eſt imperanda. 7. 61
Fames enim ſiccat. 7. 61

Varia itaque præparantia vulgò in uſu ſunt juxta temperamenta diverſa, quæ communiter parantur ex his quæ aliàs obſtructiones hepatis & lienis aperiunt, humectant, urinam, menſes & ſudorem fundunt, ut ſunt: cichorium, endivia, agrimonia, lupulus, aſparagus, ſalvia, taraxacon, lingva cervina, lactuca, portulaca, fumaria, meliſſa, capillus veneris, apium, ruſcus & ſimilia, è quibus concinnantur apozemata, juſcula & vina medicata, quæ purgationibus ſolemnibus præmittuntur, ex gr.

℞. rad. ſcorzoner.
ebuli an. ℥ß.
fol. fumar.

ſcolo-

ſcolopendr.
meliſſ.
lingv. cervin. an. m. j.
flor. lupul.
borrag.
bugloſſ.
roſar. an. p. ij.
ſem. apii.
fœnic. an. ℥ij.

Omnia concidantur & contundantur craſſo modo & dentur in charta, de quibus unus vel alter manipulus cereviſiæ vel vino immittatur, nimirum pro qualibet libra vini manipulus hujus mixturæ, & poſt infuſionem viginti quatuor horarum, de hoc potu per aliquot dies largiter bibatur, poteſt etiam inter coquendum unà juſculis non nihil talium herbarum incoqui, atque in tali juſculo fervido poſtmodum cremor tartari, vel alia ab Authore commendata reſolvi & aſſumi.

Continuato per aliquot dies ejusmodi potu digeſtivo, in quo ſubinde etiam liquores aperientes ut ſunt ſpiritus ſalis armoniaci, ſpiritus ſalis dulcis, cochleariæ, aperitivus Penoti &c. ad guttas X. vel plures aſſumi poſſunt, tum demùm purgatio vera convenit, juxta exigentiam temperamenti inſtituta, finita autem purgantis medicaminis operatione iterum ad digeſtiva & aperitiva veniendum, nec non ſpecifica morborum, de quibus ſuo in loco, jam verò revertamur ad ea quæ proponit.

TEXTUS.

Inter digeſtiva familiaria præter cætera in dogmatica medicina uſitata, & interdum etiam ab ipſis ægrotis requiſita maximè in uſu ſunt.

I. TARTARUS VITRIOLATUS imprimis à Crollio deſcriptus, ex quo eſt digeſtivum ibidem. Iſtud eo modo paratum, quem docet Crollius, in vino ſcilicet cum paſſulis & cinamomo cocto diſſolutum, etiam oſtenſum unicum eſt, quod debito modo exhibitum in morbis contumacibus & chronicis digeſtione & mitigatione egentibus, plurimum poteſt. Tartarus Vitriolatus.

II. Eſt CRYSTALLUS TARTARI, à Quercetano ſæpè laudatus, & hactenus uſu quoq; confirmatus, vulgò vocant cremorem tartari, ejus uſus quoq; valdè conveniens morbis multis, digeſtione opus habentibus: imprimis verò ad calculum renum vel veſicæ, de quo infra, maximè eſt accommodatus, doſis hujus eſt à ʒß. ad ʒj. in melancholia ſummum eſt deoppilativum tam alvi (a) *quàm tartari in venis meſaraicis ſtabulantis. Datur in juſculo carnium vel vino ſæpius doſin reiterando.* (b) Cryſtallus tartari.

(*a*) Cryſtallus vel cremor tartari in pulverem tritus melancholicis ad purgandum ita exhibetur:

℞. Cremor. tart. ℈ij.
Pulv. rad. jalap. gran. XV. vel XVI.
m. f. pulvis aſſumendus mane in

 fervido

fervido juſculo vel cereviſia calida.

(*b*) Digeſtivis hiſce annumerari poteſt caput mortuum ſive rema nentia ſpiritus ſalis armoniaci, conſtans ex æqualibus partibus ſalis armoniaci & clarificati ſalis tartari, quæ nimirum poſt deſtillationem præfati ſpiritus in fundo cucurbitæ remanet, hæc evacuatur beneficio aquæ communis ſolvitur, filtratur, & evaporatione aqueæ humiditatis iterum in ſalem congelatur, qui pondere unius vel alterius ſcrupuli in juſculo vel vino medicato exhibetur.

Vidimus quoque in ipſius Hartmanni noſtri literis ad D.D. Michaelem datis mirum in modum commendari tartarum crudum album, ſi in ſpiritu vitrioli Philoſophico ſolvatur, filtretur & abſtracto rurſus hoc vitrioli ſpiritu in ſalem coaguletur, atque ejus ℈j. vel ʒß. aſſumatur, non modò enim inſigne haberi digeſtivum, verùm etiã leniſſimum & ſvaviſſimum evacuativum, nos quidem hoc tentavimus, & in abſtractione ſpiritus vitrioli invenimus collum retortæ vitreæ repletum albis & oblongis filis, his ſimilibus, quæ ſæpè copioſè in aëre per aliquot dies continuos volitant. Remanens autẽ in fundo ſal jam factus non adeò magnas edere virtutes videbatur, judicium tamen noſtrum ſuſpendimus, huncque laborem etiam aliis relinquimus tentandum.

TRACTATUS II.
DE VOMITORIIS ET VOMITIONE SPONTANEA.

VOmitoria vocantur etiam emetica & cathartica per vomitum operantia, quorum uſus eſt ad purgandum ventriculum primasque vias à nimio infarctu, nec ſolûm hominibus purgatio per vomitum uſitata eſt, verùm etiam quadrupedibus, uti quotidie obſervatur in canibus, felibus, lupis &c.

Conveniunt omni ætati, minus tamen tutò ſenibus ætate admodum provectis, omnibusque morbis jamjam incipientibus, at qui jam diu durarunt, & vires multum proſtraverunt, vix ulli vomitorio auſcultant, ſed ferè ab illis pejoreſcunt. Adhæc fœminæ hyſtericæ facilè ab iis aſſumptis irritantur ad novi paroxiſmi inſultum, proinde in iis propinandis circumſpectione opus eſt.

De vomitoriis etiam optimè præcepit Medicorum Dictator in ſequentibus aphorismis:

Ante exhibitionem vomitorii inſpicere oportet regionem, tempus, ætatem & morbos, an conveniat vel non. lib. 1. aph. 2
Signum ejus eſt, quod talia purgentur, qualia oportet. 1. 2
Et ægri leviter eam ferant. 1. 2
Quælibet evacuatio ad extremum deducens periculoſa. 1. 3
Evacuatio eò eſt ducenda, quò maximè natura vergit. 1. 21
Æſtate magis per ſuperiora, hyeme

hyeme per inferiora purgandum. 4. 4
Graciles & facilè vomentes purgandi ſunt ſuperius. 4. 6
Cavendo tamen hyemem. 4. 6
Vomentes verò difficulter, & mediocriter carnoſi inferius. 4. 6
Cavendo tamen æſtatem. 4. 6
Tabidi ſupernam purgationem caveant. 4. 8
Hyeme in levitate inteſtinorũ ſuprà purgare, malum. 4. 12
Ad helleborum qui non facilè ſuprà purgantur, humectandi ſunt ante potionem pluri cibo & quiete. 4. 13
Ad motionem corporis helleborus ducit magis, ad ſomnũ verò & quietem minùs. 4. 14
Ut helleborus magis ducat, corpus eſt movendum. 4. 15
Ut verò ſiſtatur, dormiendum & quieſcendum. 4. 15
Faſtidium cibi extra febrem requirit purgationem ſupernam. 4. 17
Ut & ventriculi morſus. 4. 17
Nec non vertigo tenebricoſa. 4. 17
Atque oris amaritudo. 4. 17
In doloribus quibuscunque ſupra diaphragma exiſtentibus purgatione indigentibus purgandum per ſuperiora. 4. 18
Vomitio ſpontanea familiaris eſt infantibus. 3. 24
Eſtque frequens æſtate. 3. 21
Nec non navigantibas. 4. 14
Item in febre non lethali, in qua caput dolet. lib. 3. præſ. 30
Aut ante oculos obſcura quædam obverſantur. ibid.
Aut cordis dolor accidit. ibid.
Eòque citius ſi ſimul horror & inferiorum partium præcordiorum frigus adſint. 3. 31
Tunc quoque ſi quicquam comedatur vel bibatur, unà celerrimè revomitur. 3. 32
Maximè in tertianis ſinceris & febribus continuis in utroque ſexu, qui annum trigeſimum agunt vel ſuperarunt. 3. 35
Ubi verò unà cum dolore capitis obſcuræ ante oculos imagines non concurrunt, ſed ſplendentia quædam ac præcordiorum tenſio, hæc in juniori ætate fluxum ſanguinis è naribus denotare ſolent. 3. 35
A tuberculi intus ruptione ſemper fit vomitio. 7. 8
Vomitus ſiſtit alvi fluxum. 6. 15
Confert quando talia purgantur, quæ purgari oportet, & facilè feratur. 1. 2
A læſo cerebro vomitus bilioſus neceſſariò provenit. 6. 50
Ab ileo vomitus, malum. 7. 10
A vomitu ſingultus, malum. 7. 3
Nec non oculorum rubor. 7. 3
Vomitus atræ bilis, lethale. 4. 22

TEXTUS.

I. Inter vomitoria primum tenet locum aqua benedicta à Martino Rulando propriè ita dicta. Aqua benedicta Rulandi.

Syrup. ex aqua bened.

II. *Eſt Syrupus ex aqua benedicta, de quo in notis ad Crollium.*

Vitriolum alb.

III. *Vitriolum album: hujus autem uſus rarior: à ʒß. ad ʒj. in aqua menthæ aut hordei diſſoluta vomitum movet, ſi purius deſideras, diſſolve illud in aqua centaurii minoris, ſolutum filtra & coagula, idque tertia vice; ultimò diſſolve in aqua roſarum, ſolutum filtra, & in cineribus calidis per ſex dies digere, feces fundum petentes ſepara, quod clarum evapora ad ſiccitatem; doſis ℈ij cum conſerva roſarum, vino, hydromelite, vel ptiſana, addito ad libitum ſyrupo acetoſæ, vel oxymelite.*

Gilla Paracelſi.

IV. *Gilla Paracelſi, ut extat apud Crollium.*

Vomitorium Plateri.

V. *Vomitorium Plateri ex nucibus viridibus, raphano & aceto vini, quod ita fit:*

℞. Nucum juglandium circa Feſtum Johan. Baptiſt. collectarum q.v.
Rad. raphani an. part. ij.
Aceti vini deſtillati part. iij.

Conquaſſatis nucibus & raphano fiat digeſtio leni calore per dies 5. vel 6. poſtea deſtilla per alembicum ex Baln. doſ. ℥ß. ad ʒiij. fortificatur cum aquæ benedictæ dimidia doſi, vel etiam tertiâ aut quartâ parte.

Vomitivũ Conradin.

VI. *Vomitivum Conradinum, de quo ad Crollium.*

VII. *Ramenta* (a) *ungvium in vino vel alio liquore.*

NB. *In hydrope ſi ſegmenta ungvium digitorum & pedum umbilico ægri imponantur, miraculosè dicuntur aquam expellere, D.C.H. Baſil.*

(a) De raſura & ſegminibus ungvium teſte Henrico ab Heer exempla ſunt quorundam, qui neque antimonio nec hellebori extracto moveri potuerunt, hac autem raſurâ propriorum ungvium impotâ largiter ſurſum & deorſum purgati ſunt.

VIII. *Coagulum aſari: ex aſaro toto h. e. radice & foliis cum ſpiritu vini extrahitur tinctura, quæ cum ſale purificato ejuſdem conjungitur, & factâ in M.B. lento igne digeſtione ſpiritus vini in B. abſtrahitur ad conſiſtentiam vel coagulum.* Coagulum aſari.

Clarius: Menſe majo ℞. radicum aſari q.ſ. cum foliis, quæ in umbrâ diligenter exſiccentur, & earum pars quarta conquaſſetur, poſtea & ipſi in phiola affundatur ſpiritus vini rectificatus, ut quatuor digitos emineat, phiola optimè obturata in loco calido ponatur, donec ſpiritus vini colore è viridi, flavo tingatur, ſpiritus tinctus decantatur à fæcibus, & in vaſe clauſo ſervatur. Ex partibus reſiduis tribus in cinerem combuſtis aquâ calida ſalem extrahe. Hic ſiccatus in crucibulo

ad

ad ignem patentem funditur. Fluens remotus ab igne ſolvitur in aqua calida, & digeritur, iterumq; exſiccatur. Huic ſali tinctura parata, prius per chartam bibulam filtrata ſuperfunditur, & in cucurbita ſpiritus vini igne lento abſtrahitur ad conſiſtentiam mellis, hujus ℈j ad ℈ij. vel ʒj. in ptiſanæ jusculo exhibetur, aut hydromelite vel hydrelæo in morbis, ubi vomitivis opus eſt. Alii tantùm folia aſari no. iiij. in vino per horas VI. aut VIII. macerant (b) *vinumq; leniter expreſſis foliis exhibent, atque ex hoc ſine moleſtia vomunt.*

(b) Folia aſari non omnibus movent vomitum, licet vel novem, vel ultra foliorum exhibueris, ſicuti crebrius talia exempla obveniunt, alii dant pulverem radicis ejus à ʒß. ad ʒj. quo aliqui ſat violenter ad vomendum concitantur, alii vero non, antimoniata autem rarò fallunt, nullum quoque peculiarem habent ſaporem vel odorem, eoque nomine etiam præ aliis ſpeciale commodum præſtant, ita enim horum infuſo nulla odoris vel ſaporis qualitate diſtingvibili ægri obſtinati ingenti cum eorum commodo optimè poſſunt falli, ut taceamus eorum inſignem operationem nullis aliis ſecundam planè univerſalem, ſuntque ideò multis modis aliis præferenda. Rarò tamen admodùm vomitus inſtitui debet, & non niſi in gravibus caſibus, obſervavimus enim, quod crebræ vomitiones naturale robur ſtomachi inſigniter peſſundent, ut vix unquam ſe recolligere valeat.

Oleum antimonii cum berberibus.

(IX *Oleum antimonii cum berberibus:* ℞. *antimonii* ℔j *ſucci berberũ* ℔vj. *ſtent in ſole aut loco calido per menſem unum, poſtea ſuccum effunde, extrahe aquam ad conſiſtentiam* (c) *ſyrupi, quam reſerva ad exſiccanda ulcera. Olei reſidui gutt. XX. ad ſummum movent vomitum absque violentia, frequens eſt Wertenbergero Baſileæ.)*

(c) Senſus eſt, quod ex berberibus ſuccus debeat exprimi, & per reſidentiam clarificari, tumque antimonio pulveriſato ſuperfundi, & in loco calido ſeu tepido mixtura in vitro obturato detineri per menſem, quo elapſo deſtillatio in M. B. inſtituatur per alembicum, donec ſuccus in fundo craſſeſcat in modum ſyrupi fluidioris, tunc à deſtillatione ceſſandum, & haberi in fundo ſuccum craſſiuſculum inſtar ſyrupi ſeu oleiformem, cujus guttæ XV. ad XX. ad ſummum inſervire pro vomitorio non violento, aquam autem per alembicum ſtillatam adhiberi poſſe ad eluenda ulcera, quæ ab eâ exſiccentur, & ad ſanationem promoveantur, quem uſum ſi quis non deſideret, poſſit ſuccum extractione antimonii imprægnatum ſaltem evaporare ad præfatam conſiſtentiam.

X. *Aqua*

Aqua vomitoria præſtantiſſima.

X. *Aqua vomitoria præſtantiſſima: ℞. vitri antimonii hyacynthini more Matthioli præparati, & in pulverem ſubtilem redacti, ſalis carduibenedicti an. gran. XL. aquæ veronicæ ℥V. aq. cinamomi gutt. XXX. infundantur in balneo tepido per horas 24. poſtea colentur per chartam, & ſerventur, de quo patienti drachmæ III. IV. V. vel VI. ſecundum quod repletus, robuſtus, facilis vel difficilis fuerit, ad purgandum dentur.*

Vitriolum vomitivũ.

XI. *Vitriolum vomitivum in febribus laudatiſſimum remedium, & purgans frigidum Angeli Salæ, vide notas ad Croll.*

Aquæ benedictæ Rulandi præparatio.

XII. *Aqua benedicta Rulandi* (d) *etiam inſigne vomitorium eſt, quod ita paratur: ℞. epar antimonii ex antimonii & nitri partibus æqualibus factum, per horas V. in aqua ebulliat, hinc reſideat, & aqua clara à fæcibus ſeparata per pannum laneum trajiciatur, & relinquatur per diem, ut reſideat rubedo in fundo, aut inſpergantur guttæ aliquot aceti, ut rubedo ad fundum præcipitetur. Aqua nitro imprægnata ſeparetur, aliâq; affusâ rubedo lavetur, ut omnem ſalſedinem corpus deponat, aquâ decantatâ exſiccetur crocus. Ejus ℈j. maceratur in unciis IV. vel V. vini albi, alteriusve liquoris convenientis in loco calido per diem, aut ſi ſtatim opus habeatur, bulliat eodem liquore, colatura propinetur calida vel frigida, vires & uſum cautelasq; vide in notis ad Crollium.*

(d) Potius Hartmanni, incertum enim eſt Rulandum, hoc eodem modo uſum fuiſſe.

XIII. *Extractum hellebori* (e) *℞. rad. cyclaminis, bryoniæ ana. ℥ij. ellebori albi ℥j. probè mundatas, lotas, viciſſimq; exſiccatas comminue in pulverem, cui affunde ſpiritum vini ad eminentiam quatuor digitorum, digerantur in loco calido per tres dies, deinde lentiſſimo igne ſpiritum vini deſtilla, & cave ne ignis vehementia materia comburatur, quare præſtat eam cum ad mellis conſiſtentiam deſtillata eſt, eximere, & in ſcutella vitrea leni calore exſiccare. Materiam exſiccatam viciſſim comminue, & ſpiritum vini antea abſtractum reaffunde, relinque in calido per duos dies, poſtea filtra, liquorem filtratum uſui reſerva. Ejus guttæ 6 vel 8 in hauſtu aquæ tepidæ, vini, aut ſi fortius deſideres vomitorium, decocti ſeminis raphani cum ſyrupo acetoſæ ſimpl. ad libitum exhibentur, ad excitandum ſine animi moleſtia vomitum.*

Extractum hellebori.

(e) Extractum omninò ſimplex ſeu

ſeu eſſentia hellebori paratur in hunc modum: ℞. radicum hellebori albi craſſiusculè contuſarum ℥ß. ſeu drachmas quatuor, inde eas fiolæ, ac ſuperfunde libram vini generoſi ſeu Hiſpanici, vitrum ohturatum expone calori ſolis æſtivo per aliquot ſeptimanas, ac poſtea decanta. Datur hujus vini cochlearium pro concitando vomitu, quem ſatis validè movet, nec tamen admodum affligit. Et ſi ejus ſemicochlearium aliis laxantibus addatur, tunc abſque vomitu alvum inſigniter movet; linctibus quoque pectoralibus ejus paucæ guttulæ admixtæ præclarè & copiosè expectorationem promovent.

Sunt adhuc alia multa vomitum proritandi facultate prædita, imprimis autem uſitata ſunt: aqua juniperi per deſcenſum in pelvi deſtillata, ejusque cochl. j vel ij. bibita. Item cortices radicum juglandis & medianus ejusdem pondere ʒj. item cortic. virid. median. ſambuci, & ſummitates ejusdem ſurſum decerptæ: ficus aſſæ & oleo imbutæ, flor. anethi, chamæmeli, juli juglandium ex vino, ſem. raphani, anethi, atriplicis ad ʒij. urticæ ex mulsâ ad ʒj. pluraque alia; omnium autem uſitatiſſima eſt radix aſari aliis addita, ut

℞. pulv. rad. aſari ʒß. vel ℈ij.
conſerv. viol. ʒj.
elæoſach. aniſ. gr. V. m. f. pulvis.

Vel ℞. pulv. rad. aſari ℈ij.
oxymel. ſimpl. ℥ß.
brodii carn. non pingv. q. ſ. m.
f. hauſtus.

Vomitiva etiam eſt aqua tabaci, item infuſum ejus e. g.

℞. pulv. tabaci ſicc. Indic. ʒj.
cereviſ. ℥iij. infundantur per noctem, manè colatura detur.

At ſine ambagibus & ullis ſumptibus vomitorium tutiſſimum haberi poteſt, immittendo digitum in fauces, in eisque tamdiu titillando, donec vomitus ſequatur.

XIV. Electuarium antimonii: ℞. *vitri antimonii per ſe ſine borrace fuſi, & in tenuiſſimum pulverem redacti ℥ij inſtilla ſpiritus vitrioli ʒij. ac miſce diligenter in mortario, vel ſuper porphyrium, & poſtea pulverem in ſcutella ad lentum ignem exſicca. Hunc pulverem miſce cum ſpeciebus enumeratis à* Crollio *in electuario antimonii.* Electuarium antimonii.

XV. *Non diſſimili virtute præditi ſunt flores antimonii & vitrum ejusdem, ſi per diem infundantur in vino vel alio liquore convenienti (v. g. in aquæ carduibened. ℥iij. cinamom. ʒj.) à ℈ſ. ad ℈j. & manè vinum clarum decantatum exhibeatur: ſi verò in promptu vomitivum habere animus ſit, infundi poſſunt ʒij florum antimonii vel croci vel vitri ejus in ℔ jv. vel circiter vini albi, aut aquæ carduibenedicti, additâ paucâ aquâ cinamomi, & in vaſe benè clauſo aſſervari, liquo-* Flores & vitrum antimonii.

ris, cum opus, dabis ℥iij. vel IV colentur & exhibeantur vel per ſe, & cum ſyrupo acetoſæ, vel oxym. vel ſimpl.

Gummi gutta.

XVI. *Alii gummi guttæ gran. aliquot (III.) cum gutt. ij ol. cinamomi aut aquæ ejusdem in pingvi jusculo exhibent.*

NB. *Si vomitus ut & purgatio à datis his medicamentis nimium* (f) *ſubſequatur, præſentiſſimum eſt remedium potus lactis cocti cum pane, aut cochlearium unum ſyrupi de maſtiche, aut theriaca antiqua, ſtatimq; cibum, aut panem tantùm vino generoſo imbutum exhibere. Prodeſt etiam emplaſtrum de cruſta panis ventriculo imponere & plantis pedum: præſentiſſimum quoque remedium eſt, ſi offeratur pilula una laudani opiati; interdum prodeſt, ſi æger ad vomitum non ad modum proclivis eſt, naturam juvare jusculo exhibito ſine pane, aut aquâ hordeaceâ, vel hydrelæo.*

(f) Noſtrum uſitatiſſimum arcanum ad ſiſtendas vomitiones ab antimoniatis ſuperfluas eſt lapis pumicis, cujus parum tenuiſſimè tritum in vino propinamus, & protinus vomitio quaſi incantamento ceſſat.

TRACTATUS III.

DE CATHARTICIS EISQUE PRIMO VEGETABILIBUS.

Cathartica ſunt ejusmodi medicamenta, quæ corpus humanum purgant per ſeceſſum ſeu inferiora; quonam autem pacto hanc ſuam operationem perficiant, non ſat explicari poteſt, niſi quod à ſuperioribus deorſum trahunt, ubi è contra vomitoria ab inferioribus ſurſum anthlient, & ſic ventriculum ad vomendum concitent, uti quilibet aſſumpto vomitorio advertere poteſt: exturbant enim primò pituitam in ventriculo ſtagnantem ad ſuperiora, mox verò bilem meracam per apertum pylorum ab inferioribus attractam. Verùm non opus eſt de abſtruſioribus hisce naturæ operationibus multum eſſe ſolicitos, ſed ſufficit nobis compertos habere optimos vacuandi purgandiq; corpus noſtrum ſtagnantibus cruditatibus impuratum modos, quos quotidiè mirum in modum tam in internis quàm externis corporis affectibus prodeſſe experimur, ut ut non exactè norimus, qua ratione intus ejusmodi purgatio à natura inſtituatur. Hoc autem per diutiſſimam & infinitam experientiam ſatis notum eſt, unum hominem nequaquam purgandum eſſe, ſicut alterum: ſunt enim quatuor præcipuæ complexiones ſeu temperamenta humana, nimirum 1. complexio ſanguinea, 2. bilioſa, 3. phlegmatica. 4. melancholica: videlicet juxta quatuor

quatuor Mundi Elementa, nec ſolùm diverſæ hæ differentiæ Elementares in corporibus humanis obſervantur, ſed & in cunctis aliis rebus ſublunaribus, & ſic conſequenter etiam in ſimplicibus rei medicæ inſervientibus: ab antiquiſſimo enim tempore eadem in diverſas quatuor claſſes diſtincta ſunt, videlicet in evacuantia bilem, pituitam, melancholiam, & mundantia ſangvinem. Operæ igitur precium eſt, ut de ſingulis horum non nulla hic adducamus, incipiendo primo de ſimplicibus ſangvineo temperamento dicatis.

Qualitas temperamenti ſangvinei.

Eſt autem complexio ſanguinea omnium nobiliſſima & temperatisſima, ſequens naturam aëris & influentiam Solis & Jovis, & ubicunque in homine dominium obtinet, plurimum generat ſangvinis, firmaque viſcera ſangvifica nempe cor & hepar impertit, una cum corpore robuſto & carnoſo, concinnâque formâ & proportione condecorato, pilis abundante, eisque plerunque flaveſcentibus, non admodùm criſpis ſed ferè planis, & procedente tempore ad colorem caſtanearum tendentibus, color vultus in ſangvineis eſt venuſtè albicans cum rubore mixtus, præſertim in genis, oculi mediocriter magni & prominentes ſunt ferè cæſii vel furvi, moribus ſunt comibus & gratis, amant converſationem, fœmineum ſexum, & res curioſas, variisque novis reſciſcendis dediti ſunt, mites, pacifici, creduli, compatientes, à ſuſpicionibus ferè alieni, conjugium & venerem maturè appetunt, labores graviores refugiunt, facilè & multum ſudant, proni ad hæmorrhagiam, dyſenteriam, aſthma, hydropem, podagram, aliosque affectus à repletione oriundos; tam enim in cibo quàm potu facilè exceſſum ferunt, & convivationem non detrectant, idque in gratiam amicorum, ex ſuâ naturâ autem potius ad temperantiam feruntur: ſunt quoque proni ad riſum & lachrymas, benè dormiunt, nec de turbulentis ſomniant ſed ferè de placidis, largam venæ ſectionem ferunt, at nequaquam validam purgationem, qua mox viribus fatiſcunt; pulſus ipſis eſt validus, urina flava & copioſa, alvus temperatè laxa & benè reſpondens.

Cathartica ſangvinea ſunt omnia illa, quæ ſangvinem à ſuperfluo ſero mundificant, hepar & lienem deobſtruunt, ac menſes movent, imprimis autem:

I. CASSIÆ FISTULARIS ALEXANDRINÆ recens medulla, flos ſeu pulpa; extrahitur autem ſuper alicujus decocti vapore, nempe malvæ &c. Doſis ejus pro infantibus eſt à ℈iß. ad ʒij. pro adultis à ℥j ad ℥iſ. in clyſteribus ab ℥ij. ad ℥iij. pro debili ventriculo corrigitur cinamomo, maſtiche, ſemine coriandri præp. pro flatulentis, ſemine aniſi, fœniculi &c.

II. MANNA CALABRINA, datur infantibus bimulis à ʒij ad ʒiij. grandiuſculis ℥ſ. adultis ab ℥j. ad ℥iij. manducata in ſubſtantia, vel in brodio carnium diſſoluta, vel in morſulos redacta; corrigitur zingibere, cinamo-

namo:no, aniſo, &c. acuitur ſyrupo roſarum ſol. vel cremore tartari, aliisve purgantibus acidis, præſertim in naturis calidis.

III. RHABARBARUM tam vulgare Germanicum aliàs monachorum, quàm peregrinum, datur ſi ſimul reſtringendum ſit, in ſubſtantia puerulis à ℈j. ad ʒſ. adultis à ʒj. ad ℈iv. pro infuſione doſis eſt à ʒij. ad ℥ſ. extractum ejus exhibetur à ʒſ. ad ʒj. corrigitur tertia ſui parte cinamomi, Schænanthive, additis tribus vel quatuor granis ſpicæ, quæ tamen omitti debet in gravidis, febricitantibus & nauſeabundis. Rhabarbarum monachorum ſemper in duplo pondere exhibetur. Adhæc in officinis hæc compoſita è rhabarbaro proſtant, ſcilicet ſyrup. Diaſereos Andernaci. Trochisci de rhabarbaro, ſyrup. de cichoreo cum rhab ſyr. de rhab. ſolutiv. ſpecies diaturb. cum rhab. pil. de rhab. extract. d. rhab.

IV. RHABARBARUM ALBUM SEU MECHOACANNA, datur in ſubſtantia pro pueris ℈j. adultis à ʒj. ad ʒij. addita tertia parte cinamomi, vel fœniculi, vel maſtichis.

V. MYROBALANI CHEBULÆ, fricantur vulgò ineptè oleo amygdalarum dulcium, danturque à ʒij. ad ℥ſ. in ſero lactis vel juſculo gallinæ, aut decoquuntur ℥iiſ. in brodio aliquo, at uſitatius eſt, ℥j. ad ℥iſ. earum aliis purgantibus miſcere.

VI. TEREBINTHINA CYPRIA, coquitur ad duritiem ſeu friabilitatem, daturque in pulverem trita ad ʒj. præparatur etiam cum vitello ovi e.gr. ℞. terebinth. Venet. ʒiij. dimidium vitelli recentis, commiſce & ſubagita hæc invicem in mortariolo, donec albeſcat, admiſcendo paulatim aquæ alicujus ſtillatitiæ juxta affectus qualitatem nempe aquæ ſcabioſæ ad pectus, alkekengi vel petroſelini ad renes &c. circiter ℥iiij. fiatque potio.

VII. RADIX JALAPPÆ, quæ & mechoacanna nigra dicitur, doſis ejus in pulverem tuſæ eſt à ℈j ad ℈ij. ad infuſionem verò ʒij. corrigitur cinamomo, vel aniſo, vel eorundem oleis deſtillatis, pulvis aſſumitur in cochleari cum brodio carnis: extrahitur quoque mediante ſpiritu vini tinctura ejus, quæ ob eximiam operationem Phalaja nuncupatur, & à ℈ſ. ad ℈j. in ſyrupo rubi idæi propinatur. Vel ſpiritus vini, in quo eſſentia extracta eſt, ad dimidium abſtrahitur, in reſiduum verò aqua communis infunditur, qua extractum ad fundum præcipitatur, & reſina jalappæ appellatur, quæ granis XV. datur, cum particula cremoris tartari, ſcilicet ℈j. vel ʒſ. & guttis tribus olei cinamomi.

Plus autem conſiſtit mundatio ſanguinis in his, quæ urinam, ſudorem & menſes educunt, quàm in ventris ſubductione.

Porrò TEMPERAMENTUM CHOLERICUM quod attinet, imitatur illud qualitatē elementi ignis, eſtq; calidum & ſiccum, bilioſum, ad iram, & excandeſcentiam pronum: homines ergò, in quibus hæc complexio prædominatur, ſunt valdè chole- *Qualitas complexionis cholericæ.*

chole-

cholerici & bilioſi, litigioſi, facilè iraſcibiles, iterumque reconciliabiles, at in iracundia præcipiti ſæpè furibundi, eaque committunt, quorum poſtea ipſos pœnitet, Capillos ut plurimum alunt nigros & criſpos, ſæpius quoque ruffos, color faciei eſt paſſeus vel ex flavo pallens, ſunt quoque ferè feroces, robuſti, impetuoſi, actionibus prompti & celeres, otii impatientes minus pingves, venerei, judicioſi, aſtuti, increduli, ſeveri, rebus tamen quoque ridiculis facilè in riſum effunduntur; multum vigilant, potus ſunt appetentiores quàm cibi, quo facilè ſatiantur, ut & ſomno, ſomnia eorum ſunt de igne, tonitru, pugnis, rixis, equitatione, & vectione; pulſus eorum eſt celer & magnus, urina rutilans, fæces ventris intenſè flaveſcentes, valdèque proclives ſunt ad vomitum, larga verò venæſectio ipſis haud convenit, prout & à forti evacuatione brevi exhauriuntur, vel in choleram biliſve effuſionem præcipitantur, at purgantia lenia & vomitoria ipſis conducunt. Morbos producere ſolent præcipites, acutos, periculoſos, curſumque ſuum velociter percurrentes.

Purgantia cholerica ſunt ea quæ bilem ſupra vel infra educunt, præcipuè autem

I. ALOE EPATICA ET SOCOTORINA; datur à ʒſ. ad ʒij. vel ʒiij. correctione non admodum indiget, corrigitur tamē maſtiche, tragacantha & bdellio, acuitur aliis aromatibus vel terebinthinâ, paratur ex ea aloë violata, ad quam aloë pars I. ſolvitur in tribus partibus ſucci violarū rurſusq; coquitur ad conſiſtentiam maſſæ pilularis, cujus doſis eſt à ℈j. ad ʒſ. ad leniendum. Eodem modo etiam fit aloë roſata cum ſucco roſarum Damaſcenarum. Proſtant quoque ex ea pilulæ aſſajeret, item peſtilentiales Ruffi, item hiera ſimplex & picra, item pilulæ de hiera picra, de hiera cum agarico, de hiera compoſ. Nicolai.

II. Tamarindorum pulpa datur pueris à ʒij. ad ʒiij. adultis ℥j. ad ℥ij. in liquore vel bolo, in decocto autem ab ℥ij. ad ℥iiij. additur ob frigiditatem cinamomi ʒj. vel ʒij. vel maſtiches, maceriſve, acuitur ſero caprino, ſucco lupuli, fumariæ, mannâ, caſſiâ & ſimilibus.

III. Myrobalani citrinæ ſeu flavæ, datur pulpa in bolo à ʒj. ad ʒvj. in decocto ab ℥j. ad ʒxx. additur tamen communiter aliis purgantibus eo modo, ut paulo ante dictum eſt de Chebulis.

IV. Roſæ, quarum folia recentia in aqua calida infuſa & expreſſa idque ter cum recentibus floribus dant ſyrupum roſatum ſimplic. novem autem vicibus tali infuſione ſemper cum recentibus floribus repetitâ concinnatur ſyr. roſar. ſolutiv. ex multiplici infuſione roſar. cujus doſis ℥iſ. ad ℥iij.

V. Violæ purpureæ ſeu martiæ uſurpantur eodem modo, ut jam de roſis eſt dictum, in ejuſmodi caſibus ubi adhuc impenſius eſt refrigerandum.

VI. Prunorum dulcium medulla ſeu diaprunon datur ab ℥ſ. ad ʒx.

item pruna Damaſcena & Hungarica condita laxativa dantur pueris ab ℥ſ ad ʒvj. adultis ab ℥j. ad ℥ij. proſtat hinc diaprunum lenitivum vel diadamaſcenum Nic.

VII. Semen Pſyllii in mucilagine vel infuſo à ʒj. ad ℥ſ. cum ſyr. violarum.

VIII. Aſari radix inter diem XV. Auguſti & 8. Septembr. collecta, & infernè ex terra tracta, datur ejus pulvis groſſus à ʒſ. ad ʒj. in infuſione vel decoctione à ʒij. ad ℥ſ.

IX. Scammonium, quod ob ſuam violentiam à diverſis diverſo modo corrigitur, quidam illud in malo cydonio excavato in furno panificii coquunt, quod ſic correctum vocatur diagridium. Alii illud corrigunt fumo ardentis ſulphuris, vocantq; ſcammonium ſulphuratum, alii aliter. Doſis correcti ſcammonii ſeu diagridii eſt ℈ſ. ad ℈j. extrahitur etiam diagridium ſpiritu vini, & dicitur reſina ſcammonii vel pulvis ſyrius, cujus doſis eſt à gran. X. ad XV.

X. Colocynthis vix in ſubſtantia datur, infunditur autem pro robuſtis à gran. VII. ad ℈j. in trochisc. alhandal. à gran. V. ad XV. inclyſteribus ad ʒſ. in petia ligata, ne fibræ ejus inteſtinis adhæreant, infundi etiam ſubſtantia ejus in urina poteſt, ubi omnem amaritudinem deponit, ac deinde ſecurè ad ʒj. in omnibus affectibus capitis frigidis exhiberi valet, è trochiscis alhandal cum ſpiritu vini etiam extractum paratur, quod à gran. iij. ad X. exhiberi poterit, corrigiturque maſtiche, cumino, tragacantha, bdellio, & oleo amygdalarum dulcium.

PHLEGMATICAM TEMPERATURAM, quod concernit, frigida ea eſt & humida juxta qualitatem Elementi aquæ, cujus imitatrix eſt, in quibus autem hæc complexio dominatur, hos efficit pigros, tardos & ſomnolentos, datque pilos prælongos ex albo flaveſcentes planos ac minimè criſpos, facilè quoq; deciduos & recreſcentes, color faciei ferè pallidus eſt, corporis ſubſtantia ad tactum mollis & flaccida, qualis eſt fœminarum, nec non ſubfrigida ferè ſentitur, aut parum tepida, ſemper enim frigent phlegmatici & debiles ſunt, in venerem non admodùm proclives, ideòque tardè ſe ad matrimonium applicantes, nec diu in venere valentes, parum admodum bibunt, cibo quoque facilè ſaturantur, at non ſomno, ad quem ferè ſemper proni ſunt, videntur quoque plerunque pingves & corpulenti, aſt ſæpius vera non eſt pingvedo, ſed turgeſcentia quaſi inflata, phlegma quoque reddit valdè mutabiles juxta naturam lunæ ſemper in alia forma & loco apparentis, ad converſationem ſunt inhabiles, & inconſiderati, de curioſitatibus & exhilarationibus parum ſolliciti, timidi, rixas & lites fugiunt, in iram & riſum tardè ſolvuntur, moxque iterum placantur; pulſus ipſis debilis eſt & tardus, urina ſubcraſſa & pallida, alvus ferè lubrica & copioſè egerens, purgatio ipſis frequens convenit, at minimè venæſectio, quæ ipſos adhuc magis frigidos & debiles

Natura temperamenti phlegmatici.

debiles redditura eſſet, præterquam in gravibus caſibus, ſcilicet catarrho ſuffocativo & apoplexia, ubi tamen parum ſangvinis emittendum; hæc complexio morbis longis obnoxia eſt, quamvis non adeò periculoſis, quæ ſunt vertigo, epilepſia, calculus, lienteria, ſcabies, ulcera, dolor dentium, oculorum, capitis &c.

Purgantia phlegmatica ſeu phlegmagoga ſunt omnia, quæ pituitoſos humores deorſum trahunt & evacuant, præſertim autem

I. Agaricus fœmineus ſeu albus, maſculinus enim ſeu niger nullius eſt precii, datur in ſubſtantia à ʒj ad ʒij. in infuſione vel decocto à ʒij. ad ʒv. corrigitur ſtomachicis, ut zingibere, caryophyllis, ſpicâ Celticâ ob nauſeabilitatem, & ſale gemmæ ob tarditatem; proſtant in officinis trochiſci & pilulæ de agarico.

II. Bryonia quæ ſpecies eſt jalappæ, cujus radix à cortice mundatur, ſiccatur, pulveriſatur & cum vino malvatico in trochiſcos formatur, datur in ſubſtantia à ʒſ. ad ʒj. in infuſione à ʒj. ad ℥ſ.

III. Medulla ſeminis carthami datur in ſubſtantia à ʒj. ad ʒiij. in juſculo pulli decocta à ʒiij. ad ʒv. corrigitur cinamom. maſtich. galang. aniſi tertia parte, fortificatur zingibere, ſale gemmæ, cardamom. uſitata ſunt extract. diacartham. ſyr. d. carthamo, electuar. diacartham. ſpecies diacartham.

IV. Hermodactylus, cujus ſuperflua humiditas corrigitur zingibere, maſtiche & cumino, flatulentia cinamomo, aniſo, macere, tarda operatio ſcillâ, & ſale gemmæ, tumque purgat defluxiones arthriticas ſpecificè, datur in ſubſtantia in forma electuarii vel pulveris vel pilular. à ʒſ. ad ʒj. in infuſo à ʒij. ad ʒiij. correcta nimirum ut ſupra, mentha zingibere &c. intrat quoque pilulas artheticas Nic. electuarium caryocoſtinum Bayeri, & pilulas de Hermodact.

V. Turbith, cujus tarditas corrigitur exterioris corticis abraſione, zingiberisque additione, fervor & acrimonia oleo amygdalarum dulcium, vehementia aromatibus & maſtiche, datur in ſubſtantia in forma pulveris à ℈ij. ad ℈jv.

VI. Gummi ammoniacum, cujus ʒj. in pilulis datur, è quo & in uſu ſunt pil. de ammoniaco.

VII. Gummi ſagapenum vel ſerapinum inſigne purgans eſt à ʒſ. ad ʒj. correctum tertia parte zingib. maſtich. cinamom. ſpic. ingreditur pil. fœtid. & de ſagapeno.

VIII. Opopanacum datur eadem doſi & modo.

IX. Sarcocolla, cujus tarditas corrigitur zingibere & aliis purgantibus, uſuales ſunt ex eo pil. de ſarcocolla.

X. Euphorbium à plerisque una accenſetur catharticis phlegmaticis, eſt tamen nil aliud quam veſicatorium internum, igneâq; ſuâ virtute aquam attrahit, uti etiam omnia ignea exterius applicata, aquam attrahunt in veſicas, ſed ideò non ſunt purgantia phlegmatica; datur à gran. iij. ad X. correctum cordialibus & ſtomachicis nec non ſuccis

acidis,

acidis, nempe acido citri, phlegmate vitrioli ſpiritu proprio fortificato, ſucco limonum, aceto roſaceo, croco, maſtiche, ol. amygdalar. dulc.

Præter jam enumerata adhuc alia purgantium phlegmaticorum turma præſtò eſt, quorum virtus purgativa conſiſtit in evacuatione tenuioris aquæ, ideoque hydragoga appellantur, horum præcipua ſunt:

I. Iris, corrigitur mannâ, melle & abſynthio, ſuccus datur ab ℥j. ad ℥iij. & ſubinde pro errhinis inſpiſſatur.

II. Soldanella, datur in ſubſtantia à ʒſ. ad ʒj. correcta ſtomachicis, zingibere, cinamomo, macere, aniſo, intrat & electuar. Renodæi.

III. Sambucus & ebulus, in uſu eſt interior cortex radicis ad aquas educendas.

IV. Rhamnus ſolutivus vel ſpina infectoria, cujus baccæ primo virides & dein nigræ in uſu ſunt, quarum recentium n. XV. ad XX. arefactæ verò pulveriſatæ pondere ʒj. ad ʒiſ. in decocto n. 40. vel 60. exhibentur, proſtat quoque ex his ſyr. domeſticus, ſyr. de ſpina infectoria, ſyr. d. ſpina cervina doſ. ℥j. ad ℥ſ.

V. Elaterium, cujus uſus rarus eſt ob vehementiam, doſ. gran. IV. pro pueris ℈ſ. pro adultis.

VI. Ricinus, cujus ſemina ſeu grana n. XII. in uſu ſunt, ſed ſatius eſt ea relinquere quadratis ruſticis.

VII. Gratiola, vehementiſſimè purgat, dantur fol. n. XII. vel ʒj. in infuſo ʒij. corrigitur cinamom. ſem. aniſi, glycyrrhyz.

VIII. Granum Tilli excorticatum num. I. vel. ſ.

IX. Gutta Jemou vel gamandra, datur à gran. V. ad XIV. extractum per ſpiritum vitrioli factum à gran. XV. ad XX. extrahitur etiam ſpiritu vini, cujus extracti doſis ℈ſ. corrigitur oleo cinamomi & ſacharo ſeu elæoſach. cinamomi.

X. Mezereum, hinc in uſu ſunt pil. de Mezereo.

XI. Tithymallus vel Eſula, vocatur etiam rhabarbarum ruſticorum, maceratur per triduum in aceto forti vini, tumque ulterius corrigitur bdellio, tragacantha & mucilagine ſem. pſyllii.

Qualitas temperamenti melancholici.

Tandem MELANCHOLICAM COMPLEXIONEM quod attinet, ea juxta elementum terræ, cujus naturam ſequitur, frigida eſt & ſicca, & ubicunq; in homine dominium obtinet, raros & nigros dat capillos duriuſculos, nigricantem fuſcum vel plumbeum faciei colorem, cutemque corporis reliquam lividam, corpus macilentum & ſiccum; ſunt quoque melancholici ut plurimum tardi, pigri, providi, ſuſpicaces, tenaces, parci, torvi, moroſi, diffidentes, pertinaces, in converſatione tædioſi, contradicentes, aliis melius quàm ſibi ipſis conſulentes, ſcrupuloſi, timidi, mœſti, increduli, ſemperque miris & aliis inſvetis phantaſiis deditiſunt, raró rident, nec rebus jucundis exhilarantibus vel muſicâ admodùm delectantur, ſolent tamen eſſe ſalaciores, ad iram quoque tardi ſunt, at offenſi tardè vel nunquam verè reconciliantur, ſomnus ipſis

ipſis eſt brevis, & turbulenta ſomnia, multa comedunt & coploſè mingunt, alvus autem plerunque aſtricta eſt, & laborioſè egerunt, pulſus eſt tardus, parvus & duriuſculus, venæſectio ipſis nocet, nam adhuc magis eos jam pridem nimium frigidos frigefacit, tales quoque morbi frigidi & ſicci eos infeſtant, nimirum affectio hypochondriaca, quartana, ficus, hæmorrhoides, obſtructio alvi, tympanites, ſcabies ſicca, aliique diuturni, & plerunque in fine quàm principio periculoſiores, plerique autem demum hydrope moriuntur, conducunt ipſis purgantia per ſeceſſum & adhuc magis diuretica ſalibus volatilibus prædita; rarò autem ejusmodi complexiones puræ reperiuntur, ſed plerunque mixtæ ſunt, & ſic etiam earum ſigna ſunt mixta.

Sunt autem purgantia melancholica præcipua ſequentia:

I. Myrobalani nigræ ſeu Indæ, adduntur aliis purgantibus in infuſo.

II. Fumaria, herba in ſubſtantia datur à ʒiij. ad ʒv. ſuccus ab ℥ſ. ad ℥ij. in infuſione vel decoctione ſeri lactis, vel hydromelitis ℥xii. vel ℥xv. herbæ ℥j. ad ℥iſ. at aliis purgantibus additis ejus minor eſt doſis.

III. Epithymum præſertim creticum, datur in ſubſtantia à ʒij. in infuſione vel tantilla decoctione à ʒvi. ad ℥j. corrigitur ſale gemmæ, caliditas ejus mitigatur decocto paſſularum & liquirit. Acuitur ſero lactis præſertim caprini, hyeme melius convenit quàm æſtate, additur tamen ferè aliis purgantibus, proſtat ex eo ſyrup. de epithymo doſ. ℥ij. ad ℥iij. vel plus pro legitima purgatione.

IV. Polypodium quercinum, cujus radix recens cathartica eſt, arida verò minimè; datur radix in ſubſtantia à ʒij. ad ʒiij. in infuſione vel decoctione cum aqua hordei vel ſero caprino ab ℥j. ad ℥v. corrigitur ſemine fœniculi, aniſi, liquiritia, zingibere.

V. Sena Alexandrina ſine ſtipitibus; datur in ſubſtantiâ pulveriſatâ à ʒj. ad ʒij. in infuſione, & levi coctione, quæ tamen minus bona eſt, ab ℥ſ. ad ℥j. pro una vice, tarditas ejus corrigitur ſale gemmæ, zingibere, paſſulis, flatulentia & torminoſitas ſemine aniſi, fœniculi, ſemine malvæ & althææ, cinamomo, caryophyllis, galangâ, punctio ſeparatione ſtipitum.

VI. Lapis lazuli ſeu cyaneus, datur in forma pulveris vel pilularum à ʒſ. ad ʒiſ. teritur minutiſſimè & abluitur aquâ, donec ea non amplius coloretur, vel ſaporis alieni particeps ſit, corrigitur cordialibus, ut ſunt bugloſſa, cortic. citri, oſ. de corde cervi; proſtant ex eo pil. de lap. lazuli, ejusdem uſus eſt lapis armenus, datur pulvis illoti ad ʒj. loti à ℈ij. ad ℈iij. ciet vomitum & alvum.

VII. Hellebori nigri radicum fibræ macerantur in vino cydoniorum, aqua fœniculi, aceto roſaceo, vino malvatico, phlegmate vitrioli, tenuisque medulla abjicitur, ſiccato cortice, qui in ſubſtantia datur à

 gran.

gran. XV. ad ℈j. vel ʒſ. in robuſtioribus ad ʒj. infunditur craſsè pulveriſata in jure pingvi, hydromelite, aqua hordei à ʒj. ad ℥ſ. corrigitur aniſo, fœniculo, maſtiche, cinamomo, vel eorum oleis, nos tamen alibi meliorem correctionem docemus.

Loquitur verò de evacuatione per ſeceſſum etiam Hippocrates ſequentibus:

Vaſorum evacuatio legitima eſt quæ educit quæ debet, & facilè perfertur. lib. 1. aph. 2

Sin minus, contrà. 1. 2

In morborum criſi non eſt purgandum vel movendum. 1. 20

Eductio eò eſt dirigenda, quò natura per loca convenientia vergit. 1. 21

Purgatio non niſi concoctâ materiâ convenit. 1. 22

Non autem in cruditate, neque in morbi principio. 1. 22

Præterquam ſi materia turgeat. 1. 22

Excreta non quoad copiam ſunt æſtimanda. 1. 23

Si modò talia educantur, quæ oportet, & ægrum allevient. 1. 23

In acutis morbis rarò purgandum. 1. 24

Idque ſaltem in eorum principiis. 1. 24

Et non niſi magna cum cautione. 1. 24

Legitima purgatio eſt, quando purgantur quæ debent, & æger alleviatur. 1. 25

Intempeſtiva contrario modo. 1. 25

Si quis à morbo cibum non capiat, vacuatione indiget. 2. 8

Corpora impura ab optimo nutrimento fiunt impuriora. 2. 10

Corpora purganda debent reddi fluida. 2. 9

Morbos ex repletione ortos curat evacuatio. 2. 22

Et qui fiunt ex evacuatione, repletio. 2. 22

Si quid movendum videtur, movendum eſt in morbi principio. 2. 29

Morbis verò jam conſiſtentibus quieſcendum. 2. 29

Si partes ad umbilicum & infimum ventrem pertinentes ad infernas purgationes valdè tenues & tabefactæ fiant, periculoſum. 2. 35

Salubritatem corporis habentes à medicamentis purgantibus citò exſolvuutur. 2. 36

Item qui pravo victu utuntur. 2. 36

Bonâ corporis valetudine gaudentes purgationes difficulter ferunt. 2. 37

Evacuatio ex abrupto copioſa periculoſa. 2. 51

Ut & quilibet motus corporis plurimùm & repentè factus. 2. 51

Omne nimium naturæ inimicum. 2. 51

Paulatim verò & per gradus purgare, tutum. 2. 51

Prægnantes materia turgente purgandæ ſunt à quarto menſe usque ad ſeptimum. 4. 1
5. 29

Septi-

Septimeſtres tamen minus. 4. 1
Ante verò & poſt hoc tempus à purgatione cavendum. 4. 1
Purgando talia educenda, qualia etiam ſponte prodeunt & juvant. 4. 2
Contrario verò modo prodeuntia ſiſtenda. 4. 2
In legitima evacuatione talia purgantur quæ oportet, juvant & facilè feruntur. 4. 3
In illegitima contrario modo. 4. 3
Hyeme inferius purgandum, æſtate ſuperius. 4. 4
Inſtantibus & vigentibus canicularibus difficiles fiunt purgationes. 4. 5
Difficulter vomentes per inferiora ſunt purgandi. 4. 7
Ut & mediocriter carnoſi. 4. 7
Idque tamen non facilè æſtate. 4. 7
Melancholici largiter inferius ſunt purgandi. 4. 9
In valdè acutis purgandum eſt ſi materia turget, eodem die. 4. 10
Differre in talibus periculoſum. 4. 10
In lienteria hyeme ſurſum purgare, malum. 4. 12
Dolores quicunque infra diaphragma exiſtentes, & purgatione indigentes purgationem per inferiora poſtulant. 4. 18
Medicamenta purgantia impota purgare non ceſſant, donec ſitis ſequatur. 4. 19
Purgatione per inferiora opus eſt in torminibus extra febrem. 4. 20
Ut & in gravitate genuum. 4. 20
Nec non dolore lumborum. 4. 20
Excrementa nigra ſponte in & extra febrem prodeuntia peſſima, à purgatione autem minimè. 4. 21
A purgatione immodicâ convulſio vel ſingultus, malum. 5. 3
Alvus multũ fluens prægnanti periculum abortus minatur. 5. 34
Sudatio copioſa in ſomno ſine cauſa manifeſtâ in his qui copioſiori cibo non utuntur requirit corporis evacuationem. 4. 41
Eadem quoque neceſſaria eſt ſi Menſes decolores & inordinatè prodeant. 5. 36
Ut & in doloribus oculorum. 6. 31
Quibus purgatio convenit, purgandi ſunt tempore verno. 6. 47
A purgatione & alvi profluvio ſubinde album oculorum per non exactè clauſas palpebras ſubapparere ſolet. 6. 52
Convulſio à purgatione, lethifera. 7. 25
Si ſenibus immodicè purgatis ſingultus ſuperveniat, non bonum. 7. 41
In ſudore multo calido vel frigido ſemper fluente & humoris copiam denotante purgandum eſt. 7. 61
Idque in robuſtis supernè in debilibus verò infernè. 7. 61
Quibus dejectiones aliquan-

diu immota reſidentes veluti ſtrigmenta ſubſident, his purgatio per inferiora convenit. 7. 67

Corpora purganda prius reddi debent fluida. 7. 70

Ante purgationem per inferiora humectandum. 7. 70

Huc pertinet etiam purgatio ſpontanea ſeu fluxus alvi ſponte à natura inſtitutus, de quo pariter Hippocrates in ſequentibus:

In perturbationibus ventris ſpontaneis, ſi purgantur quæ oportet, confert, & facilè feruntur. 1. 2

Contrarium contrario modo. 1. 2 25

In ventris profluviis excrementorum mutatio quæ non ad pravum mutatur, juvat. 2. 14

In morbis faucium & naſcentibus in corpore tuberculis, ſi excrementa ſunt blioſa, corpus unà ægrotat. 2. 15

Non autem ſi ſanorum ſimilia. 2. 15

Confertim & celeriter alentia etiam celeriter excernuntur. 2. 15

Alvus humida in juventute, ſiccatur in ſenectute & contra. 2. 20

Habentes alvum humidam in juventute melius degunt, in ſenectute deterius. 2. 53

Auſtrina conſtitutio ventrem laxat. 3. 5 17

Aquilonia verò aſtringit. 3. 5 17

Conſtitutione pluvioſa regnante fiunt alvi fluxus. 3. 16

Item in æſtate. 3. 21

Autumno autem lienteriæ. 3. 22

Alvi profluvia infantibus dentire incipientibus familiares. 3. 25

Ut & ætati conſiſtenti. 3. 30

Excrementa nigra ſangvini ſimilia ſponte in & extra febrem prodeuntia, peſſima. 4. 21

Morbis quibuslibet incipientibus atra bilis ſupra vel infra prodiens lethalis. 4. 22

Atra bilis vel velut ſangvis niger deſubter in extenuatis à morbo diuturno, vulneribus vel ullo alio modo exiens denotat mortem poſtridiè. 4. 23

Febricitantes quocunque modo hæmorrhagiam patiantur, in refectione alvo humectantur. 4. 27

Dejectiones bilioſæ à ſuperveniente ſurditate ceſſant & contrà. 4. 28 60

Quibus ſuſpenſa hypochondria murmurant, dolore lumborum ſuperveniente in febribus, his alvi humectantur. 4. 73

Mictio de nocte copioſa denotat parvam dejectionem. 4. 83

Tabidi ſuperveniente fluxu alvi moriuntur. 5. 12 14

In

In bilioſis dejectionibus lac nocet. 5. 64

In diuturna lienteria ructus acidus ſuperveniens bonum ſignum. 6. 1

Diuturnum alvi profluvium à ſupervemente ſpontaneo vomitu ſiſtitur. 6. 15

Profluvium in pleuritide & peripneumonia, malum. 6. 16

At in ophthalmia bonum. 6. 17

Profluvium alvi diuturnum balbis perfamiliare. 6. 32

Sinceræ dejectiones in morbo diuturno, malum. 7. 6

Fluxus ventris à puris ſputo. 7. 16

A ſincera dejectione dyſenteria, malum. 7. 23

In fluxu ventris ſpumoſa excrementa fiunt à defluxione ex capite. 7. 30

Excretiones lividæ, cruentæ, bilioſæ, fœtidæ, omnes malæ. 7. 69

Exeuntia per alvum ſi parùm à natura recedant, parvum morbum denotant. 7. 79

Si multum, magnum, ſi ſuperabundanter, lethalem. 7. 79

Bona indicia ab excrementis in morbis ſunt, quod ſint mollia, figurata, ingeſtis proportione reſpondentia, & eodem tempore ut in ſecunda valetudine ad ſeceſſum ſtimulantia. lib. 2. præſag. 13

Liquida verò ſine ſtridore, nec frequenter, neque ex brevibus intervallis dejiciantur. 2. 14

Crebra enim & copioſa dejectio infert periculum defectionis animi & vigiliis conſumit. 2. 14

Circa finem morbi ſint craſſiora, rufa, odore non admodùm fœda. 2. 17

Subeſſe quoque in fine lumbricos non nocet. 2. 18

Periculoſum ſtercus eſt, ſi eſt perliquidum. 2. 20

Vel albicans. 2. 20

Nec non pallidum. 2. 20

Item vehementer rufum. 2. 20

Atque ſpumans. 2. 20

Malum quoque exiguum, glutinoſum & ſubpallidum. 2. 21

Lethaliſſimum eſt nigrum, livens ac pingve. 2. 22

Item conſvetudinem odoris fœditate ſuperans. 2. 22

Nec minus lethifera quanquam cum aliqua mortis dilatione ſunt excrementa ramentoſa. 2. 23

Ut & bilioſa & nigra. 2. 23

Nec non porri colorem imitantia. 2. 23

Flatus cum ſtrepitu niſi ſponte emiſſus dolorem aut delirium denotat. 2. 24

Jam properemus ad TEXTUM Authoris, quo recenſet:

CATHARTICA VEGETABILIA.

I. P*Ulvis diaſenæ laxativus:* Pulvis diaſenæ.

℞. *Fol. ſen. mund.*
Cremoris tartari an. ℥j.
Sem. aniſi.
Caryophyll.
Caſſiæ ligneæ.

Galang.
Diagrid. an. ℥j.
Pulveriſa ſubtiliſſimè, doſis à ʒſ. *ad* ℥iſ. *in ſubſtantia ad ſummum in convenienti liquore, in infuſione doſis eſt ad* ℥ſ.

Panchymagogon vegetebile. II. *Panchymagoga vegetabilia Crollii, & illud quod à me additum eſt, aut aliud, quod ex utroque componitur, doſis à* ℈ſ. *ad gran. XVI. videatur in notis Crollianis.*

Extractum rhabarbari. III. *Extractum rhabarbari, quod nullo alio modo fit, quàm per aquam cichor. vel endiv. aut centaur. minor. cum guttis aliquot olei tartari ſine ulla compoſitione alia. Acui tamen illud poteſt neceſſitate requirente cum diagridio, item cum gummi gutta, vel elaterio præparatis, nempe per levigationem in marmore cum guttis aliquot ſpiritus vitrioli, & ol. aniſi, fœniculi, cinamomi, angelicæ, citri &c. pro ratione morbi & patientis.*

Extractum ſenæ. IV. *Tale quoque eſt extractum Senæ cum aqua cinamomi, eodem modo cum extracto rhabarbari paratum, doſis horum à* ℈j. *ad* ℈ij.

Extractum mechoacannæ. V. *Extractum Mechoacannæ cum aceto factum, & ad piceam ſubſtantiam redactum. doſ.* ℥ſ.

Extractum eſulæ. VI. *Extractum radicis eſulæ minoris eodem modo paratum; vide notas ad Crollium.*

Extractum ellebori veri. VII. *Extractum radicis ellebori veri cum aqua majoranæ vel meliſſæ & oleo tartari, doſis à* ℈ſ. *ad gr. XVI. vel etiam XX. nonnulli extrahunt cum vino bono, vide Crollianas notas.*

Radix ellebori præparata. VIII. *His annumerantur radices ellebori præparatæ per phlegma vitrioli, quod abſolvitur hoc modo:* ℞. *rad. ellebori veri, irrora cum phlegmate vitrioli, quod nempe in rectificatione ſpiritus vitrioli primo loco prodit, pone in ſcutella vitrea ad lentum calorem cinerum, ſubinde cum ſpatula lignea movendo. Fœtor nimirum exhalans ex ipſis radicibus earum venenoſitatem ſecum rapit: perge irrorando amplius, & eas ſinendo in leni calore, donec nempe fœtor omnis abactus, radices relinquat grati odoris, & ſummè nigricantes. Exſiccentur leniter, quanquam ſubinde quaſi madore perfuſæ maneant. Doſis à* ℈ſ. *ad* ℈j.

Extractum colocynt. IX. *Extractum colocynthidos.*

Extractum ſcammonii. X. *Scammonium ſimul cum aceto elaboratum, aut extractum ſcammonii per ſe ſimpliciter cum aceto factum, doſis à gran. VIII. ad XII.*

ELECTUARIUM DE FOLIIS SENÆ.

℞. *cinam. el.* ℥VI. *fol. ſen. Oriental. ſine ſtipitibus* ℥V. *fiat infuſio*

ſio in vini generoſi ℔. IV. per biduum in loco tepido, tunc leviter bulliant & exprimantur. Cum colatura extrahe pulpam paſſularum in aqua coctarum ℥ IX. adde pulpæ caſſiæ ℥ VI. & ſi fortius deſideras electuarii lenitivi ℥ ij. olei nucis moſchatæ per expreſſionem facti ʒ ſ. m. f. electuar. doſis ʒ VI. ad VIII. vel X. per ſe vel cum ℈ ſ. ad ℈ j. diatartari.

PANCHYMAGOGON (e) VEGETABILE.

℞. *colocynth. inveteratæ, ab arillis & nucleis purgatæ ʒ VI. fol. ſenæ Oriental. ſine ſtipitibus ℥ IV. rhabarb. ℥ ſ. ſem. ebuli ℥ iſ. rad. ellebori nigri præparat. agar. trochiscat. an. ℥ j. cinam. caryophyll. an. ʒ ij. contuſa infundantur in ſpir. vini non rectificato ad eminent. trium digitorum matracio optimè clauſo per XVI. dies in loco calido digere, ut ſpiritus vini tingatur, tinctum effunde, aliumque affunde toties, donec non amplius tingatur. Hinc* ℞. *elaterii ℥ ij. aloës ſuccotorin. ℥ j. infunde in ſpiritu vini bono, additis aliquot guttis ſpiritus vitrioli aut olei ſulphuris per campanam per tres dies in loco calido, matracio exactè clauſo. Hinc materia per filtrum trajiciatur, digitis exprimatur, & inſpiſſetur calore lento, atque cum extracto ſuperius facto conjungatur.* ℞. *etiam ſcammon. opt. q. v. in marmore tenuiſſimè tere, & imbibe ſpiritu vitrioli, addendo guttas aliquot olei aniſi, (ex gr. ad ℥ j. ſcammon. additur ſpirit. vitrioli vel olei ſulphuris ℈ ſ. olei aniſi gutt. VI.) diligenter ſubige ad maſſam inſtar picis viscidam. Hæc tinctura optimè corrigit ſcammonium. Nam cum exuperante calefaciendi poteſtate polleat, quæ à mercurio & ſale volatili dependet, hac via mordicans ſal per mortificationem ab actione contraria ſpiritus vitrioli & olei aniſi profecta retunditur, & ad beneficam operationem redigitur. Maſſam dictam cum aqua roſacea aut majoranæ extractam ad ſiccitatem evapora.* ℞. *nunc extractum ſuperius pulveriſatum, & adde extracti ſcammonii ʒ VI. olei nucis moſchat. per expreſſionem facti ʒ ij. miſce in mortario, & ad uſus ſerva. Doſis à granis XII. ad ℈ j. vel ʒ ſ. in forma pilular. in prunis, aut paſſulis vel pomo cocto. Poteſt etiam extractum ſcammonii ſolum propinari à granis XII. ad XX. cum ſyrupo roſar. ſolutivo in pilulas redactum. Purgat etiam leniter & ſine moleſtia. Idem etiam extractum poteſt ſupplere vicem colocynthidis ad incorporandum mercurium quovis modo præparatum.*

(*e*) Panchymagogum paratu facilè

cilè & bonæ operationis eſt etiam ſequens: ℞. baccas ſambuci maturas, & radicem ejuſdem minutim conciſam, exprime earum ſuccos, quos ſine quieſcere, ut feces fundum petant, claro defuſo inde folia ſenæ & radicem ellebori pro placito, coque ſimul donec fiant rob, vaſe inter coquendum probe contecto; tum affunde aquam vel vinum, & extrahe eorum eſſentiam, evapora liquorem in vitro, doſis eſſentiæ ſemiplenum cochlear.

EXTRACTUM SEU RESINA SCAMMONII.

℞. *ſcammon. opt. ℥j. in mortario reduc in pulverem piſtillo oleo amygdal. dulc. illito, in matracium pone ſuperfundendo aquam endiviâ vel roſarum ad eminentiam trium digitorum in loco calido per tres dies, vas optimè clauſum reponatur. Aquam colore obſcuro tinctam decanta à fecibus, filtra & in calore blandiſſimo aut Mar. balneo menſtruum aufer, ut remaneat extractum ſcammonii in forma pulveris. Hujus gr. IV. V. VI. cum ℈j. tartari vitriolati exhibe, vel, quod melius: Tartarum vitriolatum tinctura ſcammonii imprægnatum ita conficere potes: ℞. dictam tincturam ſcammonii, poſtquam eam filtraveris, & cum ℥ij. tartari vitriolati conjunge, conjuncta in balneum loca, menſtruumque inde ad ſiccitatem evoca. Purgat per inferiora & omnes obſtructiones tollit, ſi miſceatur cum cathartico ver. gr. panchymagogo, vel offeratur in ſyrupo roſar. ſol. vel violar. vel mell. roſar. ſolut. ut: ℞. tartari vitriolati ℈j. mellis roſac ſolut. ℥j. vini enulati ℥ij. m. In hydrope & febribus melancholicis & phlegmaticis ad craſſos & ſeroſos humores expurgandos commodè datur cum oxym. helleborato & aqua vel decocto bugloſſæ. In quartana præmiſſis univerſalibus utiles ſunt pilulæ ſubſequentes.*

Tartarus vitriolatus ſcammoniatus.

Pilulæ in quartana.

℞. *extracti chamædr.*
centaur. min. an. ℈j.
pip. nigr. gr. IV.
ol. aniſ. gut. iij.
cinam. gut. ij.
m. f. p. accipe unam atque alteram horis matutinis.

Cremor tartari aſſumitur in juſculis convenientibus, aut in quibus radices fœniculi, petroſelini &c. fuerint decoctæ à ʒſ. ad ʒj. ℈iiij. vel etiam ʒij. ſtimulus adjici poteſt ex ſale gemmæ vel diagrid. ex gr. ℞. crem. tartari ʒj diagrid. gran iij. m. in juſculo tribus horis ante cibum exhibeatur, vel ℞. gumm. gutt. gr. VI. crem. tartari ℈j. m.

In melancholia hypochondriaca nihil felicius: nam ſi aliquot diebus ejus ʒſ. vel ℈ij. in juſculo cum capparum decocto exhibeantur,

tur, & exterius ad hypochondrium ſiniſtrum emplaſtrum ex ammoniaco gummate in aceto ſquillitico ſoluto applicetur, ſenibus maximè & qui obſtructa ſunt alvo, conducit.

In obſtructionibus ℞. cremoris tartari ʒj. tartari vitriolati ℈ſ. vel cremor. tartari ℈iiij. ſalis abſinth. ℈j. f. pulvis. Inſigne evadit catharticum, ſi cremoris tartari ʒſ. tartari vitriolati ℈j. addantur in bile educenda extracti ſcammon. gr. VIII. vel X. in juſculo vel vino, non tantùm omnes impuritates laxando alvum educit, ſed & ſummum eſt aperitivum, unde loco digeſtivi vel deobſtruentis in quibusvis obſtructionibus exhiberi poteſt ante uſum catharticorum. Modus exhibendi talis eſt: ℞. crem. tartarus ʒſ. ad ʒj. tartari vitriolati à ℈j. ad ʒſ. detur in juſculo, ſi loco aperitivi vel digeſtivi uti iis velis, dentur bis in die ad ʒj. tribus horis ante paſtum cum juſculo vel electuar. de ſenna ʒij. aut cum ſyr. de canella, vel alio quocunq; appropriato electuario liquido aut ſyrupo, patiens eo ſumpto parum deambulando ſe exerceat.

ANISUM LAXATIVUM.

Aniſum laxativū.

Aniſum laxativum fit quando in confectione ad ſingulas ℔. ʒij. ſcammonii pulveriſati (&, ſi lubet, non nihil mercurii vitæ vel dulcis ad libitum, item non videtur incongruum, ſi cum infuſione florum antimonii aut croci metallorum, aut vitri antimonii diſſolvatur ſacharum, quo ad confectionem utimur, ſed hoc modo cathartica erunt vomitiva) cum ſacharo roſato ut docet Crollius inter conficiendum aſpergantur. Aut ſi vis præparetur ſcammonium hoc modo: inter pulveriſandum inſpergantur gutt. aliquot ſpir. vitrioli, exactè trituretur, atque exſiccetur ſcammonium, iterumque pulveriſetur. Doſis aniſi hujus ʒj. pro infantibus, & aliis ℥ſ.

PASSULÆ LAXATIVÆ.

Paſſulæ laxativæ fiunt ſi in decocto quocunque purgante paſſulæ macerantur; maceratæ pro quantitate decocti imbibiti adſumuntur. Eas ſi fortiores deſideras, adde infuſionis florum vel vitri antimonii vel quod melius, croci metallorum ad libitum. Paſſulæ laxativæ.

CATHARTICA MINERALIA.

I. *Mercurius dulcis ſeu Panchymagogum Quercetani fortificatus cum Mercurio vitæ, ita ut gran. XVI. iſtius capiant gr. ij. Mercurii vitæ.* Mercurius dulcis.

 NB. *Hæc*

NB. *Hæc mixtura diligenter ſuper marmore per aliquot horas eſt lævigandа, ſic enim vis vomitiva Mercurii vitæ torpet, & ille cum Mercurio dulci tantum per inferiora purgat blandè.*

Pilulæ ex floribus antimonii. II. *Pilulæ ex floribus antimonii correctis tantum per inferiora purgantes.*

Mercurius vitæ. III. *Pulvis emeticus ſeu mercurius vitæ vel flores butyri* (f) *antimonii, qui etiam inter vomitiva locum habent, in quantum & vomitionibus & purgationibus inducendis inſerviunt. Tales fiunt ex butyro antimonii rectificato, ſeu in oleum butyraceum converſo & in aqua communi præcipitato; vis enim vomendi adimitur, ſi aliquandiu cum ſale communi lævigentur in marmore, & poſteaquam ſal per edulcorationem cum aqua communi fuerit ablatum, pulvis reſiduus in conſueta priori doſi exhibitus tantum alvum movet.*

(*f*) Ejusmodi flores Author ferè ſolitus eſt conficere è floribus antimonii albis vulgaribus hoc modo: ℞. ſalis communis & vitrioli ad flavedinem calcinati ana ℔iij. adde terræ figulinæ duplum vel triplum, mixta invicem diſtilla per retortam igne aperto in aquam fortem, quam per B. rectificatam ſuperfunde floribus albis antimonii, atque exinde iterum deſtilla, & ſaltim phlegma inutile aſcendit, ſpiritus verò combibiti à floribus in fundo remanent; affunde recentem aquam fortem, & iterum deſtillabit phlegma, idque toties repete, donec flores nullos amplius ſpiritus combibere queant, tum iſtos flores imprægnatos deſtilla per retortam, primoque exeuntem aqueam humiditatem ſeorſim excipe, promanantibus autem guttulis ponderoſis albicantibus & butyraceis aliud vas recipiens appone, omneque oleum exſtillans collige. Verumenimverò cum idem & ejusdem faciei ſit hic liquor cum vulgari butyro antimonii, illud hujus locum cum notabili laboris parſimonia ſupplere poteſt, illi enim ipſi ſpiritus ſalis & vitrioli, quos alias mercurius in ſublimatione ſecum ſiccos evehit, hic liquidi deſtillantur, ſive ergo ſicci ſive humidi ſint, percupidè ſubſtantiam mercurialem ſive flores antimonii ſolvunt, ſicci quidem attrahendo humiditatem ex aëre, humidi verò aſſumendo in deſtillatione phlegma aqueum dictorum ſalium, & cum antimonium ſit corpus arſenicale fugaciſſimum, ſequitur rapaces iſtos ſpiritus perfacile trans alembicum, ita ut cuncta in forma ponderoſi olei transſcendant, ſive verò ſiccis ſive humidis dictis ſpiritibus hoc oleum conſtet, ſemper tamen affuſa aqua vulgari lacteſcit, eam ob cauſam quod aqua acredinem ſpirituum diluat, ita ut non amplius atomos antimonii ungvibus ſuis retinere queant, ſed dimittere cogantur, protinus ergò dictæ atomi (quæ antea in tam minutiſſimos pulviſculos laceratæ erant, ut omnem

omnem oculorum conſpectum fugerint,& planè inviſibiles evaſerint) conglomerantur,& ſibi invicem adhærent, adeò ut rurſus in ſua albedine videri poſſint, ſunt tamen initio etiamnum aliqualiter ſubtiles, adeò ut in omnibus ferè poris aquæ hæreant,& cum ea quaſi liquor lacteus appareant, at non diu in tali forma permanent, ſed adhuc magis conglomerantur,& ad fundum mox ruunt in pulverem album, quem probe edulcatum mercurium vulgò vitæ nominant, ob ingentes & planè miraculoſas operationes,quas multi viri magni ſæpiſſimè in ejus uſu obſervarunt, quod nimirum vitam ab inſtantaneo interitu vindicarit. Verùm cum itidem etiam non pauci eventus planè triſtes & manifeſtas ægrorum aliàs evaſurorum jugulationes ab ipſo cauſatas animadverterint, merito jam quilibet providus Medicus in tanta cæteroquin ubertate aliorum longè tutiorum, nec minus ſalubrium medicaminum ab eo abſtinet, quàm plenus enim ſit ejus uſus periculi, inde conſtat, quod quidam diu in Aulis Haſſiacis verſatus mihi narravit, fuiſſe ſibi quendam Doctorem Medicum in Haſſia familiarem, qui hunc ita vocatum mercurium vitæ ab Hartmanno ipſo paratum ſibi reſervarit, & demum poſt fata ipſius propriæ filiæ jam nubili virgini,& morbo ali quo conflictanti manè propinarit, quo illico in vehementem paroxyſmum epilepticum conjecta fuerit, miſer ergo ille Medicus infauſto hoc experimento planè anxius & conſternatus præ inopia conſilii alium adhuc medicum pro ſalute filiæ imploravit, qui eveſtigiò quidem cum inſigni quodam pulvere antepileptico adfuerit, eumque patienti exhibuerit, at ſine juvamine, virginem enim eodem die à meridie fatis ceſſiſſe. Ex quo infelix ille Medicus ſe devoverit, ſe nunquam ullo amplius chymico medicamento uſurum vel in praxi ordinaturum. Inferri hic quidem poteſt, in hoc caſu eluceſcere, eum plus imperito rei chymicæ medico quam ipſi medicamini tribuendum venire, porrecta fortè teneriori fœmellæ tali doſi, quæ alicui quadrato ruſtico competebat,ignorando quoque antimoniata etiam optimè præparata per longum tempus reſervata, ex aëre rurſus acredinem attrahere, vitrioleſcere & violentiora evadere, ita ut ſemper opus ſit, ejusmodi annoſa ante uſum denuo vel edulcorare vel probè candefacere. Adhæc etiam uterque ſua ſtupida ignorantia peccavit depulſurus hujusmodi convulſiones epileptico pulvere, irritatas ſaltem ab acredine non ſat edulcati medicamenti,nec aliunde ſedabiles quam ſopiendo per narcotica, vel lubricando per oleoſa. Verumenimverò nihilominus conſultius eſt ab hoc periculoſo mercurio vitæ prorſus abſtinere, & ſecurioribus inhærere, de quibus querelæ non conſtant,luctuoſos ab eis caſus eſſe compluribus illatos per ſiniſtram eorum uſurpationem.

Aurum vitæ. IV. *Aurum vitæ vel præcipitatus à Rhenano pag. 34. & 35. de Sole è puteo emergente deſcriptus.*

Turpetum minerale. V. *Mercurius præcipitatus Crollii.*

Arcanum corallinum. VI. *Arcanum corallinum Paracelſi in Baſilica Crollii elaboratum.*

Oleum antimonii dulce. VII. *Oleum antimonii dulce, quod ita fit: calcinetur antimonium ad ſummam albedinem, dein aceto deſtillato (alii ſpiritum vini ſumunt) in Baln. eſſentia ſalina extrahitur, abſtrahitur acetum, & aquâ pluviali de novo eadem eſſentia extrahitur, trajicitur per chartam bibulam, aliquoties, hunc laborem repetendo, fitque ſal nitidiſſimum, quod in cella frigida liqueſcit, & ſolvitur in oleum rubicundum, quod inſtar ſachari dulce. Hujus gutt. VII. per alvum clementer purgant.*

NB. *Antimonium debet eſſe fuſum cum marte, & poſtea calcina cum ſulphure, poſtea per ſe, ut pro vitro, & habebis oleum antimonii dulce aſtrictivum.*

Succinum antimonii. VIII. *Succinum* (g) *antimonii: partes volatiles mercurii vitæ vulgaris in retorta igne lento evocari & in oleum deſtillari poſſunt, reliquum ſi in crucibulo fundatur, confit inde vitrum colore ſuccini ferè. Doſis gran. ij. vel iij. per ſe vel in infuſo.*

(*g*) Pro conſtruendo hujuſcemodi ſuccino communicatus mihi eſt ſequens modus tanquam optimus: Fac mercurium vitæ ut moris eſt, quem optimè edulcoratum exſicca in ſolis radiis, exſiccatum cum æquali pondere mercurii ſublimati iterum deſtilla, edulcora & exſicca ut prius, tum funde per ſe igne violento ſuper laminam ferream optimè politam aëre ſereno. ℞. hujus vitri ℥ſ. lunæ cryſtallinæ i. e. mercurii dulcis, pulveriſata invicem miſce & in crucibulo mundo funde ſuper laminam ferream politam aëre cœloque ſereno, & efforma lapillos deſideratæ magnitudinis, qui vocantur hiacynthi ſolares, horum 7. 8. 9. in vino infuſi faciunt vinum epotum ſedes movere interdum cum vomitu, quot horis ibidem ſunt relicti.

Vitrum antimonii purgans. IX. *Vitrum antimonii purgans: vitrum antimonii in veram chiliſtem laxativam abit modo ſequenti: ℞. vitri antimonii pulveriſati ℥j. inſtilla ſpiritus vitrioli optimè rectificati ℥j. miſce diligenter in mortario & in catino ad ignem lentum exſicca, & de nuo eandem quantitatem ſpiritus vitrioli affunde, atque iterum exſicca, idque ſepties repete, ſemper providendo, ut pulvis bene exſiccetur. Interim ℞. maſtic. ℥j. affunde illi ſpiritus vini ℔j. digere per 4. horas: hinc ſpiritum vini decan-*

decanta, atque in eo vitrum antimonii præparatum per tres dies macera; hinc flores ſeu vitrum cum ſpiritu vini in crucibulum inde & ſpiritum vini accende, ut totus deflagret, quod ut eo rectius fiat, cum flammam non amplius concipit materia, in ignem rotæ colloca crucibulum, ut totus ſpiritus vini exhalet. Pulvis reſiduus lento igne cinerum per duodecim horas, in ſcutella vitrea exſiccetur. Doſis à gr. I. ad IV.

Dicta hæc medicamenta ut cum majori voluptate aſſumantur, miſceri poterunt cum conſerva roſar. aut quacunque alia, aut cum ſacharo roſato ad juſtam conſiſtentiam; cum adhuc calet ex catino eximatur, & ſuper tabulam mundam extendatur, & cum cultro deſignata magnitudine tabularum, in ſingulas tabulas inde IV. gran. vitri aut florum pulveriſator. ſic aptè formentur tabulæ, quas exſicca. Vel ℞. ſach roſat. cum pauca aq. roſ. in mortario contunde, ut fiat maſſa: hujus ℞. quantum libet, eique admiſce doſin antimonii præparati, & cum inſtrumento apto manu tabellam forma, & ſic procede, donec habeatur quantitas ſufficiens. Vel ſubigatur farina cum aqua roſarum & cinamomo addito, ut fiat maſſa; ex hac dum placentulas in formam oblatæ formas, in inſtrumento proprio coque, ſingulisque inſperge doſin vitri antimonii præparati. Vel pyra moſchatella conficimus, & in ſingulis fiat foramen, cui indatur doſis dicti purgantis, iterum proprio operculo exactè claudantur, & conficiatur confectura humido ſicca; idem in aliis fructibus conficiendis fieri poteſt.

X. *Mercurius laxativus:* ℞. *mercurii vivi q. v. ſuperfunde olei ſulphuris per campanam facti, aut olei vitrioli, ut digitum transverſum ſupereminεat, hinc in arena calida tamdiu pone, donec materia in vaſe coaguletur, quod fiet intra tres horas, matracium ſaltem papyro tegatur, quo ſpiritibus volatilibus exitus pateat; hinc fracto matracio materiam aufer, & ſi quid fortè mercurii vivi in fundo reſtat, illud ſepara, pulveriſatam materiam in crucibulum inde, & igne patenti per horam digere, ut totus rubeat in igne. Hinc ab igne remoto crucibulo materiam in aquam calidam injice, & convertetur in pulverem flaviſſimum, qui abjectâ aquâ, alia adhuc affuſa lavetur, & poſtea exſiccetur. Hinc in matracium indatur, & cum ſpiritu vini digeratur per XV. dies, hinc ſpiritus vini decantetur,* Mercurius laxativus.

tetur, & ſuper candens ferrum mercurius ponatur, ut optimè exſiccetur; doſis gran. VI. ad X.

NB. *Mercurius dulcis ſublimatus ad grana XVI. exhibitus in corpore valde cacochymico plus purgat, quam in alio non ita cacochymico gran. XXX.*

Panacæa mercurii alba.

XI. *Panacæa mercurii alba* (h) *vulgaris: Mercurius in aqua forti diſſolvitur, in ſolutionem aqua ſalſa infunditur, ut mercurius ad fundum præcipitetur, qui ab omni ſalſedine per reiteratas ablutiones liberatus exhibetur cum terebinthina à gran. VI. ad X. vel XVI.*

(h) Panacææ hujus longè optimæ meliorem parationem dabimus: ℞. aquæ fortis deſtillatæ ex nitro & vitriolo ut vulgariter fit, quantum vis, rectifica illam à ſuis fecibus, hujus ℞. ℥iij. ſolve iisdem drachmam unam argenti cupellati, tum in eadem ſolutione ſolve ℥j. mercurii vivi (purgati ut alibi docemus) ſuper arena calida, & quando totum argentum vivum eſt diſſolutum, tunc in hanc ſolutionem mercurialem & argenteam funde libram dimidiatam aquæ pluvialis, in qua prius diſſoluta ſit ℥ſ. ſalis communis, lacteſcunt invicem, & mercurius cum luna præcipitatur, ſine quieſcere per diem & noctem, ſequenti die aquam fortem decanta, & iterum ſuperfunde aquam communem, quieſcantque etiamnum per horas viginti quatuor, hancque decantationem & recentis aquæ ſimplicis ſuperfuſionem repete vigeſies, & ſatis mercurius edulcoratus erit; quem tunc probè exſicca; hujus præcipitati albi ℞. ℥ſ. pulveris jalappæ ℥ſ. turpeti, mechoac. diagrid. ana pulveriſatorum ʒj. miſce exactiſſimè, & cum mucilagine tragacanti fac exinde maſſam pilularem, ex eaque pilulas inſtar granorum piperis minorum efforma, quarum 7. 9. vel 11. pro vice dantur, purgant per quatuor vel quinque ſedes omnes humores noxios ſecuriſſimè in pleriſque morbis. Obſervavimus etiam quod loco hujus præcipitati albi pari cum ſucceſſu mercurius dulcis ſecundum noſtram deſcriptionem paratus in hanc mixturam pilularem ſumi, & eàdem doſi exhiberi poſſit, eſt enim utrumque nil aliud quam præcipitatus volatilis ab omni acrimonia liberatus.

Flores antimonii correcti.

XII. *Flores antimonii correcti: Fiant primo flores antimonii albi ſequenti modo: ſumatur olla aut cucurbita fictilis ampla juxta fundum perforata, cui in furnum locatæ applicentur perforatæ aliæ quatuor vel quinque invicem ſe excipientes, in ſummitate apponatur alembicus roſtratus, accendatur ignis lentus, donec per gradus vas inferius candeſcat. Hinc de antimonio pulveriſato, per foramen in infima olla relictum injiciatur ad ℥ſ. quo injecto ſtatim elevantur flores in ſuperpoſitas ollas, foramen ſubinde exactè clauda-*

claudatur operculo apto : relinquantur per horam continuando ignem, ut olla inferior candeat, horâ elapsâ aliam ℥ſ. antimonii pulveriſati injice, iterumque per horam relinque. Hic labor quoties viſum fuerit, repetatur. In principio ſemper aliquid phlegmatis per alembicum deſtillare ſolet, quod cùm ſtillarit, roſtrum claudatur charta, & ſublimatio ut dictum continuetur. Floribus hoc modo præparatis deſtillatur ex melle aqua, lento cinerum calore aut balnei, quæ primo exit inſipida (quæ enim hanc ſequitur inſtar aceti acris eſt) quam cum æquali portione ſpiritus vini rectificati miſce, & in fiolam ſuper flores affunde ad eminentiam quatuor digitorum, circulentur hoc modo flores in ſole, vel alio loco calido per menſem, poſtea menſtruo abjecto flores exſicca leni calore & ſerva; videbis violentiam florum antimonii, quæ à cruditate erat, per coctionem & nobilis menſtrui præſentiam concoctam & ſublatam eſſe, ac tantum ſedes movere ſine omni vomitu. Doſis à gran. V. ad VI. vel VII.

Mercurii cum auro præcipitatio.

XIII. *Mercurius præcipitatus* (i) *cum auro*: ℞. *auri fini partem unam, mercurii vivi partes ſex, fiat ſecundum artem amalgama, & poſtea mercurium ab amalgamate ſuper ignem lentum carbonum evolare ſine in tigillo, remanebit calx auri in fundo. Calcem iterum cum aliis partibus ſex mercurii ſecundum artem amalgama, optimè agitando, ut calx omnis in mercurio diſſolvatur, & unum corpus homogeneum appareat; amalgama hoc inde retortæ parvæ lutatæ, & ſuperfunde aquam fortem ad eminentiam trium digitorum, retortam in cineribus loca per diem ad digerendum igne mediocri; die ſequenti igne fortiori collige aquam fortem in recipiens retortæ appoſitum, & ignem ſub finem auge, ut fundus retortæ incandeſcat, & omnes ſpiritus aquæ fortis corroſivi deſtillent. Vaſis refrigeratis materiam exime, tere, iterumque retortæ inde, ſuperfunde aquam fortem antea abſtractam, iterumque igne forti arenæ deſtilla ut prius, ut retorta in fundo incandeſcat. Vaſis refrigeratis materiam in retorta contentam rubicundiſſimam exime, abjiciendo illud, quod fortè ad latera retortæ ſublimatum eſt. Hinc ℞. laminam ferream quadratam, quam in igne ut incandeſcat, tene, cum optimè candet, inſperge pulverem mercurialem, ut optimè exſiccetur, & quod volatile reſtet, evaporet, cum ferrum frigere incipit, materiam aufer, & in*

vaſe

vaſe clauſo ad uſum aſſerva. Lente ſine omni etiam vomitu, niſi ſcilicet ſuperioris ventris regio ſive ventriculus quibuslibet impuritatum mineris refertus ſit, per ſeceſſum purgat. Doſis à gran. iij. ad VIII. cum paucula terebinthina, aut extracto colocynthidis, aut in horum defectu cum pilulis cochiis minoribus, aut aliis. Summum arcanum in hydrope, lue gallica, & omnibus cutaneis affectibus & defluxionibus, & ubi corpus ſcatet pituitoſis humiditatibus.

(*i*) Vocatur hic præcipitatus à quibusdam aurum vitæ, alii verò eundem parant cum additione vitri antimonii hunc in modum: ℞. ℥ſ. auri purgati, ſolve in aqua regis, item in eadem aqua regia ſolve ℥ſ. vitri antimonii ſeorſim, in aqua forti autem ſolve ℥iij. mercurii vivi purgati, ſolutiones omnes limpidiſſimas cōjunge, & omnem humorem abinde deſtilla, quem iterum affunde, & rurſus abſtrahe ad duodecimam usque cohobationem, vel donec ad ſufficientem fixitatem præcipitalem perveniat, quam ſuſtinere debet ſuper tegulam ignitam absque fumatione, affunde tunc iſti pulveri præcipitato ſpiritum vini, quem ſexies renovatum ab eo abſtrahe, tandem fixus & inſipidus pulvis ſub tegula igniatur, quem Bovius ſuum Herculem appellavit, omniumque aliorum catharticorum ſpeciebus anteponendum judicavit tanquam domitorem luis venereæ, febrium petechialium, peſtilentialium, vermium & aliorum morborum incurabilium; doſis gr. VI. cum gr. XII. ſcammonii. Notandum verò, prædictam aquam regiam non eſſe conficiendam mediante ſale armoniaco, quia nimium volatizat & in ſublimationem adducit mercurium & vitrum antimonii, ſed ſale marino vel gemmæ, quamvis & ejusmodi aqua Regis valdè volatizet, & proinde ſingularis induſtria requiratur, ſi quis hujus Herculis familiaritatem exoptet.

NB. *In exhibitione mercurii quomodocunque parati notandum: 1. Convenientiſſimam omnium exhibendi formam eſſe pilulas, ne ſcilicet mercurius morâ nimiâ in palato noxam afferat, movendo ptyalismum* (k) *& tonſillarum tumorem inferendo, attractis ad palatum undique humoribus tenuioribus propriâ quadam naturæ familiaritate.*

2. Incorporando mercurium ſemper conſultum eſt addere guttam unam & alteram olei ſulphuris, quia hoc ipſius malignitatem compeſcit, volatilitatemque, quâ ſurſum tendit, figit (l) *& ſymptomata, quæ infert, corrigit.*

3. Ut poſt ſumptum mercurium (ad ſummum horis duabus poſt) detur juſculum, & cibus dimidiâ horâ poſt, ne diutius in ventriculo hæreat.

4. Ne

4. Ne exhibeatur frequentius bilioſis, quia educendo ſeroſam humiditatem frenum bilis, nocumento illis eſſe poterit.

5. Ut exhibeatur cum terebinthina aut extracto colocynthidis ſequenti : ℞. colocynthidis non recentis, ſed ab annis aliquot reſervatæ ſine interioribus arillis & nucleis ℔ ſ. ſcammonii puri ℥iij. inciſa extrahantur cum ſpiritu vini antea uſurpato, ſeu non rectificato; rejectis fæcibus menſtruum tinctum cucurbitæ indatur, & per M. B. ſpiritus vini usque ad mellis ſeu pilularum conſiſtentiam evocetur.

(*k*) Ptyaliſmus & ſalivatio impotum mercurium ſequi ſolennis adeò reformidari non debet, ſed potius ſtudioſè expeti, eſt enim plerunque ſignum ſecuturæ ſanitatis, ut ploratio palmitum verna fructuoſitatis.

(l) Oleum ſulphuris nequaquam mercurium figit, ſed tantum præcipitat, nec impedire poteſt, quo minus in ventriculo ejusmodi præcipitatus revificetur; quemadmodum enim ſpiritus vini omnes præcipitatos, per corroſiva paratos revificat, ſi aliquoties per alembicum ab ipſis deſtilletur, dulcificat enim corroſiva & extingvit, ita ut non amplius retinere poſſint particulas mercurii ſuâ aciditate abſorptas; ita idem quoque contingit in ventriculo humano, in quo quotidiè ſpiritus vini ex vino, cerevilia, pane præſtò eſt, & pari modo ſpiritus corroſivos præcipitatorum transmutat, ut mercurii atomos dimittere cogantur, imò ſpiritus vini mercurium non modò revificat, ſed etiam ſecum rapit in alembicum, quod etiam in ventriculo à ſpiritu ardente ſeu vini fit, rapit enim ſecum mercurium revificatum ſurſum ad os, unde brevi ſalivatio ſequitur.

TRACTATUS IV.

DE DIAPHORETICIS.

Diaphoretica ſeu ſudorifera ſunt, quæ craſſam & obſtruentem pituitam ſua caliditate & ſubtilitate fundunt, & in halituoſam ſubſtantiam convertunt, quæ vaporetenus ad ambitum corporis fertur, & roris inſtar per poros transſudat, ubi pars ejus ab ambiente congelatur, & in guttulas concreſcit paulatim decurrentes, pars verò inviſibiliter difflatur, non ſecus ac efflatus vapor anhelitus tempore æſtatis inviſibiliter in aura ambientis calida evaneſcit, ab externo autem hyemis frigore mox condenſatur in vaporem viſibilem inſtar craſſæ nebulæ. Materia itaque ſudoris nil aliud eſt, quàm pars corporis pituitoſa per totum corpus diffuſa, quæ aliàs ſerum ſangvinis à dogmaticis nuncupatur, aquoſior enim pars nutrimenti & potulentorum in ſangvificatione miniſterio glandularum & vaſorum lymphaticorum à cruore, qui inſtar maturi lactis liquor ſpiſſiusculus eſt, primo albidus ac dein rubineſcens, ſegregatur, & transmutatur, in liquo-

liquorem inſipidum nobiliſſimis partium functionibus peculiaribus deſtinatum, quamvis enim quotidiè omnem cibum noſtrum ſaliamus, ſalque maris in omnibus liquoribus ſolvatur, & per filtra quæcunque unà percoletur, nihilominus tamen aquoſa hæc corporis lympha, quam Helmontius laticem vocat, planè eſt inſipida, nemo autem poteſt ſalem marinum in liquore ſolutum ex eo iterum ſeparare, niſi per deſtillationem, lympha autem noſtra non eſt liquor deſtillatus, ſed gummeus & materiam gelatineam in ſe vehens, ut lachrymæ oſtendunt, ſequitur ergò, quod ſeparatio ſalis marini è lympha fiat per peculiarem fermentationem & transmutationem qualitatis ſalſæ in ſubdulcem & inſipidam, quoniam uſus partium quarundam ita exigebat, præſertim earum, quæ motui inſerviunt, ut ſunt oculi & articuli, quarum indeſinens motus liquore aliquo tenui, lubrico & nulla acrimoniâ prædito opus habebat, ad facilitandum motum, uti etiam ruſtici norunt, atque ideò ſemper ſuum ungventum carrarium ſecum vehunt axesque rotarum eo perungunt, & niſi hoc faciant, motus rotarum retardatur vel planè inhibetur; Hæc autem lympha cum peculiari qualitate fermentativâ glandularum quotidiè ubertim generetur, & errore diætæ aliisque modis variè depravetur, & tum corpus afficiat, ſtagnando obruat & diverſimodè noceat, itaque natura etiam diverſa remedia produxit ad evacuandam & corrigendam ſuperfluam vel vitioſam lympham, imprimis autem diaphoretica, quibus ea ſub cutem ſtagnans per poros diffunditur, diuretica, quibus lympha in interioribus vaſis ad renes fuſa deturbatur, & ſalivativa, qualia ſunt: imperatoria, maſtiche, mercurius &c. quibus eadem ad os trahitur, & exſalivatur, hic loci autem de diaphoreticis ſeu ſudorem expellentibus ſermo eſt, quæ ſemper ſunt qualitatis calefactivæ, quæcunque enim totum corpus percalefaciunt, ſudorem affatim prolicere ſolent, quod etiam ſolo calore externo excitato fieri poteſt, nimirum per vehemens corporis exercitium, calorem ſolis, hypocauſtorum, balneorum, lecti &c.

De ſudore verò & ſudatione loquitur etiam noſter Dictator in ſequentibus.

Quæ educere oportet, eò per loca convenientia ducenda, quò maximè vergunt. lib. 1. aph. 21

A ſudore horror, non bonum. 7. 4

Quacunque corporis parte prodeat aliquid, ſi quid non purgatum remanſerit, malum. 7. 69

Omnis corporis evacuatio vel alteratio ex abrupto & percopiosè inſtituta periculoſa. 2. 51

Paulatim verò & gradatim, tuta. 2. 51

Omne nimium naturæ inimicum. 2. 51

Qua parte corporis ſudor, ibi latere morbum ſignificatur. 4. 38

Sudor

Sudor multus in ſomno absque cauſa manifeſta prodiens eſt ſignum copioſioris alimenti. 4. 41

In parciore autem victu contingens denotat neceſſitatem evacuationis. 4. 41

Sudor multus ſemper fluens ſignificat morbum. 4. 42

Calidus quidem morbum minorem, frigidus majorem. 4. 42

Sudores in febribus boni & critici ſunt, qui prorumpunt die tertio, quinto, ſeptimo, nono, undecimo, decimo quarto, decimo ſeptimo, 21. 27. 31. & 34. 4. 36

Aliis verò diebus ſignificant laborem, morbi longitudinem, & recidivas. 4. 36

Frigidus ſudor in febre mitiore deſignat morbi longitudinem. 4. 37

In acuta autem mortem. 4. 37

Febre à ſudore non deficiente malum. 4. 56

Significatque multam humiditatem & morbi prorogationem. 4. 56

Sudor multus calidus vel frigidus ſemper fluens ſuperfluam humiditatem evacuandam deſignat. 7. 61

Idque in robuſtis per vomitum, in debilibus per ſeceſſum. 7. 61

Quæ per carnes exeunt, ſi parum à natura recedant, parvus eſt morbus. 7. 79

Si multum, magnus, ſi valdè multum, lethalis eſt. 7. 79

Sudores critici vehementes & veloces, periculoſi. 8. 4

Præſertim expulſi ex fronte velut guttæ & aquæ ſcaturientes, & frigidi valdè ac multi. 8. 4

Prodeunt enim cum violentia, laboris exceſſu ac diutinâ expreſſione. 8. 4

Quibus cutis laxa & rara, cum ſudore moriuntur, quibus autem arida & dura, ſine ſudore obeunt. 5. 71

Conſiderare oportet ſudorem in univerſum; alii enim ex corporum exolutione, alii ob vehementem inflammationem fiunt. lib. 1. præſag. 23

Saluberrimi ſunt ſudores in omnibus acutis morbis critici, & febrim finientes, & guttatim & exhalando prodeuntes. 1. 22

Et ubi æger in toto corpore æqualitèr ſudat, & alleviatur. 1. 22

Contrario modo contingentes inutiles. 1. 22

Et ubi tantùm caput, cervix aut facies inſudat. 1. 22

Et ſudor inſtar milii circa caput & collum tantùm obhæret. 1. 22

Peſſimi omnium ſunt ſudores frigidi. 1. 22

Denotantque in febre mitiore morbum diuturnum. 1. 22

In acuta verò mortem. 1. 22

Sunt autem ad ciendum ſudorem præcipuè in uſu hæc ſequentia ſimplicia; radices pimpinellæ angelicæ, barda-

bardanæ, petroſelini, apii, fœniculi, biſtortæ, tormentillæ, ſarſaparillæ, chinæ, zedoariæ, herbæ carduibenedicti, capilli veneris, chamædris, fumariæ, ſcabioſæ, cerefolii, chelidonii majoris; flores chamæmeli, ſemen aquilegiæ, citri, naſturtii, lignum & cortices fraxini, ligni ſancti, ſaſſafras, juniperi. Terra ſigillata, bolus Armenus, cornu cervi, rob ſambuci & ebuli &c.

Huc pertinent etiam bezoartica ut ſunt: radices contra jervæ, dictamni, enulæ campanæ, imperatoriæ, valerianæ, leviſtici, eryngii, ſcorzoneræ, ſucciſæ, vincetoxici, petaſitidis.

Folia ſcordii, rutæ, ſcabioſæ, veronicæ, calendulæ, abſynthii &c.

Adhæc ſæpius quoque alia externa media ad evocandum ſudorem in ſubſidium vocantur, nempe lateres calefacti, & unà in lectum ægro admoti, item lagenæ ſtanneæ aqua fervida impletæ, inunctiones, balnea, laconica &c.

E ſuperius verò enarratis & aliis concinnantur compoſita, ut ſunt: Theriaca Andromachi, Mithridatium &c. quæ in efficacibus & appropriatis vehiculis aſſumenda ſunt præſertim è mineralibus parata, quæ plerunque ſine ejuſmodi vehiculis ſpecificè appropriatis parùm operantur, ſed ſi fixa ſint, inſtar terræ mortuæ per ventrem feruntur, quod etiam in ſequentibus notandum, quæ proponit:

TEXTUS.

DIAPHORETICA *ſunt:*

I. *Bezoarticum minerale ſimplex, doſ. gran. VI. ad XII. vel plura in vehiculo convenienti, vino, aqua carduibenedicti, cinamomi, vel cum theriaca, vide notas ad Crollium.* Bezoarticum minerale ſimplex.

II. *Bezoarticum minerale ſolare, doſis eadem.* Bezoarticum ſolare.

III. *Bezoarticum lunare, quod fit hoc modo: argentum in aqua forti ſolvitur, digeritur tamdiu, donec ſolutio fiat viridiuſcula, abſtrahe (per alembicum ad mellaginem) aquam fortem, & ex argento cum ſpiritu vini tincturam extrahe viridem, hanc extractionem repete, donec non amplius tingatur. Spiritu vini viciſſim ablato remanentem tincturam butyro antimonii in ſpiritu nitri ſoluto (proportione ſuboctupla ad butyrum antimonii) junge, & lege artis deſtillando ad ſiccitatem bis terve fixa, eodem modo quo bezoarticum commune minerale ſimplex figitur; doſis eadem.* Bezoarticum lunare.

IV. *Antimonium diaphoreticum ſeu flores antimonii albi fixi: doſis à ℈ſ. ad ℈j. nonnunquam etiam ultrà cum conſerva roſarum, vel in aqua convenienti, cum particula theriacæ veteris, vitioſos humores per ſudorem pellit optimè.* Antimonium diaphoreticum.

V. *Pana-*

Panacæa ſeu ſulphur antimonii fixum.

V. *Panacæa* (l) *ſeu ſulphur antimonii fixum, quæ fit hoc modo: ex cinabari antimonii poſt deſtillatum butyrum antimonii in collo retortæ collecto primum eliciatur ſulphur* (m) *rubrum hoc modo: fiat lixivium fortiſſimum ex cineribus clavellatis vel calce viva, ut moris eſt, cum quo exactè purificato, perque filtrum trajecto cinabaris antimonii pulveriſata ebulliat per tres vel quatuor horas in cacabo ferreo, lixivium redditur rubicundum (propter ſulphur) argentum verò vivum in fundo fluit currens. Tinctum lixivium per inclinationem ſeparatum, & adhuc calidum per chartam bibulam ſeparatur, & reponitur per horas aliquot, atq; ita ſulphur antimonii fundum petet in forma pulveris rubri, quod à lixivio ſeparatum deinceps edulcorandum eſt aquâ communi, poſtea lento calore exſiccandum. Hujus ſulphuris & reguli* (n) *antimonii* ℞. *ana verbi gratiâ* ℥j. *olei ſulphuris per campanam facti, vel olei vitrioli* ℥iij. *digere per aliquot dies in retorta vitrea in loco calido, deinde deſtilla in arena ter (ad minimum quaterve vel quinquies) cohobando, urge poſtremâ vice ignem quarti gradus per duodecim horas, & erit totum fixum in igne manens, quod exime, & cum aqua roſarum lava. Hujus* ℞. ℥j. *ſalis ſeu magiſterii corallorum* ʒij. *miſce exactè, & fiat pulvis; doſis hujus panacææ ex ſulphure antimonii à gran. X. ad XV. eſt egregium ſudoriferum, præſertim in morbis malignis & epidemicis, in aquis appropriatis ſudoriferis. Datur in conſerva aliqua, vel mithridatio, vel cum decocto raſuræ cornu cervi.*

(l) Panacæa hæc magnæ ſuæ decantationi non omnino reſpondet, paravimus enim eam propriis manibus admodum ſolerter & ſcrupuloſè, ſed non adeò magnarum deprehendimus virium, quod etiam aliis contigit, uti nobis narravit ex propria obſervatione D. D. Waibelius, nec etiam longè aliter ſe res habere poteſt cum ejusmodi fixis, ſunt enim quaſi terra mortua, & ſi aliquid præſtare debent, ſemper cum efficaciſſimis vehiculis propinari oportet, & tunc unum ab altero quaſi de novo ſpecificatur.

(m) Non abſolutè neceſſe eſt illud ſulphur elicere è cinabrio antimonii, ſed è pulveriſata quoque ejus minerâ vel antimonio crudo per aliquod fortè lixivium è cineribus clavellatis, tartaro uſto, & calce viva paratum bulliendo extrahi poteſt, & poſtmodum è colorato lixivio mediante aceto deſtillato iterum ad fundum præcipitari, hoc præcipitatum ſulphur ſi denuò in recenti lixivio bulliat, donec lixivium coloretur, atque tum etiamnum aceto deſtillato præcipitetur,

fit longè pulchrius, purius & efficacius, poteſtque tunc locum ſulphuris è præfatâ cinabari extracti ſubire.

(n) Melius eſt ex regulo iſto parare flores per ſublimationem, hosque demum in præſcripto pondere accipere.

Aqua theriacalis. VI. *Aqua theriacalis Crollii in ſpecifico peſtilentiali, doſis à cohlearii ſemiſ. ad integrum.*

Mixtura ſimplex. VII. *Diaphoreticum in pera cutis Paracelſi, ſeu mixtura ſimplex, doſis* ℨj.

Spiritus tartari alcoholiſatus. VIII. *Spiritus tartari alcoholiſatus, de quo in Crollio, doſis* ℨj. *ad* ℨij.

Lapis bezoar. IX. *Lapis bezoar. doſ. gran VI. VII. ſi verò quotidiè, ut in morbis diuturnis (cordis palpitatione) eo utendum, doſ. gran. ij iij. in aquis convenientibus.*

Mixtura è cinabari antimonii. X. *Cinabaris antimonii cum ana magiſterii corallorum & perlarum permixta, doſis à gr. VIII. ad XII. ſi æquale pondus ad hanc mixturam addatur magiſterii cranii humani, fit egregium diaphoreticum in epilepſia. Doſis poſterioris ſunt grana XVI ad XX.*

Arcanũ carduibenedicti. XI. *Arcanum carduibenedicti doſis gran. V. VI. VIII. it. ſal carduibenedicti in ſpiritu nitri ſolutus, & iterum in cryſtallos redactus, doſis* ℈j. *valdè commendatur in quartana.*

Aurum potabile Anglicũ. XII. *Aurum potabile Anglicum, doſis gutta una vel altera uſque ad octo ſolutæ in malvatici* ℥j.

Laconicum D. Hartmanni. XIII. *Laconicum D. Hartmanni quod tale eſt: fiat cupa ex aſſeribus alta pedes quinque lata duos, longa quatuor vel quinque quadrata. In ſuperiori tegumento fiat foramen, per quod caput exſeri poſſit (aſſerculis hinc inde mobilibus) in fundo fiat craticula lignea, in medio ſedile cum ſcabello pertingente ad craticulam ad ſublevandos pedes. Antica parte fiat oſtiolum cum feneſtra vitrea, quæ poſſit aperiri & claudi. In partibus extremis fiant manubria ex ferro, quibus moveri & portari poſſit, ſub craticula ad omnia quatuor latera fiant feneſtræ mobiles (Schubfenſter) ligneæ, per quas in ſcutellis ferreis (ſtanneæ enim aceto abſumuntur) acetum vel vinum ardens poſſit ſubjici, cujus ardentis vel inflammati vapor per cupam totum corpus patientis in ea depoſitum, excepto capite tantum, ferire poſſit (interdum decoctum herbarum vel etiam aromatum pro neceſſitate nempe ipſius morbi adhuc fervens ſimul in cupam reponitur, ejusque vapores per fiſtulam ligneam unà excipiuntur, ut ſimul cum ſpiritu vini ardente eò melius ad ſudandum exſtimulare poſſint) idque tamdiu inſtituitur,*

quam-

quamdiu opus eſt & ratio dictitat.

Flores antimonii diaphoretici.

XIV. *Flores antimonii diaphoretici*: ℞. antimonii calcinati ℔ ſ. ſalis tartari ℥j. ſublimentur, ut flores antimonii ſemel cum ſale tartari, ſecundò & tertiò per ſe eleventur, tandem abluantur aquâ ſimplici ac deinde roſarum, ſic habebis flores diaphoreticos.

Mixtura è cornu cervi.

XV. *Mixtura è cornu cervi*: ℞. cornu cervi præparati ℈iſ magiſterii perlarum ℈j. lap. bezoar gran. V. m. f. pulvis, ſumatur cum aquæ carduibenedicti ℥j.

Aqua tophorum C. C.

XVI. Utiliſſimum etiam ad omnes morbos malignos ſudoriferum elicitur è tophis ſeu cornibus recentibus cervorum ſangvine adhuc rigidis (Hirſchkolben-Waſſer) ſi tenuiſſima fruſtula conciſa in retorta per M. balneum aut roris deſtillentur, vel per ſe, vel pauco vino generoſo addito, donec liquor omnis egrediatur; doſ. cochlear. ſemiſ. vel per ſe, vel cum opiatâ aliquâ, aut conſervâ florum citri, aurantiorum, vel in liquore convenienti in omnibus febribus ardentibus, malignis & epidemicis.

Aqua theriacalis.

XVII. *Aqua theriacalis*:
℞. Rad. Ariſtol utriusque
Angelicæ.
Serpentar.
Cyperi.
Tormentill.
Scorzoneræ.
Enulæ.
Pentaphyl.
Valerian.
Dictamn. alb. an ℥ſ.
Zedoar.
Pimpinell.
Olſnicii an. ʒiij.
Baccar. Lauri recent. ℥iij.
Juniperi ʒvj.
Sem. Citri ʒiſ.
Card. bened.
Siler. montan. an. ʒj.
Galang.
Xiloaloës.
Santal. Citrin. an. ℈iv.
Cortic. Aurant.
Citri an. ℥j.
Flor. Citri ʒvj.
Fol. Scordii mj.
Morſus Diabol.
Veronic.
Carduibened.
Scabioſ. an. mſ.
Flor. Borrag.
Bugloſſ.
Hyperic. an. mſ.
Succi Acetoſæ ℔iſ.
Salviæ.
Scabioſ.
Borrag. an. ℔ſ.
Vini optimi ℔iv.
Camphoræ ʒiſ.
Mithridatii optimi ℥iſ.
Theriacæ Andromachi ℥ij.
Vini granatorum ℔j.
Spiritus vini ℥iv.

Inciſa & contuſa infunde ſimul & digere in loco tepido per octo dies, poſtea deſtilla in M. balneo.

XVIII. *Acetum* (o) *theriacale:*

℞. *Rad. Biſtort.*
Gentian.
Pimpinell.
Angelic.
Tormentill. an. ʒx.
Baccar. Lauri.
Juniperi an. ℥j.
Nucis Moſchat. ʒv.
Raſuræ Ligni ſancti ℥ij.
Zedoar. ℥ſ.
Santali Albi ʒiij.
Fol. Rutæ.
Abſynth.
Scord. an. mſ.
Flor. Tunic.
Bugloſſ. an. p iſ.
Theriac Androm.
Mithridat. an. ʒvj.

Contuſis contundendis fiat omnium in aceto vini infuſio per octo dies poſtea deſtilla per M.B.

(o) Melior eſt infuſio horum ingredientium in aceto deſtillato, quàm ab eis deſtillatio, optimum etiam acetum bezoarticum fit infuſione herbarum perpetuò virentium in aceto deſtillato, ut alibi docemus.

TRACTATUS V.
DE DIURETICIS.

Diuretica ſeu urinam moventia valdè cognata ſunt diaphoreticis, quemadmodum enim hæc craſſam lympham fundendo ad ambitum corporis halituosè propellunt, ita illa eandem ſalinâ qualitate magis exacuunt, quâ maximè incidunt, & omnes meatus aperiunt, ſerumque ſuâ ſalinâ igneitate copiosè attrahunt, & ad renes & veſicam urinariam defluere faciunt: tali autem operatione opus eſt in internis obſtructionibus viſcerum, ac imprimis hepatis & lienis, mucoſitate & arenoſitate renum, obſtructione menſium & febribus omnibus.

De urina loquitur etiam Hippocrates in ſequentibus:

Quæ educere oportet, eò ducenda quò vergunt lib. 1 aph. 21
Excreta non copiâ ſunt æſtimanda, ſed ſi exeant qualia oportet, & ægrum allevient 1. 23
Urinæ excrementa ſunt ſigna morborum 1. 12
Quælibet eductio vel corporis motio plurimum & repentè facta periculoſa 2. 51
Aquilonia conſtitutio affert urinæ difficultates. 3. 5
Quod etiam fit à ſiccitatibus 3. 16
Nec non à ſenio. 3. 31
Excretiones omnes lividæ, cruentæ, fœtidæ, bilioſæ ſive per ſputum, vel urinam vel alvum prodeant, in febribus continuis omnes malæ. 4. 47
7. 69
Imò quælibet excretio non juvans. 4. 47
Urina in febre craſſa, grumoſa, pauca, in tenuem & copioſam mutata juvat. 4. 69

Fitque

Fitque potiſſimum talis, quando ſtatim ab initio ſedimentum ineſt. 4. 69

Urina in febre turbida tanquam jumentorum, dolorem capitis præſentem vel imminentem portendit. 4. 70

Urina in febre die quarto rubram habens nubeculam, futuram die ſeptimo criſin denunciat. 4. 71

Urina in febre alba & pellucida mala. 4. 72

Præſertim in phrenitide. 4. 72

Urina multa in elatis febricitantium hypochondriis confert. 4. 73

Urina multa, craſſa & alba prohibet abſceſſum ad articulos. 4. 75

Urina craſſa cum exiguis caruncuilis, aut veluti pilis, indicat affectos eſſe renes. 4. 76

Urina craſſa cum furfureis quibusdam eſt ſignum ſcabiei veſicæ. 4. 77

Cum ſabuloſo autem ſedimine, calculi veſicæ. 4. 79

Mictio ſangvinis vel puris ſignificat renum vel veſicæ exulcerationem. 4. 75

Mictio ſangvinis ſpontanea venulam in renibus eſſe ruptam declarat. 4. 78

Mictio ſangvinis, vel grumorum, vel guttatim emiſſa, cum dolore infimi ventris, ac interfeminei, denotat affectum veſicæ. 4. 80
7. 39

Mictio ſangvinis aut puris, aut ſquamularum cum odore gravi, denunciat exulcerationem veſicæ. 4. 81

Mictio nocturna copioſa parvam deſignat dejectionem. 4. 83

Difficultatem urinæ tollit venæſectio. 6. 36

Nec non vini meraci potus. 7. 48

Volvulus à ſtranguria ortus ſolvitur copioſo fluxu urinæ cum febre. 6. 44

Urinæ ſedimentum in febre inſtar farinæ craſſioris longam invaletudinē deſignat. 7. 31

Bilioſa verò ſedimina ſupra tenuia ſignificant morbum acutum. 7. 32

Divulſæ urinæ ſignum ſunt fortis in corpore turbationis. 7. 33

Bullæ in urinis innatantes nephritim longam denotant. 7. 34

Adipalis ſuperficies in urinâ conferta ſignificat morbum acutum nephriticum. 7. 35

Pituita inter diaphragma & ventriculum concluſa dolorem faciens, interdum per urinam educitur. 7. 54

Urina quò ſimilior ſanorum urinæ, eò minus morbi adeſt, & contra. 7. 66

Quacunque corporis parte in febre continua quid prodeat, ſi quid non purgatum remanſerit, malum. 7. 69

Si per urinā exeuntia parum à natura recedant, parvus eſt morbus, ſi multum, magnus, ſi valde multum, lethalis. 7. 79

Urina optima, ſecuritatem & brevem morbum ſignificans facit per totum morbum reſidentiam albam lævem & æqualem. lib. 2. *præſag.* 26

Si verò urina eſt modò liquida, modò album & læve in ipſa reſidet, tunc morbum longiorem & minorem ſecuritatem ſpondet. 2. 26

Urina in febre ſubrubra cum ſubrubra & lævi reſidentia, deſignat morbum longiorem ſed ſalubriorem. 2. 27

Tenuis verò & rufa morbum crudum. 2. 30

Talis ſi diutius permaneat, æger periclitatur, ne ante morbi finem viribus deſtitutus ſuccumbat. 2. 31

Nebulæ albæ in urina ſuſpenſæ bonæ, nigræ malæ. 2. 29

Urina cum reſidentia inſtar farinæ craſſioris, mala. 2. 28

Ut & alba & tenuis. 2. 28

Pejor eſt cum reſidentia laminis ſimili. 2. 28

Longèque periculoſior, in qua tanquam furfura reſident. 2. 28

Perniciosiſſima eſt urina fœdi odoris, diluta, tenuis, nigra & craſſa. 2. 32

Urina in viris & mulieribus nigra eſt deterrima. 2. 33

In pueris verò tenuis & diluta. 2. 33

Urina tenuis & cruda diu ſic reddita cum reliquis ſignis ſalutaribus abſceſſum infra diaphragma ferè promittit. 2. 34

Pingvedo telis aranearum ſimilis eſt ſignum tabis. 2. 35

Nubeculæ urinarum ad imam vaſis partem tendentes cum præfatis coloribus bonæ, ſurſum verò ſublatæ malæ. 2. 36

Quocunque autem modo veſica laboret, hæc indicia non valent, tumque tales urinæ non ad univerſum corpus, ſed tantùm ad veſicam ſunt referendæ. 2. 37

Porrò diuretica à dogmaticis in duas diſtingvuntur claſſes, quarum una comprehendat diuretica propriè ita dicta, altera quæ minus propriè: Proprietaria ipſis ſunt, quæ facilè ad venas penetrent, craſſum humorem fundant, ac tenuiorem partem ſeparent, idque ſuâ tenuitate & caliditate in tertio caloris gradu, qualia ſint:

Radices aſparagi, apii, petroſelini, ruſci, fœniculi, eryngii, pimpinellæ, valerianæ.

Herbæ agrimoniæ, eupatorii, abſynthii, aſari, urticæ, betonicæ, chærefolii, chamæpit. ſcordii, rutæ.

Semina fœniculi, aniſi, petroſelini, ſaxifragiæ, ſeſeleos, milii ſolis, baccæ juniperi, perſicorum nuclei, cinamomum, cardamomum, cubebæ, caſſia lignea, ſpiritus tartari, & ſal ejus &c.

Minus proprietaria diuretica ab ipſis vocantur, quæ non propriè virtute caliditatis hanc operationem perficiant, quum etiam quædam frigida id præſtent, quod autem nihilominus urinam moveant, hoc ideò fieri, quod quædam ſint lubricativæ

cativæ & abſterſivæ qualitatis, ac renes viasque urinæ abſtergant, aliæ multam aquoſam materiam ſuppeditent, aliæ temperatè refrigerent, ſangvinisque nimium æſtum, qui aliàs bonam aquoſitatis partem planè difflet, ut inſenſibiliter transſpiratione abſumatur, nec in ſubſtantiam urinæ reſolvi, & ad renes defluere poſſit, reſtingvant, talia autem mixta diuretica ſint: omnes ſpecies braſſicæ, ciceres, anethum, capillus veneris, terebinthina, althæa, glycyrrhiza, ficus, ſemina cucumerum, melonum, cucurbitæ, fraga, baccæ, alkekengi, malvæ caſeoli, ſpiritus ſalis marini &c.

Præcipua autem compoſita ſeu præparata diuretica recenſet:

TEXTUS.

Aqua ex nucleis perſicorum.

DIURETICA (p) *ſunt:* I. *Aqua ex nucleis perſicorum*: ℞. *Nucleorum perſicorum q. v. & cum malvatico vel alio vino generoſo macera per dies V. vel VI. & poſtmodum deſtilla per M. B. vel in cineribus, cujus cochlear exhibitum efficaciſſimum eſt.*

Vinum diureticum.

II. *Vinum extinctionis ſilicum: Silices albiſſimi è flumine collecti igniti in vino generoſo extingvuntur toties, donec planè in pulverem redacti fuerint. Vini per filtrum trajecti hauſtus unus ſubitò urinam pellit propter ſalem ſilicum; urinæ enim ſal reſtagnans in corpore per ſalem alium curatur.*

Oleum ceræ.

III. *Oleum ceræ guttis ij. iij. vel IV. in aqua rad. urtic. major. datum urinam pellit fortiter Renum regio ſimul inungatur oleo de lateribus, ſcorpionum & ceræ, item perineum ungatur eodem oleo ceræ, quod ſic fit*: ℞. *ceræ* ℥j. *cinerum lotorum* ℥IV. *deſtilla in cucurbita humili aut retorta in cineribus igne lento, quod primùm exſtillat, butyri inſtar coagulatur, unde ſæpius orificium alembici, aut roſtrum retortæ clauditur, quod adhibito carbone liquandum, ut in recipientem deſcendat. Semel atque iterum per retortam addita aqua communi rectificetur poſtea.*

Sal ſuccini volatile & fixum.

IV. *Sal ſuccini volatile Crollii: Vide notas in Crollium; item ſal ſuccini fixum, quod fit ex capite mortuo poſt deſtillationem olei in fornace figulina calcinato, & è calce hac ſal extrahendo, doſis à* ℈*j. ad* ʒß. *in convenienti liquore.*

Spiritus ſalis marini.

V. *Spiritus ſalis præſertim marini, cum aquis urinam moventibus à guttis iij. ad VI. vel X. cum aqua fontanâ, aut petroſelini aut halicacabi.*

Spiritus nitri.

VI. *Spiritus nitri, quemadmodum & nitrum ipſum, doſis eadem cum aceti partibus duabus.*

Aqua vitæ.

VII. *Aqua vitæ, doſ. cochlear. j.*

Tinctura tartari.

VIII. *Tinctura ſeu ſulphur tartari, hujus guttæ IV. vel VIII. cum vino vel alio liquore exhibitæ vehementer pellunt inferiorum viſcerum morbos per urinam, & quod mirari licet, alvi ſegnitiem vel à medicamentorum uſu, vel à natura contractam mirificè reſtituit, ſenibus accommodatiſſimum. Vide notas ad Crollium.*

Julepus diureticus.

IX. *Julepus diureticus, qui ita fit:*

℞. *Salis prunellæ ʒſ. ad ʒj.*
Aquæ ononidis.
petroſel. an. ℥iij. vel jv.
Syrup. è flor. ononid. præp. vel violac. tantum vel de ſucco borrag. aut limonum ℥j. m.

Oxymel diureticum.

X. *Oxymel diureticum eſt apud medicos nonnullos in uſu frequentiſſimum, quod ita fit:*

℞. *Radic. valerian.*
vincetox.
eryng. an. ℥ſ.
Herb. origan.
hyſop.
veronic.
ſcabioſ.
marrub. an. mj.
Radic. fœnic.
petroſelin. an. ʒvj.
Sem. aniſ.
fœnic. an. ʒij.
Flor. geniſt.
ſambuc. an. piij.
Mell. colat. ℔ij.
Aceti ſquillit. ℔ſ.
Aq. fontan. ℔jv.
m. lentè ebulliant, & ſtent in loco calido cooperta per dies octo, coque & exprime; f. l. a. oxymel, doſ. ab ℥ij. ad IV. vel VI. urgente neceſſitate.

(p) In defectu jam commemoratorum efficax diureticum haberi poteſt, ſi conſolidæ regalis, & cyani an. mj. in vini & aquæ pluvialis an. ℔j. unà cum paſſularum majorum ℥IV. per ¼. horæ coquantur, hujusque decocti vel aquæ ſtillatitiæ harum herbarum an. cochl. V. pro vice aſſumantur, melius adhuc operatur, ſi circiter gutt. XV. tincturæ corallorum, vel martis vel ſilicum in aliquot cochleariis alterutrius impotentur pro unâ vice, in his affectibus, quibus urinam moventia proſunt, nimirũ in calculo, nephritide, paroxyſmis podagricis, difficultate urinæ, poteſt quoque hoc inſervire pro vehiculo ſuperiorum diureticorum. Si cruditates adſint, aſſumatur ʒſ. vel ℈ij. pulveris jalappæ in juſculo prunorum.

TRACTATUS VI.
DE CONFORTANTIBUS.

PEr confortantia hic intelliguntur ea, quæ in magna virium imbecillitate, animique defectione ægros reficiunt, ac ſpiritus vitales corroborant; confortatio autem hæc & refectio duplex eſt, una quæ exhauſtam morbi diuturnitate, longâque

gâque inediâ corporis ſubſtantiam, ſuccum & ſangvinem regignendos concernit, altera quæ in repentina animi defectione, quæ interdum in plena corporis ſucculentia à venenatis & cordi infeſtis vaporibus irruit, cor confortandum docet:

Ad confortantia etiam pertinet diæta & victus ægrotantium, cujus exacta obſervatio innumeros ad priſtinum corporis robur exoptatamque ſanitatem reducit.

Loquitur verò etiam divinus ſenex de diæta & refectione in ſequentibus:

Refectiones extremæ ſunt periculoſæ. lib. 1. aphor. 3

Tam extrema tenuitas quàm repletio in victu gravis. 1. 4

Non ſatietas, non fames, neque aliud quicquam naturæ modum excedens bonum. 2. 4

Corpora longo tempore extenuata oportet ſenſim reficere, brevi verò, celeriter. 2. 7

Facilius eſt potu refici quàm cibo. 2. 11

Quæ confertim & celeriter alunt, etiam celeriter excernuntur. 2. 18

Si à morbo cibum quis capiens vires non recipiat, copioſiori corpus uti alimento ſignificat. 2. 8

Impura corpora quò plus nutriuntur, eò magis læduntur. 2. 10
7. 67

Cibus præter naturam copioſior ingeſtus creat morbum. 2. 17

Morbi à repletione orti curantur evacuatione. 2. 22

Cibus & potus ſvavior, quamvis deterior, inſvaviori, licet meliori præferendus. 2. 38

Diu conſveta, quamvis deteriora inſvetis minus ſunt moleſta. 2. 50

Plurimum & repentè replere, vel vacuare, aut alio modo corpus movere, periculoſum. 2. 51

Omne nimium naturæ inimicum. 2. 51

Paulatim verò & gradatim procedere tutum eſt. 2. 51

Qui creſcunt plurimum habent calidi innati, ideoque plurimo egent alimento, aliàs abſumitur corpus. 1. 14

Hyeme & vere cibi facilimè feruntur, æſtate & autumno difficilimè. 1. 18

Hyeme & vere ventres naturâ ſunt calidiſſimi, & ſomni longiſſimi, tuncque copioſiora alimenta ſunt exhibenda. 1. 15

Calidi innati plus habentes copioſiori indigent alimento. 1. 15

Omnium minimè pueri præſertim vividiores abſtinentiam ferunt. 1. 13

Ac proximè poſt illos adoleſcentes. 1. 13

Facilè jejunat ætas conſiſtens. 1. 13

Omnium facilimè ſenium. 1. 13

Senibus parum calidi ineſt, quod à multis fomitibus extingvitur, hinc ipſi pauco nutrimento indigent. 1. 14

Labor excitat famem, atque

in premente fame non eſt laborandum. 2. 16
Victus humidus confert pueris, & omnibus febricitantibus, aliisque tali victui aſſvetis. 1. 16
Concedendum aliquid conſvetudini, regioni, ætati & tempeſtati anni. 1. 17
Victus tenuis & exquiſitus in morbis longis ſemper periculoſus. 1. 4
Et interdum in acutis. 1. 4
Valdè tenuis & exquiſitus victus etiam ſanis periculoſus. 1. 5
Ægri magis delinqvunt & læduntur victu nimis tenui quàm paulò pleniore. 1. 5
Tenuis igitur & exquiſitus victus maximâ ex parte paulò pleniore eſt periculoſior. 1. 5
In morbo peracuto & ſtatim extremos labores habente extremè tenuiſſimo victu utendum eſt. 1. 7
Et quanto remiſſior extremis eſt morbus, tanto plenius à tenuiſſimo victu recedendo cibari poteſt. 1. 7
In morbi vigore tenuiſſimo victu ſtatim utendum. 1. 8
Sive vigor morbi ſtatim adſit, ſive tardius accedat. 1. 10
Prius verò uberius alendum, ſub tempus verò vigoris & paulò ante illud ſubtrahendum. 1. 10
Conjecturando cibus ita dimetiendus, ut æger eo perdurare queat, usque ad morbi vigorem. 1. 9
In quolibet paroxysmo cibus ſubtrahendus. 1. 11
Et in qualibet periodica morborum exacerbatione. 1. 11
In qualibet faucium ægritudine & internis apoſtematibus, ſi excrementa ſunt ſanorum ſimilia, tutò corpus ali poteſt. 2. 15
Famelica conſtitutio ſolvitur potu vini. 2. 21
Corpulentiâ febricitantium conſtanter permanente, aut plus juſto colliqueſcente, malum. 2. 28
Illud denotat morbi longitudinem, hoc imbecillitatem. 2. 28
Belle à morbo comedendo ſi corpus non proficiat, malum. 2. 31
Ut plurimum omnes malè habentes initio cibum quidem benè ſumentes, at nil proficientes, tandem cibum rurſus faſtidiunt. 2. 32
E contra initio valdè cibum averſantes, poſtea verò benè appetentes melius evadere ſolent. 2. 32
Partes ad umbilicum & imum ventrem pertinentes in quibusvis morbis valdè tenues & tabefactas eſſe, pravum. 2. 35
Craſſitudinem autem habere melius. 2. 35
Naturâ valdè craſſi citius moriuntur quàm graciles. 2. 44
Qui ſæpè & vehementer ſine

cauſa manifeſta animo linqvuntur, derepentè moriuntur. 2. 41
Faſtidium cibi extra febrem poſtulat purgationem per ſuperiora. 4. 17
Quilibet febricitantes, ſi ullam hæmorrhagiam patiantur, in refectione ſuâ ventre humectantur. 4. 27
Frigida ingeſta veluti nix & glacies pectori ſunt inimica moventque tuſſes, deſtillationes, & ſangvinis fluxiones. 5. 24
Sitis nocturna melius eſt redormiſcendo ſedari. 5. 27
Mulieres præter naturam tenues abortiunt. 5. 44
Gravida febre correpta, & ſine evidenti cauſa extenuata, difficulter & periculosè pariunt vel abortiunt. 5. 55
Tabidis & præter naturam extenuatis non admodum febricitantibus lac confert. 5. 64
Faſtidium cibi in morbo diuturno, malum. 7. 6
Ut & in longis inteſtinorum difficultatibus. 6. 3
Fames corpora ſiccat, & conducit humidâ carne præditis. 7. 59
Cibus valenti robur, ægrotanti morbus. 7. 65

Confortantia autem alimenta quod attinet, quæ nimirum corpus extenuatum reſpiciunt, ea peti debent è culina, medicamenta verò, ea debent eſſe cordialia & ſtomachica nec non ſpirituoſa, quale præ omnibus aliis eſt vinum generoſum, quod adhuc in ſtomacho exiſtens totum corpus mirè roborat & exhilarat.

Sunt autem ſimplicia cordialia calida:

Herbæ, meliſſæ, ſcordii, roriſmarini, carduibenedicti, ocymi, veronicæ, cardiacæ, menthæ &c.

Flores anthos, liliorum convallium, calendulæ, tunicæ, meliſſæ, lavendulæ, ſalviæ.

Semina citri, kermes, ocymi, juniperi.

Aromata culinaria pleraque ſcilicet cinamomum, cubebæ, caryophilli, crocus, macis, nux moſchata, moſchus, ambra, zibetha.

Frigida: roſæ, violæ, nymphæa, ſuccus citri, granatorum, limonum, poma odora, ſantala, terra ſigillata, bolus armenus, margaritæ, coralla, gemmæ &c.

Ex his varia parantur compoſita, & præparata, excellentiora autem proponit

TEXTUS.

CONFORTANTIA ſunt:

I. *Sal perlarum* (q) & *magiſterium earundem, doſ. à gran. VI ad X. vel XX.* (NB. *in notis ad Crollium ne excedas gran. XV.*) Sal perlarum.

(q) Quum margaritæ pro pauperioribus & tenuioris fortunæ hominibus nimis magni ſint precii, in eorum locum in ejusmodi caſibus ſumi poſſunt matres perlarum ſeu conchæ, in quibus uniones reperiuntur, non multum enim viribus

ſunt

ſunt inferiores, poteſtque eodem modo ſal ex eis ut è margaritis parari.

Si verò etiam hæ conchæ haberi nequeant, accipiantur earum loco cochlearum & oſtrearum teſtæ, lapillive oculorum piſcium, & in aceto deſtillato, mundatæ prius optimè, & reverberatæ ſi opus ſit, ſolvantur. Hæc ſolutio ad ʒj. datur in menſium profluvio cum vino, quæ doſis quotidiè ſemel per unum vel alterum diem reiteratur, ſi verò menſtruum evaporetur ad ſiccitatem ſalis, tunc ſufficit ℈ſ. ad ℈j. pro una vice, utrumque mundificat quoque ſangvinem, & lac in mammis auget; in defectu boni menſtrui ſolventis poſſunt tantummodò calcinari ad albedinem, & in majori doſi exhiberi, inſerviunt etiam ad alios affectus, ſed in aliis vehiculis pro morbi exigentia aſſumi debent, nimirum ad dyſenteriam & diarrhœam cum miva cydoniorum ad confortandum cor cum aqua cinamomi.

Syrupus perlarū.

II. *Syrupus perlarum: præparat Quercetanus ſyrupum è corallis, qui confortativus quoque cenſetur, ad cujus imitationem fieri poteſt ſyrupus è margaritis, ſi cum ſucco limonum depurato ad Authoris mentem digerantur & ſolvantur perlæ, & ex ſolutione fiat ſyrupus, ſicut etiam de ſyrupo corallorum docet.*

Arcanum perlarum.

III. *Arcanum perlarum: doſ. gran. XV. XX. propter ſpiritum guajaci, quo præparatur, ſangvinem egregiè purgat in lue venerea.*

IV. *Sal corallorum.* Sal corallorū.

V. *Magiſterium corallorum.* Magiſterium corallorū.

VI. *Tinctura corallorum: doſ. à granis VI. ad X. vel XV. vide notas ad Crollium.* Tinctura corallor.

VII. *Elixir proprietatis Paracelſi* (r) *doſ. à gutt. VI. ad XXV. in convenienti vehiculo, vide notas ad Crollium.* Elixir proprietatis.

(r) Cum elixiris proprietatis modus Paracelſicus vulgò non notus ſit, variæ ſunt ejus præparationes in uſu, quarum hæc non infima eſt: Elixiris proprietatis modus ſingularis.

℞. Aloë Socotorinæ ℥iiij. myrrhæ elect. ℥j. croci ℥j. fiat pulvis, ſuperfunde ſpiritum ſequentem, digere in fiola benè clauſa per menſem in arena calida, movendo quotidie, tandem cola, & parumper exprime, hinc etiamnum per menſem probè obturatum, ne reſpiret, digere, ac deinde filtra & ſerva.

Spiritus ſolvens ita paratur; deſtillabis ſpiritum vini non ex fæcibus ſed è vino ipſo, & optimè rectificabis, cujus ℥xxx. conjunge cum ℥iiij. ol. ſulphuris per campanam, mixturam digere per quatuor dies, ut exactè uniantur, deinde totum per retortam deſtilla, & ſpiritus paratus eſt, ſuperioribus ſuperfundendus.

Uſus & vires

Hoc elixir conſervat à putredine, valet in morbis epidemicis, affectibus hypochondriacis, & hyſtericis, prodeſt

prodeſt ſtomacho &c. doſ. gut. XV. ad XXV. in vino, vel juſculo carnis.

Oleum cinamomi.

VIII. *Oleum* (s) *cinamomi; doſ. à gran. iij. ad IV.*

(s) Ex oleo hoc & ſacharo candidiſſimo fit elæoſacharum cinamomi, mirè cor & cerebrum roborans. Efficaciſſima etiam eſt aqua cinamomi cum generoſo vino parata, præſertim ſi aliquot guttæ ſpiritus ſalis armoniaci, cujus confectio infra cap. 8. docebitur, admiſceantur, talis enim mixtura ſpirituoſiſſimum odorem antequam ori infundatur, in nares vibrat, totumque cerebrum, nec non partes vitales illo efficaci odore roborat, & cor valdè recreat, & melancholicis ſolamen affert.

Balſamus cinamomi.

IX. *Balſama confortantia, de quibus Crollianæ notæ videantur. Balſamus cinamomi ſic fit: ℞. olei nucis moſchatæ per expreſſionem parati q. v. tincturam cum ſpiritu vini extrahe, donec oleum in fundo albidum, & quaſi inodorum reſtet, hoc accipe, eique adde extracti cinamomi ℥vj. & in cineribus calidis ſine, ut in unum corpus abeat, quo facto adjice olei cinamomi deſtillati ℥ij. optimè miſce & ſerva. Doſ. gran. VI. in aqua meliſſæ vel alia cordiali, conſerva vel opiata cordiali. Omnia principalia membra confortat, imprimis ventriculum frigidum, cor & cerebrum, ut & in deliquiis animi ſingulare eſt remedium, ubi cor etiam inungi poteſt.*

X. *Aurum potabile Anglicum.* Aurum potabile.

XI. *Aurum* (t) *transparens, de quo Rhenanus in libro de ſole è puteo emergente.*

(t) Huc pertinet etiam aurum diaphoreticum, quod in appropriatis vehiculis aſſumptum cor confortat, & ſudorem pellit, ejus autem paratio hæc eſt:

Primo deſtilletur ſpiritus nitri è nitro ab omni ſale communi clarificato, cujus cape tres partes, atque unam partem ſalis communis ex ipſo nitro educti, nullum enim nitrum paratur, in quo non bona pars ſalis communis in coctione & clarificatione nitri ſeparetur, quæ ſalſedo in forma liquaminis fimetorum apparet, coquitur autem, donec omnis aquoſitas evaporet, reſiduum igne aperto calcinatur ad aliqualem albedinem. Deinde aquâ communi ſolvitur, filtratur, & rurſus congelatur in ſalem album elegantem, qui vocatur ſal centralis, eò quod ſemper in intimo quaſi nitri centro deliteat, nitrum quoque è terra, quæ verum mundi centrum & baſis eſt, excoquitur, hujus centralis ſalis una pars ad tres præfatas ſpiritus nitri partes accipitur, ac in cucurbita vel retorta vitrea ſpiritus nitri à ſale deſtillatur per arenæ calorem, & hoc modo ſpiritus nitri mutatur in ſpiritum ſalis, qui jam aurum ſolvit, argentum verò non arrodit, ante abſtractionem autem hanc à ſale

centrali ſolvebat argentum, & aurum integrum relinquebat, idem etiam præſtat vulgaris aqua fortis abſtracta per deſtillationem à ſale communi vel gemmæ, nosque aliàs aurum ita ſolvimus, verum heſc edoctum ſpiritum ſalis aurum longè aliter ſolvere, quàm fiat vulgari modo communicator ſanctè affirmabat: in hoc ſpiritu ſalis ſolve in calore tantum auri, quantum in eo ſolvi velit (quod ob certas rationes ita fieri oportet) ſolutione factâ ad manus habeas oleum tartari per deliquium, ut vocant, è calcinato tartaro in cella paratum, & filtratum colore ſpadiceo, quod guttatim in ſolutionem auri inſtillatur, & una vice aurum præcipitatur ad fundum ſpecie terræ cujusdam flavæ, ſpiritus autem ſalis & oleum tartari colorem aquæ comunis aſſumunt, quæ tunc decantantur, aurum verò ab omni acredine edulcoratur, & ſine calore exſiccatur, ne fulminet, doſ. gran. VIII. X. ad XV. imò XX. cum competenti vehiculo.

Aqua confortativa. Aqua magnanimitatis. Ambra rectificata.

XII. *Aqua confortativa.*

XIII. *Aqua magnanimitatis de qua in medulla deſtillatoria lib. 2. tr. VIII.*

XIV. *Ambra rectificata, quâ ſæpius uſum fuiſſe Rudolphum Imperatorem ajunt, ejus compoſitionem ab Eliſabetha Regina Angliæ accepit, quæ talis eſt: ℞. ambræ griſeæ puræ & probæ partes VIII. moſchi odoratiſſimi partem unam, ſachari albiſſimi partem ſemis, omnia pulveriſata cum ſpiritu roſarum ardente terantur optimè diutius, ſæpius aliquid de ſpiritu roſarum affundendo, attemperando, & rurſum paulatim reponendo, ut quaſi ſicceſcat, hinc rurſus ut prius teratur, & ad uſum ſervetur. Doſis inſtar piſi minoris in vino vel alio liquore conveniente. Eſt omnium viſcerum confortativum maximum, & imprimis vim procreandi promovet.*

XV. *Spiritus fuliginis cum oleo ejusdem, qui talis eſt: ℞. fuliginis ex caminis elegantis & ſplendentis inſtar ſuccini nigri* (Spiegel-Ruß) *quò propior adhæret fornaci, eo melior eſt, ejus* ℔. *q. v. imple eo retortam vitream benè loricatam, vel etiam terream usque ad collum, & appoſito receptaculo capaciſſimo deſtilla gradibus ignis aperti ab initio lentis, poſtmodum fortioribus, ut phlegma, omnes ſpiritus albicantes, oleumque ſimul primò flavum, ultimò rubeum tranſeat, unde phlegmate per tritorium debile ſeparato ſpiritum cum oleo aliquandiu in digeſtionis igne digere, poſtea affunde medietatem ſpiritus vini, & deſtilla (ſæpius) prodit cum ſpiritu vini ſpiritus fuliginis, & ſimul etiam oleum rectificatiſſimum, odorem habens inſtar camphoræ. Caput mortuum calcina, & exinde extrahe ſalem* Spiritus fuliginis.

ſalem more communi, quem reſerva tanquam præſtantiſſimum curativum in cancro exulcerato Hic ſal extrahitur cum aceto, inque liquorem in loco humido frigido rurſum ſolvitur, eoq; poſtea cancroſa ulcera ſemel atque iterum inungantur, venenoſitas inſtar vaporis viſibiliter extrahitur. Tandem verò oleum ſupradictum leni aſpergine ſæpius illitum cruſtam inſtar cuticulæ ſupra inducit, quæ ſponte ſpacio quinque vel ſex dierum cadens ulcus conſolidatum eſſe indicat. Doſis ſpiritus eſt à granis ſex ad ſemiſcrupulum; olei à guttis ij. ad iij. exhibentur in vino vel alio vehiculo convenienti. Ejus guttæ tres agonizanti in aceto exhibitæ mirabiliter eum refocillando exſuſcitant. Unde & hanc δοκιμασίαν imminentis mortis animadvertere licet. Si ſudor poſt exhibitum oleum copioſius emanarit, ſignum indubitatum ſanitatis & convaleſcentiæ erit, ſin ſecus, mortis. Quod ſi cum fuligine vulgari noſtrate fuligo laricis, vel etiam quercus miſceatur, exindeque more uſitato eliciatur oleum correctum, multum id præſtabit in caduco & contractura, ſyncopen & lypothymias arcendo ſolvit, ſpiritusque animales vehementer excitat & corroborat.

XVI. *Eſſentia margaritarum, quæ ſic fit*: ℞. *ſalis perlarum per acetum facti q. v. affunde ſpiritum vini rectificatiſſimum ad eminentiam trium digitorum, & vaſe hermeticè clauſo illud ad digerendum in cineres calidos loca ad octo vel decem dies. Perlæ eo tempore eſſentiam inſtar olei ſpiſſi ad ſuperficiem ſpiritus vini remittunt. Hoc oleum per inclinationem ſepara cum ſpiritu vini à ſubſidentia, inque vaſe benè clauſo ſerva. Remanentiæ olei ſpiritum vini recentem affunde, & ut prius digere, ac toties eſſentiam collige, cum priori conjunge, quoties viſum fuerit. Eſſentiam omnem collectam in cucurbitam inde, & lentiſſimo igne ſpiritum vini evoca, donec in fundo inſtar olei eſſentia remaneat. Hæc eſſentia datur à guttis ſex ad decem in conſerva, opiata vel decocto quocunque, utiliſſimè verò exhiberi poteſt cum ſequenti mixtura.* Eſſentia margaritarum.

℞. *ſeminis meliſſ.* ʒj.
lactuc. ʒſ.
aq. fœnic. ℥x.
roſar. ℥jv.
f. emulſio, cujus ℞. ℥jv. *eſſent. perlar.* ℈ij. *m. dentur cochl. iij. vel plura (cochl. 1. manè & veſperi, vel tempore quocunque neceſſitate urgente.)*

Quod ſi cui dicta operatio nimis laborioſa videatur, is è citri malis abjectis corticibus ſuccum exprimat, eumque in MB. ut depuretur per aliquot dies detineat. Tunc ℞. perlas contuſas vino albo lotas, in matracio affunde ſucci dicti ad eminentiam quatuor digitorum, in cineres calidos loca per octo horas, videbis perlas ſolvi, & quaſi in liquorem butyraceum converti. Huic affunde rorem majalem deſtillatum, vel aquam meliſſæ, ut ſolvatur in ea ſolutio perlarum, aquam effunde, iterumque affunde ſucci dicti q. ſ. digere, affuſaque aqua quod ſolutum aufer. Hunc laborem toties repete, donec penè totæ ſolutæ ſint, relictis exiguis fecibus; hinc liquores omnes conjunge, & in cineribus igne lento aquam & ſuccum exhalare permitte: invenies pulverem impalpabilem, in quovis liquore reſolubilem; cujus uſus à granis VI. ad ℈ſ. ex aqua roris majalis cum manna deſtillata, vel ex aqua cinamomi cum aqua roſarum deſtillata aut bugloſſæ, vel ex conſerva corticum vel florum citri.

Liquor hyacinthi.

XVII. *Liquor hyacinthi; qui ita fit: ℞. hyacint. pulveriſ. q. v cum æquali pondere ſulphuris vivi (mineræ adhuc conjuncti, non in magdaleones redacti) miſce, atq; in crucibulo forti cum operculo tecto, ſed non lutato, igne circulari, primùm lento, deinde fortiori, & tandem fortiſſimo calcina, donec ſulphur omne exhalet, & pulvis hyacinthi ex igne extractus non ſpiret amplius odorem ſulphureum. Hinc aquâ communi diligenter lavetur & cum æquali portione nitri præparati ſeu ſalis prunellæ miſceatur, & in igne circulari calcinetur, donec in maſſam cum nitro abeat in igne metalli inſtar rubeſcentem. Hinc in aquam calidam injiciatur, ut nitrum ſolvatur, relicto in fundo pulvere hyacinthi aquâ calidâ eluendo, donec non amplius ſapiat nitrum, poſtea exſiccetur, eique affundatur acetum ſequens: ℞. aceti vini ℔. VI. cinerum herbæ kali ℔j. (ſi herba kali deficiat, fiat acetum terebinthinatum ex aceto & terebinthina per retortam ſimul deſtillatis, oleoque & ſpiritu ab aqua ſeparatis) acetum ſenſim in retortam ſuper cineres affundatur, ne efferveſcat. Hinc in cineribus deſtilletur, fiatque cohobatio tribus vicibus, ſic acetum fit dulce, nec adeò mordax, magnarum tamen virium in ſolvendis precioſis lapidibus omnibus. Hujus igitur aceti affunde pulveri, ut dictum, ad eminentiam duorum vel trium digitorum, & ut ſolvatur in cineres calidos loca per duos dies, materiam ſemper*

per

per agitando. Elapſis duobus diebus tincturam decanta, aliud acetum affunde, & tincturam collige, donec hyacinthi ſint ſoluti, relictis exiguis fecibus in fundo. Solutionem omnem filtra, & ad ſiccitatem exhala, remanebit ſal hyacinthi, ſæpius aquâ ſimplici ſolvendum & coagulandum, donec omnis ſapor aceti abſumptus ſit; aut inſperge in ſolutionem guttas aliquot olei tartari per deliquium facti, ſal ad fundum præcipitatur, quod affuſa quantitate ſufficienti aquæ ſimplicis ab omni acredine liberatur. Uſus ejus eſt ut ſolutionis perlarum.

Acetum terebinthinæ pro extrahendis lapidibus. ℞. terebinthinæ ℔iij. affunde aceti ℔iij. digere, deſtillaque in arena, donec rubrum oleum aſcendat; tunc muta recipiens, ſepara oleum terebinthinæ ab aceto per tritorium, & ſolum acetum ſuper zingibere rectifica.

Extractum kermes.

XVIII. Extractum alkermes, quod ita fit. Grana kermes in ſufficienti quantitate contundantur, ac affuſâ aquâ roſar. q. ſ. acidula reddita cum guttis aliquot ſpiritus vitrioli aut ſulphuris ad eminentiam quatuor digitorum, digerantur in loco calido per dies quatuor, aqua tincta auferatur, aliâque affuſâ tamdiu tinctura extrahatur, donec aqua non tingatur amplius, tincturam in B. vel cineribus deſtilla. Poteſt & idem extractum fieri inſtar aliorum extractorum cum ſpiritu vini: vel ſuccum ex granis maturis ſub prælo exprime, per quatuor dies in B. digere, donec clarus evadat, ſubſidentibus in fundo fecibus, ſuccum clarum decanta, filtra, atque in cucurbita inſpiſſetur, per B. deſtillando; aquam deſtillatam & ſuccum ſeorſim ſerva. Poſſunt enim hæc duo neceſſitatis tempore conjungi, ut inde liquor fiat. Idem ſuccus depuratus ad uſus ſervari poteſt, ſi cum ſachari candidi parte dimidia ad conſiſtentiam ſyrupi igne lento cinerum per B. coquatur. Doſis extracti à ℈j. ad ℈ij.

Aurum potabile Anglicum.

XIX. Aurum potabile Anglicum Franciſci Antonii, cujus præparatio hæc eſt: Primum diſſolvatur aurum finum in aqua Regis ſ.a. (aqua (u) Regis fit ex aquæ fortis ℔j. ſalis armoniaci unciis quatuor, ſimul per retortam in arena deſtillatis) ſolutionem claram in capax vitrum effunde, quod ſit colli amplioris & guttatim infunde oleum tartari (x) per deliquium factum, donec aqua regis clara & alba evadat. Hoc ſignum ſi appareat, calcem totam ad fundum deſcendiſſe certum eſt, ſine adquieſcere per diem, & manè liquore ablato calcem quater

ter vel quinquies aqua communi ablue, eamque leniſſimo igne exſicca.

NB. Cave ne calor ſit excedens, quàm primùm enim calorem (y) ignis ſentit hæc calx, ſtatim concipit flammam, & in auras abit, quare tutius eſt in hypocauſto vel aëre tantùm exiccare, diligenter ſtatulâ ligneâ agitando. Calci adde dimidiam partem ſulphuris pulveriſati, ſimul miſce, & in crucibulo per ignem patentem ſulphur conflagrare permitte, adhibendo in principio ignem lentum, & in fine per horam unam fortiſſimnm, ut calx quodammodo reverberetur, & tenuiſſima evadat, quam in fiolâ optimè clausâ ad uſum ſerva.

Spiritus urinæ.

Jam fiat ſpiritus urinæ: ℞. hominis ſani vinum modicè bibentis urinam, quam in cucurbita benè clauſa in fimo equino, vel alio loco calido per quadraginta dies digere, finito putrefactionis tempore deſtilletur hæc urina ex arena per alembicum, adhibito recipiente ſatis amplo, donec omnis humiditas deſtillata fuerit. Deſtillatum tertiò rectificetur per cohobia à capite mortuo, ut exinde poſtea ſpiritus juſtè eleventur: ex phiola igitur longioris colli cum ſuo alembico & recipiente juncturis bene undique clauſis in arena deſtillatio inſtituatur, & elevabitur ſpiritus inſtar cryſtalli in alembicum, nulla concomitante aquea humiditate. Hæc deſtillatio continuanda, donec omnes ſpiritus aſcenderint. Quod ſublimatione prodiit, aqua pluviali deſtillata ſolvitur, & ex phiola ut prius deſtillatur, idque ſexies repetitur, ſemper novam aquam pluvialem accipiendo. Hinc in phiolam hermeticè clauſam per XV. dies reconduntur cryſtalli, & digeruntur, lento calore balnei, donec in liquorem limpidiſſimum abeant. Huic liquori additur æquale pondus ſpiritus vini, è vino bono facti, & quàm optimè rectificati, & ſimul in balneo per 12. dies digerantur, & uniantur.

Nunc ℞. calcem auri, & ei affunde menſtrui è ſpiritu vini & urinæ facti, ut tribus digitis emineat, in lento calore digere, donec ſangvinis inſtar rubicundum evadat. Tinctura decantata & ſæpius collecta in balneo per aliquot dies digeritur (ex gr. 8. 10. 12.) hinc lentiſſimo calore ſpiritus ſolvens abſtrahitur, adhuc ſemel cohobando. Hinc remanet ſal in fundo cucurbitæ in forma rubicundiſſimi olei ſvavem odorem de ſe ſpargens, in quolibet liquore reſolubilis. Propterea hoc oleum auri potabilis veri ſuccedaneum eſſe poteſt. Eandem ſolutionem ſi

non

non in balneo ſed in arena deſtilles è retorta poſt partem menſtrui primam, cum reliqua ejus parte auri tinctura per alembicum tranſit rubicunda inſtar ſangvinis, relicta in fundo vaſis terra nigra, ſpongioſa, levi. Idipſum autem menſtruum, in quo tinctura auri prodiit, per balneum tepidum ſeparandum eſt, ut oleum auri, in fundo reſtitans ſolum aſſervari poſſit. Hoc eſt illud aurum potabile, quod in Anglia habetur apud Franciſcum Antonium Medicum Londinenſem, unde ſæpius in Germaniam & alia loca allatum. Cujus grana IV. ad VI. vel VIII. modo quocunque exhibita vires mirificè reficiunt, & contra quemvis morbum agunt, plerunque per ſudorem evacuando, licet nonnunquam per ſingula emunctoria noxium expellant.

(u) Optima aqua regis fit hoc modo: ℞. libram unam ſeu uncias XVI. vulgaris aquæ fortis probè argentum ſolventis, ſuperfunde illam quatuor unciis ſalis communis decrepitati in cucurbita vel retorta vitrea, indeque per deſtillationem evoca, & obtinebis liquorem citrinum, qui ex voto aurum ſolvit, ſal verò in fundo cucurbitæ remanens per iſtam abſtractionem immutatus eſt in verum nitrum ſive ſalem petræ, è quo denuò optima aqua fortis & ſal prunellæ confici poteſt.

(x) Spiritus urinæ ſive ſalis armoniaci urinoſus & rectificatus pariter aurum ex aqua regis præcipitat, & quidem multò melius oleo tartari lixiviali, tartarea enim præcipitatio facilè damnum infert, ita ut pars quædam auri in aqua regis remaneat, & cum liquore poſtmodum abjiciatur, uti plurimis contigit, poſt infuſionem olei tartari ſibi imaginantibus, omne ſuum aurum ad fundum deſcendiſſe, abjecto verò ſupernatante liquore ceu phlegmate inutili notabilem ponderis jacturam in reſtante pulvere auri deprehenderunt, id quod à ſpiritu ſalis armoniaci non adeò pertimeſcendum, fulminatione tamen ab illo quod per oleum tartari præcipitatum eſt, non differt, imò vehementius ſtrepit & tonat; in defectu verò utriusque nempe ſpiritus urinæ & olei tartari accipi poteſt ſal tartari clarificatus, & in aqua pura ſolvi, iſtâque ſolutione aurum ex aqua regis præcipitari.

(y) Si poſt præcipitationem mox etiam tantillum pulveriſati ſulphuris adjeceris, nullum amplius periculum erit fulminationis, ſed tutò tunc tuum pulverem aureum ſiccare poteris; nonnulli operosè hunc pulverem per ſe ſiccant, nempe ſine additione ſulphuris, eoque pro diaphoretico utuntur, exhibendo ejus gran. X. ad XX. verumenimverò vulgare ſulphur vel flores ejus virtutem ipſius diaphoreticam nequaquam minuent, ſed potius augebunt, ſi conjunctim aſſumantur.

ALIUS MODUS.

Aurum laminatum in ſpiritu ſalis

ſalis ſolvatur, abſtrahe menſtruum, remanebit calx in fundo, cui affundatur aliud menſtruum ex ſpiritu vini optimè rectificato, & ſale urinæ paratum (menſtruum hoc in leni calore per quindecim dies ſtet, ut uniatur) aurum ita ſolvitur, ut per alembicum cum menſtruo ſimul deſtillari poſſit in arena, qua facta deſtillatione menſtruum leni balnei calore ſeparetur, tincturâ auri in fundo remanente.

Conſummatum. XX. *Conſummatum*: ℞. *caponem vel perdicem ſolum, vel cum parte aliqua carnis vitulinæ in minutiſſimas partes conſcinde, & oſſa in mortario conquaſſa, & in phiolam aptam vitream vel ſtanneam inde, cum pauco cinamomo, &, ſi libet, croco, phiolam exactè claude, & in catinum aqua fervente plenum pone, ignem continua, ut per tres horas bulliat aqua. Hinc carnem exime, & liquorem exprime, qui eſt optimi ſaporis & odoris, ſtatimque congelatur, caro verò eſt dura & inſipida; liquoris cochl. j. vel ij. per ſe, vel cum alio juſculo exhibetur.*

TRACTATUS VII.
DE ANODYNIS.

Anodyna ſunt quæ magnos dolores mitigant, vel ſedant, partim acrimoniam leniendo, partim inflammationis æſtum dolorificum extingvendo, & torporem inducendo, hinc ſub anodynis etiam comprehenduntur narcotica ſeu ſtupefactiva & ſomnifera, quæ magnâ ſuâ frigefactione ſenſum obtundunt, ita ut dolorem minus ſentiat. Quod etiam ab intenſo frigore hyberno contingit, prout quilibet propriâ experientiâ novit, & quotidiè tempore hyemis experitur, ita ut perfrigeratis manibus & pedibus vix quicquam ſentiat, vel odoratu odoret, donec recaleſcat; omnes etiam qui extremo frigore enecantur, demum in ſomnum incidunt, & ita intereunt, hincque manifeſtum fit, etiam ſimplicia narcotica nimiâ ſuâ perfrigeratione ſomnum & ſtuporem inducere, quo ſenſus torpens dolorem non percipit, hinc etiam Hippocrates lib. V. aphor. 25. Modicus inquit) torpor doloris ſolvendi vim haber.

Sunt autem ſimplicia anodyna potiſſimum hæc in uſu: nimirum radices liliorum, althææ cum toto, malva, melilotus, chamomilla, anethum, ſemen lini, fœnugræci, hordei tritici, & eorum farina, medulla panis albi, lac recens tepidum, vitelli ovorum, pingvedo caponum, anſerum, porcorum, oleum dulce ætatis mediæ, amygdalar. dulcium, chamæmelinum, crocus &c.

Narcotica ſunt frigida in tertio & quarto gradu, ut ſunt: lactuca, papaver, nymphæa, ſolanum, mandragora, hyoſcyamus, opium &c. è quibus varia anodyna & ſtupefactiva parantur, at jam in ore omnium eſt lauda-

laudanum opiatum, inventum illud laudabiliſſimum Paracelſi, de quo potiſſimum agit

TEXTUS.

ANODYNA ſunt:

Laudanum opiatum. I. *Laudanum opiatum generale (vide notas in Crollium, & opiologiam de laudano opiato) tam cum opio, quàm ſine eodem, hoc eſt cum ſulphure vitrioli anodyno correcto, & fixo præparatum.*

II. *Laudanum epilepticorum, vide infra de epilepſia.*

III. *Laudanum ſuffocationum, quorum omnium doſis eſt à gr. ij. iij. iiij. ad ſummum, vide infra de ſuffocatione uteri*

Laudanum ſine opio. *Laudanum ſine opio: ℞. limaturæ martis puriſſimæ ſine omni pulvere part. 1. vitrioli Hungarici p. ij. tere & miſce omnia, poſtea in cucurbita ſuperfunde acetum, ut ſuperemineat dimidium digitum transverſum, coque & coagula lento igne arenæ ad ſiccitatem, quo facto urge ignem, ut omnia quodammodo rubeant. Vaſis refrigeratis materiam exime, tere & affunde acetum ad eminentiam trium vel quatuor digitorum, digere donec acetum tingatur, quod fiet intra tres vel 4. circiter dies. Acetum tinctum ſine fæcum perturbatione decanta, alioque affuſo tamdiu tincturam collige, donec acetum non colore tur amplius. In acetum tinctum filtratum inſperge guttas aliquot olei tartari per deliquium facti, & ſulphur narcoticum petet fundum, quod aqua communi ſæpius ablue, donec aqua non amplius acredine aut guſtu vitrioli inficiatur, hoc enim niſi fiat, propter ſalis vitrioli (z) præſentiam nauſeam vel etiam vomitum cauſabit.*

(z) Ejusmodi nauſea vel vomitus provenit à corporali cupro, quod mediante limatura martis è vitriolo Hungarico vel quovis alio cæruleo præcipitatur; talia namque vitriola cyanea nil aliud ſunt quam cuprum à ſpiritibus acidis ſolutum, quibus promptiſſimè ſolvitur, eosque eâdem operâ viciſſim coagulat, ita ut ambo ſalem ſeu corpus vitriolicum conſtituant valdè acerbum ſeu acidum, cuprum enim ex ſua natura pariter eſt acidum, quare ejus vitriolum hujusmodi aciditatem vel auſteritatem retinet, & alia etiamnum metalla imprimis autem ferrum arrodit, donec aciditas ſaturetur, ferrum autem ex ſua natura eſt ſaporis dulcis, & à dicta aciditate facilimè ſolvitur, quam tamen omnino dulcificat, ita ut atomos cupri amplius retinere nequeat, ſed cadere ſinat, quæ ſe ferro ceu itidem metallo affigunt, & cuprea cruſta obducunt, idiotæ verò hactenus falsò putarunt, ferrum hoc modo in cuprum transmutari, atque in Hungaria hujusmodi aquas eſſe, quæ ferrum in cuprum mutent, quod falſum

ſum eſt, verùm tales aquæ Hungaricæ transcolantur per loca vitriolacea cuprea, vitriolumque cupro dives diſſolvunt, & ſecum devehunt, quod poſtmodum impoſito ferro præcipitatur. In hoc itaque proceſſu atomi cupri conſimiliter limaturæ ferri ſe agglutinant, & deinde aceto deſtillato iterum ſolvuntur, & in prædicta tinctura remanent, ſuaque demum ponticitate ventriculum ad nauſeam ſtimulant, niſi crebra edulcoratione omnis acredo cuprea accuratiſſimè eluatur.

Nunc ℞. pulveris ſantali rubei & citrini an. ℥j. pulv. macis, galangæ, piperis longi & nigri an ʒiij. cardamomi majoris & minoris, ligni aloës an. ʒij. f. l. a. cum ſpiritu vini extractum. Extrahe etiam mumiæ Ægyptiacæ & myrrhæ rubeæ an. ℥j. cum aqua cichorii, tincturas diligenter collectas & filtratas conjunge cum ſulphuris narcotici ℥ij. Omnia ſimul in vaſe clauſo per XV. dies calore lento digere, poſtea menſtruum usque ad mellaginem detrahe. Hinc adde extracti croci ʒſ. ſalis ſive magiſterii perlarum & corallorum an. ʒj. m. & maſſa uſui recondatur. Anodynum eſt præſtantiſſimum in omnibus doloribus ad conciliandum ſomnum accommodatum, præſertim intra corpus aſſumptum à gran. VI. ad X. cum conſerva aliqua aut liquore, aut forma pilularum.

Cum non rarò doloris & ipſius individui comitis vigiliarum & inquietudinis tanta ſit vehementia, ut vires ipſæ reſolvantur, nulloque modo niſi ſymptomatibus ablatis morbis ipſis occurri poſſit, imò his ipſis ablatis ſæpius levi cura morbus ipſe tollatur, magna omnino danda opera, ut qui eſt amicus naturæ ſomnus introducatur, ſummum in medicina arcanum, quo introducto dolor & cruciatus enormes plerunque conſopiuntur, ac ſæpè dum quieſcit cum corpore morbus, ſimul dolorum cauſæ extirpantur. Ut igitur eſſentiali aliquo anodyno tanquam theſauro Attalico inſtructus ſit medicus oportet, qui in acie quaſi novaculæ conſtitutus ad illud tempus ad ſacram ſalutis anchoram confugere poſſit. Quod igitur anodyna attinet, ea à Galenicis conſtituuntur Philonium Romanum, Perſicum, Athanaſia magna, Aurea Alexandrina, theriaca recens, trochiſci de alkekengi, pilulæ de cynogloſſa, quæ omnia ſi juſto tempore & debito pondere cum convenientibus exhibeantur, ſæpius magno emolumento ſunt; verùm his omnibus præſtantiora omnino ſunt laudata illa chymicorum laudana, quæ opium principale anodynum ſomniferum, ob omni veneno & impuritate liberum, optimè

corre-

correctum & ſulphur vitrioli anodynum recipiunt, id quod de ſuperioribus affirmari nequit. Unde & horum vis efficacior & uſus ſecurior.

Laudanũ opiatum. *Laudanum opiatum.* ℞. *opii optimi q. v. ſcinde in particulas parvas ac tenues, ac in ſcutella vitrea igne lento cinerum exſicca, donec ſponte ſua in pulverem digitis comminui poſſit, ac benè oleat, ſulphure ſcilicet fœtido, ob quod ab initio valdè fœtet, per exhalationem abſumpto. Poſtea extrahe cum aceto deſtillato ſuperfundendo illud ad eminentiam V. vel VI. digitorum & digerendo in arena per tres dies, coloratum acetum à fæcibus ſepara, filtra, & in balneo deſtilla ad mellaginem, quod iterum ſolve in aqua roſarum, filtra denuo, aquam per deſtillationem aufer, extractum ſerva.*

Extractum croci. ℞. *Etiam croci q. v. extrahe cum ſpiritu vini, ſemper alium ſpiritum vini affundendo, donec non amplius coloretur, coloratus ſpiritus vini per alembicum deſtillatur, ut remaneat extractum in fundo inſtar mellis; jam ergò* ℞. *extracti opii ℥j. ſalis perlar. & corallorum an. ʒſ extracti croci cum ſpiritu vini facti ℈vj. ſive ʒij. m. addendo in fine moſchi ℈j ambræ ʒj. ol. caryophyllorum gut. VI. vel ℈ſ ſerva ad uſus in vaſe clauſo. Doſis à gran IV. ad VI. in forma pilularum deauratarum. Vel in aqua appropriatâ aut ſyrupo de papavere, aut confectione cardiaca, ſi dolor ſit vehemens vel vigiliæ, horis tribus à cœna datur pilula una, nocte mediâ altera, & ſi non remittat, circa diluculum tertia.*

Exterius etiam applicatur unguentum alabaſtrinum. ℞. *hujus ungventi ℥ij. laudani opiati ʒj. m. f. ungventum. Aut ſolvitur laud. op. in aqua ſolatri, roſarum, papaveris rhæad. in ſoluto lintea intinguntur, ut patebit ſuo loco.*

Laudanum aliud: (aa) ℞. *Spec. diambræ ℥j. affunde ſpirit. vini optimè rectificati, ut duobus digitis ſuperemineat, ſtent in infuſione per 14. dies, poſtea tincturæ dimidium effunde, atque adde opii ʒiij. ſtent iterum in infuſione per 14. dies, poſtea quod clarum eſt effundatur, atque lentiſſimo calore ſpiritus vini ſeparetur ad ſyrupi fluidioris conſiſtentiam, extracto huic adde ſolutionis corallorum, margaritarum an. ℈j. ſuccini optimè præparati ℈ſ C.C. ℈j. & affunde reliquam tincturam diambræ ſpecierum & ſtent in loco calido, adde ſub finem moſchi, ambræ an. gr. VI croci ℈ſ. ol. cinam. caryophyll. an. gut. IV. m. doſ. gr. ij. ad iij.* Laudanum opiatum aliud.

(aa) Laudani opiati confectio ab

ab aliis aliter ac variè inſtituitur, plerique opium calore non exceſſivo arenæ vel in ſartagine ſuper prunis ſiccant, ut digitis friari queat in pulverem, ſuoque fœtido & ſtupefactivo ſulphure privetur, poſtea aceto deſtillato vel ſucco limoniorum puram eſſentiam extrahunt, & à fæcibus colant, atque in ſpiſſum extractum redigunt, alii inſpiſſata extracta papaveris rhæad. hyoſcyami & ſimilia addunt, nonnulli opii crudi non ſiccati in calore nec non clarificati ſalis tartari æquales partes accipiunt, & ſpiritu vini conjunctim extrahunt, nil ſibi hoc pacto à relicto opii ſulphure torpefactivo metuentes, experimento edocti ſopores quosvis ſive morbidos ſive opiatos profligabiles eſſe lixivialibus; ac proinde quoque ejusmodi ſoporificum ſulphur non poſſe non addito ſale tartari lixiviorum antesignano cicurari, poſtmodum admiſcent correctiva ſuperius nominata & interdum alia nempe unicornu, lapid. bezoartic. verum, terram ſigillatam & ſimilia, quorum tamen pleraque ſupervacanea ſunt, & precium laudani inutiliter augent, potiſſima enim virtus in correcto opio conſiſtit, & non in tanta addidamentorum farragine, quidam optimam opii correctionem in digeſtione ſtatuunt diutina, ut nimirum per unum vel alterum menſem ſimpliciter in aceto deſtillato, vel ſaltem vulgari roſacea digeratur, demumq; pura ejus ſubſtantia percoletur, exprimatur, & in maſſam pilularem inſpiſſetur. Bifariam tamen ejus compoſitio adornatur, nimirum in conſiſtentia ſpiſſa, ut exinde pilulæ efformari valeant, vel in forma liquida ut lambitivum ſeu electuarium ex ea concinnari queat.

PRA-

PRAXIS CHYMIATRICÆ
PARS POSTERIOR.
CAPUT PRIMUM.
DE CAPITIS DOLORE, Germ. Haupt-Schmertzen.

IUxta morem conſvetum Author noſter ſuam praxin orditur de capite primaria illa parte corporis humani, & quaſi firmamento microcosmi, cujus luminaria: ſunt oculi; aures: poli; planetæ & ſtellæ: harmonia ſenſuum; motus cœli: ratio; influentiæ & virtutes: inclinationes; elementa: corporis principia conſtitutiva; ideò namque homo ſe calefacit, quod participet de elemento ignis, reſpirat, quod particeps ſit aëris, edit ac bibit quod conſtet ex aqua & terra: ejus ver eſt infantia, æſtas juventus, autumnus virilitas, hyems ſenectus, uno verbo, microcosmus iſte in omnibus concordat & harmonizat cum macrocosmo, imò cum ipſo Deo exceptis peccatis, homo enim nihil aliud eſt quàm compendium univerſi, ſive Deus terreſtris, mortalis quidem quoad exteriorem figuram, immortalis verò, & incorruptibilis & intranſitorius, quoad mentem, ſpiritum & animam, ideòque per Deum cœleſtem redimi debuit & deduci ad ſuum regnum ſupernum, cœleſte & immarceſſibile præparatum huic parvo Deo ante jactum Mundi fundamentum, ſecundum enim ſuam æternitatem, non potuit æternum in caduco hoc ædificio terreno manere, ſed oportebat tandem aliquando emigrare ad regnum immortalitatis per portam mortis, quâ autem horâ & temporis puncto, creator omniſapiens eum celavit, ut ſe Dominum omnis Dominii oſtenderet, homoque diſcat eum timere, venerari & invocare, ne verò homo imparatus præruptâ morte abriperetur, pater miſericordiæ præmiſit ſuos nuncios, nempe morbos, qui perpetuò homines tam parvos quàm magnos mortis ſuæ admonent, creavit etiam media, quibus iſti Divini Legati ſive morbi ad tempus placari poſſunt, ut hominem diutius hic manere ſinant opportuniusq; ſpacium ad ſuam præparationem ipſi concedant, nimirum medicamenta, quaſi dicas media capienda mente gratâ, inventa Dei gratioſâ inſpiratione per mul-

torum ſeculorum experientiam, induſtria fidelium obſervatorum humanarum neceſſitatum, qui eum in finem in omnibus ferè palpabilibus creatis, tria diverſa regna conſtituentibus, nempe animale, vegetabile & minerale ſcrutati ſunt, ut optima remedia contra iratum exercitum morborum invenirent, ſuasque obſervationes, præparationes, & experimenta bonâ fide conſignarunt cum deſcriptione cujuslibet morbi, qua facie, quibus ſignis & circumſtantiis fores pulſet, quidque prognoſticandum ſit de ejus adventu, an conceſſurus ſit dilationem vel inexcuſabilem accinctionem ad iter lethale imperaturus.

Horum ex numero quoque eſt ſcriptor præſens celeberrimus candore ſuo multis aliis palmam præripiens Hartmannus noſter, qui omni conatu deſudavit, ut veriſſima & rariſſima quæquæ experimenta brevibus ſcriptis comprehenderet, ita ut nulli alii ſcopo videatur intentus fuiſſe, quàm conſignationi experimentorum medicorum, omittens planè doctrinam illam theoricam cognoſcendorum morborum & eorum ſymptomatum, apud alios evolvendam, hoc verò ne opus ſit, conabimur iſtum defectum ſupplere, & ejusmodi deſcriptionem adjicere, ut tyrones cuncta neceſſaria uno libro comprehenſa ad manus habeant.

Antequam verò id laboris aggredimur, æquum eſt implorare Archiregis gratiam & benedictionem, ipſiusque telonii portorio debitum exſolvere laudis tributum, & humillimum gratiarum actionis vectigal. Te proinde Monarcha immortalitatis ſublimiſſime, ſacroſanctiſſime & omni gloria glorioſior ſupplices proſtrati ante ſcabellum tui Throni thronorum adoramus, rogamusque, ut ne dedigneris ſuſcipere pudendæ noſtræ tenuitatis & indignitatis munusculum, nobisque propitius tuam gratiam & benedictionem clementer largiri, ut noſtrum inſtitutum cedat in glorioſi tui nominis ſanctificationem, tuæ ſanctæ voluntatis præſtationem, proximique noſtri multiplicem utilitatem, ac nemini unquam in damnum, tibi ſoli ſit omnis laus, gloria, honor & gratiarum actio omni tempore, omni die ac nocte, omni hora, omni minuta, omni momento, ſine intermisſione perpetuò & in omnem æternitatem.

Quandoquidem autem Author noſter initium hujus libri à capite faciat, inſtituti ratio poſtulat, ut aliquam hujus partis deſcriptionem præmittamus. Conſtat igitur caput humanum variis partibus tam externis quàm internis, quas præcipuum ejus firmamentum nempe oſſeum cranium comprehendit, quod ideò à voce, κράνος i. e. galea derivari volunt, quòd inſtar galeæ militaris dictas partes firmiter contineat & tueatur. Calva etiam ſeu calvaria nominatur, quia caput capillis privatum, conſpicitur calvum. Cranium hoc in recens natis cartilagineæ videtur ſubſtantiæ, atque etiam per aliquot annos ejusmodi

modi mollitiem ſervat, donec in adultiori ætate duritiem oſſeam aſſumat. Peripheria hæc oſſea ferè ubique gemina eſt, ſeu duplici laminâ conſtat, (intus pumicoſâ quadam materiâ intercedente) externâ nimirum & internâ, quas parietes & tabulas vocant, quibusdam tamen locis tabulatum iſtud ſimplex eſt, pellucidumque ac tenue, omnique privum meditullio, ubi verò geminatur, exteriorem tabulam longè denſiorem & craſſiorem multoque poroſiorem internâ exhibet, hanc verò illâ ſolidiorem & fragiliorem, quam ob cauſam etiam vitrea appellatur, non tamen ubivis loci æquè fragilis eſt, verùm præcipuè ad tempora, ad commiſſuram autem ſuturæ coronalis & ſagittalis tenuisſima, ibique ob faciliorem penetrationem medicamina applicari ſolent; Quamvis autem caput unico cranio contiguo circundatum ſit, os tamen continuum non eſt, ſed è diverſis inter ſe commiſſis conſtat, quorum tamen in omnibus certus numerus non eſt, ſed pro ætatis discrimine variat, ita ut in nuper natis plures, in decrepitis pauciores cranii partes ſeu commiſſa oſſa inveniantur. Communiter autem in media viventium ætate octo advertuntur, quorum duo communia dicuntur, reliqua ſex, propria, ſuntque 1, os frontis, aliàs coronale inverecundum, vel puppis appellatum, 2. os occipitis vulgo Baſilare, 3. 4. duo oſſa ſyncipitis ſeu bregmatis, 5. 6. duo oſſa temporum, quæ etiam petroſa, mendoſa, & ſquamoſa vocantur. Hæc in ſua connexione certas ſuturas efficiunt, quarum tres communiter notiſſimæ ſunt, nempe 1. coronalis, os frontis ab oſſibus ſyncipitis dirimens, 2. ſagittalis, quæ & virgata & jugalis dicitur, hæc media eſt inter ſuturam coronalem & lambdoideam. 3. lambdoides ſeu ypſiloides quia figuram harum Græcarum literarum refert, præter has enumeratas veras ſuturas etiamnum quædam nothæ ſeu falſæ ſunt, propriisque nominibus ab anatomicis diſtingvuntur, qui de hac re videantur. Uſus præcipuus ſuturarum eſſe creditur, ut aura fuliginoſa ex quotidiana nutrimentorum fermentatione in alembicum capitis ſublimans tanquam gas ſylveſtre (ut cum Helmontio loquamur) per has rimulas tranſpirare queat, quibus etiam unà inſutæ meninges cerebri ſuſpendi viſuntur. Hæ meninges ſunt duo velamenta ſeu membranæ cerebrum involventes, quarum exterior meninx craſſa ſeu dura mater nominatur, dotatur hæc in ſubſtantia ſua membranacea aſſurgentibus per latera copioſis venis, & arteriis, venas quidem anterior venæ internæ jugularis ramus ſuppeditat, arteriæ verò ab anteriore atque ampliore carotidis internæ ramo deducuntur, porrò geminum hæc proceſſum conſtituit, quorum qui antrorſum à poſteriore ſede ſupra medium cerebrum protenditur, ſenſimque in modum falcis anguſtatur, eam ob rationem falciformis ſeu falcis nomen obtinuit. Alter brevior licet cerebro cerebelloque limites dederit,

rit, adhuc tum anonymus eſt. Inſeruntur his proceſſibus ſinus ſeu canales alii, quorum præcipuè ſeptem ſunt, iique partim majores, partim minores, horum primus & ſecundus vocantur laterales, atque ad latera ſuturæ lambdoideæ dextrorſum lævorſumque cerebellum conſcendunt. Tertius omnium maximus longitudinalis vocatus ſuperiori falcis proceſſus parti inſeritur, ſurculosque copioſos tam ad meninges quàm cranii medutullium distribuit. Quartus eſt ſinus brevior congreſſusque ſeu commune forum aliorum, procedens inter cerebrum & cerebellũ verſus inferiora. Quintus ſtabulatur in inferiore falcis acuminata parte. Sextus ut & ſeptimus laterales minores nominantur, diſtantes circiter transverſo pollice à dictis majoribus. Altera ſeu interior meninx, quæ & pia mater nuncupatur, proximè cerebrum contegit, eadem, quæ dura, ſibi pervoluta habens vaſa, nempe venas & arterias numeroſas, illam tamen longitudine longè ſuperans ad cerebri interiora ſe profundat, ejusque ventriculos coefformat. Porrò cerebrum cum ſuo cerebello eſt vera microcosmi luna ſubſtantiam habens ſingularem è pellucida ſeminis parte confictam, quâ ſpiritum animalem elaborat, mediantibus venis jugularibus, arteriisque carotidibus ſangvinem ſpiritumque vitalem ipſi advehentibus; dividitur à falcato duræ meningis proceſſu in dextram ſiniſtramque partem, eſtque in univerſum conſpicuæ amplitudinis, atque cum luna cœli creſcente & decreſcente incrementum & decrementum ſuſcipit, ſinuumque diverſam cavitatem exhibet. Cerebellum demum ceu altera cerebri pars, eâdem conſtat albicante ſubſtantiâ, eisdemque vaſis, paucioribus tamen gaudet, minoris quoque eſt magnitudinis ipſo cerebro, pluribusque laminulis more cæparum ſibi invicem impoſitis coagmentatum. Situm eſt intra oſſis occipitis ſinus, & pro officina memoriæ habetur. Cæterum variæ in arce hac cerebrali occurrentes cavernulæ & protuberantiæ diverſa apud anatomicos invenere nomina, uti ſunt: corpus calloſum, ventriculi duo anteriores, inſuperque ventriculus tertius & quartus, ſpeculum lucidum, fornix, nates & teſtes, vermiformis proceſſus, & pons Varolianus, principium medullæ ſpinalis, plexus choroides, nervi olfactorii, cum prima, ſecunda, tertia, quarta, quinta & ſexta nervorum conjugatione, item infundibulum, glans pituitaria nec non pinealis, reteque mirabile. Corpus calloſum portio eſt cerebri ſolidiuscula, ſub ejus diviſione anteriore mox conſpectui obvia, cui ad latera duo ventriculi anteriores ſubſituantur, nimirum dexter & ſiniſter, ſuntque cavitates ſeu ſinus cerebri omnium ampliſſimi, membranulâ tenui undique inveſtiti, & ab ipſo cerebro interſepti tenui quodam interſtitio, quod ob pelluciditatem verſus admotam candelam ſpeculum lucidum appellatur. In medio utriusque ventriculi ſuperius ſe offert

fert *fornix* ſeu *teſtudinea concameratio*, eo quod in morem teſtudinis cujusdam in ædificiis ſinus ventriculorum molemque cerebri deorſum inclinantis ſufferre viſa ſit, tribus ſuffulta cruribus, quorum duo poſtici deorſum verſus cerebri baſin producuntur, ſpinalisque medullæ radicem juxta latera comprehendunt. Tertium fornicis crus anticum ſupra communem dictis ventriculis cavitatem protenſum apparet. Concurrunt heic quoque duo globuli à trunco ſpinalis medullæ efformati ſubcarnei interius, exterius albentes. Hisce leviter diductis verſus anteriora rima notabilis ſe offert, *ventriculi tertii* nomine inſignita. Notantur in hoc meatus bini, quorum anterior deorſum vergit per infundibulum ad pituitariam glandem, quem *vulvæ* aſſimilant. Poſterior *ano* æquiparatus ad dorſalis medullæ principia, (quæ mutuo concurſu ſpacium quatuor protuberantiis conſpicuum efformant inter cerebrum & cerebellum collocatum, ac pro *quarto ventriculo habitum)* exporrigitur. Dictarum protuberantiarum minores vocantur *teſtes*, majores verò *nates*, ſimilitudinariè ita dictæ atque magis in brutis quàm homine diſtinctæ. Medium harum locum occupat *glandula pinealis* ſeu conaria tenui membranâ ſuccincta ſubſtantiamque duriusculam nacta, ſupra quam *plexus choroides* ad ventriculos anteriores protenditur. *Proceſſus vermiformis* in cerebello ventriculum quartum tegit, *pontem* verò *Varolii* dant tubercula varia priori circumpoſita. Nervi à ſpinalis medullæ principio originem ducunt, ſuntque tenues candidique funiculi ſpiritum animalem ſenſus & motus localis authorem ducunt in omnes corporis partes, horum autem omnium uberior doctrina apud anatomicos evolvenda, nos verò ad inſtitutum noſtrum pergamus.

Dolorem itaque capitis quod attinet, à quo Author initium hujus libri facit, intellectam vult per eum paſſionem illam capitis, quæ cephalæa vulgato nomine vocatur, eſtque dolor quilibet cephalicus morboſus, qui non ab externa læſione, per vulnerationem, percuſſionem aut externâ aliquâ vi provenire ſolet, ſed ab internis cauſis proficiſcitur, atque apud medicos triplici nomine ac differentiâ notus eſt, nempe cephalalgiæ, cephalææ & hemicraniæ. Priores duæ ſpecies inutiliter diſtingvi videntur, quamvis quidam cephalalgiæ vocabulum dolori capitis recenti, cephalææ autem inveterato tribuant: ſed quid quæſo ſolatii in diverſis nominibus rem eandem ſignificantibus? ſive enim caput jam dolere incipiat, ſive dudum cruciaverit, unum & alterum tamen eſt dolor capitis, tertiæ tamen aptius propria nomenclatura convenire poſſet nimirum hemicraniæ, differt enim à dictis prioribus, ſemperque tantummodò dimidiatum latus alterutrum capitis occupat, ibique continuo terebrantem quaſi dolorem excitat, ac ſi clavus aliquis malleo incutiatur, propptereaque

Nomen nec non differentia morbi.

vocatur Germanicè der Hauptnagel id eſt clavus capitis.

Diffe-rentiæ. Præter narratam jam differentiam etiamnum aliæ ſunt, alius enim dolor capitis eſt externus, alius internus, nunc eſſentialis ſive idiopathicus, jam accidentalis ſeu ſympatheticus, diverſimodè etiam affligens deprehenditur, nimirum generativus, vel pungitivus vel tenſivus, vel pulſatorius.

Agnitio ſignaque hujus affectus difficultatem non pariunt, nam vel bimulus infans expeditè indicare novit ſibi dolere caput, & qua in parte affligat, qualis verò dolor ſit videlicet idiopathicus vel ſympathicus, difficilius dignoſcitur, meo tamen judicio perrarò cephalici dolores eſſentiales ſive in ipſo capite nidulantes habentur, ſed plerunque ab aliis membris principalibus ſympathicè capiti communicantur.

Pars affecta. Partes affectæ ſunt meninges ſive membranæ cerebri exquiſitiſſimè ſentientes, ac proinde vel leviſſimis ex cauſis atrociſſimis doloribus obnoxiæ, & ad ſuſcipiendos eos promptæ.

Cauſæ. Hujus affectus cauſæ complures ac variæ ſunt, quarum omnium proxima vulgo ſtatuitur ſolutio continui, at meâ ſententiâ ſatis impropriè, quoties enim dolores capitis ex improviſo oboriuntur, ſæpèque etiam leviter rurſus ſopiuntur? quod fieri non poſſet, ſi vel minima & vix atomoſa discontinuitas in dictis membranis reapſe adeſſet, & quamvis quidam gloſſam adjiciant, per ejusmodi discontinuitatem non intelligi ſolutam unitatem, at ſaltem quandam tenſionem, & diviſionem partium nervoſarum & membranoſarum, attamen & hoc locum hic habere nequit absque horrendo ſpaſmo & convulſione epilepticâ, longè ergò mitiores cauſæ ſtatuendæ veniunt in tanta ſenſibilitate dictarum membranarum, ſi enim minima galba ſeu ſyron vel quivis minutiſſimus vermiculus præ parvitate ferè viſum effugiens ſua reptione mox in exteriori noſtra cuticula, quæ tamen vix vigeſimâ parte tantopere ſentit ac meninges, moleſtum pruritum ſcalpendamque titillationem excitat, quid non futurum putemus in prænominatis ſenſilitatis exquiſitiſſimæ membranis omnium minimâ & vix perceptibili moleſtiâ irritatis? Moleſtantes verò ejuscemodi cauſæ internæ & externæ ſunt, internarum idiopathicarum poſſunt eſſe aliquis ſuperfluus mador vel lentor, adeò ut vel nimis, vel non ſatis ſucculentæ ſint meninges, vel quædam obſtructio, quâ perſpirabilitas omnibus particulis communis aliquo modo impediatur, vel quædam debilitas in digeſtione vel distributione, & ſimiles aliæ, ſympathicarum autem præcipua eſt magnetica compaſſio membrorum principalium, nam ſicut magnes trahit ferrum etiam per concluſum vitrum & interpoſitum parietem, & equæ afficiunt equos licet tantoperè à ſe diſtantes, ut per viſum diſcrimen ſexus dignoſci nequeat, ita pariter membra principalia in ſe invicem magnetismum exercent, ita ut

majorem

majorem in partem tales doloroſitates capitis à malè affecto ſtomacho, liene, hepate, felle, pulmone, renibus vel utero excitentur.

Externæ cauſæ ſunt nimia aëris ambientis caliditas vel frigiditas, vel earum ſubitanea viciſſitudo & alternativa pertranſitio è calore in frigus & vice versâ, item radii ſolares & lunæ præſertim plenilunii nudum caput ferientes, cibus pravi nutrimenti, comeſſatio, crapula &c.

Huc etiam pertinent ſequentia graviloquia, ſive aphoriſmi inimitabilis illius Naturæ genii & vatis Medici ita ſcribentis:

Hyems poſt autumnum pluvioſum & auſtralem, gignit capitis dolores. lib. 3. aph. 13

Auſtrina aëris conſtitutio caput gravat. 3. 17

Auſtri gravem auditum, pigritiem & diſſolutionem inducunt & caput gravant. 3. 5

Capitis gravitas ſeu gravedo eſt morbus hyemalis. 3. 23

Excitatur quoque à ſuffitu aromatum. 5. 28

Urina in febribus, jumentorum more turbida denunciat capitis dolorem. 4. 70

In capitis dolore lac eſt nocivum. 5. 64

In dolore poſterioris partis capitis vena in fronte ſecanda. 5. 68

Capitis gravitas ſolvitur à calido ſuppuratorio. 5. 22

Vehemens capitis dolor ſolvitur effluente pure, aquâ vel ſangvine e naribus, vel ore vel auribus. 6. 10

A capitis ictu obſtupeſcentia & deſipientia malum. 7. 14

Sanorum capitis dolor repentinus, cum obmuteſcentia & ſtertore necat in ſeptem diebus. 6. 51

Capitis dolores & ſonitus aurium ſine febre, aut vertigo, aut ſurditas, aut manuum torpor imminentem apoplexiam aut epilepſiam ſignificat. in coacis

Qui in doloribus capitis æruginoſa vomunt, & cum ſurditate vigilant, ii citò vehementer inſaniunt. 1. prorrh.

Utero gerentibus capitis dolores ſoporoſi cum gravitate fientes, mali. 1. prorrh.

Prognoſtica hujus affectus quod concernit, ea partim in citatis jam aphoriſmis continentur, partim ſequenti modo inſtituenda veniunt: Prognoſtica.

Dolor capitis obſtinatus extra febrem in naturis melancholicis vel phlegmaticis metum facit, ne in epilepſiam terminetur, & nihil boni portendit, copulatus verò acutæ febri, concurrente excretione tenuis & albæ urinæ phrenitidis periculum minatur, ob raptam, ut vulgo putatur, bilem, quæ urinam tingere creditur, in cerebrum, quod veriſimile non eſt, tinctura enim ſive color lotii flavus nequaquam eſt à bile, ſed mera ſalſedo in ſeroſitate diſſoluta & transcolata in modum lixivii vulgaris conſtantis ex aqua & ſalſedine cinerum, per quos aqua

tranſcolatur, eamque elixiviando diſſolvit, qua ſibi copioſè unitâ itidem in forma ruffa imò planè puniceâ, ſi valdè forte ſit lixivium, apparet, quod tamen neutiquam à bile provenit, ſed à copioſa ſalſedine, quod pariter quoque ſtatuendum eſt in urina, quod copioſa ſalſedo eam reddat opacam, coloremque ruffum mentiatur, cum tamen iſta ſalſedo poſt ſuam evaporationem omninò alba inveniatur. Homo enim in omni cibo ſalem marinum comedit, qui poſtea non modò in urinam venit, verùm etiam digeſtio humana naturaliter chylum ſalſificat, ſalſedine ſalis armoniaci, cujus copioſâ præſentiâ urina ruffeſcit, in acutis autem ſive calidis morbis adhuc rubicundior urina fit, id quod arguit copioſiorem ſalſedinem tempore febrili in corpore eſſe & pauciorem aqueitatem, cujus cauſa eſſe poteſt, quod calor febrilis non modò plus ſalſedinis producat, ſicuti in calidis regionibus mare plus ſalis continet, quàm in frigidis, ſed etiam majorem partem aquoſitatis evaporare faciat, unde remanentia fit lixivialior, ſpiſſior & rubicundior, uti etiam vulgare lixivium quod ad conficiendum ſaponem ad eam ſpiſſitudinem redigitur, ut ovum impoſitum ei ſupernatet, ob ſuam ſpiſſitudinem rubicundum apparet; quod verò urina inſtante phreniti de aqueam albedinem oſtendat, cauſam ejus eſſe defectum ordinariæ ſalſedinis conjecturandum eſt, idque venire, à collectione quadam catarrhali & apoſtematica in capite, quæ mox incaleſcit, calor vero parit dolorem & inſtar veſicatorii attrahit ſpiritus & humorem corporis ab aliis locis non aliter ac cucurbitulæ calefactæ fortiſſimè imò dolorificè attrahunt, unde quoque non modò ab iſto æſtu pituita capitis liquatur, verùm etiam ab aliis locis attrahitur copioſè in modum illius lymphæ, quæ ab attractione vel per ambuſtionem ignis vel veſicatoria ſe in veſicas colligit, poſtea verò per alias vias defluit ad veſicam urinariam, & non per officinas concoctionis & ſalſificationis, neque vera urina eſt ſed crudum inſulſum liquamen, denotatque ingens damnum & inſtantaneam phreneſin, inſulſi verò medici ſuâ ſtupiditate eam damnoſitatem eo augent, quod non perpendant, tales patientes ob proſtratum appetitum ſæpè per multos dies nihil comedere, ſalemque marinum cum cibis ut tempore ſanitatis non aſſumere, ac proinde neceſſe fore, ut eum cum medicamentis propinarent, homo enim ſine eo diu vivere nequit, aut incorruptus manere, ſicuti etiam recens caro brevi putreſcit, ſale verò probè conſperſa & ſalita ab omni corruptione vindicatur, ita ut ſale conditi piſces vel carnes ad aliquot annos pro cibo aſſervari queant, ſed mirum quàm altum ſit in omnibus libris medicis de tantoperè neceſſaria notela ſilentium.

Sed ut ad prognoſtica redeamus, quivis dolor capitis vehemens cum febre junctus periculoſus eſt, præſertim ſi ſimul extrema frigeſcant, ingenti enim capitis æſtu ſpiritus ab extre- *Progno-ſis.*

extremis retractos eſſe ad locum affectum, ibidemq; lethalem inflammationem accendere ſignificat. Si verò ejusmodi dolor fortis repentè quieſcat absque aliqua notabili evacuatione, morbique imminutione, mortem denunciat, ceſſat enim facultas animalis, nempe ſenſatio doloris.

Dolor autem qui tempore criſis accidit, & ab initio morbi non fuit, metuendus non eſt, utut moleſtus & perturbativus, criticum enim motum naturæ ad hæmorrhagiam vel vomitum expulſivum cauſæ morbi denotat.

Verùm ſi in declinatione morbi alicujus inferiorum partium dolor capitis fortis & increſcens oboriatur, nullaque excretio evidens ſuperveniat, apoſtemationem in cerebro expectare jubet, transeunte materiâ morbifica ab inferioribus ad ſuperiora, ibique ſedem figente, ubi dolor percipitur juxta Hippocr. aph. 32. lib. 4. Quibuscunque reſurgentibus ex morbo, ſi quæ pars laboraverit, hic fiunt abſceſſus.

Curatio. Curatio ſequenti modo inſtituenda eſt, ut docet Authoris

TEXTUS.

IN cephalæa ſeu doloribus capitis quibuscunque I. *imprimis uſus aquæ benedictæ ventriculo jejuno ſtatâ doſi exhibitæ multum prodeſt. Vide notas in Crollium.*

II. *Ejusdem affectus quoque eſt ſyrupus ex aqua benedicta.*

III. *Purgatio fit:* (a)

1. *Per diaſenam laxativam.*
2. *Per panchymagogum vegetabile.*
3. *Radices hellebori præparati.*
4. *Scammon. præparatum.*
5. *Mercurium dulcem.*
6. *Mercurium vitæ.*
7. *Flores antimonii correctos.*
8. *Specificum purgans Paracelſi, quod maximè commendatur, vide notas ad Crollium.*

(a) Hic ſubintelligendum non eſt, ut omnia iſta purgativa ſimul ad depellandum iſtum affectum adhibeantur, ſed ſeligendum eſſe unum ex his, prout aptius videbitur.

INTERNA.

Pilulæ caput confortantes ex ladano. *Inter interna referuntur pilulæ capitales non purgantes ſed confortantes ex ladano, quæ ſunt tales:* ℞. *olei camphoræ gran. VI. (oleum camphoræ ſic fit: camphora ſolvitur in olei ſpicæ ana) extracti gummi ladani cum ſpiritu vini facti* ℈j *moſchi optimi gran. iij. m. f. cum aq. majoranæ & mucilagine tragac. pilulæ ponderantes ſingulæ gran. IV. doſ. pil. ij. vel iij. ad ſummum reiteratis vicibus ſi opus eſt; dentur longè à paſtu circa veſperam. His rectè accenſetur ſpiritus vitrioli Philoſophicus in vino exhibitus.*

Dolor tripliciter aufertur. *Cum dolor omnis tripliciter auferatur, 1. iis quæ cauſam doloris*

De Dolore Capitis.

loris tollunt, eique hoc modo contraria ſunt. 2. Anodynis, quæ paregorica cauſam doloris mitigant, conſopiunt & æquabilem reddunt, leniterque rareſaciunt. 3. Narcoticis, quæ dolorem non percipi faciunt: (hæc propriè doloris cauſam non tollunt, niſi per ſomnum fortè, quem interius aſſumpta cauſant, ea mitigetur & concoquatur) dolor vehementiſſimus narcoticum, mitior anodynum indicat.

Si igitur dolor ab intemperie aliqua calida cerebri vel vaporibus calidis exhalantibus fiat, ut in febri, cui occurri poterit præmiſſa evacuatione per clyſterem, ſtatim vena ſecetur, ſi adſit præſertim plethora aut totius corporis intemperies, aut quod magis tantùm affectum ſpectat, applicentur homoplatis cucurbitulæ cum ſcarificatione: imò ea ſæpius reiterata in magnis doloribus eodem die ſine ſcarificatione applicentur. Hinc frontale aliquot anodynum applicetur, quod tale:

Anodynum frontale.

℞. laud. opiati ℈j.
aquar. ſolani.
roſar. an. ℥iij.
aceti roſac. ℥ſ.
m. & pannis linteis iis madefactis applicetur fronti.

Olfaciat quoque æger ſæpè aquam roſarum, in qua camphora ſoluta ſit, & faciem eâdem lavet. Interius dentur quæ intemperiem alterant, humores noxios educunt, quæque vim habent anodynam, qualia ſunt laudana ſupradicta.

Quod ſi hoc modo non cedat dolor, ad veſicatoria accedendum, quæ applicentur ſyncipiti, vel collo prope nucham.

Quod ſi verò à frigida intemperie cerebri vel cum vel ſine materia oriatur dolor, à dictis medicamentis abſtinendum, & ad ea, quæ à practicis vulgò præſcribuntur, accurrendum. Inter maximè ſibi accommodata habeat medicus acetum & oxymel ſcilliticum, aquam florum ſambuci, oleum & aquam pulegii, roriſmarini, anethi & petroſelini, quæ extra applicata præſertim duo poſteriora vel ſola ſæpius, præmiſſis tamen præmittendis, dolorem ejuſmodi ſedant, materiam digerunt & diſſipant, vel ita diſponunt, ut poſtea ab errhinis & apophlegmatiſmis facilè educi & diſſipari queat.

Ad tempora & frontem, nec non ad coronalem ſuturam ſummoperè prodeſt eorum inunctio. Proſunt quoque oleum nucis moſchatæ expreſſum, & balſamus apoplecticus naribus illitus, item cinamomi & ſuccini balſamus. Proſunt etiam vel maximè ſacculi in modum pileoli ex ſerico confe-

confecti, in quibus inſuuntur aromata cum herbis capitalibus, & illi qui ex milii partibus quatuor & ſalis toſti parte una fiunt, capiti quotidiè ter aut quater applicandi, prius tamen calefaciendi.

Et ſi his affectus non cedit remediis ordinariis, poſt aures in parte inferiore excitare veſicas licet, quæ ubi excitatæ, rumpuntur, illisque ſuperimponuntur folia braſſicæ, veſicæ apertæ detinentur, & ſi eas conſolidare animus, inunguntur ungvento albo Rhaſis. Poſſunt etiam, ſi morbus ſit diuturnus & rebellis, applicari ſetaceum, aut cauterium potentiale aut actuale.

Quod ſi ob ventriculi vitium & conſenſum oriatur capitis dolor, isque continuus aut per intervalla affligat, ſæpius detur infuſio croci metallorum vel florum antimonii, (b) *in aqua betonicæ aut menthæ facta. Prodeſt ut & in dolore à frigidis humoribus cauſato mercurius cum auro præcipitatus,* (c) *mercurius vitæ, & panacæa.*

(b) Hisce remediis vomitoriis circumſpectè utendum, eaque ſaltem robuſtis propinanda, in debilibus enim ſæpè ſtomachos adeò invertunt & debilitant, ut nunquam ſe poſtea reficere queant, ſed utplurimum inflantur, & hydropem vel aliud grave malum accerſunt, uti accuratè obſervavimus. Aſt ſi patientes ſunt robuſtæ naturæ, & florentis ætatis, tunc in hoc caſu optimè ſuccedit propinatio vomitivi antimonialis non vehementis, nempe aquæ benedictæ vel centaurii mineralis, vitrum tamen antimonii & mercurium vitæ planè improbamus, ob eorum vehementiam.

(c) Author intelligit præcipitatum illum ſupra inter cathartica mineralia deſcriptum, qui vulgò aurum vitæ audit, & Hercules Bovii, ſi cum additione vitri antimonii confectus eſt, præferimus tamen ipſi longè noſtrum præcipitatum aureum, cujus parationem in tractatu de panacæis mineralibus oſtendimus, quatenus eſt dolor chronicus & à frigidis humoribus cauſatus, ut hic docetur, ſi vero dolor febrilis ut in acutis morbis, ceu peſte, febribusque malignis ſævire ſolet, tunc dictus Authoris præcipitatus vel etiam vomitoria antimonialia optimè operantur, ſi unum ex ipſis mox in principio morbi impotetur, illicò enim bilem doloris iſtius cauſatricem exturbat, & utplurimum brevi à morbo liberat.

Proſunt in talibus etiam vel maximè pulveres groſſi ex aromatibus coriandri præparati, aniſi confect. rotularum diarhodon Abbatis, diamoſch. & ſimilibus facti, poſt paſtum aſſumpti, habitâ ſemper curâ ventriculi (d) *ut & capitis, quod confortandum adoratis balſamis, & aliis tam intra quàm extra aſſumptis & applicatis.*

(d) Benè

(d) Benè hic monetur, ſemper curam haberi debere ventriculi, quorſum etiam ſupra collimavimus affirmantes perrarò dolores capitis eſſe idiopathicos, ſed plerunque ab aliis membris principalibus capiti communicari ſympathicè, ſcilicet à malè affecto utero, vel liene aliisve, quæ tamen plerunque ſuam infirmitatem ventriculo proſtrato vel impurato acceptam ferunt, ideò nos in plerisque infirmitatibus primarium curationis ſcopum dirigimus ad ventriculum cum bono ſucceſſu.

In omni dolore (e) *capitis tanquam arcanum appropriatum aqua verbenæ deſtillata commendatur, quæ ſæpè aſſumpta pondere ℥iv. cum ſpiritus vitrioli gutt. iiij. juvat, ut & verbena tota contuſa, & capiti impoſita vel particula ejus vel tota cum radice collo è filo ſuſpenſa, ut radix ſurſum vergat, amuletum eſt.*

NB. *Verbena primum cum terra, cui adhæret radix, eruenda, poſtea radix prehenſa ipſa per terram ordine inverſo ducatur.*

(e) Multum etiam tribuitur pilulis cephalicis Fernelii. de quibus ipſe aſſeverat, ſibi non obveniſſe aliquam cephalalgiam hemicraniamve, quam uſu iſtarum pilularum non curârit, quarum deſcriptio hæc eſt:

Pilulæ cephalicæ Fernelii.

℞. Aloës optimæ ℥ſ.
pulv. electuar. de gemmis.
trium ſantalor.
roſar. rubrar. an. gr. iij.
cum ſyrup. abſynthii
& violar. an. q. ſ.
f. maſſa pilularis, ex eaque pilulæ, quarum ℈j. pro vice hora 1. vel ij. ante cœnam detur, idque bis in ſeptimana.

Spe. ificum etiam eſt liquor ex radicibus juglandis arboris, primo vere per inciſionem exſtillans, qui bibitus doloribus capitis ſolatium affert, & cum ſucceſſu propinatur.

EXTERNA IN DOLORE CAPITIS.

I. *Epithema ex cammaris.* (f)

(f) Intelligit ſuccum cancrorum expreſſum, & temporibus applicatum, quod teſte Paracelſo optimum eſt in malignis nempe peſte, morbo Hungarico &c.

II. *Spiritus vini optimus, qui valet (quàm maximè) in dolore capitis ex crapula, præſertim ſi teſticuli cum ſpongia in aceto vini, vel aqua communi macerata & expreſſa fomententur.*

III. *Epithema ex zedoaria: pulvis zedoariæ irrigatur cum aqua florum ſambuci (vel aqua communi) roſarum, betonicæ, & applicetur ad nucham debitè.*

IV. *In hemicrania præſertim in clavo à proprietate juvat radix cucumeris (℈j.) cum verbenæ & abſynthii pontici an. p. 1. in vino aſſumpta (in febribus Hungaricis cum aqua roſar. cocta f. epithema)*

V. *Aqua compoſita talis:*

℞. *aquæ roſarum.*
ſambuci an. ℥iij.

cam-

camphoræ ℨij.
moſchi optimi gr.iij, vel jv.
extract. carlinæ ℨſ.
ol. ſpicæ ℨij.

Diſſolve camphoram in oleo ſpicæ, poſtea omnia miſceantur & applicentur in petiis dolenti capiti in magnis & ingentibus caloribus, in febribus verò ab æſtu ſolis applicentur ad tempora & carpum.

VI. *Eſt ſpecificum in doloribus capitis frigidis, quales ſæpè vexare ſolent mulierculas, præſertim ſi credant, ſibi in occipitio frigida cum fluctuatione quadam hærere. ℞. piperis longi (eſſent. pip. long.) contunde in mortario in pulverem craſſum, poſtea extrahe cum ſpiritu vini & ſerva. Uſus talis eſt: fiat ſacculus ex ſuccino albo pulveriſato craſſiusculè, interpaſſetur ſacculus, & in hac eſſentia piperis longi madefactus applicetur calidè ſuturæ coronali (maxime prodeſt) ſi opus eſt, præmittatur evacuatio univerſalis per alvum.*

VII. *In graviſſimis doloribus capitis (cum vigiliis, urgentibus deſtillationibus) recurrendum eſt ad laudanum opiatum, cæteris nimirum nihil proficientibus.*

VIII. *Cancri aliquot fluviatiles aceto roſaceo irrigentur & contundantur, ac emplaſtri loco circumplicentur.*

IX. *Radix plantaginis collo ſuſpenſa dolori capitis à proprietate medetur.*

X. *Hederæ folia mollia cum oxyrhodino torreantur, & fronti temporibusque apponantur, optimum eſt in cephalalgia bilioſa.*

XI. *Verbena, ut ſupra dictum, eſt inſigne ſpecificum intus & extra uſurpata.*

XII. *Nuclei perſicorum cum aqua betonicæ vel verbenæ contuſi & applicati juvant mirabiliter in capitis dolore à cauſa frigida.*

XIII. *Ungventum de alabaſtro:* (g) Ungventum de alabaſtro.

℞. cimarum rubi m. ij.
fol. rutæ p. j.
florum chamomillæ recentium ℥iij.
lapidis alabaſtrini ſubtiliſſimè pulveriſati ℔ſ.
olei roſarum ℔j.
ceræ ℥iſ.
vini albi ℔ij.

Pone in olla vitreata nova per triduum, poſtea ebulliant ad conſumptionem vini, refrigeſcant, addantur albumina ovorum num. iiij. m.

(g) Hæc manipulatio non nihil variat à vulgari modo præparationis ungventi Alabaſtrini, quæ hæc eſt:

K ℞. ſucci

℞. ſucci chamomillæ vel florum
ejus recent. ℥iv. vel v.
ſucci roſar. recent. vel florum
earum recenter decerptor.
℥ij. vel iij.
folior. recent. rutæ hortenſ.
betonicæ an. ℥ij.
rad. althææ recent. ℥ij.

Contunde omnia in mollem pultem & ſuperfunde in vitro olei roſati omphacini vel ſaltem vulgaris ℔iſ. ac per aliquot dies invicem macerare permitte, poſtea leniter coque in B. ad conſumptionem aquoſitatis, tum oleitatem fortiter exprime, eique adde alabaſtri puri ſubtiliſſimè triti, ac denuo invicem aliquandiu macera cum crebra commotione alabaſtri fundum petentis, tandem adjice ceræ albæ q. ſ. nimirum. ℥V. vel. VI. fiatque ungventum; quod omni capitis dolori tam ſympathico quàm idiopathico ſuccurrit.

CAP. II.

DE DESIPIENTIA, SIVE AMENTIA NEMPE MANIA ET MELANCHOLIA, Germ. Unſinnigkeit.

Amentia quid? PEr deſipientiam Author noſter intelligit quodlibet delirium vehemens febrem non habens comitem, ſed citra illam hominem invadens & furibundum efficiens. Quod tamen diverſo planè modo quotidiè contingere conſpicimus, quidam enim dementes ſunt feroces & audaces, ac quemcunque obvium invadunt, miroque robore præditi ſunt, & niſi catenis conſtringantur, plurimos lædunt, quæ dementia propriè mania vocatur; Alii è contra ſunt timidi, mœſtique & homines fugiunt, quæ inſaniæ ſpecies nomine melancholiæ nota eſt.

Quamlibet itaque diſtinctim heîc tractabimus. Mania ergò, ut dictum, eſt delirium bilioſum ſine febre cum furore & audaci ferocia, non eſt tamen phrenitis, quæ pariter furor bilioſus eſt, ſed ab ea diſtingvitur per carentiam febris, in phrenitide enim ſemper acuta febris concurrit, in mania verò nunquam, quoad propriam eſſentiam, etenim ſi maniacus febri corripiatur (uti quidem poſſibile) alia ex causâ id fieri neceſſum eſt, ac non eâ, quæ maniam gignere ſolet, ita ut ejusmodi febris non eſſet productum maniæ, ſed peculiaris morbus, jamque cum duobus morbis ægro confligtandum foret. A melancholia autem differt quoad ſymptomata pathognomica, melancholia enim ſemper conjuncta eſt cum timore ac mœſtitia, mania autem cum furore & audacia. Definitio.

Agnitio hujus affectus per hæc ſigna habetur: æger maniacus eſt ferox, effrenis & trucis aſpectus, ac niſi vinculis coerceatur propria veſtimenta dilacerat & disrumpit, obvios quosque impetit pugnis, ungvibus & dentibus, & inſtar immanis beluæ in eos ferocit, quidam tamen magis ſangvineam complexionem participantes ſunt mitiores, neminemque lædunt, ſed tantum toti interdum in cachinnos ſolvuntur, nonnunquam integras horas continuò blaterant, ſed meras gerras, adeò ut Signa diagnoſtica.

inter

inter mille prolata verba ne unicum audiri queat, quod ullum ſenſum vel intellectualem connexionem præbeat, nec ſemper tutum eſt iſtis mitioribus fidere, quandoque enim alios lædere cupiunt, vel eos conviтiis petunt, uno etiam tempore plus alio ferociunt, juxta incrementa vel decrementa lunæ cerebrum gubernantis.

Melancholica inſania quid? Melancholia verò eſt furor ſive inſania atrabiliaria itidem carens febre, interdum cum omnimodâ, non rarò intervallatâ mentis alienatione, diſtingvitur à ſuperiori per timiditatem & triſtitiam, quibus ſemper hæc paſſio copulatur, ob frigidam qualitatem atræ bilis, ex qua provenit, ejusque obſcuritatem ſeu tenebroſitatem, quâ ſpiritus obnubilat, timidosque & triſtes efficit, quod ſemper tenebris commune, ut timorem & metum incutiant tædiumque pariant, unde ſic affecti abſurda cogitare vel loqui vel operari ſolent.

Signa diagnoſtica hujus affectus ſunt, ut dictum eſt, diuturna mœſtitia timorque, quæ ordinaria & infallibilia indicia ſunt vel præſentis, vel exorturæ inſaniæ melancholicæ, cum conjunctione cogitationum, vel locutionum, vel actionum abſurdarum, atque à ratione conſilioque abhorrentium, omnes etiam melancholici ſunt averſantes converſationis hominum, hilaritatis & recreationis, & econtra ſolitudinem ſectantur, mœrent ſine cauſa, ſuæque ſortis tædio afficiuntur, ſunt deſperabundi, ſuorum negligentes, vitam damnantes, & interdum præ mœſtitia ſibi mortem conſciſcentes; diverſas tamen & varias imaginariarum impreſſionum phantaſias ſibi cudunt, pro diverſitate, minoris, mediocris vel majoris conſtitutionis humoris melancholici, alii enim ſe colluviem ranarum, ſerpentum vel aliam in ventre geſtare, & ad quosvis borborygmos ſeu murmura viſcerum earum coaxationes, vel ſibilos audire perſvaſiſſimi ſunt, alii ſuum naſum ad terram usque pendulum eſſe credunt, ejusque alliſionem ad proprios pedes verentur & anxiè cavent, non nulli ſe vitreos vel argillaceos rentur, & occurſum aliorum vitant, ne allidendo in fragmenta diſſiliant, quidam ſe pro Deo, angelo, rege, vel etiam dudum mortuo habent, milleque alias veſanias perſvaſione ſibi tam obſtinatè impreſſas tenent, ut contrariam ſuggeſtionem à nemine recipiant, vel ad ſaniorem mentem redigi valeant, interdum tamen unicâ ſaltem falſa perſvaſione hallucinantur, & in cæteris ſat rationales ſe præſtant.

Præter hanc etiamnum alia melancholiæ ſpecies, hacque longè vulgarior oberrat, atque innumeros tam viros quàm fœminas fatigat, quæ hypochondriaca dicitur, cujus ſigna ſunt, quod cum mitiori, imò interdum vix notabili inſania crebram moleſtamque cordis palpitationem, dolorem & gravitatem ſiniſtri hypochondrii, frequentes ventris rugitus, murmura & flatus, acidos ructus, & non rarò vomitus inducat, amentiamq; poſt ſumptum Melancholia hypochondriaca.

cibum gravioret, ſed de hac in peculiari agetur capite.

Horum affectuum nimirum amentiæ & delirii fit etiam mentio in ſequentibus aphoriſmis Hippocratis.

Inſania & melancholia fiunt autumno. lib. 3. aph. 22
Item vere. 3. 20
Qui corporis ſui dolores magna ex parte non ſentiunt, ægrotant mente. 2. 6
Deſipientiæ cum riſu ſunt ſecuriores. 6. 53
Serioſæ periculoſiores. 6. 53
Furori dyſenteria ſalutifera. 7. 5
Item hydrops. 7. 5
Nec non mentis alienatio ſive ejus vehemens motus. 7. 5
Hæmorrhoides inſaniam ſolvunt. 6. 21
Nec non varices. 6. 21
Cui vena in cubito pulſat, furibundus eſt & ad iracundiam præceps. 2. epid. 5
Præcordiorum pulſus mentis turbationem vel delirium portendit. 1. præſag. 25
Frequens oculorum motus inſaniam comminatur. 1. 25
Timor & mæſtitia diuturna indicant melancholiam. lib. 6. aphor. 23
Melancholicæ defluxiones efficiunt furorem. 6. 56
Item repentinam linguæ incontinentiam vel ſtuporem. 7. 41
Nec non convulſionem vel cæcitatem. 6. 56
Deſipientia ex multa potatione pernicioſa. 7. 7
Item quæ fit ab ileo. 7. 10
Nec non à profluvio ſangvinis. 7. 9
Ut & à capitis ictu. 7. 14
Atque in vigilia. 7. 18
Cauſatur ab oſſis præciſione. 7. 25
Si à ſomno ſedatur, bonum. 2. 2

Cauſam harum amentiarum quod attinet, nemo hactenus in ea invenienda ſibi ipſi, multominus aliis ſatisfacere potuit, veteres eam ſtatuerunt calidam & ſiccam intemperiem ab humore atrabiliario oriundam, quæ maniam producat, melancholiæ verò cauſam proximam eſſe ſpiritum tenebricoſum, colore nigro infectum, ſuaque opacitate & tenebroſitate timorē & mœſtitiam parientem, at ſi per inſtantiam quæratur, quo pacto ejuſmodi intemperies menti tantoperè hoſtilis & prædominans absque accenſione febris in cerebro ſtabulari queat, cum calor remiſſior febrim producat, quamvis ad delirium pariendum non ſit ſufficiens, tunc etiam Authores graviſſimi hæſitant, quidam reſpondent, ad febrem accendendam requiri calorem fuliginoſum in materia humida exiſtentem, qualis ſit materia febrium putridarum, cujus fuligines ad cor delatæ febrim excitent, ita ut in febri calor ſit quaſi in flamma, in mania verò in pruna, cujus humidum ſit exuſtum & incineratum, nullasque amplius fuligines de ſe exſufflare valeat. Qua tamen reſponſione prior inſtantia neutiquam evincitur, ſed exemplo febris

febris hecticæ plus urgetur, quod illa nimirum majorem humiditatum conſumptionem inducat maniâ, febrem tamen nihiloſecius perdurare ad omnimodam totius humidi radicalis depaſcentiam ac vitæ finem usque.

Alii ad limitandam hanc difficultatem arbitrantur, malignam quandam ac venenatam qualitatem cum dicta ſicca & calida intemperie concurrere, potioremque maniæ cauſam exiſtere, quod tamen ſcrutinioſo ingenio nondum ſatisfacit, præſuppoſitamque difficultatem diluit, qua videlicet ratione hujusmodi intemperies etiam cum malignitate conjuncta non potius febrem, quàm amentiam ſuſcitet, eamque acutiorem, quàm ſi malignitate careret, cum videamus malignas febres etiam ſine notabili caloris exceſſu interficere, quid ergo non perpetrabunt conturmatæ tanto æſtu, qualis in maniacis ſe prodit, adeò ut mediante eo rigidiſſimo aëris hyberni frigori omnes aquas glacianti, omniaque vulgaria olea tota ferè ignea, & ipſiſſimum ignis pabulum per ingentia dolia in ſciſſilem maſſivitatem obrigeſcere facienti, corpus nudum innoxiè objiciant.

Excuſabiles itaque ſunt, qui ad inveniendas in quibusdam incognitâ hucusque abſtruſitate obtectis ſolidiores cauſarum rationes, veterum placitis non ſat fundata ſibi viſis non acquieſcunt, ſed rimando pergunt, philoſophationemque ſuam etiam per ignem cuncta penetrantem inſtituunt, donec aviditati ingenii rerum cauſas cognoſcere felicitatem arbitrantis rationabilius ſatisdent. Quos inter etiam ſunt duo illi mirum in modum, diverſo tamen apud pleroſque reſpectu famigerati viri Paracelſus & Helmontius, quorum hic ſedem animæ ſenſitivæ in ſtomacho tanquam in proprio toro ſtatuit, lienem verò ipſius ſcilicet ventriculi ſolem, coctorem & rectorem exiſtere, inſpirando ipſi fermentum acidum, ciborum digeſtivum, ſuâque innumerâ arteriarum tortuoſitate formare primos animæ ſenſitivæ conceptus, atque hæc ambo membra conſpirare, & conſtituere duumviratum cunctis aliis membris etiam cordi, cerebro, pulmonique imperantem, quoties verò lien alieni quid ſibi irrepſiſſe ſentiat, vel malè ſe habeat, excitare mox per ſuas frequentiſſimas, & fortè quadringentas arterias fortem pulſationem, ad exoticum hoſpitem excutiendum, nō aliter ac in digito ab infixa ſpina durus pulſus concitetur, qui prius latenter & vix perceptus pulſabat, ſicque pulſationem fortem hypochondrii eſſe à liene ſpinoſo, & denunciare amentiam juxta illud Hippocratis: *Quibus vena fortiter pulſat in hypochondrio, his mox mens ægrotat.* Hinc itaque probari, amentiam prodire ex dicto duumviratu, ut & ſomnum & ſomnia, primosque conceptus turbationum formari in ſede animæ, uti pateſcat in eſuriente, cui triſte aliquod inopinato nuntium adferatur, quòd evestigio intercidat appetitus, ſtudiumque nimium prius gravare ventricu-

triculum, poſtmodum verò amentare, opiata ſomnum inducere adhuc exiſtentia in ventriculo, ſemenque hyoſcyami per errorem intrcſumptum maximam peperiſſe inſaniam, etiamnum immorans ſtomacho, ſeipſo ſpectante, eamque eſſe ſanatam per vomitorium intra ſemihoram, vinum inebriare adhuc contentum in repleto ſtomacho, & diverſas inſaniæ ſpecies cauſare, ut unus rixetur, alter ſaltet, alius cantillet &c. eſurientem ſomniare de conviviis, & gravatum ſtomachum parere incubum, eoque palam fieri, omnem phantaſiam formari in ſtomacho, amentiamque nil aliud eſſe quam vigil ſomnium, ac ſedere plerunque in hypochondrio, & ſi ſit absque materiali errore, dare ſaltem impreſſionem ſive ideam dementem ſæpe per vitam durantem, imò ad poſteros traducem, velut maculam à prægnante fœtui impreſſam, ſi verò ſordes ſimul adſint, provenire inde febrem & delirium febrile.

Verumenimverò licet omnia hæc concedantur, nondum tamen inde ſat eluceſcit, ubi ſint diverſa diſtincta diverſoria febris & amentiæ, undeque huic aliàs toti ſtolidæ tantum judicium, ut opportunius noverit diverti in nitido maniaco, quàm ſordido febrili hoſpitio.

Paracelſus verò potiſſimam cauſam veſaniæ & furoris tribuit quibusdam ſpiritibus in natura oberrantibus, quos phantasmata vocat, eosque nec cœleſtes nec infernales eſſe aſſerit, inviſibiles tamen, & prope homines libenter verſantes more canum, hominisque nimium in phantaſia ſe profundantis menti ſe ingerentes, & amentantes.

Hæc cum captum noſtrum transſcendant, in medio relinquimus, malumusque cum cæteris cauſam genuinam neſcire, quàm ſupra vires ſcrutando inſaniâ periclitari.

Maniæ igitur cauſam quod attinet, aliquid ſupernaturalis interverſari opinamur, naturaliter enim vix fieri poteſt, ut nudum corpus humanum majori ex parte materiâ glaciabili conſtans hyemis frigidisſimo tempore diu inglaciatum vel non perrigeſcens perduret, quod tamen maniacis nihil incommodi affert, ſed atrociſſimum frigus dies noctesque etiam ſuper gelidiſſimo marmore nudi ſupinantes absque damno perferunt, atque inſuper tactu calidi ſentiuntur. Cum tamen videamus animalia etiam frigori aſveta, & contra illud pelliceis quaſi ſeu pellibus ſpiſſis villoſis vel plumis munita tantum frigus vix diu ſine læſione ſuſtinere, ſed tepida ſtabula requirere, aves ſe occultare, vel in calidas regiones ſecedere, ipſasque feras in luſtra & ſpeluncas ſe abdere, aquas in glaciem concreſcere, panem, ova, poma, carnesque glaciali duritie imperſecabiles fieri, & nil ferè contra gelu perſiſtere præter ſpiritus igneos, ut ſunt ſpiritus vini, ſpiritus nitri, vitrioli, ſalis, urinæ, aqua regis, fortis, & ſimilia. Percipimus etiam in Evangelio, complures morbos acceptos ferri ſpiritibus, ſicuti lunaticus ille Marc. 9. caduco laborans, & ſæpè in ignem

&

& aquam cadens & ſpumans, mor bum ſuum habebat à quodam ſibi inhabitante ſpiritu, quem Chriſtus vocat ſpiritum mutum & ſurdum Et Luc. XI. iterum ſpiritum è muto ejecit. Item Luc. XIII. mentio fit fœminæ per 18. annos ſpiritum infirmitatis habentis, qui ipſam fecerat incurvam, ut ſe non poſſet erigere. Quidni ergò etiam adhuc hodie permittente Deo morbi quidam à diverſis ſpiritibus effici valerent, huncque ejusdem primordii participem eſſe poſſe.

Melancholiæ autem ſtabulamentum in hypochondriis eſſe, ejusque cauſam terreſtrem quandam fœculentiam ac frigidam ſiccam intemperiem exiſtere, non obſcurè elucet, cum ex ejusmodi diæta, aëris conſtitutione, & auxilii genere certis periodis & intervallis exacerbetur & remittat.

Prognoſis. Prognoſis horum affectuum partim continetur in ſuperioribus aphoriſmis, partim verò in hunc modum experientiâ deprehenditur: Quod nimirum mania ſit morbus non quidem lethalis, at vehemens, & ob deformationem Divinioris partis nempe mentis, & diuturnitatem planè horribilis, durans per menſes, annos & ſæpè per totam vitam, ac medicamentis hactenus notis vix ullatenus cedens, cujus difficultas plurimum augetur defectu rationis, quo ægri ad ſalutem ſuam cooperari & obtemperare nec norint nec velint. Facilioris tamen curationis eſt, quæ fit cum riſu quàm quæ ſtudio, ſolviturque ſpontaneis ſudoribus prodigis, fluxibus alvi, hæmorrhagiis infra vel ſupra & varicibus.

Idem ferè etiam de melancholia prognoſticandum venit.

Curatio. Curationem tradit ſequens Authoris

TEXTUS:

In ejusmodi caſibus (a) I. *exhibeatur cæteris paribus aqua benedicta.*

(a) Videlicet in qualibet deſipientiæ ſpecie.

Luna potabilis. II. *Succus Lunæ viridis* (*aliàs liquor lunæ & luna* (b) *potabilis, qualis quidem haberi poteſt. Vera enim lunæ tinctura non habetur niſi per menſtruum univerſale*) *qui fit hoc modo:*

℞. *ſalis tartari optimè purificati partes duas, terræ ſigillatæ albæ partem unam, pulveriſentur in porphyrio tenuiſſimè, poſtea in crucibulo ſuperius operculato* (*cum luto*) *gradibus ignis ab initio obſervatis, in furno anemio ita ſtatuantur, ut tandem igne vehementiori ad fluxum quaſi usque per horas 24. maneant* (*propter terram ſigillatam non fluit materia, ſed quaſi fluere videtur*) *ubi refrixerint omnia, ſal tartari reperitur in crucibulo inſtar vitri viridis, hoc exime, & tenuiter reduc in pulverem. Hujus* ℞. *partem unam, calcis lunæ finæ per aquam fortem ſolutæ, & communiter*

niter

niter per cuprum præcipitatæ (in aquæ copia) ac diligenter poſtea ab omni acrimonia liberatæ partes duas, miſce curioſè invicem, denuò in pyxide vel tigillo cæmentatorio perlutato pone in arenam, & ſubminiſtra ignem à primis gradibus lentum, poſtmodum etiam fortiorem ſubtus & ſupra, ut vaſculum candeat, & cæmentetur materia per 12. horas, ita tamen ne fluat, & ſi fortè fluxerit, laborem denuò repete.

Refrigeratis vaſis exime totum illud, & ſubtiliter tere, & in cucurbita lati fundi affuſo ſpiritu vini optimo extrahe rubedinem (rubedo non eſt à lunâ, quæ tantum cæruleum vel viridem colorem continet, ſed à tartaro) per dies 6. 7. vel 8. Decantato hoc ſpiritu vini alium affunde, & in digeſtione ut antea repetitis vicibus rubedinem vel flavedinem extrahe. Extractiones omnes ſerva, luna verò in cucurbita poſt extractionem rubedinis apparebit cærulea aliquantulum. Hanc igitur paulatim exſicca, & in marmore terendo in pulverem reduc, ſerva diligenter. Extractiones verò rubeas collectas deſtilla per balneum, & prodibit ſpiritus vini, rubedo verò tota manebit in vitro inſtar ſangvinis. Hanc cum lunâ illâ cæruleâ reſervatâ tere minutiſſimè, & cum iis junge vel miſce duplum ſilicum calcinatorum (quod fit ſi igniti aliquoties in aqua extingvantur) diligenter miſce, & ex ſublimatorio fictili, ſeu cucurbita humili ad ſublimandum pone in arena, obſervatis gradibus, igne tandem vehementiori, & aſcendit ſeu elevatur luna tota cærulea inſtar ſaphyri, remanente in fundo ipſius corpore craſſo nigro.

Hanc nigram materiam diligenter exemptam tere in marmore, & aquâ calidâ aliquoties elue, poſtea moderato igne calcina (in vaſe terreo) ut abeat in calcem leviſſimam (ut in calcinatione antimonii ſemper movendo ſpatulâ) ex hac calce cum deſtillato antea à rubedine ſpiritu vini ad ſupereminentiam trium vel quatuor digitorum ſuperfundendo illum extrahe, ſal digerendo ſcilicet per tres vel quatuor dies in balneo optimè clauſo vaſe Lacteſcente aliquantulum ſpiritu vini, hunc ſpiritum aufer à fecibus, & perge calcinando & extrahendo, donec ſatis eſt, hoc eſt donec nihil amplius ſalis prodierit, nec lacteſcat ſpiritus vini. Extractiones omnes collige, & ſpiritum vini inde evoca deſtillando in M. B. donec circiter quarta duntaxat pars totius in fundo relicta fuerit. Pone hanc in locum frigidum humidum, &

ſal lunæ translucens inſtar cryſtalli ſuccreſcit ſeu granulatur. Spiritum vini reliquum collecto priore ſale denuò ad quartam usque partem deſtilla, & ſal granulatum viciſſim collige, & ſic perge, donec omne ſal collegeris. Salia collecta omnia diligenter exſicca & ſerva.

℞. tunc cœruleæ lunæ ante ſublimatæ & elevatæ partes duas, ſalis jam collecti partem unam, tere in marmore invicem, & per retortam igne arenæ deſtilla in oleum, vel liquorem cœruleum lunarem (aliquantulum vireſcentem) quem liquorem collectum diligenter ſerva. Ejus doſis eſt à gutt iij. ad IV. in convenienti vehiculo, in omnibus affectibus capitis, præſertim in phrenitide, melancholia hypochondriaca, paraphrenitide, maniâ, apoplexiâ, paralyſi, epilepſia, memoriâ deperditâ ſeu debili, vertigine, catarrho &c.

Principale certiſſimum & probatiſſimum (c) *remedium in omnibus affectibus cerebri, hoc mirabiliter reſtituti per annos multos catenis conſtricti.*

(b) Plures ſunt modi argentum ſive lunam redigendi in potabilitatem ſeu liquorem medicinalem in aliis vehiculis propinabilem, vehicula enim convenientia ſunt quaſi auriga, metallica medicamina ad deſtinata loca pervehens, ſine quo etiam tanta non præſtant, quanta ipſis attribuuntur, utut legitimè præparata ſint.

Cum ergò varii modi ad unum ſcopum ducentes expetantur ob diverſa ingenia diverſasque commoditates præparandi, dum unus in hoc alius in alio ſit magis expertus, promptus, materialibusve inſtructus, aliter atque aliter lunæ potabilitas inſtitui poteſt ſequentibus manipulationibus.

Purgatio argenti per cineritium.

Ante omnia ad manus præſtò ſit argentum repurgatum, quæ repurgatio fit per cineritium ſive cupellationem hoc modo: ℞. cineres vulgares faginos, ſalicinos vel alios percribratos, ut à carbonibus & lapillis ſegregentur, tum ex eis aquâ vulgari omnem elixivia alcalitatem ſive ſalſedinem, donec nullum amplius ſaporem acrem in infuſione aquæ deprehendas lingvæ guſtatione, ſuperfunde tunc elixiviato cineri in magno vaſe copioſam aquam, & cinerem in fundo ſubſiſtentem hinc inde fuſte aliquo per aquam dimove & circumagita, ut aqua probè à cineribus turbetur, expecta tum aliquandiu & craſſiorem partem cinerum rurſus ad fundum ſubſidere permitte, leviorem verò adhuc in aqua turbida natantem, cum aqua ſimul defunde, aliamque claram remanentiæ ſuperfunde, & movendo cineres iterum aquam turba, & poſtea ſubtilem turbulentiam cum aqua decanta ad priorem, ac ſimul omnem ad fundum ſubſidere permitte, tum ſupernatantem aquam

 De Amentia.

claram effunde, aliamque dulcem communem reinfunde,ut reliquum ſalſedinis, ſi qua ſuperſit,totum eluas, quo facto, edulcoratum cinerem eo usque exſicca ut poſſit conglobari, ex eoque fac globos vel pilas, quas in calore penitus exſiccatas in furno figulino perure, ut fruſtillula carbonum,quæ fortè in cribratione ſimul perciderunt, concrementur, cinisque per totum valdè ſubtilis fiat: cinerem hunc peruſtum, contritumque denuo aquâ edulcora, ut ignea impreſſio eluatur, hoc enim niſi fiat, capellæ, quæ ex iſto cinere parantur, facilè concidunt in fruſta, ſi candefiant, more calcis vivæ concidentis ab aëre frigido in pulverem. Tum cinerem iſtum rurſus exſicca,& in loco mundo aſſerva,cavendo ne quid rei alterius admiſceatur.

Præparatis ſic cineribus lignariis, etiam de cineribus oſſium tibi proſpicias, qui optimi fiunt ex oſſibus vitulinis, item bovinis, ovinis & equinis, ſed non porcinis, hæc ſimiliter incendio furni exponas, donec pulverabilia & nivea ſint, tum contunde ea in pulverem, & aquâ clarâ edulcora, nec non ſuper marmore tere in ſubtilem cinerem,qui cribro transmiſſus pariter aſſervatur.

Ad hæc duo præparata à plerisque etiam accipitur argilla cinerei coloris, ut ea compactius cohærere faciat, quam itidem aquâ diſſolvunt in amplo vaſe, & agitando ſubtiliorem partem cum aqua turbida deluviant, eâdem ratione ut cum cineribus factum eſt, eamque exſiccatam ad uſum reponunt.

Jam pro repurgatione argenti è dictis ſpeciebus cupellæ & teſtæ probatoriæ finguntur, capiendo cinerum lignariorum 20. partes ſive uncias, farinæ commemoratæ oſſium 8. uncias, argillæ præparatæ octavam partem totius, nempe 7. lothones, hos ſubtiliſſimos pulveres ſedulò invicem commiſce, & per cribrum anguſtum transmitte, ut per minima conjungantur, humecta eos aquâ purâ ſaltem, ut cohærens exinde fiat maſſa, non nimis humida, aliàs inſtrumentis ſe agglutinat, & efformationem cupellarum impedit, quomodo autem cupellæ ex hac maſſa fiant, apud probatores metallicos & monetarios videre eſt, ad hanc verò repurgationem requiruntur teſtæ, ſive majores cupellæ, qua una vel altera marca argenti repurgari queat, ad ejusmodi teſtam capias ſaltem parvam paropſidem terream, vel annulum ferreum in diametro circiter ſex digitos transverſos amplum, ac ipſum dictâ mixturâ imple, & fortiter digitis imprime, & ſi totus compreſsè repletus eſt,intrude in medio cavitatem cum aliquo globo ligneo vel ferreo, atque probe exſiccare ſine; poſtmodum circumpone lateres in diſtantia ſemiſpithamæ à teſta circum circa, & teſtam terreo fornice ſive tegula obtege, ne carbones vel cineres illabi poſſint, ſatis tamen ſpacii inter ipſam & tectum tegulæ maneat ad introſpiciendum & argentum imponendum.

Quibus

Quibus ſic inſtitutis incipe ſtruere ignem, in circuitu teſtæ prius ponendo prunas, quibus ſuperinjice carbones mediocres (non autem cominutos quia inæqualem ignem præbent) donec tota tegula carbonibus ſit obtecta ignisque ardeat ad luculentum teſtæ candorem, quam ita ad ſemihoram probè percandere permitte, poſtmodum impone tres partes plumbi ad unam partem argenti, & quando rotando absque ſubſaltatione diffluit, tum quoque argentum infer, & ignem ſat fortem continua ad totalem usque plumbi conſumptionem, quod æſtu supernè & ad latera afflictum ſenſim per poroſam mixturam in teſtam fugit, ſecumque omnem impuritatem ab argento rapit, atque id purum relinquit.

Ejusmodi argentum purgatum ſive luna fina requiritur ad præcedentem lunam potabilem, vel alios ejus potabilitatis modos, quomodocunque inſtituantur, quam quidam compendiosè ſe nacturos ſperant ſolvendo lunam ſpiritu nitri rectificato, eumque inde redeſtillando ad tertias ſive cuticulæ apparentiam, ubi reliquum in loco frigido reponunt, donec luna cryſtalletur, cryſtallos iſtas in patella vitrea leniter ad ignem exſiccant in pulverem albicantem, cui admiſcent clarificati ſalis armoniaci duplum, aërique libero humidiusculo proſtituunt, donec quædam viridiuscula cæruleitas prolecta conſpiciatur, quâ apparente materiam ſublimant in cucurbita cum alembico in arena, repetitis ſublimationis cohobiis, quoad anima lunæ ſufficienter ſurſum evecta ſit, quam poſtea edulcatione à ſale armoniaco liberant, & denuo ſpiritu vini rectificato & ſpiritu urinæ unito ejus tincturam eliciunt, per reiteratas recentis menſtrui reaffuſiones, quousque omnis tinctura extracta ſit, quam abſtrahendo ſpiritum vini ſuperfluum in liquoroſam eſſentiam redigunt, & in convenientibus vehiculis adminiſtrant.

Alii puriſſimum argentum tundendum curant in laminas ſpiſſitudine cultri menſarii in tergo ejus, easque in fruſta conſciſſas indunt pixidi terreæ cementatoriæ cum ſale communi puro ſtratificando, & operculo ſuperlutato cementant tali igne, ne materia fluat, ſed obſcurè candeat per 24. horas, vel etiam tres dies, poſtea ſalem abluunt, & cum recenti ſtratum ſuperſtratum faciunt, denuoque cementant, atque hoc repetunt & continuant, quoad luna ſit in calcem redacta, & ſuperfluâ nigredine ſpoliata, calcem iſtam cum ſulphure vulgari flavo conterunt, atque ſulphur inter ardentes prunas deflagrare ſinunt, eamque calcinationem cum recenti ſulphure aliquoties repetunt, demum probè candefactâ lunâ, quò omne ſulphur evaporet, calcem extrahunt ſpiritu ſalis armoniaci, eoque ablato iterum ſpiritu vini tartariſato, atque hac eſſentiâ pro lunæ potabilitate utuntur.

Alii ſimpliciter lamellata puri argenti fruſtula cum ana optimi ſulphuris ſtratificata in vas terreum recondunt,

condunt, atque operculo tegunt, tum vas igne circulari circumvallant, lunamque ad omnem usque ſulphuris deflagrationem igneſcere ſinunt, poſtmodum eam jam fragilem redditam in pulverem redigunt, atque iterum cum decima ſui parte ſulphuris ſuper marmore conterunt, & rurſus ſuper prunis ſulphur efflammare permittunt, hancque ſulphuris admixtionem & incenſionem aliquot vicibus reinchoant, & ſic luna ſenſim acidum ſulphuris ſecum retinet, & per illud vitrioleſcit, adeò ut injecta aquæ ferventi ſolvatur, nempe quantum ejus vitriolaceam naturam induit, reliquum quod in aqua nondum eſt ſolubile, iterum ſulphure calcinatur, & aquâ calidâ eliquatur, donec nimirum tota luna in vitriolum convertatur. Quod tunc more vitrioli veneris paululum calcinatur, atque additione pulveris ſilicum in ſpiritum & oleum per retortam deſtillatur. Caput mortuum tractatur vel per ſublimationem ſalis armoniaci, vel per ejus rectificatum ſpiritum, donec ejus tinctura habeatur. Et ſic quodlibet ſeorſim cum appropriatis aliis in uſum vocari poterit.

(c) In defectu verò ejusmodi lunæ potabilitatis non contemnendam pœnitendamve ejus vicem ſupplere poteſt tinctura florum hyperici, per ſpiritum vini extracta, ac guttatim in aliis vehiculis impotationi porrecta, ejus enim continuato uſu ad ſanam mentem redierunt, qui per quatuor annos vinculis catenisque coërcendi fuerunt, non enim immeritò hæc herba fuga dæmonum vocatur.

Atque hæc ſunt generalia ác nobiliſſima remedia ad quamvis deſipientiam chronicam, uti & ſequentia Authoris:

III. *In inſania, mania, melancholia etiam tanquam ſpecificum laudatur ſangvis aſini (aſini ſangvis durat annum tantum; hac æſtate 1615. fabrum quendam lignarium reſtituit ex venis poſt aures captus, in quem linteola munda nulli uſui antea expoſita macerentur & exſiccentur)* NB. *analogia* (d) (*aſinus eſt animal melancholicum.*)

Uſus: ex his laciniis cape quantitatem duos digitos latam, & unum pollicem longam, macera in hauſtu aquæ fontanæ, donec color exeat. Hanc aquam da epotandam talem morbum paſſo, triduo integro manè ſemel, & quantum ejus fieri poteſt, ſudorem evoca (quem elicit hic ſangvis.)

(d) Author vult dicere, aſinum eſſe animal ſtolidiſſimum, ideò ſangvinem capitis ejus exſiccatum imbuere poſtmodum aquam, cui immaceretur, virtute medicâ depellendi morboſam ſtoliditatem humani capitis. Jam verò Author generalibus remediis ſubnectit ſpecialem curationem cujuslibet prædictarum inſaniarum.

Maniæ cura perfecta talis eſt: Curatio maniæ ſpecialis.

1. Ex-

1. *Exhibeatur vomitorium, imprimis aqua benedicta.*

2. *Poſt vomitorium per aliquot dies capiat decoctum anagallidis flore purpureo (ſine omni additamento, vinum nullo modo exhibeatur.)*

Lixivium capitale.

3. *Præparetur lixivium tale:* ℞. *herbarum cephalicarum cum floribus q. v. coque in aqua fontana, deinde* ℞. *baccarum lauri & radicum hellebori nigri ana q. ſ. contundantur invicem craſſè, & inſuantur ſacculo interpaſſato & longiori. Sacculum coque aliquantulum in prædicto lixivio. Tandem per novem dies continuos accipe ſingulis diebus iſtius lixivii lib. ij. calefac, & cum linteolis in eo madefactis, & leviter expreſſis fove caput raſum per integram horam, poſtea ſacculum iſtum applica ſuturæ coronali (quamdiu calet) cum bona ligatura, patiens incumbat lecto, & ſi fieri poteſt, quieſcat. Tunc mira expurgantur per omnia capitis emunctoria, & alvus ſimul aliquantum fluit. (Hinc colligitur à quibusdam uſum hellebori apud veteres fuiſſe externum potius quàm internum) ſic nimirum fuligines inhærentes cranio & cerebro mirabiliter diſſolvuntur, quod ſanè nulla remedia alia præſtare poterunt.*

Experimentum ad maniam.

4. *Commendantur in mania folia* (e) *buxi (hoc nondum ratum* (f) *commendari tamen audivit) ejus* ℞. *folia novem in minimas particulas cum cultro ſciſſa exhibent in uno atque altero cochleari aquæ lavendulæ jejuno ventriculo, præmiſſis antea præmittendis, & ſi fieri poteſt, ſudorem eliciunt, repete ſemel atque iterum.*

(e) Hoc experimentum Author excerpſit è tractatu de peſte Jobi Kornthaueri, & quia ipſe non expertus eſt, pro commendato tantum tradit, ideo *(f)* D. Michaëlis in parentheſi de ejus veritate dubitat, Kornthauerus tamen affirmat ſe ipſum eſſe expertum, meum tamen exemplar Kornthaueri non habet folia buxi ſed Buchbaumblåtter id eſt folia fagi, utrum autem ita ſcripſerit vel Buxbaum id eſt folia buxi ut Author noſter habet, incertus ſum, & relinquo illud experimentali certiorationi.

Laudatus jam Kornthauerus (& dudum ante ipſum Carrichterus) adhuc aliud remedium à ſeipſo probatum ad quamlibet inſaniam commendat, ſequenti normâ inſtituendum:

Aliud experimentum.

Cape nigrum arietem vivum, ipſiusque caput unâ cæde celerrimèque decolla, atque illud adhuc calens cum pelle & pilis in repletam aquâ ollam ferventem injice, atque operculo obtectam coctioni permitte. Peractâ concoctione extrahe omnem ex capite cerebri ſubſtantiam, atque admiſce ei macis,

nucis moſchatæ, caryophyllorum, zingiberis &c. prout conveniens videbitur, pondus tamen nucis moſchatæ cæteris prævaleat, commiſce cuncta invicem, atque ex ſubacta maſſa effinge globulos, quos aſſerva, horum ſingulis veſperis unum magnitudine nucis juglandis patienti jam cubituro devorandum præbe, ſecando pariter venam in ipſius fronte; ac poſt 14. dies medianam, elapſisque iterum 14. diebus ſectionem venæ frontis repete, potus ipſius ſit aqua cum admixtione ſpiritus vitrioli.

In omni etiam (inquit) inſaniæ ſpecie & ante omnia caput ægri, ſi natura ejus permittit, expurgandum eſt pilulis de maſtiche vel ſuccino vel ex gr. talibus:

Pilulæ caput purgantes.

℞. extract. card. bened. ʒij.
gummi ammoniac. ʒiſ.
maſticis.
ſuccini an. ʒj.
aloës lotæ ℥iſ.
m. f. cum aq. betonicæ pilulæ.

Harum dabis ʒſ. ante cœnam, nec non poſt cœnam iterum ʒſ. vel integram ʒj. ſub noctem ante lecti ingreſſum, poſtridiè defluxiones à capite detrahit, (reſolvens interim matetiam peccantem ut varorum inſtar in facie appareat) quantumvis verò non admodum per inferiora purgent, non refert, ſuccenturiato enim alio purgante id mox ſequenti mane fieri poteſt, ita ut præceſsâ per noctem præparatione per comemoratas pilulas, ſequenti mane optima evacuatio ſequatur mediante hac propinata potiuncula:

℞. mannæ Calabr. ℥ſ. reſolve in aq. betonicæ q. ſ.
colaturæ adde ſyr. roſar. ſolut. ℥j.
diagrid. præparat. gran. IV.
m. f. potio calida aſſumenda.

Adhæc ſi fieri poteſt provocentur hæmorrhoides, quod hunc in modum obtinetur:

Parabis balneum ſive ſemicupium ex decocto chamæmeli, malvæ, ſegmentorum raparum, cum 4. manipulis ſalis communis, ſalis nitri, calcis vivæ an. ℔j. &c. huic inſideat æger ut ejus venæ molleſcant, deinde aperiatur ipſi ſaphæna vel mediana in poſteriori parte pedis prope calcaneum, ut ſangvis à capite deorſum trahatur; tum accipe ſuccum ceparum expreſſum vel fel bovinum, immerge ei goſſypium, illudque ano impone, & ſi etiamnum non aperiuntur, ſcalpelli inciſione id promovebitur, ut ut verò hic modus curationis injucundus ſit, mirum tamen in modum apertio hæmorrhoidum amentiis opitulatur.

Si ingens capitis fervor concurrat, pro ordinario potu hæc mixtura convenit:

Potus pro maniacis.

℞. aquæ betonicæ.
roſar.
nymphææ an. ℥IV.
aq. fontanæ menſur. j.
ſpiritus vitrioli viridis vel ejus loco vulgaris quantum ſufficit ad gratam acetoſitatem de hoc affatim bibant & nil aliud per aliquot dies.

Hac methodo curavi nonnullos catenis antea ligatos, qui (Deo laus ſit) præcipuè à potatione immixti

ſpiritus

ſpiritus vitrioli per aliquod temporis ſpacium, ac confortatione cerebri per remedia duo à me probata (è cerebro arietis &c. & ſupradictis foliis ab Authore noſtro edoctis) convaluerunt. Hæc ille.

5. Ultimum in hoc morbo refugium eſt cranii apertio cum trepano. Vide infra in fine capitis de phrenitide & paraphrenitide.

Curatio melancholicæ inſaniæ ſpecialis.

Melancholiæ cura:

In melancholia purgantia ſunt præter vomitoria:

1. Pulvis diaſenæ laxativus.

2. Radices hellebori præparata. (g)

3. Optimum eſt ſpecificum purgans Paracelſi.

Extractum hellebori.

(g) Ea præparatio ſuperius inter cathartica vegetabilia tradita eſt. Optimè etiam huic morbo convenit hæc præparatio: ut nimirum coqvantur hæ radices in aqua ſimplici pluviali per aliquot horas, donec nimirum omnem virtutem in aquam depoſuerint, aqua colata evaporetur, ad conſiſtentiam inſtar mellis, quam quidam denuò ſpiritu vini extrahunt, feceſque per filtrum ſegregant, ſpirituque vini ad ſpiſſitudinem abſtracto reſiduam eſſentiam paucis granis ad purgandum in affectibus melancholicis exhibent, ſpiritus vini tamen potiorem virtutem ſecum abdiſtillando rapit, hæc enim radix eſt quaſi antimonium vegetabile, conſtans velut meris floribus ſive ſalſitate volatili, quod qui non vult credere, evaporet dictam radicis coctaram in aqua factam per alembicum, aquamque exſtillantem excipulo colligat, ac deguſtet, non obſcuram enim acredinem guſtu in ea deprehendet, hinc etiam incaſſum deſudant qui per incinerationem dictarum radicum copiam ſalis alcali ex eis ſibi promittunt, pauciſſimum enim ſalis fixi continet, multum verò acredinis ſalſæ volatilis, quod optimè norat ſublimis ingenii Carrichterus, docens has radices infundere in bono vino ad minimum per tres ſeptimanas, at non ultra quinque, atque deinceps vinum deſtillare per alembicum, ac iſto deſtillato vino loco corporalis radicis hellebori ad purgandum uti.

Pro cerebri confortationibus eſt:

1. Elixir proprietatis Paracelſi.

2. Eſſentia croci cum aquâ vitis deſtillatâ (aqua vitis fit ex vitibus inciſis, quæ poſtea deſtillatur propter conſervationem) extracta. Eſſentia croci.

3. Liquor lunæ, de quo ſupra.

4. Extractum alkermes cum extracto gummi ladani adjecta particula ambræ & moſchi.

Nota: extractum alkermes fit neque per ſpiritum vini, neque per aliud menſtruum, ſolus ſuccus pomorum redolentium præſtat. Illud extractum poſtea diutius conſervatur, ſi poſt confectam præparationem ſpiritus vini admiſceatur, aliam præparationem vide ſupra de confortantibus.

5. Ex-

Extractum lapidis lazuli.

5. Extractum lapidis lazuli: ℞. *lapidis lazuli quantum placet, igniatur ſexies vel ſepties, & toties extingvatur in ſpiritu vini, tandem in pulverem redigatur, & cum aqua meliſſæ ipſius recrementa terrea eluantur* (abſchlichen) *redigantur in pulverem tenuiſſimum, & cum ſpiritu vini digerantur in calore per ſeptimanas tres vel quatuor, poſtremò per deſtillationem aufer ſpiritum vini à toto, & remanentiam diligenter ſerva. Eſt extractum lapidis lazuli doſis à* ℈ſ. *ad* ℈j. *in melancholia, epilepſia, vertigine, cephalalgia. Quartanæ medicamentum præſtans in liquore appropriato.*

Medicinam melancholiæ ſpecificam Paracelſus ponit in floribus antimonii bis, ter, quaterve pro morbi contumacia cum pauca theriaca exhibitis.

Melancholicis pulvis fumariæ ſæpius exhibeatur & liberantur. Item aqua & conſerva elenii, eſſentia chelidoniæ minoris in melancholia hypochondriacâ mirè confert.

Hypochondriacum Zwingeri.

Zvvingeri in hypochondriaca recepta:

℞. *quinque radicum aperitiv. an.* ℥j.
bugloſſæ.
carduibenedict. an. p. j.
abſynthii parum.
ſem. fœnic. ʒj.
carthami ʒſ.
fol. ſenæ ℥iſ.
agarici.
tartari albi an. ℥ſ.
zingib.
cinamom. an. ʒj.

Parentur omnia (h) *pro vino. Inde ſumantur quotidie tres cyathi manè per tres hebdomadas usque ad ægri langvorem.*

(h) I. e. concidantur radices ac herbæ in particulas, ſemina ac aromata groſſo modo contundantur, omnibusque ſacculo infarctis ſuperfundantur circiter VI. lib. vini albi boni in cantharo lapideo, qui probè obturatus ſeponatur per tres dies, donec nimirum vinum probè ſit eſſentificatum; cujus poſtmodum hauſtulus diluculo, meridie & ſub lecti introitum parcior vel uberior prout operabitur, bibatur.

Aqua antihypochondriaca ſecreta.

Magni nominis medici aqua ſecreta melancholiæ hypochondriacæ convenientiſſima.

℞. *flor. borraginis.*
bugloſſæ.
ſtœchados Arab. an. ℥ſ.
rorismarini.
majoranæ.
meliſſæ an. ʒiiſ.
rad. bugloſſæ ʒij.
pœoniæ ʒj.
aq. bugloſſæ.
borraginis an. ℥iij.
ſyrup. granator. ℥iiſ.
pulv. cinamom. groſſi.
galang.

galang.
caryophyll.
Croci.
ſem. baſilicon. an. ℨj.
Superfunde vini Rhen. ℔iij. *ſtent in infuſione per duos vel tres dies, deinde deſtillentur in Balneo.*

Digeſtivum in affectibus hypochondriacis.

Digeſtivum excellens in hypochondriaca:

℞. *ſalis tartari cryſtallini* ℈j.
ol. vitrioli vel acidi ſulphuris gut. XX.

m. in jure prunorum vel alio juſculo per biduum reiteretur vel triduum, poſtea purgetur cum apozemate ex cholagogis & phlegmagogis cum ſuis correctoriis & carminativis.

CAP. III.

DE HYDROPHOBIA SIVE INSANIA EX MORSU CANIS RABIOSI; Germ. der Waſſerſcheu.

QUanquam canis ſit animal homini ferè omnibus aliis fidelius, eumque valdè amet, ſectetur, ac pro eo per noctem excubias agat, imò quibusdam proprii corporis partibus & recrementis ægritudinibus humanis medicamenta ſuppeditet, attamen in rabiem incidens fit homini & pecoribus venenum funeſtum, quemcunque enim mordet, vel nudo attactu ſalivâ commadidat, eum hoc modo ad parem perniciofamque rabiem fermentat, adeò ut exacto certo temporis intervallo in hydrophobiam, hoc eſt averſationem aquæ omnisque rei liquidæ incidat, ſitique emoriatur.

Hoc itaque ne fiat, tantumque periculum à cane pertimeſcendum ſit, cautè cavendum eſt, quod primariò fit cognitione cauſarum canes rabificantium, quas vulgus è Columella perſvaſum putat eſſe nervoſam congeriem vermibus ſimilem ſub lingva canum exiſtentem, vel extremo caudæ apici adhærentem, quâ ipſis adhuc catulis ſecundò exemptâ, vel extremitate caudæ abſciſsâ, canes poſtmodum haud fore rabiei obnoxios; rabidos quoque eos effici linctione humani ſangvinis, vel devoratione carnis ſalitæ, item nimio ſolis æſtu fervefactos, ut fit diebus canicularibus, vel ab aliis rabioſis demorſos, vel ſaltem eorum ſpumâ ſalivâve attactos.

Imprimis autem eos facilè efferari prædictâ congerie non exſectâ, utpote quæ inflammetur, & putreſcat, lingvamque ſimul incendat, ac in tumorem elevet, atque os impleat totum pituitâ & ſpumâ contagioſâ.

Cognoſcitur verò canis rabioſus ejusmodi ſignis, quod eſcæ & potus redditur abſtemius, auriculis caudâque demiſſis, lingvaque ex ore pendulâ circumcurſitat, cum voce raucâ vel muteſcente, copioſâque ſpumâ ac pituitâ ex naribus & hiante rictu exſalivante, nec non oculis obliquè ac torvè rutilantibus in obvios defixis, in quos etiam ſive homines ſive pecora ſint, noti antea vel ignoti, indiſcriminatim irruit, atque impræceſſo latratu mordet, Signa canis rabientis.

cujus demorſionis vulnus initio ſæpè non videtur magni momenti, ſed ſponte atque haud difficulter ſaneſcit, at peracto jam tempore quadraginta dierum latens in corpore fermenti rabifici noxa inopinatò ſe prodit, ac morſum in mortis periculum deducit.

Sequuntur autem morſionem hæc ſymptomata: locus vulneratus dolet, vulnus tamen brevi & ſuapte ſponte conſolidatur, poſt 40. verò vel plures dies, dudumque conſolidato vulnere, læſus ille plus ſolito & absque cauſa ſibi cognitâ contriſtatur, ac paulatim cogitabundè ſe fixis & melancholicis cogitationibus improfundat, ſomniaque ſomni tempore ſibi cudit de invadentibus ſe canibus ferocibus, pavidisque cum illis luctamentis, quibus ſubinde ad auxilium implorandum neceſſitatus cum clamore evigilat, hæque melancholicæ phantaſiæ ſenſim increſcunt, donec tandem planè turbatâ mente obſcura loca & ſolitudinem ſectetur, lucem & hominum conſortium averſando, ſecumque ſolus murmurans alloquentes torvè intuendo. Succedit his horror ab omni conſpectu vel mentione aquæ, ac liquidæ potulentæve materiæ, conſociatus ſiti indies vehementiori, cum faciei & oculorum rubore, & nonnunquam febre, & tandem extremorum convulſione. Et quamvis ſitis mirum in modum ipſum excruciet, bibere tamen non audet, ſed ab omnibus liquidis expaveſcit, horret ac timet, donec morbo & ſiti conficiatur.

Curationis ſequentia paucula tradit noſter Curatio.

TEXTUS:

IN hydrophobia nobiliſſimum medicamentum eſt mixtura (a) *ſimplex, ut ſcilicet ſudet patiens.* (b)

(a) Mixtura ſimplex vocatur etiam diaphoreticum in peracutis Paracelſi, conſtatque ex tribus ſpiritibus, nempe ſpir. theriacalis quinque partibus, ſpir. tartari tribus partibus & ſpir. vitrioli unâ parte, mixtis invicem & ſervatis in vitro probè obturato, doſis ejus eſt ℈j. in convenienti vehiculo pro morbi conditione, in hoc verò affectu poteſt adminiſtrari in aqua anagallidis cum flore rubro.

(b) Melius eſt præcipitare patientem fune alligatum in id quod tantoperè exhorret, nempe in profundam aquam, evenietque ei idem quod accidit hydrophobis ſacri lavacri ethnicis, qui tantoperè immerſionem in aquam horrent, & tamen cæcô fidei obſequio in eam præcipitati à ſuo rabiei veneno æternum convaleſcunt. Tali etiam planè modo fit noſtris hydrophobis, ut aquis ſubmerſi ſuam rabiem deponant, id verò hactenus à Belgis factum eſt in mari ſalſo, at Helmontius eos imitando in quibusvis aquis dulcibus eundem nactus eſt eventum, debentque hydrophobi ſubmerſi detineri ſubter aquis ad tantum ſpacium, quo ferè ſuffocari posſint, quod tamen non fit, ſed extractus æger atque pronus poſitus declivi

clivi capite omnem inſpiratam muriam rejicit, poſtliminiò rediens ad reſpirationem.

Certa curatio obtinetur etiam ex herbis ſangvineis ſub Jovem pertinentibus, ut in Carrichteri deſcriptione graduum Jovis videre eſt, è quo fundamento etiam ſequens experimentum procedit: Videlicet quamprimum homo vel pecus admordetur à rabioſo cane, deradatur & abſtergatur vulnus aliquo ferreo inſtrumento ad id apto, modò ne ſit culter menſalis ad comedendum uſualis, poſtmodum abluatur calidâ aquâ & vino invicem mixtis, quibus & diſſolutus ſit pugillus ſalis marini, quâ elotione diligenter peractâ accipe herbam & flores bellidis, rutæ & ſalviæ ana q. v. nempe pro homine circiter manipulum unum, aliquot radices & quidem tenerrimas roſeti ſeu fruticis roſarum ſylveſtris, ac radicis ſcorzoneræ pro lubitu, concide radices minutim, adde radicum allii circiter ad duas drachmas, contunde omnia per invicē in mortario, adjiciendo pugillum ſalis marini, & fac ex omnibus cataplasma applicandum vulneri, cui etiam ſi profundum ſit, non nihil ſuccorum ex dictis herbis inſtilletur prius, poſtea verò commemoratum cataplasma ſuperligetur, atque ſic relinquatur usque ad ſequentem diem. Hujus tamen cataplaſmatis mixturam nō totam applica, ſed particulam ejus magnitudine ovi fac reſiduam, quam priori mortario inditam contunde paululum cum hauſtu vini, quantum nempe capit poculum menſarium, decolando poſtmodum illud vinum, herbasque probè exprimendo, eam colaturam admixto ſacharo, ne ob inſvavitatem ægro nauſeam pariat, patienti jejuno ſtomacho propina, imperatâ ſimul poſt aſſumptionem collutione oris ex aqua & vino, ad eluendum ingratum ſaporem, nec non abſtinentiâ à cibo & potu per tres integras horas.

Experimentum certum ad morſum canis rabidi.

Sequenti manè idem cataplasma eundemque hauſtum ex recentibus herbis repete, ſuperſedendo tamen à deraſione vulneris, idque per novem dies continuos reiterando, atque dum demum ceſſari poteſt, ſed non citius, ne aliqua venenoſitas non ſat expugnata relinquatur, & patienti damnum inferat, vel etiam aliis per converſationem periculum contaminationis creare poſſit. Elapſis verò 9. diebus omnia in tuto ſunt, vulnusque ſi nondum planè coaluit, inſtar alterius vulgaris conſolidari poterit.

Eâdem quoque ratione demorſa pecora tractantur, excepto quod vino animalibus inſveto lac ſubſtituatur.

Eſt etiam ſpiritus ſalis marini ſingularis ad demorſionem canis rabidi medicina.

CAP. IV.

DE PHILTRO, SIVE INSANIA EX POCULO AMATORIO; Germ. ein Liebetranck.

TAmetſi perpauci Authores hujus affectus luculentam tradant deſcri-

deſcriptionem, ſæpè tamen inter vulgus occurrit, eſtque pertinaciſſima dementiæ ſpecies per omnem vitam æquali furore eum perciens, in quo radices egit, trahit verò originem à maleferiatis & impudicis utriusque ſexus maſtigiis, qui ad explendam ſuam libidinē poſthabito omni Dei timore & conſcientiæ contradictione alias ſibi complacitas perſonas ſeducere, & in ſui amorem pertrahere conantur, ejusque rei gratia veneficas vetulas & alia ejusdem farinæ propudia donariis oblinita vocant in conſilium, ut ſua experimenta promant ad dictas perſonas irretiendas, quæ etiam cooperante Diabolo mox præſtò ſunt edocentque, quo pacto hoc vel illud clanculum cibo vel potui ſit immiſcendum, & furtivâ celatione in buccam deſiderati hominis compromovendum. Quod interdum ut communis rumor fert, in tantum ex eorum voto ſuccedit, ut per ejusmodi illicita media vel venuſtis vel opulentis conjugibus potiantur, ſed malis plerunque avibus, terminante ſe amore coacto veſano in implacabile perpetuumque odium, lites & rixas, non rarò tamen malum exitum ſortiuntur hæ artes, adeò ut loco conciliati amoris omnem eis rationem ſuffurentur, quibus parantur. Per philtrum itaque Author in hoc capite intelligit ejusmodi clandeſtinas mixtiones rerum certarum magicarum ex herbis, radicibus vel aliis ſuperſtitioſè vel veneficè apparatarum, & in ferculis vel poculis ingeſtarum, quibus paſti non quidem lethaliter intoxicantur, exceſſivâ tamen qualitate caloris vel frigoris, qua hujusmodi venefica procul dubio præcellunt, rationem hominis prorſum invertunt, mentemque in perpetuam phantaſiam exſtaticam rapiunt, uti tales vidimus per totum vitæ curriculum inſanientes, ſuamque inſaniam hujuscemodi philtro, ut nobis referebatur, acceptam ferentes, quales in aulis principum morionum loco habiti frequentes ſunt.

Hujus amentiæ de cauſis & circumſtantiis plura proferre noſtræ rationis non eſt, nec fieri poſſe putamus, niſi à veneficii gnaro, quod tamen nemo vir pius & honeſtus addiſcere deſiderabit.

Prognoſis verò de eâ ex quotidianâ obſervatione pateſcit, quod nimirum ſit ridicula ferè maniæ ſpecies, maximè diuturna, & plerunque ad mortem usque perdurans, tumque demum ægrum deſerens, quando brevi poſt ei moriendum, adeò ut ante mortem ſuam rationem recuperet, & optimè intelligentem ſe præbeat.

Curari tamen initio poteſt à ſolerti medico celerrimè venefici poculi inhauſtamentum oppugnante, & regurgitationem ejus accelerante per efficax vomitorium, ut etiam habet

TEXTUS.

In philtris (furore ex philtris) 1. neceſſaria ſunt vomitiva, aqua benedicta, electuarium vitri antimonii Crollianum, &c.

2. Poſtea

Pulveris ſecundinæ præparatio. *2. Poſtea ℞. ſecundinam recentem (pulvis ſecundinæ vix ultra biennium durat) ſegrega venam umbilicalem, & cuticulam exteriorem exſicca in clibano, ut poſſit pulveriſari. Hujus pulveris exhibe (bis diebus duobus continuis) patienti poſt univerſalia à ʒj. ad ʒiſ cum extracti theriacæ ℈ſ. vel aquæ aut ſpiritus thericalis vel diaphoretici in acutis ʒj. (cum cochl. 1. atque altero ſucci naſturtii aquatici) & emplaſtrum ſimul applicetur ſequens ad ventriculum:*

Emplaſtrum.

℞. pulv. colocynth. ʒij.
ſcammon. ʒj.
radic. imperator. ʒiſ.
ſalis gemmæ.
helleb. utriusque an. ʒj.
cortic. cydon. ℥ſ.
pulveriſentur omnia groſſo modo, adde
olei ſambucini.
ceræ an. q. ſ.

f. emplaſtrum, extendatur particula ſuper alutam, & non niſi per horæ dimidium ibidem relinquatur; poſtea provocetur ſudor. Quibus omnibus abſolutis per aliquot dies exhibeatur electuarium ſequens:

Electuarium.

℞. ſucci meliſſæ.
hyperici an. ʒij.
rad. vincetox. ℥ſ.
magnetis lapidis boni & qui ferrum trahat ʒij.
mellis deſpumati q. ſ.

f. electuarium, doſis eſt à ʒj. ad ʒiſ. jejuno ventriculo aliquoties, donec remittat malum (poteſt etiam à meridie quotidiè exhiberi aliquid de tinctura corallor. à gr. VI. ad X.

CAP. V.
DE PHRENITIDE,
Germ. Das Hirnwüten.

Phrenitis quid? PHrenitis deſcribitur à practicis, quod ſit inflammatio cerebri & membranarum ejus cum delirio perpetuo, & febre continuâ acutisſimâ, eam verò inflammationem eſſe ſyſtrophicam, quæ nimirum verum tumorem ex ſangvine extravaſato, & in partis ſubſtantiam effuſo conſtituat, quæ deſcriptio tamen ſuâ non caret difficultate, è tali enim inflammatione vix ullum evadere poſſe quivis cenſebit, cum tamen aliqui interdum à verâ phrenitide iterum convaleſcant, opinamur itaque veram phreneſin ſtatuendam eſſe mox incipiente æſtuatione febrili ante ejusmodi inflammationem tumoralem, atque etiam citra eam delirium phreneticum efficere poſſe, cum totâ phrenitidos dependentiâ curſuque, licet interdum talis inflammatio concurrat, nonnunquam verò minimè.

Nominis ratio. Dicitur phrenitis à voculâ φρὴν, quæ apud Græcos mentem atque etiam ſeptum transverſum ſignificat, quod nempe ſit morbus mentis & diaphragmatis.

Pars affecta. Locus affectus apud methodicos

 eſt

eſt ipſa ſubſtantia cerebri, quod affici ajunt partim ut ſimilare temperatum ſecundum medullam: partim ut diſſimilare ſecundum vaſa & membranas; Helmontio verò ubique profundius ſcrutinanti pars affecta eſt ipſius duumviratus ſive ſedes animæ ſenſitivæ, quam ſtatuit in præcordiis ſive ſtomacho, ventriculi enim imperium in omnia membra reliqua, nimirum in caput, pulmonem, hepar, ac ipſum cor agnoſcit, adeò ut in quibusdam ejus passionibus nempe in cardialgia &c. ipſius cordis nomen ob ſummam ejus præferentiam etiam antiquitus atque ab ipſo Hippocrate nomen præcordiorum ipſi tribuatur. Habere tamen ſuum præeminentem moderatorem, rectorem, coctorem & veluti Solem nimirum lienem, à quo ſtomacho inſpiretur primaria concoctionis vis nempe fermentum acidum, quo cibi in liquamen diſſolvantur plus quàm ab ullo calore, adeò ut canes oſſa igni incombuſtibilia, gallinæ & aliæ volucres arenam, lapillos, imò ſe obſervatore ipſius vitri in igne rerum ultimi fruſtula conſumant ac conficiant. Hujus mirabilis concoctionis Vulcanum provenire à ſplene, ſtomacho incumbente, lienem tamen habere etiamnum in ſua innumerabili arteriarum perplexitate proprium focum, idearumque ac conceptuum incudem, ſibique ſoli coquere, atque ſi hæc ejus propria coctio tantillum fatiſcat, ſplenem digerendo ceſſare, debitumque ſtomacho fermentum denegare, unde loco digeſtionis acidæ oboriri ructus nidoroſos putredinis febrilis teſtes, lienem verò ad expellendam hanc exoticam labem mox ſuſcitare in ſuis arteriarum anfractibus fortem pulſum latenter antea pulſantem, non aliter ac in ſano digito vix pulſatio percipiatur, qui tamen ad infixam ſpinam confeſtim duris ictibus pulſet, ſicque pulſantem lienem pari modo teſtari ſuam moleſtam ſpinam, ac confuſionem idearum inſtantanei delirii indicem; cum ergò, juxta ſcholas, *functio vitiata ſit ejusdem partis, cujus eſt in ſanis functio integra; & contra;* Idcircò teſtatum fieri, vegetationem primariam intellectus eſſe à ſeriis conceptibus lienis, ſicuti aridatio intellectivæ poteſtatis à turbatis ipſius ideis pulſu lienis ejusque pediſſequo delirio pariter innoteſcat; dum verò lien ſe rectè habeat, eum perpetuò incumbere ſeriis ejusmodi conceptibus, præterquam ſub tempus concoctionis in ſtomacho, tum enim lienem ſuos conceptus ſopire, alterius alimenti deliciis, atque ab opere dare induci-as, ſive ſuſpendere vigilantem idearum incudationem, quæ ſit ſomnus & ſomnium.

Verumenimverò ſi hæc ita ſe habeant, debebant hæc omnia etiam ita obtingere brutis, quorum lienes, ſtomachi & reliqua inferiora viſcera ſi non in omnibus, ſaltem majori ex parte nempe numeroſitate arteriolarum ſplenicarum, acore ventriculi longè acidiore, ſucco pancreatico, amaritie fellis, &c. cum humanis certare poſſent, foret itaque neceſſe,

ceſſe, ut idem duumviratus, eadem intellectualitatis vegetatio, & per conſequens eadem rationis & morborum ratio eſſet, quod tamen in nullo brutorum apparet, nam neque febricitant, neque apoplexia tanguntur vel affectibus ſoporoſis & ſimilibus corripiuntur, unde liquet, quod cerebrum humanum ſicuti prærogativâ planè regiâ in magnitudine, teneritudine, puritate & ſphæritate omnium reliquorum animantium cerebralem maſſam, & conſtitutionem longè antecellit, ita eo ipſo fit contubernium plurimorum affectuum ſoli homini familiarium, cum enim ſolus homo ſtudeat, contempletur, ſcrutetur, curioſis delectetur, præteritorum recordetur, amabilia ſectetur, fortibus potibus ſæpè inebrietur, triſtibus affli ctetur, aliisque innumeris multifariam turbetur, fieri non poteſt, quin cogitationum perplexitate, affectu um contrarietate, ſpeculationum circumgyratione, curarum ponticitate, inebriantium ſpirituum tumultuatione, memorandorum infixione, catarrhorum exeſione, aſcendentium vaporum & defluentium phlegmatum colliſione, aliisque multis aliquando flacceſcat, vel parietibus ſcabreſcat, ſubſtantiâ debileſcat, plus juſto humeſcat, ſicceſcat aliisve multiplicibus modis diverſimodè hebeſcat, atque ſic occaſionem ac materiam diverſorum morborum progignat, aliisque membris transmittat.

Differentia phrenitidis.

Sunt autem phrenitidis duæ ſpecies, nempe vera ſeu legitima, priéque in hoc capite intellecta; altera illegitima ſeu ſpuria, quæ paraphrenitis nominatur. Vera phrenitis quæ etiam primaria nuncupatur, eſt quando primariò afficitur cerebrum, eaque iterum duplici modo inſultat, nempe vel in diſpoſitione, ac vulgatiſſimæ frequentiæ eſt, vel in habitu, quæ hectica phreneſis appellitatur, altiusque ſe cerebro veluti quadam bilioſâ tincturâ inſinuat, ac plures ejus partes obſeſſas tenet; Secundaria verò ſive paraphrenitis eſt, quando phreniticus calor cerebro adventitiè communicatur, vel à toto corpore, ut in febribus ardentibus fit, vel per conſenſum à membro aliquo inflammato, nempe hepate, pulmone, ventriculo, imprimis vero diaphragmate, cujus inflammatio haud raro contingens ferè lethalem phreneſin cauſare ſolet.

Paraphrenitis.

Agnitionis ſigna hujus affectus jam imminentis ita ſe habent: patiens immodicè garrulus eſt, vigiliis infeſtatur, & ſi ſomnus obrepat, brevis & turbulentus eſt, ac æger cum labore evigilat, oculi cum frequenti motu immutantur, caput cum dolore calet, urina primò craſſa, poſtmodum verò tenuis redditur & diaphana, quibus ſignis indicatur, materiam febrilem jam petere caput, & delirium excitaturam:

Signa diagnoſtica.

Præſentis verò indicia ſunt: delirium jam manifeſtum & ſtultiloquium, vigiliæ continuæ, jectigatio manuum inſolita, frequens oculorum motus cum maxima impatientia & inſania, capitis motus, ſtridor & ſtri-

cta

cta commorſio dentium, reſpiratio rara & magna propter oblivionem quod reſpirandum ſit, raritas autem magnitudine reſpirationis compenſatur, ſitim quidem eſſe magnam veriſimile eſt ob ingentem æſtum, at ob defectum rationis non ſentitur. Pulſus parvus ac frequens, durus & aliquantulum undoſus ob laborans cerebrum, lingva eſt aſpera, nigraque vel citrina propter vapores bilioſos eam exſiccantes, æger modò flet, modò ridet, ſæpius è lecto aſſurgit, adſtantes vult mordere, aſſiduè nugatur cum clamore maximo & voce gravi.

Signa Paraphrenitidis.

Paraphrenitis verò hæc peculiaria ſigna habet, quod reſpiratio ſit parva & cita, quia inflammatum diaphragma non poteſt multum dilatari extendique, ideòque neceſſe habet eò citatiorem reſpirationem facere, ac parvitatem frequentiâ referre, vox in ea eſt acuta, quia reſpirationis organum impeditur, præcordia tument & diſtenta ſunt.

Hectica autem phreneſis hoc ſigno ſe dignoſcendam præbet, quod comitetur delirio ſubobſcuro, ac mitiori, in ea enim ægri ſunt quieti, ſilentes & dormire videntur.

Cauſæ.

Cauſa phrenitidis primariæ eſt inflammatio cerebri membranarumque ejus, cum accenſione ſpirituum animalium, quâ inflammatione fit attractio ab aliis locis ad locum affectum, accurſusque humorum, quâ membranæ intumeſcunt & dolorem excitant, cauſæ verò mediatæ ſunt humores quantitate & qualitate peccantes, eorumque efferveſcentia, quæ variis modis fieri poteſt, nempe per incaleſcentiam capitis à radiis ſolis ſummè fervidis, vel excandeſcentiam ac bilis commotionem, ut fit litigationibus, rixis, injuriis, aliiſque iracundiæ occaſionibus, ac præſertim in juvenili ætate ad iram pronâ, atque ad hunc morbum diſpoſitâ, item nimia commotio corporis per exercitium, luctationem, curſitationem, potationem vinorum fortium, potuumque facilè inebriantium, aliaque quæ apta nata ſunt cerebrum vel calefacere, vel debilitare, unde calefactum facilè humores acrioremque lympham, & catarrhoſam materiam attrahit, debilitatum verò ſuperfluitates non expellit, adeò ut utroque modo inflammatio cauſari poſſit, debilitatio autem vario etiam modo induci poteſt, nempe per deſidiam, laboriſque intermiſſionem, quâ excretitii humores cumulantur, vel per nimiam ſomnolentiam, item per ſtudia nimis pertinacia, lucubrationesque nocturnas &c.

Capita etiam anguſtiora & acuminatiora habentes, cilones vocati, procliviores ſunt ad phreneſin, ob anguſtum ſpacium, liberiorem ſpirituum commotionem impediens, unde coarctati facilè incaleſcunt, uti quilibet experiri poteſt, qui per alembicum parvum ſive parvæ capacitatis deſtillat, talem enim præ magno longè citius & vehementius incaleſcere, incommodioremque deſtillationem faceſſere advertet.

Huc quoque ſpectant ſequentia graviloquia Hippocratis:

Phreni-

Phrenitis eſt morbus virilis ætatis. lib. 3. aphor. 30
Senioribus annis quadraginta periculoſa. 8. 1
Phrenitici annum quadrageſimum excedentes non facilè evadunt. 8. 1
Phrenitis poſt peripneumoniam pernicioſa. 7. 12
Urina alba & pellucida phreneticorum mala. 4. 72
Luctuoſa ſuſpiria in acutis mala. 6. 54
Deſipientiæ cum riſu ſunt ſecuriores, cum ſtudio periculoſiores. 6. 53
Deſipientia in vigilia mala. 7. 18
Si reſidere vult æger in morbi vigore, malum in omnibus acutis. lib. 1. præſag. 16
Stridor dentium in febribus ſignificat inſaniam & mortem. 1. 17
Stridor dentium cum inſania, maximè pernicioſum. 1. 17
Phreniticus manum faciei admovens ad venandum quid inde, aut feſtucas, floccos & paleas carpens eſt morti vicinus. 1. 19
Spiritus magnus & ex longis intervallis delirium declarat. 1. 20
Perituri difficulter ſpirant, delirant, vigilant. 3. 10
Præcordiorum pulſus delirium portendit. 1. 25
Ut & frequens oculorum motus. 1. 25
Somnus neque noctu neque interdiu accidens, peſſimum. 2. 12
Significat futurum delirium. 2. 12
Capitis vehemens & perpetuus dolor in febre, malum. 3. 13

Prognoſis hujus affectus potiori parte in dictatis jam Hippocraticis propoſita eſt, quorum ſumma eſt, eum plerunque eſſe, atque etiam ipſius hujus Medicorum Dictatoris curationi fuiſſe lethalem, paucosque ab eo evadere, eò quod tenerrimum, nobiliſſimum noſtroque microcosmo verè cœleſti influentiâ roriferum membrum princeps tantam incendii toſtionem abſque interemptoria corruptione vix ferat, idque imprimis in ſenioribus, junioribus autem paulò minus timendus, præſertim eis cum riſu delirantibus, minorique ſymptomatum vehementiâ luctantibus, ac viribus non flaccidis, eòque magis, ſi poſt ſummum morbi vigorem notabilis quæpiam evacuatio prorumpat, videlicet per ſudationem, ſangvinis ſtillationem, aut ventris dejectionem. Prognoſis.

Hisce autem non contingentibus, ſed viribus concidentibus, lingvâ & manibus trementibus, dentibus ſtridentibus, vigiliis permanentibus, horrore, delirio ſerioſo & convulſione ægrum occupantibus, eoque intento ad colligendas feſtucas, floccosve, vel mutationem lecti expetente, vel ſtillam ſangvinis nigri è nare alterutrâ emittente, ſeu urinam albam & pellucidam alvique dejectionem albam excernente, hæc omnia lethalē exitum denunciant.

Curationis ſcopum proponit Authoris noſtri

TEXTUS.

IN phrenitide, cerebri membranarumque ejus inflammationem cum febre acuta conjunctam habente, curandi communes ſeu uſitatæ medicationes locum habent, ideòque non excutiendæ. Initium fit curationis, ut in morbo acutiſſimo rectiſſimè à venæſectione (habitâ nullâ ratione temporis, & horæ & ventriculi pleni) ad revellendum & evacuandum: Plethora ſi magna ſit, venæſectio ſequente die reiteranda. quæ ob urgentem neceſſitatem protinus & quidem copioſa, ſi vires ferant, ſangvisque redundet, adminiſtranda eſt, non injecto etiam clyſtere (emolliente & refrigerante) & ventriculo pleno. Si verò ætas & virium lapſus obſtent, cucurbitulæ homoplatis & cervici cum ſcarificatione applicentur. 2. Danda opera, ut æger quieſcat, neque huc neque illuc ſe jactando vires amittat. 3. Phreniticis ſuccus conſolidæ cum melle miſtus, & naribus infuſus prodeſt. Statim quoque in initio oxyrhodino caput madefaciendum: hoc nimirum ipſum depellit humorem & alterat.

4. Fiat irrigatio ſuper ſuturam coronalem, raſis capillis, ex olei roſarum ℥iij. chamomillæ ℥j. aceti roſacei ℥iſ. tepidè admoveatur. 5. Si inquietudines magnæ imprimis moleſtæ ſint, præſertim cum primis diebus vigiliæ admodum laborioſæ vires infeſtarint, & febrim auxerint, ſtatim exhibeatur laudani opiati doſis, poſtque octo horas repetatur, donec aſſumpſerit ℈j. imò in defectu laudani opiati tantùm exſiccetur opium, donec in pulverem redigi poſſit, & ejus grana VI. diſſolvantur in aqua nymphææ vel lacte, vel decocti refrigerantis ℥iij. additâ ſyrupi de papavere ℥j. ſi verò, quod ſemper fit, potum deſideret. ℞. aquæ nymphææ ℥iij. roſarum, bugloſſæ an. ℥VI. ſyrupi de ribibus aut limonibus ℥iiſ. ſalis prunellæ ʒj. aut ʒiſ. miſce, utatur pro potu. Potus in phrenitide. *Ad vigilias non incongruum erit fronti applicare epithema liquidum ſæpius linteis exſiccatis renovandum.*

Epithema.

℞. aquar. ſolani.
lactuc. an. ℥ij.
aceti roſac. ℥ſ.
laudani opiati ℈j.
camphoræ gr. VI. m.

Poſſunt quoque nares inungi ungvento ſequenti: Ungventum ſomniferum.

℞. ungventi populei ℥j.
eſſentiæ opii gran. iij. m.
Aut ℞. olei nucis moſchat. per expreſ. ℈j.
laudani opiati ℈ſ.
m. pro conciliando ſomno.

Bilis fervore contemperato exhibeantur ſæpè gr. X. ſalis perlarum,

rum, cum aqua borraginis vel bugloſſæ.

Lavari quoque poterunt crura & brachia decocto ſequenti:

Pedilavium.

℞. folior. ſedi.
nymphææ.
vitis albi.
roſarum.
vini fortis an. q. v.
capitum papaveris albi
& ſem. lactuc. ad libitum
f. decoctum. (a)

(a) Decoquenda in aquæ vulgaris q. ſ. eique frigefactæ immergendi pedes, manusque.

Cordi quoque epithemata applicentur refrigerantia, quibus utiliter admiſcetur eſſentia ſeu extractum croci ad ℈iſ. ſeu crocus ipſe & aliquot grana camphoræ. Teſtibus quoque adhibemus epithemata, quibus addatur aliquid aceti vini ad penetrationem. Facies lavetur ſæpius aceto roſaceo. Hinc corpus purgandum extracto rhabarbari aut infuſione ejus in aqua cichorii. Hinc ſi morbus non remittat, præſtat catulum in tergo inciſum, detractis inteſtinis calidum (b) *vertici applicare, ad partem anteriorem declinando, aut in ejus locum pulmonem animalium calidum, pullumve à tergo inciſum, quæ ſi refrixiſſe ſenſeris, aquæ calidæ, in qua incocta ſint capita papaveris & flores nymphææ, immerſa recalefacienda, & aquâ ſpongiâ abſtersâ iterum applicanda. Nam calor ille externus mitis humidus calorem internum temperat humectando: imò gradui caloris noſtri ſimilia cauſam doloris mitigant, concoquunt, æquabilemque reddunt, diſſipantque calorem præter naturam leniter rarefaciendo. Unde hoc tanquam primarium remedium præmiſſis his dictis ſibi quivis commendatum habeat. In reliquis progrediendum ad præſcriptum practicantium, addendo ſemper medicamentis aliquid ſolutionis perlarum, & in declinatione guttas aliquot auri potabilis, quia hoc ſolet Natura confortata plerunque morbi reliquias per ſudorem expellere.*

(b) Calore ſuo naturali adhuc tepentem.

NOTETUR etiam, ne uſus ſtupefacientium ſit continuus, ne fiat tranſitus de phrenitide in lethargum, cautè quoque applicentur in his, qui imbecillium jam ſunt virium, imprimis externa, ne materia in capite coaguletur, quæ propter imbecillitatem virium poſtea diſſipari & reſolvi non poſſet. Cautela.

Eodem modo paraphrenitis (c) *& delirium ſimplex, ac ſymptomata mitigantur, tolluntur que morbo curato, qui illorum cauſa.* Paraphrenitis & delirium.

Cautela. *Illud tamen notetur, quod ſi ſint criſeos præſagia & ſymptomatica, ſi item rheuma adſit, nulla adhibenda eſſe ſtupefacientia, ſed ſolum offerendam ſemel atque iterum doſin laudani opiati.*

(c) Febres acutæ omnes, malignæ & qualeſcunque morbi ſint, debellantur radicitus ut plurimum mox in eorum pullulatione, propinato inſigni quodam vomitorio, quod innumeris vicibus experti ſumus, verùm non expectamus, donec ſignis dignoſci queat, qualis præcisè morbus vel febris efflorelſcere velit, ſed eveſtigio & quam primùm quis ſe malè habeat, ſive vir vel fœmina, juvenis vel puer ſit, exhibemus ipſi centaurium noſtrum minerale, (cujus locum ſubire poteſt aqua benedicta Rulandi pariter in hoc libro edocta) in cochleari repleto vino albo, ſuperhauſtis adhuc binis vel ternis cochlearibus ejusdem vini, & circiter ſemihorâ poſt injungimus ſorptionem largi hauſtus calidi juſculi non pingvis, & protinus vomunt copioſam bilem ſive liquorem ſubviridem amariſſimum, & paulò poſt quoque bis, ter quaterve deponunt alvum liquida dejectione ſine ullis torminibus, ſicque plerunque ex tempore convaleſcunt, morbusque in ſui exortu defalcatur, ut curſum ſuum abſolvere nequeat, liquido argumento, morbos plerunque in ſtomacho incipere, indeque eorum causâ ejectâ nihileſcere & extingvi. Aſt ſi in ejusmodi inceptaneâ malaciâ hoc genus auxilii non adhibeatur, ſed uno vel altero die poſt inſtituatur, tum adeò optatè non ſolet ſuccedere, quod tamen non contingit culpâ medici ſed decumbentis, & condomeſticorum ejus, qui ferè ſolent expectare donec noxa morbi probè inſultet, antequam medicum vocari curent. Tumque Medicus cogitur vulgatæ viæ inſiſtere, ut ſartam tectam ſervet famam ſuam, ne ſi quid inuſitati ordinet, morbus tamen nihilominus triumphet, poſtmodum traducatur. Si tamen pauperculis gratis inſervit, atque inſuper medicamenta ipſis dono dat, tunc interdum efficacibus à ſeipſo præparatis medicaminibus in caſibus planè deſperatis magna præſtare poteſt, uti nobis accidit vocatis ad virum pauperem quinquaginta fortè annorum febre malignâ epidemica decumbentem, die morbi decimo, cum ſtudio jam delirantem, cantilenasque lugubres cantantem, ac colore lurido & livido per totam faciem conſpicuum, huic dedimus aliquot grana præcipitati aurei in tractatu noſtro de panacæis mineral. deſcripto, admixtis aliquot granis mercurii dulcis atque uno vel altero grano Panacææ Anwaldinæ invicem contritis, increduli tamen, aliquid effectum iri in tam deſperato ſtatu, ſicuti tamen contra omnem ſpem evenit, mercurius enim ſua potentiſſima reſolvendi qualitate ſtatim materiam febrilem aggreſſus eſt, ac per erumpentes innumerabiles petechias expulit, virumque convaleſcere fecit.

Qui

Experimentum ad omnes febres.

Qui verò talibus deſtituuntur, ſequens experimentum ſibi optimè commendatum habeant, quo etiam non ſemel honorificam opem ægris tulimus: nempe accipe naſturtium hortenſe vel aquaticum virens ac ſucculentum, contunde illud & exprime ſuccum, cui adde tertiam, quartam vel quintam circiter ejus partem aceti vini acerrimi, ac pugillum ſalis communis decrepitati, in affectibus pectoris potes etiam addere oleum olivarum, hujus mixturæ patiens ſingulis horis cochlearia duo plurave ſorbeat, rumpit apoſtemata interna, reſtingvit calorem febrilem, febresque omnis generis imprimis verò intermittentes eradicat, paulò ante paroxysmum propinata, bis terve reiterata, ut raro quarta repetitione opus ſit.

Non contemnenda etiam eſt cura Æſculapii Germanici nempe Carrichteri in phrenitide & paraphrenitide, quæ talis eſt: ℞. florum bellidis, ſalviæ, perſicorum & cydoniorum ana manip. ſ. aquæ fontanæ ℔. VIII. coque ad dimidias, colatura refrigerata inſerviat pro potu ordinario per totum morbi decurſum, omni alio potuum genere abdicato: Adhæc ℞. recentis herbæ anſerinæ ſive potentillæ q. ſ. nempe manipulos 4. vel 5. contunde eam probè cum aqua roſarum & ſale communi in pulmentum, quod cataplasmatis loco, ad craſſitiem digiti plantis pedum, carpis manuum & temporibus applicabis, dieque ac nocte geſtandum curabis, ac ſingulis 6. horis renovandum: ſi ad manus ſint recentia matura cydonia, cape eorum duo, & ſingula in octo particulas conſcinde, & affuſis aquæ octo libris ex eis potum coque ut ſupra, vel ſuccum eorum ſive mivam ſubſtituere poteris. Tum purgabis hoc modo: ℞. folior. ſenæ ʒvij. rhabarbari Germanici ʒij. ſeminis fœniculi ℥ſ. pro viro, pro fœmina autem ſeminis aniſi ʒiij. coque in ℔ij. aquæ ad tertias, colaturæ bibat largum hauſtum.

Eadem medicamenta ſuo modo quoq; obſervatis practicantium regulis & methodo in mania exhibentur, in qua prodeſt ſæpius exhibere flores antimonii, & antimoniata alia cum purgantibus permixta. Item extractum hellebori nigri præparatum cum ſuis corrigentibus & aliis purgantibus permixtum.

Ultimum in hoc morbo refugium eſt, ſi aliis non cedat medicamentis, admovere capiti intra coronalem & ſagittalem ſuturam cauterium potentiale, quod relinqvitur, donec tanta eroſio facta ſit, ut os nudum appareat. Hinc trepano aperiatur cranium, maneatq; locus apertus per menſem & ſanabitur à maniâ æger. Hinc ſ. a. conſolidetur vulnus.

CAP. VI.
DE EPILEPSIA PUERORUM, *Germ.* das Vergicht der Kinder.

EPilepſia puerorum aliquantulum differt à vera epilepſia, imò ſæpiſſimè planè non eſt iſte affectus, qui ſpecie convulſionis puerulos torquet, & ab imperitis medicis pro epilepſia curatur, ſi enim dolore gingivarum ab erumpentibus & eas perterebrantibus denticulis, vel etiam torminibus ventris à malignitate quadam lactis materni divexantur, tunc pariter ſe in cunis hinc inde incurvant contrahuntque, oculos pervertunt, ac nonnunquam pituitam ex ore reddunt, non tamen laborant paroxyſmo epileptico, qui muſculos ac nervos invito ægro dis tendit, ſed voluntaria quaſi contractione ad expellendam moleſtiam, quæ tamen in veram epilepſiam terminari poteſt. Hæc itaque eſt morbus pueris perfamiliaris, acutus & ut plurimum lethalis, eos crudeliter diſtorquens cum violenta oculorum perverſione, colorisque nativi faciei mutatione in lividum, ruffofuſcum & variè decolorem, ſpumæ protruſione, nec non corporis dis torſione.

Cauſæ. Cauſæ ejus plerunque ſunt nimia humiditas frigidaque cerebri intemperies, vel vapores acres ex inferioribus partibus aſcendentes, tenellum cerebrum lancinantes, idque vel à lumbricis in inteſtinis ſe dimoventibus, ac crebrò putrilagineam ſui habitaculi ſentinam inagitantibus, vel ſenſiles tunicarum parietes arrodentibus, vel à lacte vitioſo ac ſubacri, itemque dentitione difficili, nec non à nimiâ permadefactione ac diutinâ indormitione in perurinatis faſciis, eoque magis, ſi cum iſtis etiam infrigeſcant, ac neglectâ abſterſione plus juſto obſordeſcant. Item à ſordibus febrilibus, ac non rarò à ſolito variolarum & morbillorum reſtagnamento communi, ac cerebro nervoſoque generi perquàm hoſtili.

Prognoſis ejus eſt, quod quidem affectus ſit periculoſus, & plurimos infantes è medio tollens, facilè tamen à perito medico ſanabilis. Prognoſis.

Curationis methodum hæreditariis experimentis ex Aulis Haſſiacis Authori communicatis fretam tradit ſequens ejus

TEXTUS.

EPilepſia & ſimiles morbi, qui à paraxyſmorum vehementia & pernicie infames ſunt, duplicem habent indicationem. 1. Quæ paroxyſmum reſpicit. 2. Quæ ipſas morborum radices.

I. *Aqua vitæ mulierum* (Weiber *aqua vitæ, aliàs balſamus embryonatus, vide pharmacop. Auguſt.*) *propinata prægnanti menſurâ cochl. 1. cum ſpiritus antepileptici noſtri guttis iij. vel IV. ſingulis menſibus ſemel in novilunio à menſe quarto ad partum usque, fœtum ab epilepſia præſervat: præmiſſâ illâ majoris ſecuritatis ergo datur hic pulvis:*

℞. *ſpinam*

Pulvis præſervativus.

℞ *ſpinam dorſi vivæ muſtelæ* (a) *non coctæ ſed crudæ, à capite ad caudam probè mundatam & exſiccatam, eamque pulveriſa, hujus pulveris ℞. & magiſterii corallor. & perlar. an. ℥ij. m. doſis quantum cultelli mucro capit, in pulpa pomi aſſati.*

(a) Intelligit muſtelam piſcem Germ. Aalrupp.

Experimentum ad epilepſiam puerorum.

II. *Præſervantur pueri ab epilepſia, vel prorſus liberantur, ne unquam ſuccedente ætate tali paſſione capiantur, ſi recens jam natis, antequam lac ſugant, vel cibum comedant, ingeratur ol amygd. dulcium recens cum ſacharo fino permiſtum, utriusque ſit à ℥ſ. ad ℥ij. vel ℥iij. ſic enim ubi pauliſper à ſumpto hoc medicamento abſterſivo quieverit, materia epilepſiam generans laxatâ alvo educitur.*

Aliud.

℞. *ſtercus de vacca nigra adhuc calidum, indatur ollæ novæ & calcinetur, de quo exhibeatur ℈j. vel ℥ſ. modò nato infanti, (Electoris Saxoniæ ſecretum) tandem evomunt pituitoſam admodum copiam impuritatum in utero materno ante exitum collectarum (ſi præſertim in ſpiritu ducto aliquid menſtrui hauſerint) quæ impuritates ſunt cauſæ multorum morborum in pueris, nominatim verò epilepſiæ. Quod ſi non evomunt, per alvum ſaltem purgantur: deinceps ubi balneantur aliquandiu, & imprimis per tempus puerperii coquantur in balneo* (b) *cortices ſalicis recentes. Sic nimirum non ab epilepſia tantum, ſed etiam à tabe præſervantur (ſpecificum in aridura puerorum.)*

(b) Melius exiſtimo infantis uſitato lavacro portiunculam ſeminis pœoniæ juſto tempore collecti incoquere, idque aliquoties repetere, quidam accipiunt dicti ſeminis conquaſſati, caſtoriique ana q. p. ac in aquæ fontanæ calidæ q. ſ. diſſolvunt, eoque totum corpusculum infantis poſt ipſius lavacrum illiniunt; vel dictas ſpecies ſpir. vini extrahunt, & poſtea ejusmodi eſſentificato ſpirit. vin. eodem modo utuntur.

Spiritus antepilepticus puerorum (vide notas ad Crollium) cujus gutt. 6. 8. 9. cum aquis epilepticis, nempe florum tiliæ, radic. pœoniæ, aq. hirundinum, ceraſorum nigrorum, lavendulæ, it. aquâ epileptica Langii exhibitæ tum in paroxysmo, tum etiam poſt eundem mirificè puerorum morbum tollunt. (c) *Præſertim ſi in primo paroxysmo exhibeantur.*

(c) Sunt etiam alia experimenta hinc inde in uſu: Crato ſequens pro præſervativo recens natorum commendat: terantur aliquot amygdalæ cum lacte muliebri, inſpergendo parum ſachari, exprimantur omnia per linteum mundum, ita fit ſuccus inſtar lactis, qui infanti cochleari inſtille-

ſtilletur antequam quicquam alterius lactis ſumat.

Alii dant pulveris radicis valerianæ ſylveſtris pugillum cum lacte ſemel atque iterum, ſervetur etiam his pueris alvus aperta, cum teſte Hipp. alvus aſtricta infantium non parum faciat ad hunc affectum excitandum.

Præterea nutrix probam diætam obſervet, & aſſiduè rad. pœoniæ in ſuo potu infundat ſeu immaceret.

Vidimus etiam curatum hunc morbum exhibito infanti momento vitrioli veneris in ſubſtantia.

Si ſuſpicio ſit infantem laborare torminibus ventris, tunc opus non eſt confugere ad medicamenta epileptica, ſed ſacculi avenâ impleantur, & unus poſt alterum in ſartagine ſuper prunis calefactus ſuperponatur umbilico ejus, & quando frigeſcit, alius, & ſtatim ſi ex tormine ſit cauſa, melius habebit, alvusque proritetur ſuppoſitorio ex melle, dando ſimul operam, ne ambientis frigori exponatur nudatus, imprimis ad regionem umbilici ac pedes ipſius. Nutrix etiam fugiat potum impensè frigidum, cibisque multum cuminatis & aniſatis veſcatur.

At ſi jam grandioris ætatis pueri epileptici ſunt, ii tractabuntur methodo vulgari pro caduco uſitata, ut ſequenti capite habetur.

CAP. VII.

DE EPILEPSIA ADULTORUM, Germ. die fallende Sucht oder ſchwere Noth.

Epilepſia, caducus, comitialis, Herculeus & ſacer morbus ſynonyma ſunt ſignificantia horrendum illum morbum, quo laborantes ſubitaneo caſu in terram collabuntur, ac toto corpore imprimis verò cerebro & nervis convelluntur. Epilepſia quid?

Eſt itaque convulſio vel potius convulſivus motus totius corporis non perennis ſed interpolatis, ſubitaneis tamen & improviſis paroxyſmis ſuos ægros adoriens, omnemque plerunque mentis ac ſenſuum uſum pro tempore ſuſpendens ac lædens.

Pars affecta primaria eſt cerebrum ejusque ventriculi & nervi, imprimis autem cavitas illa media, ubi nervi principium ſumunt. Pars affecta.

Triplicem ejus differentiam fecerunt antiquiores practici, quarum una in ipſo cerebro cauſam & locum habeat, altera in ventriculo, quâ cerebrum per conſenſum ſibi cum ventriculo intercedentem afficiatur. Tertia demum in extremitatibus nempe digitis manuum ac pedum, à quibus quaſi aura quædam gelida surſum ſcandens, ac in cerebro paroxyſmum efficiens percipiatur. Verùm iſta ſcrupuloſa & ſuperflua diſtinctio non magno eſt neceſſaria opere, ſed ſufficit uti in aliis affectibus, ſic etiam in hoc dupliciter cerebrum

cerebrum & quodvis membrum principale ægrotare, nempe per idiopathiam & ſympathiam, qui tamen melioris intellectionis gratia præter ſympathicam ſeu magneticam epilepſiam, quâ membra principalia per imperceptibilem magnetismum ſibi invicem compatiuntur, veluti chordæ in teſtudine, ubi cum tactis etiam intactæ ſonant, etiamnum tertiam per acres vapores aliunde ſurſum fumantes contingentem conſtituere velint, cum illis equidem non litigabimus. Ubi etiam, ſi ſerupolosè diſtingvendum ſit, hæc differentia agnoſci debet, epilepſiam videlicet non ſemper dari completam, verùm ſæpenumero quoque imperfectam, non omnia ſenſuum officia intercipientem.

Signa.

Agnitio hujus morbi per ſigna diagnoſtica difficilis non eſt, cum plebejiſſimus quilibet ex horrendo inſultu mox præ omnibus aliis eum dignoſcere norit, verùm qualis ſit, idiopathicus vel ſympathicus, præſens vel imminens, in actu vel potentiâ in corpore, & quanam ejus parte nidulans, per certa ſigna, quantum experientiâ innotuit, disquirendum conjecturandumq; eſt.

Quæ triplicia ſunt.

In diverſos itaque ordines hanc materiam diſpeſcimus nempe 1. in ſigna naturalem ad hunc morbum diſpoſitionem indicantia. 2. Potentialem ejus inceptionem declarantia. 3. Actualem ejus fomitem jam idiopathicè vel ſympathicè gliſcentem, & identidem in paraxysmos erumpentem commonſtrantia. 4 Imminentem ipſius invaſionem præſagientia, nempe in his qui actualiter hoc morbo laborant, ſi verò nondum reapte eum ſunt experti, unum vel alterum ſignum per ſe ſpecialem quidem indicationem hujus affectus adeò certè dare nequit, ſed tantum generalem capitis laborationem graviſſimam, cum etiam alii vehementes ejus affectus eadem ſigna præſagia habeant, ſimul tamen concurrenter ſumpta, etiam in ſpecie aliquid certi indigitare queunt.

Signa ex diſpoſitione.

Naturalem proinde ad hunc affectum diſpoſitionem prænunciat temperamentum phlegmatico melancholicum, ſive complexio melancholica ſiccitate non excedens, ſed cum humida qualitate conjuncta, ut melancholicæ fœminæ ſolent eſſe, tales enim, quoad pituitam, ſuppeditant defluxiones, quoad melancholiam autē eas etiam quaſi ſalſificant & perauſterant, quâ auſteritate pontica eorum cerebrum facilè lancinatur, convellique aptum evadit. Quod etiam Hippocrates innuere videtur lib. 6. aphor. 56. inquiens: *in morbis melancholicis periculoſos fieri decubitus & convulſionem ſignificare*, i.e. defluxiones auſteritatem melancholicam ſecum vehentes periculoſiores affectus cauſare, nempe convulſionem &c. Unde idem Hippoc. lib. 6. de morbis popularibus in eandem ſententiam ſcribit: Melancholicos etiam plerunque fieri epilepticos & contra. Eadem diſpoſitio ſignificatur quoque à fixo gravique capitis dolore diuturno, pallore vultus, ſegnitie & gravitate corporis, perenni aurium

O tinnitu,

tinnitu, mentis torpore, capitis ſoporoſitate & perpetua ſomnolentia.

Signa potentialis inceptionis.

Potentialem verò inceptionem ejus conjecturari licet ex omnium prædictorum incremento, capitis gravante & doloroſâ gravitate, inſomniis turbulentis, obtutu defixo, mœſtitiâ & ſimilibus.

Signa actualis inceptionis.

Actualem autem ipſius fomitem jam ſenſibiliter gliſcentem produnt paroxyſmi luculenter demum ſive perfectè ſive imperfectè inſultantes, integer enim & perfectus paroxyſmus hominem ſubitaneâ correptione in terram proſternit, ita ut ejus ſenſus omnes interni externique intercipiantur, ac totum ejus corpus plerunque cum mugitu convellatur, concurrente ſtridore & frenſione dentium, reſpiratione ſuffocatoria inſtar eorum, qui laqueis ſtrangulantur, nonnunquam quoque excrementa alvi, urinæ & ſeminis unà in paroxyſmo involuntariè effluunt, tandem etiam ſpuma ex ore & naribus prodit, ubi paulo poſt æger ad ſe redit, actorum omnium immemor, miſerandâque debilitate delaſſatus.

Eſſentialisne verò ſit vel accidentalis hæc actualis laboratio, ex conſtitutione corporis perquirendum eſt, ſi enim jam antea perpetua capitis gravitas, doloroſitas, aurium tinnitio, memoriæ imminutio, difficilis auditio, oculorum & ſenſuum hebetudo, aliaque capitalium functionum vitioſa executio valdè moleſtaverit, morbum eſſentialem eſſe judicandum erit, ſin autem caput ejusq; organa ſat benè ſe habeant, in inferioribus verò partibus alicubi moleſtia percepta fuerit, auraq; inde ſubinde ſurſum ferri ſentiatur, ægritudinem accidere per ſympathiam conjiciendum eſt, ibique, ubi ſenſus moleſtiæ ſe percipiendum præbet, originem mali ſtabulari, cerebroque magneticè communicari, vel vaporaliter transmitti, quemadmodum à fundo matraciorum vapores odoriferi ſurſum in alembicos feruntur, naſumque adhibitum roſtro alembici feriunt.

Signa ab utero.

Communiſſimè verò ejusmodi transmiſſio in fœminis epilepticis ab utero proficiſci ſolet, quippe qui non ſolum magneticè cerebrum inſigniter afficit, verùm etiam vaporaliter, cum enim veluti in receptaculum omnis ſuperiorum impuritatum ſentina iſtuc confluat, teporemque putrificantem ibi inveniat, fœtorem & putrilaginem inde cauſari rationabile eſt, eoque non tantum uterum moleſtiſſimè affici, & contra adverſum ſibi ad illud exturbandum inſurgere, cerebrumque magneticè ſimul afficere, verùm quoque tam ex putrilagine, quàm commotionis incaleſcentiâ vapores modò ponticos, modò auſteros ſurſum efflare, præſertim in his, quæ multum ſeminis generant, nec illud debitè excernunt, quod poſtmodum corrumpitur, & maligniſſima pathemata excitat.

A ſtomacho.

A ſtomacho autem (cujus Duumviraticum imperium Helmontianū in reliqua membra non omnino de nihilo eſſe, res ipſa loquitur) fontem morbi eſſe, indicio erit notabilis in

in ipſo defectus, nempe ventriculi dolor, intumeſcentia, appetitus proſtratus, nauſea, inedia, mala concoctio, cardialgia, cibi faſtidium & ſimilia; inteſtinorum culpam redarguunt egeſtio vermium, tormina, excrementa malè colorata, atque innaturalis conſiſtentiæ, fœtor ſubacidus, narium creber pruritus, & ad vellicandum irritatio, dentium ſtridor & ſimilia.

Ab hepate & liene. Ab hepate verò vel liene primordium ſagittari portendunt multi ructus acidi, flatuumque copia, borborygmi, rugitus & murmura hypochondriorum, præcordiorum tenſio, & coarctans moleſtia, concurrente ſimul reſpiratione difficili, & ſpiritus anguſtiâ non perenni, ſed per vices exorbitante, aliaque, hæc tamen ad agnitionem epilepſiæ eſſentialis & accidentalis ſufficiant.

Signa caduci imminentis. Reſtat nunc quoque imminentis caduci ſigna declarare, quæ ſunt mentis inſolita conturbatio, triſtitioſus angor, capitis ſoporoſa vel vertiginoſa gravitas, aurium ſibilans tinnitio, oculorum fumoſa obverſatio, vel ſcintillarum, volantium muſcarum vel nubecularum imaginaria conſpectio, fœdi odoris perceptio, muſſitatio, obtutus defixio, membrorum ſubſaltillans vel tremula vel tractiva commotio, cephalalgia obſtinata & ingraveſcens, vigiliæ vel inſatiabilis ſomnolentia, inſomnia turbulenta, corporis ſegnities & gravaria pigrities, ſenſuum torporoſa hebetudo, extremorum ſpontanea perfrigeſcentia, faciei pallor, & ſimilia, quæ tamen non omnia in omnibus concurrere ſolent, ſed jam quædam ex eis in uno, alia in alio pro diverſitate cauſarum & variantium temperamentorum; paroxyſmum tamen ſemper præcedunt cordis palpitatio dolorque, nauſea, mentis conſternatio & animi deliquium.

Cauſæ. Cauſas quod attinet, eæ ex declaratis ſignis partim unà eluceſcunt, ſuntque internæ vel externæ, internæ ut plurimum ſunt: vel excedens cerebri nativa conſtitutio in frigiditate & humiditate, ut ſolet eſſe infantia, ac in fœminis complexio melancholicophlegmatica, quâ ingens pituitæ copia producitur, eâque cerebri & nervici principii meatus infarciuntur, ſpiritibusque animalibus libera reciprocatio impeditur, quibus poſtea impetuosè perrumpentib⁹ convulſiva alluſio cauſatur. Item lympha cerebri auſtereſcens, uti in dictis complexionibus facilè contingit, quâ acredine cerebrum ſubinde vellicatur, ita ut ad expellendum ſibi contrarium ſe contrahat, & convellatur. Itemque quædam ſubfrigida acredo ab inferioribus extremitatibus prorepens, nempe pollicibus manuum vel pedum, ſurſumque ſentiente ægro ſcandens, vel ſublimans, quâ etiam ligando interceptâ paroxyſmus interdum vel præcavetur, vel retardatur vel mitioratur. [Internæ.]

Externæ. Externæ ſunt repentina animi perculſio terrorque ſæpiſſimè epilepſiam inducens, frigefacit enim & congelat, uti tremor artuum poſt ingentem quemlibet terrorem ho-

minem invadens indicat, frigus autem mordentem acredinem in ſe habere teſtatur Hippocr. quod nimirum frigidum ulceribus ſit mordax, à terrore autem panico ejusmodi frigida & acris impreſſio ad intima penetralia humorum & ſpirituum defertur, prout melancholica diſpoſitio in vehementer conſternatis remanens edocet, quæ frigida mordacitas poſtmodum ſubinde ab affectibus animi renovatur, tenerumque cerebrum vellicando ad ſui convulſionem incitat.

Non minoris efficaciæ ſæva iracundia eſt, at planè contrario modo, facit enim impreſſionem inflammantem & adurentem, & amaram acredinem, uti quivis in aduſtis illis, quæ fundis ollarum adhærent, guſtando deprehendet, quod ſemper ſint inſignis amaritudinis, etiamſi prius fuerant frigidæ qualitatis, quæ amara ſive bilioſa acredo itidem intimè inſigillatur, & poſtea interſtinctos paroxysmos efficit.

Item diæta pravè nutrientium eduliorum, ſuccumque melancholicum gignentium; virulenti & tetri odores; caſus vel ictus capitis cerebrum debilitans, ita ut abhinc multa humiditas in eo coacervetur. Quod idem fit à continua heluatione & ingurgitatione potuum inebriantium, cerebrumque demum valdè debilitantium, uti quotidiè cernere licet.

Huc etiam pertinent ſequentia Hippocratis veriloquia:

Epilepſia ab aſſiduis imbribus cauſari ſolet. *lib. 3. aphor. 16*

Eſt morbus vernalis. *3. 20*

Nec non autumnalis. *3. 23*

Pueros facilè corripit ſub tempus dentitionis. *3. 25*

Maximè caninis dentibus erumpentibus. *3. 25*

Præſertim in pueris craſſioribus alvum duram habentibus. *3. 25*

Pueros qui ſeptimum annum nondum exceſſerunt, quàm promptiſſimè invadit. l. 3 præſ. 36

Adoleſcentibus eſt familiaris. *lib. 3. aph. 29*

Deſinit in pueris ante ſeptimum annum. *3. 28*

Vel ad pubertatem accedentibus, puellisque menſtruis erumpentibus. *3. 28*

Terminum hunc excedens ſolet inveteraſcere. *3. 28*

Ante pubertatem contingens mutationem recipit. *5. 7*

Poſt annum autem vigeſimum quintum ferè ad mortem usque durat. *5. 7*

In morbis melancholicis timeri debet. *6. 56*

Melancholici magna ex parte epileptici fiunt. lib. 6. de morb. vulg.

Epileptici omnes fiunt melancholici. *ibid.*

Quartanarii ſunt ferè ab eâ immunes. *lib. 5. aphor. 70*

Quartanâ ſuperveniente ſolvitur. *5. 70*

Prognoſin quod ſpectat, Epilepſia eſt affectus omninò chronicus, remediis quibuslibet ægerrimè cedens, imprimis idiopathica, ſympathica

Prognoſtica ſigna.

thica autem ſæpè expugnatur, at nequaquam hæreditaria, infantulis & pueris perfamiliaris eſt, conſiſtenti ætati rara, ſenioque planè inſolens, quod hujus loco crebrius apoplexiâ infeſtatur.

Poſt pubertatem eveniens difficilimæ quidem eſt curationis, ſuperabilis tamen efficacibus medicamentis tempore Hippocratis incognitis, attamen cùm ſat difficulter, & interdum planè non ſuccedat ejusmodi curatio, ſuprà citatus aphorismus adhuc hodie nequaquam falſitatis evincitur, cujus ſenſus eſt: epilepſiam poſt puberem utplurimum per vitam durare.

Nec, ſi vehemens eſt, longævam vitam concedit, ſed paroxysmorum vehementiâ cerebri & vitalium viſcerum œconomiam adeò invertit concutitque, ut ſuo officio ulterius diu fungi nequeant, imò non rarò in paroxysmo ægro vitam abrumpit. Interdum ſedem ſuam officinæ rationis infert, amentiamque melancholicam parit, atque in eam degenerat, miteſcente cauſæ morbificæ acredine, quâ non amplius convellit, ſed in fumoſam tenebroſitatem abit, lumenque rationis offuſcat, nonnunquam tamen pars ejus ſecedit in fumoſitatem, & mentem turbat, pars verò ulterius ſui ſimile attrahit auſteræ acredinis, & vellicando pergit, ſicque bini affectus alternando cohabitant, nempe caducus & delirium, quando videlicet cauſa eſt melancholiçophlegmatica. Ubi verò magis pituitoſa eſt, exuberante demum pituitâ in apoplexiam vel paralyſin abſcedit. Aliquando ægrotanti ſpleni ſe aſſociat, contumacemque quartanam excitat, ibique hoſpitata prioris morbi cauſa non amplius extat, ſplen verò non adeò delicatus mitius novum hoſpitem ſuffert, ingenti tamen totius corporis concuſſione & inſequentis caloris diutina aſſatione tandem materiam morbificam penitus diſcutit; ægrumque in ſtatum ſanitatis reducit.

Curationis inſtituendam rationem præpingit noſter *Curatio.*

TEXTUS.

In epilepſia in adultis I. *præmittantur univerſalia vomitiva, cathartica, imprimis ſpecificum purgans Paracelſi. Poſtea exhibeantur ſpecifica, qualia ſunt:*

II. *Epilepticum Crollii.*

III. *Pulvis antepilepticus ex cinabrio antimonii, qui talis eſt:* Pulvis antepilectus.
℞. *cinabaris antimonii, magiſterii corallorum, & perlarum ana:*

Alius: ℞. *cinabaris nativæ pellucidæ & ſplendentis* ℥ſ. *pulveriſa in marmore ſubtiliſſimè: adde magiſterii corallorum & perlarum ana* ℈ij *croci* ℈j. *folior. auri diligenter tritorum ſuper lapidem q. pl. reduc in pulverem, cujus grana VII. ad XVIII. in aqua ſalviæ propinentur, & ſæpius repetatur, vide ſupra de ſudoriferis.*

Pulvis epilepticus magnarum virium.

Alius pulvis epilepticus magnarum virium: ℞. cinabaris Ungaricæ probè lotæ & depuratæ ℔ ſ. imbibe cum ſpiritus vitrioli ℥ IV. ſcobis cranii humani nunquam ſepulti ℥ iſ. imbibe cum ſpiritu vini, relinque in loco calido per XV. dies, & poſtea per retortam deſtilla liquorem, & illud quod reſtat, ſeorſim ſerva. Hinc ℞. ſcobis ungulæ alcis ℥ iſ. myrrhæ rubræ ℥ ſ. ſolve in ſpiritu ſalis, ſolutum à fæcibus ſepara & ſerva; poſtea ℞. croci ℥ ſ. & cum ſpiritu vini ejus tincturam extrahe, liquores omnes ſimul miſce, & in iis imbibe cinabarim ante præparatam, lotam & pulveriſatam, calore lento ſemper exſiccando, donec omnem liquorem imbiberit, & in pulverem ſiccum abierit, doſis à gr. ij. ad 4. cum vino generoſo aut ſpiritu vini, vel aqua antepileptica in, ante, & poſt paroxyſmum.

Spiritus cerebri humani.

IV. *Spiritus cerebri humani, qui ſic fit: ℞. cerebrum hominis juvenis integri benè ſani (adoleſcentis infra annum 24.) & bonæ conſtitutionis, violentâ morte perempti, collige fruſtulatim cum omnibus membranis, arteriis, venulis & nervis, cum medullâ ſpinæ totâ, conquaſſa in mortario lapideo, & adde in cucurbita, vel phiola potius capaci aquarum capitalium ſcilicet florum tiliæ, pæoniæ, betonicæ, ceraſorum, lavendulæ imprimis, adde diaphoretici in acutis ad ſupereminentiam 4. vel 5. digitorum (plusquam de reliquis ſimplicibus aquis, addunt etiam ſpiritum vini) claudatur hermeticè vas, & relinquatur aliquandiu, per annum 1. 2. 3. &c. poſtea per cohobia deſtillatur ex balneo roris, ut tota (aliquota) cerebri ſubſtantia ſimul tranſeat. Hanc aquam abjectis fæcibus curioſè ſerva. Ex fæcibus poſt ſextuplex cohobium calcinatis elice ſalem, quem deinceps cum ſpiritu facto junge, & totum curioſè ſerva. Doſis à ℈ j. ad ʒ iij. in vehiculis convenientibus.*

NB. *Si initio non addita eſt miſtura ſimplex propter defectum, poſtea phlegmate per balneum leniter abſtracto adde miſturæ ſimplicis partem dimidiam, & procede, ut monitum eſt, doſis à ℈ j. ad ʒ iij.*

Epatum ranarum præparatio.

V. *Epata ranarum, quæ ſic parantur: Collige epata de ranis viridibus* (a) *aquaticis (non terreſtribus) 40. quibus vivis jecinora exime, & ſigillatim pone ſupra folia braſſicæ capitatæ ad eam partem, quâ terram reſpiciunt, ita ut ſe invicem contingant, poſtea in ollis devitreatis & recentibus* (irdene Bratpfannen) *ſuperiùs tectis exſiccentur ad lentum ignem, ita ut in pulverem tenuiſſimum teri poſſint, à foliis*

cautius

cautius ſeparata. Poſtea divide pulverem integrum in quinque partes æquales & ſerva.

(a) Nobis amicus, cui idem experimentum familiare & probati uſus erat, conſtanter aſſeruit, ſe tantummodò vulgares quaſcunque ranas accipere, nec opus eſſe prædictis viridibus operosè inſidiari, ut eorum epata ſelectivè obtineantur, plura tamen jecinora nempe 100. loco horum 40. ad dictum amici medicamentum requirebantur.

Uſus. *Partem unam exhibe patienti præmiſſis univerſalibus jejuno ventriculo, in hauſtulo aquæ vel ſpiritus appropriati, cum luna ingreſſa eſt in cancrum: veſperi duabus horis à cœna alteram partem, atque ſic conſequenter poſtero die manè tertiam, veſperi quartam, tertio die ultimam partem manè.*

Cautela. *Ubi tamen obſervandum, ſemper ante & poſt ſumptionem pulveris duabus horis ab omni cibo & potu eſſe abſtinendum. Si patiens præſertim adultus, poſt ſumptam hanc medicinam in fronte & temporibus ſudat, eſt teſtimonium operationis exquiſitæ. Itaque ſi poſt tertiam, quartam & quintam exhibitionem ſudor provocetur, vel in lecto vel in laconico totius corporis, effectus ſperandi ſunt uberiores.*

Caveant ſibi ab omni terrore, ab irâ, ab aqua & igne, à vino & ne videant epilepticos cadentes, horum nimirum conſpectu morbus, qui vel diu latuit, vel jam ſopitus erat, redire poteſt. Præterea etiam ab ejaculatione tormentorum. Præcipuè verò ſtudiosè evitet omnes animi motus vehementes, ebrietatem tanquam peſtem fugiat.

Diæta & cæteræ (ex res non naturales convenienti admodum ratione & modo obſerventur, ne aliquid accidat; quod iſti curæ impedimentum aliquod afferre poterit.

NB. *1. Ranæ virides tantùm & non aliæ accipiendæ ſunt, & quidem vivæ. 2. Hic pulvis menſe Majo, Junio & Julio usque ad medietatem Auguſti tantùm confici poteſt, extra hæc tempora ranæ inutiles ſunt. 3. Cum exſiccata ſunt epata, ut poſſint pulveriſari, folia braſſicæ capitatæ diligenter ſunt ſegreganda, & poſtea epata in mortario contundenda. 4. Hic pulvis ultra annum non durat, ideòque ſingulis annis ſi opus eſt, de novo præparandus eſt.*

Vix poteſt dici quantum emolumenti ab hac medicina ſimplici accidat. Inſtituenda eſt cura in Junio circa ſolſtitium, & ſi primo anno non correſpondeat effectus, altero anno hæc cura reiteranda. (b) *Hoc remedio reſtitutus*

tutus eſt Fridericus IV. Palatinus, qui ab anno XV. ætatis ad XXVI. epilepticus fuit.

Secretum Paracelſi.

(*b*) Accepimus ſecretis manuſcriptis ſequens conſilium Paracelſi, quod pro ſecreto Romanorum tum temporis Regi Ferdinando primo, germano fratri Caroli Quinti communicavit, quo ipſius arcanus curandæ epilepſiæ modus continetur, qui etiam verè curare potuit hunc morbum, uti ipſe in ſuis ſcriptis gloriatur, ſe nimirum radicitus averruncare poſſe caducum qualemcunque, quantumcunque etiam inveteratus ſit, ac mirè aphoriſmum Hipp. exagitat, quo affirmatur: epilepſiam, poſt vigeſimum quintum annum contingentem, ſolere ad mortem usque perdurare. Hiſce verò verbis laudatum glorioſæ memoriæ Regem communicato ſuo ſcripto affatur: Accipiendam curet Veſtra Regia Majeſtas ſphæram microcoſmicam (intelligit recens cranium violenter interempti, ſive per ſuſpendium decollationem aliosve modos viæ juſtitiæ uſitatos, ſive per violentum obitum in bello id factum ſit, in particulas confractum) eamque ex retortâ vitreâ, per candentis ignis expreſſionem, deſtillandam, donec omnis liquoroſa ſubſtantia transſcenderit, quæ ſuo reſiduo reaffundatur, denuoque ſtillatitiâ expreſſione abſtrahatur, idque ternis vicibus repetatur, tum parata eſt hæc precioſa aqua inſtar auri aſſervanda.

Adhæc V. R. M. alteram quoque aquam deſtillandam mandabit è radice & herbâ pœoniæ, reſiduamque ejus terreſtritatem ignis comburio incinerandam, propriaque ipſius aqueitate ſalem ejus extrahendum ut artis eſt, quippe qui ſal mirabilis virtutis eſt. Hiſce ſic elaboratis, Veſtrâque Regiâ Majeſtate in deſiderio habente aliquem ab epilepſia etiam ultra vigeſimum annum inveteratâ liberandum dare, tunc ſuperioris aquæ recipiantur ℥iij. cui admiſceatur recentis caſtorei ʒj. ſpec. diamoſch. dulc. ʒj. mellis ʒij. anacardini ℈iſ. ab his dicta aqua adhuc ſemel deſtilletur ex M. B. optimoque ſtudio adhibito. Tum ℞. fol. auri optimi gran. XX. ſpiritus ſive olei vitrioli V. guttas, olei aniſi gutt. X. hujus mixturæ detur in paroxyſmo quantum cochlear menſale pro una vice capit, idque per novem dies quolibet manè repetatur, cum jejunio trium horarum, reſtituit enim omnes epilepticos, ac fundaliter eos reconvaleſcere facit. Humilimè itaque precor, ut V. R. M. hæc in ſecretis habeat.

Amuletum antepilepticum.

VI. *Amuletum ex frutice ſambuci in ſalice* (c) *inventi: diligenter obſervetur, ubinam in ſalicibus præſertim antiquis ſubnaſcatur ſambucus, id quod ſæpè fit præſertim in ſalicetis, ubi non procul ab iisdem ad hortorum ſepes ſambucus plantata fuerit; hîc nimirum grana matura ab avibus leguntur, præſertim à pico. Picus nimirum excrementa ſua poſt comeſta*

meſta grana Sambuci deponens ſuper ſalicem antiquam (cui interdum innaſci ſolent aliæ plantulæ vel frutices, nominatim verò amara dulcis, urtica, chelidonia) exinde quaſi primordia figit & ponit ſambuci exinde naſcentis. Picus autem quia epilepſia laborat, hoc nobile periapton ad ſimilem morbum curandum facit. Colligatur frutex quolibet menſe, melius tamen in Septembri, & Octobri, quando maturuerint grana ſambuci, ante plenilunium diebus duobus, & reſervetur uſui. Servari poteſt annos 12.) teneriores ſaltem ſurculi ſufficiunt.

Experimentum contra incendium domorum.

(c) Idem eodem modo collectum fruticale lignum reſtingvere quoque quodlibet domorum incendium, amicus quiſpiam nobis confidenter aperuit pro certo atque à ſeipſo verificato, ſi in illud conjiciatur, injectionem tamen operanti ſat grave faceſſere negotium, uti ſibi id tentaturo obtigerit, adeò ut dum voluerit igni accedere propius, iſte quaſi probè ſe agnoſcens flammam velut ad ſcopum contra ſe vibraverit, acceſſionem & injectionem dictam depulſurus, unde ſe coactum fuiſſe eminus ſubſiſtere, commemorataque ligni fruſtula oneratæ pulvere pyrio bombardulæ ephippiali, quam vulgo piſtole vocant, intrudere, ac diſploſione in incendium jaculari, quo etiam confeſtim ardendi vim amiſerit, fueritque extinctum.

*Uſus talis eſt: ſeca ſurculum unum tenuiorem in taleolos tenues, & quantum fieri poteſt, integros. Eorum novem redigantur in nodulum, vel ex linteo vel ex ſerico confectum, & cum ſimplici filo lineo, (*das in demſelben Hauſe geſponnen / und von dem Patienten / *licet parum referat) fiat amuletum adpenſile collo usque ad orificium ventriculi, ut rectè nodulus eò pertingat. Applica verò hunc nodulum, poſt univerſalia exhibita ad mundificandum corpus, quolibet tempore ſeu ante ſeu poſt paroxyſmum; nodulus relinquatur tamdiu, donec ſponte ſuâ citra omnem vehementiam rumpatur filum, & nodulus videatur cadere, quem deinceps neque in ſe patiens, neque ullum animal nudis manibus vel pedibus tangat, ſed mediante aliquo inſtrumento, vel forcipe, vel alio ſepeliatur ſubtus terram, eo in loco, ubi neque homines neque animalia pertranſire poſſunt; Secus ſi tetigerit, morbus epilepticus denuò invadet eum: vel alios antea morbum non paſſos corrumpit, id quod ſtudioſè eſt evitandum. Hoc amuleto curari poſſunt & ii, qui longiſſimo tempore hoc morbo laborarunt.*

A curatione deinceps diligentiſſimè præſervandi ſunt ab omnibus cauſis externis, alioquin huic

morbo infeſtis, de quibus diximus in præcedentibus.

Nota: in adultis ſoleo ex majoribus ſurculis excavatis facere cannas, per quas tempore geſtationis amuleti omnem ſuum potum hauriant.

VII. *Spiritus vitrioli volatilis duplex, de quo in notis ad Crollium (præſertim in adultis.)*

VIII. *Laudanum epilepticorum, de quo in opiologia & infra de apoplexiâ.*

Radicis pœoniæ collectio

IX *Radix pœoniæ maris nimirum ſeu nigræ, nam fœmina nullius efficaciæ, ſi ſuſpendatur de collo pueri epileptici, morbus cedit, ſed radix effodienda eſt in Julio* (d) *lunâ decreſcente, ſole exiſtente in leone in meridie & die ſolari.*

(d) Melius eſt cum D. Desgrands prez obſervare propriam pœoniæ conſtellationem, nempe inclinante lunâ in ariete exiſtente, quo tempore effoſſa radix ſolâ de collo geſtatione morbum abigit.

Viſci quercini collectio

X. *Viſcus quercinus lunâ decreſcente inter duo Mariæ feſta h. e. XV. die Auguſti & VIII. Septembris collectus: nobilior autem habetur illa pars, quæ quercui propior reſecta eſt.*

Mixtura antepileptica.

XI. *Mixtura antepileptica, quæ ſequenti modo fit:*

℞. *ſpiritus vitrioli viridis ex vitriolo & urinâ puerorũ ℥j. ℈j. cum aquâ rad. pœon. & flor. tiliæ an. ℥j.*

m. de hac mixtura exhibe in paroxyſmo, membris convulſis & contortis cochl. ſemiſ. guttatim, & paulo poſt redibunt ad ſeſe recollectis ſenſibus, quo animadverſo denuò aliquid exhibeto, atque ita tertiò; quòd ſi quidem rediturus ſit paroxyſmus, ut fieri poteſt, eundem proceſſum repete. Poſtea confortantia cerebrum adhibeantur, ceu ſunt magiſter. corallor. perlar. cranii humani &c. multum poſſunt hæ tabellæ: Tabulæ ad epilepſiam.

℞. *magiſter. cranii humani ℥j. (quod fit ſi ſupra cranium pulveriſatum affunditur ſpiritus vitrioli, & fermentatur, poſtea bis vel ter abſtrahitur, remanebit pulvis elegantiſſimus inſtar magiſterii) gran. pœoniæ n XVI. ſachari in aqua theriacali ſoluti q. ſ. f. ſ. a. tabulæ, quarum una atque altera tam manè jejuno ventriculo, quàm veſperi longè à paſtu & cœnâ exhibeantur.*

Paroxyſmus epilepticus inſtans ut avertatur, æger ſigna quædam præſentiens ſtatim capiat pil. 1. laudani antepileptici vel rotulam unam antepilept. aut in horum defectu ol ſuccini guttam unam & alteram.

Nares autem inungat balſamo antepileptico, aut balſamo ſuccini.

Præſens

Præſens ſedatur modo ſequenti: Cadentis ori cuneus immittendus eſt, ut apertum maneat, nec lingvam commordeat, altâ voce inclamandus, nares conſtringendæ, & ſternutatorio ſequenti irritandus:

Pulvis ſternutatorius.

℞. rad. hellebori albi ʒj.
caſtorei.
euphorbii an. ʒß.
m f. pulvis.

Suffitus etiam fieri poteſt ex ſuccino albo.

Membra incurvata molliter ad rectitudinem reducenda, fricanda & continenda.

Fauces extracto caſtorei, oleo ſuccini, aut mithridatio vel theriaca in aquâ epileptica ſolutis: nares autem & tempora balſamo apoplectico illinenda.

Et ſi ſuſpicio ſit, eam ob vitioſos humores in ventriculo collectos, & ad caput exhalantes fieri, utile eſt excitare vomitum cum aquâ benedictâ, aut vitriolo albo in aquâ pœoniæ, in qua ſcobs viſci quercini bullierit, diſſoluto.

Paroxyſmo ſedato, ſi metus ſit, ne mox revertatur, clyſteres acres injiciendi ſunt ad avertendos humores acres, aliosq; ad cerebrum irruentes.

Cucurbitæ item cum ſcarificatione humeris applicandæ, & ſi plethora adſit, vena (e) *ſecanda.*

(e) Venæſectio nullatenus convenit, eſt enim morbus frigidus, ſangvinis autem miſſio adhuc magis infrigidat, & morbum fortiorat, ut exactè obſervavimus, & nuper in epileptico melancholico, cui chirurgus propriâ authoritate venam ſecuerat, ita eventurum chirurgo eodem argumento præoſtendimus, quod & evenit, & quidem tanto incremento, ut ægro eo intereundum fuerit, qui aliàs in juvenili ætate conſtitutus ſervari fortaſſis potuiſſet.

Quo facto ad radicis epilepticæ exciſionem progrediendum, ubi præſcripta bona vivendi regula ad univerſalem totius corporis evacuationem perveniendum, obſervatis hac in parte practicantium regulis; nonnunquam utile eſt admiſcere purgantibus extractum ſcammonii, aquam benedictam, extractum hellebori nigri &c. & ſæpius præparatum corpus purgare mercurio dulci, mercurio vitæ, floribus antimonii (f) *&c.*

(f) Convenientiſſimum hujus morbi purgans eſt extractum rad. hellebori nigri ſpiritu vini factum & inſpiſſatum, fortiter enim purgando cauſam morbi deorſum trahit. Quod probè intellexit Maſſaria, qui rectè Medicis culpam objicit, quod ſemper in levibus purgantibus hæreant, atque ideò rarò aliquid opere dignum in curatione epilepſiæ efficiant. Plenum tamen compendium fructuoſæ purgationis

Purgans in epilepſia.

nis conſiſtit in exacta obſervatione cerebralis conſtellationis, ut nimirum ejusmodi pharmaca adminiſtrentur pridiè novilunii pleniluniive, vel alterutrius lunæ quadrantis, ob miram cerebri harmoniam cum curſu lunæ.

Hinc ad caputpurgia, & ad ea quæ à proprietate (g) *conferunt, accedendum, non neglectis iis quæ caput exſiccant, & maximè roborant.*

Tabulæ antepilepticæ.

Tabulæ antepilepticæ:

℞. *rad. pœoniæ ℨj.*
magiſter. perlarum.
corallor. an ℨiſ.
cranii human. ℨſ.
Sachari in aq. flor. tiliæ ſoluti q. ſ. f. tabulæ, detur una atque altera manè jejuno ventriculo & veſperi longè à cœnâ.

Aqua epileptica.

Aqua epileptica:

℞. *flor. lil. convallii manip. ij. infunde in ſ. q. vini generoſi, digere per decem dies vel donec habere poteris.*
flor. tiliæ recentium ℔ſ.
pœoniæ ℥iv.
deſtilletur in B. M. ad ſiccitatem, in deſtillato iterum infunde:

℞. *rad. pœon. ℥j.*
dictamni albi.
viſci quercini an. ℥ſ.
cranii human. præp. ℥ſ.
rad. pyrethri ℨſ.
fol. rutæ m. I.
flor. ſtœchad. Arab.
lavend. an. pug. iiij.
betonicæ p. vj.
caſtorei ℈ij.
cubebar.
maceris an. ℨij.
cinamom. ℨj.
ſcyllæ præp. ℨiij.
digere iterum per XV. dies, hinc per alembicum in M. B. deſtillatur, & aqua uſui reſervatur. Doſ. ℥ſ. ad ℥j.

Clyſterem in epilepſia vide in cap. ſeq.

Balſamum vide etiam in cap. ſeq.

(g) Etiam vulgaria ſpecifica huc accerſenda veniunt, cum non cujusvis ſit arcaniſſima & rariſſima præparata obtinere. Tinctura florum hyperici cum ſpiritu vini facta, cujus ſupra de amentia mentionem fecimus, etiam mirè hîc valet, ordinavimus quoque ſequens cum ſucceſſu:

℞. ſaponis Hiſpanici ℨſ. vel ℈ij.
coque in lactis vaccini recent. ℥IV.
colatura integra manè jejuno ſtomacho calida ſorbeatur, ac veſperi eadem doſi repetatur, id continuando per aliquod temporis ſpacium.

Spiritus ſalis gemmæ, & armoniaci urinoſus egregiè hic conveniunt, crebrò alicui vino medicato guttatim inſtillati usque ad ſaporis perceptionem, vinum tale parari poteſt è radicibus pœoniæ maris, valeria-

nae

næ ſylveſtr. calami aromat. enulæ campan. foliis betonicæ, ſalviæ, anagallidis rubræ, rutæ ſylveſtris, floribus hyperici, liliii convall. lavend. tiliæ ſeminibus pœoniæ, dauci, fœnic. aquileg. viſco quercino &c.

In diæta Paracelſus commendat loco olerum nempe betæ &c. coquenda folia hellebori nigri, atque eum in modum comedenda, ut aliàs cocta olera edantur, ſalique communi pro condiendis ſive ſaliendis cibis viſcum quercinum pulveriſatum ſubſtituendum, quo etiam ſi patiens contentus ſit, nec ſalem communem depoſcat, certiſſimum ſignum eſſe, eum vero laborare caduco, & ſi jam curatus videatur, velisque noſſe, an cura ſit abſoluta, hoc ex eodem ſigno mox ſciri ac pernoſci poſſe, quamdiu enim æger condimentum viſci quercini loco ſalis accipiat, nondum eum perfectè eſſe curatum, ſed rurſum paroxyſmis inſultatum iri, curatum etiam diſtingvi ab incurato hoc ſuffitu:

Suffitus ſingularis.

℞. raſuræ cornu caprini ʒj.
aſæ fœtidæ ʒſ.
m. injiciatur prunis ad ſuffiendum, quo nondum curatum confeſtim in paroxyſmum cadere, curatum vel ſanum minimè.

Porrò loco vulgaris confectionis docet ſubordinare ſemen pœoniæ, nec non pro incoctione radicum petroſelini, radicem pyrethri injungere, vitandas verò eſſe carnes caprinas, poma, pyra, aromata, rapa, raphanum, ac libidinem, provocantia, conducere autem carnem agninam, fœniculum, cumynum & lac ovinum.

CAP. VIII.

DE APOPLEXIA, Germ. der Schlag / oder die Gewalt Gottes.

Apoplexia quid?

Apoplexia ſive attonitus morbus eſt ſubitanea ſenſuum cunctorum motusque privatio, & ſoporoſa interceptio facultatum animalium, repentè ac improviſè hominem ad eum diſpoſitum corripiens, omnesque actiones intercludens atque ex inſtanti ſuſpendens, adeò ut ſolâ aliquali reſpiratione difficili vel potius ſtertore à mortuo differat.

Differentiæ.

Ejus duæ ſunt ſpecies, una quæ jam deſcripta veraque ac fortis apoplexia eſt, altera eſt remiſſior atque hemiplexia nominatur.

Apoplexia fortis eſt morbus acutiſſimus, celerrimè interficiens, hemiplexia verò aliqualem ſenſum ac motum, ſed valdè impotentem ac ſtuporoſum, atque alterutrum latus corporis reſolutum relinquit.

Agnitio & dignotio hujus affectus haud difficulter habentur per hæc ſigna diagnoſtica: In apoplexia forti omnimoda ſenſus & motus privatio fit, eâque correptus ſubito, interdum verò ſenſim nullis tamen plerunque malis ſignis ante paroxyſmum præcurſoriis præmonitus cōcidit, ac inſtar cæſæ victimæ attonitus corruit, fixis jacens oculis, ac abſque omni ſenſu, motu, & intellectu ſtertens, cum pulſu magno difficilique reſpiratione, quæ vera reſpiratio non eſt, ſed ſtertor, reſoluto

Signa.

enim cerebro, meatibusque inde conniventibus, animali ſpiritui non patet exitus ad nervos, ſicque ſpiritibus motoribus interceptis thorax dilatari nequit, abitque reſpiratio in ſtertorem, pulſusque ſtagnantibus fuliginibus fit magnus, brevi tamen ſuffocandus, membra laxa manent, & elevata pondere ſuo concidunt inſtar ſtrangulatorum.

In mitiori verò dicta ſymptomata obtingunt remiſſius, atque ægri non rarò ante ingruens malum hebetudinem quandam ſenſuum percipiunt, nempe debilitatem memoriæ, gravitatem vel obtuſum dolorem capitis & ſimilia, & poſtmodum itidem derepentè deficiunt, corruendo vel ſenſim inclinando ſenſuque ac motu privantur, cum ſtertorosâ, minùs tamen ſuperiori, difficili reſpiratione, ſudorisque eruptione oculis ſuſpenſis vel clauſis, qui etiam tandem ad ſe redeunt, ac munere videndi, audiendi intelligendique repotiuntur, verùm alterutro latere vel aliquo corporis membro, nempe lingvâ, brachio &c. reſoluti.

Pars affecta eſt cerebrum ſecundum ejus medullam oblongatam, principiumque nervorum in baſi calvariæ à cerebro prodiens.

Diſtingvitur apoplexia à caro, quod in hoc æger adhuc vellicatus ſentit, integrè reſpirat, & concuſſione excitari poteſt, licet oculos vix aperiat, & interrogatus non reſpondeat. A comate verò, quod in eo æger adhuc facilius quàm in caro, fit excitabilis, oculosque concuſſus aperiat & reſpondeat, utut mox in profundum ſoporem relabatur. A lethargo autem, quod is ſemper febrem & delirium conjuncta ſibi habeat, quæ omnia in vera apoplexia deſunt, quo pacto autem hæc ab hemiplexia diſtingvatur, docet Avicenna, quod nimirum in forti attonito morbo vitium conſiſtat in illis meatibus qui ſunt ex cerebro: cujusmodi ſunt nervi, cerebri ventriculi nec non radix medullæ dorſalis. In debili verò noxam hærere in meatibus, qui eunt ad cerebrum, ut ſunt venæ jugulares & arteriæ carotides.

Cauſæ hujus funeſti affectus ſunt diverſæ, quarum præcipua eſt calor naturalis debileſcens, ut fit poſt annum ætatis quadrageſimum, quemadmodum enim idem in macrocoſmo accidit, ut deficiente calore herbæ ac folia flacceſcant ac decidant, nebularum, imbrium ac procellarum proventus fiat, ita quoque deficiens calor in microcosmo vegetum virium ſtatum membrorumque reddit flaccidum, & defluxionibus imbrioſum, cumulanturque pituitoſa excrementa, ac diſtenti antea meatus connivent more foliorum in vegetatione ſua lætè ſurſum exporrectorum, in flacciditate verò deorſum pendulorum, ſicque ſpiritus animales in pituitoſioribus tam præ anguſtiâ pituitæ opplentis, quàm conniventiâ flaccidorū meatalium parietum facilè ſiſtuntur, totaque ſenſuum œconomia momentaneè ceſſat, & apoplexiam fortem vel debilẽ efficit pro majori vel minori infarctamento, vel reciprocationis Cauſæ.

tionis

tionis impedimento. Sic etiam continuæ crapulæ & ebrietates ardens ellychnium lampadis vitæ præſertim in debili & decrepito ſenio facilè obruunt, lumenque ſenſuum extingvunt, vel crebris tumultibus inebriantium ſpirituum cerebrum adeò debilitant, ut ſuperfluitates neque concoquere neque expellere amplius valeat, ſed aliquando omnes ejus functiones repentè ſuccumbant. Non minus quoque continuatæ per longum tempus lucubrationes & indefeſſi ſenſuum labores cerebrum tandem inſigniter labefactant, anſamque conſimilis debilitatis & conſequentiæ præbent ut dictum eſt, quod etiam præſtari ab inceſſabili cacoëthe uſus nicotianæ, multoties à practicis obſervatum eſt. Temperamenta etiam phlegmatica, ac tempeſtates, regionesque humiditate excedentes creberrimè ad hunc morbum ſuſcipiendum diſponunt. Cauſa ejus quoque exiſtere poteſt delapſus ex ſublimi, capitis concuſſio, mœror, ſubitaque mentis conſternatio & conſimilia.

Mentionem ejus etiam facit Cous Vates in ſequentibus graviloquiorum locis:

Apoplexia eſt morbus ſenilis. lib. 3. aphor. 31
Et popularis in pluvioſa conſtitutione. 3. 16
Eſtque morbus hyemalis. 3. 23
Cerebro vehementer concuſſi fiunt protinus muti. 7. 58
Melancholici decubitus denunciant corporis ſyderationem. 6. 56
Apoplexia fit maximè ab anno quadrageſimo ad ſexageſimum. 6. 57
Ebrius repentè obmuteſcens convulſus moritur, niſi febre corripiatur. 5. 5
Apoplexia fortis eſt impoſſibilis ſolutionis. 2. 42
Debilisque perdifficilis. 2. 42
Qui ſtatim muti fiunt & ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi febri corripiantur. 6. 51
Apoplectici in ſeptem diebus pereunt niſi febris accedat. 2. de morbis
Apoplecticæ affectiones derepentè exolutorio modo fientes pernicioſæ. in coacis
In valdè acutis medicandum eodem die. lib. 4. aph. 10
Caput gravatum medicandum calidis. 5. 22

Prognoſis.

Prognoſin quod ſpectat, perceptum jam eſt majori ex parte in aphoriſmis, nempe apoplexiam etiam debilem exiſtentem magnum curationi faceſſere negotium, fortem verò extra omnem ſpem eſſe, ad eum verò proni diſpoſitique ſunt catarrhoſi, frigidumque ac pituitoſum cerebrum habentes, ac crapuloſi, pluribusque dietim eduliis ſe eſſarcientes, quàm natura eorum conficere poteſt, quique vehementes capitis dolores diutinosque crebrius perſentiſcunt, nec non quibus perpetim extrema frigent ac ſtuporeſcunt, irruens verò paroxyſmus juxta magnitudinem ſuam gravius vel levius periculum affert, quò

enim

enim difficiliorem reſpirationem efficit, eò ingentius diſcrimen declarat, maximè comitatus ſudore eoque frigido, is enim omninò lethalis eſt, interveniens autem febris benè ſperare jubet, ſi ſit acuta, moxque initio incaleſcat, lenta verò vel mediocris non tam benè, nulloque modo febris diu poſt ſe ingerens, quod etiam Hippocr. innuit, in coacis dictitans: *Apoplecticæ affectiones exolutoriæ, febre temporis progreſſu accedente pernicioſæ.* Mitior ſæpius ſolvitur in paralyſin, pulſus plenus & fortis manet, atque imperitos medicos decipit, mortisque periculum nihil minuit, ſecus ac in apoplexiâ uterinâ, ubi pulſus penitiſſimè ſæpè aboletur, & tamen creberrimè ad ſe ægra redit; retinent apoplectici quoque faciei colorem, hocque & forti pulſatione à syncopticis diſtingvuntur, quibus ſemper ſudor frigidus & viſcidus, faciei decoloratio, pulſusque imminutio ſolemnis eſt.

Curationis accinctionem tradit noſter

TEXTUS.

IN apoplexia qualicunque inſignis eſt:

I. *Spiritus cerebri humani, de quo in epilepſia.*

II. *Sangvinis arterioſi humani ſpiritus, cujus vires inſigniter commendat D. Graseccius Argentinenſis in libro ſuo de vita humana, nuper edito Spiræ in quarto 1615. Germanicè. Utriusque operationes & vires vide ibidem in aliquot obſervationibus ab ipſo habitis. Spiritum ſangvinis arterioſi vocat aquam benedictam. Spiritum cerebri humani vocat aquam auream.*

Apoplecticos excitant:

I. *Mercurius vitæ, juſtâ doſi exhibitus, à crebris enim vomitionibus in robuſtioribus primâ regione ventris expurgatâ, paulò poſt ad ſeſe redeunt. Præſertim ſi epithema fiat ad ſuturam coronalem ex ſuccino pulveriſato, & in ſacculum oblongiorem interpaſſatum conformato, prætereaque in aqua vitæ vel ſpiritu vini cum pipere longo eſſentificato, & cum olei ſuccini guttis aliquot aſperſo, decenti ligaturâ ſuturæ coronali impoſito multum prodeſt, ſi (in debilioribus ſcilicet) præſertim ubi mercurius vitæ non eſt exhibitus, enemata primò leniora, poſtmodum & acriora injecta fuerint.*

II. *Excitant ſternutationes præſertim ex ſemine nigellæ & ſeniore nigra Paracelſi hoc eſt helleboro nigro (& moſcho & ambra, item ſemine lolii quod ſemine nigellæ tutius & melius) exempli gratia:*

℞. fol. majoran. ʒij. Pulvis ſternutatorius.
ſem nigellæ ʒj.
rad helleb nigr. ℈ij.
moſch. opt. ℈ſ.
ambr. gran. VI.

m. f.

m. f. pulvis, doſi magnitudine piſi inſufflatur in narem utramque calamo fortiter.

III. *Fumus pennarum perdicum. Item fumus ſuccini, vel etiam oleum ſuccini intra nares ſæpiſſimè cum pennâ perdicis ſumptum.*

NB. *In Apoplexia mirabilis eſt ille balſamus vitæ ex nobiliſſimis illis balſamis, Orientali nempe & Turcico, itemque oleis aromatum diligenter confectus à nobili Chymico Johanne* Eichtenacker / *doſis à gran. ij. ad iiij. in miſtura ſimplici cum aqua appropriata, de quo in notis ad Crollium.*

In præſervatione maximè conducit balſamus apoplecticus Crollii; item aqua vitæ apoplectica ejusdem.

Aqua antapoplectica. *Ad præſervationem autem & curationem*(a)*unicè prodeſt aqua antapoplectica meæ compoſitionis, quæ ſic eſt:*

℞. *florum lilii convallii menſe majo cum exortu Solis collectos (maturos & adhuc roridos ſtatim in vitrum ingere ſine lotione ullâ) eosque recentes ſine apiculis, ſaltem protuberantes flores abs cerptos, in vino generoſo malvatico vel alio dulci digere ad ſolem, in vitro optimè clauſo, relinque tamdiu, donec etiam lavendula floreat, cujus flores cœruleos ſine calicibus & apiculis diligenter ſeparatos æquali pondere conjunge cum floribus lilii convallii in idem vitrum, quod firmiter clauſum relinque usque ad menſem Septembrem. Tandem per alembicum ex balneo deſtilletur, & quæ primo loco egreditur aqua ſpirituoſa diligenter reſervetur. Eſt nimirum precioſa & tam præſervando quàm curando apoplecticis prodeſt (reliqua etiam uſui eſſe poteſt, ſed tam virtuoſa non eſt, facit imprimis ad frictiones membrorum) ex capite mortuo elici poteſt ſal. Hæc aqua diu durat, & fragrantiſſima eſt. Doſis cochleare ſ. vel j. per ſe, etiam iſ. vel ij. pro ægri & morbi naturâ cum gutta una atque altera olei ſuccini jejuno ſtomacho.*

(a) Non inferior hâc aquâ aliisque hic laudatis antapoplecticis, ſi non ſuperior, eſt ſequens balſamus ſive oleum balſamoſum Apoplecticum tam curando quàm præſervando, aliaque multa præſtando, ita ut quotidiè novæ virtutes à plebecula, cui multum contra omnifarias defluxiones apud nos in uſu eſt, in eo obſerventur & deprehendantur, ejus confectio ſic ſe habet:

℞. 10. lib terebinthinæ Venetæ, Balſamus apoplecticus, in- & externus.
inde eam in maximæ capacitatis ollam devitreatam, ſuperfusâ ſimul aquâ pluviali ad ſupereminentiam unius circiter ſpithamæ, atque ſic obtectam ollam in loco tranquillo quieſcere ſine, donec ſequentes

herbæ ac flores in eorum optimâ conſtitutione colligi potuerint, nempe primò vernales flores ut ſunt:

Flores lilii convallii.
primulæ veris.
liliorum alborum.
tiliæ.
roſarum.
ſambuci.

Poſtmodum herbas cum floribus ſuis ut:

Herb. hyſſopi.
betonicæ.
meliſſæ.
menthæ criſpæ.
origani.
ſalviæ.
ſerpilli.
thymi.
baſilici.
majoranæ.
pulegii.
rorismarini.
lavendulæ.

Singulorum manip. j. vel ij. aliasque præterea nobiles herbas, quæcunque placuerint, tum adde
corticum aurantiorum
citrior. an. ℔ſ.

Singula ante ſuam impoſitionem craſſo modo conciduntur, & quæ impoſita ſunt, hebdomadatim ſpathulâ lignea optimè bis vel ter invicem ſubiguntur, ut probè cum terebinthina commiſceantur, & ſecum mutuò computreſcant, in hac maceratione relinquantur, donec cuncta ingredientia, pluraque alia aromata, ſi velis, intraverint, & computreſcentiâ fermentali participarint, nempe in autumnum usque, tum omnia in veſicam cupream evacuabis, lenemque cum eis deſtillationem ſecundùm artis requiſita inſtitues, tibique tranſcendent odorifera aqua & ſupernatans oleum cryſtallinum inſtar ſpiritus vini, ſive clariſſimæ aquæ fontanæ pellucidum, quod ab aqua ſeparabis, & pro commendato heîc balſamo apoplectico aſſervabis, uſus ejus eſt internus & externus, intrò enim manè jejuno ſtomacho à guttis VIII. ad XV. in vino vel alio vehiculo aſſumptum purificat ſangvinem, conducit capiti & ſtomacho, renes balſamicè repurgat, & diureticum eſt, prout odor violaceus ex paulò poſt redditâ urinâ ad nares aſſurgens, atque etiam in ambitum cubiculi ſe ſpargens, indicio eſt, aliasque peculiores virtutes præſtat, quas propter abuſum reticemus. Exterius inunguntur ejus aliquot guttæ naribus, locisque, defluxionibus frigidis gravatis, ſicque cerebrum tam fragrantiâ quàm balſamicâ operatione mirè confortat, & ab apoplexiâ præſervat, in capitis catharroſo dolore inſtillatur atque infricatur vertici, ſuæque ſalutiferæ operationis manifeſta ſigna edit, ſi enim defluxiones reperit, tunc locum quaſi pungit & vellicat, & defluxiones abſumit, ſi non, indolens eſt, prætereaque variè homini conducit, prout uſus docebit; aquam ſupradictam in deſtillatione unà tranſſtillantem, uſuque nobis nondum ſat compertam, uſurpare poteris, ut Author hic de ſuis commonefacit.

Alia aqua apoplectica.

Aqua Apoplectica alia:

℞. *florum primulæ veris* ℔j.
lavendulæ.
ſtœchados Arab. an. ℥j.
tiliæ.
bugloſſæ an. ℥iſ.
anthos.
nymphææ an ℥ſ.
radic. pœoniæ
caryophyllatæ an. ʒx.
zedoariæ.
macis.
ſpicæ indicæ an. ℥ſ.
iridis Florentinæ.
viſci quercini an. ℥ſ.
galangæ.
caryophyllorum an. ʒvj.
pomorum citrior. recent. n. ij.
raſuræ ligni ſaſſafras ʒiſ.
folior. majoranæ.
artemiſiæ an. m. iſ.
rorismarini m. j.
ſemin. fœniculi.
ſileris montani.
pœoniæ.
baſiliconis an. ʒiij.

confractis & contuſis craſſo modo affunde in matracio capaci
aquæ roſarum ℔j.
vini generoſi ℔ij.

ſimul per tres dies vaſe bene clauſo digerantur, hinc adde recentis expreſſi ex foliis
ſucci ſalviæ ℥vj.
betonicæ
meliſſæ an. ℥iv.
ſpiritus vini ℔iv.

Denuò per tres dies digeratur & deſtilletur in M. B per alembicum ad ſiccitatem, fiatque ſemel cohobium (b) hinc per ſe in cineribus vel balneo aqua illa rectificatur, deſtillando tres partes, quartâ relictâ, & inſerendo roſtro alembici
moſchi.
ambræ an. gran. vj.
bombace involuta, tandem omnia in vitro benè clauſo ſerventur uſui.

(*b*) I. e. aqua jam deſtillata reſuperfundatur remanentibus in fundo ſpeciebus, atque adhuc ſemel abinde deſtilletur, uſus ejus erit uti ſuperioris ab ipſo cum oleo ſuccini ſorbendæ commendatæ.

His omnibus poteſt annumerari diaphoreticum in peracutis, præſertim, ſi cum ejusmodi aquis appropriatis apoplecticis mixtum exhibeatur ſequens, & ſudor provocetur

Laudanum antepilepticum.

Laudanum Antepilepticum.

℞. *laudani noſtri ex ſulphure vitrioli facti* ℥j.
olei camphoræ ℥ſ.

m. & habetur laudanum præſtantiſſimum, cujus uſus tam in paroxyſmo quàm ad curationem extra paroxyſmum, doſi ſæpius reiteratâ præmiſſis univerſalibus.

Oleum camphoræ verum.

Oleum camphoræ verum.

℞. *camphoræ partem unam,*
argillæ præparatæ & ſiccatæ part. VI.

contunde invicem, & miſce exactè, donec camphora nullibi appareat. Ex maſſa forma globulos, quos in umbra exſiccatos deſtilla in arena per retortam lutatam in excipulum, quod continebit aliquid aquæ pluvialis deſtillatæ, & prodibit camphora partim oleaginoſa, partim ſublimata, quæ tamen ſeſe ſolvit.

Hinc deſtillato cum aqua adde ſpiritus vini partes tres, & deſtilla per alembicum igne lento; ita ſpiritus vini tenuiſſimum oleum camphoræ transferet, quod ſeparatim ſervandum, ſeparato ſpiritu vini per ſeparatorium, vel per M. B.

ALIO MODO:

Oleum camphoræ aliud.

Solve camphoram in ſpiritu antepileptico ex vitriolo & urina puerorum leni calore, & camphora elevabitur in forma olei ad ſuperficiem. Hoc ſeorſim collige, & cum terrâ ſigillatâ ſiccâ & pauco aceto forma globulos, deſtilla ex arenâ per retortam, & prodibit ſpiritus ſeu oleum camphoræ valdè fugax.

Apoplecticis proſunt ſalviæ decoctum, extractum ejusdem, ſemen carvi & erucæ, item ℞. aquæ vitæ q. ſ granorum juniperi m. ij. contundantur & macerentur in aqua vitæ per triduum, colenturque, imponantur deinde ſalvia, pulegium & naſturtium, & ʒj. croci. Detur patienti, & ſtatim loquelam recuperabit.

Balſamus apoplecticus:

℞. *olei nucis moſchatæ per expreſſionem facti ℥j.*
ambræ gryſ. gran. XVI.
moſchi optimi.
benzoës.
ſtyracis calamitæ.
ladani optimi an. ℈ſ.
ol. ſtillat. caryoph. gutt. xvj.
lavendulæ.
rutæ.
anthos.
cinamomi an. ℈ſ.
ſuccini gutt. vj.

Pulveriſatis pulveriſandis optimè cum oleo nucis moſchatæ in ſcutella aliqua argenteâ vel aurichalceâ cum piſtillo quàm optimè uniantur, ut in corpus unum abeant. Hinc admiſcentur olea deſtillata pedetentim, & balſamus in vaſe benè clauſo ad uſum ſervatur. Apoplecticis, epilepticis & vertiginoſis prodeſt, ſi extremitates manuum, tempora & vertex eo inungatur, ratione præſervationis ſingulis ſeptimanis bis aut ter ſaltem inunctio inſtituatur.

Clyſter. Clyſter ad apoplexiam, epilepſiam, paralyſin & lethargum:

℞. *radic. cyclam.*
colocynth. an. ℥iſ.
aſari ℥j
hellebori nigr. præp.
ſem. carthami an ℥j.
centaur. minor. ℥ſ.

coque in ſ.q. aquæ ad ℔j. colaturæ adde mellis anthoſati ℥ij. & ſi æger robuſtus ſit, ſalis gemmæ ℥j. f. clyſter.

Medicus apoplecticum aggreſſurus ante omnia in principio conſideret, an in ægro adhuc ſigna & ſpes aliqua vitæ adſit, quibus cognitis ad curam ſeſe ſtatim accingat, ægrum hinc inde agitare (c) *& membra ejus fricare mandet, abraſis capillis verticem ſtatim inungat & nucham balſamo ſuccini, aut oleo ejusdem, ſtatimque ſi os clauſum ſit, illud aperiat, apertum conſervet, palatumque cum balſamo dicto, aut mithridatio, aut theriacâ inungat, nares & tempora balſamo apoplectico.*

(c) Patiens à duobus robuſtis viris elevetur in altum, delabique rurſus ſinatur aliquo modo violenter in pedes, eâ figurâ ac ſi in pedes ſaltaret, corpusque erectum maneat, ita enim interdum impacta materia viſcida vi excutitur, & deorſum concutitur, ægerque quaſi è profundo ſomno excitatus ad ſe redit, uti contigiſſe teſtari poſſumus.

Capiti ſæpius admoveat laminam vel tabulam ferream oportet calefactam vel etiam ignitam.

Per os ſi fieri poteſt, exhibeatur ſtatim cochl. 1. aquæ apoplecticæ, & ſi nimiam ſentit ſanguinis abundantiam, venam brachii, immiſſo tamen prius clyſtere acriore aperiat.

Naribus item aliquid ex pulvere per canalem vel culmum pyrethri, helleborive inflet.

Umbilico adhibeat aut unguentum arthanitæ, aut hellebori in forma cataplasmatis, poſſunt etiam ratione revulſionis cucurbitæ applicari dorſo, lumbis &c.

Hinc ad vomitoria aquam ſcilicet benedictam confugiendum, ubi notandum, quod in duplici ſemper quantitate, prout ſopitæ ſunt magis vel minus vires, exhibenda.

Interim continuanda exhibitio aquæ apoplecticæ, quemadmodum & reliqua dicta medicamenta.

Poſſunt & veſicatoria brachiis & pedibus, ſyncipiti item, interdum etiam ad primam vertebram cauterium actuale non ſine commodo applicari.

Ægro reſuſcitato cura ſecundum practicos inſtituatur.

Nota: Clyſteres non tantùm ante venæſectionem, ſed & poſt eam conveniunt, primum ex mollientibus & ſtimulantibus calidis, capitique appropriatis, mox etiam ex fortiter irritantibus, quæ quoque cum non retineantur diutius, repetenda, eoque frequentius, quo morbus magis urget. Plat. tom. 1. pag. 47.

Clyſter. *Levior itaque talis ab initio exhibeatur:*

℞. *malvæ.*
mercurialis.
ſalviæ.
rutæ.
pulegii an. m. j.
radic. ireos recentis ℥iij.
furfuris m. j.
flor. chamomillæ.
anthos an. p. j.
ſem. carvi ʒj.
Fiat decoctum, in quo diſſolve
mellis ℥j.
elect. benedict. laxativ. ʒij.
ol. laurini.
rutæ an. ℥j.
ſalis communis ʒj.
m. f. clyſter.

Clyſter fortior. *Fortior: qui poſt primum, vel ſi malum urgeat, ſtatim in principio exhiberi poteſt.*

℞. *radic. ireos recent.*
ſigilli Salomonis.
cyclaminis an. ʒj.
herb. rutæ.
thymi.
ſalviæ.
pulegii.
origani.
calamenthæ.
hyſſopi an. m. j.
florum ſtœchados.
anthos ana pugil. j.
ſemin. citri.
cumini an. ʒij.
carthami.
baccar. lauri.
juniperi an. ℥ſ.
agarici in panno ligati ʒij.
f. decoctum in quo diſſolve:
hieræ colocynthidos ʒiij.
mellis anthoſati ℥ij.
ſucci mercurialis.
betæ an. ℥j.
fellis tauri ℥ſ.
ſalis fuſi ʒj.
m. f. clyſter.

Fortiſſimus in apoplexia. (d) Clyſter fortiſſimus.

℞. *radic. ireos.*
pyrethri an. ℥ſ.
ari ℥ſ.
hellebori ʒj.
folior. rutæ.
ſalviæ.
thymi.
florum centaur. minoris.
naſturtii an. manip. j.
ſeminis carvi ℥ſ.
urticæ.
rutæ an. ʒj.
ſynapi ʒij.
colocynthidos in petia ligati ʒſ.
anthos pugill. ij.

f. de-

f. decoctum in quo diſſolve
hieræ colocynthidos ℥ſ.
mellis ℥j.
olei rutæ ℥iij.
caſtorii.
euphorbii an. ℈j.
ſalis ʒj.
f. clyſter.

(d) Ad excitandos apoplecticos, morbumque hunc gravem expugnandum valet mirum in modum hoc: ℞. ſalis tartari per calcinationem, ſolutionem, filtrationem & congelationem crudi tartari parati, vel in ejus defectu ſaltem calcinati tartari, & ſalis armoniaci per ſolutionem, filtrationem & recongelationem purificati, vel in ejus defectu crudi, & apud pharmocopolas proſtantis, recipe horum duorum æquales partes, miſce invicem, eaque inde retortæ vitreæ, eique appone receptaculum magnum, & leniſſimo igne deſtilla, exibit intra ſemihoram cum impetu ſpiritus ſalis armoniaci, qui inſtar glaciei ſe parietibus receptorii vaſis affiget, adhæreſcetque. Hunc ſolve in ſpiritu liliorum convallium cum vino malvatico paratum, eumque ad odorandum apoplectico offer, ſi non præſentaneum auxilium affert, infunde hujus mixturæ cochleare dimidium in os patientis, deobſtruit enim potentiſſimè, & ponticitatis eſt expers, quod ſi tertia exhibitione juvamen non attulerit, de ægri vitâ actum eſt, ſin verò loquelam recuperat, diaphoretico tamen Paracelſi vel mixturâ de tribus Andernaci futuram paralyſin, quantum fas eſt, præcavebis.

Spiritus ſalis armoniaci.

CAP. IX.
DE PARALYSI, Germ. die Lämniß.

PRæcedente capite dictum eſt, atque etiam quotidianâ experientia deprehenditur, remiſſiorem apoplexiam plerunque terminari in paralyſin, ſive reſolutionem alterutrius lateris, vel alicujus partis corporis, proximè igitur eam Author noſter atque etiam alii morbo attonito ſubnectit, cujus & nos veſtigiis inſiſtentes claram ejus deſcriptionem hic moliemur.

Paralyſis igitur eſt nervorum reſolutio, privans & deſtituens ſenſu & motu vel totum corpus excepto capite (cujus reſolutio ſimul contingens non paralyſin, ſed veram apoplexiam conſtituit) vel alterutrum latus, vel aliquam duntaxat corporis partem, nempe pedem, brachium, manum aut lingvam, interdum tamen motum ſaltem adimit, illæſo ſenſu, vel ſenſum illibato motu, quando omnes partes ſub capite paralyticat, paraplegia nuncupatur, ſi verò dimidiatam alterutram partem, hemiplegia; ſin autem quandam ſolummodò particulam, paralyſis particularis vulgò audit, verumenimverò cum unus idemque affectus hæc omnia perpetret, eorundemque remedia ex uno eodemq; penuario depromantur, operæ pretium non eſt tot diſtinctionum ambagibus intortuari, ſed noſſe ſat eſt, eum ferè duplici modo affligen-

Paralyſis quid?

Paraplegia.

Hemiplegia.

affligentem offendi, nempe perfectâ vel imperfectâ ſenſus & motus abolitione, perfecta paralyſis eſt, ubi ſenſus & motus omninò & integrè abolentur, imperfecta eſt, quando iidem ſaltem imminuuntur, idque interdum tam leviter, ut ſtupor tantummodò vel torpor aliquis percipiatur, qui tamen ejusdem morbi genuinus ſurculus eſt, atque increſcens eundem completè producit.

Pars affecta.

Pars affecta eſt cerebrum illud alterum ſive rivus cerebri, nempe ſpinalis medulla, nervique ſpirituum animalium canales.

Signa diagnoſtica.

Agnitio hujus affectus per hæc ſigna diagnoſtica deſumitur: æger vel ex prægreſsâ apoplexiâ ſe recolligens, vel mox absque illius prægreſſu in impotentiam ſenſus & motus incidens, dextrum vel ſiniſtrum latus ſui corporis, vel aliquod membrum, nempe brachium, vel femur, vel lingvam movere nequit, illaque pars paralytica quaſi graveſcens voluntario motui non amplius auſcultat, motum tamen coactum retinet, atq; ab aliis moveri quidem poteſt, ſponte tamen rurſus gravitatis ſuæ mole decidit, & calido influo quadantenus privatur, atque ſic more eorum, qui ab atroci hyemis frigore valdè perfrigerati præ rigore in ſenſu ac motu deficiunt, interdum tamen motum retinent & ſenſum amittunt vel contra, quod propter diverſam nervorum obſtructionem fieri creditur, ita quod alii duriores atque ex ſpinali medulla orti, motuique magis ſervientes obſtructione ſuâ immobilitatem tantum, alii verò molliores, & ex cerebro oriundi, ſenſuique plus ancillantes ſaltem inſenſilitatem, at ſi ſimultaneè obſtruantur, integram motus & ſenſus privationem inducant.

Cauſæ.

Cauſæ ſunt vel obſtructio vel perfrigeratio nervorum ſpinalisque medullæ juxta illud Hippocratis lib. 5. aphor. 18. frigidum inimicum dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ. Obſtructio autem frequentiſſimè fit à pituitæ copiâ in cerebro præhumido cumulatâ, atque abinde per nervos deciduâ, cujus nimia uberoſitas apoplexiam, paucior verò hunc affectum procreat, perfrigeratio ab eâdem internâ pituitâ ceu frigidæ qualitatis crebrò cauſatur, ſæpè tamen ab externo frigore ambientis vel moræ in aquis frigidis proficiſcitur, obſtructio etiam fit per compreſſionem nervorum, uti evenire ſolet à luxatione vertebræ alicujus, item per diſſectionem nervorum, muſculorum, vel ſpinalis medullæ, quamvis ejusmodi diſſectio propriè non ſit obſtructio, idem tamen idque multò gravius efficit, cum ſpiritus animales partibus inferioribus per diſſectionem transverſalem à ſuperioribus diviſis amplius communicari nequeant, itaque neceſſariò omni motu & ſenſu privantur. Interdum quoque à narcoticis melancholicoque humore idem affectus efficitur, ac pari fermè ratione, utrumque enim valdè perfrigerat, nervosque ſtupidos reddere poteſt.

Huc quoque quadrant ſequentia Hippocratis dictitata:

Repen-

Repentina linguæ incontinentia fit à melancholico. lib. 7. aph. 41

Ut & ſtupor cujusvis partis corporis. 7. 41

Stupor corporis fit à melancholico decubitu. 6. 56

Prævalentes auſtri ſunt diſſolventes. 3. 5

Auſtrinæ conſtitutiones corpora diſſolvunt. 3. 17

Quâ parte corporis calor vel frigus, ibi morbus. 4. 39

Frigidum inimicum cerebro, nervis & ſpinali medullæ. 5. 18

Facitque rigores. 5. 17

Quæcunque refrigerata ſunt, excalfacere oportet. 5. 19

Calidum rigores mitigat. 5. 22

Eſtque utile cerebro nervis ac ſpinali medullæ. 5. 18

Atque in his adhibendum quæ ad caput gravatum pertinent. 5. 22

Nec non his quæ à frigore moriuntur. 5. 22

Prognoſtica. Prognoſis hujus affectus hoc modo inſtituenda venit: Quòd nimirum quælibet paralyſis, ſive à pituita, ſive à melancholico humore originem trahat, curatu ſit perdifficilis, imprimis autem apoplexiæ ſuccedanea non facilè curationem recipit, ſed ut plurimum in priorem affectum recidivatur, ac debilitatum jam antea cerebrum cum vita peſſundat.

Difficultas hujus curationis conſiſtit in eo, quod cerebrum ac nervi ſint naturæ frigidæ, ac ſi etiamnum accedit perfrigeratio paralytica, tum ſanè gemina iſta frigiditas eò magis impedit, quo minus virtus medica poſſit intrare, ac debitam opem præſtare, adhæc debilis expultrix planè langvet, nec cum remediis cooperari poteſt, profundus etiam ſitus ſpinæ & nervorum difficultatem augent, poteſtas enim medicaminum vix iſtuc ſalva penetrat, niſi longo continuationis uſu, quem pauci ad finem usque ſuſtinent, ſed potius interim deſpondent animum, tædioque ſumptuum afficiuntur.

Si tamen vel ſponte vel medicamentis calor actualis partis revertitur, ſpem facit recuperandæ ſanitatis, pertinax verò frigus contrarium, eòque magis, ſi pars paralytica etiam extabeſcit, ac evidentem extenuationem oſtendit cum notabili pallore conjunctam, & adhuc magis, ſi etiam reſoluti lateris oculus imminuatur, indicat enim affectus confirmationem, ac caloris nativi unà cum ſanationis ſpe extinctionem.

Paralyſis ſenum etiam longè inſanabilior quàm juniorum vel conſiſtentis ætatis, ob exiguum in illis calorem naturalem.

Secundùm quoque graviorem vel remiſſiorem reſolutionem difficultas curationis major vel minor eſt, ſemper tamen ſatis magna juxta Celſum lib. 3. 28. dicentem: ſolent vehementer per omnia membra reſoluti celeriter rapi, etſi confecti non ſunt, diutius quidem vivunt, ſed rarò ad ſanitatem perveniunt, & plerunque miſerum ſpiritum, memoriâ quoque amiſsâ trahunt. In

partibus verò nunquam acutus, ſæpe longus ac ferè ſanabilis eſt morbus.

Inferiorum tamen partium nempe crurum pedumque reſolutio facilius curatur, quàm ſuperiorum, quia nervos robuſtiores & duriores habent, & ſi diarrhœa febrisve fervens ſuperveniat, curam reddit eò faciliorem, quod & medicum movere debet, ut in eo Naturam ſequatur, curámque ſubducentibus, calidisque & calido tempore, non autem hyeme aggrediatur.

Curationis ſcopus.

Cujus inſtituendæ rationem præmonſtrat noſter

TEXTUS.

IN paralyſi curandâ etiam ea quæ in apoplexia enumerata ſunt, locum tenere poſſunt. Hic igitur mercurius vitæ, enemata, aliaque purgantia, genus nervoſum reſpicientia, utilia ſunt.

In loquelâ reſtituendâ maximè ſatisfacit aqua apoplectica, etiam cum ſangvine turturis calente anâ impregnata.

Sic oleum aniſi guttatim lingvæ paralytici aſperſum, loquelam reſtituit & reducit. Talis eſt aqua florum lilii convallii cum vino facta.

Item eſſentia caſtorei per ſpiritum vini extracta. Item ſal perlarum, corallorum & ſuccini mirificè juvant.

Ad ſudores imprimis eliciendos ubi, quæ ab initio erant neceſſaria, omnia præſtita ſunt, præter hactenus enumerata ſingularis eſt virtutis in paralyſi pulvis ſeu magiſterium ex cinabari antimonii, & magiſterio perlarum & corallorum, de quo ſupra de ſudoriferis & epilepſia. Doſis à granis VIII. ad XII. vel XVI. ſudores autem melius, imò optimè in laconico, ſeu in diaphoretico enumerato eliciuntur.

Eſſentia foliorum tabaci.

Inter externa maximè laudabilis eſt eſſentia foliorum tabaci (viridium) cum malvatico facta (ſolâ infuſione ſine deſtillatione) ſi præſertim à præmiſſis ſudoribus membra paralytica hac eſſentiâ diutius fricentur. Reſoluta nimirum membra facilè reſtituuntur, & ad ſenſum redeunt.

Paralyſeos curandæ ratio plerunque à venæſectione inchoatur, præmiſſo clyſtere acriore, ſi ſcilicet ætas & habitus corporis conſenſerint. Hinc ad materiæ concoctionem & eductionem (a) *accedimus, ubi ſemper admiſceri debent aquæ deſtillatæ primulæ veris, ſalviæ aut meliſſæ, aut extracta ipſorum, & vel purgantia illis infundi, vel extrahi poſſunt, adjectis guttis tribus vel IV. olei tartari per deliquium, ſtatimque inungatur ſpina oleo chamomillæ ſolo.*

(a) Ad purgandum caſſia non convenit, quia nimis humectat.

Quod

Quod ſi citius & rectius curam abſolvere volueris, modo ſequenti progredere: ℞. extracti ſcammonii gran. iij. florum aut vitri antimonii gran. ij. tenuiſſimè pulveriſata miſce cum ʒij. vel iij. conſervæ bugloſſæ, capiat manè cum cuſtodia. Si ad vomitum irritatur, detur juſculum ad eum promovendum, purgabitur hoc modo æger per ſuperiora & inferiora: diebus duobus ſequentibus utatur apozemate aliquo vel ſyrupo capitali & aperiente cum guttis aliquot ſpiritus tartari, aut in defectu ejus tartari vitriolati ℈j. hinc iterum dicto medicamento purgetur, à quo ſi fortè propter vomitũ abhorreat æger, f. infuſio ex agarico cum radice hellebori nigri pulveriſati & jalappæ cum aqua florum primulæ veris & meliſſæ, aut capiat extracti panchymagogi doſin, iterumque per duos dies utatur apozemate dicto, vel ſyrupo aliquo magiſtrali appropriato. Eadem medicamenta repetantur ad decem dies. Interim inungatur ſpina oleo chamomillæ, cui parum petrolei ſit admiſtum. Hinc ingrediatur ſtupham, excipiatque vaporem ſequentis decocti ſuper ignitos lapides affuſi, & quàm optimè ſudet:

Decoctum ſudoriſicum.

℞. Florum ſalviæ.
ſambuci.
lavendul.
roriſmarini.
chamomillæ.
meliſſæ.
ſtœchados Arabicæ an. q. pl.

decoque in aceto vini, æger commoretur in ſtupha ad horam unam, aut quantum vires permittunt: antequam egrediatur, aſſumat Mithridatii ʒj. cum guttis IV. aut V. ſpiritus tartari, aut ſolùm aſſumat Mithridatium. Poſtquam egrediatur, linteis calidis ſudor omnis exſiccetur, & in lecto quieſcat per horam ſemis.

Galbanetum Paracelſi.

Spina verò inungatur galbaneto Paracelſi, quod fit modo ſequenti: ℞. galbani ℔ſ. inde in cucurbitam ſatis amplam, & ei affunde ſpiritus terebinthinæ ℔j. digerantur in loco calido per octo dies, poſtea per alembicum ex cucurbita non nimis altâ deſtillentur ad ſiccitatem, quod ſi odoratius & præſtantius deſideres, rectifica ab aromatibus, nuce moſchatâ & canellâ. Eodem balſamo omnia membra paralytica inungi debent: factâ inunctione imponatur radix ſymphyti majoris in aqua communi ad pulticulam cocta inſtar cataplaſmatis.

Cataplaſma.

Cataplaſmatis applicatio & inunctio repetatur veſperi, præmiſſâ partium affectarum cum panno aſperiore frictione, & adſperſo poſt frictionem ſpiritu tartari,

aut fricentur membra intincto linteo in ſpiritu tartari, poſtea in ungantur, & applicetur cataplaſma. Interim in quotidiano uſu habeat æger conſervam anthos, & florum ſalviæ, ſtœchados Arabicæ cum Mithridatio extracto, aut pulvere caſtorei, confectione anacardinâ, cum paucula ſolutione perlarum & auro potabili. Continuetur balneum per quatuordecim dies ſingulo manè aut ad minimum de biduo in biduum. Interim utatur diætâ tenui, & bibat decoctum guajaci & hydromel loco potus.

Curatio particularis. *Si medico proponatur reſolutus, qui membrum unum tantummodo habeat reſolutum, illud reſtituat modo ſequenti:*

℞. ſummitatum origani,
foliorum quercus,
baccarum juniperi ana m. iiij
Conorum abietis n. IX. cum aqua communi coque ad craſſitiem. Cum his herbis membrum fove, donec refrigeſcant. Hinc linteo calido diligenter abſtersâ aquâ inungatur ſequenti mixtura:

℞. ſpiritus ſalis
vitrioli
& terebinthinæ ana.

miſce diligenter. guttatim infundendo ſpiritum terebinthinæ. Repetatur eadem inunctio bis in die, & reſtituetur membrum, ſæpius quoque in die rotulas ſequentes aſſumere debet:

Rotulæ.

℞. aquarum lilii convallii.
florum lavendulæ
an. ℥IV.
ſachari albi ℥V.

coque ad perfectionem, inde remotis ab igne adde olei ſuccini rectificati ℈j. extracti ſalviæ ʒij. aut olei ipſius ʒſ. agitentur piſtillo, & fiant ſecundum artem rotulæ.

Præſtat quoque in initio paralyſeos facere embrocationem cum oleo copioſo, item balneum ex lacte & oleo ſolo vel ex lacte cum aqua mixto, vel hydrelæo.

Utile quoque eſt in omni paralyſi ad excitandum ſudorem in balneo vel lecto aſſumere ſequentem pulverem: ℞. cinabaris antimonii in deſtillatione butyri antimonii in collo retortæ collectæ q. v. pulveriſa, atque in cucurbita vitrea ſublima. Pulvis antiparalyticus.

Hinc ℞. cinabaris hujus ter per ſe ſublimatæ partem unam.
Magiſterii corallorum & perlarum ana partem ſemiſ.
Oſſium humanor. uſtor. partes duas,
miſce, doſis ʒſ. in aqua ſenecionis vel carduibenedicti, repetitis vicibus exhibeantur.

CAP.

CAP. X.
DE PARALYSI EX COLICA, *vulgo* die Contractur.

DE hoc affectu ejusque fiendi ratione mira eſt apud Authores taciturnitas, nec mirum, eſt enim alterius planè indolis quàm vulgaris paralyſis, quæ morbus frigidus exiſtit, illam verò naturæ calidæ eſſe cauſa & remedia oſtendunt, ex bilioſâ enim colicâ oritur, ac remediis inſigniter calidis utplurimum exaſperatur, ut Paulus Ægineta & ex eo Foreſtus teſtantur, valere nempe his ægris quædam olea non vehementiora quale eſt lilinum, nardinum, narciſſinum, myrthinum, camæmelinum, anethinum &c. eosque his curari vel juvari, quæ leviter refrigerant, calidiora verò plurimum obeſſe, commendat autem huic ſcopo Foreſtus oleum chamæmeli cum ſucco ſeridis.

Hic affectus ſolemnis eſt his qui mirum in modum bile æſtuant, eâque per iram leviter commotâ facile in graviſſimam colicam labuntur, quæ poſtmodum non rarò in impotentiam motus, non autem ſenſus terminatur, quam Author heic intelligit, eamque vulgò contracturam vocant.

Cauſæ. Cauſam ejus Paracelſus quærit in tartaro in inteſtinis collecto, cui inſit virtus pontica, ſtiptica atque aceto ſa, prius colicam & deinde contracturam generans, non aliter atque apoſtemata à punctionibus proveniant, diverſis tamen modis ejusmodi contracturam obtingere, nempe in quibusdam cum atrophia, aliis cum tremore, nonnullis cum contractione membrorum nec non venoſi generis, aliis cum tenſione ejusdem, aliis cum cruciatu, aliis cum inſenſibilitate, aliis cum vomitu, quæ tamen cuncta ex unâ eademque cauſa proficiſcantur nempe ex materiâ colicæ, excitante acerbos dolores ac tormina, à quibus ſpiritus ac ſuccus aliorum membrorum attrahantur undecunque, nimirum è brachiis, femoribus, ſpinâ dorſi &c. qui ad locum doloris pertingentes acri iſtiusmodi cauſæ tartareæ commiſceantur, ejusque ponticitatis portionem in ſe combibant, quo contemperamento atrocitas doloris quidem remittat, eoque remittente ſpiritus ad ſua loca recurrere, at cum quadam infectione ac tincturâ in ſe combibitâ, quemadmodum ſpiritus vini deſtillatus à rebus acribus, nempe ſpiritu ſalis, nitri, aquæ fortis &c. portionem nonnullam ſemper ac improhibiliter ſecum rapiat ac transvehat, ſi itaque dicti ſpiritus ad ſpinam dorſi & nervos remigrent, & peregrinam tincturam eis invehant, tunc eos ſuâ incredibili ſenſilitate ab exoticâ ponticitate mox offendi, & ſtupeſcere, adeò ut impotentia motus ſequatur, quod quidem non in omnibus fiat ob diverſum robur archæi humani, majoremque vel minorem ejusmodi combibitionem acredinis tartareæ.

Hæ rationes cum quadantenus probabiles videantur, eas heîc adducere, ac tamdiu eis acquieſcere voluimus, donec veriſimilioribus no-

ſtræ ac curioſorum menti à plus talentatis ſatisfiat.

Progno-ſtica. Prognoſis ſecundum experimentalem obſervationem ſe ita habet: quod affectus hic radicationem nanciſcens ſit negotii ardui, vixque ulli arti morem gerat, uti etiam laudatus jam Paracelſus teſtatur, quod videlicet in magnis tantummodo arcanis, ex obryzo, antimonio, perlis &c. paratis ſpes ſit hunc affectum eradicandi, atque etiam noſter Author deſperare videtur, niſi mox in prima morbi inceptione ingenioſè ſuccurratur, prout habet ipſius

TEXTUS:

Hujus curationem vide in theſibus meis medico-chymicis diſput. 1. pag. 19. cujus hæc ſumma: Non diu hîc cunctandum, morbus enim temporis ſucceſſu fit incurabilis, qui cæteroquin præceps eſt.

Purgantia vehementia, quæ nimirum ægrum convellunt, prorſus evitanda ſunt: materia tamen ſubduci poteſt extracto eſulæ, vel ſenioris nigræ in juſta doſi. Materiâ ſubductâ quotidiè (donec ſucceſſus reſpondeat) jejuno ventriculo detur ſpiritus tartari guttis XX. vel XXV. hinc tertio quovis die ſudores provocentur.

Decoctum ſaſſafras multum hîc poteſt, juvat nimirum ventriculum & inteſtina, unde mali initia.

Dentur quoque quotidiè rotulæ confortantes: membra affecta primum linteo aſperiore fricentur, deinde ſpiritu tartari aſpergantur, tandem balſamo galbani terebinthinato inungantur quotidie ter, ab inunctione qualibet radices ſymphyti majoris in aqua fontana decoctæ, linteoque in forma cataplaſmatis ſuperinductæ membris inunctis calidè applicentur, reliqua naturæ (a) *committendo.*

(a) Paracelſus inſigniter commendat oleum ſive liquorem ex optimo vitriolo ſingulari ſtudio deſtillatum, ac ſpiritum tartari guttatim interno uſui adhibendum, extra verò penetrantiſſima balſamica infricanda ac inſpiranda: inſpirationis formula ejus hæc eſt:

℞. oleorum olivæ
juniperi an. ℥V.
maſtic. ℥VI.
terebinthinæ ℥IVſ.
ſpiritus vini ℥iij.
nitri crudi clarificati ℥iſ.

miſce omnia invicem, eaque tigillo inde ac incende ut flagrantem flammam concipiant, tum ardentem hanc mixturam illicò in aptum vas ad fundum ejus pone, atque ægri membrum contractum ſuper vaporem ejus colloca, obtegendo ſuperius, ne vapor ad latera exeat, ſed probè membrum feriat, atque afflatu ſuo calefactet, ſique flamma reſtingvitur, tum iterum incende, atque ſic perge, donec membra optimè perintepeſcant.

Poſt hæc inungere jubet balſamum aliquod ſtillatione paratum, atque huic uſui ſequens commendat:

Balſamum paralyticum.

℞. oleorum lauri
olivæ
juniperi
terebinthinæ an. ℔j.
maſticis
myrrhæ
thuris an. ℔iſ.

deſtilla olea peculiariter, ac poſtea quoque gummata ſeparatim, deſtillata olea conjunge, conjuncta adhuc ſemel deſtilla, ac poſtmodum de eis inunge.

Sequens verò pro ſingulari arcano contra hunc & podagricos morbos accepimus, quod quidem nondum licuit in uſum vocare, at rationi conforme communicamus illud fideliter, ſicut accepimus:

Oleum mirabile.

Oleum mirabile contra contracturam, podagram & alios morbos:

℞. aliquod fruſtum puri ferri ſpiſſitudine 4. digitorum transverſorum vel pro lubitu, hoc candefac atque iterum reſtingve in impermixto oleo lini, idque toties repete, donec oleum non amplius frigat ſtrideatve à candente ferro, obtecto quavis vice vaſe, ne oleum flammam concipiat, quod vigilanter cavendum eſt.

Præparato ſic oleo tantum calcis vivæ conſubmiſce, ut velut paſtam conſtituat ſpiſſiusculam, quam probè ſubagita & condepſe ac ſi animus eſſet effingendi exinde maſſam panis, quam diffringe in buccellas vel in globulos conglomera, quas inde lutatæ retortæ igneque primum leni ac dein auctiori deſtilla, ad totalem usque olei exſudationem, egreſſum oleum adhuc ſexies per ſe reſtilla cohobando.

Demum ad decem vel plurium dierum ſpacium illud oleum in fimum reconde ad putrefiendum, ut eò magis ſubtileſcat, ac deinde etiamnum ſemel illud deſtillationi ſubjice, obtinebisque valde purum & penetrativum, adeò ut guttæ ejus binæ vel tres volæ manus inguttatæ eam mox absque tamen dolore pervadant.

Uſus hujus olei.

Uſus olei.

Si ergò jam allubeſcat non nemini, arthriticis, podagricis, contracturalibusve affectibus divexato opem præſtare, in qualicunque demum corporis parte vel loco id flagitaretur, tum cape optimi recentis caſtorei, ac radicis pyrethri ana partes æquales, impone ea in prædictum oleum, illudque ab eis rurſus deſtilla, & mirè valet ad commemoratos affectus, ſi eo, prægreſſo prius balneo vel fomentatione inungantur, diſſipat quoque ſcirrhos & durities hepatis & lienis, conducit etiam magnis illis malis capitis nempe apoplexiæ & epilepſiæ, naribus inunctum.

CAP. XI.

DE MEMORIA INFIRMA ET AMISSA, *Germ.* Entgehung der Gedächtniß.

QUemadmodum quilibet Rex diverſos ſui ſtatus Regni primarios

marios habet Præſides, qui cum Rege negotia regni adminiſtrant, uti ſunt Magnus aulæ magiſter, Archiſtrategus, Archicancellarius &c. ita etiam mens humana tanquam Monarcha microcoſmi verusque animantium Princeps diverſos regni ſui Directores habet, nempe rationem, imaginationem & memoriam: ratio quaſi ſummi Aulæ magiſtri vices gerit, imaginatio eſt velut architheſaurarius, memoria vero Archicancellarius, cuncta regni documenta & res geſtas fideliter conſignans ac cuſtodiens; hujus benevalentis & rectè munere ſuo fungentis beneficio homo cuncta ſibi per totam ferè vitam obvenientia retinet & recordatur, ſive bona ſint ſive mala, imò hanc reminiſcentiam etiam in morte non interire neceſſe eſt, cum homo aliquando de unoquoque verbo inutili ſit rationem redditurus, quod tum facere non poſſet, ſi non omnium per memoriam recordaretur.

Sedes memoriæ.

Sedes ipſi à Medicis & Philoſophis in poſteriori ventriculo cerebelli aſſignatur, ex cujus temperie ejus bona vel mala conſtitutio dependet, magna enim memoriæ eſt diverſitas ob varias cerebelli temperaturas, ita ut unus habeat acutiſſimam & conſtantiſſimè reminiſcentem, alius obliviosam, alius perplexam &c. ſemper tamen verſatur & occupatur circa præterita, ut ea firmiter ſibi infixa teneat, ſuoque tempore ad neceſſarium uſum depromat, quod quidem ſolius hominis memoria præſtat, neque ullius alterius animalis, fit tamen ſubinde vitioſa, rerumque & actionum præteritarum imagines & ſimulacra non rectè retinet, ſed eorum partem nunc minorem nunc majorem elabi ſinit, memoriæque diminutionem vel abolitionem inducit, quâ laborans horum, quæ antea noverat, obliviſcitur, atque audita, vel viſa, vel lecta vel guſtata parum vel planè non retinet, reminiſcitur vel comminiſcitur.

Cauſæ.

Cauſæ imminutionis vel abolitionis memoriæ poſſunt eſſe variæ, nempe vel nimia memoriæ defatigatio, uti fit ab illis, qui inſatiabili curioſitate immenſam copiam ſcibilium memoriæ imprimere conantur, tandem tamen eam ita obruunt, ut valdè confusè reminiſcatur, imò ſæpè obliviſcatur eorum, quæ jam ferè in ore erant; vel nimia turbatio mentis per animi pathemata, videlicet repentinum terrorem, vehementem iram, veſanum amorem, inexplebilem avaritiam & ſimilia, ſicuti enim aqua turbidiſſima, vel ſpeculum conſpurcatum non recipiunt imagines, vel valdè obſcuras, ita etiam bona memoria in perturbata mente locum plenarium non habet; item humor cerebrum gravans, uti fit in lethargo & affectibus ſoporoſis; itemq; intemperies frigida & humida, qualis occurrit in ſenili & tenellâ puerili ætate; nec non maligni vapores, non infrequentes in quibusdam peſtilentibus malignisq; febribus. Item debilitatio cerebri per diutinas ebrietates continuas, vel immoderatas vigilias

&

& lucubrationes: item refrigeratio capitis per diuturnam moram in aquis vel locis ſtagnoſis paludoſisve, vel nudo affulſu radiorum lunæ, vel ſtupefacientium medicaminum immoderatà applicatione. Item concuſſio capitis per aliquam acceptam plagam, vel alliſionem ex lapſu.

Prognoſis. Prognoſis ejus in hunc modum ſe habet: memoriæ imminutio à nimia ingenii exercitatione oriunda periculoſa quidem non admodum eſt, at difficilis reparationis ob attritos ſpiritus, quæ verò à magna turbatione, ſanabilis quidem eſt, at magis exceſſu illo pathematum in ordinem redacto, quàm pharmacis; quæ verò ab ebrietate vel humectanea pergelatione, ſtupefactivisve: aliquid gravioris ſibi verendum habet, ne vel apoplecticæ vel paralyticæ ſyderationes ſic affectum ſint adorturæ. Abolita autem memoria uti affectus eſt prægrandior, ita quoque diſcriminoſius quid portendit, ac quidem ſi abolitio ejusmodi ſubitanea ſit, reliquo corporis incolumi manente, ſuccedaneam brevi habebit epilepſiam, vel apoplexiam vel paralyſin, in eis maturè antevertat, ea verò nî morbo obtingens cum concidentibus viribus, ægrum jam morti eſſe vicinum declarat.

Curationis ineundæ modum jam ſuppeditat noſter

TEXTUS.

Pulvis Trithemii ad memoriam. *IN memoriâ deperditâ revocandâ, præſertim apud ſenes, multum prodeſt pulvis Trithemii, ita vocatus (vide miracula Chymica Mülleri pag. 117. Ruland. cent. 5. p. 100.)*

℞. macis
cubebarum
caryophyllorum an. ℥vj.
fol. ſenæ
cryſtall. tartari
zingiberis
chamæpytis an. ℥v.
radic. calami aromatici
gentianæ
ſemin. cumini
ſileris montani
aniſi
ameos
dauci
petroſelini
ſpicænardi indicæ an. ℥ſ.
magiſter. corallorum
perlarum an. ʒij.

redigantur ſecundum artem in pulverem, doſis ʒj. quam accipiat primo menſe manè & veſperi ante cibum horis tribus in vino vel etiam brodio; ſecundo menſe tantum manè: tertio menſe manè ter in hebdomade: quarto menſe bis in ſeptimana: quinto ſemel in ſeptimana, & ſic deinceps per aliquot menſes.

2. In memoria confortanda & reſtaurandâ mirificè valet aqua magnanimitatis, repetenda ex Medullæ deſtillatoriæ parte ſecunda Conradi. Elegantius valet, ſi cum eâ extrahantur ſpecies anacardinæ, cujus eſſentiæ gran. Extractū ſpec. anacardin.

iij. IV. V. VI. in ſeptimana ſemel, bis vel ter exhibitæ in vino vel aqua lavendulæ unicè proſunt.

NB. *In bilioſis & ſiccioribus hac aquâ circumſpectè utendum, valdè nimirum exſiccat: rarior ergo ejus uſus eſto in ejuſmodi hominibus, qui in melancholicis & pituitoſis potiſſimum tutior eſt.*

3. Inſignis eſt liquor lunæ, de quo ſupra in deſipientia.

CAP. XII.

DE AFFECTIBUS SOPOROSIS, Germ. die Schlaff-ſucht.

HOc nomine Author comprehendit lethargum, coma vigil & ſomnolentum, carum, cataphoram, ſubeth, ſiphytam ſtrictam (ita vocat Paracelſus ſomnum illum lunaticum, quo affecti de nocte profundo ſepulti ſomno ſurgunt, hinc inde oberrant, ac ſubinde inſtar felium alta tecta & muros ſcandunt, noctambulones vocati) item catocho, incubo & tremore laborantes, nec non ſtupore, quibus cunctis unam eandemque curationem dicat.

Singula ergò hic deſcribemus, ut unum ex altero intelligatur, eorumque differentia & fundamentum curationis innoteſcat.

Lethargus. Lethargus itaque ſive veternus eſt ſomnus profundus cum febre & delirio, pulſu forti & aliquantulum undoſo, pallore faciei albeſcente, nec non oblivione omnium quæ dicuntur, vel acclamantur.

Coma. Coma duplex eſt nempe vigil & ſomnolentum, in vigili ægri clauſis oculis dormire videntur, qui tamen vigilant & delirant, atque ex levi attactu mox oculos aperiunt cum torvo aſpectu, ac illicò in ſomnum relabuntur. In ſomnolento verò comate, (quod etiam cataphora & ſubeth vocitatur) eſt pariter ſomnus profundus, ſed patiens ab eo excitatur, oculoſque aperit & reſpondet, moxque rurſum profundè indormiſcit.

Carus. Carus eſt pariter ſomnus ſine febre, ſed prædictis profundior, in quo æger excitatus oculos vix aperit, & non reſpondet, ſentit tamen concuſſus, & integram habet reſpirationem.

Siphyta ſtricta. Noctambulus vero ſomnus vel ſiphyta ſtricta eſt ſopor de cætero innocuus, hominem tamen, quem obſidet, violenter impellens ac cogens ad conſurgendum, & variè circumerrandum, adeò ut nocte intempeſta licet profundè & clauſis oculis dormiens, ſe è lecto proripiat, fores cubiculi aperiat, & per angulos ædium circumvagetur, imò nonnunquam faſtigia murorum, nec non tectorum aſcendat, atque hinc inde imperterritè repat, demumque rurſum promptè deſcendat, ac in lectum ſe reclinet, reliquum ſomni quietè tranſigendo, eadem omni ferè nocte repetens abſque omni periculo, niſi nominetenus inclametur, tum enim eum extemplo, ubicunque ſit, præcipitio ruere ajunt, ſi verò ſibi inturbatus relinquatur, tam inhæſitanter & velut præcogitatè

tatè ſuas ſcanſiones abſolvit, ut ſole meridiano aptius fieri nequeat, manè tamen omnium immemor.

Catochus. Catochus autem ſive catalepſis eſt repentina motus ac ſenſuum obrigeſcentia, quâ correpti eam poſitionem membrorū retinent, quam ante invaſionem hanc habebant, ita ut ſi fuerint jacentes, ſedentes, ſtantes vel ſcribentes, eandem figuram poſt correptionem retineant, ac ſolummodò profundæ ſpeculationi inhærere videantur, impulſi tamen nec ſenſum nec motum, ſed ſolam reſpirationem habere deprehenduntur.

Incubus. Incubus verò ſive ephialtes eſt ſopor ſemper cum ſomnio de incumbente ſibi aliqua re ponderoſa conjunctus, ita ut rude vulgus planè opinetur, incubum eſſe aliquod ſpectrum nocturnum, vel ſagarum quoddam veneficium dormientibus inſultans, incubituque eos premens, adeò ut neque loqui neque alterius opem implorare, vel membra movere poſſint.

Tremor. Tremor eſt depravatio voluntarii motus, qua membrum alternatim celeriter elevatur & deprimitur, atque hinc inde quatitur, more eorum qui rigore febrili, vel hyberna perfrigeratione concutiuntur.

Stupor. Stupor verò vel torpor eſt imperfecta vel obtuſa perceptio ſenſilitatis in aliquo membro, de qua actum eſt capite de paralyſi.

Cauſæ. Cauſas horum omnium ex una radice promanare hinc conjecturatur, quod eorum remedia ex unico fundamento procedant, habent tamen ſuas ſpeciales differentias, nam lethargus, coma, & carus habent quidem eandem cauſam, nempe intemperiem cerebri frigidam & humidam, ea tamen diverſo modo accidere poteſt, ſcilicet vel à nativa conſtitutione, vel inordinatâ diætâ, vel redundantiâ ſangvinis, vel à ſangvine extravaſato, vel à medicamentis nimium refrigerantibus & ſtupefactivis, vel à malignitate morborum febriumve malignarum, hæ verò iterum in gradu differunt, adeò ut parcior vel uberior frigiditas humida jam unum, modò alterum iſtorum affectuum producat.

In comate verò vigili putatur etiamnum bilioſa qualitas prædictæ frigidæ & humidæ materiæ accedere, atque eryſipelas œdematoſum progignere, in quo ſi bilis prædominatur, vigiliæ, & delirium prævalent, ſi verò pituita, majorem ad ſomnum propenſionem efficit.

In noctambulatione autem aliquid ſupernaturalis concurrere, meritò ſuſpicari licet, rationi enim conſonum non eſt, aliquem talia in ſomno & tenebris, clauſiſque oculis poſſe perpetrare, quæ ſibi optimè vigilanti, luceque meridiana fruenti interdum penitus impoſſibilia forent. Helmontius quidem putat hos ſiphyticos frui lumine lunæ, quæ nocte peculiare lumen eradiet, cujus beneficio noctivaga animalia cernant, quod hoc argumento probare contendit, quod veſpertilio, mus, glis, bubo, & quæcunque in nocte ſub denſiſſimis tenebris eminus objecta ſua diſtingvunt, & celerrimos

 mos

mos objectorum motus notant, nequeant oculorum nitore glauco, quem quædam præ ſe ferant, vel medium diſtantiæ illuſtrare, ut per illum eminus perfectè cernant, ac proinde neceſſe eſſe, ut denſiſſimâ nocte, & recluſo antro aliquod con tinuò lumen ſit, cujus interventu ejusmodi animalia perſpicuè videant, illudque ex eo percipi poſſe, quod nimirum noctivida nullum extra oculos lumen mittant, quod ſit illuminando medio, ad diſtinctè noſcendum objectum eminus poſitum, atque adeò illa videre ſolius luminis lunaris beneficio, ſi ſtatuatur ſpeculum inter oculũ animalis & objectum ſuum, idque ſpiſſis ſub tenebris, ne minimum enim luminis in ſpeculo reflexum inveniri; evinci ergò aliud lumen ſubter terram eſſe, nempe lunæ ad dominium noctis conſtitutæ, quod etiam nocte illuni luceat, ac antra quoque ſubterranea infeneſtrata perfulgeat, modo tamen diariis oculis impercepto, cujus illuſtratione noctabunda animalia viſu fruantur. Horum in confirmationem narrat, ſibi aliquando in claſſibus literariis, fuiſſe honeſtum ſodalem in cubiculo, qui noctu plerunque clauſis oculis ſurrexerit & oberraverit, clavem verò ſecum detulerit, ſeramque poſt ſe clauſam rediens aperuerit. Se itaque veſpere ſurrexiſſe, & clavem clanculum ſubter pulvinar abſcondiſſe. Illum verò in ſomno ſurgentem, abditam clavem velut ſibi viſam cepiſſe & abiiſſe. Se ergò arreptâ tunicâ illum eſſe ſecutum. Illum verò antiquum ſcandiſſe parietem, terminum Collegii, muſco ac fœno obſitum. Arcum enim fuiſſe, quo trans flumen ſuſtinuerit paries hortum vicinum, fuiſſe etiam plenilunium & noctem pruinoſam. Ad ſpectaculum ſe horruiſſe, & præ frigore rediiſſe. Sodalem verò mox reverſum tam inhæſitanter clavem in foramen ſeræ abdidiſſe, ut vix ullus videns, & ſub meridiem æquè incunctanter id feciſſet. Manè verò eum omnium immemorem fuiſſe. Iſtos enim ambulones clauſis palpebris clarè ſub denſis videre tenebris, absque vertigine ſecuros ſcandere, eò quod lunari lumine fruantur. Hæc Helmontius. Verumenimverò licet ejusmodi lumen lunare, nec non noctivagorum animalium ab eo influum viſum concederemus, inde tamen non ſequeretur, etiam ſomnolentos & compalpebratos noctambulones per clauſas palpebras ad illud lumen videre, & ſcandendo cum felibus certare poſſe, imò cum jam commemorato etiam res abditas cernere, & in momento è ſuis latibulis depromere, ſomnoque defunctos nil quicquam à ſe patrati reminiſci, hæc enim à vulgari hominum natura aliena potius nos eo magis ſuſpicaces reddunt, non nil innaturale hiſce ſubeſſe, talesque per cauſas nobis incompertas ſubeſſe dominatui lunatico, & complicatè quibusdam ſpiritibus tenebrarum eos in ſomno moderantibus, maximè cum à ſomno reſobreſcentes nihil horum ſciant, non enim obſcurè hisce emicat, quod hæc neque

per voluntatem neque poteſtatem iſtorum hominum fiant, aliàs deberet aliqualis eorum relicta ſcientia & recordatio concurrere, nempe ad minimum quaſi ſomnialis. Porrò ſi illud lunare lumen tam potens & fulgoſum ſit, ut etiam per clauſos oculos viſum illuſtrare poſſit, adeò ut non tantum per ſua tegmina, verùm quoque ſpiſſiſſimas tenebras cernere queat, idque etiam in homine noctividis oculis aliàs non gaudente, tum ſanè lumen lunæ immenſis paraſangis fulgorem ſolis ſuperabit, & ſupervacanei fortè erunt oculi animantium noctivagorum.

Catochi cauſa. Catochi verò cauſam major pars medicorum ſtatuit frigidam & ſiccam cerebri intemperiem, cerebri partem præcipuè poſteriorem conſtipantem & condenſantem, unde nervos ab eâ oriundos etiam condenſari, tenſoſque ac rigidos evadere, poſſe quoque talem intemperiem totum nervoſum genus occupare ab interna & externa cauſa productam, internam fieri à dicta intemperie frigidâ, externam verò cauſari poſſe à nimiâ perfrigeratione externâ, idque eo proclivius in temperamentis ſiccioribus, in quibus etiam duplici viâ contingere poſſit, nempe quod vel facilè nervorum rigidationem ab ambientis frigore recipiant, vel crebros vapores melancholicos foveant, à quibus aliquando nervorum tenſio & rigoroſitas inducatur.

Alii cum Sennerto cauſam hujus affectus agnoſcunt ſpiritum quendam congelantem, à quo ſpiritus animales figantur & immobiles reddantur, cujus tamen vis congelativa & fixativa non dependeat ab intemperie frigida & ſicca, ſed à qualitate occultâ quadam in naturâ rerum non infrequente, nam in fulmine pariter ejusmodi ſpiritum congelantem dominari, exemplis eorum, qui fulmine tacti, obrigeſcentes nonnunquam intereant, commonſtrari. Qualis etiam vis congelativa mox oculis objici poſſit in coagulatione mercurii per fumum plumbi, mercurium adeò conſtringentem, ut fiat malleabilis. Verùm hæc opinio vix ſtrictum rationis examen ſuſtinet, nam licet condonemus ejusmodi ſpiritus congelativos indies in natura obvios, eorum tamen vis fixativa & congelatoria in nervis rigidans dominium exercere nequit absq; vitæ interitu vel lethali morbo, nam ſi in ſpacioſis vaſis nempe in veſica & renibus adeò calamitoſæ ſint congelationes, quid futurum cenſebimus in tam contiguis & ſenſibiliſſimis nervis à minima punctura mox lethaliter ſpasmantibus? propriis etiam eorum exemplis id pateſcit, nempe quod nemo unquam à congelante fulminis vi afflatus ſupervivat, ſed ad unum omnes mortaliter obrigeant, absque ullo à privatione ad habitum regreſſu.

Cum autem iſte affectus ſit ſanabilis, licet cum eâdem cum paralyſi & ſoporoſis difficultate, nos ſimpliciter ipſum aſcribimus ſoporoſæ frigidæ qualitati, non à ſpiritu congelante, ſed potius à defectu ſpirituum proficiſcenti, cujusmodi ſunt phlegmatica & melancholica complexio-

 De Affectibus Soporoſis.

plexiones, quæ omnibus morbis frigidis obnoxiæ ſunt ob ejusmodi defectum ſpirituum, nam ſicuti vinum debile, quod parum ſpiritus vini ſive aquæ vitæ ardentis in ſe habet, diu conſervari nequit, ſed ſuapte naturâ tendit in vappam & acetum, & à levi gelu glaciatur, ita quoque dictæ complexiones ex defectu ſpirituum ſangvineorum debiles ac veluti vappicæ ſunt, atque in morbos frigidos ferè à juventute pronæ. Econtra quemadmodum vina fortia, quæ plena ſunt ſpiritus ardentis, colorem odorem & ſaporem habent, diutiſſimè incorruptè conſervantur, calefaciunt & exhilarant, omnem ſuam virtutem à copioſis eorum ſpiritibus habent, nec vappeſcunt, vel glacie rigeſcunt, niſi ſpiritus eorum igneus prius evaporet. Sic etiam temperamenta ſangvinea & bilioſa affectibus frigidis, ſoporoſis vel auſteris non facilè auſcultant, niſi ſpiritibus eorum per morbos acutos prius evaporatis.

Soporoſis ergò affectibus catalepſin cum noſtro Authore accenſemus, materiamque ſoporum variè dimigrare in corpore poſſe putamus, ut modò ſoporem, modò paralyſin, jam catalepſin, nunc incubum efficiat.

Incubi cauſa.

Incubi verò cauſam quod attinet, experientiâ conſtat, eum ſemper hoſpitio excipi ab ingluvioſis & ſtomachum ſuperfluè gravantibus, qui & mox à pleno paſtu ſomnum ſupini capeſſunt, recurrere ergò ſpiritus undiquaque atque etiam è nervis, & tum quoque à calefactorio ſtomachi pondere gravante attrahi ad ventriculum infarctamento diſtentum, ut eam molem conficere adjuvent, veriſimile eſt, nervos verò à fuga ſpirituum torpeſcere more eorum, quibus externum frigus ſpiritus ad interiora pellit, atque hoc pacto eos torpentes reddit, unde illis ſomnium cuditur de gravi ſibi incumbente mole, quâ preſſi mox ſuffocatione, reſpirationisque ac motus interceptione ſe periclitari autumant, atque anheloſè auxilium flagitant. Vulgus tamen hisce prolatis cauſis non acquieſcit, ſed genuinam refert accipiendam ludibrio dæmonum, ſagisque veneficis noctu per ſomnum incumbentibus pectori, ac ſpiritum vitalem unà cum ſangvine è papillis exſugentibus, quia plerunque ſaltem vividi pueri hoc affectu divexentur, ac non ſenes vel debiles, qui tamen æquè ac multo ſæpius iisdem affici deberent, ſi malum ex ſolis cauſis naturalibus oriretur.

Tremoris cauſa.

Tremoris verò cauſa vera pariter refrigeratio eſt, diverſiformiter tamen accidens, in quibusdam enim terror panicus tremorem parit, fugientibus à triſti nuncio ſpiritibus ad cor, ex quo exteriora frigent & titubant. In aliis ab æſtu febrium acutarum ſpiritus ſangvinei diſſipantur, unde poſtmodum nervi ingruentem refrigerationem ſentientes, prius tremunt, ac poſtmodum ſe contrahunt more eorum qui moleſtum frigus ſentientes ſcapulas hinc inde torquent ac contrahunt; alii à nativa conſtitutione ſunt pauperes

peres

peres ſpiritibus ſangvineis, ut ſupra dictum eſt, & leviſſimè palpitatione cordis & tremore trepidant; alii à diæta refrigerante & phlegmaticante, vel uſu nimio ſtupefactivorum perfrigerantur. Alii fumum argenti vivi & cinabaris, quæ ex mercurio quoque conficitur, nempe merum frigus ſpirituale ſubtiliſſimum reſpiratione attrahunt, & ex ingenti illa perfrigeratione ſpirituali per tempus vitæ tremoroſi fiunt. Modus autem tremoris fiendi explicatu difficilis eſt, vulgaris enim illa ratio, quod nimirum facultas motrix membrum attollere & in eo ſitu continere contendat, gravitas verò ex debilitate orta illud ruere ſinat, ſicque motus ille tremulus contingat, ſufficiens non eſt, caput enim tremens quatitur in gyrum vel circuitâ tremulatione, genua verò lateraliter, majus autem robur requiritur ad celeriter aliquid quatiendum gyratâ reciprocatione, quàm ſaltim attollendum.

Huc ſpectant quoque ſequentia Hippocratis graviloquia:

In quo morbo ſomnus laborem facit, lethale. lib.2.aph.1

Somnus modum excedens, malum. 2. 3

Somnus immodicus morbus eſt. 7. 71

Morbus peracutus ſtatim extremos habet labores. 1. 7

In quovis morbo mente non conſtare ad ea quæ offeruntur, malum. 2. 33

Lethargus eſt morbus virilis ætatis. 3. 30

Tremor in veterno, malum. 7. 21

Caput gravatum medicandum calidis. 5. 22

Lethargo affecti in ſeptem diebus intereunt. lib.2. de morbis

Lethargus ſeptimum diem excedens ſanatur. ibid.

Lethargo ſervati empyici fiunt i. e. purulenta excernunt alicubi. in coacis

Tremores fiunt in febribus ardentibus. lib. 6. aph. 26

Tremores febriles ſolvuntur delirio. 6. 26

Prognoſtica. Prognoſtica horum affectuum in hunc modum ſe habent: Soporoſi affectus omnes ſunt periculoſi, idque magis vel minus pro eorum majori vel minori vehementia, unus tamen altero periculoſior, nempe lethargus comate, carusque utroque, omnes tamen ſenio lethales eſſe ſolent, cum enim propter eorum calorem nativum debilem, ne quidem ſimplex gravedo vel raucedo juxta aph. 40. l. 2. in decrepitis concoqui poſſit, multo minus hi morbi vix juvenibus robuſtis ſuperabiles. Admodum etiam periculoſi ſunt in febribus acutis, ubi prægreſſæ vigiliæ cerebrum valdè debilitarunt, unde poſtmodum talem affectum gravem vix ſuperare poteſt.

Si tamen quædam excretio purulenta prodeat, nempe ex naribus, faucibus vel auribus, cum ſymptomatum mitiori facie, vel parotides erumpant, ægrum in tuto eſſe ſpem faciunt, vincente jam robore membri principis, materiamque morbi à ſe propellente, tumque verificatur citatus aphoriſmus, quod nimirum

rum lethargici ſervati empyici fiant.

Non leviora prognoſtica habet coma vigil, nempe mixta ex jam dictis & phrenitide, adeò ut vehemens exiſtens vel lethali ſomno vel jugulante convulſione finiatur.

Similiter & catalepſis in magnitudine periculi curationisque difficultate prædictis nihil cedit, eademque fere præſidia depoſcit cum ſoporoſis.

Incubus verò voracibus pueris ſolemnis rarò ſolet eſſe periculoſus, & cum ætate & meliori diæta mutatur. Nimis tamen creber epilepticæ eſt indolis, atque ideò minor epilepſia à medicis vocatur, & communia cum illa auxilia agnoſcit.

Noctambulanus autem ſopor plus extirpatur ingenio quàm pharmacis, ut mox audietur.

De curatione eorum ſequentia paucula tradit

TEXTUS.

IN ſopore, caro, veterno, comate ſomnolento & vigili, cataphora, ſiphyta ſtricta id eſt noctambulonibus; item in incubo, tremore, ſtupore cæterisque vitiis cerebri præter illa, quæ hactenus enumerata ſunt (a) *potiſſimum prodeſt liquor lunæ, ſupra in deſipientia deſcriptus, cujus excellentia in ejusmodi caſibus ſatis commendari nequit.*

(a) I. e. medicamenta apoplectica, paralytica, epileptica, quæ hic quoque cuncta valent.

NB. *Sternutatoria in ejusmodi caſibus eſſe* (b) *neceſſaria, itaque in curationibus iſtorum morborum ſternutationes ſunt ſæpius provocandæ.*

(b) Præſertim in lethargo, caro &c. ubi imitandus eſt excellentiſſ. D.D.Deckers, qui lethargico inflandum curavit per nares pulviſculum ex turbit. mineral. ℈ſ. glycyr. pulv. ʒſ. quo etiam empyema lethargicum ruptum, & per nares & fauces evacuatum eſt. Longè tamen melior eſt noſter præcipitatus aureus, in tract. de panacæis mineral. deſcriptus, & confici edoctus, ſaluberrimam enim ſternutationem cum magna capitis alleviatione excitat, etiam in ſanis, ſicuti ſæpiſſimè experimur, quoties ejus non nihil in mortario pro uſu medico ſubtiliſſimè terimus, facilimè enim ejus particula inviſibiliter ab aëre arripitur, & inter volandum reſpiratione per nares attrahitur, atque aliquot fortes ſternutationes excitat, cum optato levamine capitis, & multa ſcreatione mucoſæ pituitæ.

Prodeſt litus ex oleo de caſtoreo cum ſucco rutæ & fœniculi. (c)

Item ℞. *ſucci apii, aceti fortis q.ſ. & cum pulvere caſtorei f. emplaſtrum, & capiti abraſo ſuperpone.* Emplaſtrum.

(c) Egregiè valet ſequens Paracelſi experimentum in ſopore lethali peſtilentialium vel malignarum febrium: Experimentum.

℞. herb.

℞. herb. betonicæ
majoranæ
ſalviæ
flor. ſambuc.
roſar. ſylveſtr. an. m. j.

bulliant in aceti roſacei & vini an. q. ſ. aliquantulum, ut ſuas vires exerant, tum prædictas herbas expreſſas atque optimè calentes capiti in circuitu applica, & quando refrigeſcunt, recalefiant in commemorato decoctionis jure, denuoque eas capiti admove, aliquoties id repetendo, ſic ſopor ille lethalis expugnatur, atque in mitem ſomnum naturalem convertitur, adeò ut in ægri nocumentum minimè cedat.

Spiritus ſulphuris convenit.

Hisce profundè ſepultis etiam ſalutariſſimi uſus eſt ſpiritus ſulphuris acidus vel vitrioli in ſat magna doſi aceto vini inſtillatus, eaque ſimul in ſomno ægro per os in ſtomachum infuſa, pro perſona robuſta poterit doſis ſpiritus ſulphuris integra drachma eſſe, imò in ingenti ſopore adhuc major, extremis enim extrema conveniunt juxta aphor. 6. ſect. 1. additis tribus cochlearibus aceti vini, eisque probè invicem agitando commixtis totam mixturam pro una vice per fauces decumbentis demitte.

In defectu dictorum ſpirituum poteris accipere chelidonium majus, atque illud cum radice conquaſſatum recens in libra una aceti vini in obtectâ ollula coquere ad tertiæ partis conſumptionem, ac colaturæ etiamnum tolerandè ferventis hauſtulum trium vel quatuor unciarum patientis ori infundere.

Experimentum ad incubum.

Incubus verò uti eſt ludibrioſus affectus, ita quoque per ludibrium hoc certo & probato experimento non repullulaturus extirpatur: habeas in promptu ignorante ægro acerrimum flagrum, eoque jam ad oberrandum conſurgente, ipſum protinus ſequare, ac ita nudum vel induſiatum absque compaſſione flagro cædas tanta cum vehementia, ut quælibet ferè plaga vel cæſio vibicem appingat, & quamvis æger expergefactus inhibitionem clamet, ſurdo tamen fabulam narret, ſed te quoque ſomno & ſomnio obrutum ſomniare fingas de flagellatione equorum ſcuticis impellendorum vel canum è culinâ ejiciendorum, ſic æger præ dolore inermis tandem aufugiet, ſuoque genio tantum metum incuſſum reportabit, ut planè impoſterum à noctambulatione deſiſtat, veluti canes, qui ſemel opiparè vapulantes poſtmodum ſemper oſtenſo ſaltem baculo ſe dant in fugam.

CAP. XIII.
DE VIGILIIS, *Germ.* Schlaffloſigkeit.

Vigiliæ quid?

Dogmatici Medici definiunt vigilias, quod ſint extenſi motus facultatis animalis, atque ejusdem actiones liberæ in ratiocinando, ſentiendo, localiterque movendo, ſomnum verò eorundem quaſi vinculum exiſtere, quo dictæ actiones conſtringantur ac ligentur.

Sedes vigiliarũ juxta dogmaticos.

Palatium earum proprium conſtituunt cerebrum, cujus ſiccitas ſit ipſarum cauſa, fieri quoque easdem

per accidens ab halitibus impensè calidis & acribus, cerebri temperiem turbantibus, vigiliasque inferentibus.

Juxta Helmontium. Profundiſſimus verò Helmontius actionem Regiminis corporalis noſtræ vitæ ſtatuit in hypochondrio, ſplene ſcilicet atque ſtomacho, quæ duo duumviratum conſtituant, atque omnibus reliquis partibus ac membris imperent, ex eo argumento, quod omnis amentia incipiat atque etiam ab ipſo ægro aſcenſurâ præſentiatur in hyochondrio, conſtipulante Hippocratis aphoriſmo: quod fortis pulſatio hypochondrii inſtantem dementiam annunciet, ſi ergò ibidem ſit ortus amentiarum, debere per conſequens eodem loci quoque hoſpitari intellectualem poteſtatem, juxta ipſam ſcholarum receptam ſententiam ſive axioma: *Quod nimirum ejusdem partis ſit functio ſana, cujus eſt vitiata & contra.* Amentias quoque omnes exceptis ſoporum affeclis, tollere ſomnum, & comites individuos habere vigilias, ergò ſomnum & vigilias itidem ſtabulari in hypochondrio, item phantaſiam, venerem nec non poteſtatem motricem, integramque ſedem animæ ſenſitivæ eſſe in ſtomacho velut proprio toro, ac ex eo actioni regiminis præeſſe, in ſplene vero vicario illo Saturni deaſtrorum parentis, & inſpiratore fermenti acidi primariæ illius cauſæ concoctionis in ſtomacho, formari primos idearum conceptus, & vegetationem intellectivæ poteſtatis, cujus ergo immensâ arteriarum numeroſitate dives ſit, in quibus, quamdiu benè valeat, leniter & vix perceptibiliter pulſet, ac identidem ſeriis conceptibus occupetur, vigiliasque cauſetur, ſumpto verò cibo nempe ſub tempus concoctionis eum ſuſpendere ſerias ſuas actiones ad fruendum deliciis fermentalibus in ſtomacho, unde ſomnus & ſomnia.

Verùm hisce disceptationibus diu immorari non eſt animus, ſed proſequi jam inſtituti rationem noſtri Authoris, quid per ſuas velit vigilias.

Tractat ergò præſens caput de vigiliis morboſis ægros valdè debilitantibus, quo pacto nimirum præveniantur & præſentes abigantur.

Hæ ferè ſemper ſunt alterius morbi productum, eòque curato ſponte iterum ceſſare ſolent, adſunt verò in quibusvis magnis doloribus, præſertim capitis, dentium, aurium, inteſtinorum, in inflammationibus & ardentibus febribus & ſimilibus, quibusdam etiam extra morbos moleſtæ ſunt, nempe ſenibus, & qui ſunt temperamenti ſicciotis. Quinam vigeliis obnoxii?

Nusquam verò im̃oderatæ quicquam adjumenti afferunt, ſed totum corpus exſiccant, atque exareſcere & gracileſcere faciunt. Concoctionem interturbant, cruditates augent, tremorem membrorum inducunt, & pallorem vultus, ſangvinemque reddunt bilioſum. Quid operentur?

Moderatæ tamen utilitate non carent, iisque conveniunt, qui ſunt temperamenti præhumidi & frigidi, his enim ſuperfluam pituitam exſiccant, torpentes ſpiritus recreant, inge-

ingenium acuunt, calorem obrutum reparant, ſuperflua in corpore halituoſè conſumunt, appetitum firmant, nec non excretiones promovent.

De his Hippocrates ſequentia habet:

Vigiliæ modum excedentes malæ. *lib. 2. aphor. 3*
Vigiliæ immodicæ ſunt morbus. *7. 71*
Sunt familiares ſenibus. *3. 31*
Vigiliæ continuæ fiunt ob dolorem vel laborem. *lib. 2. præſ. 12*
Vel delirium futurum ſignificant. *2. 12*
Vigiliæ continuæ ſunt peſſimæ. *2. 12*
Perituri vigilant. *3. 10*

Cauſas & prognoſtica vigiliarum quod concernit, non fore neceſſe arbitramur de iis hic multa diſſerere, cum, ut dictum eſt, ferè ſemper ab aliis affectibus dependeant, atque ita in deſcriptione iſtorum ſufficiens harum fiet commemoratio. Jam verò audiendus

TEXTUS.

1. IN vigiliis immoderatis uſitata ſunt mihi pedilavia, præcipuè verò hoc, quod recipit:

Pedilavium. *folior. ſalicis*
lactucæ
nymphææ
violariæ an. m. j.
chamomillæ
betonicæ an. m. ſ.
capitum papaveris albi ſine ſemine n. 6, vel 7.

inciſis capitibus reliqua bulliant in aqua fluviatili. Hoc decocto primum madefiant tempora & manus ſpontè exſiccandæ, tandem pedes per ἐγκάθισμα *abluantur; ſomnum jucundiſſimum producit, præſertim ſi aliquot diebus veſperi ante ingreſſum lecti illud uſurpetur.*

2. Multum prodeſt laudanum opiatum intrò ſumptum doſi certâ & exquiſita, vide opiologiam.

Valent item epithemata (a) *ad caput ex floribus anthos, ſem. aniſi, fœniculi & papaveris albi in aqua decocta & fronti impoſita ſeu temporibus.*

(a) Interdum per tempus æſtivum calor ambientis nimium fervens etiam ſanis inducit moleſtas vigilias, tumque ſi nihil aliud ad manus ſit, ſaltem aliquod ſtrophiolum intingatur aquæ frigidæ communi vel roſar. rurſusque exprimatur, & circumligetur capiti, mox enim medetur vigiliis.

Conducit quoque ungventum populeon temporibus & pulſibus illitum.

Vel ℞. ungv. popul. ℥ij. Ungventum ſomniferum.
ol. papav.
jusquiami an. ℥ſ.
mandragor.
thuris an. ʒij.
opii ʒſ.
f. ungv. temporibus inungendum.

CAP. XIV.
DE PEDICULIS CEREBRI.

INconjecturabile nobis eſſe palàm fatemur, quid ſibi velit monſtroſum hoc caput, medicaturum pediculis ac vermiculis cerebri per fumum cinabrii, quaſi verò hoc cœlum microcoſmicum, omne impurum adeò horrens, ut à vaporibus biliroſis phreniticè, ab atrabilijariis verò epilepticè furat, ſalvâ vitâ ſuſtenturum ſit nidulationem inſectorum, incolumitatemque recuperaturum fumo venenato mercuriali inſpirato, & quis medicus luſtrabit eorum nidum per concluſum cranium? aut quibus ſignis innoteſcet, cerebrum pediculeſcere?

Verum quidem eſt homines quosdam interdum incidere in pedicularem morbum ſive phthiriaſin, quâ totum eorum corpus pediculos profert in tanta copia, ut nonnunquam mortem inferant, quemadmodum & Ennius, Sylla, Pherecydes, & ut quidam volunt, etiam Plato hoc genere mortis interierunt, tuncque ipſum pariter cerebrum ab eis infeſtari poſſe non negamus, verùm absque ſpe reconvaleſcentiæ, talibusque heîc præſcripta remedia nil conferre poſſe putamus, ſed tantam eos cerebri ac reliquarum partium corruptionem incurſuros, ut quaſi ſphacelatione ſit ipſis pereundum.

Fortaſſis autem per inadvertentiam nomen cerebri hic ſcriptum eſt, voluitque Autor tractare de pediculis capitis, aliarumque partium piloſarum. Quod inſtitutum & nos proſequemur.

Fit itaque pediculatio in toto corpore, præſertim in locis calidis & humidioribus, nempe circa collum, ſub alis, in univerſo capite pilis obſito, item interdum in barba, & circa ingvina ac loca ſecretiora, verùm pediculi non ſunt unius generis, ſed inter ſe differunt, qui enim in capite generantur, ſunt plerunq; aliquantulum fuſci & duriores, lendesque crinibus affigunt tam firmiter, ut vix ungvibus avelli poſſint, neque etiam lateraliter decidunt, ſed oportet ipſas ſecundum longitudinem pilorum abstrahere usque ad extremitatem pili, qui per lendem tranſit, unde videre eſt, lendem initio eſſe mollem, ut pediculus eam pilo circumponere poſſit, pilusque per eam quaſi foraminatam pertranſeat, poſtea verò non nihil indureſcere, ex iſtis lendibus ceu ovis pediculi prodeunt minutiſſimi, ſenſim & quidem ſat velociter increſcentes, rurſusque tales lendes parientes, quæ ante ſuam excluſionem ſunt pellucidæ ac turgentes, ungveque preſſi cum ſtrepitu crepant ſeu rumpuntur. Qui verò circa collum degunt, ſunt albiores & molliores, ac plicis induſiorum veſtiumque inhærent, videnturque prioribus delicatiores, paſtum enim capitis averſantur, ac mollem duntaxat cuticulam depaſcunt. Præter hos adhuc alii alteriusque formæ, ſed non tam frequentes inveniuntur, qui loca piloſa ſecretiora incolunt, tenaciſſimèque

Pediculi capitis.

Pediculi induſiorum.

que cuti adhærent velut adnati, citiſſimè tamen ab uno ad alium per infectionem transferuntur, adeò ut ſi quis unica ſaltem nocte in eodem lecto cum aliquo dormiat, qui his pediculis ſcateat, mox uberrimos ſecum reportabit, tam firmiter tamen cuti affixos, ac ſi agnati eſſent, atque hi pediculi vocantur peſſolatæ vel petalæ. A nonnullis etiam cyrones inter pediculos referuntur, qui minutiſſima ſunt animalcula inter cutem & cuticulam latitantia, ac nunquam foras prorepentia, niſi eximantur, ſunt autem hi vermiculi infantibus & pueris familiares, atque interdum his qui molliter vivunt, manusque non niſi aqua tepidâ lavant, ac ſemper moleſtam pruriginem excitant, præſertim ſi manus ad ignem calefiant (in manibus enim ſaltem inveniuntur, & in infantibus etiam in pedibus) ſerpuntque ſub cuticula ab uno loco ad alium, & cavatam lineam ſive ſulcum relinquunt ita ut videri poſſit, quorſum migrarint, ubi, ſi velis, in extremitate hujus lineæ albæ cuſpide aciculæ animalculum eruere poſſis, eſtque tam exiguum, ut viſum ferè effugiat, colore albicans cum capitello nigro, & ſi ſpeculo terſo imponatur, moveri advertitur, ungveque compreſſus crepat inſtar pediculi. Vocatur hic vermiculus, ut dictum eſt, cyron vel ſyron, item acarus vel teredo.

Peſſolatæ, petalæ.

Cyrones

Cauſæ.

Cauſæ pediculorum ſunt humidæ ac tepidæ ſordes cutis, in ejus poris meatibusque coacervati, item transportatio ab uno ad alium, faciliṁè enim diſſeminantur, atque ab una veſte ad aliam transmigrant; proveniunt quoque à mala victus ratione, & præſertim à multa ficuum comeſtione, nec non caſtanearum aliorumque fructuum tepidum & humidum nutrimentum ſuppeditantium, item à neglectâ cultura capitis ac corporis, ſorditie camiſiarum veſtiumque, quando ea diu impermutatæ ac illotæ geſtantur, ut fit à militibus, mendicis, & quibusdam ordinibus monaſticis munditiem & balnea negligentibus, pediculi verò ingvinales veniunt à ſpurco commercio cum meretricibus, ſcabioſis & ſordidis.

Prognoſis.

De Prognoſticis non eſt quod multi ſimus, nemo enim eſt cui ignoti ſint, & qui non aliquando ipſorum extiterit hoſpes, ac ſymbolum ab ipſis acceperit, omnes enim gratiſſimè ſolvunt nummos pruriginis, frictionis, ſcalptionis & ſcabiei, ac rariſſimè majus periculum inferunt, niſi ingens cacochymia corporis accedat, ex eaque generalis pediculatio generetur, quæ mortali periculo plena eſt, & ſingularis vindicta Dei creditur, quâ Rex Herodes Agrippa, qui Apoſtolum Jacobum decollari juſſerat, punitus dicitur.

De curatione audiemus quid moneat

TEXTUS.

IN pediculis cerebri 1. proſunt purgationes cerebri, quæ fiunt partim à vulgaribus (verbi gratia

tia pilulis cochiis) partim à ſpecifico purgante Paracelſi.

2. Sternutatoria aliquoties jejuno ventriculo exhibita.

3. Vermiculos enecant ſuffumigia ex candelis ex cera & cinabrio pulveriſato confecta. Fumus autem excipiendus eſt in loco anguſtiori, emoriuntur (a) *vermiculi ab hoc fumo.*

(a) Potius ne quis phthiriaſin contrahat, utendum noſtro præcipitato aureo, qui inſigniter præ omnibus aliis purgantibus ſangvinem & humores corporis mundificat, ita ut vermiculationi nullus relinquatur locus.

Citius cura abſolvitur, ſi quotidiè poſt ſternutationes aliquid de mercurio dulci in axungia capi distemperetur, & cum turundis in naribus geſtetur.

Cingulum ſapientiæ Rulandi.

NB. *In pediculis totius corporis, tum ex hoc tum veſtimentis* (b) *abigendis valet cingulum ſapientiæ Rulandi, quod Recipit nigredinem mercurii, ex ejus præparatione cum ſpiritu vini nimirum agitando, in eundem ſpiritum vini depoſitam* (c) *quantitate ſufficiente, miſcetur ea cum pulpa pomorum aſſorum, ut fiat inſtar ungventi. ℞. deinde linteum in faſcias inſtar cinguli affabrè ſectum, & in extracto liquido croci aliquoties imbibe & ſicca. In duas tales licinias ungventum iſtud in forma emplaſtri extendendum, tandem ab altera parte exteriore corium ſubtile adapta, & cingulum nudo corpori circa lumbos applica & geſta.*

Experimentum.

(b) Præſtantiſſimum remedium ad omnes pediculos abigendos & enecandos eſt pannus, quo aurifabri vaſa deaurata extergere ſolent, cujus ſi fruſtum vel portionem nactus fueris, ac ad nudum corpus geſtaveris, vel eo caput, vel plicas veſtium ingvinave confricueris, brevi omnes pediculos evaneſcere deprehendes.

Non minoris efficaciæ, ſed ob citatiorem operationem ferè majoris eſt aqua illa, in quam dicti aurarii & argentarii fabri ab amalgamationibus ſuis (Gekrätſch) adhibitum argentum vivum deſtillant, quam & ipſe hoc modo parare poteris; ſi argentum cum mercurio amalgamaveris, ac poſtea iſtud amalgama retortæ vitreæ luto obductæ indideris, ad collum verò retortæ vas recipiens nempe cucurbitam vel aliam retortam tam amplum orificium habentem, ut prioris retortæ collum ingrediatur, cum portione aquæ communis applicueris, ac igne per gradus adhibito deſtillaveris, donec omnis mercurius ab argento per ignem ad extremum luculenter candentem extruſus, & in aquam præappoſitam deſtillatione transpulſus fuerit, hæc enim aqua ſimplici illinitione omnes pediculos abigit, poterit etiam contra lumbricos ſummo cum fructu, nec non in difficili partu potui miſceri ſine ullo

veneni

veneni timore, integrum enim pondus mercurii recuperabis, ita ut certus ſis mercurium corporaliter huic aquæ non eſſe mixtum, ſed tantummodo ſpiritualem ejus irradiationem aquæ inſpiratam manſiſſe.

Obſervatio. Fugiunt etiam pediculi ab odore eorum, quæ fortem fragrantiam ſpirant, uti ſunt zibetha, moſchus, camphora, crocus, oleum ſpicæ & ſimilia, fortè etiam alia inſecta, ſicut nuper deprehendimus per oleum fortis odoris à nobis deſtillatum illinendo illud rimaturis, in quibus cimices confertim latitabant, quicunque ergò eo attacti fuerant, adhuc aliquandiu circumrepebant, demum verò convulſi rigebant, qui autem oleo non attacti fuerant, nihilominus ob odorem latibula ſua priora reliquerunt, aliorſum fugam capeſſentes, unum non adunctum projecimus in telam araneæ, viſuri an eum adorſura ſit, uti muſcis faciunt, quod & fecit, cimicem exſuctura, leviter itaque dum aranea paululum ſeceſſerat, dicto oleo cimicem tangebamus, adverſuri num araneæ ipſius odor perceptibilis eſſet, illa proinde reverſa denuò ad ſuas cupedias ſe convertebat, verùm jam jam eas attingens celerrimè ſe in fugam dedit, nec amplius rediit.

Cautio. Vulgò adverſus pediculos capitis utuntur ungventis mercurialibus, quibus nempe argentum vivum admixtum eſt, eaque capiti puerorum pediculoſo inungunt, ac pediculos quidem abarcent, at cum ingenti capitis noxa, mercurius enim cerebri & nervorum infenſiſſimus hoſtis eſt, eisque per ſuturas capitis intrans communicatur, atque eò magis tenerrimo cerebro puerorum, nihili ergò iſte peſtilens abuſus reputandus eſt, neque etiam oleum ſpicæ & alia valdè odorifera capiti admovenda ſunt, nam cerebrum pariformiter debilitant, ſequens verò ungventum pueris optimè convenit, pediculos interficit, ac porriginem capitis ſanat, quod ita paratur: ℞. unum ovum ad duritiem coctum, & parem quantitatem butyri recentis non ſaliti, contere hæc duo invicem in mortario ſuper prunis, donec ex eis fiat conveniens ungventum, quo pediculoſum caput quotidiè ungatur, & aliquandiu ejus uſus continuetur. Experimentum.

(c) Cave ne ſpiritum vini ab iſtà nigredine mercuriali deſtilles, uti & nos primâ ejus experimentatione fruſtraneè fecimus, ſperantes ex unâ fideliâ duos parietes dealbare, ſive unâ operâ ſpiritum vini rectificatum reobtinere, ac ſimul abſtracto ſpiritu vini pulverem nigrum mercurii in fundo cucurbitæ optimè ad uſum paratum nanciſci; ſpiritus vini enim in abdiſtillatione continuò bulliens iſtum nigrum pulverem mercurii revificat, & ſecum rurſus in viva & currenti mercuriali ſubſtantia in alembicum rapit. Non etiam ſuccedit ejusmodi lotio mercurii, ſi eam intendas perficere per ſpiritum vini ex fecibus meri vulgato modo confectum, ſed debet ejusmodi ſpiritus ex ipſo vino, eoque bono deſtillari, alias mercurius cum eo lotione agitatus nigredinẽ ſuam

in

in eum non deponit, neque etiam iſta lotio vera mercurii purgatio eſt, ſed debet inſtitui juxta mentem Treviſani dicentis: ſunt quædam ſublimationes mercurii à propriis corporibus, à quibus ſæpius elevatus & reconjunctus ſuperfluitates amittit & fit aptus ad operationem.

CAP. XV.
DE VERTIGINE, Germ. Schwindel.

Vertigo quid? VErtigo eſt paſſio cerebri imaginationem lædens, adeò ut omnia objecta & caput ipſum circumagi, & in gyrum rotari videantur. Affectus hujus ſunt duæ ſpecies, una eſt vertigo levis, in qua viſio illæſa manet, objectaque tantum aliquantulum agitari videntur, altera eſt tenebricoſa vertigo, in qua non ſolum omnia circum rotata apparent, ſed oculi etiam ſimul obtenebrantur, eisque nebuloſa, vel fumoſa, vel varia coloramenta obverſantur.

Pars affecta. Pars affecta eſt cerebrum ejusque ventriculi potiſſimum verò anteriores.

Signa. Signorum diagnoſticorum deſcriptione vel enumeratione ſcrupuloſâ opus non eſt, cum affectus per ſe cuique pateat, modò ne interdum à ſimpliciori pro epilepſia vel apoplexia habeatur, à quibus hoc Differentia. modo differt, quod nempe epileptici ſubitaneè velut ſiderati in terram concidunt, cum labore convelluntur, ac tandem ſpumam emittunt, apoplectici verò ſubitaneè omnem ſenſum ac motum amittunt, difficiliméque ac ſtertoroſè reſpirant, quorum nullum in vertigine affligit ſive lenta ſive fortis ſit, nam licet in forti etiam cadant, id tamen fit ſenſim, & cum rationis retentione, præcedit enim inverſio & circumrotatio objectorum, & ſi tenebricoſa vertigo affligat, oculi ſimul variè obtenebrantur, modò quaſi per ſpiſſam nebulam aut fumum, jam quaſi obverſante viridiſſimo, vel flavo, vel rubro vel ſpadiceo vel variegatè colorato velo, ipſumque pavimentum videtur inverti & rotari in altum, hinc patiens circum ſe palpat, quærens adminiculum, quo ſe ſuſtentet contra caſum, & niſi ſcamnum, vel poſtam, vel aliud quid arripiat, vel aliquis manum ipſi porrecturus accedat, tandem in terram decidit.

Cauſæ vertiginis à Medicis exiſtimantur flatulenti ſpiritus, nec non vapores excitati ab imbecilli calore, agente in crudos viſcidosque humores, quos cum ſuperando conficere nequeat, aſcendere ejusmodi flatuoſos vapores, ac per venas & arterias ventriculis cerebri communicari, ubi ſpiritus animales variè afficiant, ſenſumque imprimis viſus ac motus turbent, quæ commotio tamen non continuò fiat ſeu perduret, ſed per intervalla, quoties nimirum calor agat in craſſos humores ex hac ergò cauſa ſymptoma non eſſe continuum ſive permanens, ſed per certos paroxysmos affligere. Craſſam verò pituitam ſive dictos viſcidos humores interdum etiam in ipſo cerebro coacervari, & à calore oppugnari, interdum verò in ventriculo, & inferio- Cauſæ.

inferioribus partibus contineri, ſicque dupliciter hunc affectum obtingere, nempe idiopathicè & ſympathicè;

Excitatur vertigo quoque ſæpisſimè in ſanis, ſi nimium intentè in aquas labentes proſpiciant, præſertim è nave in iisdem aquis currente, tum enim plerisque ſic vectis inverſio quædam aquæ & cœli fieri videbitur, quod idem quoque accidit ſedentibus in rhedis curribusque velociter currentibus, tum enim ſi velociſſima rotatio rotarum ejusdem currus continuò aſpiciatur, tum currus iſte hærens in uno loco apparet, terra verò rapidè circumagitata: vertiginoſi etiam nonnulli fiunt, licet aliàs ab hoc affectu immunes, è locis altiſſimis deorſum proſpicientes, nempe à valdè excelſis montibus in ſubjectas profundas valles, vel à ſublimibus faſtigiis turrium, item quicunque ſuo proprio corpore celeriter per aliquod temporis ſpacium in gyrum agitantur, vertiginat quoque inſveta crapula, & repentina inebriatio, imprimis verò valdè vehementer prima hauſtio fumi tabaci; nec non diutina retentio excrementorum ventris; item calor ſolis & balneorum exceſſivus, lunæque radii nudum caput præſertim in plenilunio aliquandiu affulgentes; his cauſis accenſentur legumina craſſæ ſubſtantiæ & pellicularum, ut fabæ &c. diu & affatim comeſta, cibique eructativi ut ſunt raphanus, allium, cepæ, ſinapi, exercitatio corporis intempeſtivè, & cum nimia commotione inſtituta, inedia inſveta, vehemens iracundia, concuſſio capitis vehemens & ſimilia.

An verò ſit vertigo idiopathica vel ſympathica, ex certis ſignis diſcendum eſt, caput enim identidem dolens, gravitatemque ac tinnitum aurium percipiens, affectum in ipſo capite ſtabulari indicat, ſi verò in inferioribus locis ſimul gravamina ſentiantur, ſympathicam vertiginem eſſe conjecturari licet, murmura enim & tenſiones gravativæ hypochondriorum ſuſpicionem movent, lienem vel hepar in culpa fore, inappetentia verò, nauſea, vel amaror oris, ſtomachum; ſuppreſſio menſium in fœminis, vel tædioſa viduitas vel moleſta virginitas reum faciunt uterum.

Helmontius verò quamlibet vertiginem è debili ſtomacho oriri contendit, virusque rotans eſſe, ac plerunque aſſumpto vomitorio ceſſare.

De hoc affectu ſequentia habet Hippocrates:

Vertigo eſt familiaris ſenili ætati. lib. 3. aph. 31
Morbusque hyemalis. 3. 23
Vertigo tenebricoſa extra febrem requirit purgationem ſupernam. 4. 17
Vertigo tenebricoſa in febre eſt ſignum deſperatum. 8. 15
Auſtrina conſtitutio efficit vertiginem. 2. 17

Prognoſin quod attinet, vertigo crebra deſignat debilem complexionem, talesque affecti rarò ad ſenectutem provectam proveniunt, Prognoſtica.

nimirum ſi præmaturè hoc affectu corripiantur, qui etiam ipſe in eodem ſtatu non conſeneſcere ſolet, ſed in alium morbum mutari nempe in epilepſiam, aut apoplexiam, vel amentiam, præcipuè verò tenebricoſa vertigo, coloratum aliquod chaos oculis objiciens, nempe vel viridiſſimum, vel rutilans, vel atrum, quorum quidem ater color pronitatem in apoplexiam, viridis epilepſiam, rubens amentiam portendit, levis verò vertigo & à cauſis externis proficiſcens adeò pertimeſcenda non eſt, ceu ſolennis ab iiſdem paulo antè enarratis cauſis, ſenibusque frequens, nec facilè ab iis per medicamenta ſeparabilis, ob jam debile eorum cerebrum, & calidi innati imminutionem, quibus etiam propter frigidam & pituitoſam capitis conſtitutioně periculoſior quàm juniori ætati; in univerſum tamen omnibus periculoſa eſt repræſentans totius corporis capitisque ac rerum externarum circumactionem, viſusque læſionem, & planè in terram dejiciens, caſum enim inſtantem graviorem ſcilicet epilepticum vel apoplecticum præſignat.

Curationis modum jam percipiamus, quem docet

TEXTUS:

In vertigine, præmiſſis univerſalibus (a) *ſpecificus eſt pulvis ex cinabrio nativo* (b) *confectus, cujus deſcriptionem habet Quercetanus, libro de capitis affectibus circa finem.*

Stercus pavonis absque omni præparatione in forma pulveris cum ſacharo mixtum & exhibitum doſi drachmæ unius, vel ſemidrachmæ vertiginem etiam inveteratam curat.

(a) Univerſalia ſunt conveniens diæta, cauſæque morbificæ eductio per debitam evacuationem, in diæta vitentur cibi vaporantes ut fabæ, piſa pelliculata (per colum tamen transmiſſa ad ſegregandas pelliculas dant alimentum innocuum) lentes, braſſica condita, cæpæ, allium, raphanus, ſinapi, caro porcina, lardum & ſimilia duræ concoctionis, convenit verò victus probè nutriens, ut caro caponum, gallinarum, vitulina, ovina, ova recentia ſorbilia, juſculaque ex prædictis herbis ſtomachicis & aromatibus condita, ſalis culinarii non ſit parcus uſus, mirè enim naturam roborat, ut poſtmodum ſponte ejusmodi debilitatem expellat.

Pro potu convenit vinum album tenue, vel cereviſia clara, vel hydromel, quibus recens coctis non nulla ex herbis & radicibus cephalicis, & ſtomachicis conciſa in ſacculo indantur, ut confermentationem invicem ſubeant.

Ex ejusmodi herbis etiam magno cum fructu concinnari poteſt vinum medicatum ad VI. ℔. pro vice, in quo non prætereatur chalybs pręparatus vino in nodulo inſuſpendendus, tali enim vino nuper curavimus ſacerdotem ex melancholia adeò vertiginoſum, ut inter cultum Divinum aliquoties in terram ceciderit, Obſervatio.

derit, ferè tanquam ſemi-epilepticus, cui præter hoc vinum etiam ordinavimus ſpiritum ſalis armoniaci urinoſum, bis & ter dietim ad guttas XII. vel XV. aſſumendum, & conſervam è floribus calendulæ, quibus optimè convaluit.

Evacuatio in junioribus robuſtis convenientiſſimè fit per aquam benedictam Rulandi, vel aliud inſigne vomitorium, quo cauſa morbi plerunque in ventriculo hærens feliciter exturbatur juxta mentem Hippocratis etiam vomitionem pro vertigine commendantis, & Helmontium propriam vertiginem hauſtu ſalis vitrioli eliminare ſolitum, ceu in ſordibus ſtomachi latitantem, eisque cum noxâ rotante excuſſis recedentem. At in ſenibus non ſvadenda eſt vomitioſa eductio, ſed in lenibus catharticis & roborantibus perſiſtendum.

(b) Melior eſt noſter præcipitatus aureus à granis IV. ad VI. introſumptus, ingentem enim eluviem per ſalivationem educit, cum eaque gravantem cerebri pituitam ſimul reſolvit, & erivat.

In paroxysmo trahantur in uſum quæ ſuperius apoplexiæ deſtinata ſunt, & imprimis ibi deſcriptum oleum album balſamicum, naribus inungendum, cujus deficientis locum ſubire poteſt oleum macis vel nucis moſcharæ ſtillatum. Ori verò indatur maſticandum aliquid macis vel ſalis communis, vel theriaca cum aceto roſaceo, vel non nihil elixiris proprietatis, vel confectionis alkermes; ſedato paroxysmo uſurpentur ſuperius præſcripta, venæſectio non conducit, eſt enim morbus frigidus, per venæſectionem autem adhuc major perfrigeratio introducitur.

CAP. XVI.
DE CONVULSIONE,
Germ. der Krampf.

Convulſio ſive contractio ſpaſmica eſt paſſio doloroſa nervorum muſculorumque motu violento involuntario verſus ſuam originem retractorum. *Convulſio quid?*

Fit autem convulſio duplici ratione, unâ quidem propriè ſic dictâ, quâ nimirum convellens continuaque retractio obtingit, alterâ verò impropriè ita vocatâ, cum ſaltem motus convulſivus exiſtat, & interpolatis inſultibus divexet, habentque inter ſe hanc differentiam, quod convulſio fiat à repletione & inanitione, motus verò convulſivus ab irritatione. *Differentia.*

Hoc autem caput tractat ſaltem de verâ convulſione propriè ſic dictâ, quâ nervi & muſculi præter voluntatem violenter retrahuntur, voluntaria verò extenſio & complicatio articulorum læditur, membrumque ſeu pars affecta à naturali ſua figura immani cum dolore revellitur.

Hujus quatuor ſpecies inveniuntur, quarum prima vocatur emproſtotonos, in qua caput, cervix, & ſpina dorſi antrorſum convelluntur, adeò ut mentum ad pectus, vel interdum ad genua vel pedes torqueatur. *Emproſtotonos.*

Secundæ nomen eſt opiſtotonos, in *Opiſtotonos.*

in qua corpus retrorſum ſive ad poſteriora retrahitur, convulſis nempe duodecim muſculis, vel quibusdam ex illis capitis extenſioni dicatis.

Tetanos. Tertia nuncupatur tetanos, in qua nervi ac muſculi anteriores & poſteriores ſimul & in uno inſtanti, violentâ tractione ſtringuntur, antrorſumque & retrorſum tenduntur æqualiter, adeò ut dictæ partes in utramque oram convulſæ quaſi in rigido æquilibrio erectæ maneant, ac motum tonicum conſtituant, ex muſculorum cunctorum contentione orientem, prioribus longè violentiorem & rariorem.

Spasmus Quarta omnium communiſſima vocitatur ſimpliciter ſpasmus, quæ particularis quædam convulſio eſt, muſculisque humerorum & tibiarum, nec non digitis manuum pedumque crebrò obventanea, hisque perquam familiaris qui nimiæ ſunt dediti voracitati, cibisque frigidis & humidis ſe indies opplent, uti ſunt fructus crudi & ſimilia. Inter has particulares convulſiones quædam propriis nominibus notiſſimæ ſunt, *Spasmus cynicus.* ut ſpasmus cynicus quæ eſt contractio lati muſculi oris ab una tantùm parte, ſpeciem ringentis canis efficiens, ac proin cynica appellata, tortura tamen oris, propriè non eſt convulſio, ſed relaxatio alterutrius muſculi oris ex paralyſi, ubi alter oppoſitus os ad partem ſanam trahit, ac ſic os diſtortum efficit. Quæ ſi ab utraque parte fiat, patientis os ſpeciem dat ridentis, riſusque Sardonius nominatur. Strabismus verò eſt convulſio muſculorum oculos moventium; temporalium autem & maxillarium muſculorum convulſio triſmus appellitatur, & quæ in muſculis priapi accipit, ſatyriaſis vel priapismus, plures particulares nomine tenus proprio, quod ſciamus, non notæ ſunt.

Cauſæ veræ convulſionis ab omnibus Auctoribus ipſoque Hippocrate referuntur ad repletionem & inanitionem, per repletionem videlicet eam fieri, quando muſculi & nervi aut irrigentur aut inflentur, & in tumorem eleventur; per inanitionem verò, quando iidem plus juſto exſiccentur, chordarumque inſtar aut lororum igni admotorum contrahantur, ubi tamen plurimi graviſſimi & acutiſſimi mirè ſe torquent, & inextricabili difficultati ſe implicitos agnoſcunt, incomprehenſibile putantes ab unâ eademque cauſa, nempe repletione adeò diverſos affectus ac maximè contrarios nimirum paralyſin & convulſionem provenire poſſe, & quî id fiat, ut infarctus nervus convulſionem pariat, & non meatibus pituitâ obſtructis, paralyſin, vel infarctamentum paralyſin pariens, nervosque ita replens, ut ſpiritibus animalibus non pateat tranſitus, non parturiat diſtenſionem in latitudinem, & cur in uno omnis ſenſus & motus intercidat, in altero verò utrunque nimium vigeat nempe motus etiam invitus, ſenſusque intolerabiliter dolens. Ad quæ ſagaciores reſpondent, convulſionem fieri à magis craſſo humore, nervos ſecundum latitudinem *Cauſæ.* *Objectio* *Reſponſio.*

dinem

dinem extendente, ſecundum longitudinem verò eos comprimente, paralyſin autem à tenuiori & fluxiliori per nervi meatus delabente, ejusque ſubſtantiam lubricante & laxante, poros autem non extendente; Cum verò hoc ulteriori inſtantiæ, cur nempe humor craſſus nervum opplens eum in latum extendat, ac non potius meatus impleat, & paralyſin progignat, aut humor ille tenuis ſaltim ſequenter non craſſeſcat, uti aliàs ſemper ſolet, adeò ut lachrymæ oculi velut in gummi ſpiſſeſcant &c. ac ſic paralyſis illa in convulſionem degeneret, non ſatisfaciat. Excellentiſſimus Riverius has plauſibiliores rationes affert, quod nimirum convulſio & paralyſis in eo differant, quòd paralyſis ab humore pituitoſo puro & impermixto generetur, qui in partibus tenſionem non efficiat, ſed eas potius relaxet, uti in œdemate videre ſit, convulſionem verò ab eodem humore fieri, non quidem ſincero, ſed plurimis flatibus permixto, à quibus præſertim flatibus nervi ac muſculi tendantur, ac verſus ſuam originem contrahantur, ita ut flatuoſus ſpiritus ad vehementem contractionem efficiendam ſit aptiſſimus, flatus enim valdè extendere, ut pateat in hydrope & tympanite, & graviſſimos dolores parere poſſe, uti in colicâ palam fiat.

Rationes Riverii.

Rationes Helmontii.

Subtiliſſimus tamen Helmontius longè aliam immediatam cauſam convulſionis agnoſcit, nempe vitam peculiarem muſculorum, quâ tam forti præter communem corporis præditi ſint, ut dudum poſt cordis mortem adhuc vita in muſculis notetur, hincque falſum eſſe deprehendatur, quod cor ſit ultimum moriens, mortuo enim jam pridem corde, vitam illam muſculorum extinctionem vitæ apprehendentem utrinque tendere tendines, adeò ut cadaver tum demum generali tetano utrinque tenſum obrigeat, hocque ita eſſe, indicari volentâ hominis morte, ubi vita illa peculiaris muſculorum ſimul ſuffocetur, hujus enim cadaver flaccidum manere. Omnem itaque convulſionem, ſive à colica, vel veneno vel alio modo prognatum, non eſſe ex motu voluntario, ſed ex naturali ſenſu motuque muſculorum, etiam poſt mortem aliquandiu ſuperſtite, prout in inſectis appareat, quorum partes diu poſt eorum diſſectionem adhuc moveantur, muſcæque avulſo capite adhuc avolent, muliere enim dudum mortuâ uterum non raró ſuum profligaſſe fœtum; Concludit ergò & dudum ante ipſum Paracelſus muſculos præter vitam corporis adhuc ſingularem poſſidere vitam, & quod motus ſpasmodes involuntarius non tam animæ, quam huíc vitæ muſculorum ſingulari ſit tribuendus, quæ adhuc à morte aliquandiu perſeveret, tetanumque dudum ab interitu demum inchoare, adeò utut vita muſculorum ab anima ſenſitiva promanet, peculiarem tamen quandam energiam & loci ſtationem ſortiatur, nec ideò mirum vel abſurdum, muſculos proprio motu tumultuari, ſi citra mortem

ſenſerint vitam comunem eclipſari. In apoplexia autem & ſyncope etiam motum muſculorum planè intercidere, excepto motu intercoſtalium, ſubire enim totales tenebras tum animam ſenſitivam. Contingere autem ejusmodi eclipſes non ſecus, atque ſi foramen ſubitò claudatur, per quod lumen in locum obſcurum alioqui diradietur, lumenque repentè intercludatur & ceſſet, ita ut propterea vernaculum apoplexiæ ſit apud Germanos & Belgas nomen ictus, ſe tamen eam recentem multoties procurato vomitu vel deſtillatis ſtomachicis validioribus, rebusque aromaticis ſuperaſſe.

Verùm cum hæ profundæ rationes pro tyronibus adhuc nimis ſint eclipticæ, ita ut ex iis vix capere potuerint, quo pacto diſtinctæ repletoriæ & inanitoriæ convulſiones creberrimè per experientiam deprehenſæ ægros percrucient, inhærebimus tamdiu tritis callibus, donec eximii vir quiſpiam talenti hanc reddat nobis doctrinam illuſtriorem & perceptibiliorem.

Cauſæ inanitionis internæ. Hæ ergo cauſæ inanitionis vel repletionis ſunt vel internæ vel externæ, internæ inanitionis ſunt febres ardentes & malignæ, quæ tamen plerunque etiam ab externis cauſis proveniunt, bilis exundans, venenata qualitas ex intemperie corporis humorumve enaſcens &c.

Cauſæ inanitionis externæ. Externæ inanitionis cauſæ ſunt nimiæ hæmorrhagiæ undecunque profuſæ, vel per menſes, vel vulnera vel narium exſtillationem, item ſuperfluæ ſudationes, inedia, violentæ evacuationes per alvum vel vomitum, nimiæ exercitationes, & percalefactiones ab æſtu ſolis vel ignis, à quibus febres ardentes accerſuntur, item malæ curationes antegreſſarum ægritudinem, inter quas non reticenda eſt intoleranda illa ignoratio uſus ſalis marini, ſine quo homo diu absque corruptione conſervari nequit, ob inſcitiam tamen complurium praxin exercentium interdum per plures dies ſale in ſuo langvore non fruitur, quando appetitu penitus proſtrato ab omni eſculento ſalito abſtinet, ſummæ ergò in tali paſſu neceſſitatis erat, potulenta ægri ſat largo ſale condire, ne carere cogeretur hoc nobiliſſimo corruptionis balſamo, absq; quo omnis recens caro mox putret, omnisque eo deſtitutus cibus homini eſt ingratus & inſipidus, quod ſanè conſiderare debebat ejusmodi inſulſus practicus, ſalemque in ſuis doſibus nunquam prætermittere, etiamſi patiens appetitu valeat, ſalſisque cibis veſcatur, ſuperaddito enim medicaminibus ſale fuſo vel ſaltem decrepitato, qualem coqui non frequentant, non peccabit, ſed potius ægrum eò magis roborabit, & ad priſtinam ſanitatem citius revocabit, ita enim quoque facere conſvevit noſter Dictator Hippocrates, ſalemque fuſum in peſte ægris propinavit, indubiè eam ob cauſam, quod venenum peſtis fracidum omnem mox appetitum peſſundet, ut nil æger comedere poſſit, plebs autem tantùm cibos ſaliat, ac non potum, quamdiu ergò homo inappetens eſſet, Notabiliſſima de ſale communi.

eſſet, deberet etiam carere ſale, quo ſine tamen ne ſani vivere poſſunt, multò minus ægri, quem defectum Hippocrates ſale fuſo vulgari illo acriori, & plus ſaliente reſarcire, eoque medicamenta ſalire voluit. Hoc verò vulgo minus conſiderato non mirum eſt, ſi ægri è levioribus affectibus in graviores incidant, ac calore putredinali facilè gliſcere incipiant, eoque ſucco vitali exhauriantur:

Cauſæ repletionis internæ.

Repletionis verò cauſæ internæ ſunt: obſtructiones vaſorum, nempe uteri, hepatis, lienis, fellisve, menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſio, interni tumores, & tubercula, debilitas viſcerum, qua neque debitè concoquere, neque juſtè expellere excretitia queunt.

Cauſæ repletionis externæ.

Externæ repletionis cauſæ ſunt multa ingurgitatio, ebrietas & crapula, habitatio in locis uliginoſis, crebra verſatio & immoratio in aquis frigidis, item vulneratio, punctura & inflammatio in nervis vel propè ipſos obveniens, inſequens enim tumor & dolor attrahunt humores aliunde, ac ſic ea repletio facilimè convulſionem inferre poteſt.

Non tamen quælibet inanitio vel repletio hunc affectum producunt, ſed illæ tantum, quæ celeriter & confertim fiunt, ab unaque extremitate ad aliam tranſitus fit, inanitio tamen ſemper gravior eſt, ac generalem lethalemque convulſionem parit, nervos in longitudinem convellentem, illa verò quæ à materiali repletione contingit, in latum nervos tendit ac convellit.

De hoc affectu Hippocrates ſequentia habet:

Convulſio fit à repletione & inanitione. lib. 6. aphor. 39
Nec non ab infrigidantibus. 5. 17
Frigidum facit convulſiones. 5. 20
Eſtque nervis inimicum. 5. 18
Decubitus melancholici periculum convulſionis minantur. 6. 56
Convulſio eſt infantibus familiaris. 3. 25
Promptiſſimè invadit pueros, qui ſeptimum annum non exceſſerunt. lib. 2. præſ. 36
Grandiores verò non tam facilè invadit, niſi præſentibus vehementis malitiæ ſignis, ut in phreniticis. 2. 36
Convulſio in acutis febribus malæ. lib. 4. aphor. 66
Nec non in febribus ex ſomnis. 4. 67
Eam in febribus prænunciat ſpiritus offendens. 4. 68
A ſangvinis profluvio convulſio malum. 5. 3
7. 9
Atque ab æſtu vehementi. 7. 13
Nec non ab ileo. 7. 10
Ut & à vigiliis. 7. 18
Hellebori aſſumptio facilè inducit convulſionem. 4. 16
Eſtque hæc lethalis. 5. 1
Uti etiam ab aliis purgantibus. 5. 4
7. 25
Nec non à vulnere. 5. 2
Atque ebriis derepentè obmuteſcentibus. 5. 5
Convulſio poſt febrem pejor,

quàm

quàm febris poſt convulſionem. 2. 24
Convulſio poſt muliebre profluvium, mala. 5. 56
Convulſio & tetanus non facilè invadunt eos, quibus in ulceribus ſunt tumores conſpicui. 5. 65
Si verò tumores ejusmodi rubicundi in poſtica parte exiſtentes ſubitò evaneſcant, tunc ea timenda. 5. 65
Item à frigidis. 5. 17
5. 20
Tetanus interficit in quatuor diebus. 5. 6
Tetanus ab ardore vehemente, malum. 7. 13
Tetanus ſanatur à calido. 5. 21
Et interdum etiam à larga frigida perfuſione. 5. 21
Calidum tetanos & convulſiones mitigat. 5. 22
Febris ſuperveniens ea ſolvit. 4. 57
Ut & quartana. 5. 70
Perverſio labri, ſupercilii, oculi vel naſi in febre continua lethalis. 4. 49

Prognoſin quod attinet, ea ferè tota in citatis jam aphorismis continetur, quibus videre eſt, convulſionem ex inanitione quâcunque ſemper eſſe lethalem, quæ verò à repletione eſt, non tam periculoſa exiſtit, verùm in lethali etiam non mox deſperandum, ſed ad efficacia præſidia confugiendum, noſtro ævo enim longè præſtantiora habemus, quàm Hippocratis tempore cognita fuêre, novimusque ingentem convulſionem ab helleboro, curatam, quæ tamen heic omnino lethalis pronunciatur, proinde in ejusmodi caſibus à laudano opiato & aliis optimè præparatis adhuc aliquid ſperari poteſt.

De curatione pauca habet noſter

TEXTUS.

E*Adem hîc valent* (a) *quæ in epileſia.*

(*a*) Debet inſtitui repletionis evacuatio in robuſtis per aquam benedictam, in debilioribus optimè inſervit Panacæa mercurii alba ſupra inter cathartica mineralia relata, eductâ ſufficienter materiâ peccante debent accerſi efficaciſſima topica, inter quæ Penoti linimentum non ultimum locum meretur ſic componendum:

℞. ol. terebinthinæ, vel olei albi balſamici ſupra ad apoplexiam edocti ℥ſ. Linimentum.
ol. caryophyllor. gutt. VI.
mucilaginis bryoniæ q. ſ. ut fiat conſiſtentia linimenti, quod calidum inunge.

In convulſione à vulneribus inſerviunt olea deſtillata, & imprimis oleum rubeum terebinthinæ temperatum ſive immixtum alicui ungvento vulnerario, quæ mixtura poſtmodum vulneri imponatur, extra verò in ambitu ejus adungatur oleum rectificatum Philoſophorum, vel aliud ſtillatitium, reliqua tamen ferè cuncta virtute ſuperat oleum lavendulæ deſtillatum, ſi convulſio ſit à læſis nervis, ſi exterius convulſo membro illinatur, ejusque etiam

etiam nonnihil intrò accipiatur, cavendo ad hæc omne frigus ſtudioſè.

CAP. XVII.
DE JECTIGATIONE,
Germ. das Klopffen oder Zappeln.

Jectigatio quid? Jectigatio ſive palpitatio eſt ſpecies quædam tremoris, ab eo tamen eatenus differt, quod tremor ſecundum methodicos ſit defectus invalidæ virtutis, palpitatio verò inſtrumentorum, in eſſentia autem conveniunt, quia uterque provenit à cauſa frigida, à quibusdam etiam vocatur titillatio, ab aliis ſaltus membrorum.

Pars affecta. Eſt ergò jectigatio motus quidam involuntarius, inceſſens ea membra, quæ dilatari & conſtringi poſſunt, uti eſt caro lacertoſa & muſculoſa, membra autem nimis dura nempe oſſa & cartilagines, ut & mollia ad eum recipiendum non ſunt habiles, frequentiſſimè itaque accidit in pericardio, atque etiam magna ex parte ſub cute & carne in facie, palpebris, ſuperciliis, fronte, genis, quin & in aliis membris quibuscunque dilatabilibus & conſtringibilibus, nimirum cute, muſculis, ventriculo, inteſtinis, utero, veſica, jecore, liene, diaphragmate, in quibus manifeſtam motitationem exhibet, attollendo cutem & palpitando in modum dilatationis arteriarum, à qua tamen diſcrepat, quòd arteriæ motu naturali & inceſſanter pulſitent, palpitatio verò motu inflativo morbifico, raró contingente, & poſt aliquod infeſtationis ſpacium iterum ceſſante. Diſtingvitur à tremore, quod in eo ſit motitatio totius membri cum ſuis nervis, arteriis, venis & oſſibus, quæ cuncta ſimul in tremore agitantur, in palpitatione verò neque os, neque nervus, neque cartilago palpitat.

Cauſæ. Cauſa jectigationis à practicis exiſtimatur ſpiritus craſſus aëreus vaporoſusque, qui ſe in dictorum locorum cavitatibus ſubinde colligat, easque obſtruat, adeò ut ipſe exire atque perrumpere nequeat, ſecundùm tamen ſuam naturalem mobilitatem exitum moliatur, atque ſic moveatur ſe ſurrigendo & ſubſidendo, ſive ſurſum & deorſum fluctuando, hincque talem fieri concuſſionem, maximè vero in partibus exterioribus infrà cutem. Cauſam etiam ejus eſſe externum frigus ambientis, frigidasque regiones, tempus hybernum, ætatem ſenilem, temperamentum flatulentum, vitam ſedentariam, victum frigidum & flatuoſum, crapulam & ebrietates. Nos verò obſervavimus, ejusmodi palpitationes ut plurimum excitari à venenatis halitibus, intus ab obſtructionibus generatis, vel ab extra inſpiratis, frequentes enim ſunt fœminis obſtructione menſium laborantibus, melancholicis, item operatoribus Chymicis vapores aquarum fortium, fuliginesque mineralium reſpiratione introhaurientibus.

Poſſunt quoque huc accommodari ſequentia dictitata Hippocratis:

Dolores palpitantes circa umbilicum

bilicum (i.e. prope diaphragma) perturbationem mentis oſtendunt. 1. prorrh.

Palpitatione per totum corpus perſeverante, voce deſtitutus morietur. ibid.

Prognoſtica. Prognoſin quod ſpectat, ea in hunc modum inſtitui poteſt, palpitationem, ſi levis ſit, & non diu perduret, periculoſam non eſſe, facilè enim difflabilis talis eſt, at ſi crebrò moleſta ſit, aliquid monſtri intus ali denotat, advertimus enim, quod tuberculis in pulmone naſcituris, frequens palpitatio ſub axillis præceſſerit, in fœminis autem ferè ſolet indicare defectum menſium, & impuritatem uteri, in viris autem conſtitutionem melancholicam, quæ periculoſos illos decubitus, de quibus Hipp. lib. 6. aph. 56. loquitur, facilè ſuſcipiat, diuturna enim palpitatio vel tremorem, vel paralyſin, vel apoplexiam, vel epilepſiam minatur.

Curationis compendium docet jam Authoris

TEXTUS.

JEctigatio 1. curatur vomitoriis, aquâ benedictâ, mercurio vitæ, tanquam univerſalibus primum.

2. Poſtea confortantibus ventriculum (a) *imprimis ſpiritu vitrioli Philoſophico.*

3. Ad membra jectigata & imbecillia (b) *proſunt laconica ex herbis (imprimis rubo idæo bis radicato) capitalibus, vel ſudatorium cum ſpiritu vini, quod maximè prodeſt.*

Interdum ad confortationem exhibenda magiſteria corallorum & perlarum, item lapis bezoar, & balſamus vitæ.

(a) Ad corroborandum ventriculum commendabiliſſimum quoque eſt emplaſtrum ſtomachicum Cratonis, pro quo ſummas Deo laudes concinit, quod ſibi hoc medicamentum oſtenderit, cum nihil ſit ventriculo convenientius, & concoctioni accommodatius hoc cerato, calorem innatum fovente, flatus diſſipante, & coctionem valdè juvante, concinnatio autem ejus hæc eſt:

Empl. ſtomachicum.

℞. ladani ℥ij.
cera ℥IV.
ol. nucis moſch. ʒiij. f. maſſa emplaſtri, ex eaque ceratum ſcutiforme, regioni ventriculi ſupergeſtandum.

(b) Coquantur dictæ herbæ, nempe lavendula &c. it. baccæ lauri & ſulphur in lixivio forti, decocto calido (ſi deſit commoditas laconici) imbuatur ſpongia nova, eaque pars affecta foveatur, poſt fotum poteſt ſuperponi emplaſtr. de baccis lauri.

CAP. XVIII.

DE CATARRHO, Germ. Flüſſe.

Occaſio & ratio nominis. PArum abfuit antiquiſſimis, nempe Hippocrati, Galeno, aliiſque, quin jam tum artificium deſtillationis per alembicum invenerint, affectui huic ferè idem nomen imponentes,

nentes, catarrhus enim ſignificat deſtillationem, ſive defluxionem ex ſuperiori collectione, comparant etiam caput humanum tecto cuidam calido ædificio impoſitum, in quod vapores & fuligines ab inferioribus partibus ſurſum vaporantes, conferantur, atque ab eo per frigiditatem cerebri velut nubes in aëre condenſentur, poſtmodum verò per teporem ſpirituum quaſi auſtrinum denuò reſolvantur in liquamen, quod in modum pluviæ rurſus in ſubjectas partes depluat deorſumque ſtillet; verùm longè aptius hæc omnia comparari potuiſſent cum organis deſtillatoriis, nimirum cucurbitis ac veſicis, impoſitisque eorum alembicis, in quibus pariter ſuppoſitæ herbæ, radices vel alia ſimplicia à calore concoquuntur, vaporesque ex eis jam ſubdulces, modò acidiuſculi nunc acres elevantur, & in frigidis alembicis colliguntur, reſolvunturque in variè uſuales ſpiritus & aquas ſtillatitias; niſi quod inter has operationes, noſtrasque in cerebro collectiones hæc differentia intercedat, quod nimirum in artificiali deſtillatione non aſcendat ſimul terreſtritas, ſed in fundo ſub vulgato nomine capitis mortui remaneat, in nobis verò integri ſucci cum terreſtritate ſurſum ferantur, uti quilibet probare poterit, ſi mucum vel ſputum vel etiam limpidiſſimam coryzæ aquoſitatem, ipſasque lachrymas colligat, ac in tepore evaporet, videbit enim poſt evaporationẽ terreſtritatem quandam reſiduam, quæ in aquis deſtillatis communibus non deprehenditur, quippe quæ in calore absque ulla remanentia fundali divapidant, ita ut palam fiat, ejusmodi nobis ſuperiorem collectionem non fieri per vaporationem, ſed potius quaſi perſuctionem, quâ integer ſuccus aſſugendo ſurſum fertur, quemadmodum filtrum aquam ſalſam è patina ſimul cum ſale exſugit.

Sed ut inſtitutum explicandi catarrhi proſequamur, deſignat ea nomenclatio humores excrementitios ſive à naturâ proſcriptos, potiſſimumque in capite collectaneos, atque abinde defluxiles in ſubjectas partes, idque tripartito decurſu, ita ut tres catarrhi ſpecies inde conſurgant, videlicet:

Tres catarrhi ſpecies.

Defluxio catarrhalis.

I. Quando defluxio catarrhalis in os ac fauces ruit, ibique læſionem interebrat, tum enim hæc vocula catarrhi, aliàs generaliter omnem morboſam defluxionem ſignificantis, more ubique recepto nunc pro genuino nomine iſtius deſtillationis uſurpatur.

Coryza ſeu gravedo.

II. Si verò delapſu naribus influat ibique ſtagnet, coryza ſive gravedo appellitatur.

Bronchos ſeu raucedo.

III. Si verò depluitans in fauces arteriamq; aſperam confluat, bronchos ſive raucedo vocatur, juxta hos verſiculos:

Si fluit ad pectus dicatur rheuma catarrhus,
Si ad fauces, bronchos, ſi ad nares eſto coryza.

Alii tamen latius catarrhi nomen extendunt, omniumque corporis partium gravationes, humorumque

defluxiones catarrhos vocant, omneſque dolores eis acceptos ferunt, uti ſunt ophthalmiæ, odontalgiæ, otalgiæ, anginæ, tuſſes, herpetes, eryſipelata &c. diverſos etiam ipſis gradus aſſignant, ut modò ſit febris catarrhalis, quando nimirum humor cum ſangvine à cerebro in venas defluat febrimque accendat, Catarrhus ferinus. jam verò catharrus ferinus, acrimonia ſua pulmonem exulcerans, tabemque inferens, atque ab humore acri & ſalſo in calido jecinore genito proficiſcens, Catarrhus ſuffocativus. nunc verò catarrhus ſuffocativus, à fluxione confertim irruente in bronchia pulmonis deſurgens, ac ſuffocationis periculum injaculans; Catarrhus epidemicus. alibi catarrhus epidemicus, malignam qualitatem ſecum vehens, atque à vitiato aëre originem trahens, popularique graſſatione inficiens.

Signa. Signa diagnoſtica quod concernit, multâ non opus eſt deſudatione ad ea deſcribenda, cum quilibet è vulgari plebecula mox catarrhum dignoſcat, ac is ipſe copioſâ ſternutatione ſe prodat, nec non capitis gravitate, torpore & hebetudine ſenſuum, & ſimilibus.

Cauſæ. Cauſæ catarrhoſæ cerebri deſtillationis internæ ſunt: temperamentum phlegmaticum, multam pituitæ copiam quotidie producens, & cerebro communicans; ventriculus debilis malè concoquens, humoreſque cerebro transmittens: calor naturalis decreſcens, humiditateſque excretitias non diſſlans, uti fit in ſenio. Externæ verò ſunt: repentina alternatio caloris & frigoris, quemadmodum hoc ferè quotidiè eis accidit, qui tempore frigido ſubitaneè in calefacta hypocauſta, vel ex illis foras in aëris ambientis frigus ſe conferunt, ita quod plerunque ſtatim catarrhis laborent; item auſtrina conſtitutio, ac tempeſtas pluvioſa; vita crapuloſa, vel ſedentaria; comeſſationes & ebrietates: multæ lucubrationes vigiliæque immodicæ vel intempeſtivæ, caput calefacientes, ex quo poſtea inſtar cucurbitulæ calefactæ humores attrahit: victus frigidus & humidus; ſomni diuturni vel diurni: capitis calefactio à ſole vel balneis aliæque.

Huc pertinent quoque ſequentes aphoriſmi Hippocratis:

Senibus fiunt deſtillationes. lib. 3. aphor. 31

Præſertim poſt hyemem auſtralem & pluvioſam, at ver ſiccum & aquilonium, taleſque citò interimunt. 3. 12

In valde ſenibus raucedines & gravedines non concoqvuntur. 2. 40

Poſt æſtatem ſiccam & aquiloniam, ac autumnum pluvioſum & auſtralem ad hyemem fiunt raucedines & gravedines. 3. 13

Fiunt & tempore verno. 3. 20

Atque hyeme. 3. 23

Deſtillationes moventur à frigidis, qualis nix & glacies. 5. 24

Deſtillationes in ventrem ſuperiorem, ſuppurantur intra 20. dies. 7. 39

Deſtillatio & ſternutatio in omni-

omnibus morbis etiam periculoſiſſimis utiles. lib. 2. præſ. 49
Periculoſa autem in omnibus morbis pulmonum. ibid.

Prognoſis. Prognoſis hujus affectus hæc eſſe poteſt: quod interdum leve, interdum verò difficile negotium faceſſat, prout major vel minor humorum copia moleſtaverit, catarrhus tamen ſuffocativus ſemper ſolet eſſe periculoſus, & interdum hominem in præſentaneum mortis periculum conjicit.

Curationis modum tradit jam noſter

TEXTUS.

Aqua ſerpilli. *IN omnibus catarrhis & defluxionibus tum prohibendis, tum etiam caput ab iisdem præſervandis prodeſt aqua ſerpilli cum vino deſtillata, ejusque particula quotidie ſumpta, doſis cochl. j. ij. pro ratione ægri, illa ſic fit: ℞. ſerpillum cum flore, matutino tempore ante exortum ſolis, decreſcente luna collectum, incide in particulas minimas, ſuperfuſo vino generoſo albo, digere aliquandiu in ſole, poſtea per alembicum deſtilla in balneo.*

Vinum medicatum. *2. Prodeſt vinum* (a) *medicatum ſequens:*

℞. radic. caryophyllatæ ℥vj.
acori ℥iij.
pulv. flor. ſambuc. m. ſ.
fol. majoran. m. j.
vini ℔. XVI.
exhibeatur pro potu communi.

(a) Hæc compoſitio vini medicati tradita eſt à Paracelſo, paulò tamen aliter, ordinavitque eam contra omnes defluxiones præcavendas & tollendas, diverſas tamen ejus compoſitiones exhibet, unam pro tempore hyberno, alteram pro æſtate, hybernalis hæc eſt:

℞. dolium ſive tonnam novi muſti, cui inde in ſacculo, vel etiá manipulatim injice ſequentia ſimplicia: Vinum medicatum hybernum.
Nempe radic. acori i. e. gelbe Lilienwurtz ℔ij.
caryophyllatæ ℔iij.
rhapontici ℔j.
angelicæ ℥j.
pimpinellæ
tormentillæ
diptamni an. ℥iſ.
zingib. ℔ſ.
galangæ
zedoar. an. ℥ij.
cinamom. ℥iiſ.
baccar. junip. m. V.

ſuper hæc conciſa funde illud muſtum, uti aliàs à torculari doliis infertur, eaque ſimul confermentare ſine, absque ulla alia impoſitione, & quoties ex eo bibis, alio reinfuſo vino dolium rurſus imple

pro uſu æſtivo ita componatur: Vinum medicatum æſtivum.
℞. ſemitonnam vini rubei, cui inde
chamædr.
cichor.
veronic.
fumi terræ
endiv.
folior. ſenæ
folior. helleb. nigri
valerianæ,
ireos an. m. IV. fiat ut ſupra.

3. Catarrhum quemvis ſiſtit ſacculus ex ſuccino & ſpiritu vini paratus, de quo ſupra in apoplexia: hujus itaque uſus eſt magni momenti in catarrho ſuffocativo. Item ex chamæpithe pulveriſato, oleo ſuccini aſperſo.

4. Catarrhos tenues delabentes ad partes interiores præſertim pectus feliciter ſiſtit laudanum opiatum ſub ingreſſum lecti exhibitum.

Amuletum in catarrho.

5. Præſentiſſimum in catarrho remedium extat in amuleto radicis verbaſci virginis, hoc eſt quod per eam æſtatem non floruit.

Quando colligendum ſit.

Colligitur autem in die veneris ante exortum ſolis à XV. Auguſti usque ad VIII. Septembris (ex his in ultima die veneris optima eſt lunâ decreſcente) poſtea radix purificata exſiccatur in loco umbroſo. Ejus particula in auro ligata & collo poſtea appenſa mirificè contra omnes catarrhos qualescunque corporis præſervat. Fœminis non prodeſt, conceptum impedit quamdiu geſtatur, qui eâ remotâ reſtituitur. Vide Dodoneum, radix quo rectior eo melior in parva quantitate.

CATARRHUS SUFFOCATIVUS, ein Steck-fluß.

Inter fluxiones quæ à capite ad ſubjectas partes fiunt, nulla perículoſior illa, quæ ad pectus & cor fit, adeò interdum vehemens, ut hominem ſubitò è medio tollat. Unde huic ſtatim occurrendum absque omni mora. Hinc medicus vocatus, ſtatim præſente magnâ ſanguinis abundantiâ præmiſſo clyſtere forti eoque reddito venam ſecet, fumum in cubiculo excitet è maſtiche, thure, ſuccino per vices & acetum roſaceum ſuper lapidem ignitum effundat.

Capiti raſis capillis applicet emplaſtrum ſequens:

Emplaſtrum capitale.

℞. emplaſtri contra rupturam ℥iſ.
gummi ammoniaci ℥ſ.
maſtiches
ſuccini an. ℨj.
myrtillorum ℨſ.

m. ſimul & f. emplaſtrum rotundum ſuturæ coronali applicandum.

Nares inungat balſamo ſuccini, & ut æger ſedeat in lecto imperet; exhibeat deinde ſyrupum ex aqua benedicta, & paulò poſt acetum theriacale, vel ſquilliticum deſtillatum cum radice iridis Florentinæ Accipitur ſcilicet ℔j. aceti ſquillitici, pulveris radicis ireos Florentinæ ℥ij. ſimul per alembicum ad ſiccitatem deſtillando, impoſito roſtro alembici nodulo ex radice dicta. Accipiat item boli armeni loti in aqua roſarum ℈ij. cum ſyrupo de roſis ſiccis & pulvere diatragacanti

frigidi

frigidi ad ʒſ. ſequens item gargariſma in uſum vocetur:

Gargariſmus.

℞. ſyr. papaveris.
diamori an. ℥ij.
vini granatorum ℥ſ.
aq. plantaginis
ſcabioſæ an. ℥j.
m. f. gargariſmus.

Hinc ad materiam concoquentia apozemata, ſyrupos, magiſteria & electuaria confugiendum.

Materia cocta repurganda tum iis quæ ſentinam in toto corpore reſpiciunt, tum iis quæ caput ab humore liberant, qualia ſunt errhina, ſternutatoria, apophlegmatiſmi, gargariſmi. Palmam inter hæc obtinet nigella Romana, ſi ſubtiliſſimè pulveriſata cum aqua majoranæ è volâ in nares attrahitur: imò hæc ſæpius odorata proprietate occultâ confert in quavis deſtillatione capitis.

Quæ caput confortant, ſunt vel electuaria, vel conſervæ florum anthos, ſtœchados, roſarum, vel cum pulvere diamoſchi dulcis, oxymelle ſquillitico, & oleo nucis moſchatæ miſta, aut rotulæ cum ſpeciebus dictis & cum oleo ſuccini & ſacharo in aqua florum ſambuci ſoluto, quibus addi poteſt florum ſulphuris drachma una vel altera. Poſſunt quoque ad præcavendum fluxum humorum ſubitaneum in ore noctu præſertim inter dormiendum tempore deſtillationis detineri orbiculi ſequentes:

Orbiculi.

℞. ſpicænardi ʒj.
maſtiches ʒij.
ſachari ℥ij.
cum ſyrupo de roſis ſiccis fiant orbiculi ſimiles lupinis.

Exterius admoveantur ſacculi vel pileoli capiti, qui recipiant ea quæ caput roborant, & materiam exſiccant.

Cucupha.

℞. Florum meliſſæ
majoranæ
betonicæ
ſummitatum origani an. m. ſ.
nucis moſchat.
caryophyllor. an. ʒij.
benzoës ʒiij.
croci
macis an. ʒiſ.
thur.
maſtich. an. ʒiij.
roſar. rub. p. ij.
in pulverem groſſum redacta ſerico rubro includantur, ac inſuantur, f. pileolus.

Aut ſi æger hoc medicamentum recuſet, pulvis ſyncipiti inſpergatur è maſtiche, thure, ſuccino, gallia moſchata. Excipiatur linteo, quo caput tegatur. Linteum ſæpius perfumetur, & capiti applicetur. Vel

Trochiſci pro fumo.

℞. maſtichis
olibani an. ʒij.
thymiam.
benzoës an. ʒj.

ſuccini

ſuccini ℥ſ.
tacamahacæ q.ſ. ad incorporandum
f. trochiſci pro fumo.

Proſunt & hic poma odorifera ac balſamus apoplecticus naribus illitus.

Quod ſi medicamentis dictis non cedat (a) *catarrhus, parti capitis anteriori tonſæ veſicatorium admoveatur, veſica rumpatur & per diem unum & alterum aperta ſervetur, tandem conſolidetur, non neglectis interim, quæ ad catarrhum exterminandum faciunt, medicamentis.*

Alii candens ferrum vel cauterium potentiale applicant, ubi digitorum maximus deſinit, capitis parti anteriori paſſâ manu ejus radice ſeu pollice extremæ naſi radici admoto.

(a) Ad catarrhoſam materiam penitus è capite abſumendam & deturbandam optimæ ſunt pilulæ de ſuccino Cratonis, ſi ſingulis ſeptimanis in ſyrupo betonicæ vel alio cephalico ad ℨſ. tribus horis poſt cœnam frugalem deglutiantur per tres vel quatuor menſes, ſic enim defluxiones totius capitis tam bilioſas quàm feroſas evacuant, nec ullas in aures, oculos &c. incumbere permittunt.

CAP. XIX.

DE AFFECTIBUS OCULORUM, AC PRIMUM DE STRABISMO,
Germ. Schelheit.

OCuli non tantum in reliquis corporis affectibus ac morbis ſimul per conſenſum laborant, verùm quoque multis ægritudinibus peculiaribus ex ſe conflictantur, eisque viciſſim totum corpus acerbisſimè afficiunt, idque non caſu fortuitò ſed procul dubio ex ſpeciali Juſtiſſimi Creatoris ordinatione ad puniendos ingratos homines, qui per oculos omnibus momentis immenſa & innumerabilia beneficia accipiunt, quæ tamen non agnoſcunt, nec unquam debitas pro eis gratias Deo optimo referunt, quotus quisque enim eſt qui Deum pro ſuis ſibi utiliſſimis oculis fervidiſſimè celebret, quod eis ſe ornârit, nec cœcum creârit? quod iisdem intueri poſſit opera creata Dei, nempe admirabile cœlum, lucidiſſimum ſolem, lunam, ſtellasque nec non elementa Mundi, omniaque exinde orta tam ſicca quàm humida, quæ homo cuncta ignoraret, ſi à nativitate eſſet cœcus; non poſſet etiam ſuum diſcernere cibum, potum, veſtesque, neque pro eis habendis laborare, uno verbo, quis poſſet omnia bona enumerare vel recenſere, quibus ingratus homo mediantibus oculis fruitur? Cùm verò pro illis raro aut nunquam Creatorem ſuum ex toto animo celebret, ideò variis ocularibus affectibus caſtigatur, admone-

moneturque ut impoſterum erga Deum gratiorem ſe gerat. Quos antequam recenſemus, de natura & conſtitutione oculorum nonnulla præfanda explicandaque veniunt.

Oculi quid? Sunt itaque oculi ſpecula lucis, ipſaque lux corporis, ſicuti quoque Dominus noſter eos lucernam corporis vocat, variasque comprehendunt partes, nempe membranas, Eorum partes. muſculos, glandulas, vaſa, pingvedinem & humores.

Membranæ ſunt panniculi ſive tunicæ oculum includentes, ſuntque communes & propriæ. Communes ſunt 1. adnata ſive conjunctiva. 2. Innominata. Propriæ ſunt 1. Sclerotes ſive dura, parte anteriore transparente corneam tunicam exhibens. 2. Uvea, cujus portio per corneam transparens ob colorum varietatem iris dicta, foramen habet, ſive feneſtellam, nempe pupillam, per quam rerum viſibilium ſpecies intrant, ac ſpeculo viſorio recipiuntur. 3. Choroides, ob venulas ita vocata, quibus inſtar chorii non paucis referta cernitur. 4. Retiformis ſive amphibleſtroides, ob mollem mucoſamque ſubſtantiam, quâ projectum in aquas reticulum æmulatur ſic dictum. 5. Cryſtallina ſive aranea.

Muſculi oculorum. Muſculi oculum quemlibet moventes ſunt in homine ſex, in brutis auté ſeptem, quorum quatuor ſunt recti, duo obliqui. Recti ſunt 1. attollens ſive ſuperbus, in oculi ſuperiore ſede locatus. 2. Deprimens ſive humilis, priori ex adverſo in inferiori parte oppoſitus 3. ſtudioſus ſeu lectorius & bibitorius, adducens ad naſum, cujus locus eſt in latere ad angulum internum. 4. Indignatorius & excubitor à naſo abducens, cujus ſitus eſt in alio latere ad angulum externum.

Origo omnium eſt circa foramina ampla nervos admittentia, ſuntque æqualis ferè magnitudinis & craſſitiei, & ſub adnata tunica ad corneam usque ſe extendunt.

Duo verò obliqui muſculi, qui amatorii vocantur, circumgyrationi oculorum inſerviunt, quorum alter, qui Major, ſitu ſuperior longiorque eſt, ac commune cum recto muſculo bibitorio principium nactus, juxta internum oculi angulum tenui ſuo tendine trochleam cartilagineam irreptat, flexuque obliquo oculi ſuperiora attingens, ad extremitatem tendinis obliqui inferioris muſculi deſinit, ac circumrotationem oculi verſus internum angulum capeſſens trochleatoris nomen obtinuit.

Alter, qui Minor, ſituatione inferior eſt initiumque ſumens, ubi primum maxillæ os quarto in extima orbitæ inferioris parte copulatur, obliquâ aſcenſione verſus angulum palpebræ externum ſe extendit, ac brevi tendine ad iridem exporrectus oculum deorſum verſus angulum externum flectit.

Glandulas oculi habent numero duas, majorem & minorem, major ſita eſt ad oculi canthum externum, ſpeciali tamen nomenclatione non inſignita, minor autem interno cantho adjacens caruncula lachrymalis Glandulæ ocul. Caruncula lachrymalis.

appellatur, hæc ſua ſpongioſitate & mollitie meatum ſubjacentis oſſis, ad nares pertingentem operit, ne lachrymæ per eas tranſitum moliantur.

Vaſa utut exilia, vivaciſſimas tamen & promptiſſimas ſemper functiones obeunt, adeò ut vix alia corporis noſtri pars proſperæ & infirmæ valetudinis luculentiora celeriusque conſpicua ſigna edat, benevalentis enim oculi pleni ſunt ac ſplendidi, qui ingruente infirmitate mox collabuntur, turbantur, obſcurantur, mœſtumque aſpectum proferunt.

Venulæ. Venulas habent externas & internas, externæ hinc inde in albo oculorum intertextæ conſpiciuntur, atque imprimis in ſangvineis & in venerem proclivibus ſpectabiles ſunt, ac à jugularium ramis externis derivantur; internæ nec non occultæ à jugularibus internis plexuque choroide deducuntur, ac nervum opticum comitantur.

Arteriæ. Eâdem ratione ſe res habet cum arteriis, ut eis exterioribus & interioribus ditati ſint, has arteriæ carotides ſubminiſtrant, illas carotidis ramus externus.

Nervus opticus. Inter nervos eorum varios nervus opticus prærogativam tenet tanquam auriga ſpiritus viſivi, qui propriam quoque ſubſtantiam expandens in triplicis oculorum tunicæ texturam abire putatur, poſt hunc alter minor cum aliis adhuc duobus nervulis diſperſos ramulos in oculorum muſculos invehit, ac motioni auſcultantes eos reddens motorius nominatur.

Pingvedinem quod attinet, ea eandem aliarum partium legem ſubit.

Humores oculorum. Humores oculorum tres ſunt inter ſe differentes, nempe aqueus, cryſtallinus & vitreus, ſuntque omnes pellucidi, & colorum expertes, ac intra oculorum tunicas contenti, ubi aqueus imprimis anteriora occupat, vitreus poſteriora, media cryſtallinus, variante tamen quantitate, ita ut cryſtallinus omnium ſit minimus, vitreus quintuplo eo major, duplo verò ſuperans aqueum. Qualitatis quoque diſparitatem inter ſe habent, ita ut aqueus ſit frigidus & humidus, tenuisque, & in modum aquæ labilis, ac coloris aquei, niſi quod tunica uvea aliquam nigredinis reflexionem ipſi conciliet. Vitreus pariter eſt frigidus & humidus, ſed aqueo craſſior & fluxilitate tardior, vitri fuſi colorem exhibens. Cryſtallinus verò eſt frigidus & ſiccus, vitreoque concretior colore cryſtallo vel glaciei accedens.

Phyſionomia ex oculis. Præbent etiam oculi diverſa arcana indicia, nigri enim oculi plerunque probè valent, atque animum conſtantem, animoſum, veracem, honorificum, & à mobilitate & timiditate alienum produnt.

Glauci indicant animum duplicem, ſubdolum, vagum, mutabilem, conſilio potentem imbecillitatem viſus, aſtutiamque. Luſci deſignant falſarium, aſtutum, vafrum, diffidentia plenum, cui non facilè imponi, neque etiam tutò fides haberi poteſt,

poteſt, præterea ejuſmodi homo plerunque fugit laborem, deditusque eſt otio, uſuræ, aleis, fornicationi, rapinis & ſimilibus.

Oculi nimis parvi, ac profundè ſiti debilitatem viſus arguunt, quæ in ſenectute non raro penitus in cœcitatem abit, tales quoque ſolent eſſe audaces, pugnaces, imperterriti, malitioſi, ad mala facinora prompti, poſſuntque multa perferre, ſæpius tamen malum vitæ exitum ſortiuntur.

Nimium verò magni & prominentes declarant aviditatem ac voracitatem, nec non diſcretionem rerum eminus videndarum turbatam.

Nictatio oculorum nimis crebra ſive palpebrarum motus in claudendo & aperiendo nimium frequens timidum & ſollicitum denotant, animique & cogitationum inconſtantiam.

Oculi citò huc illuc ſe moventes indigitant animum amoribus deditum, cautum, ac conſiliis promptum.

Obtutus oculorum defixus ac deorſum ſemper converſus inſimulant verecundum ac modeſtum.

Oculi rutilantes indicant animoſitatem & fortitudinem.

Splendidi ac immoti aſpicientes commonſtrant heroëm, magnanimum, audacem ac ſtrenuum, ſuisque inimicis terrificum.

Adhæc ſupercilia oculorum diversè figurata diverſas ſignificationes oppingunt. Recta enim in modum lineæ, levitatem animi cogitationumque ſignificant more fœminarum.

Rara ac pauca puſill animitatem, ingenii tarditatem, intellectusque duritiem, ac membrorum principaliorum frigiditatem.

Spiſſa è contra ac crebra nec non erecta & elevata magnanimitatem, caloris prædominium, ac intelligentiæ habilitatem.

Longa & pauca timiditatem, & in melancholiam propenſionem, præſertim nigra.

Depreſſa invidiam & aviditatem.

Pauciſſima vel nulla corruptionem ſangvinis, ut fit in lepra, lue vénereâ atque ethicis, in quibus humidum naturale depaſcitur & exſiccatur.

Valdè longa ſenectutem, cui nimium creſcendo viſum impedire ſolent.

Jam etiam graviloquia Dictatoris Medicorum de oculis & eorum affectibus prolata huc accerſenda veniunt:

Auſtrina conſtitutio oculis vertiginem affert. lib.3. aph. 17
Aquilonia verò eos mordet. 3. 17
Oculorum humiditates, viſus hebetudines & glaucomata ſunt affectus ſenum. 3. 31
Ophthalmiæ fiunt æſtate, quam hyems ſicca & aquilonia, verque pluvioſum & auſtrale præceſſit. 3. 11
Hyemem auſtralem, pluvioſum & clementem, verque ſiccum & aquilonium ſeqvuntur ophthalmiæ ſiccæ. 3. 12

Item autumnum ſiccum & aquilonium. 3. 14
Ophthalmiæ fiunt in ſiccitatibus aſſiduis. 3. 16
Ophthalmia eſt morbus æſtatis. 3. 21
Ophthalmiæ conducit fluxus alvi. 6. 17
Dolores oculorum ſolvuntur purgatione. 6. 31
Vel phlebotomia. 6. 31
Vel balneo fomentove. 6. 31
Vel potione meri. 6. 31
Dolores oculorum debent curari vini meraci potu, balneo aquæ, & venæſectione. 7. 46
Oculorum rubor à vomitu malum. 7. 3
Oculos ægrorum in ſomno ſpectare oportet. 6. 52
Oculorum album in ſomno per non exacte clauſas palpebras ſubapparens eſt ſignum fluxus ventris aut purgationis. 6. 52
Extra purgationem autem mortis. 6. 52
Extra fluentem alvum album oculorum in ſomno apparens eſt ſignum pravum & valdè lethale. lib. 1 præſ. 7
Oculorum ſigna mala & pernicioſa in febribus acutis ſunt: ſi lumen non ferunt. 1. 6
Et involuntariè illachrymantur. ibid.
Vel pervertuntur. ibid.
Vel alteruter oculus minor eſt. ibid.
Vel album mutatur in rubedinem. ibid.
Vel venulæ in eis nigricant. ibid.
Vel lippitudo innatat ac tandem angulis inhæret. ibid.
Vel frequens oculorum motus. ibid.
Vel ſi vehementer ſubſident. ibid.
Vel tumidiores fiunt. ibid.
Vel aſpectu horridi & obſcuri. ibid.
Si oculis in febre non lethali obſcura quædam obverſantur, ſignificant bilis vomitum. 3. 30
Si verò caligatione hebetantur, aut ſplendentia quædam cernere ſe putant, indicant fluxum ſanguinis per nares. 3. 35
Atque hæc ſolent evenire junioribus triginta annis. ibid.
Obſcuræ verò imagines & vomitus ſenioribus. ibid.

Nunc inſtitutum proſequamur

DE STRABISMO SEU LUSCIOSITATE.

Eſt proinde ſtrabismus oculorum aſpectus obliquus, quo affecti non poſſunt ſibi directè oppoſita recto intuitu aſpicere, ſed obliquo & limo, ita ut ſi talis aliquem velit aſpicere, pupillam vel ſurſum vel ad alterutrum latus convertere cogatur. *Strabiſmus.*

De ſignis non opus eſt plura proferre, eſt enim affectus vulgatiſſimus, & quotidiè occurrens, ſuâque deformitate omnibus notus, qua inter aſpiciendum oculi vel ſurſum vel deorſum vel ſiniſtrorſum dextrorſumve contorti apparent.

Cauſæ hujus affectus ſunt vel inverſio cryſtallini humoris, vel muſculorum ocularium mollities ac reſolutio vel convulſio nervorum muſculis *Cauſæ.*

muſculis ocularibus inſertorum, vel nimia humiditas muſculos oculares relaxans, potiſſima vero cauſa in infantibus, quibus hæc affectio familiaris, eſt incuria & negligentia nutricis ejus, qua in decubitu infantis non raro peccatur ſtatuendo cunas ejus tali poſitione, ut lateraliter vel lucidas feneſtras, vel ardentem candelam ſæpe aſpiciat, quo aſpectu tenella oculorum infantis conſtitutio facile distorquetur, ut poſtea ſemper aſpectus eorum contortus maneat, interdum etiam ex intuitu ſubitaneo alicujus rei terrificæ vel flammæ ignis, ſplendorisve Solis eis idem accidere poteſt.

Prognoſticon ejus eſt, quod hic affectus in adultis vix emendabilis eſt, vel arti paret, in infantibus autem facilè emendationem recipit.

Curatio eâ norma inſtituitur quam docet

TEXTUS:

Strabismus recens (inveteratus enim non curatur) in pueris (univerſalia pro humore peccante præmittuntur) corrigitur ſi (a) *larva faciei applicatur foraminibus ad locum oculorum perforata, ut per ea radios viſivos emittat patiens, ut propter ſitum ipſorum radii viſivi ad genuinum oculorum ſitum reducendi conformentur, opus tamen eſt accuratâ diligentiâ in hoc rectè perficiendo.*

(a) Vel cunæ infantis inferantur obſcuro cubiculo, infansque in eis ita ſituetur, ut ex adversâ parte detortorum oculorum obtineat punctum lucidum, nempe vel lucernam ardentem, vel foramen aliquod ſplendorem diei recipiens, ſic ut ſi oculi ſurſum ſint detorti, ſtatuatur flamma lucernæ ad pedes infantis, ſi verò luſcioſitas tendit ſiniſtrorſum, candela accenſa ponatur in oppoſito dextro latere, & ſic conſequenter ſemper ex adverſa parte detorſionis, ſic enim oculi (qui in infantibus ſemper ſe naturaliter convertunt ad res lucidas) ſenſim ſe torquebunt in alteram partem, & luſcioſitati deſveſcent.

CAP. XX.
DE PARALYSI OCULI.

Paralyſis oculi alterutrius eſt reſolutio ejusdem, qua ad obeundas ſuas functiones impotens fit, ac ſurſum, vel deorſum, vel obliquè ſe movere nequit, atque etiam mordicationem ab acri illinitione non percipit. Paralyſis oculi quid?

Reſolvitur autem hæc pars & reliquæ faciei non tantum in univerſali corporis paralyſi, de qua ſupra egimus, verùm etiam in particulari affectione alicujus nervi moventis ejusmodi partem, affectis enim nervis, qui à ſecunda conjugatione è calvaria prodeuntes in oculi muſculos disperguntur, nervoque optico, paralyſin hanc oculi, illæſis aliis partibus producere poteſt, nervus autem tertiæ conjugationis per foramen oſſis orbitæ tranſeuntis reſolutionem palpebrarum.

Cauſæ. Cauſæ præter ſuperius in deſcriptione paral. allatas poſſunt eſſe lapſus vel percuſſio aliaque violenta impactio nervum opticum ita afficiens, ut oculi reſolutionem inducat.

Prognoſtica. Prognoſis hujus affectus in hunc modum inſtitui poteſt: quod nimirum tam totius oculi quàm palpebræ ſolius reſolutio difficilimæ curationis ſit, imprimis in provectiori ætate, ob frigidam naturam oculorum, nervosque venas & arterias valdè conſtrictas.

Quantum autem ſpei relinquitur, aggredienda eſt cura ſequenti ratione:

TEXTUS.

Paralyſis oculi rarò occurrit ſine reſolutione aliarum partium: ſi tamen ſola, vix curatur, & ſi cum reliquis partibus, ut in hemiplexia, cura (a) *eadem inſtituitur, quæ in paralyſi communi.*

(*a*) Vulgares practici ut Rondeletius &c. conſulunt præmiſſa univerſali evacuatione adhibere ad paralyſin ſuperciliorum emplaſtra ac dropaces ex pice, caſtoreo, euphorbio & conſimilibus calidis, inunctionemque ex ſuccis rutæ, urticæ & tapſiæ partis affectæ & vicinarum, imprimis partis poſterioris capitis ac primæ vertebræ, unde nervi motorii ſuperciliorum oriuntur, ſi non reſtituatur his, ſvadent inducere vulnus obliquè à cantho minori ad majorem, ſic enim palpebram factâ cutis deperditione contrahi & ſurſum ſtringi, verum hâc cum incommoditate, quod oculus impoſterum ſemper maneat apertus, quod tamen melius ſit, quàm ſi ſemper clauſus permaneat.

Totius verò oculi reſolutionem quod attinet, jubent in ea prius venæſectionem celebrare in cubito, ac poſtmodum alvi depoſitionem proritare clyſtere, tum verò corpus cathartico purgare, naribus etiam adhibere errhina & apophlegmatiſmos, nec non occipiti cucurbitulas cum ſcarificatione, temporibusque hirudines, intra corpus verò dare caſtoreum, pulegium, hyſſopum, abſynthium, rutam cum oxymelite & ſale, capiti quoque illinere caſtoreum cum roſaceo & aceto, idemque linimentum molli lana exceptum clauſo oculo applicare, eâ quantitate, ne diffluere & oculo illabi poſſit, probant etiam vomitum jejuno ſtomacho, quia hic à loco affecto ſine multa commotione derivet.

CAP. XXI.

DE VISUS IMBECILLITATE ET CALIGINE, *Germ.* Dunckelheit der Augen.

Caligo oculorum vocatur etiam amauroſis, gutta ſerena, viſusque obſcuritas, eſtque ejusmodi affectus, quo videndi facultas imminuitur, pupillâ nihilominus clarâ & lucidâ apparente patiensque objecta cuncta tanquam per caliginem vel fumum aſpicit, vel planè nihil cernit. Amauroſis, gutta ſerena.

Partes affectæ ſunt nervi optici, qui Pars affecta.

qui diverſimodè affici poſſunt, nimirum vel per aſtrictionem, vel obſtructionem, vel continui ſolutionem.

Signa diagnoſtica.

Signa diagnoſtica hujus affectus ſunt hujusmodi: Viſio patientis imminuitur vel aboletur absque cauſa manifeſta, oculi enim quoad inſpectionem omnem naturalem conſtitutionem habere videntur, nullumque in eis vitium deprehenditur, niſi quod pupilla aliquantulum nigrior & amplior conſpicitur.

Cauſæ.

Cauſæ ſunt internæ & externæ, Internæ & propinquæ ſunt obſtructiones nervorum opticorum, à craſſis pituitoſis collectionibus meatus eorum obſtruentibus, uti ab eâdem materiâ fieri conſvevit in aliis quoque nervis per paralyticam collectionem obſtructis, eſtque hæc obſtructio vulgariſſima, & ferè ſolemnis cauſa guttæ ſerenæ, interdum tamen etiam compreſſio nervorum opticorum eam efficit, quando nimirum non intra, ſed extra eos ejusmodi collectio pituitoſa coacervatur, ſuumque ſpacium extendit, unde neceſſe eſt adjacentes partes magis anguſtari ac premi, quæ compreſſio ſpiritus viſivos intercludere poteſt; item aſtrictio poteſt etiam in cauſa eſſe, quæ quidem accidere poteſt à vaporibus auſteris & frigidis, ſemper enim frigus conſtringit, uti videmus in conſtitutione aquiloniâ, quod ſemper alvum aſtringat, incrementumque ſumens ſua aſtrictione adeò pergat, ut aquas penitus in glaciem conſtringat & induret, uti etiam alumen & vitriolum ſua frigida qualitate talem conſtrictionem potentiſſimè demonſtrant. Non minus etiam vehemens æſtus aptus natus eſt viſum obtenebrare, quemadmodum enim in furnis deſtillatoriis calor intensè auctus tandẽ ſpiritus nebuloſos elevat, qui totum receptorium utut è cryſtallino vitro confectum adeò obnubilant, ut per illud amplius conſpici nequeat, ita pariter etiam fieri ab ingenti calore interno, quotidiana teſtatur experientia, in phrenitide enim & aliis æſtuoſis morbis tandem viſus obtenebrari ſolet, adeò ut patientes ſæpè nihil cernere queant, adhæc corneæ tunicæ denſitas, vel ſpirituum viſivorum defectus hunc affectum cauſare poſſunt.

Cauſæ externæ.

Externæ ac mediatæ cauſæ ſunt crebræ crapulæ atque exceſſus in diæta, unde multæ ſuperfluitates tandem coacervantur, quæ meatus nervorum obſtruunt; item fervor ſolis caput feriens, aliique externi immoderati calores humores in capite fundentes, quod idem etiam fieri poteſt à violentis corporis exercitiis corpus percalefacientibus, item repentina alternatio caloris & frigoris, migrando nempe ab una extremitate in aliam, absque interjectis temperatis mediis, ut fit quando quis repentè è frigore forti ſe confert in locum intensè calidum & vice verſa, quâ mutatione ſemper graviſſimos catarrhos excitari quilibet novit: quibus poſtea variæ obſtructiones oriuntur. Quantum etiam nervos debilitet, omnesque ſenſus hebetet Venus immoderata, per

expe-

experientiam notum eſt, ſic etiam intempeſtiva ſtudia, lectioque & ſcriptio multa mox poſt paſtum ſtomachum ſubvertit, cruditates gignit, & cum ſpeculativis ſpiritibus pituitoſos vapores in caput allicit, unde poſtmodum nervi optici facilè obſtrui poſſunt.

Prognoſtica. Prognoſin quod attinet, affectus hic pro cauſarum diverſitate in uno gravior eſt quàm in alio, is enim qui venit ab obſtructione nervorum opticorum, ejusdem eſt curationis difficultatis cum alia nervorum obſtructione paralyſin generante, qui verò non intra ſed extra nervos opticos cauſam habet, nempe à compreſſione, vel aſtrictione, facilius diſcuti poteſt.

Curationem jam auſpicemur juxta præſcriptionem

TEXTUS.

Ad viſus imbecillitatem & caliginem, ſpiritusque viſivos confortandos, cerebrum humoresq; ipſius rectificandos præmiſſis univerſalibus mirificè prodeſt euphraſia dextrè parata. Vulgò utuntur eâdem in infuſo vini in quotidiano victu, cibis admiſtâ. Item in conſervis aliisque formulis. Præſtat ipſius eſſentia chymicè extracta granis ij. iij. IV. V. item ſal ejusdem crebris ſolutionibus & coagulationibus, præſertim ſi cineres ab initio cum ſulphuris ana calcinati (a) *fuerint, ſine igne (h e. ne fluat in tigillo) ad ſummam puritatem deductum, & in uſu ſali menſario admixtum. Sic euphraſiæ arcanum præſtantiſſimum eſt in viſu recuperando à gran. ij. ad V. ſumptum. Hinc verè* (b) Augentroſt *dicitur.*

Euphraſiæ vis in affectibus oculorum.

Eſſentia eſt ſal euphraſiæ.

(a) Author eam ob cauſam cineres euphraſiæ cum æquali portione admixti ſulphuris communis vult calcinatos, quòd poſtea per elixiviationem præbeant ſalem in frigore non liqueſcentem in liquorem, uti aliàs cuncta ſalia herbarum facere conſveverunt. Verùm eum in hac manipulatione hallucinari palam eſt, ſulphur enim ſub cineres tritum, & cum eis incenſum eructat ſuum ſpiritum acidiſſimum, qui alioquin etiam ab ardente ſulphuris flammâ colligitur, ac ſpiritus ſulphuris per campanam appellatur. Aciditas iſta mox ab alcali cinerum combibitur, quæ & ipſum planè permutat è ſua alcalioſa naturâ, ac viciſſim ab alcali penitus immutatur, nunquam enim acidum & alcali concurrunt, quin è veſtigio invicem dimicent, unumque alterum transmutet, ita ut ex ambobus fiat ſal hermaphroditicum, ex acido & alcali conſtans, quod vulgato nomine tartarus vitriolatus nominatur, qui itidem in hunc modum confici poſſet, ut Author hîc docet, calcinando nimirum tartarum peruſtum cum pulvere ſulphuris, & poſtmodum elixiviando, eandem enim proprietatem habebit, ac ſi cum oleo vitrioli confectum eſſet. Hic ergo ab Authore edoctus ſal euphraſiæ ſulphuratus amplius

Notanda de ſalibus herbarum.

amplius non eſt ſal euphraſiæ, ſed quaſi tartarus vitriolatus, conſtans ex acido ſulphuris & alcali cinerum euphraſiæ.

(b) Fortè adhuc majori jure nomen Augentroſt i. e. ſolatium oculorum meretur radix valerianæ, quam feles tantoperè amant, & ubi eam advertunt, crebrò ſe ſuper eam volvunt, hæc enim radix oculis ferè ad miraculum conducit, tam in hominibus quàm brutis, adeò ut non admodum longo abhinc tempore in hac noſtra confinia clericus quidam eam ſuo excœcato cato ad collum appenderit, isque hoc amuleto viſum recuperarit. Uſus ejus eſt internus & externus, modo quocunque quis eâ uti velit, ſemper enim ſalutares operationes præſtat.

Aqua ocularis interna.

II. *Aqua quoque eſt efficax quæ fit hoc modo:*

℞. folior. euphraſiæ,
rutæ,
verbenæ,
fœniculi an. m. j.
ſummit. rorismarini.
ſalviæ,
florum roſar. an. p. j.
baccar. juniperi ℥j.
caſſiæ ligneæ ℥ſ.
ligni aloës ʒſ.
ſemin. fœniculi ʒij.
ſileris montani ʒj.
rutæ ʒſ.

infunde cum vini malvatici ℔. VI. macerentur per quindenam, poſtea deſtillentur. Hujus cochl. ſ. vel j. manè jejuno ventriculo ſumptum viſum eleganter confortat.

Aqua ocularis externa.

Externa eſt aqua ocularis cum vitriolo albo confecta hoc modo:

℞. lapidis ſciſſilis i. e. Schiefer-ſtein/ *in fruſta contuſi ℔ſ.*
Aquæ fontanæ claræ vel pluviæ quæ præſtat ℔iij.
Vitrioli albi ℥j. ad ſummum vel ʒVI.

coque ebulliendo in olla, & inter coquendum ſpumam diligenter remove ad caſum duorum digitorum transverſorum, poſtea per filtrum mitte, & vaſe benè clauſo ſerva. Uſus (c) *quotidianus eſt immittendo in oculum mane & veſperi guttas aliquot.*

Aqua ophthalmica nobiliſſima.

(c) Sequens aqua ophthalmica vix etiam ab ulla alia Mundi ſuperari poterit, multi enim eâ per aliquod tempus uſi tantam viſus aciem ſibi compararunt, ut ſua ſpecilla ocularia, jam dudum in ſubſidium vocata, rurſus abjecerint, cum antea absque ejusmodi conſpicillis nec legere nec ſcribere potuerint, paratur verò in hunc modum:

℞. tutiæ præp. ʒij.
vitrioli albi ʒiſ.
calaminaris præp.
ſalis communis an. ʒj.

His ſubtiliſſimè pulveriſatis affunde in nova ollula

Aqua fœniculi
chelidoniæ an. cyathum

bulliant invicem ſuper prunis tantillo temporis ſpacio, tum mox refrigeſcant, atque aquam à relicto

pulvere per filtrum ſepara, cujus una vel altera gutta infirmis oculis manè, meridie, & ſub noctem inſtillata, omnem dolorem & ruborem ex ipſis brevi abigit, ac viſum mirè clarificat.

III. *Ad externos uſus item in glaucomate mirificè commendatur aqua deſtillata ex fellibus piſcium, præſertim lucii piſcis. Vide infra de ungvibus, nebula & pterygio oculorum.*

CAP. XXII.

DE DIVULSIONE ET RUPTIONE PUPILLÆ.

RUptionis & diſtorſionis uveæ tunicæ alii quidem Authores mentionem faciunt, medicationi verò earum non immorantur, quod arte irreparabiles eſſe ſibi perſvadeant, perexigua verò pupillæ vulnuscula tantillamque ejus læſionem ſanationem recipere excellentiſſimi chirurgi propriâ experientiâ teſtatum fecere, ac imprimis Wurzius, qui eum in finem oleum rubrum plumbi pro arcano omnium maximo commendat tanquam vulnerarium ſpecificum ad qualemcunque læſionem oculorum, atque in hunc modum conficiendum:

Oleum Saturni. Capies unam libram ceruſſæ ſubtiliſſimè tritæ, cui ſuperfundes libras tres aceti vini bis deſtillati, abjiciendo qualibet deſtillatione tertiam ejus partem primo exſtillantem, ac reliquam fortiorem aceti ſubſtantiam ultimò ſtillantem retinendo, cujus tres partes uni ceruſſæ adjicies, ac ea ſimul per dimidium horæ optimè coques, poſtmodum vas cum materia in locum calidum per tres vel quatuor dies reponito, quibus elapſis totum in retortam optimè lutatam evacuabis, eam verò furno deſtillatorio, cujusmodi ſunt, quibus oleum vitrioli deſtillatur, incamerabis, ac lenem ignem ſubjicies, donec omne acetum fuerit egreſſum, quo facto ignem augebis, ac deſtillationem urgebis, donec guttas rubras transſcendere conſpexeris, quas peculiariter anguſto vaſculo vitreo excipies, ignemque magis magisque fortificabis, donec nil amplius exſtillet. Parum quidem admodum olei obtinebis, at immenſæ virtutis ad omnia oculorum vitia perſananda.

TEXTUS.

IN divulſione & ruptione pupillæ item corneæ omnium optima eſt aqua, quæ fit ex albumine ovorum. Item ex cancris & chelidonia, de quibus in notis ad Baſilicam Crollii.

CAP. XXIII.

DE ALBUGINE ET NEBULA.

REmanentes poſt curata oculorum ulcera cicatrices vocantur nebulæ, & nubeculæ, item albugines tenues, & ſi altiores ſint, ſimpliciter albugines vel albugines craſſæ, atque à quibusdam leucomata. Fernelius autem vocat nubeculam humorem craſſum corneæ inhæreſcentem, ægriq; viſum adeò remo- Nebula, nubecula, albugo, leucoma.

remorantem, ut cuncta objecta per nebulam, vaporemve aut fumum videre ſe putet, huncque humorem ſenſim craſſeſcentem tandem albuginem producere vult, ita ut albugo ſit craſſus & albus humor in uvea aut etiam ſupra eam ſic concretus & denſatus, ut omnem plerunque videndi acutiem obtundat, diciturque albugo ab albedine cocti ovi, quod ejus colorem æmuletur, originem ducunt hæc duo vitia ex ophthalmia & epiphora, vel etiam ex variolis aliisque puſtulis exulceratis, denuoque cicatriſatis, vel etiam ex proprio humore lento ob pupillam effuſo, atque ex iſtis ſpatiis, quæ ſunt inter uveam & membranam adjacentem, præcipuè verò corneam tunicam afficiunt, ac colore potiſſimum albeſcunt, ſi nimirum ſupereminent, planæ autem albugines vel æquales minus albent, & quæ cavæ magis ſunt, aliquantulum vergunt ad nigricationem.

Cauſæ. Cauſæ albuginis ex jam dictis innoteſcunt, reſpiciendum enim ad præcedentia, nempe ophthalmiam, exanthemata, vel quicquid præceſſit.

Prognoſtica. Prognoſin quod attinet, illa albugo quæ ſuperficiaria eſt, atque ab ophthalmia, vel craſſo humore proficiſcitur, nec inveterata eſt, haud difficulter curatur, quæ verò cicatricea vel profundior eſt, difficillimam curationem faceſſit, ob exquiſitum ſenſum tenerrimæ iſtius partis, quippe quæ remedia efficacia ad extirpationem cicatricis neceſſaria non niſi multo cum negotio perferre valet.

TEXTUS.

In albugine & nebula præter illa communia cuivis nota egregiè valet pingvedo ex epate muſtelæ, Germ. Quappen/ Ahlrauppen. *Hepar hoc lava ex vino, & ſtatim ita implantetur vitro, ne fundum & parietes ipſius vitri tangat, ſed liberè in eodem pendeat. Vitrum optimè claudatur, & exponatur ſoli aliquandiu & epar fermè totum in pingvedinem flavam deſtillat, quam collectam ſerva. Uſus ejus eſt externus tantùm inungendo palpebras eundo cubitum. Fortius operatur, ſi intrò in cibis aliquoties exhibeatur pulvis ille de carduis minoribus pratorum,* Heidediſtel. — Pingvedo hepatis muſtelæ piſcis.

CAP. XXIV.

DE PHLYCTENIS.

Phlyctenæ Arabicè Bothor ſunt minutæ & exiguæ oculorum puſtulæ ſive veſiculæ in cornea tunica obortæ dolorificæ, ac diverſi coloris aquâ repletæ more illarum veſicularum, quæ ab aqua fervida per ambuſtionem excitantur. — Phlyctenæ quid?

Locus affectus eſt cornea & adnata tunica.

Signa diagnoſtica ad longum recenſere opus non eſt, cum facilè diſtingvantur, ſunt enim parvi tumusculi inſtar granorum milii, rubei coloris, ſi adnata ſunt, ſubnigra verò in ſuperficiariâ parte corneæ, albidæ autē in ejus profundiori parte. — Signa.

Cauſæ. Cauſæ ſunt humores acres ac catarrhoſi in capite ſe cumulantes, ac per duram meningem ad oculos labentes.

Prognoſtica. Prognoſis hujus affectus in hunc modum ſe habet. Quod nimirum phlyctenæ nociviores ſunt in cornea quam adnatâ, pluſque periculi ab iis profundioribus impendet, quàm ſuperficiariis, in profundo enim magis erodentes evadunt, & facilè denſitatem corneæ erodere queunt, vel etiam in cauſa eſſe, ut uvea procidat, vel humor aqueus effluat, quod ne fiat, ſollicitè cavendum, omnique ſtudio invigilandum, ne ſuppuratio eveniat, ſed potius materia reſolvatur & diſcutiatur, præmiſsâ univerſali evacuatione & venæſectione, poſteaque adhibitis topicis, quem in finem Author commendat ſolutionem vitrioli albi, ut habet

TEXTUS.

IN phlyctenis valet aqua vitrioli albi.

CAP. XXV.

DE ULCUSCULIS OCULORUM.

TEneritudo hujus partis non impedit, quò minus non nunquam etiam exulcerationem experiri cogatur, quando nimirum in ſæva ophthalmia tantus fit affluxus, ut ſuppuratio inde enaſcatur, vel prædictæ phlyctenæ diſcuti nequeunt, vel variolæ ipſos oculos occupant, aliæve puſtulæ, curſumque ſuum ibi abſolvunt ac diſrumpuntur, vel acris defluxio catarrhoſa ibi ſedem figit, eroſionemque excitat, hiſce enim modis in cornea tunica atque adnata exulceratio fieri poteſt.

Prout verò ejuſmodi exulceratio major vel minor, ſuperficialis vel profunda, lata vel arcta eſt, diverſa apud Authores nomina ſortitur, cavum enim anguſtum & durum ulcus vocant bodrion ſive foſſulam; Bodrion. in iridis verò circulo ſitum, argemon: Argemon. profundum cruſtoſumque epicauma vel encauma; Epicauma. Encauma. latum & ſuperficiale cœloma, Cœloma. at quorſum opus nomina adeò multiplicare? cum ſanatio in eis non conſiſtat, ſed in unitate, nam qui unam ſpeciem ejuſmodi exulcerationis ſanare noverit, iiſdem remediis etiam reliquas ſanabit.

Cauſæ. Cauſæ exulcerationis oculorum paulò ante enumeratæ ſunt, præter illas ea etiam cauſari poteſt à rebus acribus oculis involantibus vel incidentibus, uti ſunt ignis, calx, liquores ignei, ærugo, vitriolum calcinatum, aliique pulveres acres, uti nobis contigit, quando aliquando mercurium ſublimatum contunderemus, quòd ejus minutum fruſtulum oculo inſiliit, ac inter palpebram & oculum quaſi impactum hæſit, ſuaque mordacitate ingentem dolorem & inflammationem intulit, nec mirum, retracta enim palpebra coram ſpeculo advertimus locum doloris jam guttâ ſangvinis obtectum, confeſtim ergò diſſolvimus ſacharum ſaturni in vulgari aqua, eique intinctis linteolis locum læſum & inflammatum continuò

fovimus

fovimus per integrum diem, linteola exſiccata ſemper reintingendo & imponendo, ſicque ferè eodem die omnis dolor, inflammatio & læſio ceſſavit.

Prognoſtica. Prognoſis eſſe poteſt, quod quælibet exulceratio oculorum periculoſa & operoſa eſt, idque adhuc magis in cornea quàm adnata, prope pupillam verò exiſtens difficultati ſanationis inſuper conjunctam habet cicatricem, poſt ſanationem ulceris remanentem, corneæque diaphanitatem tollentem, eoque modo viſum impedientem, eroſionem autem tunicæ ſequitur effluvium humoris aquei & procidentia uveæ.

De curatione ſequentia paucula tradit

TEXTUS.

Aqua ex albumine ovorum. *IN ulcuſculis hinc (ex phlyctenis ſcilicet natis) valet aqua ex albumine ovorum, vide infra de ungve, nebulaque oculorum.*

CAP. XXVI.
DE CARCINOMATE OCULORUM.

UTi cancer ſemper malum doloroſum eſt, ita eundem quoque idem oculis eſſe conjiciendum eſt, quando eos infeſtaverit, quod quidem raro fit, at nihilominus in quibusdam accidit, ut quoad oculos cancroſi fiant, nimirum ſenioribus melancholicis potiſſimum poſt diuturnam ophthalmiam, nec non mulieribus demenſtruis; Eſt autem

Carcinoma oculorum quid? carcinoma oculorum ulcus rubens ex materiæ aduſtæ inflammatione, cum defluxu humoris ſubacris & tenuis, & individuo comite ruboris partes oculi nempe albas & nigras obſidentis, ulcuscula etiam in nigro oculi exorientia doloroſa, venas inſitas habentia varicoſas pariter cancroſa vocantur, quæ cicatricem non admittunt, quamvis interdum cicatriſari videantur, nam ſine ratione manifeſta rurſus evaneſcit, ejusmodi ulcera cancroſa ſemper conjunctum habent dolorem capitis ingentem continuum punctorium ad tempora usque pertingentem, color faciei oculique eſt plumbeus, nec non fuſcus ulceris; malum hoc pro incurabili & deplorato relinquitur, ac tantum cura palliativa à practicis adhibetur, ſpectans ſolummodo ad mitigationem ſymptomatum per evacuationem atrabiliarii humoris, & topica remedia. Ulcuscula cancroſa.

TEXTUS.

IN carcinomate oculorum nihil melius eſt pulvere illo cuticularum in ovis, è quibus pulli excluduntur, ſimpliciter inſperſo. Cætera fiant ut in cancro. Pulvis cuticularum in ovis.

CAP. XXVII.
DE EPIPHORA.

INvoluntaria lachrymarum crebra exſudatio vocatur epiphora, quæ Græcanica vox eſt, ſignificans quidem fluxum humoris in genere, uſu tamen dudum recepto ab omnibus practicis intelligitur eo nomine impetus tenuis humoris, ſpecie lachrymarum in oculos decumbens, atque per oculorum angulos emanans, Epiphora quid?

nans, quamquam à quibusdam pro effectu tunicæ conjunctivæ habeatur, eorum tamen opinio erronea eſt, evincente oculari aſpectu angulos iſtas lachrymas profundere, humor autem profluens jam frigidus, aquoſæ tenuitatis, & absque dolore eſt, ruborisve vel doloris moleſtiâ, quandoq; verò ſalſus, mordax, pruriginoſus, doloremque exſuſcitans, ac nonnunquam aſperitatem, calloſitatem, duritiem ac inverſionem palpebrarum, interdum quoque carunculam anguli majoris exedit, unde major fluxio lachrymarum excitatur, remotâ jam eâ glandulâ, quæ pro obturamento & operculo inſerviebat, inhibente profluxionem aquoſæ materiæ eam ad nares regurgitare faciente.

Humor lachrymalis unde? Humor ejusmodi effluens redundat è cerebro interdum per venas internas, ac aliquando per externas eum transmittente, eſtque humiditas aquoſa tenuis & limpida, quæ in cerebro continetur, quam practici absque admixto aëre ſtatuunt, eoque differre volunt à ſputo ſeu ſaliva, quod ea aëris ſit particeps, ideòque ſemper ſpumea appareat.

Cauſæ. Cauſæ profuſionis lachrymarum ſunt: vel vapores acres ut odor cæparum, allii, raphani majoris & ſimilium, vel atomi pontici oculis involantes ut pulvis piperis, item fumus, qui atomos oleoſas in igne nondum combuſtas, ſuccumque ligni acidum ſecum vehit, eisque oculos mordet, calor quoque quilibet nempe ſolis, focorum, balneorum, nec non incaleſcentia corporis nimia per exercitia, venerem, compotationem, lachrymas expellunt, quæ quidem expulſio ſolemnis eſt calori, uti etiam omnes recentes herbæ calori ſubjectæ lachrymas aquarum ſtillatitiarum plorant, frigus verò intenſum velut per expreſſionem lachrymas prolicit, conſtringit enim fortiter, & aquas conglaciat, unde conſtrictum & compreſſum cerebrum aquoſitatem de ſe dat, quæ reſolvitur in lachrymas, idem etiam præſtant aliæ compreſſiones ex mœrore, triſtitiâ, melancholiâ, mœſtitiâ &c. at ejusmodi illachrymatio non pertinet ad epiphoram, quæ involuntaria emiſſio eſt lachrymarum, mœſtorum enim lachrymæ exprimuntur à mente, quæ regere debet voluntatem, atque ideò planè involuntariæ dici nequeunt.

Neque etiam huc trahi poſſunt lachrymæ illæ ſemper in procinctu exeundi verſantes, ut fit in fœminis, pueris & ſenibus, qui omnes ex quavis cauſa facilimè plorant, ſemper enim voluntas eorum concurrit. Et ſic conſequenter ubi cauſa manifeſta eſt, epiphora dici non debet.

Prognoſin quod attinet, epiphora in junioribus ex ſuperflua humiditate, vel cauſis externis orta exactâ diætâ & convenientibus medicaminibus corrigi poteſt, niſi jam oculis nimiam læſionem impreſſerit, vel caruncula lachymalis exeſa vel opera chirurgica abſciſſa ſit, vel major ejus pars ablata, tunc enim fluxio lachrymarum amplius inhiberi non poteſt, verùm nativa, vel etiam inveterata, atque in ſenibus exiſtens Prognoſis.

imme-

immeliorabilis eſt, in iisque facilè fiſtulam lachrymalem parit, in acutis verò morbis involuntaria illachrymatio ſecundum Hippocratem ſemper ſuſpecta eſt, & malum ſignum, imò etiam in ſanis frequens eruptio lachrymarum absque ulla cauſa manifeſta de futuro nil boni portendit, ſunt enim iſti homines à natura diſpoſiti ad apoplexiam, quamvis non ſemper illis ex angulis oculorum limpida illa lympha lachrymalis eploret, verùm etiam crebrò in ſomno aliquid liquoris ex ore profluat taliaque ſigna multos annos præcedant, antequam apoplexia eos invadat, tales quoque homines in quovis profundo riſu mox copioſas lachrymas emittere ſolent, ex quo conſtitutio phlegmatica cerebri eorum innoteſcit, prona ad gravem iſtum morbum phlegmaticum. Lachrymæ etiam alios morbos ſequentes curari nequeunt, niſi prius morbus eos producens tollatur, tumque ſimul abeunt.

Curationis ſcopus.

Curationis modus requirit ante omnia ſublationem cauſarum, quæ eleganter à ſchola Salernitanâ comprehenſæ ſunt his verſiculis:

Balnea, vina, venus, ventus, piper, allia, fumus,
Porrum, cum cæpis, faba, lens, fletusque, ſinapi,
Sol, coitusque, ignis, labor, ictus, acumina, pulvis,
Iſta nocent oculis, ſed vigilare magis.

Tum verò nimia ſeroſitas cerebri deorſum trahenda & evacuanda venit per convenientem purgationem phlegmaticam.

Tandem deveniendum ad ſpecifica de quibus jam agit

TEXTUS.

Periapton ex radice malvæ.

IN epiphora vel ophthalmia periapton ex radice malvæ ſimplicis (præmiſſo caputpurgio, & averſionibus debitis) radix colligitur quando ſol eſt præcisè in ſigno ♏ effodiendo illam ſubtus cum exortu Solis, ita ut radix primum denudetur ad latus fodiendo, poſtea planta tota ſubtus eruatur. Applicetur radix illa ad nucham alligando vel appendendo.

Ad lachrymas:

Collyrium.

℞. *cortic. granatorum ʒiij. vel ℥ſ.*
lapid. hæmatit. ʒj. vel ʒiſ.

cortices coque in aqua roſarum, colentur ſæpius, poſtea in colatura lapidem pulveriſatum terendo diſſolve. Hæc compoſitio applicetur oculis in petiis. Alioquin etiam applicant ſacculum ex floribus chamomillæ. Vide Platerum in praxi.

CAP. XXVIII.

DE OPHTHALMIA,

Germ. Hitze/Röte und Schmerzen der Augen.

Ophthalmia quid?

OPhthalmiæ vox quidem in genere omnem oculorum affectionem denotat, verùm uſus obtinuit, ut per eam ab omnibus Authoribus inflammatio exterioris tunicæ, quam adnatam & conjunctivam vocant,

 De Ophthalmia.

vocant, intelligatur, extenditur tamen hæc inflammatio perſæpè quoque ad corneam ob exactam ejus conjunctionem cum adnata, uti etiam alii affectus, nempe vulnera, exulceratio, puſtulæ, tumores utriquæ tunicæ communes ſunt.

Signa. Signa diagnoſtica hujus affectus ſunt hæc: oculi inflammantur, dolent, ac craſſam humiditatem, quæ lippa vocatur, affectui nomen lippitudinis dedit, copioſè ſalivant, adeo viſcoſam, ut palpebras in ſomno invicem conglutinet, ſæpè etiam ſomnum non concedit, ſed more omnium dolorum, moleſtas vigilias inducit.

Non ſemper tamen hic affectus eâdem vehementia affligit, ſed in nonnullis mitius, in aliis acerbius, unde triplicem ejus diſtinctionem faciunt, levemque inflammationem cum mediocri dolore exiguoque ru-
Taraxis. bore conjunctam taraxin ſive conturbationem vocant. Majorem vero æſtuationem cum manifeſta intumeſcentia, ac dolorifica rubedine complicatam, atque ab internis cauſis nempe pravis humoribus corporis devenientem veram ophthalmiam nuncupant. Ferventiſſimam autem doloroſitatem, cum ingenti ru-
Chemoſis. bore & tumore diſcruciantem Chemoſin vocitant, qua nimirum ſuperiores palpebræ adeò intumeſcunt, ut verſus frontem retrahantur, atque utraque planè invertatur, ita ut oculi eis obtegi nequeant, in hac quoque album oculorum altius aſſurgit, rubrum verò majorem in partem iridem occupat, totusque oculus deformem admodum aſpectum obtinet, ac vulgò Germanicè ein Plerrauge nominatur.

Ab Hippocrate verò lib. 3. aphor. 12. & 14. diſtingvitur ophthalmia in ſiccam & humidam, illamq; tempore verno hyemem auſtralem & pluvioſam, ver autem ſiccum & aquilonium ſequi ſolere ait, hanc vero in magnis ſiccitatibus, nec non æſtate, quam hyems ſicca & aquilonia, ver autem pluvioſum & auſtrale præceſſerit, item autumno aquilonio & ſicco popularem eſſe, ubi per humidam vulgarem illam, de qua hic agimus intelligit, per ſiccam verò rariorem ſpeciem absque lachrymis & humidis defluxionibus inſultantem.

Cauſæ ophthalmiæ eædem poſſunt eſſe, quæ in ſuperiori capite epiphorá producere affirmatæ ſunt, uti etiam epiphora ſæpiſſimè in graviſſimam ophthalmiam mutatur, præcipuè vero humores corporis vitioſi ſangvinem bilioſum, phlegmaticum vel melancholicum reddentes, unde fluxiones acres generantur poſtmodum in oculos decumbentes, humores verò vitioſi pravi victus ſoboles ſunt, heluationisque, crapularum, voracitatis, peſſimi etiam catarrhi à repentina mutatione aëris frigidi in calidum & vice verſa procreantur. Cauſæ.

Ad internoſcenda autem ſigna cauſarum, accurato opus eſt judicio, ea enim quæ ab Authoribus notantur, non omnia ſunt certa, exempli gratia eroſionem lachrymarum, quando nimirum angulos oculorum

rum genaſque excoriant, Authores pro ſigno bilioſi ſangvinis habent, at quot pueri inveniuntur, qui non ſolum ex oculis, verùm quoque è naribus tam acrem humiditatem emittunt, ut infra nares quaſi eroſam viam geſtent, cum tamen vix ullus puer bilioſus dici mereatur?

Prognoſtica. Prognoſticon quod attinet, ii homines qui frequenter ophthalmia laborant, humiditate abundant ac purgatione per inferiora opus habent nec non contractiori diæta. Eſt tamen ophthalmia inficiens, ac oculos eorum qui optima ſanitate fruuntur, diætamque probè obſervant, ſolâ inſpectione, quando nempe infirmi oculi ſanos alterius inſpiciunt, ad conſimilem paſſionem inficere poteſt; ophthalmia quoque jam unum ægri oculum invadens, plerunque etiam mox alterum corripit; Ophthalmia nimis diu durans ſuppurationem aut exulcerationem minatur, ſolvitur autem juxta Hippocratem ab alvi profluvio.

Curatio. Curationem modò ut aggrediamur, ſcire expedit, ante omnia cauſas eſſe ſummovendas, quas Schola Salernitana in jam ſupra citatis verſibus recenſet; Æger autem debet verſari in aëre temperato ſubobſcuro, ab omni fumo & pulverulentiâ puro, tegendo oculos panno ſerico viridi vel cœruleo, ac vitando fortem commotionem, clamorem, & ſermonem multum, in urente ophthalmia à vino abſtineat, ac ejus loco decoctum hordei bibat, in frigidâ verò & declinante hac paſſione vinum convenit, ſicuti quoque Hippoc. vini meraci potum ad dolores oculorum commendat.

Victus ratio debet eſſe parca & tenuis, ac moderatè refrigerans, nempe ex cremore hordei, ovis ſorbilibus, juſculis carnium, aliisque mollibus & elixis, ac non aſſis duriſve, operoſa enim dentium commanſio oculos acerbè commovet, vitentur quoque acria & percalida ut aromata, item vaporoſa, ut cæpæ, lac, ſinapi, raphanus uterque, item animi pathemata ac imprimis iracundia, ſomnus valdè conducit, ac infirmum oculum tranquillat.

Purgatio per alvum ſingularis indicatio eſt ad lippitudinem juxta Hippoc. lib. 6. aph. 17. ſemper tamen ſpecifica ophthalmica admiſceri debent ac præſertim ſal euphraſiæ & chelidoniæ.

Præmiſſis his generalibus transeundum eſt ad ſpecifica, prout tradit Authoris

TEXTUS:

IN ophthalmia mihi uſitatum eſt applicare ad nucham, cæteris paribus, farinam erucæ Senffmehl / *in ſacculo interpaſſato & cum vino cocto repetitis vicibus, eundem calidè è regione oculi patientis apponendo. Mirabiliter nimirum ab oculo verſus nucham trahit, quod ſi veſicæ ab hac applicatione fuerint excitatæ, illæ aliquandiu ſervantur, aut rumpuntur, ſuperimpoſito folio braſſicæ vel hederæ, poſtea cum mucilagine ſeminis cydoniorum in*

aqua plantaginis extracta curantur. Oculus verò fovetur vel cum lacte muliebri, vel cum ſief albo, ſeu opio in aqua roſarum diſſoluto. Soleo ſubindè externè oculo applicare ſacculum cum floribus chamomillæ repletum.

Aqua florum cichorii. *In ophthalmia & pleriſque oculorum affectibus ſecreta eſt aqua ex floribus cœruleis de cichorio, quæ fit hoc modo: collige flores cichorii, quando ſolſtitium incipit, vel ſol principium leonis obtinet, recentes in vitrum inde & illud replendo etiam fortiter, quantum fieri poteſt, poſtea orificium diligenter claude (ſubere, vel veſicula quintupla) & circum circa applica farinam ſubactam, ex quâ panis pinſitur, ita ut tres vel quatuor digitos æquet. Iandem in clibano pinſe inſtar alterius panis, ſed tantùm maſſa illa eſt ſuper aſſerculum in clibano ponenda (ne rumpatur vitrum) & pro coctione fortiori relinque; donec panis eximatur, proſpice tamen, ut hæc maſſa benè cocta ſit. Exime & exprime, & invenies flores in aquam rubentem & pingviuſculam converſos. Hanc deſtilla per alembicum ex B. (aqua hæc niſi deſtillata ſit, non ſervatur) & hac in affectibus oculorum tantùm palpebras externè ſingulis diebus bis illine (ituro cubitum & manè) albugines, nubeculas, ungves, ſuffuſiones, caligo, imò ipſa cœcitas mirificè tolluntur.*

Ad inflammationem oculorum, dolorem, epiphoram:

℞. *aquæ roſar.* Collyrium.
euphraſiæ
verbenæ ana ℥j.
tutiæ præparatæ ʒj.
matris perlarum ſubtiliſſimè pulveriſatæ ʒij.

m. & uſus tempore præcipuè miſce probè inſtillando parum in oculum, nec non petias ex miſtura illa madentes extrinſecus applicando.

Principio ſive à causâ calidâ ſive à craſſis & flatulentis ſpiritibus nata ſit ophthalmia, præmiſſâ evacuatione per clyſterem ſeu lenitivum purgans, venæſectio aut cucurbitulæ ſcapulis applicandæ.

Hinc ſtatim ad corporis evacuationem die ſequente properandum, & ad pilulas cochias & lucis accedendum.

Interim ſtatim collyrium in oculos mittendum: ſolum ſcilicet lac muliebre recens mulctum cum aquâ plantaginis & pauco croco; hoc nimirum humores ab oculo repellit, antequam verò applicetur, prodeſt lavare oculos decocto fœnugræci, aut applicare pomum coctum cum pauco fœniculo ſub cineribus in forma cataplasmatis.

Repe-

Repetatur lotio & cataplaſmatis applicatio, dictique collyrii immiſſio ſæpius. Hinc ad alia collyria & ophthalmica properandum.

Quod ſi affectus hic per intervalla revertatur, purgetur patiens mercurio cum auro præcipitato, aliquoties.

Hinc vena ſecetur & adhibeantur ſequentia ophthalmica.

Occipitio quoque ſetaceum ſeu cauterium applicetur, aut fiat fontanella in brachio, nam hoc maximè ex capite & oculis revellit, & ab ophthalmia præſervat.

In doloribus oculorum folia nicotianæ applicentur, opiata hic vitanda externè, internè tantùm dari poſſunt.

Ad ardorem & ruborem oculorum cum dolore:

Ungventum.

℞. *butyri recentis novies in aqua roſarum loti* ℥ſ.
tutiæ præpar. ʒj.
camphoræ ʒſ.
m. & reſerva in vitreo vaſe & parum oculo indatur.

Ad inflammationem, & rubedinem oculorum, ut & puſtulas faciei rubras diſſolvatur ſacharum Saturni in aquæ euphraſiæ & roſarum ana, addito pauculo tutiæ præparatæ.

Ad caliginem, rubedinem, lachrymas & omnia ferè vitia oculorum valet aqua Crollii ophthalmica, & ſequens:

Aqua ophthalmica.

℞. *vini albi non adulterati,*
aquæ roſarum an. ℥ij.
ſachari candi albi
vitrioli purificati an. ℈iiij.
m. poſtea ex hac aqua ſuper cotem tere tamdiu digitum unum zingiberis, donec in aquam abſumptus fuerit, cola per chartam emporeticam per filtrum, tandem in ſpiritus vini cochl. ij. ſolve camphoræ tritæ ʒj. *m. cum priori, & eam probè ſervatam ad quævis oculorum vitia uſurpa, immittendo ſæpè guttam unam atque alteram.*

CAP. XXIX.

DE HORDEOLO, Germ. ein Gerſtenkorn.

Tam pueris quàm conſiſtentis ætatis hominibus perſæpè in palpebræ margine tuberculum quoddam oblongiuſculum, acuminatum, duriuſculum ac rubicundum pronaſcitur, calore, prurituque moleſtum, magnitudine ferè hordei granum æquans, unde quoque crithe quod hordeum ſonat, ac Latinè hordeolum nominatur, cujus adhuc aliam ſpeciem Authores faciunt albidiorem, quam grandinem appellant, at noſtro judicio unum & idem eſt, licet colorem ſubinde variet, nam & vari idem faciunt, ac nonnunquam rubei ſunt, interdum verò planè albicant, quæ diverſitas inde venit, quod rubei plus partici-

Crithe ſeu hordeolum. Ejus ſpecies.

pent de materia melancholica, albæ verò phlegmaticâ, ac ideo integri in ſpiſſum pus cedunt, rubei non item, ſed ſangvinem apertæ magis profundunt, exiſtimamus ergò hordeolum etiam nil aliud eſſe quàm varum palpebrarum, conſimili enim modo tandem ſuppuratur ut varus, ac concretam particulam puris in ſe continet, quæ non niſi expreſſa egreditur ob ſpiſſitatem.

Cauſæ. Cauſam hujus tuberculi eſſe victum phlegmaticum ac mucilaginoſum advertimus, uti ſunt carnes ſuillæ pingves ac aliæ adipoſæ, caſeus recens copioſè ingeſtus, poma cruda aliique fructus arborum, cereviſia craſſa, lacticinia ac imprimis cum farina in pultes cocta, & crebrò comeſta, & ſimilia.

Prognoſis. Prognoſticon ejus eſt quod nihil periculi inferat, ſed tantummodo ſuppuratur, expreſſumque per ſe conſolidatur, reverti tamen ſolet ei, qui ſemel eo laboraverit.

Remedia ejus ab Aetio traduntur diſcutientia, imponendum nimirum eſſe galbanum cum modico nitri ſubactum, vel ſagapenum ex aceto tritum, vel affricandas eſſe muſcas abſciſſo & abjecto capite. Plebecula autem ſolet tria grana integra hordei accipere, eaque averſâ facie trans caput tergum verſus in puteum præcipitare, & ſic hordeolum ei, qui ipſe ſuis manibus hoc remedium adhibet, evaneſcit ob fortem operationem ſuperſtitionis ut videtur. Uti & nos in pueritia dum abſque ratione ſvaſum ſtolidi vulgi ſequeremur, experti ſumus, at nuper dum rurſus hordeolū in ſuperioris palpebræ margine ſiniſtri oculi enaſcebatur, impoſuimus fruſtulum emplaſtri Apoſtolici, quo illud brevi emollitum & ruptum eſt, exeunte materia alba ſpiſſa, quo facto cito iterum ſanatum eſt. Obſervatio.

Præſtat tamen in ſanatione ejus corpus agarico vel aliis phlegmagogis evacuare, ac poſtmodum ſpecifica applicare ſupradicta, vel quæ habet

TEXTUS.

IN hordeolo hordeum (a) *jejuno ventriculo ſæpius maſticatum applicetur.*

(a) Alii hordeum & chamomillam in aqua decoqvunt, eoque decocto hordeolum fovent, quidam loco hujus decocti fomentationem inſtituunt cereviſiâ ex hordeo coctâ calidâ, ac poſtea hordeolum manè inungunt propriâ ſalivâ, & ſic curant.

CAP. XXX.
DE PROCIDENTIA OCULI.

QUando vi internâ vel externâ oculi, ſive pupilla, ſive uvea tunica à propria ſede commoventur, ac foras protuberant, vocatur is affectus procidentia vel expreſſio oculi, in quâ plerunque cornea tunica rupta vel eroſa eſt, vel ejus ligamenta laxata, ita ut duplici modo contingat, nempe vel violentâ propulſione, vel relaxatione, in utraque autem oculi de ſede ſua ſummoti extra calvam conſiſtunt.

Cauſæ. Cauſæ exitus oculi ſunt vel humores

mores pituitoſi vel acres ad oculos decumbentes, ac corneam tunicam vel lubricantes & emollientes, vel erodentes, vel nimius conatus in difficili partu aliâque fortiſſima aëris ſuppreſſione, quando nimirum urina laborioſâ cum difficultate redditur, vel alvi excrementa indurata vehementi niſu egeruntur, vel vomitio multâ cum vi ſpiritum commovet, idem quoque accidere poteſt in luctis athleticis ſuffocativis, vel inflatione ſupervehementi tubarum, nec non in ſtrangulatione, idque potiſſimum in his, qui partes laxas molleſque circa oculos obtinuere; denique vulnus illatum tunicæ adnatæ oculum intra retinentis, elapſionem hanc producere poteſt, uti quoque violenta oculorum excuſſio.

Curatio. Curatio inſtituitur cum cauſarum ablatione, ſi ergò evenit à vitioſis humoribus, ii ſubducendi veniunt convenienti purgatione, quemadmodum ſelecta ejusmodi cathartica ſupra in hoc libro edocta ſunt, quæ contingit à laborioſo partu, infra de affectibus matricis ſua remedia habet. In reliquis poſt ſangvinis miſſionem & purgationem prout opus videbitur, parcæque diætæ imperationem, applicantur cucurbitulæ in occipitio, oculi verò eminentes fomentantur decocto meliloti, chamomillæ & ſimilium, ac leviter comprimuntur, ut retrò in ſuum locum cedant, adhibitis ſimul aſtringentibus & topicis, de quibus jam

TEXTUS.

In procidentia (a) oculi (ut & ani) ℞. ſcarabæos in ſtercore equino natos, mortifica in vitro clauſo ad ſolem, benè exſiccentur, & fiat pulvis tenuiſſimus, qui ſervetur uſui: poſt mollificatas partes aſpergatur tenuiter, & fiat dextra repoſitio. Vide infra de procidentia ani. Experimentum.

(a) Eſt adhuc alia oculi procidentia, de qua Author non tractat, quæ fit per rupturam corneæ, uti vulgò appellatur, idque per eroſionem ab humoribus erodentibus, exulceratione, aut apoſtemate, vel per ruptionem corniformis tunicæ ab externis cauſis, nempe percuſſione, vulneratione, lapſu vel illapſione aut inſultione rerum acutarum vel aſperarum, & quocunque modo iſta ruptio accidat, tum enim pars quædam uveæ ſeu uviformis tunicæ prolabitur, quæ prolapſio proptoſis rhagoidis ſive uviformis tuniculæ procidentia appellatur, cujus quadruplicem differentiam Authores conſtituunt, quando enim ea procidentia eſt perexigua ac quaſi in primo gradu, tunc quippiam inſtar capitis muſcæ protuberat, ac proinde myocephalon nominatur. Quando verò major portio egreditur, tunc acinum uvæ repræſentat, ac propterea ſtaphyloma ſive uvatio vocitatur. Cùm autem integra uvea prolabitur, tum palpebras tranſilit, pomumque exæquat, atque eam ob cauſam melon ſive malum appel-

Proptoſis rhagoidis. Myocephalon. Staphyloma. Melon.

appellitatur. Quum verò totalis hæc proruptio jam inveterata eſt, callumque contraxit, clavus vocatur ob ſimilitudinem capitis clavi, quam exhibet. Læditur ergò in hoc affectu tam cornea quàm uvea, cornea enim eroſa vel rupta ſolutionem continui patitur, uveæ verò morbus in ſitu conſiſtit, ac totius oculi in figura, pupillæ autem in ſitu & figura, neceſſariò enim divulſionem ſuſtinet. Dignoſcitur hæc prolapſio oculi à phlyctenis vel puſtulis, eò quod illud quod prolapſum eſt, ſemper cœruleum vel nigrum videatur, ac in circuitu circa fundum prolapſæ partis labia perroſæ corneæ alba oſtendat, quod in phlyctenis non eſt, ſed ſimul undique nigram apparentiam faciunt, eò quod ſuperficiales exiſtant.

Clavus.

Ex iſtis autem quatuor differentiis ſive gradibus procidentiæ prima tantum nempe myocephalon curari poteſt; Secundæ tamen etiam ſpes curationis eſt, verùm ambiguæ & cum difficultate, ſi mox initio remedia adhibeantur, at ſi alborem callumque obduxit ſtaphyloma, extra omnem ſpem eſt, ſunt tamen ſecundum Aetium plures ſtaphylomatis ſpecies, interdum enim cornea tunica elevatur, & eminentiam acino uvæ ſimilem facit, idque vel ab humoribus intra ipſam cacervatis, vel ex puſtula aliquâ profundius inter ejus partes inhærente, neutiquam verò hæ duæ ſpecies corneam utut ita elevatam & tuberoſam rumpunt vel exedunt, ſed ſolam elevationem & non rupturam efficiunt, ac propterea id quod protuberat, cœruleo vel nigro colore non apparet, uti in vero ſtaphylomate, minùs ergò convenienter hæ ſpecies ſtaphylomati accenſentur, ſed merebantur potius inter puſtulas referri. Curatur myocephalon ac incipiens ſtaphyloma aſtringentibus, poſſuntque huc applicari quæ ſupra cap. 22. narrata ſunt, confirmatum autem ſtaphyloma curam palliativam tantum admittit minoris deformitatis gratiâ, idque ſolummodo operâ chirurgicâ, qui verò id fiat, apud Hieronymum Fabricium ab Aquapend. & Scultetum videre eſt.

CAP. XXXI.

DE MACULIS ET PUSTULIS OCULORUM.

HUjus capitis inſcriptio ſive titulus ſuperfluus videtur, cum eadem ferè ſuperioribus cap. 23. & 24. conſignata ſint, verùm cum adhuc aliæ maculæ ac impedimenta viſus, nec non ſuppurationis genus oculorum dentur, de iis hic agemus, cum alibi Author ea omiſerit.

Referri itaque huc poterit glaucoma ſive mutatio corneæ tunicæ, eſt autem glaucoma cryſtalloidis aut vitrei humoris in glaucum aut fuſcum colorem mutatio, eoque affecti exiſtimant ſe cernere per nebulam & fumum, & accidit, quando utriusque humoris ſubſtantia nimium craſſeſcit, ſpiſſiorque & ſiccior evadit, unde vitium hoc ſenibus perfamiliare & immedicabile eſt, ob naturalem humidi deperditionem, quam

Glaucoma quid?

quam provecta ætas ſecum fert; mutatur etiam ſubinde color corneæ tunicæ in alium non naturalem, nempe in flavedinem, nigredinem & viriditatem in ictero citrino vel nigro, eaque mutatio omnibus objectis quæ aſpiciuntur eundem colorem obducere videtur. Verùm ea mutatio corneæ non eſt glaucoma, quod ſemper glauci eſt coloris, nec in objectis innaturalem colorem repræſentat, præterquam quod turbidior aſpectus videatur.

Signa. Affectus hic dignoſcitur ex eo, quod circa pupillam notabilis quædam ac profunda albedo conſpicua ſit, quia verò etiam in ſuffuſione albedo in pupilla apparet, ideò unus affectus perdifficulter ab altero diſtingvitur, ſed potius ab Authoribus plurimis invicem confunduntur, hac tamen ratione ab invicem diſtingvi poſſunt, quod in ſuffuſione albedo in pupilla ipſa hæreat ac juxta corneam, in glaucomate verò magis in profundo ſita videatur. Cum verò hic affectus remediis non cedat, plura de eo verba non faciemus, ſed hæc eum ſaltim in finem hic brevibus complecti voluimus, ut ejus inter affectus oculares aliqualis mentio fieret.

Viſus imbecillitas. His annumerari poteſt viſus imbecillitas & debilitas, quæ extra ophthalmiam & ſupra deſcriptam obſcuritatem quibusdam oculis familiaris eſt, ita ut neque ſplendidum, neque inſigniter album, neque igneum colorem ſpectare poſſint, ſed à qualibet levi cauſâ acie videndi hebeſcant, ac lachrymas inter legendum longioremque ſcriptionem profundant, rhyadici tamen, ſive epiphorâ affecti non ſunt, cum illi ſine causâ illachrymentur, hi verò cauſam nempe ſuam debilitatem agnoſcant.

Sub debilitate viſus à quibusdam Authoribus etiam comprehenduntur & connumerantur myopia, nyctalopia & amblyopia. Myopia.

Sunt autem myopes qui à nativitate ita conformatos oculos habent, ut puſilla propè admota optimè conſpiciant, procul verò & cominus etiam magna perſpicere nequeant, legendisque & ſcribendis literis oculos propinquiſſimè adhibere opus habeant, cujus cauſa ab Authoribus aſcribitur raritati tunicarum oculi, vel humoris tenuitati & ſubtilitati ſpiritus viſorii, qui priusquam angulum faciat, diſſolvatur atque evaneſcat, verùm ſi exactè ejusmodi oculos introſpiciant, deprehendent eos omnes admodum amplas habere pupillas, non pauci etiam myopes inveniuntur, qui in juventute eminus probè ac rectè cuncta perſpiciunt, ſtudiis verò incumbentes, ac nimis crebrò lucubrantes, atque ad lucernas multum minutis literis ſcribentes cum tempore ita mutantur, ut non niſi propè admota oculis debitè cernant, ex eo quod multâ nocturnâ lectione & exaratione pupilla valdè dilatatur, quæ myopiæ vera cauſa exiſtit, ac medicamentis ſanari nequit, conſpicillis tamen ocularibus concavis adeò ſublevantur myopes, ut eorum interventu etiam procul exactiſſimè cernant, literasque

que impreſſas vel ſcriptas, quas aliàs vix ſpithamæ unius diſtantiâ diſtingvere valebant, per talia conſpicilla etiam ad pedes poſitas erecti legere queant.

Altera debilitatis viſus ſpecies eſt nyctalopia ſive nocturna cœcitas, qua affecti per diem rectè cernunt, ſole autem occiduo eorum oculi ſimul obſcurantur, ut parùm ac tempore noctis omnino nihil videant more gallinarum, paulò tamen melius cernunt tempore novilunii, quàm plenilunii, cauſa hujus vitii refertur ab Authoribus ad craſſitiem tunicarum, in quibusdam ad multitudinem humorum, vel ſpirituum confuſionem, vel cerebri defectum, nervorumque opticorum, videtur tamen in omnibus concurrere atra bilis, quæ calorem nativum debilitat, & noctu plus dominatur, ſunt enim ejusmodi patientes melancholici, & juxta mutationes lunæ gravius vel levius afficiuntur, ita ut hinc conjecturabile ſit, ob dominium melancholiæ & lunaticam frigefactionem ſpiritus eorum viſivos poſt occaſum ſolis torpeſcere, conjecturam auget genus remedii, ab omnibus enim Authoribus contra hunc affectum commendatur jecur hircinum aſſandum, defluentemq; inde humorem oculis inungendum, ac aſſum jecur cum ſale comedendum. Qui tamen ab aſſatione in veru deſtillans humor Rondeletio non ſatisfecit, donec jecur illud cum felle torruit, tum enim iſtam demanantem ſaniem ad cōmemoratum affectum efficaciſſimam deprehendit.

Nyctalopia.

Aliter ſe res habet in amblyopia, qua viſus ita debilitatur, ut unicum objectum intuenti appareant duo, cujus cauſa à practicis putatur nimia humiditas oculorum reflexionem ſpiritui viſorio faciens, ut pro uno duo cernat, poteſt etiam fieri ab impetu humorum tunicas tantillum ſaltem à ſitu ſuo detorquentium vel elevantium, ita ut uterque oculus uno intuitu non faciat exactam harmoniam, ſed quilibet peculiariter videat, unde neceſſariò viſio duplicatur, alterutro autem oculo clauſo alter oculus apertus manens rectè cernit. Horum remedia ſunt purgatio & exſiccatio ſuperfluorum humorum, & rectificatio ſpiritus viſorii per herbas & flores cephalicos & ophthalmicos.

Amblyopia.

Denique tam maculis quàm puſtulis cognatus affectus eſt hypopyon ſeu pus collectum inter corneam & uveam, quæ collectio ſecundum practicos fit vel per transſudationem, vel per congeſtionem, transſudatio poteſt contingere ab ophthalmia non benè curatâ, in qua ſubtilis quædam materia ad locum commemoratum penetrat, ac ibidem incraſſatur, ac puris naturam induit, congeſtio autem non rarò ſequitur contuſiones oculorum, indeque ortas ſugillationes, quæ poſtmodum ſuppurantur, colorque ſangvinis mutatur in albedinem, quæ nonnunquam totam pupillam contegit, ac viſionem remoratur, interdum autem iridem circundat referens figuram reſecti ungvis, quo nomine etiam appellatur.

Hypopyon.

Signa diagnoſtica.

Signa diagnoſtica hujus affectus deſumuntur partim ex prægreſſa oculi contuſione, vel ſugillatione, vel vehementi inflammatione ab ophthalmia, partim ex colore albicante, puris naturam repræſentante, qui etiam commoveri videtur, ſi oculus commovetur, adeſt quoque vehemens dolor, ſi ex inflammatione affectus eſt vel contuſione, qui etiam ante omnia ſedari debet, ſi admodum vehemens eſt, decocto meliloti, fœnugræci & lini, vel lacte recenter mulcto, & cum pane ſimilaceo decocto, ac poſt ejus ſedationem ad leviter diſcutientia progrediendum, ut ſunt flores meliloti, chamæmeli, mucilag. pſyllii & fœnugræci cum melle & pauco ſacharo, ſuccoque fœniculi, verùm inflammatione non præſente poſſunt remedia pterygii paulò poſt ſecutura etiam huc accommodari, in genere verò his affectibus conducit illud ſpecificum, quod tradit jam

TEXTUS.

Linimentũ ophthalmicum.

AD maculas, puſtulas & phlyctenas oculorum:
℞. *fell. anſerin.*
gallinar.
& piſcium ana part. æquales inde ea vitro, adde mellis modicum, f. limentum, quo oculi inungantur.

CAP. XXXII.
DE FISTULA OCULI.

Ægylops.

FIſtula oculi ortum ducere ſolet ab ægylope ſeu tuberculo inter majorem oculi angulum & naſi radicem exoriri ſolito, quod ante ſuam ruptionem anchylops, ruptum vero ægylops vocatur, merebatur tamen hæc duo nomina cum majori diſtinctione ipſi attribuere, cum duplicis ſortis videatur, nam interdum nullius inflammationis particeps eſt, ſed tumuſculum ſaltem excitat materiâ ſpiſsâ & viſcidâ pultem aut mel referente refertum, cujusmodi ſunt tumores phlegmatici nempe melicerides, ſteatomata, atheromata, ſcrophulæ & ſimiles, cui melioris differentiæ ergò perpetuò nomen anchylopis competere poſſet, nonnunquam verò cum inflammatione prorumpit in tumuſculum rubentem minutoque furunculo ſimilem, & dolorificum in ſuppurationem abientem, & poſt ſui ruptionem ulcuſculum facientem, quod haud raro perſanationem non recipit, ſed ſinuoſum exitum præbet, & per eum affluxum perennem ſuppeditat, atque ſic in fiſtulam degenerat, quæ ob perpetuam tenuis humiditatis exſudationem lachrymalis appellatur.

Anchylops.

Fiſtula lachrymalis.

Congenera ſunt hiſce adhuc duo alia vitia, nempe rhyas & encanthis: Rhyas eſt abſumptio vel imminutio vel exeſio carunculæ anguli majoris, encanthis verò eſt iſtius carunculæ immodica eminentia ſeu luxuria.

Rhyas. Encanthis.

Cauſa rhyadis eſt plerunque humor depaſcens è fiſtula lachrymali, abſumens hanc carunculam, ex quo angulus latior fit, & effluxio humiditatis lachrymalis major ſublato obturamento, ejus inhibitivo. Poteſt

tamen etiam ab aliis cauſis ejusmodi abſumptio provenire, nimirum ab humoribus catarrhoſis acribus & depaſcentibus iſtorſum ruentibus, vel à medicamentis cathæreticis pro fiſtulæ curatione intempeſtivè applicitis.

Cauſa verò encanthidis eſt ſangvis redundans à diæta ſangvifica ubertim generatus proferens in ea parte carnem luxuriantem, uti quoque in vulneribus & ulceribus fit, quod diæta nimium ſangvifica mox in eis carnem ſuperfluam producat.

Remedia. His affectibus ſequentia remedia conveniunt: Primum ægylopi incipienti præpedienda eſt via ſuppurationis per venæſectionem & purgationem, atque alicujus repellentis in fronte applicationem, cujusmodi optimum eſt ſacharum Saturni in aqua roſarum diſſolutum, & intinctis panniculis huic vel cuilibet inflammationis inceptioni affotum.

Repellente ejusmodi celebrato adhibenda veniunt reſolventia, cui uſui inſervire poteſt ceratum Amati Luſitani contra ægylopas, ita conficiendum:

Ceratum contra ægylopas.

℞. Aloës lotæ
thuris
myrrhæ an. ʒſ.
ceruſſæ
ſangv. dracon.
ſarcocollæ an. ʒiij.
teſtarum cochlearum pulveriſat. ʒij.
gummi opopan. in aceto ſoluti
lap. hæmatit. an. ʒiſ.
croci ℈ij.
ceræ
reſinæ an. ℥iij.

miſce omnia ad ignem, fiatque ſecundum artem ceratum.

Sequens etiamnum potentius reſolvit & diſſipat:

℞. Maſtic.
thuris maſculi an. ℥j.
ſantali rub. ℥ſ.
croci oriental. ℈iſ.
flor. chamæmeli
roſar. rub. an. m. j.
f. omnium pulvis ſubtiliſſ. probè permixtus; tum ℞. ceræ ℥ſ.
Axungiæ cerv. ℥j.
ol. chamæmel.
baccar. junip. an. ʒſ.

F. ſ. a. emplaſtrum quod ſuperinductum panno & dietim bis ſuperpoſitum tumores quosvis à defluxionibus oriundos, imprimis verò circa pudenda extirpat, omnem ſangvinem ſubcutaneum diſſolvit & exigit, eſtque ſingulare ad eriſypelas, ac quamvis inflammationem diſſipat.

Si verò ejusmodi reſolventia fortè ex neglectione in tempore adhibita non fuerint, ſuppuratioque procedat, ea procuranda eſt maturativo, nempe empl. apoſtolico vel alio, nihil autem ferè tam citò maturat & rumpit abſceſſus, ac cæpæ ſub cineribus coctæ, contuſæ & cum portiuncula ſaponis illius nigri molliuſculi & pingvedinis lardi ſubactæ, & per modum cataplaſmatis ſuperligatæ. Rupti abſceſſus optimè ſanantur dicto empl. apoſtolico.

Si verò degeneraret in fiſtulam, ea tractanda & ſananda eſt modo curationis fiſtularum infra edocendo.

Rhyadis verò remedia conſiſtunt in

in ſarcoticis & conſolidantibus ex. gr.

Collyrium.

℞. flor. malvæ arboreæ ſiccator.
roſar. rubr. an. p. j.
ſangv. dracon. ʒj.
thuris
aloës an. ʒß.
aq. plantagin. ℔j.

bulliant ad caſum transverſi pollicis f. collyrium.

Encanthis aufertur exedentibus medicamentis illis quæ aliàs luxuriantem carnem abſumunt, cujusmodi ſunt alumen calcinatum, caput mortuum vitrioli, ejusque oleum melli ſubmixtum & ſimilibus, antiqui eam ferro abſcindebant non autem totam, ſed ſaltem ſuperfluam partem, quod etiam in adminiſtratione exedentium vel cauterii potentialis obſervandum, ne nimirum tota caruncula abſumatur, alias fieret inde rhyas.

Sequitur jam medicamentum pro fiſtulis, quod proponit

TEXTUS.

Ungventum.

℞. ſulphuris vivi
aceti fortiſſimi
aluminis
ſalis an.
radic. lapathi acut. recent. ℥ß
f. ungventum bis terve in die inungendum.

CAP. XXXIII.
DE UNGULA, NEBULA ET PTERYGIO OCULORUM,
Germ. ein Fell der Augen.

PLures Authores ſollicitas diſtinctiones faciunt inter pannum, ungulam, pterygiumque, alii verò diſtinctiones iſtas ſusque deque habent, cum in curatione non differant, afferemus tamen deſcriptionem, uti à plerisque diſtingvuntur.

Pannus. Sebel.

Pannus ergò ſive ſebel Arabum eſt affectus tunicæ adnatæ maximam habens affinitatem cum ungve ſive ungula ſive pterygio Græcorum eandem tunicam occupante, differt tamen à dicta ungula, eo quod ungula ſit nerveum quid ſine venarum repletione, exoriens à lachrymali domeſtico ſive angulo oculi majore, operitque oculum in forma ſagittæ, pannus autem obtegit totum oculum ſive tunicam adnatam, vel etiam corneam inſtar panni rubei viſcoſi cum venulis intertexti, quam ob rationem etiam ei nomen panni ſive panniculi impoſitum eſt, propter ſimilitudinem, quam cum eo obtinet, habet autem plures differentias, ita ut modò ſit mollior vel durior, jam major vel minor, recentior, vel confirmatior &c.

Ungula. Pterygium.

Ungvis.

Ungvis ſive ungula è contra eſt ut dictum membranula nervoſa pronaſcens ab angulo oculorum, nec rarò ad pupillam ſe explicans, eamque adaucta cooperiens, initium plerunque ſumit ab angulo majori juxta naſum, perrarò à minori, atque etiamnum infrequentius à ſupernâ vel infernâ parte.

Unum & idem tamen eſſe arbitramur quamvis ſpecie & colore interdum paululum variet, ac modò albicet contiguumq; appareat, in aliis vero rutilet ac venulis multis in-

tertextis ſe conſpiciendum præbeat, ludit enim natura etiam in multis aliis rebus unius ejusdemque ſpeciei, ita ut in una arbore poma alba & rubra pendeant, fungi etiam in uno loco creſcentes, jam albi nunc flavi, rutilive parvi & magni evadant, quamvis ex uno terræ ſucco ſuccreſcant, idem itaque in oculis fieri poſſe, atque ex eâdem lachrymoſa humiditate oculorum tam albos quam rubeos panniculos pronaſci veriſimile eſt.

Cauſæ. Cauſam hujus affectus Authores ſtatuunt exulcerationem carnis, quæ in angulo eſt oculi, aut adnatæ tunicæ, cujus ſcabritiem & inæqualitatem à dicta exulceratione provenientem natura facultatis nutrientis ſtudeat complanare & æquare, eumque in finem copioſiorem ſangvinem affundere, eique incrementum præternaturale producere, ac quoddam veluti tegumentum ingenerare, quum autem malè affectus oculus quàm plurima excrementa alliciat, ideò non purum ſangvinem ſed plura permixta excrementa ad generandum ungvem concurrere, indeque tot ejus variationes emergere, ut modò albus, nunc citrinus, mollis, durus, ruber, fuſcus, facilè deglubilis, vel tenaciter adhærens inveniatur.

At noſtro judicio tota hæc diverſitas ex ſimplicibus lachrymis provenire poteſt, quæ etiam nil aliud ſunt quam ſuccus corporis, qui ſuccus, vel limpida lympha etiam in aliis locis variè mutatur, in digitis enim manuum & pedum fiunt ex eo duri clavi, in locis oſſeis, nattæ (Uberbein) in dorſo & pectore gibboſitas, in collo ſtrumæ, atque hæc omnia ex compreſſione, quidni ergò etiam in oculis aliqua illata vis vel compreſſio duriusculam excreſcentiam producere poterit?

Prognoſtica. Prognoſis ejus eſt, quod ungula recens non adeò difficulter curari poteſt, ætatem verò agens non niſi operâ chirurgicâ cedit, requirit tamen ea ungula, quæ curabilis eſt, etiam longum tempus, eò quòd ob exquiſitum oculorum ſenſum affectus acribus medicamentis oppugnari nequeat; ungvis autem aliquam acredinem ob ſui attritionem expoſtulet, aliàs non cedit. Quò magis ergò iſta acria diluuntur & temperantur, eò tardius operantur, atque eò longius ſpacium expetunt.

Curationis ſcopus. Curationis norma conſiſtit in univerſali evacuatione & obſervatione exactâ diætæ, cujusmodi ſupra ad ophthalmiam propoſita eſt. Poſtmodum deveniendum ad ſpecifica experimenta, de quibus jam

TEXTUS.

Specificum lucii piſcis. *AD ungves, nebulas pterygia oculorum feliciter adhibetur ſpecificum lucii piſcis:* ℞. *fellium luciorum q. v. deſtilla in cucurbita usque ad craſſitiem, in aqua deſtillata ſolve aliquid camphoræ, & poſtea ſerva, craſſitiem relictam extrahe cum ſpiritu vini, & ſpiritum vini viciſſim ab extracto per deſtillationem ſepara. Hujus extracti & ſalis Saturni*

turni ana granum unum diſſolve in prioris aquæ guttis tribus vel quatuor, ac cum pluma in oculum manè & veſperi immitte, videbis felicem progreſſum.

qua albuminis ovorum. *Alia aqua ex albumine ovorum præſtantiſſima præparatur, quæ qualiacunque vulnera citra aliquam cicatricem conſolidat, eſtque magnarum virium. Coquantur ova ad duritiem, dein per medium diſſectis* (ungeſchelet) *ovis eximantur vitelli, poſtea cum quibusdam albuminibus ad duritiem coctis, & tenuiter quaſi in pultem cum cultello ſectis cavernas reliquorum ovorum comple, partibusque debitè conjunctis & filo colligatis in cucurbita præcisè in medium ex filo ſuſpende, ne ſpondilia ab iis tangantur. Obſtructo orificio cucurbita in M B. collocetur & coquantur, videbis albumina liquefacta paulatim in liquorem deſtillare, quem probè ex fundo cucurbitæ collectum (eſt nimirum ſatis exiguus) ad vulnera oculorum recentia cum pennæ pluma ſæpius applica. Ad reliqua quoque attende, quæ ab inflammationibus externis oculos muniunt: non dubium eſt, quin quævis oculorum vulnera violenter impreſſa, præſertim ſi ſolutio continui adfuerit (modò cryſtallinus humor cum retinâ tunicâ non læſus fuerit) citra viſus deperditionem ſanari posſint.*

CAP. XXXIV.
DE SUFFUSIONE,
Germ. der Stahr.

Suffuſio. Hypochyma. Aqua. Cataracta. SUffuſio, hypochyma, hypochyſis, aqua, cataracta unum affectum ſignificant, nempe collectionem & concretionem humoris lenti vel in pupillam vel inter rhagoidem tunicam & humorem cryſtallinum, quâ ſpiritus viſivi per pupillam prodire impediuntur, putant quidem nonnulli, ipſum humorem cryſtallinum nonnunquam condenſari, & ſuffuſionem parere, verùm id experientiâ non comprobatur, quæ compunctione inveteratam ſuffuſionem tollens, eam ab excrementitio humore provenire deprehendit, aliàs nunquam curari poſſet, ſed totus humor cryſtallinus condenſatus mera ſuffuſio eſſet. Qui verò contendunt, ſuffuſionem diverſos gradus habere, quorum cuilibet diverſa denominatio competat, eumque in finem diverſa jam propoſita nomina excogitata eſſe, cum ipſis quidem non litigabimus, facit enim ad meliorem diſtinctionem, ſi diverſis affectus gradibus diverſa nomina imponantur, uti quibusdam placet, qui incipientis ſuffuſionis primum gradum viſus aciem jam leviter obſcurantem variasque imagines oculis objicientem, ſuffuſionem nominant.

Augmentum verò ejus, in quo quippiam in pupilla collectum apparet, aquam appellant. Cum autem

omninò fuerit confirmata, manifeſtè pupillam obducens, tum cataractæ nomen ei attribuunt, ſuffuſio tamen ſive hypochyma, eſt generale hujus affectus nomen, ſive incipiat, ſive in ſtatu exiſtat, unumque vel ambos oculos invadat, uti veræ ſuffuſioni ſolemne eſt.

Præter hanc adhuc alia ſuffuſionis ſpecies eſt, nempe ſuffuſio ſpuria ſive non vera, quæ ſemper ambos oculos ſimul afficit, & eodem modo imagines, muſcas, culices, lineolas, aliaque velut in aëre volantia corpuſcula oculis objicit ut in verâ, differt tamen à verâ, quod obverſationes ejusmodi oculorum in falsâ obtingat ſemper utrique oculo, ac interdum remittat, in verâ autem hoc non ſemper fit utrique oculo, ſed crebrius alterutri, & ſi affectus oculus claudatur, tunc alter oculus niſi unà laboret, ejusmodi imagines non videt, & qui eas cernit, ſine remiſſione ita pergit indiesque deterius afficitur, donec patiens confirmato affectu denique viſu iſtius affecti oculi privetur.

Cauſæ. Cauſæ ſuffuſionis ſunt: humores pituitoſi, ac temperamentum phlegmaticum ejusmodi humores cumulans, qui poſtmodum ad debiliorem partem facilè decumbunt, oculi verò in quibusdam vel nativâ vel affectitiâ conſtitutione debileſcunt, ac defluxiones promptè recipiunt, nativam debilitatem obtinent oculi humidiores, prominentes, glauci, cæſii, adventitiam verò ex multis crapulis, lucubrationibus, lectionibus & ſcriptionibus ad lucernam, nimia exercitatione in venereis palæſtris, aſſiduâ inſpectione ſufflatorum ignium, uti fit conflatoribus vitrorum, fuſoribus metallorum, fabrisque ferrariis, item involatione rerum acrium & mordacium, vel vaporoſarum & fuliginoſarum, ut ſunt calx viva, pulveres, fumi, venti & imprimis auſtrini, habitatio in locis uliginoſis, pluvioſis, vel ſubterraneis, admotio cæparum, porrorum, raphanorum & conſimilium oculis inimicorum.

Signa. Signa ſuffuſionis primum incipientis ſunt: corpuſcula varia oculis obvolantia, ſpecie muſcarum, filamentorum, culicum, nubecularum, lineolarum, telarum aranearum, aliarumque rerum atrarum vel fuſcarum, interdum etiam ſubſplendidarum, nonnunquam etiam aſpicientibus lucernas halones circa eas apparent, procedente autem tempore, humore ſuffuſionis magis craſſeſcente viſus magis magisque deficit, ſpeciesque viſibiles incipiunt ex parte ipſum effugere, vel alieno colore ipſi apparere, donec viſio planè diſpereat, manente pupillâ albâ.

Differentia. Differentia autem inter veram & falſam ſuffuſionem his ſignis pateſcit: quòd nimirum legitima ſuffuſio alterutrum oculum ferè afficit, aut ſi utrumque, non tamen planè conſimili modo, unâque inceptionis vice, quod tamen in ſpuriâ ſemper ita obtingit.

Deinde in legitima obſcurum quid ſeu tenebroſum in pupilla apparens eſt, non item in ſpuria, quanquam hoc ſignum non ſemper ſit firmum,

firmum, tenuis enim & aquoſus humor ſuffuſionem producens ejusmodi mutationem vix excitat ob ſuam tenuitatem & aqueam perſpicuitatem, inexercitati autem medici eo falluntur ſuffuſionis differentiam ignorantes, putantque eſſe guttam ſerenam, quando non vident in pupilla alterationem conſpicuam, accuratâ tamen inſpectione diſcrimen agnoſcitur, eò quod in gutta ſerena viſus deficit, abſque læſione in oculo obſervabili, in iſtâ verò ſuffuſione levis ſaltem viſus imminutio fit, ob diaphanitatem & tenuitatem humoris aquei eam producentis, quam inſtar vitri ſpecies objectorum facilè permeant. Dignoſcitur quoque ex hoc, quod plerunque in ſuffuſione videndi acies non ex omni pupillæ parte æqualiter læditur, ſed nonnunquam anterius, interdum ad latus alterutrius anguli melius cernit, ob majorem vel minorem humoris ſpiſſitatem vel tenuitatem in una pupillæ particula quàm in altera.

Porrò in verâ ſuffuſione non fit mutatio vel intermiſſio ſymptomatum, quod tamen in ſpuriâ contingit, ita ut uno tempore melius vel deterius cernant quàm alio, pro majori vel minori transmiſſione vaporum à ventriculo vel utero, unde plerunque hæc ſpuria ſuffuſio provenire ſolet, at in legitima defectus viſus, quo æger ſemper ſe per nebulam aut ſpiſſum vitrum cernere arbitratur, perpetua eſt & invariabilis.

Tandem ſpuria vix abit in cœcitatem, ſed non rarò per multos annos ejusdem qualitatis eſt, uti ab initio fuit, at ſuffuſio intra breve temporis ſpacium ad ſex circiter menſes confirmatur vel breviori, tumque color pupillæ immutatur, ac nebuloſa, vel turbida vel cœrulea apparet, ac tandem albicat cum integra viſus deperditione, & ſuffuſione abſolutè confirmatâ.

Prognoſticon ejus juxta diverſitatem variat, incipiens enim in juniori ætate oculisque non admodum debilibus exiſtentibus curari, ac medicamentis digeri poteſt, non item quæ incrementum ſumpſit, ac inveterata eſt, quippe quæ manu chirurgica curari debet, ſiquidem curabilis ſit, non enim omnes compunctione curari queunt, ſed aliqui tantùm, quos ab incurabilibus his ſignis juxta practicos diſcernere licet. Enim verò jubent ſuffuſum ex adverſo medici ſtatuere, alteroque oculo clauſo eum altero aperto intentè aſpicere, qui ſi mox clarior reddatur, ſignificet, plurimum lucidum ſpiritum eò ferri, atque oculum illuſtrare, caliginemque illam obductam evincere poſſe, ſi verò turbida permaneat, ſignum eſſe viſivum ſpiritum non ferri ad oculum, vel propter nervi obſtructionem, aut oculi debilitatem, vel turbidum craſſumque eum eſſe, adeò ut viſionis claritudo non reditura ſit, etiamſi ſuffuſio auferretur. Quibus etiam altero oculo clauſo, alterius pupilla dilatetur, eis ſpem eſſe reviſionis per compunctionem. Quos verò hæc dilatatio deſtituat, horum neminem unquam revidiſſe. Prognoſtica.

Diſcerni

Diſcerni etiam curabiles hoc modo, ſi aqua pupillæ ſuffuſa digitis inſigni quadam frictione ab ejus loco ſeparetur, & poſtmodum brevi intervallo ad eundem locum refluxerit, hos enim punctionis regimine exactè celebrato curatum iri, ſi non, non. Excuſari etiã à manus adhibitione ſuffuſiones glauceſcentes, gypſeas, plumbeas, nigras, & multum citrinas, virideſcentes verò, vel cinereitate, vel perlarum albore coloratas manum poſcere, dummodò non nimium ſint inveteratæ & congelatæ, ægritudine enim ad ſummum prorogatâ ægrum excœcari, pupillamque ad candidum colorem ſine ullo penitus ſplendore mutari.

Suffuſio autem non vera curatur adhibitis eis partibus præſidiis, à quibus vapores oculis transmittuntur.

Curationis ſuffuſionis legitimam methodum præſcribit noſter

TEXTUS.

SI hypochyma adſit incipiens (facta nimirum ſuffuſio & confirmata ſolius ocularii chirurgi ope curari poteſt) niſi adſit plethora, vena ſecanda non eſt, ne refrigeretur cerebrum, & poſtea materiam largius cumulet, & in oculum transfundat, ſed potius materia concoquenda eſt & educenda, viſus & caput confortandum, & ne vapores è ventriculo ad caput adſcendant, cavendum. Unde pulveres poſt cibum præſcribendi ex confectione ſeminis fœniculi, ſummitatibus euphraſiæ, vel tabellis cum oleo fœniculi & aqua euphraſiæ, aut extracto ejus, & ſi neceſſitas urgeat, veſicatorium occipitio aut cauterium apponatur, quod ad minimum ad ſex menſes teneatur apertum.

Adhæc collyriis ſequentibus utendum, quæ antequam oculis indantur, non inutile erit fovere oculos ſacculo ſequente aqua calida immerſo.

℞. fœnugræc. aq. frigida loti ℥iſ. Sacculus.
ſem. lini ℥ſ.
malvæ
althææ an. ℨij.

terantur, & pannis lineis raris includantur inſuanturque.

Ad collyria autem oculis immittenda (a) *mirè proſunt aqua mellis, euphraſiæ, rorellæ, chelidoniæ, fœniculi, valerianæ, ſuccique dictarum herbarum per ſe depurati, quæ vel ſolæ adhibeantur, vel inter ſe permiſceantur, adjunctâ pauculâ aquâ roſarum, lacte muliebri, decocto fœnugræci cum collyrio albo, croco & tutia præparata.*

Si eroſio vel vulnus ſubſequatur & adſit, ſtupendum hocce ophthalmicum, oculos ad deſperationem usque læſos reſtituit virtuoſiſſimè, ejusque vulnera ſpatio 24 horarum glutinat:

Collige ſuccum florum & foliorum chelidoniæ, ejusq; bonam Ophthalmicum.

quan-

quantitatem in B. M. digere, ut ſponte ſuâ depuretur, donec nempe omnes impuritates ad fundum dejectæ fuerint, deinde ℞. menſe Junio, ſole & luna exiſtentibus in cancro, cancros fluviatiles n. XX. reſectiſque extremis ſeu durioribus pedibus, & caudarum cruſtis, contundantur in mortario, ut ſuccus inde exprimi poſſit, quem chelidoniæ ſucco depurato conjunctum deſtilla ex B. M. & reſerva uſui. Eodem tempore collectionis alium cancrum vivum integrum, & nullâ ſui parte mancum in ollam inditum exſicca in clibano, usque dum teri poſſit, exſiccatum reduc in pulverem tenuiſſimum & ſubtiliſſimum, tum per incerniculum optimum trajiciendo. Hujus pulveris exiguam quantitatem ex canaliculo pennæ præcisè in vulnus oculi inſtilla, atque ita relinque per horas 24. ſuccedente tempore eandem tantum aquam ſine pulvere prædicto ſæpius immitte, lavando & eluendo omnem purulentiam, quæ tamen vel nulla, vel admodum exigua apparebit, & optatus certè finis ſubſequetur.

Experimentum. *(a)* Inter collyria ad ſuffuſionem præcipuus eſt ſpiritus vini, ita per ſe linteolis duplicatis dietim, bis terve vel quater oculo ſuffuſo impoſitus, continuato ejus uſu per integrum menſem, indubiè enim ſuffuſionem detergit & abſumit, etiam eam quæ jam planè viſum impedit, non tamen neglectis interim quæ fluxionem ab oculis revellant & ad ventrem deturbatam expurgent, cujusmodi ſunt pilulæ lucis, vel de ſuccino Cratonis, ſæpius ad purgationem adhibitæ.

Vidimus etiam puellam quæ convaluit ab hac paſſione inſufflato aliquoties pulviſculo ex capite felis nigræ peruſto parato. Obſervatio.

CAP. XXXV.
DE SUGILLATIONE OCULORUM.

SUgillatio ſeu hypoſphagma, ſeu oculorum macula eſt affectus ocularis, in quo ſangvinea puncta in quadam parte laborantis oculi conſpiciuntur, nimirum in exterioribus tunicis ſcilicet adnata & cornea, Græci hunc affectum vocant hypopion (non hypopyon; quod ſupra cap. 31. deſcriptum eſt) & hypophthalmion, eſtque ex genere effuſionum, quæ ecchymoſes & ecchymomata appellantur, & à quibusdam rubea macula, ab Avicenna verò Altarfati nominatur, quo nomine intelligit punctum ſive maculam ſangvinolentam ex ſangvine recenti rubeo, vel antiquo mortuo in conjunctivam effuſo, cujus color vel rubeus eſt vel ſubrubens vel nigricans, tumque à quibusdam ſangvis mortuus vocitatur. Hypoſphagma. Macula. Hypopion. Hypophthalmion. Altarfati. Sangvis mortuus.

Signa ſugillationis ſunt in propatulo, oculus enim læſus cruentus apparet, ac poſtmodum liveſcenti- Signa.

bus nigricantibusque maculis conſpiciendum ſe præbet, ipſi verò patienti cuncta objecta rubicunda videntur.

Cauſæ internæ. Cauſæ internæ immediatæ ſunt vaſorum ruptio vel apertio, nimirum venularum vel arteriolarum per exteriores oculorum tunicas extenſarum, contingens vel ex nimia vaſorum repletione, vel ebullitione à fervore vel incaleſcentia corporis excedente oriundâ; Externæ. Externæ ſunt violentus ictus vel plaga vel contuſio oculorum, vel intenſa aſperitas frigiditasve aëris ambientis, venulas ejusmodi conſtringendo rumpens, externæ facilè ex relatu ægri percipiuntur, internas ſcrutinante rationis conjectura aſſequi oportet.

Prognoſis. Prognoſis ejus talis eſt, quod niſi confeſtim ad curationem properetur, antequam ſugillatio recens denigreſcat, ſangvisque grumeſcat, difficilimè poſtmodum diſcutitur, tardatione enim oculus liveſcit & denigratur, viſumque oppidò obſcurat, aliaque ſymptomata graviora parit, non raro quoque ſuppuratur, præcipuè ſi aliquantulum copioſior ſit ſangvis ſubeffuſus, fitque perdifficilis curationis.

Curationis ſcopus. Curationem in plethoricis aggrediuntur venæſectione & purgatione, affectum autem locum ut alios ictus tractant, applicando vel caſeum recentem vel ſangvinem recentem columbinum illinendo, collectum ab extractis earum pennis tenellis in extremitate ſangvine plenis, inveteratæ ſugillationi fortiora diſcutientia applicanda veniunt, uti ſunt raphanus, raſura recentis bryoniæ, hyſopus, ſuccus chelidonii majoris & ſimilia. In jam nigricantibus valet nucleus juglandis jam rancidus oleoſusque commanſus, præſertim concurrente adhuc jejunantis ſaliva, & cum melle ſubactus, ægro ſupino per tres horas ſuperligatus, & poſtmodum reinnovatus, cujusmodi vulgaria etiam tradit.

TEXTUS.

Hypoſphagma oculi tollunt ſummitates hyſſopi, aqua ſimplici cocta, & in nodulis oculis tepidè applicata. Item radix ſigilli Salomonis conquaſſata, oculo partibusque vicinis in forma cataplasmatis appoſita. Vulgo ſangvinem è plumis columbarum pullorum (a) *expreſſum calidè oculo indunt.*

(a) Imò & aliarum avium nempe palumborum, hirundinum, quam quidam cæteris præferunt.

Ad rubores tollendos utile ovum ad duritiem coctum per medium diſſectum oculo per noctem calidè apponere.

CAP. XXXVI.

DE AFFECTIBUS AURIUM, AC PRIMUM DE PHLEGMONE ET ULCERE.

Quantum Creatoris beneficium ſit auditus benè valens, ex miſeria eorum qui ſurdi nati ſunt, addiſcimus, non modò enim nihil

nihil audiunt, ſed etiam omni ſermonis uſu privantur, ac per omnem vitam muti manent, ingens quidem calamitas cœcitas eſt, his tamen opera Dei narrari, & via ſalutis per ſermonem monſtrari poteſt, at ſurdis & mutis nihil horum, neque enim aliis ſuam mentem aperire, vel ab aliis quicquam percipere poſſunt, pejoremq; brutis vitam tranſigunt, ſemper ergò Creatori ſuo homo auditu donatus gratias confiteri debet, pro hoc ingenti dono auditus, eoque libenter verbum & præcepta Dei audire & obedire, cum verò ingratus homo munus ſuum gratitudinis planè omittat, & ne milleſimus quidem inveniatur, qui ſpeciales propter acceptum auditus beneficium Deo gratias agat, propterea absque dubio conſtituti ſunt caſtigatores, nempe variæ ægritudines auditus, admonentes hominem reſipiſcere, & ni hoc faciat, doloroſitate ſuâ temporariâ futuros æternos dolores inferni in memoriam revocant, ingrato & inobedienti peccatori prædeſtinatos.

Sunt autem inter varias auditus auriumque noxas præcipuè iſtæ: nimirum læſiones membranarum auditus, quę facilimè læduntur, ventis, frigore, aquâ, irreptione beſtiolarum, fumis venenatis, & imprimis argenti vivi & arſenici aliisque ab extra lædentibus, intrinſecus autem fiunt læſiones ab humoribus, parientibus inflammationes ac dolores, ſordidaque ulcera, fiſtulas, purulentiam ac graveolentiam, obauditiones ſonitusque incertos, murmura, ſibilus, tinnitus, gravitatem & tarditatem auditus, ac ſurditatem, verminoſitatem aurium, & circa eas erumpentes parotides, ſunt autem affectus aurium longè difficilioris curationis ocularibus, cùm ob ſitum ac figuram organi, partesque præcipuas ejus abſconditas, tum propter attingentem viciniam cerebri, acutiſſimumque ſenſum auditus, facilimè irritabilem.

De auribus loquitur graviſſimus Hippocrates ſequentibus locis.

Nuper nati infantes habent aures humidas. lib. 3. aph. 24
Auditus hebetatur ab auſtrina conſtitutione. 3. 17
Auſtri auditum hebetant. 3. 5
Aquilonia conſtitutio auditum valentiorem reddit. 3. 17
Gravis auditus eſt ſenibus familiaris. 3. 31
Auditus deficiens in febribus continuis eſt ſignum lethiferum. 4. 49
Auditus obſurdescens ſolvitur fluxu ſangvinis per nares. 4. 60
Surditas in febribus ſolvitur bilioſâ dejectione. 4. 28
Bilioſa autem dejectio ſurditate. 3. 28
In acutis febribus non audiens eſt morti proximus. 8. 16
Auris dolor acutus cum febri continuâ valdè periculoſum. lib. 3. præſag. 15
Paritque delirium. 3. 15
Nec non mortem. ibid.
Juniores eo moriuntur intra dies ſeptem. 3. 16

Seniores verò multo tardius. ibid. jam inſtitutum noſtrum pertractemus

DE PHLEGMONE ET ULCERE AURIUM.

Phlegmone aurium.

AUres non minus ac aliæ partes, quæ nutriuntur à ſangvine, inflammationem & ſuppurationem patiuntur, ejusmodi inflammatio eſt phlegmone hæc, de qua præſens caput agit, eſtque affectus acutus ſemper comitem habens febrem nunc mitiorem, nunc vehementiorem pro majori vel minori inflammatione, quæ ſi major ſit, etiam delirium excitat & mortis periculum.

Solet itaque phlegmone ſive inflammatio aurium interiores auris partes occupare, nempe vel eas, quæ auditorii inſtrumenti compoſitionem ingrediuntur, vel vicinas, iterumque inſtrumentales partes afficiens, exteriores ſaltem apprehendit, vel intimiores, ita ut inflammatio ad nervum usque auditorium pertingat, quæ ſollicitè diſtingvere oportet, quandoquidem tam magnitudine periculi, quàm curationis diverſitate admodum differant.

Signa.

Signa diagnoſtica hujus affectus ſunt ejusmodi: patiens in aure affecta percipit dolorem pulſatilem gravitatem, ac tenſionem, cum febri & forti arteriarum pulſatione, ac faciei rubore, qui plerunque ad malas & tempora protenditur, tum etiam exactè in aurem introſpicienti, interna pars ad lumen tumere & rubere videtur, niſi nimium profunda & abdita ſit phlegmone, caputque univerſum ſimul eſt calidum & inflammatum, idque eò magis, ſi plus ad interiora vergit inflammatio, quanto enim ea intimior eſt, tanto fortior fit calor, & pulſatio, periculumque majus, ac acerbior dolor.

Cauſæ hujus affectus ſunt: fervor & copia ſangvinis cum bilis admixtione, nimia calefactio corporis à ſole, vel exercitiis, iracundia, ſubitanea permutatio ambientis caloris in frigus & vice verſâ, & ſimiles. Cauſæ.

Prognoſis hujus affectus in hunc modum ſe habet: quod nimirum in omni aurium vitio gravius periculum impendet, quàm in affectibus oculorum, ſicque aurium inflammatio longè perieuloſior eſt oculorum inflammatione, idque imprimis in junioribus, & ubi inflammatio profundius inhæret, nervum enim auditorium prehendit, mortemque in junioribus accelerat, antequam phlegmone ſuppurari queat, nervus enim internam auris ſuperficiem attingens acuta ſenſilitate præditus vehementem doloris perceptionem efficit, cerebrumque in conſenſum pertrahit, unde febris incrementem, delirium & mortis diſcrimen. Si verò dolor diutius protrahatur, abit affectus in ſuppurationem, juxta Rhaſem, qui dicit: *Si per dies tres dolor perduret, nec ſedetur, tunc phlegmone ad concoctionem tendit.* Quo ita eveniente dolor minuitur, juxta Hippocratem: *Dum pus fit, major dolor, quàm jam facto:* Tuberculumque phlegmonicum rumpitur, ac ulcus producit. Prognoſtica.

Poteſt

Poteſt tamen ulcus aurium pluribus modis obtingere, nimirum vel ob tumorem in auribus disruptum, vel ob abſceſſum, aut ſolutionem continui, aut per acrem catarrhum, acrimonia ſuâ interiores aurium partes exulcerantem, tum quoque per externam injuriam, uti ſunt: caſus, percuſſio, contuſio, alliſio, vulneratio & ſimilia, exulceratio harum partium accerſi poteſt, quibus ulceribus ſi mox poſt eorum ruptionem & apertionem chirurgica manus adhibeatur, levius & facilius curantur, quàm diuturna & diu neglecta.

Curationis ſcopus. Curationis autem inflammationis ſcopus in eo verſatur, ut protinus ſangvis præmiſſo refrigerante & emolliente clyſtere detrahatur, quam detractionem medici in inferioribus partibus ejusdem lateris, nempe in cubito horâ unâ atque alterâ poſt expulſas à clyſtere fæces non nihil liberaliter celebrant, ad revellendam influxionem ad inflammatam partem, non neglectis etiam aliis revellendi mediis, nimirum cucurbitulis, frictionibus & ligaturis, clyſteribusque, ſi opus ſit, repetitis, à venæſectione, uno atque altero die intermiſſo, etiam ad educendam bilem feſtinant, propinato aliquo cholagogo, uti ſunt infuſum vel extractum rhabarbari, &c. victum præſcribunt tenuem, refrigerantem & humectantem, potumq; hordeatum, interdicto vino & aliis calidis, potui incoquendum mandant ſemen papaveris pro obtundendo dolore & conciliando ſomno, urgentibusque doloribus ad majora ſedativa ipſumque opium deſcendunt, quod etiam obſervant in applicatione topicorum, ut ea eligant, quæ leniunt & non nihil relaxant, cujusmodi eſt albumen ovorum probè concuſſum, cum lacte muliebri tepidum infuſum, nec non aſelli in oleo violaceo vel roſaceo infuſi & expreſſi, cujus expreſſionis oleum itidem tepidum vel ſolum, vel ſubinde cum prioribus mixtum inſtillant, adjiciendo interdum pauxillum aceti, injectisque hisce ſupra aurem affectam lanam mollem commemoratis his intinctam ſuperimponunt, imperando ſimul ſilentium & requiem, nec non omnimodam abſtinentiam à duriori commanſione, dolentem quoque locum fotibus lenientibus & diſcutientibus fovent exempli gratia:

℞. cimarum malvæ *Fomentum.*
- bismalvæ
- ſalicis
- lactuc.
- violar. an. m. j.

florum
- ſambuc.
- chamæmeli
- meliloti
- roſar. rub. an. p. j.

ſemin.
- malvæ
- cydon. an. ℥j.

coquantur in lib. ij. aquæ, in decocto madefiat ſpongia, expreſſâque tepente locus foveatur, hisce continuatis aliquantisper adhuc magis digerentia addunt, uti ſunt ficus, ſemen lini & fœnugræci, quibus ſæpius materia omnino reſolvitur, & ſine abſceſſu abit.

In quibusdam tamen materia ope-

ram reſolutionis eludit, ac ad maturationem tendit, in hoc caſu practici maturationem adjuvant appoſitis maturantibus & ſuppurativis, cujus ſortis eſt ſequens cataplasma:

Cataplasma.

℞. rad. althææ
lilior. albor. an. ℥ſ.
fol. malvæ
bismalvæ
violar. an. m. j.
flor. chamæmel.
melilot. an. p. j.
lilior. alb. p. jſ.
ficuum pingv. n. IV.
decoquantur in ſ. q. aquæ ad tertias, adde farinæ ſemin. lini
fœnugræc. an. ℥j.
triticeæ ℥iſ.
axungiæ porcinæ
caponis an. ℥j.
butyri majalis ℥ſ.
ol. amygd. amar. q. ſ. f. ſ. a. cataplasma.

Aut fiat cataplasma ex cepis vel ficubus cum axungia porcina miſtis & ſuperponatur, donec abſceſſus rumpatur, qui tunc abſtergentibus repurgetur crebrius inſtillatis, cujusmodi eſt mel roſatum tepidum, & ſimilia.

TEXTUS.

PHlegmone aurium interna communibus repellentibus curatur: ulcus autem maturantibus.

CAP. XXXVII.
DE FLUXU AURIUM.

Fluxus aurium quid?

FLuxus ſive purulentia aurium eſt ejusmodi affectus, quo ichoroſa & purulenta materia, vel etiam ſangvis tenuis, pusve aut ſanies ex auribus emanat, idque vel continuatim, vel intervallatim, cum odore tetro & aſtantibus nauſeabili. Accidit hic affectus his quibus cerebrum nimiâ humiditate ſcatet, uti ſunt pueruli, quibus etiam perfamiliaris eſt, adverſans tamen naturæ, quæ pro evacuatione cerebri exitum per nares & palatum formavit, unde quoque quotidiè humida excretio educitur, nil verò per aures, excepta pauciſſima bilioſa ſorditie amaricante, quæ indies vaporetenus per aures prodit, atque etiam in minima portiuncula materialiter parietibus aurium internis adhæreſcit.

Cauſæ.

Cauſæ effluxus hujus ſunt vel ſuperflua mucoſaque humiditas cerebri, cujusmodi infantibus propria eſt, vel vitioſa, catarrhoſaque humiditas, membranulas obductas aurium foraminibus erodens, vel abſceſſus in alterutra aure genitus, qualem obſervavimus in puella octenni, quæ ante ejus generationem multas recens è farina triticea & butyro coctas cupedias jamjam è ſartagine venientes una vice devorarat, ac brevi poſt in talem apoſtemationem incidit, & diuturnam purulentiæ ex aure effluxionem, ac omnimodam poſt eroſas dictas membranulas, ſurditatem, unde conſtitit quantum officiat auditui copioſa ingeſtio cujuslibet ſimilacei ſine prævia fermentatione piſti vel cocti, absque dubio etiam talia & pejora Iſraelitis accidiſſent à ſuis azymis, niſi ex præcepto Dei herbas amaras ſimul affatim comediſſent, quibus fortaſſis à bile repur-

repurgati ſunt, quæ fortè aliàs ab azymis commota ejusmodi noxas intuliſſet.

Prognoſis. Prognoſis hujus affectus hæc eſt: quod effluxus aurium purulentus in earum abſceſſibus neutiquam eſt cohibendus, niſi velis patienti epilepſiam procurare, ſed effluere ſinendus, donec ulcus probè ſit repurgatum ab omni purulentia, adjuvando repurgationem immiſſis mundificativis, at ne permittatur ejusmodi emanatio abire in conſvetudinem, aliàs dictas membranulas perrodit, & auditum peſſundat, atque in fiſtulam abit nunquam ſanabilem; quamvis quidam glorientur ſe curaſſe effluxionem ſaniei ex auribus, quæ jam per aliquot annos duraſſet, in inveteratâ enim emanatione fruſtra adhibentur medicamenta, præſertim ſi exiens ſanies mali eſt coloris, & fœtidi odoris, à latente enim apoſtemate profundo & diuturno eam provenire ominandum eſt, ſanies verò recens effluens albi coloris, quam præceſſit dolor capitis, & ſenſuum perturbatio, quæ etiam cum erumpente ſanie mox quieſcunt, boni indicii eſt, & brevis ſanationis ſignum.

Curationem ipſe ſatis compendioſè proponit noſter

TEXTUS.

In fluxu aurium perpetuo inq; colluvie laudatur urina puerorum deſtillata, immiſſa in aurem guttis aliquot etiam usque ad decem; relinquitur immiſſa urina aliquandiu (manè quotidie ventriculo jejuno) poſtea inclinato capite denuò emittitur.

In hoc caſu neceſſariæ ſunt purgationes capitis, vel ex medicamentis communibus vel pilulis, vel etiam ex panchymagogo vegetabili. Item ſpecifico purgante Paracelſi. Datur præterea decoctum guajaci pro potu.

In pueris, qui propter humiditatem potiſſimum huic morbo obnoxii ſunt, non deproperandum ad curam, ſed malum ætati creſcenti relinquendum; exemplum habui in Knidii filia.

CAP. XXXVIII.
DE VERMIBUS AURIUM.

Vermiculos auribus innaſci poſſe nihil novi eſt, quanquam perraró hoc fiat, ac contra naturam aurium ſit, quibus perpetuò bilioſæ ſordes inſunt, admodum amaricantes, ac ideò generationem vermium putrefactionemque inhibentes, niſi nimium aures ſordeſcant ab exulceratione & purulentia, tum enim quoque putredo & vermiculatio ſequi poſſunt.

Foris autem crebrius irreptant vermiculi, nimirum pulices, ac aliud quoddam genus vermium coloris punicei, ac longitudine ungvem digiti æquantium, atque in extremitate caudæ duas velut falculas habentium, iſti oblongi vermiculi vulgares ſunt, in hortis & agris reptando errantes, putridisque lignis & circa vitium

vitium antiquarum radices, nec non in ceſpitibus naſcentes, quos vulgo vermes auriculares appellant.

Cauſæ. Cauſa naſcentium in auribus vermiculorum eſt putrefactio ex ſordida exulceratione. Irreptatio verò à foris planè caſualis eſt, pulices enim hinc inde ſaltantes interdum caſu inſiliunt, ac poſtmodum in aure vagando ingentem ſtrepitum aures percipere faciunt, auriculares autem vermes interdum dormientibus ſuper virescentibus ceſpitibus in ſomno auribus irreptant, ſicuti naturaliter foraminibus irrepunt, ac crebri in deciduis pomis, quæ foraminula à propriis vermibus exeſa habent, inveniuntur, & ubicunque irrepſerint, poſtea intus manent, ſuumque hoſpitium, ſi res manducabilis ſit, ut poma, pyra &c. pro cibo arrodunt, atque ita etiam in auribus ſe gerere dicuntur, hactenus quidem talem patientem nondum vidimus, vulgus autem narrat periculoſiſſimos homini iſtos vermiculos eſſe auribus jam per ſomnum ingreſſos, locum enim ſuæ hoſpitationis ab eo continuò arrodi, atque etiam cacationis conſpurcatione impurari, donec ad mortem ægrum deducant, niſi maturè vermiculus extrahatur.

Curatio. Curatio vermiculationis putridæ fit per remedia præcedentis capitis, foris autem ingreſſi vermiculi extrahi debent, & quidem ſi pulices ſunt, ajunt eos ſtatim adhæreſcere naturaliter indito auribus faſciculo è pilis caninis, & ſic extrahi, alii autem enecantur ſucco abſynthii, vel mentaſtri, vel foliorum perſicorum vel ſimilium, imprimis ſi ejusmodi ſuccus aliquandiu prius coquatur cum vulgari argento vivo, atque etiam aliquid aloë addatur, ac poſtmodum tepidè inſtilletur, enecati poſſunt deinde auriſcalpio extrahi.

TEXTUS.

IN vermibus aurium tum enecandis tum extrahendis, quemadmodum etiam in vermibus narium & cerebri præſtat ungventum ex axungia capi & oleo coryli cum pauxillo mercurii præcipitati, vel mercurii dulcis miſtum (granis duobus ne fiat eſchara) & in orificio aurium cum bombace poſitum.

CAP. XXXIX.
DE DOLORE AURIUM.

Otalgia. OTalgia ſive dolor aurium eſt triſtis ſenſatio auris (uti loqvuntur methodici) à contraria derepente & violenter ſimul & vehementer imprimente facta, cujus recenſent quinque ſpecies, nempe *gravem*, *tenſivum*, *ſtimulantem*, *punctorium & pulſatilem*. Videntur tamen hæ ſpecies omnes & qualescunque adhuc inveniri poſſent, ferè ſimul in atroci dolore concurrere, ita ut ſimul & ſemel dolor immensè gravis, pungens, lancinans pulſansque excruciet, idque tam exceſſivâ acerbitate, ut ægrum ſæpè in periculum vitæ præcipitet, quod etiam Hippocrates teſtatur in præſag.

ſag. inquiens: *Auris dolor acutus cum febre non intermittente, vehementique, grave periculum minatur, nam & mentem turbat, & hominem rapit.*

Locuti quidem ſumus paulò ante cap. 36. de dolore aurium, ſed qui fit à phlegmone, quæ nunquam eſt ſine dolore, at hic dolor poteſt absque phlegmone eſſe.

Cauſæ. Cauſæ doloris ſunt vel temperamentum bilioſum, vel lympha acrior membranulas vellicans, item nimia calefactio capitis vel à fervore ſolis, vel corporis exercitiis, vel repentinâ mutatione caloris in frigus & vice versâ, unde ſæpe vehementiſſimi catarrhi excitantur, ac dolores intolerabiles in nerveis vel membraneis partibus.

Prognoſis. Prognoſis hujus affectus eſt ejusmodi, quod dolor aurium vehemens in junioribus valdè periculoſus ſit, cerebrum enim facilè in conſenſum trahit, & graviſſima ſymptomata excitat, nempe internum eryſipelas, delirium, convulſionem & mortem, ſolentque increbreſcente hoc affectu interire, antequam ſuppurationem inducat, ſeniores autem cum tam vehementi inflammatione non corripiantur, diutius morbum ſuſtinent, unde apud illos dolor aurium magis in ſuppurationem abit.

Curatio. Curatio doloris aurium pro diverſitate cauſarum inſtituenda eſt, in cauſa enim calida eadem ferè remedia conveniunt, quæ ſupra cap. 36. ad inflammationem aurium conſcripta ſunt: ubi verò malum à frigiditate ortum trahit, nimirum vel à frigida intemperie, vel inſpiratâ aurâ gelida ab afflatu ventorum, vel ſubitaneâ commutatione ambientis, vel influxu aquæ frigidæ, aqua illapſa inclinato capite rurſus effluere ſinatur, vel per calamum ipſa, aurave inflata exſugatur. Membranæ verò perfrigeratæ adhibitis calefacientibus iterum calefiant, cujusmodi ſequens eſt: accipiatur parvus orbis panis jam jam è clibano extractus & excoctus, cui impiſtum eſt cuminum, fiat in latere ipſius foramen, in quod infundatur ſpiritus vini, ac ſubitò ita calens auri infirmæ admoveatur, interjecto tamen aliquo lineo circulo, ne fervens panis cutem immediatè attingat, foramen autem laborantis auris foramen panis quaſi ſubintret, & ita per aliquod temporis ſpatium calens panis ad aurem teneatur. Vel inſtillentur olea calida, nimirum ol. laurinum, de caſtoreo, liliorum albor. rutaceum & ſimilia invicem mixta, mixturæque aliquot guttulæ tepidè indantur. Poteſt etiam aſſumptâ recenti theriacâ ſudatio in lecto inſtitui.

TEXTUS.

IN doloribus aurium folia nicotianæ viridia, vel etiam exſiccata, ſed iterum humectata mirificè proſunt.

CAP. XL.

DE TINNITU, SONITU, STREPITU ET SIBILO AURIUM; Germ. Sauſen und Klingen der Ohren.

Tinnitus aurium quid?

FRequens & vulgaris affectus eſt tinnitus aurium, in quo aures intra ſeipſas plenæ ſunt ſono, ac tantoperè ſonant, ut externus aliis audibilis ſonus, vel planè non vel admodum difficulter percipiatur, ſed ab illo ſono ſpurio intra aures ſtridente repercutiatur, vocatur hæc paſſio quidem diverſis nominibus nimirum ſtrepitus, ſibilus, ſonitusve, eſt tamen una & eadem affectio auditum aliter atque aliter afficiens, ita ut nunc quaſi ſonus murmurum aquarum, jam follium fabrilium, modò nolarum vel tintinnabulorum, rotarum ab aquis in molendinis verſarum, papyri in laceratione jam verſantis, vel cicadarum in pratis ſtrepentium audiatur.

Strepitus, ſonitus, ſibilus.

Cauſæ.

Cauſas hujus infirmitatis medici complures ſtatuunt eſſe flatulentos ſpiritus inter membranam foramini auditorio obtenſam, à nervo auditorio ortam, & inter piam matrem, quæ ab invicem incude oſſiculo ſint disjunctæ, congeſtos ac incluſos, vel tenues & ſiccos vapores ex epate, ventriculo, atque aliis partibus eò delatos: vel humores craſſos ac lentos, foramina aurium obſtruentes; vel crebriores crapulas vinique meracioris ingurgitationes, violentas & crebras vomitiones, aquam foraminibus aurium illapſam, capitis percuſſionem & ſimiles. Verum multis aliis hæ rationes non ſatisfaciunt, quidamque ex eis cauſam præcipuam eſſe abſconditam & imperſcrutabilem arbitrantur. Si tamen probè eos conſideremus, qui hoc affectu laborant, invenimus majori eos parte debiles ac calore naturali deficientes, neque id ſolum in hoc affectu, verùm quoque in aliis, nimirum in viſus debilitate &c. quibus ſemper debiles & ſenes multum hallucinantur, unde conjiciendum eſt, in ejusmodi debilibus ſpirituum eſſe defectum, ac contra in robuſtis plenam eorum adeſſe copiam, adeò ut totius corporis cutem & tunicas à ſpiritibus tenſas, & à rugis explanatas ſervari in robuſtis & viridi ætate conſtitutis veriſimile ſit, cum verò eædem partes quæ antea extendebantur, turgebant, & luminoſo colore veluti ſplendebant, in ſenibus, exhauſtis & debilibus concidant, conniveant, corrugentur & collabantur, id fieri ob defectum ſpirituum arbitrandum eſt, idemque contingere auditui, quòd autem debileſcens auditus mox peregrinos ſonitus edat, hinc fieri putamus, quod in debilitate ſpiritus diſſipentur, & partim priora ſua ſpacia relinquant vacua, cum autem vacuum non poſſit eſſe, ideo mox externus aër frigidus in eorum locum ſubintrat, ingreſſu autem ſuo ad pauciores etiamnum reſiduos ſpiritus quaſi allidat, quæ colliſio quamvis imperceptibilis videri poſſit, nihilominus auditui acutiſſimo ſenſu prædito ſub certâ ſonorum differentia audibilis fit. Hujus contingentiæ

gentiæ poteſt eſſe exemplum hypocauſtum optimè calefactum hyberno tempore, in quo commoranti ſi alicubi foraminulum ſit, per quod ingredi poſſit aër frigidus, non magnopere moleſta videtur ejusmodi frigida inſpiratio per dictum foramen, eò quod calor intus per hypocauſtum extenſus & diffuſus frigidum aërem repercutit, ejusque parum per foramen illud admittit, at ſi calor hypocauſti debilis eſt, tunc per idem foraminulum permoleſta frigida inſpiratio intus percipitur, quia calor antea extenſus cedit & relinquit ſpacia vacua, ita mox in ejus locum aër frigidus intrat, ita ut ejus inflatio aliquantulum impetuoſa admotâ foramini manu ſentiatur.

Prognoſis.

Prognoſin quod attinet, tinnitus aurium recens incipiens facilius ſanari poteſt inveterato & chronico, qui medicamentis difficulter cedit, imprimis ab affectione hypochondriaca vel lue venerea proſapiam ducens, in ſenibus autem medelam non recipit, & ſi admodum fortis ſit, debilitatem cerebri denunciat, metumque alicujus gravioris affectus; diuturnus aurium tinnitus à pituitoſa cerebri conſtitutione dependens in ſurditatem terminari ſolet, atque obſtructionem auditorii meatus; ab ictu capitis proveniens curationem non admittit.

Jam remedia percipiamus, quæ docet adhibere

TEXTUS.

IN tinnitu præſtat vapor abſinthii & verbenæ ex lacte, ut: ℞. *abſynthii crudi m. j. decoque in lacte vaccino, poſtea per tritorium, quod commodè orificium ollæ iſtius decocti claudat, immittatur vapor decocti adhuc ferventis in aurem, abſterſâ aure & purgatâ geſtetur goſſypium, quod aliquandiu cum moſcho fuit conjunctum (moſchus nimirum capiti amicus, imprimis viris, mulieribus verò ratione uteri minus tutus.)* Decoctum præſtans.

In tinnitu, ſonitu, ſtrepitu, ſibilo multum præſtat panis recens coctus minor, ſtatim ex clibano ſumptus, & inferiore cruſta ablatâ, immiſſoque ſpiritu vini (a) *bono, ſi ad aurem applicetur (interjecto circulo lineo craſſiore ad evitandam partis exuſtionem) ut vapor ille intrò recipi poſſit.*

NB. *Continuetur curatio, donec cedat malum.*

Experimentum.

(a) Idem remedium etiam valet ad quartanam videlicet applicatio ejusmodi orbis panis calentis jam jam è furno extracti in inferiori cruſta foraminati, & infuſo in illud foramen ſpiritu vini, umbilico ſuperpoſiti eo modo, ut umbilicus velut ſubintret iſtud foramen. Optimè etiam convenit oleum Philoſophorum aliquot guttis inſtillatum.

Poſſunt etiam adhiberi ſternutatoria præmiſſis univerſalibus.

In obauditione & fluctuatione, ſi huic remedio cedere nolit, immittantur auri olei amygdala-

rum amararum guttæ duæ vel tres, quæ poſtmodum emittantur: ab oleo juniperi abſtinendum.

Poſt univerſalia inſtituantur fotus, præſertim ex corroborantibus caput, qualis eſt decoctum abſynthii & verbenæ in lacte, vel etiam cum pane calente cum & ſine ſpiritu vini (ſi affectus lenior) foris ut antea applicatio. Tandem ſi non ſolvatur in B. immittatur in aurem turunda ex radice raphani affabrè ſculptâ, & per dies aliquot in ſpiritu vini macerata, ac in B. inter ſudandum in aurem immiſſa. Si neque hoc modo ſolvatur, eadem turunda tandem maceretur in oleo fœniculi ſtillatitio, & eodem modo in balneis uſurpetnr. Auri inſtilletur ſæpè oleum carvi & illinatur poſt aures.

CAP. XLI.
DE SURDITATE, Germ. Taubheit.

Auditus imminutus & interceptus.

AUditus pariter ut aliorum ſenſuum functiones ſæpiſſimè læditur, idque duplici modo, nimirum vel imminutione, vel totali interceptione, imminutio ejus vocatur gravis auditus, eoque affecti ſurdaſtri nominantur, nec non ſubſurdi, qui videlicet ſonos & verba ſummiſsâ voce prolata penitus non audiunt, vel ſaltem confusè absque perceptione differentiarum ſignificativarum, fortiores autem voces etiam difficulter diſtingvunt, nec alloquentes intelligunt niſi forti inclamatione in aures. Integra verò ablatio & interceptio auditus ſurditas appellitatur, quam patientes omnino ſurdi ſunt, nec ullo clamore aliquid percipere queunt.

Cauſæ hujus affectus ſunt: vel innatus defectus inſtrumenti auditorii; vel aër craſſus & humidus, qualis generatur ab auſtrina conſtitutione, ac in regionibus uliginoſis, uti in Belgio ſolemne eſt, ac proinde gravis auditus vocabatur olim: auris Batava. In ejusmodi enim locis & ab auſtrinis ventis diu flantibus generatur aër craſſus, turbidus & nebuloſus, non modo in regione aëris, verùm etiam in interna auditus cavitate, qui debiles ſonos repercutit non aliter ac fumus in tali aëris conſtitutione ab igne focorum aſcendens in faſtigiis caminorum ab externo ſpiſſo & humido aëre repercutitur, ita ut talis repercuſſio fumi ſit certum inſtantis pluvioſæ tempeſtatis ſignum, indicetque ſpacia aëris vapore aquoſo jam eſſe repleta, nec alios vapores, ut eſt fumus, in ſe ſuſcipere poſſe; item vapores craſſi & pituitoſi à malo victu & diætæ erroribus cerebro communicati, bilioſi quoque vapores auditum ſolent obſtruere, uti in bilioſis febribus ſæpe contingit, quòd patientes vel nihil vel difficulter audiant; item cerebri intemperies vel connata vel aſcititia, læſioque in illa parte, ubi nervi auditorii oriuntur. Cauſæ.

Debilescens quoq; calor naturalis vel à ſenectute, vel morbis, humores, ſangvinem & ſpiritus depopulanti-

lantibus, ſpiritibus enim ſenſim deficientibus eorum locum externus aër frigidus ſubit, ac cavitatem opplet, humidis vaporibus corporis immixtus, atque ita ambo ſpiſſum aërem conſtituunt, quem ſoni externi transvibrare opus habent, ſi velint intrare, non ergò niſi fortes permeant, debiles verò diffluunt remorati. Externa quoque violentia ut ſunt ictus, caſus, alliſio, percuſſio circa auditorias partes contingens, item immanes fragores repentini, quales majora tormenta bellica, tonitruaque cominus edere ſolent, facilè ſuâ violenta commotione aëris aliquid lædunt, ſolutionemque continui inferunt, quemadmodum etiam diſploſa tormenta propinquas feneſtras concutiendo diſſilire faciunt, ab ejusmodi enim violentia interdum fiunt grumi ſangvinis, nec non abſceſſus, ſordesque relinqvunt aurium foramina obſtruentes.

Prognoſtica. Prognoſis ſurditatis & ſurdaſtritatis in hunc modum inſtituitur: quod nimirum ſurditas nativa, curationem non agnoſcit, nimium etiam inveterata pariter incurabilis eſt, quamvis exempla ſint quorundam curatorum, qui per multos annos ſurdi fuerant, raròenim id contingit, multoque plures ſunt, quibus fruſtra adhibentur remedia: ſurditas verò in febribus contingens, cum morbo plerunque abit, ſed malum eſt ſignum, mortisque utplurimum prænuncium; omnis auditus gravitas ſi non brevi diſcutiatur, cum tempore increbreſcit, & plerunque tandem in integram ſurditatem abit. Ea tamen, quæ modò gravior, modò levior eſt, facilius curatur, cum ab humore mobili dependeat, qui educi poſſit, at ſi membrana tympani ſit eroſa vel rupta, vel cicatricem ſuperſtitem nacta, immedicabilis fit ſurditas.

Curationis ſcopus. Curatio juxta diverſitatem cauſarum variat, præmittendo tamen ſemper univerſalia, nempe mundificationem corporis, capitisque expurgationem, poſtmodum verò applicando ſpecifica convenientia, de quibus jam agit

TEXTUS.

Specifica. *AD ſurditatem & tinnitum valent ſucci raphani, pingvedo angvillæ, axungia talpæ, oleum amygdalarum amararum, pingvedo ſerpentis, ſuccus expreſſus ex cepa, imbutâ ſpiritu vini, & ſub cineribus coctâ.*

Experimentum. *Item ℞. cepam magnam rubram in medio cavatam, cujus cavitatem reple oleo rutæ, addendo pulveris cyperi, baccarum lauri, aniſi, cumini ana ʒj. caſtorei pulveriſati ʒſ. bulliant omnia ſuper prunas ardentes, poſtea exprimantur, ſerventur in fiola, de qua ſtillentur aliquot guttæ in aures manè & veſperi, claudendo eas cottone moſchato.*

Aliud. *In ſurditate non connata præmiſſis univerſalibus mirabiliter operatur eſſentia fellis humani* (a) *cum ſpiritu vini extracta* (*diu*

 durat)

durat) & ſimili ratione cum turundis raphani inter ſudandum applicata : tamen à proprietate innata in hoc caſu præſtat fel perdicum, ſi cum oleo ſuccini albi ana mixtum in aures guttatim immittatur (doſis guttæ iij. IV. ad plurimum) hæc verò aliquoties ſunt repetenda.

(a) Imò noſtro judicio quodlibet fel eandem virtutem præſtat, quidam habent experimentum ex quatuor fellibus commiſtis, quo curatos eſſe multos ajunt, qui planè ſurdi fuerint, componendum in hunc modum:

Aliud. ℞. ſequentia quatuor fella, nempe piſcis trutæ, angvillæ, leporis & corvi, impone ea ollulæ devitreatæ novæ, ſuperfunde ſpiritum vini ad eminentiam trium vel quatuor digitorum, obtege ollulam operculo, illudque ſuperlutabis, tum appoſitam igni bullire permitte donec ſemel vel bis recitari poſſit oratio Dominica, tum remove ab igni, ac frigefieri ſine. Hujus liquoris tres vel quatuor guttulas è canaliculo pennæ in aurem infirmam inſtilla, patiens recumbat ſuper ſcamno, aure affectâ ſurſum versâ, & ſi primâ vice non curetur, inſtillatio repetatur. Hoc experimentum quidem ita ſe habet, at ſi quis alia fella ſumpturus eſſet loco horum, absque dubio eundem effectum eſſet conſeqvuturus. Pariter ſi Author loco fellis humani aliquod horum acciperet, idem eo præſtitum iri non dubitamus, eſt enim utrinque par ratio nempe eſſentia fellis per ſpiritum vini extracta.

Expertiſſimum quoque medicamentum eſt aqua illa ſive liquor deſtillatus ex melle & formicis, cujus confectio infra de atrophia ab Authore docetur, guttatim auri affectæ inſtillata. Aliud.

CAP. XLII.
DE PAROTIDE, *Germ.* Ohrenmitzel.

PArotis eſt tumor pone aures, eſtque ex genere inflammationum, quæ glandulis circa aures affectis fiunt, ac bifariam ſive duplici modo contingit, primò per motum criticum, quando natura materiam morbificam præſertim in febribus expellit per viam criſis, ſecundò per rationem ſymptomatis, uti fit in peſte, ubi materia maligna ſurſum ad molles & laxas partes aurium glandulosas movetur: de parotide peſtilenti dicetur ſuo loco in capite de peſte, hic autem de vulgari non adeò maligna ſermo eſt, quæ quidem ex ſe ægro non infert mortem, ob ſæva tamen ſymptomata, quæ comitantur febrem acutam, cum periculo juncta eſt, accidit quidem interdum citra febrem, in ſe ipſa tamen inflammationem excitat, quæ febris dici poteſt. Erumpit enim pone aures in tumorem prædurum, qui die tertio rubere incipit, cum inflammatione & dolore capitis, hic affectus potiſſimum obtingit junioribus adoleſcentulis, qui annum ætatis 24. nondum attigerunt, atque in eis ſuppuratur, & evaneſcit. Parotis quid?

Cauſam

Cauſæ. Cauſam parotidum medici ſtatuunt eſſe ſangvinem vitioſum ferventem in venis capitis abundantem, quem natura ſegreget ad aurium partes glanduloſas; in pueris quidem advertimus, ex ſuperfluo nutrimento eas utplurimum provenire, atque à natura protrudi, inſtar ſuperflui gummi ex arboribus, in his nimirum, qui temperamenti ſunt ſangvinei, qui enim maximè phlegmatici ſunt, non admodum eis pertentantur, ſed potius tumoribus phlegmaticis videlicet ſtrumis, ſcrophulis &c.

Prognoſtica. Prognoſticon ejus eſt quod inter bubones parotis maximè difficulter rumpitur, apertio quoque per ferrum ipſi non eſt adjumento, ſed debet per aliquod maturativum emollificari & rumpi; Ejusmodi maturativum fit optimum, ſi gummi opopanacis in aceto coquatur, per pannum exprimatur, coquendoque rurſus inſpiſſetur ad gummi conſiſtentiam, cujus accipe ℥ſ. olei Philoſophorum rectificati ℥j. colliqueſcant invicem ſuper prunis, hujus recipe q. ſ. & parotidi ſuperimpone, donec aperiatur. Quædam parotides ſunt valdè malignæ & epidemicæ, & accelerationem curationis & apertionis poſtulant, quædam verò criticæ, & admodum periculoſæ, ſi intro redeant, niſi enim alvi profluvium vel notabilis aliqua eductio fiat, mortem inferunt.

Curatio. Curatio earum vulgariter inſtituitur per venæſectionem & purgationem, at inconvenienter, purgatio enim intrò trahit, quod contra naturæ motum fit, quæ materiam in parotide contentam conjunctim expellere nititur, atque ideò in unum locum congeſſit, debet ergò motus naturæ juvari expellentibus, nimirum ſodoriferis ac maturativis abſceſſui ſuperpoſitis, licet parotis non adeò ſit maligna, nihilominus enim nihil boni in ſe continet, ſed contenta naturæ moleſta ac ad expulſionem proſcripta.

Si parotis nimis profundè deliteſcat, commodè teſte Aetio affiguntur cucurbitulæ, ut motus naturæ foras tendens promoveatur.

Eadem ferè Author brevibus complectitur, commendans ad expulſionem oleum guajaci ſive ſpiritum ejus vel tartari, quæ intro aſſumpta, conatum naturæ expulſivum fortiter adjuvant, reliqua clarè tradit

TEXTUS.

In parotide oleum fœtidum guajaci vel tartari juvat, ſi adeſt exulceratio (a) *mollificetur locus, quo facto inſpergatur pulvere menthæ* (*ulcere rupto*) *& ulcus ſæpius eluatur aquâ menthæ, adhibito emplaſtro convenienti, quale eſt diaſulphuris.*

(a) I. e. ſi tendit ad ſuppurationem, malacticum maturativum imponatur, ruptoque ulceri mundificantia adhibeantur, poſtea incarnetur.

CAP.

CAP. XLIII.
DE AFFECTIBUS NARIUM ET PRIMO DE OZÆNA.

Utilitas narium.

NAres multum uſum commodumque corpori humano afferunt, per eas enim ſolas omnes rerum odores intrant,& olfactui communicantur, excrementa verò cerebri tanquam per canales inde emanant, triplicique modo nempe per ordinarium mucum, coryzam & ſternutationem emittuntur, ſuperfluum etiam ſangvinem Natura ſæpiſſimè ad nares velut epiſtomium mittit, ac exſtillare ſinit, præcipuum autem emolumentum eo præbent, quod pro anthliâ ſpiritus vitæ inſerviunt, reſpirationemque hauriunt & fuligines efflant, quod etiam munus oris eſt, verùm eo inter edendum & loquendum occupato neceſſariò nares ipſi ſuccenturiantur, ut taceamus uſum loquelæ, in qua formanda nares concurrunt, ita ut absque earum interventu literæ m & n pronuntiari nequeant, pro quibus aliisque innumeris beneficiis Creatorem noſtrum immensè beneficum & benignum indeſinenter laudare, humilimasque gratias ipſi confiteri convenit. Quum autem proh dolor pars hominum major in hisce debitum ſuum non perſolvant, jure merito etiam nares ſuos caſtigatores nimirum peculiares affectus patiuntur, quos in ſequentibus recenſebimus.

Horum quoque Cathedrarum Medicarum Princeps mentionem facit in ſequentibus dictitatis:

Nares naturâ humidiores valetudinem minus proſperam arguunt. lib 6. aph.2

Narium humiditas eſt affectus Senectutis. 3. 31

Nec non deſtillationes. 3. 31

Poſt hyemem auſtralem, pluvioſam & clementem, ver autem ſiccum & aquilonium ſenibus catharri pernicioſi fiunt. 3. 12

Poſt æſtatem ſiccam & aquiloniam, atque autumnum pluvioſum & auſtralem gravedines ad hyemem contingunt. 3. 13

Ab autumno aquilonio & ſicco fiunt gravedines diuturnæ. 3. 14

Gravedo eſt affectus vernalis. 3. 20

Nec non hyemis. 3. 23

In valdè ſenibus gravedo non concoquitur. 2. 40

Mulieres naribus percipientes ſuffitum ſubter undique obtectis veſtibus ſuis factum fœcundæ ſunt. 5. 59

Perverſio naſi in febre continuâ eſt ſignum lethale. 4. 49

Nec non nares acutæ. lib. 1. præſag. 2

Et ſi naſus torquetur. 1. 8

Ex naribus ſpiritus frigidus prodiens eſt admodum lethalis. 1. 20

In præcordiis tumidis ſangvis inter primos circuitus è naribus fluens non mediocri præſidio eſt. 1. 28

Sangvinis fluor è naribus contingere ſolet in capitis dolore vehemente febrili ad diem vigeſimum durante. 3. 13

Præci-

Præcipuè in junioribus triginta quinque annis, temporibusque & fronte dolentibus. 3. 14

Jam inſtitutum proſequamur diſſerentes

DE ULCERIBUS NARIUM ET OZÆNA.

Ozæna. OZæna eſt ulcus ſordidum, putridumque ac vetuſtum jam factum, at incipiens exulceratio in naribus ſpeciale nomen non habet, quamvis ſæpe occurrat, neglectum enim brevi ex affluentibus ſordibus narium incrementum ſumit, ac ulcus ſordidum factum poſtea nomen ozænæ retinet.

Cauſæ. Recens ac ſimplex exulceratio excitatur vel à cauſis internis nempe catarrhoſa affluxione in nares ſalſedine ſuâ ſubjectam cutem erodente, ac poſtmodum exulcerari pergente, vel ab ebullitione ſangvinis abſceſſum vel tuberculum in naribus pariente, quod ſuppuratum ruptumve ulcus efficit; vel externis nimirum à vulnere vel contuſione in puris generationem abiente.

Signa. Dignoſcitur utrunque ex eo quod levis & incipiens exulceratio non admodum dolorifica eſt, ac ſicciori cruſtula ſubnigricante obducta, quæ niſi vi revellatur, ſæpè exareſcere pergit, ac ſponte perſanatur, at violentius attacta, vel detracta ſangvinis non nil exſudat, ac ab emunctione narium valentiori non raró unà exturbatur, ubi mox ſpiſſior cruſta ſubnaſcitur, ac incuriè habita tandem indies depravatur, donec in ozænam mutetur, quæ ulcus eſt priori doloroſius, ac cruſtâ humidiori & ſordidiori, exhalans graveolentiam, adeò, ut etiam mucum reddat graveolentem ac tetrum, anhelitus quoque ægri non modò aſtantibus, ſed & ipſi ægro abominabilis & moleſtus fit.

Prognoſis hujus affectus ejusmodi eſt, quod quælibet exulceratio narium ad deteriorationem proclivis eſt ob continuum affluxum muci, humiditatem catarrhalem, quæ in tali occaſione citius eò fertur, unde facilè ulcus fit ſerpens & ſuffodiens, interdum narium pinnas interſtitiumve, vel ipſa nonnunquam tenellula naſi oſſa corrumpens exedensque, ac putrefactiva exeſione aliquando palatum perrodit, imprimis ſi putrefactivus morbus concurrat, uti ſunt morbus Gallicus, lepra, pſora vel cancer, quibus præſentibus confirmatisque omnia adhibita remedia eludit, donec complicati affectus extirpentur. Prognoſis.

Cæteroquin perfectè curari poterit modo, quem docet

TEXTUS.

IN ozænis & reliquis fœtidis ulceribus præmiſſis univerſalibus mundificantia primum neceſſaria, poſtea conſolidantia. Mundificantia ſunt aquæ abſtergentes, qualis eſt aqua aluminis ex arena ſine ſpiritibus è cucurbita terrea ſimpliciter per alembicum deſtillata, & aqua plantaginis, in qua aliquid de mercurio dulci diſſolutum fuerit, & ſimilia

Aqua viridis Plateri.

Deinde præſtans eſt aqua viridis ex auripigmento confecta, quam ex aliis Platerus habet in curatione doloris, quæ recipit æruginis æris ℥j. auripigmenti ℥iſ. terantur ſubtiliſſime, & coque in vini albi ℥iiij. ad conſumptionem partis mediæ, ubi refrixerint, adde aquæ roſarum & ſolani an. ℥ij.

Aqua viridis Hartmanni.

Aqua viridis Hartmanni.

Præſtantior alia eſt aqua viridis mihi uſitata, quæ non tantùm in ozænis, ſed in omnibus ulceribus fœtidis narium, palati, uvulæ, gingivarum, linguæ &c. mirificè valet, eſtque talis:

℞. mellis roſati ℥ij.
ſulphuris vivi
aluminis crudi
æruginis æris an. ℥j.
albi græci
comarum ſabinæ an. ℥ſ.
ſambuci ℥j.
fol. hyperici
rorismarini
rutæ
plantaginis
ſalviæ
pulegii an. m. ſ.

Hæc coque in vini & aquæ ℔ij. ad conſumptionem digiti transverſi unius (in aphthis puerorum temperetur aquâ tabaci & ſolani ana, ſecus nimirum acrior eſt) nota: ærugo æris non ſimul coquatur, ſed in fine addatur & relinquatur, donec refrixerit, poſtea coletur & ſervetur uſui, cujus cochlear calefiat ſupra candelam, poſtea cum penicillo eandem aquam intincto tangatur locus exulceratus.

In fœtidis ulceribus palati, faucium, uvulæ, immittatur aqua hæc cum ſtupis: mirabiliter non tantùm mundificat, ſed inſuper etiam conſolidat, imprimis ulcera palati & faucium ex lue venereâ orta.

Mirabilis quoque eſt in ſcorbuto oris (interdum applicetur cum goſſypio vel ſtupis, ne noctu deglutiatur propter æruginem) pro gargariſmate multum valet decoctum veronicæ & mellis in aqua ſimplici, vel decocto ſaturejæ in vino.

Conſolidantia ſunt præter illam aquam viridem poſteriorem, quæ maximè ad conſolidationem facit, præſertim in ozænis.

1. Præſtantiſſimum eſt quod reperitur apud Rondeletium titulo de ozænis, ad quod

Trochiſci conſolidantes.

℞. ladani puri
hypociſtidis
maſtic.
myrrhæ rubeæ an. ℥iij.
ſtyracis calamitæ
corticum thuris
ſandarachæ
auripigmenti rub. an. ℥ij.

(Rondeletius habet ℥iij. ſed improbo)

probo) excipiantur omnia terebinthina, & fiant trochiſci, quibus fumigetur in cubiculo ſerò & manè. Optimum etiam eſt iis parare candelas cum cera rubra (propter cinabrium, quod in cera rubra) & fumum, qui ex candelis ſuccenſis in loco anguſtiori colligitur, excipere.

Decoctum. *2. Eſt decoctum myrrhæ & olibani an. ℥iſ. in vini & aceti an. ℔ij. & in petiis (de ſyndone) aliquoties calidè applicatum.*

CAP. XLIV.
DE ERYSIPELATE NARIUM.

Eryſipelas naſi. ERyſipelas narium ſive exterioris partis naſi eſt inflammatio ejusdem cum ſplendente rubedine, uti aliàs eryſipelas ſolet apparere.

Cauſa. Cauſa eryſipelatis hujus eſt ebullitio ſangvinis bilioſa, imò eædem quæ eryſipelas in aliis corporis partibus producunt, illud etiam in naſo generare poſſunt, ideòque heic multa de eo verba facere nolumus, ſed ſuperſedebimus, donec cum Authore ad ejus communiorem ſedem devenerimus.

Gutta roſacea. Huc pertinet etiam vulgaris illa rubedo naſi quam guttam roſaceam vocant, quæ integrum naſum veluti tuberculatum, & inſtar panni ſcarlati rubrum reddit, rubedo autem ejusmodi exteriori cuticulæ non adhæret, ſed interiores carnis & cutis partes occupat, adeò ut quosdam inſigniter deceperit, qui ſibi perſvaſerant, ſi liquore aliquo cauſtico exteriorem cuticulam abſumerent, aliam novam legitimè coloratam ſuccreturam, facto autem periculo ſuæ opinionis vanitatem deprehenderunt, & quod rubedo illa in carne firmiter adhæreat, nec medicaminibus cedat, ſed curam tantummodò ſuſcipiat palliativam. Eryſipelatis remedia fideliter deſcribit

TEXTUS.

ERyſipelata narium communi more inſtar eryſipelatum cæterorum reſtingvuntur.

Specificum (a) *eſt menſtruum virginis in aceto deſtillato roſaceo diſſolutum, & in petiis rubris calidè applicatum, præſertim ſi ſudores moveantur.* Specificum.

(a) Eryſipelas quoque optimè debellat lixivium forte cum æquali parte olei roſacei miſtum, & aliquoties illitum, item ſambucinum rob inſtar linimenti inungatur.

Ad guttam verò roſaceam valet experimentum Matthioli ſequens ſæpius probatum: Experimentum.

℞. camphoræ
ſulphuris vivi an. ʒj.
myrrhæ
thuris an. ℥ſ.
aquar. fragorum
roſarum albarum
ſcrophulariæ an. ℥v.

inſolentur in vaſe vitreo optimè clauſo per 10. ☉. vel amplius, poſtea in M. B. deſtilla, qua facies in die ſæpius abluatur.

 Vel

Aliud. Vel ℞. ceruſſ. albiſſimæ ℥iij.
lythargyrii argenti ℥j.
camphoræ ℈ij.
aquarum nymphææ
ſolani
fabarum an. ℥iij.
aceti albi ℥ij.

reſideant horis 6. filtrataque ſervetur, qua facies bis & ter dietim madefiat.

Potiora autem guttæ roſaceæ remedia petuntur ab his, quæ naturam obtinent cutem humanam albificandi, tenuem, mollem, delicatam & emaculatam reddendi, extrahendo nimirum ex ea id quod ipſam obſcurat, & opacat, cujusmodi ſunt: aquæ deſtillatæ è floribus fabarum, ranunculo, ſtercore humano & vaccino, ſigillo Salomonis &c. quibus facies ſæpius lavatur, & ſponte reſiccari ſinitur; ſequens autem à Paracelſo ad hanc intentionem in ſpecie commendatur: ℞. albumina decem ovorum ad duritiem coctorum, calcis ſive pulveris teſtarum ovorum uncias ſex, ex his commixtis deſtilla aquam, urgendo in fine ignem, quò humiditas è teſtis omnis propellatur, egreſſam aquam denuò relictis fecibus ſuperfunde, & ſecundâ vice ab eis deſtilla, huic aquæ rectificatæ impone foliorum argenti, ceruſſæ, cinerum ſtanni, pulverisque ſtanni ana ℥ij. ac invicem per integrum menſem digere, crebrò materiam agitando, poſtmodum iterum deſtilla, & eo liquore faciem ad dictum modum collue. (Aliud Paracelſi.)

CAP. XLV.
DE CARCINOMATE NARIUM, Germ. das Gefräß.

NAribus etiam proprium eſt ulcus quoddam maximè corroſivum & ſerpens, quod carcinoma narium, ab aliis noli me tangere, & tentigo prava nominatur, à nonnullis etiam lupus, ob horrendam ejus iſtarum partium depaſtionem, incipit in quibusdam à malè & intempeſtivè curato polypo, in aliis ſponte enaſcitur. (Cancer narium. Noli me tangere. Tentigo prava. Lupus.) Exorientibus ſub naribus minutis puſtulis, vel ſpecie quadam tuberculi, vel verrucæ cineritiæ vel fuſcæ, admodum prurientis, ut à frictione & ſcalptione patiens ſibi temperare nequeat, perfricta autem humeſcere incipit, & humidam cruſtam induit, quæ ab inſequente ſanie iterum depaſcitur, ſicque exedente lachrymatione ſerpere pergit in & ſub naribus, & utrunque labium arrodit, brevique penitus depopulatur, ut nudati dentes hient, quod etiam proprium ſignum eſt, patientem vero narium cancro laborare, qui demum naſum, oculos & totam faciem abſumendo devaſtat, atque in profundum ſuffodiens palatum aliaque interiora usque ad ipſum cerebrum abligurit, ac patientem ad miſeram mortem deducit, nam licet ipſum ulcus diuturnius vivendi ſpacium concederet, fame tamen ægro pereundum eſſet, cum omnem oris uſum amittat. (Signa.)

Cauſa hujus mali aſſignatur à Medicis atræ bili, ac excedenti ſangvinis (Cauſæ.)

nis ſalſedini, verùm difficile explicatu eſt, quî nuſpiam tantoperè aliàs ſæviat, ac hujus loci, ſuſpicamur itaque aliquid peculiarius hic ſublatere, quod ingenti huic corroſivitati anſam det, ac fortaſſis innaſcuntur minutiſſimi vermiculi, præ minutie viſum fugientes, ac ſpecies quæpiam ſyronum, unde fortaſsè hic affectus Germanicè Siren nominatur, mobilitate ſuâ in tam ſenſibilibus locis maximum pruritum, & attractionem acris lymphæ catarrhalis (quæ cæteroquin promptè verſus hæc loca nariumque exitum decumbit) excitantes, quæ affluxu ſuo ulteriorem putredinem & vermiculorum generationem inducere poteſt, unde partes tam putrilagine quàm eroſione abſumuntur.

Prognoſtica. Prognoſticon ejus eſt, quod niſi mox initio, antequam malignam cancri naturam induat, purgantibus & ſangvinem mundantibus ei occurratur, poſtea in cancrum vel lupum degenerans, vix ulla arte compeſci poteſt, ſed indies majori malignitate ſe roborat, donec mortem inferat.

Curatio. Curatio, ut dictum, ſtatim ab initio exulcerationis hujus inſtitui debet evacuando corpus à ſuperflua humiditate, ne ad locum affectum prolabatur, & corruptionem augeat, præſtantiora autem purgantia non dantur mercurialibus, quanto enim opere corruptioni & putredini adverſentur, illinc colligere licet, quod omnes corporis vermes, lumbricos & aſcarides enecent, eamque fortè ob cauſam luem veneream nil adeò potenter ſanat ac mercurius, quod pariter ea lues fortaſſis vermiculoſam putredinem conjunctam habeat, mercurius autem vermiculos præminutie non viſibiles exterminet, quibus abactis poſtea morbus ſponte perſanatur.

Convenientiſſimum ergò corporis mundificativum in hoc affectu præbet præcipitatus aureus à nobis alibi edoctus, ſi ejus grana VI. cum ſcrupulis duobus maſſæ pilularum de fumaria ſubigantur, ac formatæ inde pilulæ pro una vice exhibeantur. Poſt hæc etiam putridum ulcus mundandum eſt, fundusque ejus corroſivus auferendus liquore aliquo mundificativo, quod præſtat oleum è teneris corticibus betulinis per deſcenſum deſtillatum, nec non oleum arſenici aquis ſtillatitiis earum herbarum, quæ humi ſerpere ſolent, ut ſunt piloſella & ſimiles, temperatum, donec guſtus ejus ad lingvam tolerari poſſit, mortificato corroſivo ulceris fundo imponendum eſt emplaſtrum, quod deraſam à fundo immunditiem extrahat, cujusmodi ſequens eſt: ℞. conorum abietis viridium q. p. coque eos in aqua, quoad aqua ſufficienti eorum viſcoſitate imprægnatum ſit, tum aquoſitatem evapora in aheno aliquo, donec viſcum ſpiſſum remaneat, cujus ℞. ℔j. reſinæ pini ℔ſ. farinæ hordei ℥vj. liqueſcat reſina ſuper prunis, ac reliquis immixtis fiat emplaſtrum, vel alia atque alia topica adhiberi poſſunt, uti etiam habet

Evacuatio optima. Mundificatio ulceris. Emplaſtrum.

TEXTUS:

Carcinomata narium curantur ut alia carcinomata (carcinomata exulcerata tantùm intelligantur, reliqua quæ ſine dolore & ulcere, ne tangantur) mirificè tamen hic valet aqua arſenici, quæ fit hoc modo: ℞. *arſenici albi & nitri puri ana q. ſ. figantur invicem in tigillo* (a) *igne rotæ, ita ut in fine omnia fuerint liquata* (NB. *evitetur fumus ſtudiosè, ideoque hæc operatio ſub dio fiat*) *ubi omnia refrixerint, arſenicum erit candidiſſimum. Hæc autem operatio ſecundâ & tertiâ vice cum ana recentis nitri inſtituatur. Ex hoc arſenico per deliquium in loco humido fit oleum, hujus tantum in aqua plantaginis vel perſicariæ diſſolvatur, ut mixtura ipſa ad guſtum linguæ tolerari poſſit.* Oleum arſenici.

(a) Terantur hæc duo invicem, ac in forti crucibulo imponantur igni circulari, donec liqueſcant & aſcendant, tum effunde materiam ſuper marmoream tabulsm, ac rurſus eidem crucibulo inde, ac in igne detine, quoad iterum ſurſum ferantur, tum denuo effunde, continuando id tamdiu, donec non amplius aſcendant, ſed in fundo crucibuli absque ullo fumo remaneant, fixatum hoc arſenicum tere, ac in cellam ſuper tabulam vitream declivem repone, & ſolvetur per deliquium in oleum, quod omnia corroſiva ulcera & fiſtulas ad dictum modum temperatum mirè mundificat, ac corroſivum ſalem ulcerum in eſcharam convertit, quæ inungenda eſt oleo vel butyro, & ſponte decidet.

Alii arſenicum cum nitro clarificato contritum in cucurbita vitrea ſublimant, ſublimantes flores abjiciunt, claramque aquam quæ deſtillatione transſcendit, ac venenata eſt, cuſtodiunt vel fabris gladiariis vendunt, qui ſcripturas ac lineas gladiis ſuis novis per eam inurunt ſeu incauterizant, eamque ſublimationem ter cum recenti nitro repetunt, tandem verò arſenicum probè excandefaciunt, ac in cella in oleum convertunt, ut dictum eſt. Alius modus.

CAP. XLVI.

DE POLYPO ET SARCOMATE NARIUM, *Germ.* das Naſengeſchwer mit einem Fleiſchgewächs.

Sarcoma & polypus ſunt excreſcentiæ carneæ in naribus genitæ, ſarcoma quidem certam figuram non habet, ſed caro quædam luxurians eſt eidem ſimilis, quæ in aliis ulceribus luxuriosè excreſcit, atque propterea hyperſarcoſis appellatur; Polypus autem in ſua luxuriante carnoſa excreſcentia certam quandam figuram aſſumit, atque exiles radiculas figit, queis tanquam petiolis ſive pedibus adhæreſcit, & ſic creſcendo nares opplet in longum & latum ſe extendens, naribusque propendens ſimilitudinem aliqualem (ut diverſi volunt) polypi piſcis refert, quanquam Rondeletius hoc nomen Sarcoma. Polypus.

nomen carpere videatur dicens: polypum exulceratum eſſe ozænam, miratus hoc nomen graveolenti ulceri impoſitum eſſe, cum piſcis polypus odorem muſci exhalet.

Vocatur etiam à nonnullis: hæmorrhoides narium, cum non tantum hæmorrhoidibus in ano quadantenus ſimiletur, verùm etiam profuſionis ſangvinolentę proles ſit, uti illæ in ano, ſæpè enim polypus hæmorrhagiam narium ſequitur, ex ſangvine illo in naribus jam ſedato & concreſcente. Differt polypus à ſarcomate, quod ſarcoma magis in carnoſioribus ac imis narium partibus ſubnaſcatur, polypus autem in ſuperioribus ad radicem naſi, ubi interdum ad palatum propendet, ac obſtructione meatui oris moleſtus eſt; non raro quoque è naribus pendulus prominet, modò albicans, jam rubens, nunc livens, tempore plenilunii & auſtrinæ conſtitutionis longè plus turget, aquiloniæ verò & novilunii decreſcit & flacceſcit, multum moleſtiæ & impedimenti infert tam reſpirationi quàm ſermoni, & ſi læditur, mirum in modum ſangvinem profundit.

Signa.

Signa diagnoſtica manifeſta ſunt, carnea enim narium excreſcentia palam in conſpectum prodit. Quod verò reſpondeat carni nimirum tumeſcentiâ, laxitate, raritate, mollitie, & coloris varietate piſcis polypi, inepta quorundam Authorum comparatio eſt, cum innumeri iſtum piſcem non agnoſcant, atque ideò ſarcomata hæc juxta illum dignoſcere nequeant.

Cauſæ.

Cauſæ ſarcomatis ac polypi referuntur ab Authoribus ad viſcoſos lentosque humores, è cerebro ad nares labentes, atque in earum ulceribus in carnem ſylveſtrem abeuntes, fit etiam crebrò polypus à narium hæmorrhagiâ jam ceſſante, ſangvis enim concreſcens poſtea ejusmodi carnem producit.

Prognoſtica.

Prognoſis ejus eſt, quod ſarcoma ſanabilius ſit polypo, quanquam unum & idem ſint, & iisdem medicamentis curentur, hocque tantùm diſcriminis intercedat, quod affectus incipiens vocetur ſarcoma, confirmatus autem polypus, qui difficilius curatur, ac neglectus in cancrum narium degenerare ſolet.

Curatio.

Curatio polypi debet inſtitui decreſcente luna, dum flacceſcit, præmiſsâ evacuatione corporis, confert ad eum hoc

Specificum.

ſpecificum: ℞. naſturtium hortenſe & aquaticum contuſum, intrude illud affecto foramini narium, vel ſi non ſit ſpatium, exterius ſuperliga, vel imple eo ſacculum coriaceum, eumque appende naribus, viginti quatuor horis elapſis ligaturam remove, & corrugatum polypum invenies, quem reſcinde, non tamen usque ad carnem, & magnam hæmorrhagiam concitat, intrude deinde contuſum naſturtium in illud narium foramen, donec omnis luxurians caro abſcedat, ſi verò non detur ſpacium in oppleto foramine, tum expreſſum ſuccum naſturtii in die bis vel ter immitte, & perfectè curabis, ſunt etiam alia ſpecifica, de quibus jam audiendus

TEX-

TEXTUS.

IN polypo præter cætera vulgaria præſentiſſimam medicationem (præmiſſis præmittendis) præſtant turundæ radicis gentianæ cum ungvento ſeqventi illitæ: Experimentum *℞. pingvedinis anſeris q. pl. foliorum malvæ, radicis, althææ ana q. ſ. coque invicem, poſtea exprimantur per laciniam, & f. ungventum. Vel ℞. butyri recentis, pingvedinis capi, ol. olivarum q. omnium placet, adde ceræ exigu um, f. ungventum.* Ungventum.

In alterutro horum ungventorum miſce mercurii præcipitati, vel arcani corallini, vel etiam mercurii vitæ (verbi gratia in ungventi ℥ſ. mercurii præcipitati ℈ſ. vel etiam plus usque ad ℈j. hoc ungvento parato inungantur turundæ ex radice gentianæ factæ & indantur naribus, ſi adhuc quandam cavitatem habuerint: ſin minus, tantum polypus propendens inungatur aliquoties, idque fiat tantiſper, donec totus abſumptus fuerit.

CAP. XLVII.

DE FOETORE NARIUM.

NOn opus erat Authori peculiarem hujus affectus mentionem facere, cum nullum de opitulando eo verbum proferat, neque etiam aliud ſit quàm fœtor anhelitus ſeu fœtens reſpiratio, quæ ſive per nares vel per os ducatur, fœtor ejusmodi non naribus vel ori, ſed ipſi ſpiritui ſive reſpirationi anhelituique malè olenti aſcribi debet, quo affectus tam aliis quàm ſibimet ipſi moleſtus eſt.

Cauſæ fœtentis anhelitus per nares ſunt eædem quæ fœtoris oris ſunt, nempe aliquid putidi in ventriculo, vel pectore, vel pulmone graveolentiam de ſe ſpirans, quæ mox aëri attracto commiſcetur, ita ut is fœtens in exſpiratione reddatur: interdum tamen materia corrupta & putris foraminibus ethmoidum nariumque meatibus inſidet, quæ reſpirationem putore inficit. Cauſæ.

Curatio fœtoris narium & oris difficilis quidem eſt, mitigari tamen ac corrigi, ſi non omnimodè auferri poteſt, primarius autem ſcopus conſiſtit in cauſarum ablatione. Si itaque è ventriculo putiſcens odor eructetur, purgandus erit ventriculus à materia putreſcente, quod commodè fiet pilulis Ruffi per intervalla aſſumptis, multum enim omni putredini adverſantur, poſtmodum ſvaveolentia olea, uti ſunt nucis moſchatæ, caryophyllorum, menthæ, angelicæ, abſynthii & ſimilia in uſum veniant, impotando aliquot guttulas alicujus dictorum oleorum in vino, vel competenti vehiculo, quibus etiam accenſeri debet oleum illud balſamicum capite de apoplexia deſcriptum, non tantùm enim anhelitum emendat, ſed & urinam admodum ſvaveolentem reddit, ita ut colligi hinc queat, Curationis ſcopus.

omnem

omnem occultam putredinem ab eo abactum iri.

Si verò putoris ac fœtoris cauſa in foraminulis oſſis ethmoidis, vel narium meatibus obhæreat, attrahendi ſunt & inſufflandi naribus pulveres ſternutatorii ac errhina, ut putida materia excutiatur, ſubinde etiam digitulus auricularis dicto oleo balſamico intingendus, ac naribus infricandus, nam egregiè anhelitum corrigit.

Nonnunquam fœtor anhelitus cauſam in ore habet ex corroſis, putridisque dentibus, vel eorum inſterſtitiis à miculis carnis dentiſcalpiis non repurgatis, putredinemque concipientibus, ac putidè poſtmodum fœtentibus, in tali itaque caſu os crebrius colluendum eſt decoctis aſtringentibus, dentesque dentifriciis mundandi, interdum etiam aliquid ſvaveolentis commaſticetur, ut ſunt radix zedaoriæ, angelicæ, iridis Florentinæ vel Illyricæ, caryophyllorum & ſimilia.

Si fœtor anhelitus occultus ſit & impenetrabilis, quod cognoſcitur ex eo, quod nec homo ille nec Medicus aliquod vitium adverſæ valetudinis invenire queunt, tum ſpecificum remedium quærendum eſt in re ſimili, nempe itidem putente & fœtente, cujusmodi eſt odor latrinarum, ſi patientem ſæpe aſpiret, debet itaque ſic affectus crebrò ore hiante & aperto per aliquam moram morari propè latrinam, ob verſo ei ore patente, ut odor quaſi ſubintrare queat, ſic odor odorem curabit.

TEXTUS.

FOEtor narium aſſiduus difficulter curatur: fit ex abſceſſu vel putredine in ipſo olfactus ſenſorio vel oſſe ethmoideo.

CAP. XLVIII.

DE ODORATU ABOLITO, *Germ.* der verlohrne Geruch.

ODores rerum ſunt atomi volatiles oleoſæ, vaporetenus naribus communicatæ, per quas & oſſa ethmoidea ad duos ſpongioſos meatus ſeu propagines ex anterioribus ventriculis cerebri ad narium radices protenſas feruntur, iisdemque ventriculis cerebri prioribus ceu locis ſenſus communis mediante aëris inflatu apportantur, ubi à ſpiritibus animalibus dijudicantur, ſuisque differentiis dignoſcuntur, imò etiam tabellis memoriæ tam firmiter imprimuntur, ut dudum poſt iidem vapores notabilem odorem ferentes etiam clauſis oculis diſcerni queant, quanquam homo in hoc dono multum cedere cogatur quibusdam brutis, qui etiam è longinquo odorantur, canes enim tam acri odoratu præditi ſunt, ut etiam vias odorando invenire queant, per quas heri eorum tranſiere. Odores autem eſſe atomos volatiles nec non oleoſas patet exinde, quia res fixæ & incombuſtibiles ferè nullum odorem de ſe ſpargunt, uti ſunt lapides, metalla, arena, terra, vitrum & ſimilia, volatiles verò quæ oleoſæ non ſunt etiam vix odorabile quid ſuppeditant,

tant, ut nix, pluvia, mercurius ſublimatus, flores antimonii & ſimilia, ſolæ autem res calidæ, oleoſæ & ſulphureæ fragrantes & odoriferę ſunt ut aromata, herbæ calidæ & oleoſæ & conſimilia, quorum olea ſi abinde deſtillantur, etiam ferè omnem odorem ſecum transportant, ita ut conſtet, meras atomos oleoſas transſcendiſſe, potiſſimumque calidas eſſe & ſulphureas, & à calore exagitari, calor enim attenuat & in auras ſpargit, ut apparet in hortis & myrotheciis, quæ aëre calente eò magis fragrant, & quò plus fragrant, eò citius exoleſcunt, ob calorem eorum atomos oleoſas & fugaces exturbantem.

Læſio olfactus diverſa. Nobiliſſimus hic ſenſus odoratus in homine etiam ſæpius debilitatur, ac in quibusdam imminuitur, in aliis depravatur, in nonnullis verò prorſus aboletur.

Depravatio ſeu vitiatio odoratus eſt ejusmodi affectus, quô patienti quilibet odor alius videtur ſeu percipitur, ac revera eſt.

Imminutio verò veros quidem odores ad odoratum pervenire ſinit, ſed imminutè, ita ut fortes odores tantum iſtuc penetrent, debiles autem remanere majori ex parte cogantur.

Abolitio autem planè omnem odoribus aditum prohibet, odoratumque nil odorari permittit.

Cauſæ. In differente hac odoratus læſione etiam cauſas differre neceſſe eſt, ſunt tamen in imminutione & abolitione eædem cauſæ, ac ſaltim ſecundum magis & minus differentes, nempe intemperies & obſtructio, quibus quidam addunt aſtrictionem.

Intemperies frigida tam humida quàm ſicca hunc affectum producere apta nata eſt, uti videmus in coryza, quæ paſſio frigida & humida eſt, odoratum penitus intercipi, in hyberno autem frigore intenſo, quod ſiccum exiſtit, diu verſantes, & inſigniter perfrigeratos vix quicquam odorari, donec recaleſcant, frigiditas enim omnes ſenſuum actiones imminuit, ſuſpendit vel abolet, uti omnes ejusmodi defectus in frigida ſenectute potiſſimum adveniunt, morsque ipſa nil aliud eſt quam omnimoda extinctio caloris naturalis.

Obſtructio pariter ab impactione materiæ ſiccæ vel humidæ obvenire poteſt, utrunque enim contingere videmus, quemadmodum inveniuntur, qui diu multumque in pulverulento aëre verſantur, ut ſunt uſtulatores & præparatores calcis vivæ, carbonarii & ſimiles, eâque cauſa admodum ſenſu odoratus debilitantur. Humida verò obſtructio à craſsâ ac tenaci pituita itidem quotidie ſe offert, quâ meatus ſenſiles ſeu narium ductus & inſenſiles ſeu pori cerebri proceſſuumque mamillarium opplentur, quò minus odores pertranſire queant.

Aſtrictio conſimiliter negari non poteſt, quâ viæ odoratus anguſtantur, quod tamen nihil aliud eſt quam incompleta obſtructio.

Depravationis autem cauſa poteſt eſſe congeſtio alicujus materiæ putridæ,

tridæ, nempe ex ulcere narium exhalantis, vel putidâ pituitâ circa nares, vel os ethmoides ſtagnantis, ac odoratum ita afficientis, ut quemlibet odorem alium putet ac revera eſt, quod etiam in depravato guſtu accidit, ita ut res modò amaras, jam dulces acidas, vel inſipidas autumet, quales tamen non ſunt.

Prognoſtica. Prognoſticon quod attinet, odoratus deficiens ſemper debilitatem caloris nativi denunciat, & purgationem cerebri à craſſa pituita indicat. Ejusmodi læſio recens à catarrho proveniens facilè curatur, inveterata autem & confirmata vix unquam; innata verò & à mala conformatione partium ad odoratum pertinentium nequaquam.

Curatio. Curatio inſtituitur pro cauſarum diverſitate incipiendo generali corporis evacuatione, ac imprimis capitis, ac poſtmodum applicando ſpecifica, de quibus etiam

TEXTUS.

Specificum. *IN odoratu abolito ſpecificum eſt extractum majoranæ, ſingulis diebus jejuno ventriculo & veſperi præmiſſis univerſalibus ſumptum, doſis ℈ſ. vel etiam ℈j. item ſal majoranæ affabrè factus, & cum extracto mixtus, aut per ſe ad grana VI. vel VIII. ſæpius in vino ſumptus. Item balſamus majoranæ vel etiam oleum moderatè ad grana ij. iij. IV. aliquando ſumptum penitus morbum tollit.*

Valent etiam ſternutamenta, cum præſertim vitium ſit in obſtructione oſſiculi ethmoidis.

CAP. XLIX.

DE CORYZA, Germ. der Schnupffen.

Coryza gravedo. CORyza ſive gravedo eſt ſpecies catarrhi cuilibet nota, ita ut vix ullus inveniatur, qui eam non multoties ſit expertus, eſtque defluxio è cerebro in nares, vel potius obſtructio oſſis ethmoidis, quam natura reſerare & eluere intendens fluxionem iſtam concitat, ut nimirum copioſa affluente lymphâ catarrhali obſtructio illa eluatur.

Cauſæ. Obſtructio iſta fit plerunque à cauſis externis, nempe ab aurâ frigidâ veſpertina, vento boreali, nudatione capitis & colli tempore nocturno in ſomno, item à calore Solis: incaleſcentiâ corporis ex nimiis exercitiis, compotatione, vel repentina mutatione caloris in frigus & vice verſa, calor enim poros aperit, quem ſi ſubitò frigus inſequatur, eò acutius conſtringit, atque ita ſpongioſum os ethmoidis prægreſſo calore maximè apertum, inſequente frigore ſubitaneo conſtringitur & obſtruitur, quam conſtrictionem natura eluere allaborat, copioſamque aquoſitatem eò mittit, inferioribus autem detrahit, ita ut venter fiat aſtrictior & urina paucior, donec paulatim obſtructio reſeratur, tum enim non amplius tanta aquoſitas tenuis attrahitur, ſed verus mucus generatur ſpiſſus & flaveſcens, & coryza deſinit.

Progno-ſis. Prognoſticon peculiare hic affectus non meretur, periculoſus enim non eſſe ſolet, ſed tantummodò ad aliquot dies caput gravat, odoratum ſuſpendit, ac nonnihil loquelæ impedimento eſt, at intra paucos dies ceſſat.

Curatio ejus auſpicanda eſt aliquo purgativo, ſi vehementius hominem infeſtet, alioquin ferè à quovis negligitur, cum ferè ſemper per ſe rurſus abire ſoleat, imprimis autem ipſi optimè conducit vomitus per aquam benedictam Rulandi, ſi huic non cedat, applicari poterit ſuperiori parti naſi decocti ſabinæ cataplasma calens, cavitati narium etiam intromittitur nonnihil olei cujusdam calidi, nimirum ſtillatitii ſuccini vel alterius interventu digiti auricularis illud introvehentis, reſolvit enim efficaciter obſtructionem & diſcutit; de pluribus remediis loquitur

TEXTUS.

De coryza vide ſupra in catarrho. Hîc etiam valet gummi anime, vel oleum ejusdem pro ſuffitu ſuper carbones. Item tabacum aliquot guttis olei aniſi conſperſum more communi ſumptum.

CAP. L.

DE HÆMORRHAGIA NARIUM, Germ. das Naſenbluten.

Vox hæmorrhagiæ è lingva Græca recepta ſignificat quidem in genere quemlibet ſangvinis fluxum ſeu profuſionem, uſus tamen obtinuit, ut narium ſangvinolenta ſtillatio ab omnibus per eam vocem intelligatur. Nihilominus Author nomen narium addidit, ut eò magis ſpecifica ſua fluxui narium cruento conferentia innoteſcant, & ab aliis ſangvinis erumpentis ſpecificis, nimirum uterinis, pulmoniacis, hæmorrhoicisve diſtingvantur.

Eſt autem hæmorrhagia affectus junioris ætatis ſangvine ſpirituoſo & tumultuoſo præditæ, ideoque facili de cauſa ejus effervescentiam & ebullitionem ſæpiſſimè experientis, non ſecus ac vinum novum nondumque ſatis defæcatum, quod ob ſpirituoſitatem ac turbiditatem ſuam ſeipſum concitat ad fervorem, ut fæces ſuas à ſe dejiciat, quas ſurſum ac deorſum propellit tanto conatu, ut magna pars optimi vini cum fæcibus ſurſum ad foramen orificii vaſis feratur & una effluat; idem etiam fieri in juvenculo ſangvine veriſimile eſt, ut ad amovendam à ſe fæculentiam ſe fervidè commoveat, & præ fervore ſurſum bulliat, ejusque pars per ſummum humani vaſis orificium nimirum nares ſupereffluat, ac dictam hæmorrhagiam conſtituat, in quâ ſangvis per nares prorumpens, vel à venis & arteriis cerebri baſin permeantibus educitur, vel à vaſis à palato ad nares pertingentibus, ſuisque extremitatibus ibi deſinentibus, uti venæ hæmorrhoidales in ano & utero.

Cauſæ. Cauſæ hæmorrhagiæ narium ſunt vel

Anaſtomoſis. Diapedeſis. Rhixis. Diabroſis.

vel anaſtomoſis ſive apertio, vel diapedeſis ſive rarefactio, vel rhixis ſive ruptio, vel diabroſis ſive eroſio. Anaſtomoſis fit à calore & efferveſcentia ſangvinis orificiola venularum aperiente, & proruptionem efficiente. Diapedeſis autem provenit à tenuitate & ſubtilitate ſangvinis, per poros transſudante, quemadmodum argentum vivum ſubtiliſſimas ſuas guttulas per corium ſpargere ſolet, rhixis verò ab externa violenta alliſione nempe ictu vel contuſione contingit venas rumpente, vel etiam à ſuperfluitate ſangvinis vaſa diſtendente, ac disruptionem cauſante. Diabroſis autem ab acredine vel ſalſedine venarum tunicas erodente atque exulcerante. Hæ verò cauſæ plerunque foventur ab aliis cauſis, uti ſunt victus plenior ſangvinem multiplicans, compotatio & ingurgitatio vini meracioris, fortiumque potulentorum, quæ ſangvinem in ebullitionem redigit, uti etiam alia calefacientia nempe vehemens corporis exercitatio, iracundia, œſtrum venereum, incaleſcentia à ſole vel balneis & ſimilia. Sub diverſas igitur differentias comprehenditur hæmorrhagia, cum alia fiat à motu naturæ circa tempus potiſſimum pubertatis, alia à cauſa morbifica ſymptomaticam vel criticam hæmorrhagiam producente, in febribus enim acutis critica excitatur, in morbis verò chronicis ferè ſymptomatica, ob jecur imbecillum, ſangvinem vitioſum generans, qui poſtmodum per iſtas venas educitur.

De hæmorrhagia loquitur etiam Hippocrates in ſequentibus ipſius dictitatis:

Hæmorrhagia narium eſt affectus familiaris pubeſcentibus. lib. 3. aphor. 27

Solvit vehementem capitis dolorem. 6. 10

Conducit in defectu menſium. 5. 33

Surditatem in febribus abigit. 4. 60

Hæmorrhagia in febribus contingens, ventris lubricitatem in reconvaleſcentia efficit. 4. 27

Abſceſſus generationem impedit in articulis, maximè ſi unà urina alba craſſa copiosè emittatur. 4. 74

Hæmorrhagia narium in præcordiis tumidis inter primos circuitus admodum ſalutaris. lib. 1. præſag. 28

Contingere ſolet in vehementi capitis dolore febrili, ad diem vigeſimum durante. 3. 13

Præcipuè in junioribus triginta quinque annis, temporibusque & fronte dolentibus. 3. 14

Hæmorrhagia in quartana mala. lib. 7. aph. 87 8. 3.

Aphor. 87. lib. 7. in quibusdam exempl. non extat.

Prognoſis hujus affectus in hunc modum ſe habet, quod hæmorrhagia narium mediocris & per rara intervalla adveniens ſalutaris eſt, natura enim à ſuperfluo pondere ſe exonerat, at ſi nimis crebræ ac magnæ ſint ejusmodi ſangvinis profuſiones, ad certum interitum deducunt, ſe-

quitur enim poſtea hydrops omnino incurabilis, ita ut exempla non nota ſint curatorum ab hydrope, qui hæmorrhagiam narium ſeqvutus ſit, in quem etiam conjicit, ſi per lenta ſpacia ejusmodi ſangvinis fluxio per nares diu fatiget, at ſi confertim & continuatim fiat, lethalem convulſionem excitat.

Peſſimum etiam ſignum in quartana eſt hæmorrhagia, quia quartana eſt morbus frigidus & ſiccus, ſangvinis verò eruptio adhuc magis refrigerat, eâque ratione in omni morbo frigido, uti ſunt tam melancholici quàm phlegmatici, ſangvinis emiſſio nocet, quia ſemper frigiditatem, & per conſequens etiam morbum auget.

Stillæ ſangvinis paucæ in febribus acutis per nares exeuntes pravum ſignum præbent, & imprimis in morbi principio, eò quod omnis excretio juxta Hippocratem, quæ tantùm incipitur, & non finitur, damnanda eſt.

Curationis ſcopus.

Curatio præmiſſis univerſalibus nempe venæſectione, frigidorumque applicatione tam intrinſecè quàm extrinſecè fit per ſpecifica, quorum multa ſunt, inter quæ etiam maximè commendamus lutum furnorum in rubedinem uſtum, aceto temperatum, & fronti alligatum, item aqua, in qua unum vel alterum ovum ad duritiem coctum ſit, de qua in ejusmodi caſu hauſtus bibatur, plura recenſet

TEXTUS.

HÆmorrhagias narium excitat (a) *millefolium, cujus ſuccus recens expreſſus naribus attrahitur* (*pulvis minus efficax*) *item flammula* (*ſed minori cum efficacia*) *conſtrictus leniter faſciâ venis jugularibus. Vide P. Bayerum capite de polypo.*

Eandem ſi ſiſtere lubet, proximum eſt: accipe 1. fumum de pilis leporinis ſub ventre naſcentibus, vel caudæ extremitate, die weiſſen Haar am Haſen / *xenia Paracelſi.*

2. Hæmorrhagiam narium ſiſtit pulvis bufonis exſiccati in nares inſufflatus, vel laciniis inditus, aut bufo integer ſub axillis geſtatus.

3. Flores bellidis minoris in manu patientis aliquandiu detenti, ſangvinem ſiſtunt. Alioquin iidem flores ſangvinem coagulatum & putreſcentem extra venas mirâ proprietate diſſolvunt, & conſumunt, ſi in cibo uſurpentur (*etiam in partibus diſtantiſſimis, v. gr. ſub ungvibus.*)

4. Stipites melanthii admoti vel geſtati etiam idem faciunt ſiſtendo ſangvinem.

5. Laudanum opiatum vel intro ſumptum, vel etiam cum pilulis naribus intruſum.

6. Lamina argentea (*verbi gratiâ thalerus*) *inter cilia fronti applicetur* (*fortiſſimè*) *faſcia, extemplo juvat.*

Hæmorrhagiam ſiſtit extra-

ctum

ctum croci martis ſequens, ſi ejus grana IV. cum aqua plantaginis exhibentur.

Croci martis paratio.

℞. limaturæ martis ℥j. affundantur paulatim & ſucceſſivè ℥IV. ad VIII. aquæ fortis, digerantur per noctem in cineribus vel arenâ. Hinc per alembicum aqua fortis abſtrahitur ad ſiccitatem: pulveri reſtanti affundatur ſpiritus vini ad duorum digitorum eminentiam, digeratur totum, donec rubeſcat. Hinc à fecibus decantatur, & in B. vel cineribus usque ad oleitatem deſtillatur.

Lepus in martio captus, exiccatus & pulveriſatus, pulvis in naſum vel vulnus immittatur.

(*a*) Ejusdem efficaciæ eſt ſuccus calendulæ recens expreſſus.

DE REMEDIIS HÆMORRHAGIÆ CRITICÆ.

HÆmorrhagia narium critica niſi copiâ vires proſternat, non impedienda: morboſæ verò mox in principio ſuccurrendum.

Quare ad ea, quæ ſangvinem avertunt ad alias corporis partes, accedendum, & ſi indicantia permittant, vena ſecetur brachii externa, nec magna ſangvinis quantitas unâ vice detrahatur, ſed reiteratis vicibus, horâ unâ intermiſſâ, ſemper pro virium robore.

Cucurbitæ magnæ hypochondriis & inter ſcapulas applicentur. Omnia acria & calida vitet, vinum granatorum cum aquâ chalybeatâ dilutum bibat, ſuccum ribium inſpiſſatum vel conditum eorundem per intervalla aſſumat: Syrupis utatur refrigerantibus, ut de corallis Quercetani dilutis cum aquâ cichorii, endiviæ, portulacæ, nymphææ, additâ drachmâ unâ atque alterâ ſalis prunellæ; aquam item è typhis cervorum aſſumat, terram ſigillatam, bolum armenum cum ſpeciebus diatrion ſantalon in formâ aut aquæ cardiacæ cum confectione de hyacintho, aut in forma boli cum conſerva.

Epithema item applicetur exterius epati ex aquâ endiviæ, cichorii, roſarum, nymphææ cum floribus roſarum rubrarum, ſantalo, camphorâ, additis ſemine portulacæ, oxalydis, cichorii, cum pauco aceto. Statim hinc ſequente manè purgetur infuſione rhabarbari cum ſyrupo roſarum ſolutivo aut de cichorio cum rhabarbaro.

Fronti quoque & temporibus adhibeantur medicamenta adſtringentia, & refrigerantia: imprimis fiat cataplasma ex bolo armeno, aut ſangvine draconis

cum

cum albumine ovi ſubactis, immittatur turunda naribus è granis quinque aut ſex laudani opiati cum panno in aquam roſarum intincto: aut fiant pilulæ duæ ex laudano, occludendo illis narem utramque. Aut ſtercus aſininum aut ſuillum aceto roſaceo diſſolutum immittatur in nares, quod vel ſolo odoratu ſæpius ſangvinem ſiſtere compertum, ſi cum aqua roſarum & camphora mixtum ſacculis includitur ad odorandum.

Ad collum, ubi venæ jugulares aſcendunt, applicantur lintea in aquâ ſperniolæ, in qua parum camphoræ & ſachari Saturni ſolutum ſit, intincta.

Eadem aqua utiliter ad epithemata epatis & teſtium, qui involvi poſſunt linteis imbutis aceto roſaceo, in quo ſperniolæ compoſitum diſſolutum, adhibeatur.

Imò dictâ aquâ lavare faciem & nares commodum, quia coagulat ſangvinem: ita & in hæmorrhagiis quibusvis vulnerum applicari cum linteis commodiſſimè poteſt. Vide notas ad Crollium.

CAP. LI.
DE FACIEI ET ORIS VITIIS AC PRIMUM DE RUBORE FACIEI.

PRærogativa hominis præ cæteris animantibus inter alia etiam ex facie ipſius elucet, quam ſummè reverendus Creator ipſi non pronam & ad terram demiſſam ut brutis, ſed verſus cœlum verſam contulit, quò identidem admoneretur, ſe tantummodò ad hoſpitandum & exulandum pro tempore in Mundum eſſe conſtitutum, & non ad manendum hîc æternùm, ac proinde ſibi ſemper cogitandum eſſe de futurâ patriâ nempe cœlo, & tanquam filio lucis ambulandum in luce, quam aſpectus pulcherrimorum luminum, nimirum Solis, lunæ, aſtrorum & firmamenti ipſi perpetuò in memoriam revocat, quod probè intellexit Ovidius in Metamorph. optimè in hunc modum ſcribens:

Os homini ſublimè dedit, cœlumque tueri
Juſſit & erectos ad ſydera tollere vultus.

Pars hæc ſola omne frigus nuda ſuffert, nullâ enim re tempore hyemis contegitur, & præter barbam tota glabra eſt, unde liquet, ipſam non mediocri caliditate eſſe præditam.

Affectus ejus non adeò morboſi ſunt, ſed ferè ad ornatum ſaltim ſpectant, eique obeſſe ſolent, uti in ſequentibus percipiemus; Primùm autem loquitur Author

DE

DE RUBORE FACIEI, *Germ.* ein rot/kupffern Angeſicht.

Rubedo faciei vitioſa.

RUbedo itaque faciei eſt vitioſa mutatio naturalis coloris faciei, quem aliàs ferè communiter habere ſolet, in alium aliquantulum minus naturalem, quo facies admodum rubicundo colore ſolet tingi, & in quibusdam etiam obduci exiguis puſtulis, vel minutulis tuberculis, absque ullo tamen dolore, aut ſuppuratione, ſed deformitatem aliquam ſolummodo infert, in quibusdam ſolum naſum hæc rubedo occupat cum majoribus tamen tuberculis, & deformiori inæqualitate, & gutta roſacea nominatur, de qua ſuperius egimus, in aliis rurſus tota facies rubedine effloreſcit, de quâ hic ſermo fit.

Cauſæ.

Cauſa hujus affectus exiſtimatur hepatis calida intemperies, qua ſangvis fervidus generatur, ſangvinem ita pertingens, quemadmodum etiam in pudore, & æſtuante calore à balneis vel exercitiis excitato fervefactus ſangvis ejusmodi ſangvineam rubedinem in faciem propellit. Advenire etiam ſolet hæc rubedo à nimia bibacitate vini meracioris, eſtque ferè unum & idem, potatio enim ſtrenua fortium potulentorum hepar incendit, ejusque intemperiem calidam producit.

Prognoſis ejus eſt, quod hic rubor faciei non facilè auſcultet medicamentis abeatque, verum non adeò magnam parit moleſtiam aut ſanitati incommodat, quanquam ita affecti plerunque ſint fratres ſiticuloſi.

Ad curationem ejus uſurpari etiam poſſunt quæ ſuperius cap. 44. pro gutta roſacea tradita ſunt, & quæ jam recenſet

TEXTUS.

IN rubore faciei 1. fit reſpectus ad (a) *hepar, ex cujus intemperie ejusmodi rubores inſoliti provenire ſolent. Radix itaque cichorii cum toto, præmiſſis univerſalibus, in infuſo aliquandiu uſurpata hepar corrigit. Idem faciunt aliæ.*

Poſtea deſcendatur ad localia, quæ ſunt: ℞. *maſticis, thuris albi, camphoræ ana, ſolve cum ſpiritu vini, quo faciem manè & veſperi ablue per menſes duos vel tres, ac ſimul fiat ſcarificatio auriculæ ſingulis menſibus ſemel vel bis, interdum præſertim verò ſingulis menſibus illinatur facies tota ungvento de ceruſſa camphorato, & abluatur viciſſim cum lixivio ex cineribus caulium braſſicæ facto, & tandem deſinet rubor. Ejusmodi plura ſunt in antidotario Weckeri.*

(a) Sequens præſtans eſt contra ruborem & puſtulas faciei:

℞. lythargyrii præp. ℥ſ. aceti deſtillati ℥IV. bulliant ad tertiæ partis conſumptionem, & in alia olla bulliant ſalis communis & aluminis ana ℥ſ. thuris ℈j. aquæ roſarum ℔ſ. miſce utrunque decoctum, & poſt colaturam per linteum videbis liquorem in modum lactis albentem, quo

facies abſtergatur, tollit maculas & puſtulas. Sequens verò eſt ſpecificum ad puſtulas:

℞. Mercurii ſublimati ʒj. ungventi roſati ʒij. fiat mixtura perfectiſſima, quâ obline puſtulas, dolebunt & tumeſcent parum, mox ſubſidebunt, & radicitus decident. Ablue locum aceto, limaturâ cornu cervi imprægnato, in quo camphoræ parum cum ſacharo albo contuſæ ſolutum ſit, mira experieris. In defectu horum uſurpandum eſt menſtruum juvenculæ, optimè valentis in aquâ calidâ diſſolutum, quo per aliquot dies facies veſperi lavetur, & ſponte exſiccetur, rubor evaneſcit, & nova cuticula ſuccreſcit.

CAP. LII.
DE PUSTULIS ET MORPHÆA, *Germ.* die Muſelſucht.

RUbor faciei, de quo in præcedenti capite dictum eſt, ac gutta roſacea, item rubea tubercula, puſtulæque nec non morphæa cognati ſunt affectus faciem depravantes, ac venuſtatem tollentes, ac ſaltem gradibus inter ſe differunt, dum enim rubicunda phlogoſis in facie apparet, in conſtanti rubore permanens, nilque præter aliqualem deformitatem damni inferens, tunc ille affectus eſt, de quo præcedens caput agit, ſi verò ea rubedo etiamnum exaltatur, plurimaque tubercula faciei ac imprimis naſo inſpergit, gutta roſacea, & ſi vehemens ſit, gutta rabioſa appellatur, in eis tamen non eſt exulceratio, ſed tubercula ſicca rubicunda excitant, quæ veluti puſtulæ carneæ ſunt, neque exulcerantur, nec pruritum vel dolorem inferunt, aſt ſi rubor mutatur in colorem lividum, violaceum, fuſcum, vel cinereum, ac tubercula in puſtulas & veſiculas abeunt, tunc vera eſt morphæa, quæ duplici modo contingit, nempe vel ex transmutatione guttæ roſaceæ in eam, vel etiam ſponte in temperamentis melancholicis enaſcitur. Morphæa quid? Morphæa duplex.

Eſt itaque morphæa affectus melancholicus in cute faciei enaſcens & non alibi, & ſi fortè alibi corporis aliquid ſimile pronaſceretur, non eſſet tamen morphæa, ſed potius ipſa lepra, morphæa enim alium locum non infeſtat quam faciem, neque etiam ulterius ſerpit, ſed in facie fixa manet, excitans ibi puſtulas humidas, pruritum, dolorem & intumeſcentiam, tantamque coloris fœditatem, ut ignorantibus lepra videatur, ſed, uti dictum, ea non eſt, neque in eam mutatur, vocem etiam non reddit raucam ut lepra, ubicunque enim raucedo vocis aliaque ſigna lepræ concurrunt, morphæam tunc non adeſſe certum eſt. Sedes Morphææ. Signa.

Cauſa hujus affectus procul dubio eſt ſangvis melancholicus & atrabiliaria conſtitutio, quæ naturæ eſt frigidæ, paucosque ſpiritus ſangvineos habet, qui ipſam à corruptione præſervent & tueantur, non ſecus ac vinum auſterum ac debile, ob paucitatem ſpiritus ardentis non diu conſervatur, ſed mucidum fit, dulce verò ac forte vinum ſemper ſpiritu ardente abundat, atque ab eo diu- Cauſæ.

diutiſſimè conſervatur, uti per deſtillationem obſervatur.

Sicuti ergò vinum debile in ſuperficie muceſcit, cuticulam generat ac fracedinem, ita etiam ſangvis temperamenti melancholici naturæ frigidæ eſt atque auſteræ, ac ob paucitatem ſpirituum ſangvineorum corruptionis maculam in ſuperficie nempe in cute contrahit, uti omnes melancholici colorem cutis fuſcum, lividum & ſubluridum habent, atque in dicta cutis ſuperficie facilimè mucorem quaſi contrahunt, ſive cutaneam corruptionem, qualis eſt ſcabies, tinea, pſora, lepra, morphæa, ulcera phagedænica & ſimilia.

Progno-ſtica. Prognoſis hujus affectus hæc eſt, quod in prima ſua inceptione iisdem remediis, quæ guttæ roſaceæ medentur, curari poteſt, tum enim in exteriori ſaltem cute hæret, proceſſu autem temporis introrſum fermentat, reliquumque ſangvinem & carnem ſua fracedine inficit, ac ad corruptionem diſponit, quâ poſtmodum exulceratur, ac nigricantem cruſtam profert, parteſque exulceratæ demum excidunt, ſignumque certum præbent, morbum jam eſſe confirmatum & inſanabilem, actualemque putredinem incepiſſe, quæ reſtaurationem non patitur, ſed putrefactum manet putridum, ac ulterius putrefacit, tumque caput dolere incipit, ac febris cum interno calore generatur, quæ certum ſignum eſt ſecuturæ mortis.

Curatio. Curationem quod attinet, ſperari ea poterit affectu nondum confirmato, ſed in principio adhuc exiſtente, cujus ſcopus eſt, ut præmiſſis univerſalibus, nimirum purgatione ac mundificatione ſangvinis, ubi præ cæteris inſervit præcipitatus aureus alibi à nobis edoctus (venæſectio hic nullatenus confert ſed malum magis ſangvinem refrigerando auget) ea in crebriorem uſum vocentur quæ ſpiritu ſangvineo turgent, cujusmodi ſunt herbæ joviales, nimirum ſcabioſa, ſcrophularia (cujus radix tuberoſa ſignaturam dat, quod contra omnes affectus tuberoſos inſerviat) aliæque ſub triplicitatem ſangvinis pertinentes, atque à Carichtero per gradus conſignatæ, quæ continuato uſu interius uſurpentur, exterius autem adhibentur ſpecifica prioris capitis, atque ſequentia, de quibus loquitur

TEXTUS.

IN puſtulis faciei eadem valent, ſed præſtantius eſt menſtruum (virginis vel aliàs juvenculæ boni habitus) in aqua calida ſolutum, quo ſi per dies aliquot ſub veſperam eundo cubitum facies lavetur tota, & ſponte exſiccetur, puſtulæ cadunt, ſuccreſcente novâ cuticulâ, & rubor perit. Specificum.

In iisdem puſtulis & morphæa totius faciei radicitus extirpandis mirificè valet oleum bufonum, quod fit hoc modo: ℞. bufones vivos (propter ſignaturam macularum in bufonibus) num. tres vel quatuor, coque in olei olivarum Oleum bufonum.

℔ij. per integram horam, poſtea cola. Hoc oleo illine faciem aliquoties, ſed ſingulis diebus ſemel, poſt aliquot dies cadunt puſtulæ, & morphæa ſanatur, omnium fortiſſimum eſt hoc oleum, ideoque cæteris nihil proficientibus ad id accedendum.

CAP. LIII.
DE VARIS, *Germ.* Finnen deß Angeſichts.

Vari, jonthi. VAri ſive jonthi ſunt exigua & duriuſcula tubercula in facie circa naſum pronaſcentia, modò rubicunda, nunc inſtar perlæ candicantia, magnitudine ſeminis cannabini, atque etiamnum minori, rubea interdum aliquantillum doloris inferunt, & in maturationem abeunt, ubi expreſſi non nihil puris cum ſangvine mixti ex ſe projiciunt, ita ut quaſi cum impetu prorumpat, albicantia autem merum albidum pus continent, atque ungve lacerata facilimè emittunt, quædam autem exſiccantur & planè indolentia evadunt, cuſpide tamen aciculæ expuncta pus induratum expreſſione reddunt, magnitudine capitis aciculæ, dolorem autem nullum vel ante vel poſt expreſſionem movent.

Cauſæ. Cauſæ varorum ſunt alimenta pingvia, potusque fortis & calidus, item abundantia ſeminis prolifici, quemadmodum eos familiares eſſe conſpicimus adoleſcentibus jam ad venerem maturis; item hepar calidum, calorque aëris ambientis, magis enim æſtate quàm hyeme generantur, quinimò plerique juniores maſculi materia eorum ſcatent, quamvis non omnibus erumpant, majori enim parte ſparſim ea materia verſus poros cutis movetur, atque ferè in omnibus poris particula quædam ejus inhæret & exprimi poteſt, ubi compreſſione quamplurima exigua fruſtula quaſi ſpiſſæ pingvedinis exeunt, phlegmaticis autem ea materia in peculiaria tubercula colligitur, idque non ſolùm in hominibus, ſed etiam in quibusdam porcis, ubi in tanta copia generantur, ut dudum magiſtratibus providendum fuerit in hac re, ne caro ejusmodi porcorum mactatorum indiſcriminatim vendatur, cum eam comedentibus lepram parere poſſint, ſi tamen hujuscemodi porcis ante eorum mactationem antimonii crudi pulveriſati nonnihil in eorum pabulo devorandum detur, tunc materia varorum expurgatur, ita ut poſt mactationem nulli vari inveniantur, ſed potius mera ſvaviſſima caro deprehendatur.

Prognoſis eorum eſt, quod nihil periculi inferant ſed tantummodò aliqualem dedecorationem, at ſi frigidioribus topicis quis ſtudeat copioſam eorum eruptionem impedire, conatus iſte interdum non caret periculo, pingvis enim hæc impuritas ſi retrocedere in corpus cogitur, periculoſam intus alicubi collectionem facilè excitare poteſt. Prognoſtica.

Curatio eorum perficitur mundatione ſangvinis, quæ fit per venæſectionem & purgationem phlegmati-

gmaticam, poſtmodum applicantur topica, ut habet etiam

TEXTUS.

IN varis nihil præſtantius eſt oleo granorum lauri ſæpius illito.

CAP. LIV.

DE SUGILLATIONE, *Germ.* unter geronnen Blut.

Sugillatio quid? SUgillatio eſt effuſio ſangvinis ſubter cutem, ubi per cutem aliquantulum transparentem colorem lividum oculis ſubjicit, fiunt autem lividitates duplici modo, nempe vel ab humore, & tunc vocantur ecchymoſes & ecchymomata, quæ verò ab externa violentia ut ſunt plaga, ictus, alliſio, excitantur, appellantur vibices, ſtigmata, & ob lividitatem peliomata; curantur facilè diſcutientibus, & ſangvinem reſolventibus, cujusmodi eſt emplaſtrum illud diſſipativum ſupra cap. 32. deſcriptum, reſolvit etiam breviquе diſcutit cruorem ſubter pelle nigricantem raſura recentis bryoniæ, vel raphani, item nucleus juglandis cum melle & ſale contuſus & ſuperpoſitus; item vulgare illud officinarum ungventum de alabaſtro, pluraque alia, imprimis ea quæ docet

Ecchymoſes. Ecchymomata. Vibices. Stigmata. Peliomata.

TEXTUS.

IN ſugillationibus applicatio carnis bubulæ recentis unicè prodeſt; ſic charta illa emporetica craſſior cum ſputo applicata intra horas aliquot ſanat.

CAP. LV.

DE LENTIGINE, *Germ.* Sproſelen / Sommerflecken.

LEntigo ſive lenticula eſt vulgatiſſimus affectus faciei & manuum, proferens in eis parvas cutis maculas magnitudine lentium, unde nomen lentiginis; ac colore ex flavo rutilante, quæ hyemis tempore iterum diſparent, & ſub reditum ſolis denuo ſupra & prope naſum, in exteriori parte manuum, ac ea parte pectoris, qua induſium hiare ſolet, confertim erumpunt, idque plerunque in talibus hominibus, qui cutem admodum albicantem habent, neque ullam aliam moleſtiam inferunt, niſi quod venuſtatem aliquantulum imminuant. Signa.

Cauſa lentiginis eſt bilioſa effloreſcentia ſangvinis, à calore Solis excitata, in his qui tali bilioſâ tincturâ abundant, cujusmodi ſolent eſſe rufi ſive rubeos capillos habentes, qui eâdem materiâ tinguntur, ac temperamentum bilioſum indicant, rufi enim ferè omnes bilioſi & litigioſi ſunt, & ſæpiſſimè lentigines cum rubeis capillis conjunctas habent. Cauſæ.

Prognoſis earum eſt quod nunquam ſanitati adverſentur, ſed potius conferant, ſexus tamen muliebris tantoperè venuſtati ſtudet, ut ſæpius etiam valetudinem poſthabeat, cui & varia remedia contra lentiginem in uſu ſunt. Inungunt enim fella quadrupedum & piſcium, vel liquorem qui in folliculis arboris ulmi invenitur. Prognoſis.

Vel formicas rubeas in panno ligatas exprimant, ſuccumque illinunt, & plura alia, de quibus etiam

TEXTUS.

Lentigines (Honigflecken) *curantur cum oleo ceræ & oleo tartari per deliquium, ſi ana permiſceantur, & lentigo faciei eis illinatur.*

CAP. LVI.
DE IMPETIGINE ET LICHENE, *Germ.* Zittrachten und Flechten/ *item DE VERRUCIS*, *Germ.* Wartzen.

Pars affecta. IMpetigo, ſerpigo & lichen ſunt affectus cutis non tantùm in facie provenientes, verùm etiam in aliis carnoſis partibus, nimirum in collo, manibus &c. præcipuè tamen his, quæ nudum aëris attactum ſemper tolerant, ut facies & manus, ubi primo ſcabrities quædam cutis exoritur, quæ ſenſim augetur, profundiusque & latius ſerpit, ac cutem reddit ſcabram & furfuraceam, demum verò eam findit atque in fiſſuras dividit, nonnulli hos affectus inter ſe diſtingvunt, ac incipientem cutis ſcabroſitatem vocant impetiginem, furfuroſitatem autem, fiſſionemque & ſquamulationem ſerpiginem, at immeritò, unus enim & idem affectus eſt, ac tantummodò eam habet differentiam, quòd modò mitior jam ferior eſt, lichenis nomen autem propriè huic affectui non competit, per lichenem enim & herpetem Medici Græci ſcabiem ſiccam intellexere.

Signa.

Cauſæ. Cauſa hujus affectus plerunque eſt à ſubtilitate & ſiccitate aëris ambientis, qualis ſpirare ſolet in Martio & à ſeptentrione, eosq; ad hunc affectum diſponit, qui temperamenti ſunt humidi teneramque & mollem habent cutem, quam aër ſiccior ſubitò exſiccat, ac ſubtiliſſimâ ſuâ frigiditate adeò penetrat, ut aliquo modo quaſi pulvereſcat, ac tota ſcabra reddatur, uti experimento norunt illi, qui flante ejusmodi aëre ſicco manibus ſuis aquam multum tractare opus habent, eisque humectatis mox in aërem ſe conferunt, rapidè enim quaſi ab aëre exſiccante humiditas illa ſiccatur, quæ antea cutem mollificabat, quâ evaporatâ & abſumptâ cutis fit ſcabra & arida, quæ ſcabrities & ariditas nil aliud ſunt quàm deſcriptus jam affectus. Præterea etiam per contagium aliis communicari poteſt, nimirum uſu ejusdem lecti, veſtium, linteorumque, quibus impetiginoſus quispiam uſus fuit.

Adhæc non raró ex inordinatâ diæta ejusmodi collectio ſalſa & calida contrahitur, quam natura poſtmodum ad circumferentiam cutis propellit, quam inſtar calcis vel aluminis exſiccat & ſcabrificat.

Prognoſis. Prognoſis ejus in hunc modum inſtitui poteſt, quod hic affectus niſi impetigo ex Gallica ſit lue (quæ huc non pertinet ſed ſub proprio capite tractabitur) non magni ſit momenti, verùm facilimè curari poſſit, dummodò mox ab initio remedia adhibeantur, at ſi negligentius tractetur, vel patiens quoque tempe-

temperamenti ſit melancholici, tunc tandem cruſtas gignit, & inveterata in lepram terminari poterit.

Curatio. Curatio ab initio affrictâ jejuni ſalivâ, vel muriâ ſaliti butyri fieri poteſt, melius tamen eſſet ſi ſimul mundificatio ſangvinis inſtitueretur, quamvis non abſolutè neceſſaria ſit, poſtmodum accedendum ad ſpecifica, ubi imprimis inſervit liquor ille, qui in doliolis venalis ungventi aurigarum (Ther oder Wagenſchmier) in ſuperficie dicti ungventi fluctuat, illitus enim ſerpigini brevi eam abigit; licet flavedinem cutis relinquat, quæ & ipſa aduncto oleo tartari per deliquium iterum diſparet, alium curationis modum docet etiam

TEXTUS.

Eodem modo impetigines, lichenes (a) *& volatica faciei ſcabies curantur.*

Verrucæ faciei tolluntur eo modo, quo in toto corpore.

(a) Plura de his Infra cap. 196. habebuntur.

CAP. LVII.
DE SPASMO CYNICO ET PARALYSI LABIORUM.

Spaſmus cynicus quid? Spaſmus cynicus ſive canina convulſio eſt contorſio oris, in qua muſculi oris à ſuo loco diſtorquentur, ita ut labris prominulis canum venaticorum conſimiles videantur, eſtque paralyſis ſeu reſolutio muſculorum oris & annexorum mandibulis, in qua os in alterutram faciei partem retorquetur, ac naturalis conſtitutio oris admodum vitiatur ac deformatur.

Cauſæ. Cauſæ hujus affectus plerunque ſunt acuti capitis morbi, nempe apoplexia, epilepſia & paralyſis, quæ vehementi ſuo inſultu ramos tertii paris nervorum oris nec non faciei muſculis inſertos contrahunt, qua contractione muſculi una tracti convelluntur, ac in alterutram partem retorquentur, abreptâ eorum propriâ configuratione ac deturpatâ; contingere etiam poteſt à vulneratione ac transverſa diſſectione nervorum muſculorumque oris, malâque curatione ejuſmodi vulnerum.

Paralyſis verò ſeu reſolutio labiorum contingit pari modo ut aliarum partium, videatur itaque ſupra caput de paralyſi

TEXTUS.

Spaſmi cynici curatio eadem quæ ſpaſmi in communi.

Paralyſis labiorum curatur ut paralyſis vulgaris, de qua ſupra de paralyſi.

CAP. LVIII.
DE FISSURIS LABIORUM, Germ. Schrunden der Leffzen.

Labia humana etiam nonnullos affectus proprios habent, quorum potiſſimum tres ſunt, nempe fiſſuræ, veſiculæ & aſpredo, fiſſura eſt disruptio pelliculæ labiorum, quæ frequenter contingit in inferiori labio, idque ex ſiccitate pelliculæ, ob

ob quam non poteſt extendi, ſed rumpitur, ſi homo ridet, & labia in riſu extenſione opus habent: veſiculæ creberrimè exoriuntur modò in inferiori, modò in ſuperiori labio, in quibus clara lympha continetur, quæ disruptis veſiculis effluit, & cruſtam ſuper veſiculis relinquit, quæ tandem areſcit & decidit. Aſpredo ſive aſperitas labiorum eſt, quando dicta pellicula ex nimia caliditate ſquamatim ſe à labiis ſeparat, deglubique ac detrahi poteſt; ſciſſuræ etiam in aliis corporis partibus mollioribus provenire ſolent, nimirum lingva, volis manuum, digitis, podice, plantis pedum, nec non in verendis fœmineis. In labiis autem frequenter aliquid ſangvinis ex eis prorumpit, præſertim in biliofis hominibus ad iram commotis.

Veſiculæ labiorum.

Aſpredo.

Cauſæ.

Cauſæ fiſſurarum ac aſperitatis labiorum ſunt: aëris conſtitutio ſicca & ſqualida, qualis in Martio & flante boreâ contingit, item diuturna commoratio in ſolis radiis, vehementique frigore aëris, item iracundia & bilis commotio, vapores ventriculi nidoroſi, quales in febribus ardentibus contingere ſolent, veſiculæ autem cauſas habent onerationem ſtomachi, quando nimirum aliquid concoctu difficile ingeſtum eſt, item repentina conſternatio, & timor nonnunquam veſiculas excitant.

Prognoſtica.

Prognoſis horum affectuum ſic ſe habet, quod ſciſſuræ labiorum in febribus ardentibus bonam ſpem denunciant, naturæ enim concoctionem prævalere oſtendunt, fiſſuræ autem lingvæ contrarium in febribus ſignificationem indicant, internamque putrefactionem oſtendere videntur, rimæ volarum manuum plantarumq; pedum indicium præbent, ejusmodi hominem iſtis partibus multum frigoris perferre, & ſi nimium profundæ ſunt, infectionem morbi Gallici denotant.

Curatio ſciſſurarum fit inunctione mucilaginis tragacanti vel ſeminis cydoniorum cum aquâ plantaginis vel millefolii extractæ, vel ungventi pomati, veſiculæ autem citò curantur, ſi forfice abſcindantur, ac poſtmodum inungantur ungvento ex ſulfure, oleo oliv. & pulvere baccarum lauri. Optimum quoque eſt ſpecificum, de quo

TEXTUS:

Experimentum.

IN fiſſuris labiorum curandis valet pingvedo quæ ex cochlearibus ligneis ad coquendum in culina uſitatis, ſi aliquantulum igni admoventur & torrentur, ediſtillat. Hac nimirum pingvedine fiſſuræ illitæ citò curantur.

CAP. LIX.

DE STUPORE DENTIUM, *Germ.* ſtumpffe Zähne.

Hæmodia.

STupor dentium ſive hæmodia eſt ejusmodi affectus, quo dentes ſenſu tactus vitiantur, & quaſi ſtupentes fiunt, ita ut non niſi cum moleſtia cibum duriorem commaſticare poſſint.

Cauſæ.

Cauſæ ſtuporis dentium ſunt. Come-

Comeſtio rerum auſterarum, & acidarum, quales ſunt prunellæ ſylveſtres, uvæ immaturæ, poma immatura acerbaque, mala cydonia, item potus peracidus, uti vinum auſterum, aliaque acida potulenta.

Curatio. Curatio fit per calefacientia, & abſtergentia aciditatis dentibus inhærentis, uti ſunt, caſeus vetuſtior commaſticatus, vinum calidum in ore retentum, portulaca viridis commaſticata & ſimilia, alia habet

TEXTUS.

IN ſtupore dentium fricentur dentes ſtupidi ſale, vel maſticetur pannus laneus vel piloſus pileus.

CAP. LX.
DE NIGREDINE DENTIUM.

NIgredo dentium eſt affectus vulgariſſimus & quotidiè in innumeris conſpicabilis, quorum dentes vel atri, vel fuſci, vel lividi ſunt, vel fulvam mucilaginem, tartareumque tophum adnaſcentem habent, aſpicientibusque munditiei cultoribus nauſeam pariunt, quippe qui norunt, hoc vitium ex incuria tantùm provenire, & unumquemque poſſe habere candicantes & eburneos dentes, ſi modò eos debitè mundet, quod & facere debebat, cum hoc propriæ ſanitati conducat, putridi enim & putidi dentes ſemper fœtidum & abominabile quid inter edendum detritu emittunt, quod cum cibo & ſaliva in ſtomachum pergit, nihilque boni ibi generare poteſt, inter combibendum verò cum aliis, uti plurimorum fert conſvetudo, quod tota ſocietas ex uno cantharo bibat, non poteſt non ejusmodi ſpurcities nauſeabilis eſſe, cum potus in cantharo putridos dentes alluat, & ceſſando à bibitione refluat in cantharum, & aliquid putidi ſecum in eum revehat, quod poſtmodum aliis communicatur.

Cauſæ nigredinis dentium ſunt: crebra comeſtio ſachari, quod dentes adeò putrefacit, ut fruſtillatim excidant, nigreſcant, caventur, imò prorſus abſumantur, eandem operationem etiam præſtat caſeus putridus antiquus inſtar ungventi mollis, quem aliqui in deliciis habent, ſed dentes eorum putrilagine depaſciur, item frequens lacticinium, dulciumque eduliorum uſus, cibi nimium calidi, crapulæ, præcipua autem cauſa eſt incuria & neglectio mundificationis dentium & collutionis oris. Cauſæ.

Curationem docet

TEXTUS.

IN nigredine dentium evitandâ præſertim evitetur acetum & cibi admodum calidi.

Removeatur item ſæpius adnatus tartarus & impuritates dentium, colluendo os à ſumpto cibo vel cum aqua ſalſa vel etiam cum vino.

Deinde nigredo & colores dentium fœdi hoc modo commodè auferuntur: ℞. *aquam fontanam, dilue in eadem ſpiritum vi-* Experimentum

trioli vel aquam ſeu ſpiritum a luminis q. ſ. ne ſcilicet nimium aceſcat. Cum hoc lavamento quotidiè manè & veſperi cum licinia lanea frica dentes diligenter, deinde eosdem frica cum magiſterio corallorum, vel cum hoc pulvere (a)

Pulvis dentifricius.

℞. *mandibularum lucii piſcis*
coralli albi
cornu cervi uſti
aluminis uſti
radicis ireos an. ℨſ.
ſalis gemmæ ℨj.
m. f. pulvis.

(a) Inſignis etiam pulvis dentifricius paratur in ſequentem modum, dentes non modo dealbans, verùm gingivis quoque conducens:

℞. Balauſt. ℥j.
teſtarum concharum ℥ij.
corallor. rubeor.
albor. an. ℥j.
cornu cervi uſti ℥ſ.
aluminis uſti
pumicis
cremoris tartari an. ℨij.
ſangv. dracon. ℥j.
maſtic. ℨij.
fiat pulvis, excipiendus fruſtulo lintei, eoque dentes confricandi.

Nigredo dentium & lingvæ ex eſu ceraſorum & myrtillorum extemplo tollitur ſuffitu candelarum ſulphurearum (Schwefelſtecken) *faucibus tamen propter fumos nocivos occluſis.*

CAP. LXI.
DE MOBILITATE DENTIUM MORBOSA, Germ. das Wackelen der Zähne.

VAcillatio mobilitasque dentium eſt quando dentes in alveolis ſuis non amplius firmi & immoti inhærent, ſed huc illucque vacillant, digitisque moveri poſſunt ac torqueri ab uno loco ad alium, quod vitium frequenter obtingit, interdum etiam planè excidunt ſed rarius, plerunque enim per aliquot dies tantummodò vacillant, ac poſtmodum refirmantur, ut non amplius mobiles ſint, ſed firmiter alveolis ſuis inhæreant.

Cauſæ mobilitatis dentium ſunt: vel defluxiones valdè aquoſæ, nervos ac radices dentium nimium humectantes, unde poſtmodum molleſcunt, ac laxantur, nec non reſolvuntur; vel violenta dentium concuſſio, alliſioque; vel fumi mercuriales, & cinabriales, quæ ſemper ſalivationem inducunt, ac dentes relaxant, idque ſæpè tam ſupra modum, ut quibusdam omninò excidant, vel putreſcendo abſumantur; præparata quidem medicamina mercurialia dentes nonnunquam pariter intrò aſſumpta mobiles reddunt, ac ſalivationem excitant, at vix unquam cum damno dentium, eductis enim per ſalivationem malis humoribus dentes mox priſtinam ſuam firmitaté recuperant. Omnibus etiam pueris circa annum ſeptimum mobiles fiunt dentes primores, Cauſæ.

res, at non ſimul, ſed unus poſt alium, univerſi tamen præter maxillares mobilitatem iſtam experiuntur, ac tandem excidunt ſponte, aliique in eorum locum recreſcunt, idque naturali contingentia, verùm de ejusmodi mobilitate naturali hic ſermo non eſt, ſed de morboſa à cauſis jam narratis contingente, qualis interdum etiam à ſcorbuticis defluxionibus accidere ſolet, item à medicamentis ſtupefacientibus nimis diu in ore retentis, nec non à fumis mineralibus venenatis, uti etiam aurifabri & argentarii, metallorumque fuſores frequentiſſimè hunc affectum proprio experimento agnoſcunt.

Progno-ſtica. Prognoſis ejus eſt, quod dentes nimis diu vacillantes tandem penitus excidant, ac nunquam amplius recreſcant, præterquam in pueritia, ubi alii in elapſorum locum repullulare ſolent.

Curatio. Curatio mobilitatis ac vacillationis dentium pro diverſitate cauſæ inſtituitur, ſi eſt ab internis vitioſis humoribus ſcorbuticis, illi expurgandi ſunt, admixtis ſemper ſpecificis herbis ſcorbuticis, uti ſunt: naſturtium, cochlearia, becabunga &c. prout in curatione ſcorbuti plenius indicabitur; ſi verò à fumis mercurialibus, vel ejusdem farinæ medicamentis intrò aſſumptis dentes vacillant, tunc os crebrò colluendum decocto fortiter aſtringente, cujus exemplum monſtrat

TEXTUS.

Mobilitatem dentium aufert peculiare & ſpecificum remedium ſequens; Decoctum expertum.

℞. glandium ℥j.
gallarum ℥ſ.
aluminis uſti
ſucci acatiæ an. ℥ſ.
fol. roſarum rubrarum m. ſ.

coque cum vini rubei ℔ij. ad caſum unius pollicis, poſtea cola. Cum hoc decocto ſæpius quotidiè eluantur dentes, rurſum figuntur, & immobiles redduntur, & conſervantur.

CAP. LXII.
DE ODONTALGIA,
Germ. Schmertzen der Zähne.

Dolor dentium non leve tormentum eſt, ſed immanis cruciatus, vulgariſſimus tamen, adeò ut pauci reperiantur, qui non aliquando eum ſint experti, unus tamen longè acerbius altero, quoſdam enim tam atrox dolor detinet, ut vix ſibi ipſis manus violentas non inferant, alii aliquantulum lenius eo moleſtantur.

Dolor dentium triplex. Sunt autem tres odontalgiæ differentiæ, vel enim dentes integri dolorem inferunt; vel cavi & carioſi, vel ipſæ gingivæ circa dentes inflammantur, intumeſcunt, & doloroſitatem pariunt.

Cauſæ. Cauſæ doloris dentium ſunt: juſcula nimium fervida crebrius ſorpta, aliive cibi valdè calidi quotidiè

 ingeſti,

ingeſti, ſuperaddendo ipſis mox potum frigidiſſimum, hisce enim contrariis fatiſcunt ac fragiles fiunt, non aliter ac ſilex & quivis lapis durus, qui candefactus in aquam frigidam projicitur, nullus enim tam durus eſt, ſive ſit vulgaris, vel gemma, vel vitrum, vel cryſtallus, qui hisce contrariis non dehiscat, ac in particulas diſſiliat, ita ut poſtea facilimè in pulverem conteri poſſit: quamvis autem objici poſſet, inter ejusmodi contraria non eſſe comparationem, ſed multum diſtare fervorem à candore, res tamen revera ita ſe habet, teſte experientiâ, licet dens non incaleſcat ut lapis, propter nervum enim ſuæ radicis majoris eſt ſenſilitatis à fervido juſculo ſaltim incaleſcens, quàm ſilex jam per aliquot horas in candore detentus, adeò enim corrumpitur, ut poſtmodum ſponte putreſcat ſenſim, quod ſilex non facit, ſed tantùm triturabilis fit. Excitat etiam dolorem & corruptionem dentium crebra inter dentes fodicatio, imprimis ferreo inſtrumento ut cultro vel furcula, item frequens comeſtio ſachari aliarumque rerum dulcium, nec non veteris caſei putridi, nucumque juglandium ac ejusmodi alimentorum, quæ flatus & defluxiones gignunt, uti ſunt fructus arborum crudi, rapa &c. quæ poſtmodum ad radices dentium decumbunt, ſuaque acredine nervulos vellicant, ac acerbiſſimum dolorem inferunt.

Progno-ſtica. Prognoſis hujus affectus eſt, quod dolor dentium ex defluxionibus ſæpius recurrere ſoleat, eò quod per intervalla, nova defluxionum materia generetur, & ubi in dente aliquo ſedem figit, ibi ſævire non deſinit, donec ille dens, qui ex defluxione dolet, perrodatur, aërique acceſſus detur, tunc enim in iſto dente dolor plerunque ceſſare ſolet, at cum tempore ad alium dentem tranſire conſvevit, ibique de novo dolorem ac dentis excavationem progignit; interdum tamen defluxio dentem non arrodit, ſed ad exteriora ſerpit, ibique in tumorem ſe colligit, qui tandem transſpiratione reſolvitur ac evaneſcit, in aliis gingivas occupat, inflammat, earumque tumorem & ſuppurationem profert, nec non exulcerationem; dentes autem molares qui ita excavantur, impoſterum ſubinde per ſe ſuaque ſponte dolorem movent, licet nulla defluxio ad eos recumbat, iſti enim dolores plerunque à propriis ſordibus excavatorum dentium proveniunt, collectis ab illapſo cibo, non raro quoque aromatici quid inter mandendum intruditur, nempe piper, zingiber, & ſimilia, quibus cibi condiuntur, à cujus acredine & mordicatione dolores excitantur, vel percalidus cibus, vel frigidus potus iſtuc pertingunt, ac doloroſitatem concitant.

Curatio pro cauſarum diverſitate inſtituitur, ſi enim à defluxionibus dolor adſit, deorſum trahitur materia catarrhoſa, propinato corporis purgativo, poſtea conveniens aliquis liquor in ore tenetur, qui dolorem demulceat, humoremque dolorificum ad ſe arripiat, nos in eo Curatio.

caſu

caſu diverſa quædam experimenta habemus, & certum plerunque auxilium conſequimur vel ab uno vel altero, quæ ſequenti modo ſe habent:

Experimentum certum.

Si defluxio quædam circa dentes obhærens dolorem pariat, cujus ſignum eſt, quod in loco doloris nulla dentis cavitas advertitur, tunc accipimus herbam perſicariæ non illius maculatæ, quæ fœmina eſt, atque in hunc uſum non inſervit, ſed illam cujus folia anguſtiora lingvam commanſa adurunt, atque ideò hydropiper vocatur, ſive recens ſit vel arida, nihil refert, hujus manipulum circiter vel quantum placet, immittimus mundæ ollulæ, ſuperfundimus acetum vini pro arbitrio, ut ſaltem herba ad mollitiem poſſit coqui, ut brevi contingit, tegendo ollulam operculo, ſi herba coctione emollita eſt, ſufficit, tunc circiter pugillum hujus decoctæ herbæ pro una vice probè adhuc calentis in os ponimus ad dentem dolentem, & relinquimus ibi ad ſpacium quo recitari oratio Dominica ſemel poſſit vel paulò diutius, tunc emittitur dictus pugillus, & alius decoctæ herbæ inditur, donec omnis decocta herba in ore retenta fuerit, tunc eam defodimus in recentem terram humidam, affuſo etiam decoctionis brodio, ut eò citius putreſcere poſſit, quando enim herba in putredinem abit, tum etiam materia defluxionis conſumitur ac annihilatur, ut nemo ſciat, quorſum abiverit, uti innumerè experti ſumus, verùm absque putredine herbæ illud nullatenus contingit, atque ideò unicus auxilii ſcopus eſt, ut herba tam citò quàm fieri poſſit, putreat, quod fit per humiditatem, ſi nimirum herba in terram humidam defodiatur, vel in putridum fimum, vel etiam in latrinam conjiciatur cum impetu, alligato in papyro lapide, qui faſciculum herbæ in profundum ſtercoris invehat, ut putrefactio acceleretur.

Verumenimverò ſi dolor non eſt à defluxione, ſed à cavitate alicujus dentis, tunc dolor à dicto hydropiperis uſu non cedit, decoctum autem cimarum ſabinæ eum demulcet & extrahit, decoquimus ſabinam ſi dolor ſit valdè calidus, in tenui cereviſia, ſi verò frigidus, in vino, ac liquorem decocti tam calidum quàm perferri poſſit, in bucca per aliquod temporis ſpatium continendum curamus, ac tum exſpuendum, aliumque inſorbendum, tunc dolorem extrahit, & ſi fortè in cavo dente etiam vermiculi occultarentur, illi ſimul extrahuntur & exterminantur, interdum tamen etiam hoc decoctum non juvat, & tunc confugimus ad lapidem prunellæ ſive nitrum cum ſulphure purificatum more communi, ac in orbiculos fuſum ſive rotulas, quarum una in ore ad dentem affectum tenetur, & multam attrahit ſalivam, ita ut copioſè ex ore profluat, cum quâ dolor plerunque abit.

Decoctū ſabinæ confert in dolore à dentibus excavatis.

Sic præter hæc tria noſtra remedia vix alio indigemus, unum enim ex eis certiſſimè juvare ſolet, ſunt tamen etiam multa alia ſpecifica in uſu, de quibus etiam noſter

TEXTUS.

Specificum. ODontalgiam ex quacunque cauſa ortam ex quadam ſpecifica proprietate tollit radix lapathi acuti (ante germinationem vere collecta præſtat, mihi familiaris) exſiccata & denti dolenti applicata.

Idem præſtat ſed remiſſius radix lappæ, dolores ſubito aufert, humoremque ſuperfluum extrahit, lappæ inquam majoris.

Si fiunt dolores ex deſtillationibus, decoctum radicis urticæ majoris & allii, cum pauxillo nucis moſchatæ raſæ & croci in vini aduſti & aceti ana paratum, & calidè in ore, locove dolente retentum, humores illapſos mirabiliter extrahit; ab initio quidem videtur dolor augeri, ſed paulò poſt mitigatur & deſinit.

Idem præſtat decoctum guajaci cum vino & aqua paratum; in eodem caſu præſtat decoctum ſerpilli (imprimis ſi ex deſtillatione, vel ejusdem aqua, gargariſando nempe cum iisdem.)

Dentes cavi. Si dentes ſunt cavi & dolent, vel etiam citra cavitatem in dentibus dolentibus præſtans eſt oleum caryophyllorum, in cujus ℥j. ſcilicet camphoræ ℈ſ. ſolutus fuerit, hujus compoſiti gutta una vel altera in goſſypio (præſertim quod cum moſcho fuit) cavo denti immiſſa, vel etiam dolenti alioquin applicata, omnem dolorem aufert.

Externum eſt laudanum opiatum in forma pilularum dentibus inſitum vel inditum, vel externè (in genis) cum ungvento alabaſtrino (gran. j. laudani ad ℥j. ungventi) diſſolutum. Item cum emplaſtr. de maſtiche & cera.

Si dentes ſunt corroſi; tunc juvat eos ſuffimigium ex ſemine hyoſcyami per tubulum vel tritorium ad dentem dolentem factum. Dentes corroſi.

Si dentes ſunt carioſi, tunc evelluntur promptius, ſi duobus digitis madefactis ac inſperſis pulvere ex lacertis aquaticis exenteratis, & in clibano calcinatis aliquandiu prehendantur. Lacertæ colliguntur Aprili & Majo. Dentes carioſi.

Sic etiam dens ex maxilla mortui evulſus, & cum radice ſua dentem carioſum ſæpius tangens, tandem poſt aliquot dies fruſtulatim dentem cadere facit. Dens hominis mortui.

In eruptione difficili dentium apud pueros maxillæ ſæpius inungantur butyro recenti, & facilius prodeunt.

Quod ſi nec hoc modo prodire videantur (a) & neceſſitas urgeat: ℞. ſangvinem è criſta gallinacei recentem, & cum digito ſemel tantùm vel ad ſummum bis inunge gingivas, & ſine difficultate aliisq; accidentibus tandem prodeunt.

(a) Ali-

(a) Aliqui inungunt axungiam leporinam in iſtis locis gingivarum, ubi erumpere debent dentes, atque ita levius mollificatas jam gingivas dentium cuſpides ſub eis latentes perterebrant, & erumpunt. De dolore dentium vide plura in ſequenti capite.

CAP. LXIII.

DE EPULIDE ET PARULIDE GINGIVARUM, *Germ.* übriges Wachſen deß Zahnfleiſches.

QUando gingivæ adeò luxuriant & intumeſcendo protuberant, ut dentes ferè obtegant, tunc affectus iſte vocatur parulis & epulis, alii verò his binis nominibus duos gingivarum affectus inſigniunt, quorum alter epulis vocatur, ubi circa radices dentium veſiculæ generentur, alter autem gingivarum tumorem ſeu apoſtema denotans parulis nominatur.

Parulis & epulis quid?

Cauſæ. Cauſæ hujus luxuriei & incrementi gingivarum ſunt eædem quæ hyperſarcoſis in vulneribus, nempe victus ſangvificans, ex quo uberior ſangvis affluit ad ea loca, ubi apertio eſt, ut ea carne impleatur, quamvis autem in ejusmodi gingivis nulla ſit apertio, valdè tamen raræ & ſpongioſæ ſunt, ita ut minimo attactu ſangvinem emittant, itaque facilè in ſpongioſitatis poros cruor influit, carnemque augmentat & extendit.

Curatio. Curatio hujus excreſcentiæ fit per emiſſionem & exſuctionem ſangvinis, quæ pro neceſſitatis exigentia nonnunquam etiam ſcarificantur, deinde collutiones oris fiunt & affrictiones earum rerum, quæ excreſcentem carnem in vulneribus abſumere ſolent, uti ſunt alumen crudum vel uſtum, ærugo, ſal decrepitatum & Armeniacum &c. exempli gratia:

℞. ſalis decrepitati ℥j. — Pulvis.
aluminis uſti
ſalis armoniaci an. ℈j.

m. f. pulvis, quo confricentur turgentes gingivæ ad ſangvinolentiam usque, deinde colluatur os ſequenti decocto:

℞. cortic. radic. prunorum ſylveſt. ſive acaciæ, — Decoctum.
roſarum rubear. an. m. j.
balauſtior. p. j.
cupular. gland. ʒj.
aluminis uſti
ærugin. an. ʒſ.
thuris
maſtic. an. ℈ij.

contuſa coque in aquæ pluvialis ℔iij. ad medias, quo os quotidiè poſt ſuperiorem confricationem eluatur, vel procede, ut docet

TEXTUS.

IN epulide optima eſt ſectio per forficem, qua excisâ adhibe gargariſma ex myrrha & ſale, adi dogmaticos.

In parulide citra inflammationem maximè commendatur gargariſmus ex prunella, foliis ſalviæ, & naſturtio aquatico paratus.

Si inflammatio acceſſerit, ex aqua tabaci deſtillata cum lapide prunellæ

prunellæ diſſoluta in eadem ſit gargariſmus (vel aquâ prunellæ.)

Extrinſecus applicetur medulla panis triticei cum lacte cocta (doch nicht gar zerkocht.)

Curatio doloris dentium:

Dolor dentium quia plerunque ſit à capitis defluxionibus, ideoque in curatione ipſius ſtatim ad ea accedendum quæ fluxionem inhibent. Unde ſtatim temporibus applicandum emplaſtrum de gummi elemi, vel etiam maſtiche factum, quod antequam applicetur, calefiat optimè.

Inter ſcapulas applicetur cucurbita magna ſine ſcarificatione.

Hinc ſtatim ad repellentia materiam, fluxumque evacuantia confugiendum, qualia ſunt galla matura in aceto cocta, ita ut acetum in ore ſupra dentem dolentem detineatur calidè per horam dimidiatam, vel integram.

Hinc ad topica anodyna ex proprietate occulta dolorem tollentia progrediendum.

Quod ſi continuus ſit dolor hisce non cedens, ſed ab aliqua intemperie vel capitis vel totius corporis, aut copia materiæ ad caput, & inde ad dentes fluentis proficiſcatur, capiti ſimul providendum, tum evacuantibus, tum alterantibus & confortantibus medicamentis, tum etiam toti corpori.

Topicorum, quibus vel ſolis ſæpius dolor omnis aufertur, ſequentia ſunt præſtantia: Laudanum opiatum, cujus grana tria cum guttis duabus ſpiritus vitrioli denti dolenti applicentur, ſimulque pilula una in corpus aſſumatur: dolor ſopitur, applicato etiam emplaſtro ad tempora, & ſi opus, cucurbitulis. Topica.

Similis planè effectus eſt oleum ex buxo deſtillatum: ℞. ſerrati buxi (a) *q. ſ. & repleantur tres partes retortæ vitreæ, retortam in cineres loca, & deſtilla oleum & liquorem aqueum, igne primum lento, poſtremum fortiori, & tandem ſummo, & deſtillabit oleum. Idem oleum rectius per deſcenſum aut per veſicam deſtillatur. Hujus olei (è buxo) ℞. gut. tres, & cum vino, ſi affectus à frigida defluxione veniat, aut cum aceto, ſi à calida, miſce, contineat æger mixturam dictam in ore, poſt aliquod tempus exſpuat, & ſi dolor nondum ceſſabit, repetatur, donec ad ſextam vicem, tandem abluat os vino aut aceto, & ſedabitur dolor.* Oleum buxi.

(a) Quidam pluris faciunt oleum heracleoticum ſive è ligno corylino quod lignum Heraclii vocatur, illud in fruſtula ſive ſegmenta conſcinditur, quibus retorta luto loricata vitrea impletur, eaque in capellam vacuam ſive ollam deſtillatoriam Oleum heracleoticum.

toriam (eine Sand-Capell) in qua nihil arenæ aut cineris ſit, quemadmodum aliàs retortæ & cucurbitæ arenâ vel cinere obteguntur inter deſtillandum, ſed omnino vacua eſto capella, ſtatuatur autem in ea collum aliquod ſive ſuperior margo confractæ ollulæ, & ſuper illud retorta ligneis ſegmentis impleta, poſtmodum capella ſuperius operculo vel patinâ obtegatur, ut calor intus contineatur, & ab omni parte retortam feriat, quibus ita ordinatis ignis capellæ ſubjiciatur, & tantus calor excitetur, ut operculum capellæ obtectum manu vix tangi queat, ſic oleum è ligno exſudat, & cum phlegmate in appoſitum vas recipiens transſcendit, quod deinde rectificetur, ejusque una vel altera gutta goſſypio imbibatur, & cavo denti dolenti imponatur mediante aliquo ſtylo ferreo, vel idem uſus cum eo inſtituatur, ut de oleo buxi paulo ante narratum eſt.

Poteſt illud oleum corylinum etiam in duabis ollis per deſcenſum deſtillari, implendo nimirum unam ollam ſegmentis ligni, & ſuperlutando ollæ impletæ laminam plenam foraminulis, hæc olla cum ligno deinde alii ollæ inverſa inorificatur, quæ nimirum orificium amplius habeat, ut olla cum ligno in orificium ollæ vacuæ intret, & ſic utraque olla optimo luto conglutinatur, lutumque ſiccari ſinitur, tum demum fovea foditur, in eamque olla vacua usque ad marginem ſive commiſſuram lutatam imponitur, atque undique terrâ obruitur & obtegitur usque ad ſuperiorem ollam, in qua lignum continetur, facto hoc ignis circularis circa ollam ſuperiorem inverſam ſtruitur, ab initio ollam non attingens, qui ſenſim propius adhibetur, ita ut tandem totam ollam obtegat, ollam aliquandiu in candore ſervando, donec nimirum omnis oleoſitas è ligno deorſum in inferiorem ollam in terram defoſſam exprimatur, quibus peractis omnis removetur ignis, ut ollæ poſſint frigeſieri, demumq; exhumantur, lutumque ſtudioſè detrahitur, ne in oleum cadat, atque illud impurum reddat, oleum autem evacuatur in lagenulam vitream, & obturatum ſervatur. Hoc modo poteſt etiam oleum è ligno buxi deſtillari, & utrunque adhuc ſemel rectificari.

Item pulvis gallarum in ſucco radicis pyrethri decies vel duodecies imbibitus, & exſiccatus cum fermento miſceatur, fiat globulus parvus, qui denti dolenti impoſitus dolori medetur, dentes firmiores reddit, vermiculos in ipſorum cavernis genitos necat, fluxiones omnes ad gingivas delapſas extrahit. Specificum.

Tandem ultimum (b) *in omni & acerrimo dolore perfugium, applicare veſicatorium poſt aures & cervici.*

(b) Singulare remedinm præſtat vulgare oleum vitrioli vel aqua fortis, ſi goſſypium in alterutro intingatur, & poſtmodum illud madefactum goſſypium ſtylo aliquo è ligno

& non ferro confectum, in cavernam dentis intrudatur, dolentem enim medullam dentis mortificat, ita ut brevi omnis dolor ceſſet.

Confert etiam alumen uſtum excavato raphano inditum, in quo in ſpiſſiuſculum ſuccum liqueſcit, quod cavo denti injectum dolorem demulcet.

Vel ℞. radicis biſtortæ
pyrethri an. q. p.
aluminis uſti parum, contunde invicem, ac mellis q. ſ. addito f. electuarium, cujus quantitatem piſi cavo denti immitte, ſedat dolorem, humiditatem extrahit, vermiculos enecat, ac caput repurgat.

Experimentum certum. Certiſſimum etiam experimentum contra omnem dentium dolorem præbent tibiæ ranæ terreſtris optimè à carnibus mundatæ, quibus ſi dens dolens tangatur, omnem dolorem abigunt.

Valet etiam Sotirella parva Mindereri imponendo ejus parum dentis dolentis cavitati.

Exterius inungi poſſunt maxillæ oleo amygdalarum dulcium, & ſi tumor appareat, applicetur emplaſtrum de meliloto. Si intus in ore ad apoſtema tendat dolor, fiat cataplasma (c) *ex ficu aſſata cum farina tritici: ſi aperiatur, diſſolvatur mel roſatum in aqua plantaginis atque eo diluatur os.*

(c) Imò ficus ſola aſſata ſine ulla additione ſufficit, uti nos ipſi experti ſumus. Plura de dolore dentium vide in capite antecedente.

CAP. LXIV.

DE LAXITATE, PUTREDINE ET EXESIONE GINGIVARUM, Germ. Faulung und Erſchwerung deß Zahnfleiſches.

QUemadmodum in præcedenti capite actum eſt de incremento inutili gingivarum, ita hoc caput earum nimium decrementum, & abſumptionem concernit, quando nimirum gingivæ diminuuntur, corrumpuntur, flacceſcunt, putreſcunt, nec non radices dentium denudantur, ubi ſemper conjuncta eſt putredo oris, tetrique odoris efflatio.

Cauſæ putredinis gingivarum ſunt cibi mali nutrimenti, ſangvinem craſſum & melancholicum generantes, qui poſtmodum ſcorbutum oris parit, ſeu putredinem & corruptionem gingivarum, cujus cauſa etiam eſſe poteſt aër craſſus & halitibus ſalſuginoſis refertus, qualis in plagis maritimis ſeptentrionalibus eructatur, ubi etiam hoc oris vitium vulgare eſt, & imprimis accolis maris balthici. Cauſæ.

Signa hujus affectus non opus eſt recenſere, cum manifeſta & notiſſima ſint, flaccidæ enim ejusmodi gingivæ conſpiciuntur, nec non lividæ, ac ad quemvis levem attactum ſangvinem tenuem & atrum emittunt, abſumuntur etiam gingivæ, caroq; earum ita imminuitur, ut radices dentium denudatæ remaneant. Signa.

Prognoſis hujus affectus eſt, quod eo ignavi, ſomnoque pomeridiano Prognoſis.

dediti

dediti crebrò infeſtentur, unus tamen plus minusve alio, præſertim qui manè oris collutionem ex aqua pura frigida negligunt, interdum in verum totius corporis ſcorbutum tranſit, rarius tamen, plurimis autem in ore remanet, & nihil amplius mali infert, præter crebram gingivarum ſangvinolentiam, corruptionem & fœtorem.

Curatio fit per aſtringentia in vino rubeo decocta, quibus frequenter os colluitur, optimum eſt ſequens de quo

TEXTUS:

Laxitati, putredini & exeſioni gingivarum à proprietate quadam aquilegia mederi videtur. Poteſt autem inde compoſitum tale fieri:

℞. pulveris folior. aquilegiæ
ſalviæ
menthæ criſpæ
nucis moſchatæ an. ℥ſ.
aluminis uſti ℥j.
mellis puriſſimi ℥iiij.

mel incaleſcat ad ignem & leviter decoquendo deſpumetur, deinde pulveres prædicti cum melle adhuc calente ſenſim aſpergendo miſceantur, & ſerventur ad uſum. Hoc ungvento illinantur gingivæ bis quotidiè.

(NB. *decoctum ſummitatum rubi idæi etiam valet hîc*) *quod ſi cibus capiendus eſt, eluatur os aquâ prunellæ, vel infuſo naſturtii aquatici in vino* (*imprimis in ſcorbuto.*)

Ad mundificationem autem gingivarum putreſcentium maximè valet aqua illa viridis mea compoſita ſecunda, de qua ſupra in narium affectibus ozæna nimirum.

CAP. LXV.

DE DESTILLATIONE AD ARTICULUM MAXILLÆ.

Defluxiones uti in varias partes decumbunt, ita varia nomina ſortiuntur, defluxio tamen, quæ ſubinde in articulum maxillæ fit, ſingularem quidem denominationem non obtinuit, contingit tamen ex eadem defluxionum materia, quæ interdum ad radices dentium ruit, ac eorum dolorem excitat, & excavationem unius vel alterius dentis producit, nonnunquam intra gingivas fluit, imprimis ad dentium radices, easque intrò forasve adeò prominentes reddit, ut etiam partes vicinæ diſtendantur, ruboremque calorem ac dolorem patiantur, quæ defluxio ſi in ſuperiorem maxillam procumbit, ex oculorum cantho majore, inferiorem autem è venis per tempora iſtuc deflexis provenire ſolet, ubi in gingivis triplicem affectum efficit, nempe parotontidas, parulides & epulides, quæ leves diſtinctiones ſunt gingivarum phlegmone tentatarum: parotontides enim ſunt tumores ſive excreſcentiæ carnoſæ, quæ non ſuppurantur,

parulides verò ſunt intumeſcentiæ gingivarum, in ſuppurationem abeuntes, exiguosque abſceſſus producentes, cum inflammatione & dolore, cujus ulcus ſi non vel malè curetur, prominentem carunculam producit, epulis nominata. Quarum curatio ſupra propoſita eſt. Si verò defluxio incidit in maxillæ articulum, non quidem ſuppurationem profert, ſed dolorem & immobilitatem articuli maxillæ.

Cauſæ. Cauſæ ſunt eædem, quæ aliarum defluxionum, imprimis multa ingurgitatio vini meracioris ac crebræ crapulæ, item ſubitanea alternatio caloris & frigoris, voracitas eduliorum phlegmaticorum & ſimilia.

Curatio. Curatio perficitur remediis defluxiones purgando evacuantibus, ac deinde applicatis ſpecificis, de quibus

TEXTUS.

IN deſtillatione ad articulum maxillæ, ubi præſertim acceſſit immobilitas, ſacculus pulvere tartari & ſale communi conſutus & externè applicatus (calefiat prius ad fornacem) calidè deſtillationes prohibet. Ipſa verò immobilitas aufertur oleo rutæ, vermiumque terreſtrium, in quibus flores chamomillæ ebullierint. Vel ſi mavis, addatur prioribus oleis oleum chamomillæ, & locus affectus calidè inungatur.

CAP. LXVI.

DE APHTHIS, ET ORIS ULCERIBUS, Germ. Geſchwer deß Mundes/ Schwammen.

APhthæ ſunt ſerpentia oris ulcera, quæ Arabibus Alcolæ appellantur & Calabæ, à quibusdam vocantur lactucimen, quia ſugentibus puerulis perfamiliaria ſunt, quibus hinc inde per os ſerpunt tam in latera quàm profundum, ita ut circumcirca in quamvis oris partem pergant, nempe in palatum, gingivas, lingvæ latitudinem ac profunditatem ſeu radicem, ſuntque pueris non rarò admodùm periculoſa, & eos penitus conſumunt, præſertim ſi ad malignitatem accedant. Aphthæ. Alcolæ. Calabæ.

Præter hæc etiamnum alia oris ulcera ſæpius occurrunt, quæ aphthæ non ſunt, aphthæ enim ſolummodò puerulis tribuuntur, ſi verò adultorum ora ulceribus laborant, uti in lue venereâ ac interdum in febribus malignis fit, tunc illa ſimpliciter oris ulcera nominantur.

Cauſæ aphtharum ſunt: partim acrimonia lactis, partim molliſſima conſtitutio internarum partium oris, quæ ſuctione facilimè excoriatur, excoriatio autem ſemel facta non poteſt non difficulter conglutinari, cum ſuctio identidem eam denuo abradat, accedit quod lac in ventriculo aceſcat, acidosque ac ſubputridos vapores emittat, quibus ulcuſcula illa ſemper plus irritantur & ſanationi reſiſtunt. Cauſæ.

Cauſæ verò aliorum ulcerum pro ratio-

ratione eorum diverſæ eſſe poſſunt, ut plurimum tamen ſunt eæ pravi corporis humores internas oris, faucium, palatique partes erodentes, acremque affluxum iſtuc transmittentes, à quo exulceratio fovetur indiesque malignior redditur.

Prognoſtica. Prognoſis ulcerum oris in hunc modum ſe habet: quod alia ſunt ſimplicia ac mitiora, alia maligna, maligna ſunt exedentia & ſanationi valdè adverſantia, ideòque ab antiquis incurabilia pronunciata ſunt, imò vix ſimplices aphthas ſanare potuerunt, antequam uſus ſpiritus vitrioli innotuit, nunc verò vix maligna ſanationem inhibere amplius valent.

Curatio. Curatio aphtharum pro ratione earum inſtituenda venit, recentes enim & ſimplices aliter, inveteratæ rurſus & malignæ viciſſim aliter tractari debent; ſi igitur aphthæ ſunt in lactentibus infantibus, primum nutricis habenda eſt ratio, ut vel alia ſubſtituatur, ſi vitioſum nimis lac eſſe deprehendatur, aut lac ejus corrigatur cibo & potu melioris nutritionis, præſcribendo ipſi edulia refrigerantia, qualia ſunt cydonia, pyra, portulaca, & ſimilia, quæ etiam adultis conveniunt, omiſſis aromatibus acrioribus.

Specificum. Specificum ad aphthas citò perſanandas eſt oleum vitrioli martis & veneris, quo adultorum aphthæ per ſe tanguntur, in puerulis verò admiſcetur tantum mellis roſati, ut guſtus ſpiritus vel olei vitrioli acidior adhuc percipiatur, eâque mixtûrâ aphthæ tanguntur, & brevi conſaneſcunt. In defectu olei vitrioli accipiatur ſpiritus ſulphuris per campanam, vel ſpiritus vitrioli Philoſophicus.

Adultorum autem ulcera oris ſerpentia internis medicamentis curari debent, propinatis per aliquod tempus vulnerariis medicamentis, hisque quæ aliàs morbum Gallicum ſanant, ea enim etiam ulcera curant, imprimis ſi purgatio ſimul inſtituatur è præcipitato aureo, poſtea adhibeantur ſpecifica, de quibus

TEXTUS.

IN aphthis primo eſt decoctum Satureјæ in vino, quo colluatur os ſæpius.

2. Decoctum veronicæ præſtans, præſertim ſi adjiciatur aliquid mellis roſati.

Nota: in aphthis contumacibus hiſce decoctis adde aliquid ſpiritus vitrioli, & non reſiſtent.

In aphthis ex lue venerea omnem abſolvunt nodum aquæ virides ſupra de ozæna deſcriptæ, imprimis ſi loco aquæ ſimplicis aſſumatur aqua perſicariæ, vel in ſecunda aqua foliis reliquis addantur folia perſicariæ.

CAP. LXVII.

DE LINGVÆ FAUCIUMQUE AFFECTIBUS, AC PRIMUM DE RANULA SUB LINGVA.

LIngva præcipuum inſtrumentum eſt loquelæ ac ſermonis, quo homo ab omnibus reliquis animantibus Uſus lingvæ varius.

tibus tanquam monarcha ac Princeps eorum incomparabili prærogativâ diſcriminatur, nulli enim alii rationabilis loquela mentisque expreſſio verbalis conceſſa eſt, præterquam ſoli homini, at quo major eſt gratia, eò obſtrictiorem reddit hominem, ipſam grato animo agnoſcere, benigniſſimoque Creatori indefatigabiles agere gratias, iſtoque mirabiliſſimo ſermonum inſtrumento, præ omnibus aliis verborum prolationibus Dei ter optimi maximi laudes, glorificationes ac benedictiones annunciare, prædicare atque inceſſanter enarrare, quum autem major pars hominum illud negligenter omittat, ac vix unquam ullum Dei beneficium ſeriò expendat, ac pro eo gratam ſe exhibeat, ordinati etiam ſunt peculiares lingvæ caſtigatores, qui ſubinde eam diverſimodè morboſis affectibus flagellent, ſuique officii admoneant: fruitur homo præterea per lingvam multis aliis beneficiis , nempe tot ſvavitatibus ciborum ac potuum, guſtationibus innumerorum ſaporum ex aromatibus, ſalibus, liquoribus, fructibus, nucleis, rebusque multifariam delicatis, ſvavibus, dulcibus, ac amabilibus; Inſervit etiam lingva quaſi pro ſervo molario, qui inter molendum hoc eſt manducandum perpetuò cibum protrudit ad molares, ut probè comminuatur, eumque ſaliva humectat, ac lubricat, ut eò melius deglutiri queat, ac ad concoctionẽ exactè præparetur.

Affectus lingvæ. Sunt autem præcipui affectus lingvæ: puſtulæ parvæ, fiſſuræ, tumuſculi ſcirrhoſi, ſcabrities & nigredo, guſtus imminutio, depravatioque, paralyſis lingvæ, ranula &c.

Ranula lingvæ quid? Cum verò Author primùm de ranuncula agat, ejus deſcriptionem hic dabimus: eſt itaque ranuncula abſceſſus ſeu apoſtema ſub lingva enaſcens, in quo venæ nigricantes intumeſcunt, tumoremque lividum conſtituunt ad ranæ coloris ſimilitudinem, unde ipſi nomen ranunculæ impoſitum eſt, interdum glandulæ ſimilis eſt, & modò ad ſangvineos modò ad phlegmaticos abſceſſus refertur, diverſæ etiam eſt magnitudinis, in quibusdam enim ad fabæ, in aliis caſtaneæ magnitudinem accedit, vel ovi minoris columbini, habens in ſe materiã ovi candido perſimilem, ob quam tumor tactui cedit, ſpeciemque œdematis mollis & laxi refert, nonnunquam tamen duriusculum eſt apoſtema, febremque adjunctam habet, ac interdum lethale evadit.

Cauſæ. Cauſa hujus ranulæ procul dubiò eadem eſt, quæ aliorum apoſtematum, figit autem ſedem ſub lingva, quia laxa & ſpongioſa caro ſub ea diſpoſita eſt ad recipiendum affluxum, contingitque potiſſimum pueris, quia ætati grandiori ea pars etiam fit durior, & poſtmodum idonea non eſt ad fluxionem iſtam recipiendam, ideoque adultis longè rarior eſt.

Prognoſis. Prŏgnoſis ejus eſt quod in pueris acceleranda ejus curatio eſt, periculum enim eſt ob communionem, quam cum pulmone habet, ne ſubitò ſuffocentur.

Curatio

Curatio.

Curatio ejus conſiſtit in ſcarificatione & apertione cum ſcalpello, ut materia collecta educatur, ſiquidem in purulentiam abiit, ſi tamen jam incipit, non rarò abſque chirurgi opera diſcutitur hoc pulvere: ℞. hyſopi exſiccati, ſalis communis vel gemmæ, corticum granatorum, fiat ex omnibus pulvis, quo, corpore prius purgato, tumor frequenter perfricetur, eum quoque ſub lingva continendo.

Pulvis diſcutiens.

Alii hoc lavamento oris utuntur, ac pariter ranulam abigunt, at cum aſtringentia & repellentia ingrediantur, prohibere vix poſſunt, quin alibi locorum poſtmodum iterum in abſceſſum erumpat, educi enim debet materia à natura præſcripta, ac non repelli, ita autem lavamentum parant:

Lavamentum

℞. Balauſt. ℥iſ.
aluminis ʒſ.
mellis roſat. ℥ſ.
aquæ plantaginis ℔ſ. bulliant nonnihil, eoque os colluatur.

Alii alia adhibent, at noſtro judicio nil melius eſt apertione.

TEXTUS.

IN ranula ſub initium præſertim aperiatur vena ſub lingva: quidam ranam vivam nuchæ applicant, non tamen ſemper reſpondet effectus.

Cum Author ſub ranula etiam alios lingvæ affectus videatur comprehendere, nec tamen aliam eorum mentionem faciat, nos nonnulla de eis etiamnum ſubnectemus.

Inter vulgares itaque lingvæ affectus ſunt etiam *puſtulæ*, quæ parvæ ſunt veſiculæ aquosâ lymphâ repletæ, quidam aphthas & puſtulas hasce ſub uno nomine comprehendunt, habent tamen aliqualem inter ſe differentiam, aphthæ enim incipientes non ſemper ſunt puſtulæ, ſed modò rubea, jam albida, nunc livida exanthemata, cum econtra hæ piſtulæ ſemper aquoſas veſiculas proferant, & ferè ſemper lingvam occcupent, in eaque unam vel alteram veſiculam excitent more earum, quæ ab ambuſtione ignis erumpunt, aphthæ verò non in lingva ſolum, ſed etiam aliis internis buccæ partibus proveniunt, & ſerpendo ſe diffundunt.

Puſtulæ lingvæ.

Cauſa earum eſt internus ſangvinis & humorum fervor, cuticulam lingvæ ita perurens, ut in veſiculam attollatur.

Curatio puſtularum conſiſtit in his, quæ ambuſtioni medentur, ſingularis eſt mucilago è contuſo ſemine cydoniorum cum aqua roſarum extracta, addito momento olei roſacei, cum ſubagitatione mucilagini admixto, donec in ſvave linimentum abeant, quod apice plumæ alicujus crebro puſtulis illinatur; vel rumpantur veſiculæ, tanganturque melle roſaceo, cui nonnihil olei vitrioli ſit immixtum, & brevi conſaneſcent.

Curatio.

His cognati ſunt *tumuſculi ſcirrhoſi*, ſuntque tumores duriuſculi hinc inde in lingvæ ſuperficie enaſcentes inſtar verrucarum, alii tamen ſunt molliores, albique ac aliorum colorum, quos ab Arabibus Bothor

Tumuſculi lingvæ.

thor nominatos eſſe quidam contendunt, verùm ipſi ita nominarunt quaslibet aquoſas puſtulas, ſunt autem nil aliud quàm parva apoſtemata lingvæ,& ſcirrhoſæ excreſcentiæ.

Cauſæ. Cauſæ horum tumuſculorum ſunt: diæta prava ac victus craſſus, impurum ſangvinem generans, item infectio quædam ex morbo Gallico, ſolent enim ſcirrhoſi tumuſculi ac verrucales ejus eſſe præcurſores ac prænuntii.

Curatio. Curatio hujus affectus inſtituenda eſt per mundificationem ſangvinis, præmiſsâ ſi opus ſit etiam venæſectione, poſtmodum vocentur in uſum eadem topica, quæ ſuperioribus oris vitiis dicata ſunt, tangendo nimirum hos tumores vel oleo vitrioli ſolo, vel cum melle roſaceo temperato, vel deſtilletur ſequens liquor, omnibus oris vitiis mirè conveniens, eaque celeriter ſanans:

Liquor ad quælibet oris vitia. ℞. Florum antimonii & ſachari candi partes æquales, vel loco florum iſtorum accipe tantundem ſalis gemmæ, ac deſtilla cum ignis regimine cauto ex eis liquorem, uti oleum ſachari deſtillari ſolet, quod vel per ſe inunge, vel duplum aquæ plantaginis, vel prunellæ admiſce, ejusque dimidium cochlearis pro vice in buccam cape, atque ab uno loco in alium move, mirâ cum celeritate ſanaberis.

Nigredo lingvæ. *Nigrities* verò ac *ſcabrities* lingvæ cum vel ſine *ſciſſuris* etiam quotidianus eſt affectus, quatenus nimirum ardens febris hominem infeſtat, extra verò ingentem calorem ſeu æſtum febrilem vix inſultat, eſt ergò hic affectus accidens & ſymptoma alterius morbi, ac non morbus per ſe.

Cauſæ. Cauſa nigredinis lingvæ, ut dictum, eſt internus æſtus, aliunde lingvam adurens, uti fit in acutis febribus, præterea in cerebri, ſtomachi vel pulmonis uſtulatione lingva ſimul per conſenſum uredine afficitur, item ab interni abſceſſus inflammatione, nec non à veneno introhauſto, ſupina etiam dormiendi conſvetudo lingvam reddit ſcabram, quando quis aſſveſcit ſemper hiante & aperto ore dormire.

Prognoſis. Prognoſis nigredinis lingvæ poteſt eſſe talis: quod nimirum nigrities & ſcabrities nihil portendit boni, ſed neglecta brevi deterioratur, lingvamque adeò adurit, ut foramina contrahat ac depaſcentem exulcerationem, totam lingvam pervadentem, ac mortem inferentem.

Curationis ſcopus. Curatio fit per gargarismos frigefacientes, diſſolvendo nimirum ſalem prunellæ ſive nitrum ſulphure communi præparatum in aqua prunellæ vel plantaginis, eoque crebrò os colluendo, vel

Gargariſmus.
℞. Florum roſar. rub. m. j. ſ.
malvæ arboreæ m. ſ.
herb. ſalviæ
prunellæ
piloſellæ an. m. j.
radic. polypod. quercin. ʒiſ.
concidantur omnia & coquantur in lib. iij. aquæ fontanæ, adde
ſalis petræ ſive nitri per ſulphur commune præparati ʒj.
aluminis crudi ʒſ.

mellis

mellis roſati ℥iſ.
aceti vini ℥iiij.

coque ad caſum transverſi digiti, poſtea cola per pannum & exprime, quo ſingulis horis tepefacto gargarizandum, deinde impone lingvæ nigræ cruſtulam lardi, cui pingvedo reſecta ſit, & tamen nonnihil pingvis etiamnum adhæreat, ubi nimirum in pingviuſcula parte decuſſatim incide, & ſic lingvæ impone, & nigra cuticula à lingva ſeparabitur.

Exulceratio lingvæ. Si verò jam exulcerata & tumida facta ſit lingva, tunc accipe ungventi populei q. p. calefac illud in cochleari ſuper flammam candelæ, & poſt uſurpatam gargariſationem jam dictam, plumaceola lingvæ inunge, interdicta ejus deglutitione, & ſic tumor ſedabitur, poſtea mundifica ulcuſcula melle roſato, vel melle ſimplici cum nitro ſubacto, tandem ℞. olei hyperici & ovorum ana æquales partes, calefac ea & plumaceola foraminulis inunge.

Remedia vulgaria. Vulgaria remedia nigritiei lingvæ ſunt: ſacharum candum arundinibus accryſtalliſatum, ceraſa acida, tamarindi, pruna & ſimilia ore detenta, lentor ſeminis cydoniorum vel pſyllii cum ſacharo, item acorus & zingiber contrita, & cum melle roſato mixta optimè conveniunt.

Ptyaliſmus. Porro lingva & os laborat etiam frequenter *ptyaliſmo*, ſive continuâ exſpuitione ſalivæ tenuis & aquoſæ, ubi per ſalivam intelligimus omnẽ humorem, qui ex ore abſque tuſſi, exſcreatione & vomitione exſpuitur, cui vitio dediti ſunt quidam ex mala conſvetudine, alii à quotidiana hauſtione fumi tabaci, quos hic non intelligimus, ſed eos tantùm qui ex morboſa conſtitutione, ac præter eorum conſvetudinem eam ſalivationem patiuntur.

Cauſæ. Cauſæ ſuperfluæ ſalivæ ſunt: vel cerebrum humidius vel excrementis ſcatens, vel ventriculus debilis non rectè concoquens, & ſic multam humiditatem ori transmittens, uti fit poſt chronicos morbos, atque in capitis obſtinatâ deſtillatione, ſic etiam medicamenta mercurialia magnam excitare ſolent ſalivationem, & quidem primariâ eorum operatione, & niſi hoc faciant, vix aliquid laude dignum præſtant, verùm ejusmodi ſalivatio neutiquam huc trahenda, vel inter morboſas affectiones reputanda, cum plerunque terminetur in exitum maximè ſalutarem. Partes etiam oris eique adjacentes non rarò intemperie vel imbecillitate quadam laborant, unde juſto copioſior ſaliva attrahitur, vel calore funditur, vel frigore comprimente exprimitur, ita ut in exceſſiva copia adſit, quæ tamen pro catarrhali habenda, nec diutius durare ſoleat quàm alii catarrhi. Vomiturientibus etiam vel ſponte, vel ab impoto vomitorio os multâ ſalivâ ante vomitiones madet, ob connexionem ventriculi cum lingva per membranam; item irruente defluxione in fauces & tonſillas, uti fit in anginæ ſpeciebus ſynanche & paraſynanche, tum enim quoque multa ſalivalis humiditas attrahitur, quemadmodum etiam in conſtitutione auſtrina, ubi non modò ſaliva plus

æquo ſcaturit, verùm etiam aliæ capitis partes humore tantoperè replentur, ut oculi lachrymentur, aures graviter audiant, tonſillæ madeant, ac columella nonnunquam relaxetur.

Verùm ne longiores ſimus non nulla de curatione trademus, quæ quidem pro cauſarum varietate varianda eſt; ſi ergò vitium ſit ex ſtomacho, is purgandus eſt à colluvie, ac deinde confortandus ſtomachicis, uti infra in affectibus ventriculi dicetur.

Si ſit ex debilitate cerebri, remedia è ſuperioribus capitibus de affectibus capitis agentibus petenda ſunt; ſi ab affectione hypochondriacâ, infra in proprio capite de ea agetur.

Abſceſſus lingvæ. Accidunt lingvæ quoque alii *abſceſſus calidi* tam duri quàm molles, cum inflammatione & ſuppuratione, idque potiſſimum in ſuperiori parte, cum ranula ſit abſceſſus ſemper ſub lingva pronaſcens, his ægris ſecanda eſt vena ſub lingva, alvusque ſolvenda, os verò gargarizandum decocto aliquo ex refrigerantibus, uti ſunt: Plantago, malva arborea, ſolanum, diamorum & ſimilia, ſique tendit ad ſuppurationem, tenenda eſt in ore ficus toſta, & ſi abſceſſus ſuapte ſponte non rumpitur, aperiendus eſt ſcalpello, & mundandus melle roſato &c.

Deſquamatio. In *Deſquamatione* lingvæ ſeu abſcedente ſuperficiali cuticula veteres decoxerunt amurcam in vaſe æneo, ac illeverunt, verùm nobis mel roſatum ſufficit, vel ea quæ paulò ante ad nigredinem lingvæ propoſita ſunt.

Quamplurimis etiam carcinoma in lingva exoritur, ulcus nimirum durum, atrum, calloſum, melancholicum, & ſi irritatur, ſangvinem profundit, & per totam lingvam ad radicem ejus usque ſerpit, ac mortem infert, pro more enim cancri vulgaribus remediis non auſcultat. Carcinoma lingvæ.

CAP. LXVIII.
DE PARALYSI LINGVÆ,
Germ. Lämniß der Zungen.

PAralyſis lingvæ eſt ejusdem reſolutio, quâ motus lingvæ voluntarius vel impeditur, vel planè aboletur, eumque in modum caſtigatus ſerò addiſcit, quantum ſit Dei beneficium uſus lingvæ in loqvela formanda. Contingit iſta reſolutio vel per laxationem & mollificationem nervorum lingvæ, qui rami ſunt, oriundi è tertio pari nervorum cerebri, muſculorumque lingvalium, quorum novem ſunt, vel per refrigerationem ac torpeſcentiam eorum, ubi itaque alterutrum iſtorum obtingit, torpeſcens vel molleſcens lingva fit impotens ad explanatam & articulatam vocem edendam, non enim niſi diverſis lingvæ motibus perfici poteſt, quam reſoluta lingva præſtare nequit, ſed diſtinctam vocum articulationem vel planè amittit, vel difficulter, ægrèque balbutiendo vix aliquid effatur, quod intelligi poſſit. Lingvæ impotentia.

Cauſæ reſolutionis lingvæ ſunt: vel nimia humiditas à ſuperflua cerebri Cauſæ.

rebri pituita in nervos & muſculos decumbens eosque relaxans, vel refrigeratio exceſſiva, quæ ab eadem pituita frigidæ naturæ exiſtente proficiſci poteſt, nec minus à melancholico humore, qui non modò perfrigerat, ſed etiam ſuccum mobilitatis expeditivum ſiccat ac torpeſcere facit, unde etiam Hippocrates lib. 7. aphor. 40. paralyſin lingvæ, ac cujuscunque membri ſtuporem melancholico humori aſcribit, humor enim iſte frigidiſſimus & ſicciſſimus comparari poteſt hyemi, cujus atrociſſima operatio fit per ejus qualitatem frigidam & ſiccam, quâ non modò aquam aliàs mobiliſſimam ſtringit & ſiccat, ut fiat rigida glacies, ſed etiam oleum quaſi coagulat, & ungventa ipſa, motum rotarum, horologiorum &c. lubricitate ſua promoventia, incraſſat & aliquo modo indurat, motumq; eorum interventu aliàs facilitatum retardat; poteſt etiam oriri hic affectus à nimia ſangvinis plethora, item à remediis ſtupefacientibus ore contentis; à crebra quoque ebrietate non rarò oritur, ab aſſidua enim ebrioſitate ſpiritus vini cerebro & nervis communicatur, qui eos inſigniter debilitat, ſuaque igneitate humorem eorum fundit, eosque relaxat; immobilitas verò lingvæ, quæ frequentius in febribus ardentiſſimis nec non morituris obtingit, huc non pertinet, non enim provenit à lingvæ reſolutione, ſed à nimia exſiccatione & depaſtione ipſius humoris nativi ab æſtu febrili.

Curatio. Curatio inſtituenda eſt cauſarum ablatione, ſi itaque paralyſis lingvæ apoplexiæ ſit ſuccedanea, evacuetur totum corpus ac caput, evacuationem autem pro voto impetrabis extracto ellebori nigri, addito ſcrupulo uno vel etiam duobus caſtorei pulveriſati in ſubſtantia, & ſi deſit extractum illud, decoquatur radix ellebori nigri (ſi patiens ſit ſenior annis quinquaginta, juniori autem ejusmodi ætate radicem hellebori albi commendat Paracelſus) cum carne bubula minutim conciſa, additâ nuce moſchatâ & pipere longo, in cantharo lutato per ſex horas in balneo, poſtea de colatura propinetur quantum opus videbitur pro vice, ita ut continuatâ potione materia morboſa ſucceſſivè educatur, in qua quidem operatione hæc radix omnia alia ſuperare creditur ab expertis, omnes enim corporis cavitates & ſpatia perveſtigat, & pituitam gravantem educit, Carichterus verò ſvadet helleborum macerare per tres, quatuor vel quinque ſeptimanas at non diutius in generoſo vino, ac poſtmodum ſpiritum vini per alembicum abſtrahere, & purgandis propinare, quem modum præ reliquis amplectimur, ſpiritus enim vini optimam hellebori eſſentiam purgantem ſecum transvehit, atque etiam intra corpus aſſumptus mox per arterias carotidas in caput & ad locum affectum ducit, ac ſimul totum corpus ſpiritualitate igneâ calefacit, qui calor ſimul plurimùm cooperatur in abigenda materia apoplectica & paralytica, uti per experientiam obſervavimus.

Evacuato corpore lingva fricetur ſpiritu vini vel ardente liliorum convallium, cui inſit quarta pars theriacæ Andromachi antiquæ, optima etiam eſt illinitio olei ſuccini albi rectificati tam ad lingvam, quàm in nucha, ſubinde quoque cum utilitate capiuntur grana ſeu ſemen ſinapi albi ſacharo obductum ſeu incruſtatum; eadem etiam conveniunt in alia quavis lingvæ Paralyſi, uti etiam ad eam quocunque modo obortam eximium eſt oleum illud balſamicum capite de apoplexiâ à nobis ſuperius edoctum, aliaque ſpecifica, de quibus jam

TEXTUS.

Paralyſis lingvæ præmiſſa universali ipſius cura curatur frictione lingvæ cum ſemine erucæ & theriacâ. Item oleo aniſi in apicem lingvæ inſtillato. Item balſamo vel oleo caryophyllorum. Spiritus ceraſorum nigrorum loquelam amiſſam ad miraculum usque reſtituit.

CAP. LXIX.

DE APHONIA, Germ. Sprachloſigkeit.

Aphonia ſive obmuteſcentia non eſt unius generis, ſed diverſimodè accidit, ita ut etiam Hippocrates diverſarum ejus ſpecierum mentionem faciat, ſequentibus locis ita ſcribens:

Quibus cerebrum aliqua ex parte concuſſum fuerit, neceſſe eſt ſtatim mutos fieri. lib. 7. aph. 59

Si ebrius quiſpiam repentè obmutuerit, convulſus moritur, niſi febre corripiatur, aut ubi ad horam pervenerit, qua ſolvuntur crapulæ, vocem recuperet. 5. 5

Quicunque ſani dolore capitis repentè capiuntur, & ſtatim muti fiunt & ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit. 6. 51

Variis itaque ac diverſis modis quidam obmuteſcunt ſive vocem amittunt, alii enim muti ex toto naſcuntur, alii morboſis cauſis repentè obmuteſcunt, alii à lingva reſolutâ aut contracta, alii ab ictu capitis, externave vi aut lapſu ex alto, nonnulli ob dolorem ſtomachi, cordis, cerebri; oris uterique cruciatus, vel vitio nervi à cerebro orti, vel lingvæ lacerto læſo imperfectè loqvuntur, uti etiam ex nimia humiditate contingit, prout in balbis videre eſt; in ſumma ex ſpasmo, lingvæ mollitie, ſiccitate, duritie, abſceſſu, ulcere, aut brevitate freni, vel exceſſiva ejus craſſitie in loquela impediuntur. Febres etiam ardentes ac imprimis phrenitis crebrò aphoniam inducunt, quæ mortem prænunciat.

Verùm hîc ab Authore per aphoniam intelligitur interceptio illa vocis, quæ repentè absque vi externa in hominem incidit, ac à quibusdam apoplexia notha vocatur, quam etiam Hippocratem intellexiſſe veriſimile eſt, quando 4. de rat. vict. acut. text. 23 ait: *Quod autem quis derepentè obmuteſcat ſine cauſâ*

cauſâ manifeſtâ, id venarum interceptiones, occluſioneſque faciunt.

Cauſa. Interceptio hæc fit à craſſo vapore ac pituitoſo ſangvine arterias carotidas, venaſque jugulares infarciente, ita ut circulatio ſangvinis impediatur, non quidem perfectè, ut fit in apoplexia, ſed imperfectè.

Prognoſis. Prognoſis ejus in hunc modum ſe habet, quod hic affectus ſanabilis quidem eſt, ſi maturè per efficacia medicamina ei occurratur, per negligentiam autem facilimè in veram apoplexiam tranſit; febrilis autem aphonia, ſive integra vocis amiſſio in febribus acutis inſanabilis eſt ac mortis prænuntia, ſi verò vocem edere poſſit æger, quamvis non loquatur, malum ſanabile eſſe oſtenditur.

Curatio inſtituitur eum in modum, ut docet

TEXTUS.

APhonia in genere curatur ut paralyſis, in ſpecie autem laudatur (præmiſſâ capitis univerſali purgatione) 1. aqua liliorum convallium. 2. Aqua antapoplectica ex floribus lilii convallii & lavendulæ; de qua ſupra in apoplexia.

Quod ſi alterutri ſangvis turturis fuerit permixtus (ſangvis turturis unius univerſus in uncias tres vel quatuor aquæ miſceatur) & tandem mixtura in uſum revocata, aquâ nempe colluendo lingvam, aut diutius eam in ore tenendo, felicius ſuccedit vocis reſtitutio.

Ubi tamen ſemper ad cauſas fuerit reſpiciendum, pro quarum varietate medicamentorum farragines quoque variant.

Præmiſſis igitur univerſalibus appertinentibus localia tum loco affecto, tum præterea in vertebras colli, nucham & collum ipſum reliqua ſunt dirigenda, quæ petantur à practicis.

CAP. LXX.

DE BALBUTIE, Germ. Stamlen und Liſpelen.

ADmirationem quibusdam non immeritò movebit, Authorem ſingulari balbutiem comprehendere capite, nec unicum tamen ejus medendæ verbum adjicere, imò ipſummet ſpem omnem publicè abjicere, contra eam quicquam præſtari poſſe, quorſum ergò hæc ſcriptitatio, reique in medium prolatio, quam quivis norit? & cujus remedium ipſe Author ne credit quidem?

Quandoquidem autem ejus mentionem facit, nonnullam deſcriptionem hujus affectus adjiciemus.

Eſt itaque balbuties ejusmodi lingvæ vitium, quo laborantes literam r non poſſunt pronunciare, uti etiam è verbis Ciceronis patet, dicentis: *Ita balbus erat, ut literam R non poſſet dicere.* Quæ verba contra illos faciunt, qui eos eſſe balbos contendunt, qui literam S effari non Balbuties quid?

poſſunt, qui tamen non balbi ſunt ſed blæſi, quos Germani vocant liſpe-lend.

Cauſa. Cauſa hujus affectus eſt nimia humiditas, uti videre eſt in plerisque pueris, quod balbi ſint, literamque r pronunciare nequeant, temporis autem & ætatis progreſſu humiditas illa exceſſiva conſumitur, ita ut nullum amplius impedimentum in tali pronunciatione ſentiant, in quibus autem ſuperflua illa humiditas non conſumitur, illi etiam per totam vitam balbi permanent, ac propenſione ad morbos humidos imprimis autem ad alvi profluvia humiditatem ſuæ naturæ teſtantur, quod etiam Hippocrates lib. 6. aph. 32. teſtatur: *Balbi* (inquiens) *ab alvi profluvio diuturno maximè capiuntur.*

Quod quidem contingit ob nimiam cerebri vel lingvæ, vel utriusque humiditatem, quemadmodum enim qui per aliquam cannam in aquam flat, multas bullas & ſtridorem in aqua excitat, ita etiam balbi per ſuam lingvam aquoſitate repletam literam r pronunciaturi ſtridorem quaſi bullientem commovent, ſuperfluamque ſuam humiditatem teſtantur.

Ineptè tamen textus Avicennæ à quibusdam explicatur, eum nimirum Fen. 1. lib. 3. tract. 4. c. 18. ſcripſiſſe, balbos præcipuè diſpoſitos eſſe ad melancholiam, quod experientiæ non reſpondet, ſuſpicionemque movet, expertiſſimum illum medicum palpabilem hanc falſitatem non protuliſſe, ſed ab inſulſo interpretaſtro falsè explicatum eſſe, cum Latinè non ſcripſerit, eumque non locutum eſſe de balbis, ſed traulis illis, qui vocem aliquam prolaturi, ſæpe aliquandiu in prima ejus ſyllaba hærent, aliquoties eam repetentes, antequam eam pronunciare queant, idque ob vagas & ſuperfluas ſuas cogitationes, ad diverſas imaginationes uno inſtanti directas, ſæpiusque ea obliviſcentes, quæ vellent dicere, unde aliquandiu hæſitant, antequam diſperſas & vagas ſuas cogitationes in unam intentionem recolligant, quod ſignum eſt ſiccioris cerebri temperamenti, varièque vagabundi, atque ad melancholiam diſpoſiti.

Prognoſtica. Prognoſin balbutiei quod attinet, ea à nativitate impreſſa, diuturnâque conſvetudine inveterata incurabilis omninò eſt, antequam tamen in conſvetudinem & diuturnitatem abeat, in tenera pueritia diætâ ſiccante, crebrâque humiditatis detractione per inferiora corrigi poſſe non dubitamus, ſi juxta prudentis medici præſcriptionem regimen vitæ inſtituatur. Multo magis autem ſi balbuties accidentaria à catarrho contingat, copioſoque humoris phlegmatici decubitu in fauces & lingvam, ubi evacuationem, derivationem, revulſionem, ſiccationemque multa præſtare poſſe veriſimile & rationabile eſt, quamvis exiguam ſpem faciat

TEXTUS.

B*Albuties difficulter tollitur.*

CAP.

CAP. LXXI.
DE GUSTU DEPRAVATO, ABOLITO ET IMMINUTO, *Germ.* der verlohrne Geſchmack.

CReator ter optimus maximus immenſam ſuam bonitatem etiam innumerabili diverſitate ſvavium ſaporum adumbrare voluit, ſenſum autem guſtus in inſtrumentum loquelæ nimirum in lingvam poſuit, ut multiplicem illam ſaporum ſvavitatem tanquam gratuitum Dei donum guſtatione dignoſcat, verbisque agnoſcat, ac creatorem eorum pro eis intimè collaudet. Lingva itaq; ſpongioſitate ſuâ præcipuum guſtus organon eſt, experitur tamen in hoc ſuo munere etiam ſubinde infirmitatem læſionemque, quæ læſio uti & reliquorum ſenſuum ac reliquæ corporis actiones tri plici ratione contingit, nimirum depravatè, imminutè & abolitè. Depravatio fit, quando ſenſus guſtus fallitur, ſaporesque guſtando alios eſſe putat quàm revera ſunt, & illud vitium ſæpiſſimè obvenit, ægrisque imponit, ut omnia quæ deguſtant, amara vel inſipida eſſe arbitrentur.

Guſtus læſio triplex.

Imminutio guſtus pariter non infrequens eſt, in qua æger fortem aliquem ſaporem vix percipit, debilem autem nequaquam, in abolitione autem guſtus, nec debilis nec fortis ſapor guſtatione deprehenditur.

Cauſæ.

Cauſa depravationis guſtus eſt vitioſus humor lingvam inficiens vel bilioſa amaritie, vel ſalſa pituita, vel auſtero melancholico liquamine, id quod frequenter febribus ſolemne eſt, ut lingva omnia quæ guſtat amara eſſe autumet, in melancholicis autem affectibus ſubacida.

Imminutionis verò & abolitionis guſtus cauſæ eædem ſunt, differuntque tantummodò majori vel minori læſione, minor enim guſtum imminuit, major autem eundem abolet, iſta autem major vel minor guſtus imminutio evenit ex defectu ſpiritus animalis, qui defectus vel à penuria eorum provenit, uti in morientibus contingit, vel ab obſtructione tertii paris nervorum, à quo officium guſtandi, ex nervo autem ſeptimæ conjugationis, quæ durior ac longior exiſtit, potentia movendi confertur, qui verò per ſummam lingvæ cuticulam circumſeptam diſpergitur, acutiorem guſtum reddit, nec non accuratiorem.

Lingvæ etiam defectus ſuperficiarii guſtum lædere poſſunt, uti ſunt tumores, puſtulæ, exulceratio, denique nimia perfrigeratio ab aëre externo, vel uſu ſtupefacientium læſionem guſtus inducere poteſt, quemadmodum in notabili perfrigeratione nihil novi eſt, quod non tantùm ſenſus guſtus, ſed & olfactus, odoratus & tactus ab ea inſigniter lædantur.

Signa cauſarum.

Dignoſcuntur autem ſigna cauſarum hisce indiciis: ſi vehemens refrigeratio, vel tertii paris nervorum obſtructio in cauſa eſt, ſapores difficilimè percipiuntur, caputque dolet & gravatur. Si nimia lingvæ humectatio ab impacto poris phlegmate guſtum lædat, omnia putantur

tur

tur deguſtata ſaporem emittere inſipidum, exteriorque lingvæ cuticula albida videtur; ſi verò ex imbuto poris lingvæ humore bilioſo guſtus patiatur, cuncta quæ guſtantur, amariſſima ſapiunt, colorque lingvæ ſubflavus apparet, in melancholicis verò affectibus fuſcedo lingvæ aliqualis conſpicitur, guſtusque acidulus, ac interdum vitriolaceus accuſatur.

Progno-ſis. Prognoſis hujus affectus in hunc modum inſtitui poterit, quod imminutio & abolitio guſtus plerunque ex frigore eſt, & defectu caloris naturalis, talique ætate contingere ſolet, in qua calidum nativum in decremento eſt, remediumque calidum & ſpirituoſum poſtulat. Depravatio autem guſtus modò eſt à calore modò à frigiditate, ac expurgationem ventriculi neceſſariam eſſe indicat, & quidem ſi lingva amaritiem ſapiat, per ſuperiora, in aliis per inferiora, ac in affectibus melancholicis per diuretica, propinatis enim ſalibus diureticis ejusmodi ſapores acidos & vitriolaceos egregiè debellavimus, concurrunt tamen ferè ſemper in depravatione alii morbi ut febres, vel paſſiones lienis, hepatis, ventriculi, cerebrive, quibus tunc primarius curandi ſcopus & directio debetur.

Curatio incipit à corporis evacuatione, poſtmodum adhibentur ſpecifica, de quibus etiam Authoris agit

TEXTUS.

GUſtus depravatus amarus corrigitur uſu radicis cichorii conditi, ſic etiam amaritiem lingvæ tollit ſal cichorii.

Item ſal cichorii. Item raſura ipſius lingvæ cum radice zedoariæ. Item gentianæ.

Si abolitus vel imminutus 1. tundantur venæ ſub lingva. 2. Utere gargariſmate, quod in affectibus oris communibus & anginâ eſt præſtans:

℞. *herbæ malvæ hortenſis m. j.*
florum roſarum rubearum
prunellæ
veronicæ
ſalviæ an. m. ſ.
radic. polypod. quercin. ℥ij.
coque in aquæ puræ ℔ *IV.*
aceti vini ℥ *VI.*
usque ad caſum transverſi pollicis, poſtea colentur & colatura leniter exprimatur.

3. Fiat talis mixtura:
℞. *ſpiritus vitrioli* ʒ *ſ.*
ſpiritus vini ℥ *ij.*
mellis ℥ *j.*
miſce inſtar linimenti: hoc linimento poſt adhibitum gargariſmum illinatur lingva, & imminutus guſtus paulo poſt redibit.

CAP.

CAP. LXXII.
DE TUMORE TONSILLARUM, *Germ.* Geſchwulſt der Mandeln.

MOrtalibus omnibus natura duas carunculas exiguas naturales ex adverſo utrinque in oris termino ſeu circa radicem lingvæ poſuit, quæ rotundæ ſunt inſtar duorum nucleorum amygdalinorum, ac ſpongioſæ, Græcè vocantur pariſthmia per ſimilitudinem ab iſthmo ſignificante partem terræ anguſtam ſeu brachium telluris interjacens duo maria, nec non antiades, Latinè tonſillæ, item glandulæ & amygdalæ, uſus earum eſt, ut ſalivalem humiditatem inter mandendum aſpergant, cibumque ſicciorem & duriorem humectent, quò melius deglutiri poſſit, atque ad concoquendum exactius præparetur.

Antiades. Tonſillæ. Glandulæ. Amygdalæ.

Exiguæ hæ particulæ etiam non ſunt immunes ab ægritudinibus, ſed ſubinde inflammatione, dolore, tumore, & exulceratione infeſtantur, ubi tantilla hæc corpuſcula ſatis magnam corpori inferunt moleſtiam.

Affectus hic admodum familiaris eſt pueris paulo ante & poſt ſeptimum ætatis annum, quod etiam Hippocrates aphor. 26. lib. 3. atteſtatur, nec non virginibus jam maturis, quibus menſes non fluunt, teſte Aëtio lib. 8. cap. 46. his quoque promptius aliis indureſcunt ac ſuppurantur.

Signa diagnoſtica.

Signa diagnoſtica hujus affectus ſunt, quod dictæ glandulæ majores aliquantulum apparent, cum & interdum citra inflammationem, ubi etiam proprium ſervant colorem ſuæ ſubſtantiæ, aſt ubi inflammantur, rubicundæ inſpicientibus apparent, ac dolorem inferunt moleſtum, imò ſæpius etiam partes proximè adjacentes incendunt, ubi difficilis deglutitio ſimul inſequitur, dolorque & febris cum difficultate reſpirationis.

Cauſæ.

Cauſæ intumeſcentiæ ac inflammationis tonſillarum ſunt ingluvies & voracitas nimia, uti pueri conſveſcunt, item copioſitas & efferveſcentia ſangvinis in venis jugularibus, item frequens ingurgitatio vini meracioris, in virginibus defectum menſium inflammationem tonſillarum producere poſſe, ſæpius obſervatum eſt, puerulis etiam non infrequens eſt à vitioſo lacte, denique perfrigeratio colli potior ferè omnibus aliis cauſa inflammationis hujus eſt, uti & nos in pueritia non ſemel experti ſumus.

Prognoſis.

Prognoſis hujus affectus eſt, quod ſi mox ab initio doloris manus medica adhibeatur, vel unicâ interdum gargariſatione totum malum tolli poſſit, at ſi negligatur donec inflammatio ſedem figat, non exiguam doloris & reſpirationis imò & deglutitionis moleſtiam creabit, quin nonnunquam tum in veram anginam mutatur, ac mortiferum periculum minatur.

Curatio.

Curatio incipientis hujus inflammationis admodum levis eſt, fitque gargariſatione aſtringente, ut ℞. florum malvæ arboreæ ſive hortenſis

m. ſ. vel j. impone eos per unam vel alteram horam in cyathum aquæ fontanæ, ac poſtmodum eâ aquâ tinctura dictorum florum imprægnatâ os & guttur probè gargariſetur, & è veſtigio omnem inflammationem ſiſtit. Vel gargarismum in hunc modum compone:

Gargariſmus. ℞. aquæ plantaginis ℔iſ.
florum malvæ hortenſ.
roſar. rubr. an. p. ij.
ſemin. cydonior. contuſi ʒj.
ſalis prunellæ ℈j.
bulliant unica ebullitione, colaturæ adde diamori
dianucum an. ℥j.
m. f. gargarismus.

Si cauſa ſit ex redundantia ſangvinis, vena ſtatim incidatur, dictusque gargarismus in uſum vocetur.

Si ex voracitate malum incipiat, còrpus evacuetur purgativo èx. gr.

Purgans. ℞. ſyrup. roſar. ſol. ℥j.
flor. caſſ. rec. extr. ℥ſ.
vel. diacathol. ʒV.
aq. betonic. ℥ij.
roſar.
cichor. an. ℥ſ.
m. f. p.

In virginibus menſium obſtructione laborantibus atque hunc affectum eâ ex cauſa incurrentibus mittatur ſangvis ex talo, idemque gargarismus adhibeatur, vel in hunc modum paretur:

℞. violar. purpurear. exſiccat.
flor. malvæ hortenſ. an. m. j.
cortic. rad. prunell. ſylveſtr. ſive acaciæ noſtr. ʒVI.
alumin. crudi ʒſ.
ſem. plantag. ʒiſ.

Inciſa & contuſa quæ decet coque in ℔ij. aquæ fluvialis ad caſum transverſi pollicis, colaturæ adde diamori ʒVI. f. gargarismus.

Accidit etiam ut tonſillæ inflammatæ ſordes congerant, uti & aliæ partes infirmæ multum ſordium accumulant, prout videre eſt in oculis in ophthalmia, veſicâ in ejus calculo &c. ſi quid ergò ſordium tonſillis ſubinſpiciendo adhæreſcere animadvertatur, abſtergendæ ſunt quotidiè penicillis bis vel ter in tepido melle roſaceo aquâ plantaginis diluto, vel diamoro imbutis, ſi verò adſit exulceratio, liquor è ſale gemmæ & ſacharo candi ſupra cap. 67. edoctus ſanationem accelerat cum melle roſaceo contemperatus, in defectu iſtius liquoris tantillum olei vitrioli vel ſulphuris per campanam dicto melli roſaceo admiſceatur, eâque mixturâ aliquoties pars exulcerata tangatur.

Poſſunt & alia remedia applicari, prout docet

TEXTUS.

IN tumore tonſillarum ex cauſâ frigida fiant ſaltem externæ inunctiones cum oleo amygdalarum dulcium cui aliquid olei ceræ deſtillati immixtum ſit (verbi gratia ad ℥j. olei amygdal. ℈j. olei ceræ) internè fiant gargariſationes cum pipere longo, in aqua communi decocto, & eo ſic gargariſato. Tumor tonſillar.

In tonſillarum inflammatione Inflammatio.

1. Va-

1. valet gargariſmus prædictus (de quo in guſtu abolito.)

2. Externæ inunctiones cum oleo amygdalarum dulcium ſimplici (ſine additione olei ceræ) item cataplaſma ex mica panis triticei cum melle citò inflammationes ſiſtit.

His omnibus prævalet menſtruum in aceto diſſolutum & applicatum; item folia raphani ſylveſtris foris applicata.

Abſceſſus. *In abſceſſu ſeu putredine & ulcerationibus tonſillarum gargariſmus ſupra de guſtu depravato & abolito traditus multum poteſt. Mundificat nimirum & conſolidat, ſi præſertim cum reliquis adjiciantur folia plantaginis. Itaque ipſius uſus in ulceribus internis maximè utilis eſt.*

In ſordidis verò recurrendum eſt ad mundificationes fortiores, qualis expectanda eſt aqua illa viridis ſecunda, de qua ſupra de ozæna dictum.

Poſtea decoctum veronicæ & mellis eadem ulcera facilè conſolidat.

CAP. LXXIII.

DE LAXITATE, ET INFLAMMATIONE UVULÆ,

Germ. Niderſchieſſung und Entzündung deß Zäpffleins.

USus apud practicos obtinuit, ut oblonga illa caruncula, palato circa radicem lingvæ adhærens, appelletur uvula, quod nomen etiam Author retinet, quanquam minus conveniat, uva enim ſeu uvula eſt morboſa quædam affectio hujus carunculæ, cum nimirum ejus ſummum acino uvæ ſimile appareat, genuinum autem hujus particulæ nomen eſt columella, quod nempe oblonga & rotunda ſit inſtar columnæ, ac veluti parvam columnam ſeu columnellam, ut ita dicam, conſtituat, vocatur etiam gurgulio, & gargareon à ſono illo qui in gargariſatione auditur. Subſtantia ejus eſt glanduloſa, mollis ac ſpongioſa, oriſque tunica communi inveſtita, colore rubet, figuram, ut dictum eſt habet oblongam, ſuperius craſſiorem, inferius acuminatam, affixa eſt palato, atque ab eo juxta meatus narium ſupra rimam laryngis inter amygdalas in os dependet. Uſus ejus eſt ut plectrum ſeu organon ſit ſonoræ vocis, ſequeſter aëris intrantis, inhibitorque aſcenſus in nares aſſumptorum. Uvula. Uva. Columella. Gurgulio. Gargareon.

Minutula hæc particula etiam nonnullos peculiares affectus patitur, nempe laxitatem ſeu elongationem, tumorem, inflammationem, exulcerationem, & ut Rondeletio placet etiam atrophiam ſive conſumptionem.

Agnitio & dignotio horum affectuum hoc modo diſtinctim innoteſcunt: ſi laxatur & elongatur columella, depreſsâ lingvâ introſpicientibus oblongior & tenuior de palato in guttur pendula apparet, ægroque continuam ſalivæ exſpuitionem Signa.

nem concitat, & ipſi quaſi bolus carnis in faucibus hærens ſentitur, quem continuo deglutire incaſſum conatur.

Si verò intumeſcit & inflammatur, moleſtia illa inflammationis cum angore in faucibus perſentiſcitur, oculique ſubinde invitas emittunt lachrymas, luſtrantibus etiam ad lucem diei in apertum os ægri columella inſtar uvæ rotundæ cernitur, rubensque ac inflammata, difficilemque deglutitionem ac febrem parit. In tabe autem ejus (inquit Rondeletius) contabeſcit hæc pars ac velut lorum efficitur, quæ affectio à nimia ſiccitate vel atrophia illius partis evenit & non curatur.

Cauſæ. Cauſæ elongationis & laxitatis columellæ ſunt: pituitoſæ defluxiones, frigidique ac humidi aëris inſpiratio nimia, ac perfrigeratio faucium, victusque abundantis humiditatis præſertim concurrente temperamento phlegmatico, à proprietate autem ceraſorum multa comeſtio juxta Matthæum de Gradi, anginam & alias gutturis ægritudines, ſub quas & hæc pertinet, parere ſolet, item immodica compotatio, & ſimilia quæ humores pituitoſos augent, reſolutionemque ligamentorum columellæ ac ejus elongationem inducunt. Tumorem verò & inflammationem ejus efficiunt deſtillationes acriores ac ſalſiores, mordacitate ſua calorem & phlogoſin hujus partis excitantes.

Prognoſis. Prognoſis horum affectuum in hunc modum ſe habet, quod nimirum quævis columellæ paſſio feſtinatam opem poſtulat, ut neque inflammatio, nec elongatio curſum abſolvat, illa enim in periculoſam & operoſam exulcerationem terminatur, hæc verò inveterata pendulam flacciditatem ſtabilit, ac ſupputreſcentiam columellæ progignit, ita ut amplius remedium non detur, niſi ejus abſciſſio periculi plena, reſectâ enim eâ vox clara & expedita amittitur, ſangvinis verò tanta per ſectionem eruptio excitatur, ut vix ulla arte poſſit inhiberi.

Curatio. Curatio relaxationis columellæ hunc in modum inſtituatur, ut primò pituitoſa humiditas defluxionem hanç producens evacuetur, poſtmodum deveniendum ad topica, nimirum adſtringentes gargariſmos, ac validiſſimè ſiccantes pulveres, quorum interventu imbibita ejus ſuperflua humiditas exſiccetur, laxaque columella abbrevietur, & ſurſum reſtringatur. Experimentum. Experimentum eſt ad ejus laxitatem, ſi pulvis ſuccini albi partim inſpergatur vertici, partim cum fermento acri ſubagitetur, ac raro linteo indatur, nec non vertici jam dicto pulvere conſperſo ſuperligetur.

Tumori autem & inflammationi ejus obviam iri debet venæſectione, ac corporis evacuatione, topica autem ſint pariter aſtringentia, uti ſingula optimè edocet ac proponit

TEXTUS.

Laxitas uvulæ. *IN laxitate uvulæ præſtat gargariſmus compoſitus, ſupra de guſtu abolito & depravato commemoratus, præſertim ſi uvularia*

ria adjecta fuerit (propter ſignaturam) deinde fiat talis pulvis:

Pulvis. ℞. piperis longi ℈j.
ſucci acaciæ exſiccatæ
radic. tomentillæ an. ℈ij.
m. f. pulvis.

Hujus pulveris aliquid inſuffletur uvulæ poſt uſurpatum gargariſmum (inſtrumentum vide apud Fabricium Hildanum) vel verticis capillos ſurſum fortius paulatim trahe, donec nimirum facient ſonitum, poſtea pauxillum de alumine uſto ſupra uvulam ſparge, & laxitas remittet. Idem præſtat ſemen roſarum.

Experimentum. Quod ſi hæc omnia parum præſtiterint: ℞. ovum recens ad duritiem coctum, ſcinde per medietatem in longum, & cum ligatura vertici impone (calidiſſimè) per aliquot horas, donec nimirum laxitas fuerit ſublata.

Inflammatio uvulæ. Inflammationem uvulæ tollit gargarumus quilibet, modò capiat aliquid de nitro fixo. Sic aqua prunellæ deſtillata cum lapide prunellæ mixta, & ad gargariſmum uſurpata, inflammationem tollit.

NB. Hîc verò mirificè operatur gargariſmus compoſitus, ſuprà de guſtu abolito & depravato deſcriptus.

Ulcera columellæ. Ulcera columellæ (ſine malignitate) ſimplicia curantur facilè, quemadmodum etiam linguæ & totius palati, item faucium.

Sic igitur decoctum veronicæ & mellis cum aqua ſimplici. Item decoctum Saturejæ cum vino poſt debitas gargariſationes ejuſmodi ulcera perfectè curant.

(NB. Potus ſit non acris admodum ſed ſacharo temperatus, quod etiam deſcendentem cum potu putrilaginem abſumit.)

Interdum recurrendum eſt in contumacioribus ad ſpiritum vitrioli, qui ejuſmodi aquis vel decoctis mundificantibus additur, ita tamen ut vix ſentiatur (per ſe nunquam) celerius & potentius curat, præſertim ſi in aqua plantaginis permiſtus applicetur.

Ad extremum uſus diamori, vel potius ſuccus expreſſus, aut ſal mori multum hiſce curationibus proſunt (proprietate ad os, unde Maulbeer Germanicis dicitur.)

In ulceribus fœtidis & putridis præter jam dicta recurrendum eſt ad aquas illas virides, ſupra de ozæna præſcriptas, quæ omnia putredinem & exulcerationem fœtidam funditus tollunt, ut facilius elegans conſolidatio ſubſequi poſſit. Ulcera fœtida.

Victus eſto commodus ne recrudeſcant ulcera.

In ulceribus ex lue venerea in quacunque oris & faucium parte 1, cognoſcendus eſt morbus, de qui- Ulcera ex lue venerea.

quibus ſignis infra de lue venerea vel morbo Gallico. 2. Deſcendendum ad univerſalia & particularia in illo morbo & tali ratione facilè ulcera incipientia in iſtis locis ſimul cum morbo tranſeunt, ſin ſecus, deveniendum ad topica, primum mitiora, gargariſmos nimirum & decocta uſitata.

Quod ſi nec ſic quidem malum coërceri poſſit: deinceps aquæ virides ſupra de ozæna deſcriptæ accerſendæ & applicandæ ſunt, tangendo nimirum cum penicillo tantùm affectum locum, & cum gargariſmo poſtea eluendo, ſic nimirum facilè cedunt.

In his verò omnibus mirabiliter operatur, univerſum morbum luis venereæ ex toto corpore eliminando, ſpiritus mercurii rubeus, cujus præparationem & uſum docebimus infra de lue venerea.

CAP. LXXIV.

DE ANGINA, *Germ.* das Wulchen.

Angina quid?

ANgina eſt eryſipelas faucium occupans laryngis & pharyngis muſculos, eosque graviter inflammans, qua inflammatione deglutitio & reſpiratio impeditur, adeò ut quidam ægri eâ citò ſtrangulentur, alii verò tardius, alii autem evadant, pro graviori vel mitiori inflammatione. Quidam contendunt (ut Foreſtus, citans etiam ejusdem ſententiæ Donatum) Hippocratem & veteres inflammationem in gutture & faucibus contingentem ſimpliciter & unico nomine anginam appellaſſe, poſteriores autem ut Æginetam differentiam inter cynanchem & ſynanchem &c. feciſſe, verùm hos ipſa Hippocratis ſcripta redarguunt, cum 6. epid. ſect. 8. text. 1. ſic ſcribat: *Quibusdam faucium inflammationes aderant, aliis angina.*

Hodie verò ab omnibus ferè Authoribus ſub nomine anginæ intelliguntur quatuor ejus ſpecies quæ ſunt 1. cynanche, 2. paracynanche, 3. ſynanche, 4. paraſynanche. Cynanche eſt ubi interni laryngis ſeu gutturis muſculi inflam̄antur, nuſpiam tamen ullus tumor vel rubor apparet, ægriq; canum more hiante ore reſpirare coguntur, paracynanche eſt inflam̄atio exteriorum laryngis muſculorum cum aliquali ſed parvo tumore conſpicuo; ſynanche comprehendit inflam̄atione interiores pharyngis ſeu faucium muſculos cum tumore, paraſynanche exteriores ejusdem muſculos cum tumore & rubore affligit. Angina quadruplex.

Quibus à quamplurimis adhuc quinta anginæ ſpecies adnumeratur, quæ fit ex luxatione vertebrarum ad anteriora, quam etiam teſte Aëtio, veteres appellarunt cynanchen, ea luxatio potiſſimùm contingit in vertebra ſecunda cervicis; quam Hippocrates vocat dentem ſeu dentiformem, circa quam à vehementi defluxione exoritur phyma ſeu tuberculum, à quo membranæ & vincula vertebrarum convelluntur,

luntur, quæ convulſio luxationem illam inducit, fitque ea luxatio vel in anticam partem & dicitur lordoſis ſive excavatio, vel in poſticam & vocatur cyphoſis, ac utraque omnino eſt lethalis, quia ſecunda hæc vertebra validiſſimo vinculo capiti connexa eſt, eo itaque rupto larynx & œſophagus comprimitur, ſi verò hæc dentiformis vertebra luxatur in alterutrum latus, tunc vocatur ſcolioſis ſive obliqua excavatio, quæ minimè periculoſa eſt, reliquarum autem ab hac ſecunda cervicis vertebrarum lateralis luxatio periculoſior eſt quàm in anticam vel poſticam partem, eò quod nervum comprimat, qui abhinc membris inſeritur.

Lordoſis. Cyphoſis. Scolioſis.

Rurſus dividitur angina in veram ſeu legitimam & notham, vera eſt quæ vehementem inflammationem & febrem habet comitem, ſpuria autem, quæ febre caret, & ſolummodò à catarrho phlegmatico in fauces ruente, at inflammationem non invehente excitatur, verùm hæc nimium ſcrupuloſa nominum diſtinctio parum utilitatis affert, neque in omnibus aſſenſum meretur, veriſimile enim non eſt, morbum hunc tam ſollicitè & electivè muſculos ab invicem diſcreturum, ut modò hos modò illos invadat, alioſque propinquiſſimè adjacentes liberos dimittat, ſed rationabilius eſt, unum ægrum altero ſerius inflammari, tenerioreſque partes interiores eſſe uni quàm alteri, inflammationem autem incendere non unam faucium partem ſed omnes, at non æquali vehementia quoslibet ægrotos, ſed diverſo modo bilioſos, ſangvineos nec non phlegmaticos.

Partes affectæ.

Partes affectæ itaque in hoc morbo ſunt fauces, tonſillæ, columella, muſculi laryngæi, pharyngæi & œſophagæi cum palato ipſo.

Signa.

Agnitio & dignotio hujus affectus jam inſtantis hoc modo habetur, patiens ſentit intra collum dolorem prementem, paulatim increſcentem, ac deglutitionem magis magiſque impedientem, qui tamen eò crebrius ſalivam deglutit, ſperans ſimul noxam cum eâ deorſum lapſuram, unde frequenti eâ deglutitione affectum magis exacerbat, collum etiam more conſveto non poteſt movere in ambitum, percipitque dolorem & ardorem in faucibus, quæ omnia brevi ſpacio admodùm augentur, donec vera angina jam præſens ſit, cujus ſigna diagnoſtica ſunt; reſpiratio tam difficilis, ut omninò quaſi ſuffocatoria ſit, eamque hiante ore aucupari æger cogatur, deglutitio adeò præcluſa, ut ne liquida quidem deſcendere queant per fauces, ſed per nares rejiciantur, febris acuta fervet, cum dolore & anguſtia ingenti, facies rubet, lingva areſcit, vox langvet, tumor interdum in collo apparet, idque in tribus anginæ ſpeciebus hoc fieri poteſt, nempe in paracynanche, ſynanche & paraſynanche, at nunquam in cynanche.

Cauſæ.

Cauſa veræ anginæ ferè ſemper eſt acris & bilioſa defluxio proximè ad naturam eryſipelatis accedens, talis autem defluxio à variis cauſis

exci-

excitari poteſt, nempe vel à nimia commotione corporis & excalefactione per exercitia, iram, curſum, luctam, ſaltationem, venerem & ſimilia, imprimis ſi ſubitò à percalefactione perfrigeratio ſequatur, vel frigidiſſimus hauſtus bibatur, ita etjam æſtus à ſole, aëre ambiente, vel balneis excitare hunc affectum poteſt, fundendo pituitam in capite, ac in defluxionem convertens, nec minus frigus ambientis ejusmodi fluxionem excitare poterit, per modum compreſſionis, ut flante borea ſæpe contingit, & à nudatione capitis & colli tempore nocturno, vel nimia obtectione eorundem, quæ etiam fundit, auſtrina quoque conſtitutio non infrequenter hunc morbum producit, nimium caput & cerebrum humectans. Nec non multa compotatio & crebræ crapulæ. Denique ab externa violentia etiam provenire poteſt, uti ſunt caſus, concuſſio, urentium rerum deglutitio, ut eſt piper Hiſpanicum, vel aculeatarum, uti ſunt piſciculi illi aculeati à multis in deliciis habiti, imò quorumcunque piſcium ſpinæ incautius deglutitæ faucibus interdum inhæreſcunt, & talem calamitatem inferunt, res etiam venenoſitatem quandam in ſe habentes ad cibum delectæ fauces interius lædere poſſunt, uti ſunt quidam fungi, quemadmodum & multa ceraſorum comeſtio naturaliter hunc affectum producere dicitur.

Ut nihil dicamu de certis quibusdam conſtellationibus anginam endemicam, aliosque malignos affectus inurentibus.

De hoc affectu & faucium paſſione loquitur etiam Hippocrates in ſequentibus graviloquiis:

Angina eſt affectus vernalis. lib. 3. aphor. 20
Nec non autumnalis. 3. 22
Popularis eſt in aſſiduis imbribus. 3. 16
In angina tumor in collo exortus, bonum. 6. 37
Significatque morbum foras verti. 6. 37
Tumor & rubor pectoris in angina ſunt ſignum bonum. 7. 49
Quod nimirum morbus foras vergit. 7. 49
Liberatio ab angina ad pulmonem tranſiens necat in ſeptem diebus. 5. 10
Diutius viventes fiunt empyici. 5. 10
Vertebræ in occipitio introrſum luxatio eſt pueris grandiuſculis familiaris. 3. 26
Suffocatio in febribus repentina, nullo in faucibus apparente tumore, lethale. 4. 34
Deglutitio difficilis repentina cum febre absque tumore, lethale. 4. 35
Faucibus ægrotantibus ſi excrementa ſunt bilioſa, corpus unà ægrotat. 2. 15
Si verò ſanorum ſimilia, corpus tutò ali poteſt. 2. 15
Strangulatio quæ fit cum ſpuma circa os omnem ſpem recollectionis adimit. 2. 43

Per-

Perverſio colli in febribus lethalis eſt. 4. 35
Angina periculoſiſſima eſt & celeriter necat, ubi in faucibus & cervice nihil apparet. lib.3. præſ.18
Et in qua dolor eſt vehemens. 3. 18
Ac difficillima reſpiratio. ibid.
Talis angina jugulat eodem die. ibid.
Vel ſecundo. ibid.
Vel tertio. ibid.
Vel etiam quarto. ibid.
Angina in faucibus tumorem & ruborem excitans, ſed magno dolore afficiens non minus eſt periculoſa. ibid.19
Eſt tamen diuturnior. ibid.
Maximè diuturna eſt, in qua rubor in faucibus & cervice eſt. ibid.20
Si rubor ſimul in cervice & pectore eſt, bonum. ibid.
At ſi eryſipelas intrò revertitur, malum. ibid.
Item ſi evaneſcit non in decretoriis diebus. ibid.21
Item ubi non foras convertitur tumor. ibid.
Ægerque non pus ſcreat. ibid.
Ubi æger absque evacuatione levis, & à dolore immunis videtur, ſignum mortis. ibid.
Vel recidivæ. ibid.
Tumor & rubor foras converſi ſignum tutiſſimum. ibid.22
Angina converſa ad pulmonem dementiam excitat. ibid.
Plerunque autem ſuppurationem. ibid.
Anginoſi qui non celeriter cocta exſpuunt, ſed pauca viſcida craſſa ſputa reddunt, malè & lethaliter habent. in coacis
Tumores faucium repentè disparentes lethales. in coacis

Prognoſin quod ſpectat, ea majorem in partem continetur in citatis jam dictitatis Hippocratis, nonnulla tamen etiamnum adjiciemus: Eſt itaque angina familiaris his qui ſangvine fervent, nempe juniori ætati, minus autem fœmineum ſexum moleſtat, ob frigidiorem earum ſangvinem, & ordinariam ejus repurgationem per menſes, quæ ejusmodi morbos ut plurimum avertit, uti etiam maribus contingit, quibus natura mundationem ſangvinis per ordinarium fluxum hæmorrhoidalem inſtituit, vel aliquod fluens ulcus in corpore habent, eos enim non facile anginoſos futuros arbitramur. Inter quatuor autem ſupra deſcriptas anginæ ſpecies duæ ſunt lethales, nempe cynanche & paracynanche, duæ verò ſuperabiles & non tam periculoſæ ſunt, ut ſynanche & paraſynanche, ea etiam in qua vertebra ſupradicta in anticam vel poſticam partem luxatur, absque induciis lethifera eſt. Prognoſtica.

Curatio pro diverſis anginæ ſpeciebus varianda eſt, atque etiam aliter inſtituenda in anginâ epidemica malignâ, in qua rectè cordati Medici venæſectionem & gargariſationem repellentem rejiciunt, non minus autem in aliis ſpeciebus quidam curationem erroneam inſtituunt, ac anginam cum nigredine illa lingvæ Curatio.

quæ Germanicè die Bräune dicitur, confundunt, ac pro uno eodemque affectu habent, uti & ipſum Authorem noſtrum in eodem errore fuiſſe, ex remediis ab ipſo ad anginam commendatis videre eſt, uti ſunt 1. Gargarismus Paracelſicus. 2. Cantzmeyericus, & 3. ad guſtum abolitum, quæ cuncta potius contra nigredinem lingvæ & gutturis, qualis in febribus ardentibus & peſtilentibus ſolemnis, & de qua ſupra cap. 67. actum eſt, inſerviunt, uti etiam Paracelſus dictum gargarismum contra ejusmodi lingvæ nigredinem, quam non anginam ſed prunellam vocat, ab herba illa prunellâ, quæ hunc affectum curare ſolet, conſignavit. Rectè autem Author ante omnia aquam benedictam Rulandi contra anginam celebrat, in quo ipſi aſtipulamur, vixque fieri poſſe putamus ut excellentius remedium in rerum natura contra hunc morbum detur noſtro centaurio minerali vel laudatâ illâ aquâ benedictâ, ſi modò alterutrum mox ſub primam affectus inceptionem in ſat forti doſi hauriendum detur, antequam nimirum viginti quatuor horæ præterlabantur, poſtea verò vix convenire poſſunt, at primo ſtatim die propinata ſtupendum in modum morbum expugnant, materiamque in apoſtema gutturis coituram ejiciunt, unoque inſtanti à periculo liberant.

Verùm ſi commoditas medicinam hanc exhibendi præterlapſa eſt, præcipuam practici ſpem ponunt in liberali ſangvinis miſſione ad libram unam vel etiam duas, non tamen una vice, ne in deliquium æger & ſuffocationem præcipitetur, ſed partitis vicibus, celebrantes eam quacunque hora vocati fuerint, etiam in gravidis & fluentibus menſibus & lochiis, nec non quocunque graviditatis tempore, poſt detractionem ſangvinis altero die illicò ad purgationem ſe applicant, etiam non præmiſſa humorum præparatione vel concoctione, jubente ita Hippocrate, quod nimirum in valde acutis medicandum ſit eodem die, tardationemque omnem periculoſam eſſe.

Gargarismata refrigerantia & repellentia non convenire putamus, eſt enim morbus nil aliud quàm eryſipelas, quod frigidis cum periculo vitæ retropellitur, ſed foràs potius evocari debet, commendabilis itaque eſt gargarismus ille ex ſpiritu vini & ſpiritu urinæ vel ſalis armoniaci, qui jam pro experimento in uſu eſt, qui tamen repellenti gargarismate uti velit, omittat id ſaltim in anginâ malignâ, atque etiam in cæteris non niſi in primo initio adhibeat, materiamque mox purgativo evacuet. Exterius guttur inungatur oleo anethino, chamæmeli, amygdalarum dulcium, & violarum invicem mixtis, imponi etiam poterit cataplasma:

℞. farinæ hordei ℥ſ. *Cataplasma.*
foenugræc.
ſem. lini an. ℨij.
muccagin. ſemin. alth.
foenugr.
extract. cum aq. malv. an. ℥ſ.
olei

olei anethin.
chamomill. an. ℥j.
butyr. recent. ℥ſ.
cum lana ſuccida tepidè applicentur.

TEXTUS:

ANginam vel incipientem vel etiam confirmatam, præſertim ſi febris urgeat, ſubitò vomitoria, imprimis aqua benedicta tollunt. Sic nimirum inflammatio cedit, & ulcera vel apoſtemata rumpuntur. In omnibus verò hisce reſpiciendum ad naturam patientis & virium robur.

Quod ſi ergò vomitoria locum habere nequeunt, recurrendum ſtatim eſt ad ea ſpecifica, quæ nihilo ſecius etiam poſt vomitoria locum habere poſſunt, talia ſunt:

1. Quod eſt apud Paracelſum in tractatu de peſtilentia ad Sterzingenſes, quod ℞. VI. vel VIII. cancros vivos (cancri inſigniter refrigerant) ſedi majoris m. iij. vel IV. quæ invicem contuſa in mortario, & poſtmodum expreſſa ſuccum reddunt, quo lingva & fauces ſunt fovendæ, vel ipſa lingva radenda, imò ejus (ſed valdè parum, guttas videlicet aliquot) in liquore convenienti aliquid intrò concedendum.

Experimentum *2. Eſt experimentum Antonii Cantzmeyr civis Auguſtani, quod ℞. ſedi majoris ℔j. contunde in mortario exprimatur ſuccus. Hujus ℞. ℔j. adde ſalis armoniaci ℥ſ. relinque in loco humido, usque dum ſolvatur ſal armoniacum, poſtea deſtilla per alembicum. Hac aquâ ſæpius ablue lingvam calidè & tepidè. Eſt probatiſſimum. Vide Conradinum de lue venerea.*

3. Gargariſmus ille de quo ſupra de guſtu abolito & depravato.

Nota: in hoc caſu aliquid addendum eſt plantæ ipſius nempe de ſedo majori.

Quod ſi gargariſare nequeat, ſiphunculis injiciendus eſt gargariſmus: poſt ſingulas gargariſationes ℞. corium de lardo (Speckſchwarten) *duos digitos latum, & aſſulatim incide, ex eâ parte, qua adhuc lardum eſt, & pone ad lingvam, ut aliquandiu detineatur. Sic nigerrima (a) cuticula lingvæ reſolvitur, & tandem diſcedit, & curatio ſequitur celerior.*

(a) Hic curationis modus planè ſpectat potius ad nigredinem, ſcabritiem & fiſſuras lingvæ, de quibus ſupra cap. 67. egimus, qui affectus ſemper accidens eſt alterius morbi, ingentem æſtum in orificio ſtomachi excitantis, unde fuliginoſus calor aſcendit, lingvamque ita adurit, angina autem eſt morbus per ſe, non ab alio morbo proveniens, licet utplurimum febris acuta concurrat,

febrim enim iſtam angina excitat, non autem angina à febre excitatur, quemadmodum etiam nomen habet ab angendo, quod nimirum ſemper angorem & ſpiritus anguſtiam invehat, ob ſtrangulationem in faucibus, quam tumor cum hoc affectu concurrens, efficit, quamobrem etiam Germanicè das Wulſchen / das Geſchwer im Halſe nominatur, nigredo autem lingvæ ejusmodi ſtrangulationem non ſemper conjunctam habet; non ergò huc adducta ab Authore experimenta propriè pertinent, ſed inter affectus lingvæ recenſeri debent. Genuina autem anginæ curatio inſtituenda eſt ut diximus, nempe per vomitorium, ac poſtmodum per emollientia & rumpentia apoſtemationem gutturis, quod optimè præſtat ſuccus expreſſus naſturtii hortenſis vel aquatici, mixtus cum quarta parte aceti vini, & tantillo olei olivæ & ſalis communis, cujus mixturæ ſæpius unum vel alterum cochlear ſorbeatur, pueris ſufficit lac recens caprinum cum ſacharo contemperatum, ſeu dulcificatum; ſi verò ſimul adſit tumor colli interius vel exterius, tunc

Experimentum

Electuarium.

℞. mellis roſac. ℥ij.
diamor. ℥iſ.
albi græc. ℥ſ.

m.f. electuarium, cujus ſæpius quantitas nucis moſchatæ lambatur.

Exterius ſuper tumorem applicetur hoc cataplasma, panno ſuperinductum tepidè:

Cataplasma.

℞. mellis ad ſpiſſitudiné cocti ℥IV.
mellis roſacei ℥ij.
albi græci ſubtiliſſ. pulveriſati q. ſ. ad cataplasmatis conſiſtentiam, vel ſequens Authoris:

Externè ad collum ipſum applicetur emplaſtrum ex nidis hirundinum (integris & albo græco ana) cum aqua ferrariorum coctum calidè.

Pro potu diſſolve nitrum præparatum vel ſalem prunellæ (vinum non detur) ad ℥ſ. in aquæ fontanæ menſ. l. (b)

(b) Intelligit menſ. LVI. unciarum.

Anginæ conferunt ea in quibus ſal nitroſum armoniacum delitescit, ut ſtercus canis album, oſſa rodentis, in aqua probè coctum & cum melle exhibitum.

Raſuræ dentis apri ʒj. cum oleo amygdalarum dulcium & ſacharo.

Cinis cancrorum uſtorum.

Cinis hirundinum.

Conſolida media, prunella, uvularia, cervicaria, mentha criſpa, rubus idæus.

Angina notha puerorum curatur emplaſtro modò dicto. Angina notha.

Caput viperæ exſiccatum & collo appenſum commendatur pro amuleto.

℞. *noctuam unam, cum pennis combure, & fiat pulvis, cujus poſtea modicum in guttur immittatur, aperit & rumpit apoſtema mirabiliter.*

Spiri-

Spiritus nitri tum in extinctione inflammationum, tum in reſolutione apoſtematis plurimum valet.

Exhibetur in hauſtu aquæ fontanæ calido, ſive ℥iiſ. aquæ, quam miſce cum ſpiritus vini & ſpiritus nitri an. ʒſ. vide Crollium.

Gargariſma. ℞. *aquæ ſempervivi*
prunellæ an. ℔j.
ſalis armoniaci ʒj.
m. f. gargariſma.

Anodynum minerale. *Cryſtallum vel anodynum minerale, ut vocant, ſeu lapis prunellæ (quòd lingvæ inflammationi, item faucium vicinarumque partium aſperitati unicè medeatur) inſignis eſt virtutis, ad ʒſ. vel ʒj. in aquâ aliquâ appropriata reſolutus & gargariſatus mirè confert, poſt etiam parum hujus miſturæ cum ſacharo junctæ deglutiri, vel ſi mavis, ſali prunellæ vulgari modo præparato quantum placet adde ſachari candi vel cryſtallini tantundem, vel etiam plus, utrumque pulveriſatum coque cum aqua roſarum quantitate ſufficiente, donec gutta lamellæ ſtanneæ ſuperfuſa conſiſtentiam habeat, effunde in concham & repone, relinquendo, donec inſtar lapidis induruerit, tandem exime, & in particulas diffringe, vel etiam in pulverem redige, utere hoc ſæpius.*

CAP. LXXV.

DE AFFECTIBUS PULMONUM, AC PRIMUM DE PULMONIBUS VENTOSIS.

PUlmo eſt veluti anthlia ſpiritus vitalis, membrumque ad vitam maximè neceſſarium, quo nullus homo carere poteſt absque vitæ extinctione, ſine pulmonibus enim reſpirare non poſſumus, nec ullum verbulum proloqui. Subſtantia ejus videtur quidem carnoſa, & è ſangvine, prout etiam lien & hepar conformata, at recentiores altius rimando, non obſcura invenerunt indicia, corpus pulmonum meram veſicularum congeriem eſſe, quod etiam rationi conſonum eſt, ſupernatant enim aquis inſtar inflatarum veſicarum, cum aliæ partes carneæ ſubmergantur, unde conſtat, undique eos aëre turgere, aëremque cyſticulis ſeu veſiculis incluſum eſſe, aliàs expanſio & ſupernatatio in aquis eſſe non poſſet. Uſus pulmonum à tota antiquitate creditus eſt, quòd hauſtu aëris frigidi cor refrigerent, ejusque fuligines & vapores exſpirando reddant, ventilentque ſic calorem vitalem, moderni autem graviſſimis argumentis evincunt, eorum operam in ſangvificatione & maſſa ſangvinis perficienda inevitabiliter concurrere, quemadmodum etiam ampla vaſa ſangvinea recipiunt, nimirum venam arterioſam ſeu arteriam pulmonalem è dextro & arteriam venoſam è ſiniſtro cordis ventriculo, nec non ramos

Pulmonis ſubſtantia & uſus.

Vaſa pulmonum.

mos à ſexto pari nervorum ac lymphatica.

Membrum quidem eſt ſimplex ac unicum, interventu tamen mediaſtini in partem dextram & ſiniſtram dividitur, quarum una ſi lædatur, altera integrum capeſſit officium, ſingulæ verò etiamnum duos lobos conſtituunt, nempe ſuperiorem & inferiorem, imò nonnunquam terni eorum in uno latere conſpiciuntur.

Officium pulmonis ſecundum dogmaticos. Idem juxta Helmontium.

Inſpiratione aëris hoc membrum extendi, diduci, & totum thoracem replere ſemper apud Medicos in confeſſo fuit, perpetuòque moveri & inſtar continuò flantis follis occupari. Verum illuſtris Helmontius pluribus argumentis & rationibus hanc doctrinam impugnat, præcipuè autem ſequentibus, pulmonem inter cætera hunc præſtare homini uſum, quod inſerviat pro cribro aëris, aërem enim ſemper plenum eſſe volatilibus atomorum pulviſculis, qui ſaltem ad ſplendorem ſolis in conſpectum veniant, eos autem cum anhelitu continuò intrò trahi, niſi ergò ejusmodi colatorium ſeu cribrum ſit, quod intro tractum pulviſculum ſegreget, & ejiciat, thoracem totum mox luto oppletum iri, anfractibus ergò pulmonis præfatum atomorum pulverem affigi, & per ſcreationem deſarcinari, hucque multiplicem cannarum aſperæ arteriæ diductionem facere, quò minus tenuior pollen penitius vadat. Pulmonum autem ſubſtantiam diductionis & compreſſionis prorſus eſſe incapacem, avium enim pulmonem (volucri iiſdem uſibus inſervientem) coſtis firmiter annexum omnem follium dilatationem & compreſſionem reſpuere. Pulmonem adhæc tribus conſtare vaſis adæquatè per totum diſperſis, nempe venâ arteriali, arteriâ venali ac aſperâ arteriâ, circum affuſo cruoris parenchymate, & membranâ tanquam togâ, tria hæc vaſa eſſe canales per totum deductos, quorum duo priores ſint ſangvine repleti, atque adeò incapaces, ut intra ſe novum aëra inſpiratum recondant. Tertium verò canalem ſemper patere aëre repletum, ideoque incapacem alterius novi & inſpirati aëris, niſi contentus aër cedens advenæ, in thoracem intraverit, atque adeò tertius ille canalis ſit perforatus, unà cum membranâ pulmonem veſtiente. Hunc tertium canalem annulis cartilagineis, ſibique invicem contiguis ſemper eſſe diſtentum & patentem, non ſecus atque ipſummet arteriæ aſperæ truncum. Quartam autem viſceris partem eſſe carnem ejus parenchymaticam, aëris adventitii æquè incapacem. Quintam tandem eſſe membranulam ſive tunicam pulmonis. Horum itaque nil capax eſſe novi aëris, nil anhelitus novi ſuſceptivum, nihilque quod dilatationem atque compreſſionem ſuſtinere poſſit vel motum.

Conceſſo autem quod tertium vaſorum ſive prædictorum canalium aëre non eſſet plenum, ſed planè omni prorſus aëre vacuum: à reſpiratione (cum tamen pateat alioqui, nec in ſe concidere valeat inſtar veſicæ,

ſicæ, annulorum id vetante cartilagine) ſaltem tantundem duntaxat aëris in ſe conciperet novi, quanta eſſet alioqui viſceris pars. Veruntamen cum ad lubitum unica vice plus aëris inſpiremus, quàm totus pulmo ſit amplus; neceſſe eſſe omninò, aërem non ſaltem inſpirari in canales aſperæ arteriæ, ad concidendum & dilatandum aliàs impotentes: ſed ab his intrò pergere in pectoris cavitatem. Terebratis etiam muſculis per pugionem intercoſtalibus vulnus mox penetraſſe prodi: nam flatu erumpente per vulnus flammam extingvi candelæ. Etſi vulnus claudatur, inſpirandoque & exſpirando aperiatur iterato, ſemper candelæ lumen efflabellari, fieri tamen id eſſe impoſſibile, niſi ductus inſpiratusque aër trans pulmonem in thoracem pergat, & per conſequens ſit pulmo quietus. Maximè quod in pectore duplex ſit mediaſtinum, ſive membrana interſtitia à ſummo thoracis ad imum, tutandi cauſa cordis ab aëris injuriis, quod mediaſtinum thoracis dextrum à ſiniſtris dirimat. Liquere ergò mechanicâ neceſſitate, anhelitum recta in thoracem ferri trans pulmonem, adeòque & hunc quieſcere. Quod æquè manifeſtè per pleuritidis expectorationes ſit obvium. Quippe per tuſſim rejici, quæ prius in coſtis & pectoris cavo fuerint extravenata & putrefacta. Oportere itaque membranam pulmonis eſſe valdè patulam, quæ cruori & puri transmittendo ſufficiat; ſi ergò cruor & pus per poros pulmonis in pleuritide ſorbeantur, quidnî & aër per eosdem poros in thoracem transmittatur. Probari hoc per mechanicam. Efflet enim quis anhelitum è pectore quantum poſſit, metiatur dein filo coſtarum circumferentiam. Tum rurſus quantum valeat, aërem inſpiret, atque iterum metiatur. Reperturum eum per cubum, plus aëris attracti, quàm ad magnitudinem pulmonis humani, quantò magis quòd magna pars anhelitus hanc menſuram fallat. Nimirum quantum diaphragma deorſum tetenderit ſtomachum. Experiatur hoc iterum: attrahat anhelitum quantum poſſit, & inſpiret in veſicam, & reperturum idem quod ante, quod nempe capacitas inflatæ veſicæ excedat integri pulmonis magnitudinem, non obſtante, quod poſt omnem exſpirationem adhuc canales aſperæ arteriæ ſuis aperti annulis manſerint, & aëre ut antè etiamnum repleti. Pulmonem enim brutorum aquis quibus bulliatur, integrum ſupernatare, at fruſtulatim diſſectum ſidi, quia aëre ſit impleta aſpera arteria. Indubium eſſe quin pectus & venter inſpirato aëre intumeſcat: quòd ſi ergò pulmo extendi poſſit (quod nullatenus) at ſaltem non ad ſubdecuplum, quantum thorax extendatur, eſſe locando aëri inſpirato. Motum ergò thoracis arguere motum pulmonis non eſſe neceſſarium. Quòd ſi pulmo totum pectoris cavum impleret (quod manifeſtè non) rationi conſonum eſſet, quod coſtarum elevatio pulmonem dilatare poſſet, ſed cum aër dilatationem & compreſſionem ſuſtineat

ſtineat (ut dici ſoleat) ergò coſtarum elevatio non traheret adæquatum aërem. Imò cum iſta attractio adhuc eſſet violenta (timore vacui nimirum) naturali atque vitali motui adverſa, ſequatur etiam motum coſtarum non eſſe inſtitutum ad dilatandum pulmonem. Cumque pulmo nec in ſe, nec aliundè motus ſui habeat principium ullum, niſi à motu coſtarum (juxta ſcholas) ſeqvatur etiam pulmonem nullo motore moveri, ſed planè ſemper quieſcere. Quæ enim ſit major fatuitas, quàm fateri, omnes aſperæ arteriæ ramulos, cartilagineorum annulorum contextu apertos, & tamen docere, omnes eosdem ramulos, attracto inſuper novo aëre ſemper ampliari, diduci & comprimi. Tum non rarum inſuper eſſe ructum è ſtomacho, qui odores in pulmonem hauſtos exprimat. Pulmonem ergò & diaphragma eſſe membra perſpirabilia. Siquidem ſi quis ſupino decubitu unam manum ſuper abdomen, alteram verò ſuper coſtas poſuerit; moderatum verò, ſive incoactum anhelitum duxerit, ſenſurum tum facilè, ſolos muſculos abdominis operatos fuiſſe. Ventre nimirum ſublato, diaphragma deorſum trahi, & conſequenter tantundem abdominis cavum ampliari, quantum diaphragmatis planum (in ſe laxum) ſive diameter minor ſit ſemicirculo ſui deorſum tracti, ac tanto amplius, quanta & plana diaphragmatis ductilis laxitas. Imò ſi ſtrictâ zonâ coſtas cinxerit, atque præfatum anhelitum duxerit, ſenſurum, ventrem attolli & deprimi, coſtis prorſus immotis, & per conſequens pulmonem, etſi aliàs mobilem (quod non) toto tamen die ſic poſſe quieſcere. Sed in ſuſpirio, oſcitatione, ſternutatione & forti anhelatione ſentiri (nec antè) muſculos intercoſtales ſuo quoque vicariatus & adminiculi fungi officio; coſtas namque ſemicirculos eſſe deorſum propendentes, quos muſculi intercoſtales ſinguli ſingulos ſurſum attrahant, hactenus quoque majores fiant attollendo, quatenus tum fiant rotundiores, & ſic pectoris cavitatem amplient. Sic nempe rectâ tantùm cervice reſpirantes, alas & humeros in ſubſidium flatus diducere, manus utrinque ad elevandos humeros ſedilibus premere, ut pectoris cavum augeatur, ac majori tubere diaphragma deorſum promineat. Pulmoniacos & difficulter ſpirantes attentè conſideratos reperiri plerunque, eos laterum uno cubare felicius, atque altero vix reſpirare poſſe; Etenim indubium eſſe, quin iſtud vitium ſit ipſius pulmonis; quodque pulmonis prono latere (ſive cui tum æger incumbat) quâque parte tum coſtalem membranam tangat, pori ſunt conſtipati, quibus aliàs reſpirare ſoleat: quod etiam ſupini tum lateris lobus uterque pulmonis ſint poris morboſè obſtructi, ſi non omnibus, ſaltem pro magna parte, idque metiendum à proportione deficientis anhelitus. Quo argumento manifeſtum eſſe, pulmonem non attolli, & concidere inſtar follis, ſed poris pervium, per quos aër ad &

extra

extra thoracem perfluus, ejus diducti vel contracti amplitudini æquatus reſpondeat. Hinc nempe erectos quàm jacentes reſpirare melius, eò quòd pulmo pendulus undiquaque poros liberos habeat, qui non vitio oppilationis ſuccubuerint. Suppoſito enim mille orificiis arteriæ aſperæ omnem aërem deportari ordinariò in thoracem, & totidem ſanitati ſatis eſſe, centum autem eorum eſſe conſtipata, fore tum ut ille homo celeri motui diuturno, vel aſcenſioni decima parte ſit impar & ſuſpirioſus. Hæc Helmontius.

Verumenimverò extenſio & inflatio pulmonis reipſa tam demonſtrabilis nunc eſt, ut & animali jam demortuo flatu adeò poſſit diſtendi, ut totus thorax repleatur.

Porrò pulmones collo junguntur per arteriam aſperam, per mediaſtinum verò ſterno anterius, poſterius autem dorſo, nec non pleuræ & diaphragmati, modò toto ambitu, nunc parte aliqua fibraliter annexi, interius ſinuata cavitate per vaſa cordi alligati illud ceu architriclinium vitalis caloris molli complexu fovent, vitiatique ipſi ſuam læſionem facilè aſpirant, niſi noxa altius in gibba parte hæreat, aut propriâ tunicâ ſive cyſticulâ concludatur, quo pacto nonnunquam per multos annos tubercula pulmonum absq; ulla cordis debilitatione, vel vitalis functionis imminutione, imò ſine omni tuberculi perceptione geſtantur, donec ex improviſo rumpantur, ac momentaneum vitæ periculum inferant.

Teneriori ætati denſiores deprehenduntur, cujus progreſſu paulatim magis rareſcunt, ita ut non rarò vulneratorum injectos in pectoris capacitatem liquores vulnerarios poroſæ raritati ſuæ transmiſſos cum tuſſi ad os deferant, pari modo cum rareſcentiâ etiam magis magiſque rubeſcunt, donec in ſenili ætate flacceſcant, collabantur ac albidum pallorem induant.

Primariam pulmonum actionem eſſe reſpirationem nemo eſt qui dubitet, quo pacto autem pulmo ex neotericorum ſententia maſſam ſangvineam coadjuvet, arterialemque & venalem ſangvinem à cordis ventriculis & aortâ recipiat & reddat, ſuaque in ditione ſemper ſpumantem conſervet, & qualem præterea uſum præſtet, nihil certi adhuc determinari licet.

Convertimus ergò nos ad affectus pulmonum ex ordine Authoris declarandos, ubi primo agit

DE PULMONIBUS VENTOSIS.

VEntoſitas pulmonum nihil aliud eſt quàm aſthma flatulentum, in quo pulmones perpetuò flatibus adeò tenduntur, ut ſpiritus non niſi cum difficultate poſſit trahi. Pulmonũ ventoſitas quid?

Cauſam putamus eſſe defectum caloris nativi venientem vel à ſeneſcente ætate, vel longâ morboſâ defatigatione, vel melancholicâ conſtitutione, quæ ſemper naturæ frigidæ eſt & ſiccæ, ac plurimam ventoſitatem parit, vel multâ ſangvinis

profuſione, quâ corpus refrigeratur, item ab externa nimia perfrigeratione corporis ab aëre ambiente, potiſſimum tamen ejusmodi ægri ſolent eſſe temperamenti melancholici, in quibus ſemper calor naturalis debileſcit, eoque eos ad flatus diſponit. Quemadmodum enim appropinquante autumno, & calore ſolis deficiente venti & turbulentæ procellæ fiunt, ſic idem in homine ab imminuto calido nativo fieri veriſimile eſt, gignente multam flatulentiam.

Ventoſitatem verò autumnalem contingere præcipuè ex his cauſis arbitramur, quod imminuto calore omnia incipiunt corrumpi, quæ corruptio herbarum, foliorum, graminis generat putredinem, aciditatem & fermentationem, fermentatio autem omnis eructat flatus, uti in fermentantibus vinis & cereviſiis videre eſt, quod cellas ſi copioſa ſint, adeò flatibus opplent, ut diu morantes ibi ſuffocent, cum ergò integra regna & provinciæ ſecedente in autumno calore ſolis refrigerentur omnisque earum viriditas corrumpatur, & ſic per aliquot centum milliaria una vice fermentatio rerum virentium corruptarum contingat, neceſſe eſt immenſam copiam flatulentiæ in aërem ſpargi, ibique collectam ventos procelloſos excitare; idem etiam in homine fieri calido imminuto non eſt dubium, ut ſucci ipſius corporis ſenſim corrumpantur, & aceſcant, omnia enim quæ corrumpuntur, aceſcunt, aceſcentia enim eſt corruptio dulcedinis, uti in muſto videre eſt, quod ſuapte natura tranſeat in aciditatem, at non ſine ingenti ebullitione & flatuoſa fermentatione, eò quod dulcedo corrumpatur & emoriatur.

His ergò ex cauſis melancholicos eſſe flatulentos res ipſa indicat, ſunt enim plerunque aſthmatici etiam absque ulla infarctione pulmonum ex materia pituitoſa, ſed ſolummodò à diſtenſione pulmonum à flatibus, uti etiam hypochondria ipſis tenduntur & murmurant, ac nonnunquam tument, multosque edunt ructus.

Curatio debet fieri per calefacientia & aciditatem imbibentia, quod præſtant ſemina quatuor majora calida, & eorum ſalia, in ſalibus enim lixivialibus omne acidum commoritur, ex hoc fundamento procedunt omnia quæ in hunc finem commendat *Curationis ſcopus.*

TEXTUS.

Pulmones ventoſos hoc eſt flatibus diſtenſos, adeoque reſpirationem impedientes reſtituunt eſſentialia ex carminativis, citò ad locum affectum penetrantia.

Hîc præſtat balſamus fœniculi, cujus deſcriptio in Crollio eſt dicta.

Sic ſal ſtipitum carvi dextrè (hoc eſt per ſulphur calcinatus, ut in ſale euphraſiæ dictum) & cum ſale communi uſurpatus, tum curando ab ejusmodi morbo liberat.

Speci-

Specificum. *Specificum in curatione eſt radicis aronis pulveris ℥j. item fæculæ aronis ad ℥j. in aqua appropriata, ſyrupo vel vino, item in cibo, in præſervatione quotidie ℈ſ. ad ℈iſ. ſed cautè & rarò, tutò autem ℈j.*

CAP. LXXVI.

DE ASTHMATE, ORTHOPNOEA, DISPNOEA, Germ. Keichen / Engbrüſtigkeit.

HOmo organis reſpirationis rectè valens non agnoſcit, quantum beneficium iſtarum ſit partium bona valetudo, edit, bibit, canit, ridet, currit, ſaltat, ſedet, ambulat, dormit, cunctaque alia ſanitatis munia cum facilitate exequitur, ſolam autem gratitudinem erga creatorem ſuum pro omnibus iſtis beneficiis gratiarumque ardentiſſimam actionem negligenter, tardè, morboſè & perfunctoriè perficit, imò interdum omninò obliviſcitur, mittente autē omnium juſtiſſimo vindice cunctorumque mortalis capillorum numeratore ſuos caſtigatores in vaſa & organa reſpirationis, nimirum aſthma, tuſſim, phthiſin, aloiſque morbos pectoris, tum demum ingrato innoteſcit, quanta ſit miſeria difficultas & impedimentum ſpirandi, & quàm omnia ſimul corporis membra, eorumque actiones graviſſimè affligantur.

De ſpirationis ergò difficultate cum præſens caput agat, operæ pretium eſt iſtum affectum dilucidius hic deſcribendum dare. In genere igitur omnis reſpiratio difficilis, vocatur aſthma, cum verò diverſo modo ægri reſpiratione laborent, præcipuè autem tres notabiles gravis anhelitus differentiæ dudum obſervatæ ſint, tribus diſtinctis nominibus methodici eas diſcriminarunt, nimirum aſthmatis, dispnœæ & orthopnœæ.

Aſthma proinde eſt impedimentum reſpirationis à multa obfarctione cannarum pulmonis oriunda, ita ut anhelitus difficulter pervadere queat, prout auditu ipſo percipitur, tam enim intrò meante quam exeunte ſpiritu ſive anhelitu ſibilus, ſtridor, & ronchiſſatio auditur, ob meatuum videlicet anguſtationem, ubi enim aër per anguſtas rimas tranſit, ſibilare & fiſtulare ſolet, uti quivis in fiſtulis muſicis obſervare poterit, eas ſonoram fiſtulationem non edere niſi obturato earum orificio per inaptatum lignum, ita ut ſolum anguſta rima relinquatur, per quam flatus tranſeat, ubi cum impetu perrumpens in ferè conniventibus parietibus colliſionem facit, ſonoramque ſibilationem; quod itidem etiam in aſthmate contingit ex infarctis craſsâ pituitâ meatibus, ut ob anguſtationem ſpiritus non niſi laborioſè & vi quadam adhibita pervadat, atque ideò anhelitum reddat ſtridulum, quâ anhelatione laborioſâ æger admodum defatigatur, imprimis ſi operoſa ambulatio accedat, nempe aſcenſus àcclivis vel ſcalaris. Aſthma.

Diſpnœa verò eſt etiam difficilis Diſpnœa

 reſpi-

reſpiratio, priori tamen aliquantulum levior, & absque ſtridore contingens,ratione,ut arbitramur,quod non fiat ex anguſtatione meatuum, ſed integra quorundam obſtructione, manentibus cæteris liberis & apertis, cum verò ſufficiens aër per eos intrare nequeat,itaque non quidem ſtrident, laborem tamen & quandam defatigationem concitant ex defectuoſa anhelitus anthliatione, aliorum autem opinio eſt, obſtructionem non in bronchiis pulmonum, ſed in ipſa eorum ſubſtantia fieri, eamque ob cauſam diſpnœam ſtridore carere,liberum itaque eſto cuique, ſentire quodcunque velit.

Orthopnœa. Orthopnœa autem eſt maxima & omnium difficilima reſpiratio, in qua ægri jacentes ſuffocatione periclitantur,atque ita coguntur ſedendo dormire, & erectâ cervice reſpirare, unde nomen orthopnœa id eſt recta reſpiratio, hanc exiſtimamus eſſe concurrentiam ſuperiorum duarum ſpecierum, ita ut non modò meatus quidam planè ſint obſtructi, verùm cæteri etiam coanguſtati, quibus inter jacendum etiamnum plus compreſſis & conniventibus, non poſſunt non ægri ſuffocatorio modo ſe habere,donec erecti maneant, ac reliqua meatuum apertio in pendula libertate ſervetur, & laborioſè aliquam lateralem extenſionem facere non nequeat. Aliis autem placet quod in orthopnœa muſculi intercoſtales abdominisque, nec non ſuperiores pectoris & ſcapularum graviter afficiantur.

Præter has aſthmatis ſpecies etiam aliæ anhelitus difficultates ſæpius occurrunt, verùm ad aſthma non computantur, inflammationes enim vicinarum partium nempe mediaſtini, diaphragmatis ac pleuræ ſemper reſpirationem afficiunt, ſicuti quoque incendium cordis in febribus reſpirationem magnam & frequentem efficit,item affectio hypochondriaca & ſcorbutica anhelitum inſigniter impediunt, uti etiam omnes hydropis ſpecies ac imprimis hydrops pectoris idem nocumentum inferunt, affectusque uteri. Nullum tamen iſtorum ad verum aſthma pertinet, ſed tantummodò quando vitium conſiſtit in vaſis & meatibus pulmonis.

Agnitio & dignotio hujus affectus ſpecierumque ejus diſtincta difficilis non eſt,in aſthmate enim ſpiritus tractio fit cum ſatis magna difficultate,& pectoris gravitate cum anhelatione ſtridente, rhonchiſſante ac ſibilante. Signa diagnoſtica.

In diſpnœa reſpirationis difficultas eſt aliquantulum minor & absque ſono & ſtridulatione;

In orthopnœa totâ morbi duratione decubitus denegatur, ſed ſolùm ſedendo patiens cum magna moleſtia ſomnum cogitur capeſſere, & erectus reſpirare, niſi velit ſuffocari.

Cauſæ difficilis reſpirationis ſunt oppletio & infarctio cannarum aſperæ arteriæ à tenacibus humoribus, aut tubercula in pulmonibus naſcentia, & meatus reſpirationis comprimentia, atq; ejusmodi compreſſione Cauſæ.

preſſione

preſſione viam halitus anguſtantia, ita ut laboriosè transmeet, item vapores venenati & aſtringentes dictas vias inſtar aluminis conſtringentes.

Signa cauſarum.

Signa cauſarum ſunt: ſi reſpiratio impeditur ab infarciente pituita, gravitas in pectore ſentitur, ſtertorque, ſtridor & ſibilus inter reſpirandum, maximè verò in ſomno auditur, ſi à catarrhoſa defluxione fiſtulæ oppleantur, adeſt vel præceſſit capitis gravitas, aliaque ſigna catarrhi, in hisce tamen caſibus aſthma febri nõ copulatur, & ſi ſimul cum difficili reſpiratione febris vel calor poſt cibum increſcens concurrat, tuberculum vel ſuppurationem in pulmonibus latere ſuſpicandum eſt, præſertim ſi ſimul adſit tuſſis moleſta, rumpitur etiam tandem his tuberculum, ac pus ſcreatu rejicitur.

Aſthmatis cauſæ juxta Helmontium.

Profundiſſimus autem Helmontius huic doctrinæ methodicæ nequaquam ſubſcribit, ſed deſerendam ſvadet tanquam noxiam, & è cujus fundamento nunquam aſthma ſanetur, alias autem aſthmatis cauſas, fiendi modum ſanandique proponit in tractatu de aſthmate & tuſſi, cujus ſumma hæc eſt. Pulmonem eâ parte, quâ aſperæ arteriæ extrema deſinant, ſpirentque in thoracem, patere, poriſque pervium eſſe, in aſthmate verò eorundem pororum fieri ſtricturam ſive conſtrictionem convulſivam.

Aſthma muliebre peculiare.

Aſthma autem eſſe duplex, unum muliebre ex ſolo uteri regimine pendens, atque tam frequens huic ſexui, ut ſcholæ omnem uteri arithmum (qui multiplex ſit) dicaverint uteri præfocationibus, unoque velut capite ingens volumen morborum præteriiſſe voluerint, quasdam enim ſvaveolentium odore præter cephalalgias & comminatas ſyncopes confeſtim in extremam reſpirandi difficultatem incidere.

Alias ſpirante borea ſtatim vel in hypocauſtis aſthmate plecti. Alias ex ira, nuntio triſti, potu ſachari, vini Hiſpanici &c. vel etiam objurgatas luctuoſo mox aſthmate corripi, uterum enim actione regiminis, modoque penè influentiali ad nutum iræ, triſtitiæ, pavoris &c. præfatos pulmonis poros, qua in thoracem deſinant, obſtipare, perinde atque luna ſolo aſpectu aquis præſideat, eò quod uteri vita atque poteſtas toti imperet mulieri, cui videlicet proin aliud quàm viro mentum, ingenium, caro, pilus, ſangvis &c. iterumque ceſſantibus furiis, & exundationibus præfati regiminis confeſtim liberam reſtitui reſpirationem, ac plerunque citra notabilem exſcreationem. Nec enim uterum vaporibus tenus, ſed mero regiminis imperio totam regere mulierem, cum ſit peregrini hoſpitis inſtar, à corpore non niſi alimentaliter dependens prout viſcus ab arbore, cui innaſcatur. Cæterùm uterum quadrâ vivere propriâ, nullumque ſibi præter animi pathemata hoſtem noſſe: Ac ideò non ſervire animæ, ſed in importunum perturbationibus animum non ſecus atque in corpus furiendo ſævire. Solas namque perturbationes animæ uterum in di-

 verſos

verſos furores agitare, adeò ut nunc in nervos, tum in inteſtina, oſſa, viſcera, & membranas crudeliter ferociat, cor item, caputve, ſenſus ac mentem ſuccutiat. Non raro enim tendines magno cruciatu convulſos ſpontè extra locum proſilire, miras quoque muſculorum convulſiones ingenti ejulatu concitari, reſolvi, imò ipſamet oſſa ſeriò dislocari. Obſervatasque eſſe apoplexias, paralyſes, caducos, icteros, hydropes, tormina, hemicraniam, amentias, multamque morborum tyrannidem ex utero proveniſſe, à ſcholis autem virilibus remediis fruſtra tentata, atque ad ſolam aſthmatis præfocationem relata quodammodo, quaſi ſingulari prærogativa ſolum guttur utero obediret. Multa commiſeratione dignum ſexum fœmineum omnes propemodum morbos pati ex utero, iterumque eosdem tanquam homines tolerare.

Aſthma commune duplex ſiccum & humidum.

Aſthma igitur alterum adhuc eſſe utrique ſexui promiſcuum, ſubdividi autem iterum aſthma in ſiccum & humidum, ſic ab excrementis cenſum. Eſſe autem nidum aſthmatis in duumviratu (qui ab Helmontio conſtituitur in ventriculo & liene) unde videlicet totius moderamen pendeat, nam aliàs malum non ſedeat immediatè in ſpiritu influo, quod ſcilicet unica acceſſione terminaretur, non enim repetiturum nec perſeveraturum, niſi ſtabilem intus radicem obtinuiſſet. Stare igitur aſthma in ſemine virulento, ſeminis autem illius proprietatem eſſe contrahere poros pulmonis, quibus anhelitum in thoracem tranſmittat, characterem autem mali in ſtabili parte tantisper dormientem nõ videri alibi ſtabulari poſſe, quàm unde regimen corporis pendeat, adeoque & cordis prærogativam aſſumpſerit.

Aſthma ergò in hoc epilepſiæ eſſe ſimile, quòd licet non mentem feriat, non contrahat nervos, aut ſyncopen concitet, dormiet tamen in aliqua ſede, unde tandem contagione quadam archeum inquinans ſi non nervos, ſaltem pulmonem contrahat. Reſpiciat nimirum ſingulariter illud viſcus: Imò licet pari paſſu venas, renes, & jecur contrahere videatur, non tamen horum tam manifeſtam eſſe læſionem, qualis in præfocando ſentiatur. Libertate itaque philoſophica aſthma nominari poſſe caducum pulmonis, nidum ejus quidem eſſe in duumviratu; morbum totius quoque, quatenus membra cuncta commoveat ante acceſſum, adeòque & ſpiritum totius rectorem concutiat. Attamen in area thoracis fructificare, reſpicereque ſingulariter ipſum pulmonem, velut ſuæ proprietatis ſcopum, & objectum proprium. Caducum iſtum pulmonis fieri è veneno, quod proprietate ſuâ pulmonem afficiat, non ſecus atque cantharis lotii organa. Venenum ſcilicet aliquod eſſe, quod caput, totumque hominem in epilepſiam ſternat, multoque inſolentius atque mirabilius, quàm quod pulmonem ſtringeret. Affectus tamen raritatem non auſam eſſe compellere ad epilepſiæ cujus-

Aſthma eſſe caducum pulmonis.

cujusdam poſitionem. Cum tamen interim quicquid epilepticum ſanet adultum, ſanet etiam aſthmaticum. Venenum illud latere in corpore, expectare tamen debere ſui maturitatem & commiſtionem cum ſpiritu totius, montana autem & æſtiva loca maturare feſtinareque eruptionem ſeminis ſicci aſthmatis (i. e. laborantes ſicco aſthmate incidere in paroxysmum æſtate & appropinquantes montanis tractibus) quod in humido hybernis & paludoſis ditionibus facilius erumpat.

Propriè itaque loquendo ipſum ſemen eſſe aſthma & caducum pulmonis, licet ſileat dudum, ad maturitatem autem provectum jam eſſe pomum illius arboris, radicis, fructus, acceſſus & productum latentis aſthmatis; & quia in actum ſurgat vi regiminis vitalis, atque per modum influentiarum, hinc ſubitò non ſecus ac collo injectum laqueum invadere. Diſcere ergò hinc debere virum quemque cordatum & chriſtianum eſſe volentem, fruſtraneas eſſe in aſthmate (præſertim ſicco) expectorationum ſollicitationes per illinctus, loch, ſyrupos, per phlebotomiam, ac ſolutiva, per chinæ, zarzæ ac ſaſſafras potus, perque diætæ parſimoniam, ſudores, balnea, cauteria, antecedentem aut conjunctam aſthmatis cauſam è ſtomacho ſublatam, vel alioqui è capite pluentem materialiter ſiſtere, revellere, evacuare, conſumere, vel avertere velle. Cum aſthma nullo unquam remedio circumcidatur, niſi remedio arcani, quod per totum penetret omnes corporis ſemitas, ut nil relinquat intentatum: atque unico medio caducum cum aſthmate everrat, & quicquid immediatè in corporis latebris alicubi ſedem fixerit; excepta podagra & ſimilibus morbis immediatè in vitæ ſpiritu diverſoria nactis.

Aſthma ergò duplex eſſe humidum & ſiccum, illud quidem à copioſo ſcreatu nomen inveniſſe, & plerunque fieri vitio proprio pulmonis, adeòque continuum eſſe, magisque infeſtare ſtationibus frigida vel humida, ſenio, debilitati ac morti affinibus. Siccum verò aſthma plerunque eſſe interruptum, & prout totum corpus (dentes usque) tumultuosè concutiat, cum vitalium confuſione, neceſſariò eſſe caducum pulmonis, in quo pulmo ſolus conſtrictionem ſui, ſive convulſionem patiatur, quia faciat conſtrictionem pororum. In hoc aſthmate archeum totalem in radice eſſe inquinatum. Partem aliquam (uterum nempe, vel lienem &c.) primariò affectare ſpiritum innatum pulmonis, actione regiminis. Ideoque ex inviſibili & immateriali ſubitâ procellâ totum corpus concuti, & inſperatæ valetudini rurſus repentè reſtitui. Fruſtrà ergò tentari in aſthmate ſicco pororum apertiones, neſcitas, hactenus, fruſtraque expectorationes multas ac faciles, cum palliativa ac vana ſint auxilia, quotquot productis ſive poſterioribus ſint intenta. Vana eſſe nimirum remedia, quæ tuſſibus adhiberi ſoleant, cum tuſſis ab aſthmate ſicco

differat

differat longiſſimè. Aſthma humidum autem, etſi plerunque tuſſim pariat, ut productam mucilaginem expectoret, totâ tamen ſpecie à tuſſi ſecretum eſſe. Quoniam pluribus de cauſis naſci ſoleat. Vel enim habeat vomicam, vel ſecretum aliquod phlegma obſtruens in ipſo viſcere, vel alicujus frigoris, alteriusve injuriæ impreſſum ſtigma, unde plures mucilagines procreet, propriumque ſui alimentum corrumpat. Eſſe denique aſthma partim ſiccum partimque humidum, quod ſcilicet propter ſuſcepta endemica, tenui ſorbitione hauſta, tenerum pulmonem affectet. Idque non niſi oblatis quibusdam endemicis injuriis, aut aliàs vitæ ſub inordinatione emergere & exaſperari. Tandem ſcirrhum, hydropem &c. etſi affectus anheloſos pariant, tamen cum graventur alieno pondere, non eſſe aſthmata.

Aſthma adhuc aliud partim ſiccum partim humidum.

Icterus profert aſthma ſiccum.

Icterum verò proprio veneno aſthma ſiccum proferre. Poſtremò remedia aſthmati ſiccò deberi, quæ epilepſiæ inveteratæ. Magna autem confortativa & reſtaurativa tam reſpectu pulmonis quàm cuſtodis requiri pro aſthmate humido. Hactenus Helmontius.

Huc etiam pertinent ſequentia dictitata Hippocratis:

Spirandi difficultas eſt affectus ſenum, *lib. 3. aph. 31*
Nec non virilis ætatis. *3. 30*
Item puerorum. *3. 26*
Aſthma eſt morbus autumni. *3. 22*
Spiritus offendens in febribus malum. *4. 68*
Et ſignificat convulſionem. *4. 68*
Difficultas ſpirandi in febre non intermittente ſignum lethale. *4. 50*
Aſthma in pubertate gibbum faciens, mortale. *6. 46*
Perituri in acutis difficulter ſpirant. *lib. 3. præſag. 10*

Prognoſtica.

Prognoſin quod concernit, aſthma eſt affectus vulgaribus remediis non cedens, ſed antiquitus & adhuc hodie inter maximè incurabiles relatus fuit juxta illud dictum: *Hydrops & aſthma mirabile phantaſma, quod nullum curat cataplaſma.* Imprimis autem aſthmatici ſenes extra ſpem ſunt, juvenes verò interdum adhibitâ induſtria cum difficultate curantur, plures tamen nullo modo, ſed non rarò tandem cachexiâ vel hydrope corripiuntur, orthopnœa tamen reliquis ſpeciebus eſt gravior, graviumque paroxysmorum inſultu ſæpius ſuos ægros ſuffocat.

Aſthma autem incurrunt ſive aſthmatici communiter fiunt foſſores ac fodinarii metallici, ac præcipuè argenti vivi ac mineræ ipſius cinabaris nimirum nativæ, ex qua argentum vivum vi ignis pellitur, non modò enim currens in fodinis reperitur ſeu vivum, & mercurius virgineus appellatur, ſed etiam in glebas rubras ponderoſiſſimas induratum inſtar cinabaris ferè factitiæ, item fuſores metallicarum minerarum, nulla enim minera eſt, quæ non arſenicum contineat, quod unum è principiis metallicis exiſtit, & in fuſione prima inſtar denſiſſimi fumi effumat,

effumat, ac à circumſtantibus attrahitur anhelitu, poſtmodumque vias reſpirationis obſidet, ac pulmones corrumpit. Pariter aſthmatici evadere ſolent confectores cinabaris factitiæ, ſublimatores mercurii, aurifabri inauratione multum fumi argenti vivi inſpirantes, aquarum fortium deſtillatores, molitores, cæmentarii calcis vivæ, ac nonnunquam nautæ, præſertim cereviſiis vel tritico onuſtas naves crebrò vehentes, non ſolum enim aërem ſemper humidum attrahunt, verùm vapores etiam reſpirationi naturaliter nocivos è dictis rebus hauriunt, odor enim tritici & carinæ ex putrida ſentina ſæpius ſuffocaſſe obſervatus eſt, qui verò ab enarratis jam rebus venenatis aſthma contrahunt, non modò non curantur, verùm quoque citius aliis diſpnœicis intereunt, ob malignam corruptionem, quam pulmonibus inferunt. Infantibus autem aſthmaticis catarrhus ſuffocativus ſupervenire, eoque ſuffocari ſolent.

Curatio. Curationis methodus hæc à practicis inſtituitur: quòd alia remedia in paroxyſmo adhibeant, alia extra eum.

In paroxyſmo confugiunt mox ad venæſectionem, at cum affectus omninò ſit frigidus & ſenilis, detractio autem ſangvinis & ſpirituum etiamnum magis refrigeret, non poteſt non inde morbus augeri, calor enim & ſpiritus vitales conſiſtunt in ſangvine, ſicut robur vini generoſi in copia ſpiritus vini ardentis, uti per deſtillationem palam fit, quòd quo fortius vinum ſit, eo plus ſpiritus ardentis contineat, ſicuti ergò vinum ab exdiſtillatione ſui ſpiritus debilitatur & convertitur in vappam, ita etiam detractio ſangvinis in ægrotis jam pridem ex frigiditate ſive paucitate ſangvinis laborantibus nil niſi augmentum morbi inducere poteſt, interdum tamen in juvenibus robuſtis à nimia plenitudine diſpnœa provenire poteſt, tuncque venæſectio convenit.

Vomitoria autem mirum ſublevamen afferunt, inter quæ Platerus ſuccum ireos noſtratis ad ℥ſ. cum ℥j. vini Hiſpanici propinatum magnoperè laudat, & à ſe optimo cum ſucceſſu uſurpatum teſtatur, alii verò aquam ſtillatitiam tabaci ad ℥j. impotam, noſtro autem judicio vitriolum veneris hiſce nil cedere poteſt, cum enim mirificè conferat ad epilepſiam, epileptica autem teſte Helmontio etiam huic affectui opem ferant, utique ſpecificè proderit, ſed eſt aliquo modo vomitorium violentum, & in nonnullis ventriculo guſtum cupreum imprimere dicitur, dudum pòſt etiamnum ructibus percipiendum.

Extra paroxyſmum materia peccans ſubducenda eſt purgantibus phlegmaticis, incidendaque & detergenda expectorantibus.

Sequens ſyrupus tam in quàm extra paroxyſmum mirabiliter operatur:

Syrupus antaſthmaticus.

℞. radic. ireos.
liquiritiæ an. ℥j.
enulæ campan.
imperator. an. ℥ſ.

angelicæ ʒij.
ſem. aniſi
foenic. an. ℥ſ.

radices incidantur minutim, ac ſemina conquaſſentur, eisque ſimul inditis vitro ſuperfundatur aceti vini ℥XX. macerentur ſimul in vitro obturato in loco calido per diem unum vel alterum, ac poſtmodum fortiter exprimantur, in expreſſo diſſolve ſachari ℥XXXX. adde ſpiritus vitrioli vulgaris vel Philoſophici ʒij. vini malvatici ℔iſ. ſerva probè obturatum inſtar theſauri, dantur ejus pro vice ſesqui vel duo cochlearia manè & veſperi, promovet expectoratioñe inſigniter, rumpitque brevi apoſtemata pectoris, diſſolvit etiam cruorem extravenatum, & mucilagineam pectoris infarctionem, expectoratione autem jam probè procedente & reſpiratione alleviatâ ab ejus uſu ceſſandum, ne acrimonia & aciditas pulmonibus damnum inferant, in prægnantibus etiam ab eo abſtinendum.

Inciſo per ſyrupum pectoris craſſo & tenaci phlegmate optimè convenit aſthmaticis purgatio, quæ in hunc modum decreſcente lunâ ſive diebus aliquot à plenilunio inſtitui poterit: Purgans.

℞. rad. ireos noſtr. ℥ſ.
enulæ camp.
polypod. querc. an. ʒij.
liquirit. ʒj.
fol. ſenæ ſ. ſ. ʒVI.
agar. trochiſc. ʒj.
ſem. aniſi
foenic. conquaſſator. an. ʒj.
zingib.
cinam.
galang. an. ʒſ.

Infundantur per noctem in aquæ tuſſilaginis q. ſ. & coqvantur ſ. a. ad tertiæ partis conſumptionem, ut colaturæ ſuperſint ℥iij. in quibus diſſolve mannæ ℥iſ. f. potio.

Exterius pectus eſt inungendum ungvento reſumptivo, vel alio convenienti ex. gr. Ungventum pectorale.

℞. ol. amygd. dulc.
irini
lilior. albor. an. ℥ſ.
axungiæ muris alpini Murmelthierſchmaltz ℥j.
pulv. rad. ireos
imperator.
althææ an. ℈ij.
farin. ſem. lini
foenugræc. an. ʒiſ.
mucilagin. ſem. cydon. cùm aqua ſcabioſæ extractæ ʒij.
ceræ q. ſ. f. linimentum, calidè inungend.

Poſſunt etiam in uſum vocari alia atque alia, imprimis quæ habet

TEXTUS.

Aſthma, orthopnœa, diſpnœa facilè curantur vomitoriis imprimis aquâ benedictâ. Idem facit præſertim in craſſis humoribus bronchia pulmonum obſtruentibus ſuccus (fecula etiam) radicis ireos noſtratis, cujus ℥ſ. ad ſummum, interdum tamen ℥ij. vel ℥iij. in convenienti liquore datæ, imprimis verò in vino malvatico citiſſimè humorem craſſum expellit.

Con-

Confirmata aſthmata difficulter uno atque altero vomitorio cedunt, itaque uſus:

I. *Florum ſulphuris, vel etiam ſulphuris vivi cum aſa dulci in ovis tremulis (ad ſulphuris vivi ℥j. benzoës ℥ſ. vel ℥j. hujus compoſiti datur ℈j. in ovo tremulo, addito ſalis momento) per aliquot dies exhibitus, pulmones infarctos à craſſis humoribus liberat.*

Idem præſtat lac ſulphuris, de quo vide notas ad Crollium.

Præſtantiſſimum omnium ſunt flores ſulphuris albiſſimi, quorum præparationem vide in exegeſi chymiatrica Tenzelii.

II. *Per pulverem aſthmaticum purgantem, qui eſt apud Rulandum cent. 8. cent. 6.*

Pulvis aſthmaticus Rulandi.

℞. *fol. carduibenedict.*
carthami an. ℥ij.
piperis longi ℥j.
fol ſenæ mundat.
rad ari exſiccat. an. ℥ij.
aniſi ℥ſ.
diagrid. ℈j.

f. pulvis ſubtiliſſimus qui diſtribuatur in partes XII. æquales, ac per 6. dies continuos detur earum pars una manè jejuno ventriculo pars altera veſperi circa horam tertiam cum vino albo, juſculo &c. quod ſi contumacior fuerit morbus, aliquandiu hoc eſt per aliquot dies deſiſtendum à cura, poſtea eadem repetenda, usque ad morbi declinationem, doſis pro una vice fermè ℥ſ. & gran. ij.

Specificum.

In aſthmate aqua deſtillata ex fructibus rubi cum rob nucum ſumpta pro placito, aſthma reſolvit mirabiliter. Potentius operatur, ſi aquæ, quæ fit, ex compoſitione ſachari albi ſcilicet cum raphani taleolis ſimul in duabus patinis hinc inde commotis recenter facta (ſi nimirum ad horam unam vel alteram ſervatur fœtet) cochl. 1. manè ſeròque exhibetur.

Plura de hisce affectibus vide infra de ſputo ſangvinis, cap. 83. in medio.

Catarrhus ſuffocativus.

Catarrhi ſuffocativi curatio ſupra tradita eſt, quæ ibi videri poteſt cap. XVIII.

Anguſtia pectoris.

Anguſtiam pectoris morboſam ſuccus bryoniæ mirabiliter dilatat & omnibus præſtat, qui fit hoc modo: Radix ejus craſſa internè excavatur (radix quo craſſior, eò melior) ut nihilominus extremitates relinquantur ſpiſſiusculæ. Radix excavata recens ſuperiori operculo proprio admoto collocatur (a) *in locum humidum frigidiſſimum, menſe Majo, Junio & Julio: intra paucas horas cavitas radicis aquâ repletur, quâ effusâ, denuòque radice operculatâ & ſepoſitâ ſuccus tamdiu colligitur, quamdiu præſtò fuerit, ſuccus facilimè exſpirat.*

Hujus aquæ ℞. ℥VI. vel VIII.

m. cum ſpiritus vitrioli vel olei ſulphuris per campanam ℥ſ. & probè reſervetur uſui. Singulis diebus cochl. 1. iſtius compoſiti ſumptum anguſtiam pectoris mirificè tollit (diu durat hæc aqua in frigido ſervata, rectius tamen annuatim paratur) pulmones item impuritatibus repletos expedit. Ideòque in aſthmate ejus uſus utiliſſimus eſt. Serum omne ex corpore educit, ergò ejus uſus eſſe etiam poteſt in hydrope.

(a) Nugas agit, radix enim effoſſa, & in frigido loco repoſita operam eludit, magnam verò quantitatem hujus ſucci obtinebis, ſi prægrandem quandam bryoniæ albæ radicem tempore verno inveſtigaveris, nequaquam autem effodies, ſed in ſuo loco relinques, circa caput verò ejus terram circumcirca removebis, ut caput radicis ſit liberum, tum ſupremum acumen ſive operculum abſcindes, ac radicem interius excavabis, ad tantam amplitudinem, ut parvulum aliquod cochlear intret, tum proprio rurſus operculo obtectam radicem in terra relinques, & parvo elapſo temporis ſpacio factam radicis cavitatem invenies ſucco turbido impletam, quem cochleari aliquo in lagenam vitream exhauries, ac iterum radicem obteges, donec alius ſuccus intus colligatur, atque hoc pacto intra exiguum temporis intervallum aliquot libras ejusdem ſucci colligere poſſis ſi velis, ſi collectionem primo vere, quando arbores & radices ſucceſcunt, inſtitues. Eſt autem hic ſuccus ingratus, amarus, & ſubalbidè turbulentus, mox tamen ſuam turbiditatem copioſè ad fundum deponit, quam ſi exſiccas, habebis vulgares illas feculas bryoniæ, ſuccus autem clarificatus coloratur inſtar cereviſiæ.

CAP. LXXVII.

DE PERIPNEUMONIA,

Germ. Entzündung der Lungen.

Peripneumonia eſt inflammatio ipſius pulmonis, ſicut pleuritis membranæ circemcoſtalis, à quibusdam vocatur ſimpliciter pneumonia & pulmonia, eſt autam acutus morbus pulmonum, conjunctam habens febrem æſtuantem & ſpirandi difficultatem immodicam atque anguſtiam tantam, ut ægris labor ſuffocationis incumbat, erectique reſpirare ſæpius cogantur, quo nonnihil ſolaminis percipiunt, ac aliqualem thoracis dilatationem, decumbendo autem ejusdem concidentiam & ſtrangulantem compreſſionem, ardor internus ſemper admodùm affligit, in uno tamen vehementius altero, in vehementiori putant nonnulli concurrere eryſipelas, at nos totum hunc affectũ nil aliud eſſe arbitramur, quam eryſipelas pulmonum, uti etiam Hippocr. ejusmodi inflãmationes tam faucium in angina quàm pulmonum in pulmonia eryſipelas vocat. Quidam tamen præter veram peripneumoniam & notham agnoſcunt, à tenui atque

Peripneumonia. Pneumonia. Pulmonia. Peripneumonia notha.

atque acri deſtillatione cerebri copioſa confertim illabente in pulmones oriundam, in eisque ardorem præter naturam, nec non æſtum & febrilem marcorem concitantem, in qua æger difficili reſpiratione, tuſſique ac febri lenta paulatim conficiatur.

Signa. Agnitio & dignotio peripneumoniæ per hæc ſigna habentur: febris adeſt valdè acuta, crebraque ac difficilis reſpiratio cum multa anxietate & ſtrangulationis periclitatione, ægri plurimum efflando levari videntur, ac cupidè aëri frigido attrahendo inhiant, eumque corporis erectione aucupari cupiunt, in neutro tamen ſufficiens ſolamen percipiunt, in erectione enim perdurando deficiunt, jacendo autem ſuffocantur, in thorace ſenſus eſt gravitatis, dolorisque ad ſpinam pertingentis, dolor enim non eſt in ipſo pulmone ceu parte indolente, ſed in membranis ob denegatam extenſionem, maxillæ rubent, pulſus eſt magnus, mollis, langvidus, undoſus & inæqualis, reſpiratio eſt ſtridula & frequens ob impeditam pulmonum dilatationem, ſpacium enim quod aërem capere debet, materiâ influfluxionis obſeſſum eſt, parumque aëris admittere poteſt, tuſſis ſemper ſtimulat, tuſſicula autem modò ſicca modò humida eſt, ſive in exſcreatione proficiens, ac ſputa nunc pituitoſa nunc bilioſa vel ſangvinea proferens, tandemque ſæpius materiam purulentam exſcreans. Differt autem peripneumonia à pleuritide, quod in peripneumonia difficultas ſpirandi major ſit quàm in pleuritide, ita ut erecti reſpirare compellantur peripneumoniaci, dolor autem minor quàm in illa, ac gravativus eſt, nec non profundus, ex imo ad ſpinam & pectus pertingens, quem quælibet tuſſitio plerunque exaſperat, ac inter ſcapulas ac ad jugulum usque perceptibilem reddit, qui etiam extra tuſſim majori parte iterum ceſſat, in reliquis ſignis ferè cum pleuritide convenit, excepto pulſu, qui ſemper in pleuritine durus eſt.

Cauſæ. Cauſæ peripneumoniæ ſunt: defluxiones catarrhales, quæ modò ophthalmiam, modò anginam, pleuritidem vel alium affectum pariunt, prout in aliquem locum decumbunt, excitantur autem ejusmodi defluxiones vel à vitioſis humoribus corporis, nempe redundantiâ ſangvinis, vel commotione bilis, vel ab injuriâ aëris ambientis, præſertim quando ſubitanea ſit mutatio frigoris in calorem & vice verſâ, imprimis autem experientia docet, partes illas per quas aër reſpirando tranſit, facilimè noxam & inflammationem ſuſcipere ex repentina inſpiratione aëris frigidi poſt prægreſſam incaleſcentiam earum, ut ſi quis à calidisſimis balneis vel maximè calefactoriis corporis exercitiis æſtuans ſubitò aëri frigido ſe objiciat, eumque inſpiret, poteſt mox fieri pleuriticus, vel anginoſus, vel peripneumoniacus, quemadmodum quotidiè ejusmodi ægri occurrunt, qui tali occaſione morbum ſuum contraxerunt, vel etiam frigido hauſtu in cor-

 poris

poris æſtuatione, unde planè iidem effectus ſolent ſequi, ratio eſt, quod dictæ partes ac ſangvis ab antegreſſo calore quaſi ferventes, ab inſequente ſubitaneo frigore inſpirato, vel largo potu frigido confertim injecto percellantur & fragileſcant, non ſecus, ac igniti ſilices, ſubitò in frigidam aquam conjecti à ſummo contrario adeò percelluntur, ut in particulas diſſiliant, nec tam durus lapis vel gemma in mundo eſt, qui non iſtis contrariis nempe caloris & frigoris non fragileſcat, & in pulverem dehiſcat, quidni ergò idem quoque accidat partibus jam dictis calore ferventibus, & à contrario nempe aëris frigore ſubito afflatis, ut mox fragileſcant, & labem concipiant, & quamprimùm alicubi hoc fit, humores iſtuc è veſtigio confluunt, ut labem eluant, uti hoc fieri videmus in coryza, quæ etiam à tali ſubitanea viciſſitudine caloris & frigoris ferè ſemper excitatur, quòd pariter mox copioſa pituitæ affluxio fiat ad eluendam iſtam labem, cum autem nares fluxionum ferè aſvetæ ſint, deſtillatio non adeò magnum ibi inducit nocumentum, in hiſce autem partibus longè tenerioribus, nempe tonſillis, larynge, pleurâ, pulmonibus, quum non ſint ordinaria defluxionum receptacula, ut nares, ſed earum planè inſvetæ, ab eis mirum in modum irritantur, & periculosè inflammantur, uti in angina, pleuritide & peripneumonia manifeſtum fit. Peripneumonia etiam non rarò ex alterutro dictorum affectuum fit, nempe ab angina vel pleuritide, quando illa priorem ſuum locum relinqvunt, & in pulmones ruunt. In quibusdam etiam regionibus hic affectus popularis eſt, teſte experientia & Hippocrate, qui pulmonias frequentes aſcribit regionibus paluſtribus & paludoſis, ratione, ut arbitramur, quod tales naturaliter pulmones corrumpant, uti obſervatur in Hollandia, quod eandem ob rationem ovibus valdè pernicioſa ſit, ac majori parti earum pulmones corrumpat.

Huc etiam pertinent ſequentia Divini ſenis dictitata:

Peripneumonia eſt morbus virilis ætatis. *lib.3.aph.30*

Nec non hyemalis. *3. 23*

A pleuritide peripneumonia, malum. *7. 11*

Phrenitis in peripneumonia, malum *7. 12*

Nec non alvi fluxus. *6. 16*

Laborantibus ob pulmonem, abſceſſus ſecundum aures, bonum. *lib.2.præſ.64*

Imprimis ſi in partibus infernis ſuppurantur ac fiſtulam efficiunt. *ibid.*

In vehementi periculoſaque peripneumonia, abſceſſus in cruribus, bonum. *lib.2.præſ.67*

Talibus abſceſſibus nil melius. *ibid.*

Præſertim ſi una ſputum mutetur. *ibid.*

Nempe cruentum ſputum ſi in pus mutatur, & excernitur, tutiſſimum. *ibid.*

Si ſputum non excernitur, nilque reſidet in urina, claudicatio

dicatio iſtius articuli timenda. ibid.

Si ſubſidens abſceſſus repetit absque ſputo cum febre, delirium aut mortem minatur. ibid. 68

Suppurationes ex pulmonum morbis ferè ſenibus lethales. ibid. 69

Cæteræ junioribus. ibid.

Si reſidere vult æger in morbi vigore, eſt longè peſſimum in pulmonibus laborantibus. lib. 1. 16

Spiritus frequens indicat dolorem aut inflammationem in partibus ſepto transverſo ſuperioribus. 1. 20

In pulmonis doloribus oportet ut ſputum celeriter & facilè ſcreetur. 2. 43

Sputum cruore valdè tinctum, bonum. 2. 44

Sputum multò poſt doloris initium cruentum aut rufum ſine multa tuſſi, nec adeò cum cruore mixtum, malum. ibid. 45

Sputum cruentum, ſimul ſincerum, periculoſum. ibid. 46

Sputum album, viſcidum, & rotundum, inutile. ibid. 46

Malum quoque admodùm viride, & ſpumoſum. ibid. 47

Deterrimum ſincerum & nigrum. ibid. 49

Sputum non expurgatum nec à pulmone projectum, ſed ob plenitudinem in gutture fervens, non tutum. ibid.

Deſtillatio & ſternutatio in omnibus morbis pulmonum præcedens vel ſubſequens, periculoſa. ibid.

Sputum cruentum cum pauco ſangvine mixtum in principio inflammati pulmonis eſt nota ſecuritatis. ibid. 50

Apparens tamen tale ad ſeptimum usque diem vel longius, intutum. ibid.

Omne ſputum dolorem non mitigans, malum. ibid. 51

Nigrum omnium peſſimum. ibid.

Saluberrimum dolorem placans. ibid.

Urinæ circa initia craſſæ & poſtea ante diem quartum tenues factæ, lethale. in coacis

Prognoſis.

Prognoſticon quod attinet, totum ferè illud in citatis jam Hippocratis comprehenditur, nempe quod peripneumonia ſit pleuritide longè periculoſior, & ut plurimum præſertim ſenioribus lethalis, minus tamen doloris inferat, quod etiam celſus ille Celſus breviter his verbis declarat: *Hoc morbi genus* (inquiens) *plus periculi quàm doloris habet, & plerunque in calamitatem abire ſolet.*

Si tamen levis tantùm phlogoſis à ſangvine pituitoſo in pulmonibus excitatur, facilius à robuſtis junioribus ſuperatur, & laudabili ſputo excluditur. Sputum autem birioſum plerunque ante diem ſeptimum, ſpumoſum verò non multo poſt perimit, admodùm autem pernicioſa eſt peripneumonia cum dolore punctorio incipiens, ſive ubi pleuritis præcedit, uti ſuperius Hippoc. teſtatur,

teſtatur, it. lib. 2. prog. c. 12. ubi, *Morbus acutus* (inquit) *acuto ſuperveniens, plerunque eſt lethalis.* Mortem autem prænunciant lapſus virium, inſomnia, delirium, ſputa malè colorata, vel intus retenta, lividitas ungvium, reſpiratio erecta & ſtrangulatoria, & alia ſupra narrata.

Curationem (prædicto agnatis periculo in hoc morbo ſemper concurrente) practici incipiunt venæſectione præſentaneâ, & aliquoties repetita pro virium tolerantia, ob irruentem in pulmones ſangvinem, exceptâ pulmoniâ anginæ vel pleuritidi ſuccedaneâ, ubi ob debilitationem ex priori morbo non adeò ſangvinem mittere audent.

Victum ordinant refrigerantem & humectantem è cremore ptiſanæ, jusculis caponum vel pullorum gallinaceorum, non admodùm aromatiſatis vel acificatis aceto vel ſuccis acidis, ne tuſſis valdè irritetur, & ſimilibus, potum verò expectorativum præſcribunt ex decocto hordei decorticati, additis radicibus glycyrrhyzæ, uvarum paſſarum, jujubarum & ſimilium. Eandemque methodum fermè in omnibus ſervant, cum curanda pleuritide, uti inferius dicetur.

Helmontii methodus curandi peripneumoniam.

Helmontius autem tam hic quàm in pleuritide venæſectionem ſpernit tanquam maledictam, quâ neglectâ balſamum vitæ ac naturæ vires ſervari ait, ſi modò infixa ſpina unica hujus morbi cauſa evellatur, ita enim ſtatim ceſſare dolorem, ſputum cruentum & febrem placidè, ipſumque divulſum continuum mox incarnari, ſeque ſpondere ac promittere ad pœnam experimenti, neminem in pleuritide & peripneumonia deſertum iri à pulvere de virga cervi vel tauri, vel cruore hirci (quem ex abſectis teſtibus emiſſum & exſiccatum unicè laudat) vel ſucco cichorii ſylveſtris, floribus papaveris ſylveſtris & ſimilibus.

Adſtipulatores in hac re etiam alios obtinuit celeberrimos diverſos practicos, inter quos etiam erat magnus ille Archiater Neoburgicus, nimirum Excellentiſſimus Doctor Waibelius piæ memoriæ, qui etiam nos ſanctè hortabatur ad neglectionem venæſectionis, naturam enim eâ debilitari, ut poſtea non adeò benè hoſtem ſuum expellere poſſit. Idem etiam plures alii affirmant, & imprimis clariſſimus Jacobus van Hadden.

Nos verò nihil auguſtius ad eradicandum hunc morbum eſſe exiſtimamus vomitorio mox in prima ejus inceptione accepto, ita etiam nobiscum ſentiente Divino ſene, lib. 4. aphor. 18. ita dicente: *Dolores ſupra ſeptem transverſum purgatione indigere per ſuperiora ſignificant.* In peripneumonia autem adeſt ejusmodi dolor, ergo.

Idem etiam ſtatuit prudenter noſter Author, ut declarat ipſius

TEXTUS:

Peripneumonia vera curatur ut pleuritis: itaque vomitoria ab initio multum juvant, præſertim aqua benedicta, poſtea expecto-

pectorantia multum valent, de quibus tractabimus in pleuritide.

CAP. LXXVIII.

DE VOMICA PULMONIS, *Germ.* ein Apoſtem in der Lungen.

Vomica. Tuberculum. PEr vomicam pulmonis intelligunt Authores tuberculum & abſceſſum alicubi in ipſa pulmonum ſubſtantia latentem, aliqui tamen differentiam faciunt inter tuberculum & vomicam, ita ut vomica pulmonum ſit apoſtema in eorum ſubſtantia detentum, parenchyma pulmonis paulatim tabefaciens, & in ſuppurationem trahens, donec ſenſim ad exteriorem membranam perveniens eam perrodat, putrilaginemque confertim evomat, unde etiam vomica dicatur, tuberculum autem eſſe tumorem exiguum, in quadam ipſius parte congeſtum, duplicisque generis, unum vocari ab Hippocr. 1. de morbis tuberculum crudum, quod nunquam ſuppurationi ſit aptum, ſed paulatim magis magisque intumeſcens & grandius evadens meatus reſpirationis reſtringat, tandemque anguſtando ægrum præfocet.

Tuberculum duplex. Tuberculum crudum.

Tuberculum maturabile. Alterum eſſe tuberculum maturabile in ſuppurationem abiens, quâ completâ ſubitò illud rumpi, ac pus modò introrſum ad cor fundere, & repentinam mortem inferre, modò illud in cavitatem pectoris jaculari, nunc ad bronchia transmittere, ubi interdum per anacatharſim evacuetur, ac æger evadat, communius tamen aliquid puris in cavo, ubi tuberculum latuit, relinqui, ulterioremque exulcerationem pulmonū producere, ac demum phthiſin. Suppurabilia tamen ejusmodi tubercula iterum diverſo modo fiunt, quædam enim ſe propriâ veſiculâ ſive cyſtidulâ inveſtiunt, includuntque, quæ inveſicatio impedit, quò minus tetra aliqua exhalatio, quam alioqui ſuppurationes emittere ſolent, reliquis partibus communicetur, periculumque percipiatur, quamobrem non rarò accidit, ut quispiam planè inſcienter tali tuberculo laboret, nec quicquam mali ſentiat, cunctaque conſveta munia absq; ullo impedimento obeat, neque ſe morbidum putet, ruptione autem ejus ſubitaneâ ex improviſo è medio tollatur, ac intra quadrantem horæ ſanus ſit & mortuus.

Cauſæ horum affectuum ſunt: vel interna vitioſa congeſtio, vel catarrhoſa defluxio in aliquam particulam pulmonum decumbens, ac acredine arrodens, ſtudioſa autem natura ſui conſervandi parvum illud nocumentum propria pellicula inveſtit, & ab alia ſana ſeparat, at maligna non deſiſtit ulterius putrefacere, donec tandem pelliculam illam exedat, ac intus concluſam purulentiam effundat. Communiſſimam autem cauſam eſſe putamus attractionem atomorum acrium per reſpirationem, plurimi enim chemiſtæ ſubitaneâ morte intereunt, & in ſuis lectis ſæpiſſimè mortui inveniuntur, quorum mortis Cauſæ.

procul dubio talia tubercula præcipua cauſa ſunt, improviſâ ruptione pus cordi communicantia illudque obruentia, quæ conjecturaliter ipſis occultè ſuccrevere ab intro hauſtis acribus atomis rerum venenatarum, ac in igne vaporabilium, uti ſunt mercurius, flores antimonii, aquæ fortes, liquores arſenicales gradationibus eorum inſervientes, & ſimilia, fuſionibus, ſublimationibus & deſtillationibus ab ipſis parata, à quorum acribus vaporibus ſibi non cavent, ſed incogitanter & indeſinenter halitu introhauriunt, donec tandem aliquid acris in aliqua cavernula pulmonum obhæreat, & ejusmodi tuberculum procreet: Denique venula in pulmonibus rupta vel à catarrhoſa defluxione eroſa ſangvinem profundens in cauſa eſſe poteſt vomicæ vel tuberculi, minimum enim elabentis ſangvinis in regiunculam aliquam pulmonum ſecedens illic putreſcit, ac paulatim pus parturit, quod per ſumma ſic ceſcens quaſi pro membranulâ ſeu pellicula inſervit reliquam inferioris puris partem tegente, & includente, & hæc quidem pro cognoſcendis vomicis & tuberculis ſufficiant.

Suppuratio. Eſt tamen adhuc alia puris collectio intra & extra pulmones, quæ ſimpliciter ſuppuratio nominatur, cujus Author inter affectus pectoris non meminit, niſi eam ſub nomine vomicæ unà velit comprehenſam, cum autem communior ſit ſuperiori, prætereunda hic non eſt.

Empyema. Hæc ſuppuratio vocatur empyema, quod nomen quidem omnem puris collectionem ſignificat, uti etiam Hippocrates ſuppurationem ex lethargo empyema vocat, verùm ex uſu moderno per empyema communiter intelligitur ſuppuratio, quæ frequenter fit in ſpacio capaci thoracis, quod eſt inter pulmonem & thoracem intermedium, & qui eo affectu laborant, nominantur empyici, hoc eſt ſuppurati & purulenti.

Cauſæ. Cauſæ empyematis diverſæ eſſe poſſunt, communiores autem ſequentes ſunt: Quando nimirum deſcripta in ſuperiori capite peripneumonia medicamentis non diſcutitur, vel collecta materia ſputo exſcreatur, ſed in ſuppurationem tranſit, tunc rupto abſceſſu pus in dictum thoracis ſpacium effunditur, idem etiam crebrius in pleuritide contingit. Item anginâ in ſuppurationem abiente, ab ejus rupto apoſtemate pus effluens, conſimiliter in thoracem defluit. Item ſangvis in thoracem influus, uti fit à rupta, vel aperta vel eroſa aliqua vena vel vulnere thoracis pariter in alieno receptaculo putreſcit, & in pus & ſaniem mutatur; ſuppurationem quoque in pectore efficere poteſt gravis caſus & devolutio ex alto ipſius corporis adverſus pectus, vel alterius rei gravis delapſio in corpus & verſus thoracem, vel violenta percuſſio vel alliſio vel arietatio ſive contuſio, quibus ſangvis facilè extravenari poteſt, unde poſtmodùm corruptio & ſuppuratio obtingit, ſi in pectus fluat. Itèm defluxio acris catarrhi

tarrhi ſi à capite in thoracem ruat, ſæpius eroſionem excitat, uti illud manifeſtè apparet in his, qui crebrò coryza laborant, naresque perpetuò humidas habent, quòd interdum ſub naribus cutis excorietur, quod ſi idem in pectore contingat, quod talis eroſio ab acri aquoſitate catarrhali fiat, facilè ulterius ſuppurationem excitabit. Colligitur autem in ejusmodi caſu in alterutro latere & quandoque in utroque ſimul.

Signa diagnoſtica. Signa diagnoſtica empyematis in his, qui ex aliquo dictorum morborum evaſerunt, non tamen convenienter à pure repurgati ſunt, facilè innoteſcunt, viâ enim ordinariâ ab iſtis morbis in empyema tranſeunt, adhæc empyici cum validâ tuſſi pus exſcreant, ac gravitatem ſentiunt in pectore cum difficili reſpiratione, unumque latus gravius ſentitur altero, vel nonnunquam utrumque & in converſione inter jacendum ab uno latere in alterum aliquid liquoroſi intus fluctuat, ſudores etiam in ſomno illicò ad quamlibet indormitionem copioſè erumpunt, ac ſubſequente tempore quoque pedes intumeſcunt, & ſicca tuſſis inceſſanter moleſtat, donec paulatim in phthiſin tranſeat, ac marcor nec non atrophia corporis ſubſequatur, cum rubedine genarum, ungvium incurvatione, & carnis muſculoſæ propè pollices manuum conſumptione, nec non crebræ puſtulæ in externa pectoris cute eruptione, vel interdum intra buccam, ubi aphthæ nominantur.

Ad inveſtigandum autem in qua parte vel latere thoracis pus lateat, ipſe Hippocrates optimam dat inſtructionem 2. prog. text. 21. *Si* (inquiens) *empyema in alterâ tantum parte exiſtat, hos convertere ac diſcere oportet, doleantne in altero latere, & an alterum altero calidius ſit, atque cubantem ſupra ſanum latus interrogare, an videatur ſibi onus aliquod deſuper ſuspendi, ſi enim ita eſt, in quocunque latere pondus ſit, in altero ſuppuratio exiſtit. Quemadmodum ſi utrinque calor & pondus ſentiatur, in tota thoracis cavitate pus continetur.*

De prædictis affectibus agit etiam Divinus ſenex in ſequentibus ipſius graviloquiis:

Tubercula contingunt vere. lib. 3. aphor. 20

Tuberculis in corpore naſcentibus excrementa ſpectare oportet.	2. 15
Excrementa bilioſa indicant quòd unà corpus ægrotet.	2. 15
Sanorum ſimilia deſignant corpus tutò ali poſſe.	2. 15
Tubercula intus rupta faciunt vomitum, exolutionem & deliquium animi.	7. 8
Suppuratio fit à deſtillatione in thoracem.	7. 38
Item ab angina ad pulmonem conversa.	5. 10
Et necat in ſeptem diebus.	5. 10
Evadentes purulenti fiunt.	5. 10
Pleuritis in quatuordecim diebus non ſupernè expurgata tranſit in empyema.	5. 8

Empyici à pleuritide debent

 intra

intra quadraginta dies à ruptione ſurſum purgari. 5. 15
Et liberantur, aliàs fiunt phthiſici. 5. 15
Suppuratio interna ob craſſitudinem puris & loci non innoteſcit. 6. 41
Empyici debent uri vel ſecari. 7. 44
Si pus eſt purum & album, evadunt. 7. 44
Si ſubcruentum, feculentum & fœtidum, pereunt. 7. 44
Suppurationis ſigna ſunt: ſi febris non dimittit. lib. 2. præſ. 60
Eaque interdiu levior eſt, & noctu increſcit. ibid.
Multus ſudor oritur. ibid.
Tuſſiendi cupiditas eſt. ibid.
Sed nihil penè exſcreatur. ibid.
Oculi cavantur. ibid.
Malæ rubent. ibid.
Ungves in manibus curvantur. ibid.
Digiti maximèque ſummi calent. ibid.
Pedes tument. ibid.
Cibi faſtidium eſt. ibid.
Puſtulæ toto corpore naſcuntur. ibid.
Empyici melius habentes & qui ferè expurgati videntur, ſi ſputum fœtidum excernant, cum recidiva intereunt. in coacis
Quibus ſpecillum à pure velut ab igne coloratur, hi ferè moriuntur. in coacis

Progno-ſtica. Prognoſin quod attinet, eam brevibus ipſe Hippocrates comprehendit his verbis lib. 2. præſ. 63. *A periculo* (inquit) *tuti ſunt, quibus eodem die, quo eruptio facta eſt, febris conquievit, deſieruntque urgere cibi faſtidium & ſitis, alvus exigua quadam & figurata reddit, pus album, læve, ſimplici colore & ſine pituita eſt, atque ſine dolore, levi tuſſiculâ rejicitur. Hæ notæ ſunt perquam ſalutares, quæ celeriter hominem liberant, ſecuritatem quoque promittunt, quæ ad hæc proximè accedunt.*

Certum autem periculum eſt, ſi febris non quievit, aut poſt quietem repetit. Item ſi ſitis eſt, ſi cibi faſtidium, ſi venter liquidus, ſi pus lividum, aut pallidum, ſi nihil niſi ſpumantem pituitam æger ſcreat, itaque ſervari non poſſunt, quibus hæc omnia accidunt, quibus verò non omnia, alii quidem moriuntur, alii autem poſt longa temporum intervalla ſani evadunt.

Scopus curationis. Curationis ſcopus in empyemate conſiſtit primò in convenienti victus ratione, ut nimirum æger in loco temperato ſive nec nimis calido, neque nimium frigido detineatur, atque ab omni vehementiori commotione corporis ac animi pathematis abſtineat, cibisque euchymis utatur, uti ſunt cremor hordei & avenarum, poma dulcia, carnes vitulinæ, hœdorum, pullorum gallinaceorum, caponum & earum juſcula cum incoctione chærefolii, aniſi, fœniculi, malvæ, item gelatinæ pedum quadrupedum, potus ſit aqua hordeata, vel hydromel, imprimis febre gliſcente.

Ad promovendam ſuppurationem

Cataplaſma emolliens & ſuppurans. nem foris emplaſtrum vel cataplaſma loco affecto applicandum ex emollientibus & pepticis, ex. gr.

℞. panis micam triticei, coque in jure pingvi non ſalito, vel lacte recenti in formam pultis ſpiſſioris, cujus lib. I. adde axungiæ porcinæ ℥j. ol. amygd. dulc. ℥ſ. applica tepidè in modum cataplasmatis.

Aliud. Vel ℞. rad. althææ
lilior. alb. an. ℥j.
fol. malvæ m. j.
flor. chamæm.
melilot. an. p. ij.
caricar. n. VIII.
cæpar. alb. ℥j.

Conſciſſa & contuſa decoque in aquæ q. ſ. ad ſufficientem mollitiem, tum in pultem contunde, rejectis durioribus vel per cribrum ſubſtantiam mollem tranſige, maſſæ pultaceæ adde
farinæ hordei
fœnugræc. an. ℥j.
fermenti ℥ſ.
pingved. porcin.
butyri non ſaliti an. ℥ſ.
ol. communis q. ſ. ad impingvationem.
m. f. cataplasma tepens loco affecto imponendum.

Intra corpus utatur decocto ficuum, liquiritiæ, uvarum paſſarum, malvæ, althææ & ſimilium cum ſacharo.

Specificum. Eximia autem eſt terebinthina alba, ſi ejus ℥j. piſtillo ſolvatur in mortario, addito puſillo vitelli ovi, ac poſtmodum per vices admiſceatur aquæ hederæ terreſtris (quæ etiam ſola proprietatem habet ſaniem è pectore & disruptis vomicis expurgandi, ter quaterque in die ad ℥iij. vel IV. aſſumpta) ℥ij. vel iij. atque hæc ſimul tantisper ſubigantur, dum omnia coaleſcant quaſi in coloſtrum candore cremori lactis aſſimilabile, potione ebibendum.

Si verò his vel aliis convenientibus remediis adhibitis empyema per anacatharſim non ſolvatur, ultimum remedium eſt lateris apertio, conſtantibus adhuc viribus, & in juniori ætate, pulmonibusque nondum læſis, eo loco, quem natura tumore oſtendit, ſive uti Hippocrati, Guidoni, Amato Luſitano &c. placet inter tertiam & quartam coſtam, ab inferioribus & nothis numerando, (Fienus tamen & Riverius inter quartam & quintam, Paulus verò Ægineta, Aquapendens, Sennertus & plerique alii inter quintam & ſextam apertionem moliendam eſſe ſtatuunt) de qua operatione videantur Scriptores Chirurgici. De empyemate vide plura cap. 80. Lateris apertio.

Vomicam pulmonis quod concernit, eam interdum planè conſumi poſſe inſenſibiliter, quidam aſſeverant, inter quos Baſilius Valentinus id conſtanter & quaſi jurando affirmat, quod per eſſentiam ſulphuris communis, vel antimonii ſuccedat, cujus ſententiæ etiam noſter Author eſt, ut docet ipſius Vomica pulmonis.

TEXTUS.

IN pulmonum vomica conſumenda laudatur aqua valerianæ cum ſpiritu vitrioli, aut oleo

ſulphuris per campanam ad gratam acetoſitatem temperata, & quotidiè manè & veſperi bibita, inſenſibiliter conſumptivum eſt. (a)

Sic antimonium diaphoreticum ſeu flores fixi antimonii communiter facti quotidiè quinquies vel ſexies in vino doſi ℈j. aſſumpti, tandem omne apoſtema interius, ubicunque ſitum eſt, efficaciſſimè, ſed lentè tamen conſumit.

(a) Communicatum nobis eſt pro ſecreto ad ejusmodi vomicas vel inſenſibiliter diſcutiendas, vel in materiam evacuabilem, nimirum ſudoretenus vel per urinam reſolvendas, ſi nimirum herba pulegii infundatur in ſpiritu vini per octiduum, & poſtmodum ſpiritus ille à pulegio eſſentificatus bibatur manè & ſub tempus eundi cubitum, per aliquod temporis ſpatium, efficacius etiamnum operari, ſi infuſio prima elapſo octiduo deſtilletur per alembicum, atque in iſto abſtracto ſpiritu vini pulegiato rurſus recens pulegium maceretur, atque uti jam dictum eſt uſurpetur, hoc remedio ejusmodi apoſtemata pulmonalia vel inſenſibiliter diſſipari, vel etiam puretenus educi, ubi ſi tandem adhuc aliqua læſio vel ſolutio continui ſentiatur, uſurpandum eſſe balſamum Samaritanum, in hunc modum parandum:

Balſamus Samaritanus.

℞. ſachari albiſſ. lib. iij.
ol. oliv. lib. j.

comixta ſenſim ac leniter ad ignem calefiant, ut ſacharum liqueſcat, poſtmodùm cum continuâ agitatione etiam infunde libras duas ſive menſuram Auguſtanam vini generoſi calentis, ſic mediante ſacharo vinum & oleum ſibi invicem commiſcentur, abeuntque in ejusmodi nobilem balſamum, qualem Samaritanum illum Evangelicum habuiſſe rationabile eſt, qui vinum & oleum vulneribus infudit, quæ per ſe parum adjumenti vulneribus allaturæ eſſent, niſi per artem heîc indigitatam ex eis balſamus conficiatur.

Poteſt etiam inter agitandum dimidium libræ ſimul ſpiritus vini infundi. De hoc balſamo 1. vel 2. cochlearia manè, meridie & veſperi aſſumpta inſerviunt contra internas læſiones & dyſenteriam, quam etiam deſperatam hoc balſamo ſe ſanaſſe affirmabat, hæc an omnia revera ita ſe habeant, experti nondum ſumus, ſed candidè ut accepimus, communicamus.

CAP. LXXIX.
DE PHTHISI, Germ. die Lungenſucht.

Phthiſis quid:

PHthiſis ſeu tabes quidem in genere tantùm corporis conſumptionem ſignificat, communiter tamen jam omnes propriè per phthiſin intelligunt tabem ab ulcere pulmonis originem trahentem, antiquitus phthiſis una ex ſpeciebus tabis fuit, quarum Cornelius Celſus tres recenſet, nempe atrophiam, cachexiam & phthiſin, verùm hodie tabes & phthiſis unum & idem ſignificant,

ficant, nimirum lethalem illam & immedicabilem pulmonum exulcerationem, quâ totum corpus lenta tabe conſumitur & tabeſcit.

De etymologia nominis inter viros doctos non convenit, quidam enim deduci volentes à verbo ptyzo quod ſpuo ſignificat, ſcribendum cenſent phthyſin, alii à verbo phtio, id eſt abſumo vel corrumpo vocem derivari autumant, eò quod hoc morbo corpus penitus ſecundum ipſius habitum conſumatur & exhauriatur, & quod ideò phthiſis per i & non y ſcribi debeat, verùm hæc de lana caprina disceptatio admodùm parum ſolatii affert miſerrimis hisce ægris, qui jam pridem etiam plebejismi morbum probè norunt, & libentius aliquid audirent de efficaci aliquo ejus remedio.

Eſt itaque phthiſis ſeu tabes exulceratio pulmonum copulata cum febre hectica, ſive lentè corpus extenuante, qua paulatim ſubſtantia totius corporis ſucculenta, caroque ac pingvedo depaſcitur, corpusque ſummè macilentatur, ita ut nil præter exſucca oſſa, cute ſaltim obtecta remanere videatur.

Species tabis diverſæ.

Sunt tamen adhuc aliæ contabeſcentiæ ſpecies, nimirum ex corde, ventriculo, epate & liene malè affectis, atque etiam à diverſis cauſis oriundæ, notum enim eſt cor ex veſano amore veluti areſcere, & totius corporis tabiditatem inducere, itemque ex poculis lento veneno intoxicatis, uti quoque veneficiis ſagarum. Ventriculus inappetens ac coctione læſus pariter corpus ad extremam maciem deducit, ſi affectus diu perſeverat. Lien non uno modo corpus tabefacit, ſed diverſis ſui furoris ſatellitibus, ut ſunt affectio ſcorbutica, hypochondriaca, ſcirrhus ipſius, non modò corpus emarcidat, ſed & anhelitum ſtringit, & ſummè fatigat; hepar ægrotans parit cachexiam; Vermiculi atrophiales (die Miteſſer) conſimiliter infantes valdè tabefaciunt, pluresque aliæ ſortes tabefactionum, quas brevitatis cauſa nunc tacemus, fietque earum ſuo loco ſufficiens commemoratio.

Cauſæ.

Cauſæ phthiſeos ſunt: defluxiones acres, excitatæ vel ab aura boreali frigidiori, cerebrum exprimente, vel tuſſes movente, vel ab immodicâ ingurgitatione vini meracioris, item à frigidiſſimo potu præſertim prægreſsâ corporis calefactione largiter aſſumpto, & quicquid tuſſes movet, inveteratæ enim tuſſes tandem pulmones lædunt, cibi etiam vehementer ſaliti cum magnam ſitim pariant, ſiticuloſusque poſtea immoderatè frigidum potum hauriat, non modo pulmones eo læduntur & ad tuſſim ſtimulantur, verùm etiam ventriculus gravatur, qui deinde proventum defluxionum emittit, medicamenta quoque acria & venenata, imprimis vaporetenus attracta, ut contingit aurifabris, foſſoribus, cæmentariis, & laboratoribus Chemicis, lapſus corporis ab altò, vel gravium rerum in corpus delapſio, pectoris violenta percuſſio, pulmonisque concuſſio vel læſio, ruptio, vel apertio vel eroſio alicujus venæ,

venæ, ſangvinisque in pulmone collectio, & putrefactio, effervescentia ſangvinis uti fit in junioribus à decimo octavo anno ad trigeſimum quintum, idque à variis cuaſis commoventibus ut ſunt vehemens corporis vel animi commotio, ſubitanea frigida inſpiratio prægreſſo calore, vel frigida potatio, item attractio halitus alterius phthiſici, atque ex eodem poculo cum eo compotatio, vel in eodem cubiculo commoratio, ubi phthiſicus degit, contagioſum enim malum eſt, & hæreditarium, tranſitque à parentibus in liberos ac ſtirpes. Item prægreſſa peripneumonia, empyema, pleuritis, ſangvinis ſputum, hos enim affectus ordinariè ſequitur. His cauſis neoterici addunt ſuccum pancreaticum malè bili mixtum, unde chylum craſſiorem indebitè transcolari per glandulas meſenterii, ubi craſſior ipſius pars in glandulis lacteis hæreat intranscolata, easque infarctas induret, ſeroſiorem autem ejus partem tantummodò per ductum thoracicum ad cor deferri, veſiculas autem tam ſinuoſas quam orbiculares pulmonum ex lege circulationis ſangvinis repleri lympha ſeroſiori, ac brevem anhelitum & tuſſem efficere.

Cauſa phthiſeos juxta neotericos.

Signa diagnoſtica.

Signa diagnoſtica phthiſeos ſunt: reſpiratio valdè difficilis ac diſpnœa indeſinens, tuſſis ac tuſſiendi cupiditas continua, cum exſcreatione ſputi flavi, cinerei, ſubviridis, purulenti, ac ſubinde cruenti, quod in ignem conjectum fœtorem exſpirat, in aquâ verò fundum petit ob cohærentiam & gravitatem, corpus lentè febricitat, quæ febricula indies duabus circiter horis à ſumpto cibo exaſperatur, volasque manuum reddit calidiores, ab initio morbi tuſſis ſicca infeſtat, ac ventriculus inflatur, totumque abdomen intumeſcit, cor anxietate premitur, atque aliquando palpitat, appetitus proſternitur, ſputa primum albida amariuscula, & levia ſunt, ac ſenſim craſſeſcunt, colorantur, putreſcunt ac fœtent, tumque eorum halitus aſtantibus fit gravis & teter, corpus incipit conſumi à febricula illa lenta & hectica, quæ conſumptio in carpis manuum & carne muſculoſa pollicum incipit, totumque ſenſim corpus extenuat, omni ſucco nutritio converſo ad pulmones, ibique ſpeciem puris aſſumente, & per ſcreatum absque dolore exeunte, reliqua corporis ſucculentia à calore febrili in ſomno aucto reſolvitur in ſudorem, ac copioſè exſudat; Conſummatâ autem tabe appetitus fit major ſed inæqualis, genæ (quæ initio roſeo rubore rubebant) liveſcunt; facies palleſcit, pedes intumeſcunt, & pediculi copioſè generantur, cutis aridior nigricat, reſpiratio difficilimè anhelat, præſertim in minimâ aſcenſione vel acclivi progreſſu, urina fit oleaginea & rubens, ac nonnunquam rubicundam arenam ferè inſtar cinabaris pulveriſatæ ad fundum matulæ deponit, capilli à capite defluunt, nares acuminantur, tempora collabuntur, & ad extremum diarrhœa corripit, ubi ſputa ſtringuntur, & mortem accelerant,

celerant, quæ plerunque placidiſſima & cum retentione rationis ad extremum usque halitum, eſſe ſolet.

Huc pertinent quoque ſequentia Divini ſenis graviloquia:

Tabes eſt affectus adoleſcentum. lib. 3. aphor. 29
Ac morbus autumnalis. 3. 22
Et autumno exaſperatur. 3. 10
Autumnus pluvioſus & auſtralis poſt æſtatem ſiccam & aquiloniam generat ſubſequente hyeme in quibusdam tabem. 3. 13
In ſiccitatibus fiunt morbi tabifici. 3. 16
Tabes maximè fit ab anno decimo octavo ad trigeſimum quintum. 5. 9
Item. 8. 7
Natura vergens ad tabem promovetur ſimili vigente tempore, uti hyems hydropem, æſtas febrem ardentem auget. 8. 8
Curati à diuturnis hæmorrhoidibus incidunt in tabem, niſi una ſervetur aperta. 6. 12
Empyici ex pleuritide tranſeunt in tabem. 5. 15
Niſi à ruptione intra dies quadraginta ſurſum purgentur. 5. 15
Tabes ſequitur puris ſputum. 7. 16
Tabidi caveant vomitum. 4. 8
Tabidis non valdè febricitantibus convenit lac. 5. 64
In tabe capilli defluentes, lethale. 5. 11 12
Nec non eorum ſputum prunis injectum graveolens. 5. 11
Ut & profluvium ventris. 5. 14
Alvi profluvium in tabe fit à fluxione ex capite. 7. 82
Fluxio capitis à puris ſputo. 7. 82
Puris ſputum à ſangvinis vomitu. 7. 82
Sangvis è pulmone eſt ſpumoſus. 5. 13
Fluxus ventris in tabe aſtringit ſputum. 7. 82
In ſuppreſſione ſputi mors adeſt. 7. 16 82

Prognoſtica.

Prognoſin quod ſpectat, majorem in partem ea in citatis Hippocraticis continetur, quam etiam lib. 1. de morbis text. 9. 10. 11. breviter complectitur his verbis: *Suppuratus autem fit, ſi pituita à capite in pulmonem deſtillet, & primum quidem utplurimum latenter defluit, tuſſimque tenuem exhibet, & ſputum paulò amarius ſolito, & aliquando tenuis adeſt calor. Temporis autem progreſſu exaſperatur pulmo, & intus ulceratur à pituita inhærente & putreſcente, & gravitatem exhibet pectori, & dolorem acutum antè & retrò, caloresque acutiores in corpus incidunt, & pulmo à calore ad ſe trahit pituitam ex toto corpore. & maximè ex capite, caput verò calefactum ex corpore, & hanc putreſcentem ſubcraſſam ſpuit. Quantò verò magis tempus progreditur, tantò magis pus ſincerum exſpuit, & febres acutiores fiunt, & tuſſis frequens, ac fortis, ac inedia vexat, &*

tamen alvus infernè turbatur, turbatur autem à pituita, pituita verò de capite deſcendit. Hic cum ad hoc pervenerit, perit.

His adjungenda ſunt ſequentia plurimorum experientiâ comprobata & annotata: phthiſin nimirum eſſe malum omninò incurabile, ſi jam notabilis exulceratio pulmonum contracta ſit, & copioſum pus exſpuatur, interdum tamen videtur pus exſpui, ſed non eſt pus, verùm affluens latex corporis, & ſpeciem puris mentiens, idque non modò hic, ſed etiam in aliis affectibus, in ophthalmia enim ſimiliter accurrit, & tandem in purulentum quid mutatur, attamen ſimiliter non eſt verum pus, aliàs oculi vera contraherent ulcera, quod tamen ut plurimum non faciunt, ſed tandem abſque exulceratione convaleſcunt; ſic non rarò in coryza affluens hic latex aquoſam ſuam formam, ſub qua initio apparebat, in fine coryzæ mutat in ſpiſſum, glutinoſum, flavũ, & ſubviridiusculum liquamen, puri exulcerati pulmonis non abſimile, cum tamen certò conſtet, nil quicquam puris ſubeſſe, quidni ergò idem in graviſſimo catarrho pulmonum contingere interdum queat, inſulſus autem quispiam medicaſter putet, concurrente vehementi tuſſi pulmonem eſſe exulceratum, ac pus ſcreari, ordinetque lac caprinum & conſervam roſarum, iis etiam catarrhus demulceatur, & ſubſiſtat, ac medicaſter deceptus clamitet, ſe ulceratam jam phthiſin ſanaſſe. Proinde accuratè diſtingvendum eſt, ne quis ſibi ipſi imponat, atque alios poſtmodùm pariter ſeducat.

Difficultas autem ſanationis ulcerationis hujus non ſimplex eſt, ſed complicata, ideòque eò major, cum vis unita ſit fortior: primò enim omnia medicamenta in ſtomacho immutantur, visque medicamentoſa longo tractu adeò debileſcit, ut vix quicquam reſidui ad pulmonem deportetur, qui tamen ob tuſſis continuam lacerationem à recentiſſimis & efficaciſſimis vix ac ne vix quidem ſanari poſſet, imprimis conſumpta quadam ejus ſubſtantiæ parte, quæ reſtaurari nequit. Adhæc expectorationi, ulceris ſanationi, febris reſtinctioni, & conſumptionis reſtaurationi omninò contraria remedia debentur, ita ut febris & macies deſiderent frigida & humectantia, quibus tamen ulcus plus ſordeſcit, ulcus verò exſiccantia, quibus ſputa inhibentur, & febris augetur.

Recens autem incipiens phthiſis diligentiâ adhibitâ facilè ſanari poteſt.

Quantum autem ſpei eſt ad curationem, id viâ methodicâ ſequentibus & ſimilibus efficitur.

Practici itaque primò curationem prophylacticam tractant pro catarrhoſis, hæreditariâ diſpoſitione in phthiſin proclivibus, vel cum phthiſicis neceſſariò cohabitantibus.

His itaque convenit expurgatio catarrhoſæ materiæ, ventriculi & capitis roboratio, & à contagio præſervatio. Pro expurgatione inſerviunt varia cathartica lenia, mirandũ autem levamen in vehementi catarrho

rho reipſa affligente afferunt vomitaria ex aqua benedicta & ſimilibus, his, qui ad vomitum proclives ſunt. Pro roborando autem ſtomacho & ventriculo ſuis in locis remedia indicantur.

Ad præſervandum contagium tabis efficaciſſimus eſt balſamus ſulphuris, qui ita paratur: Primo comparabis tibi ſpiritum terebinthinæ, quem, ſi fortè venalis non ſit, ipſe ſic conficies:

Balſami ſulphuris præparatio.

℞. terebinthinæ optimæ quantum placet e. gr. libram unam, inde eam magnæ cucurbitæ vitreæ, tum infunde etiam ſex partes ſive libras aquæ communis, deſtilla per alembicum in cineribus, donec major pars aquæ per alembicum transſcenderit in appoſitum vitrum receptorium, & tantummodò circiter ſesquilibra aquæ in cucurbita apud terebinthinam remaneat, tunc ſatis eſt, & invenies in receptaculo ſpiritum terebinthinæ ſupernatantem cryſtallinum inſtar ſpiritus vini, quem optimè obturatum reſerva, fit nihilominus cum vetuſtate turbidus & inſpiſſatur aliquantulum, uti cætera olea deſtillata, quæ tandem abeunt in gummi, recens autem eſt clariſſimus & limpidiſſimus velut aqua fontana deſtillata. Hujus ſpiritus ℞. ℥iij. florum ſulphuris à ſale communi & vitriolo calcinato bis vel ter ſublimatorum ℥j. inde ea ſimul in parvam cucurbitam vitream, quam probè obturatam loca in aquam moderatè & non nimis calidam, ne ſpiritus vitrum disrumpat, tam profundè ut aqua circundans, impoſitam materiam in vitro ſaltim altitudine adæquet, atque ita per octiduum in aqua illa continuò calente in digeſtione relinque, & ſpiritus terebinthinæ tingetur colore rubicundo, tinctum hunc ſpiritum ſenſim inclinato vitro in aliam cucurbitam effunde, eique etiamnum unciam unam ſpiritus vini affunde, ac in balneo humiditatem abſtrahe, ac ſpiritus terebinthinæ transſcendet, ac rubicundiſſimum ſulphuris balſamum in fundo relinquet, quem inſtar theſauri aſſervabis. Dantur ejus gutt. VIII. X. XII. in vino vel alio convenienti vehiculo.

His autem qui etiam incipiunt infeſtari inſultu hujus morbi, eoque initiati ſunt, illis juxta unaminem conſenſum omnium Medicorum unicè convenit lactis uſus, omnium autem optimum eſt lac humanum ita recens & uberibus ſuctum, de quo exempla ſunt, non nullos penè deſperatos eodem eſſe reſtitutos, ſummis etiam laudibus evehitur ad hanc intentionem decoctum ſantalorum paratum & uſurpatum inſtar decocti guajaci, cujus virtutes ſunt, quòd incipientem phthiſin efficaciſſimè inhibeat, repurgando ſangvinem deſtillationibus ſalſis medeatur, nec non diuturnis ſangvinis fluxibus & efferveſcentiis.

Decoctũ ſantalorum.

Nos duos phthiſicos, quibus tabes jam incipiebat, nuper reſtituimus, quorum unus convaluit tantummodò ab electuario à nobis ipſi commendato ex una parte raſuræ raphani majoris, & tribus mellis deſpumati manè & veſperi lambendo,

Obſervatio.

quo per aliquod temporis ſpacium continuato nobis retulit, ſe antea in pectore ſenſiſſe, quaſi excoriationem ſive apertam læſionem à ſummo pectoris ad imum, ab uſu autem dicti electuarii ſibi viſum eſſe, ſanationem ſive conglutinationem prius in ſummo incepiſſe, demumque ad imum perveniſſe; imò in nobis ipſis experti ſumus dudum inſignem operationem raphani contra læſionem pulmonum, in adoleſcentia enim, dum nondum haberemus fundamentum medicinæ, obtinuimus cubiculum, in quo phthiſicus habitaverat atque etiam exſpiraverat, ac parietes ſuis ſputis conſpurcaverat. Nobis autem tum ignorantibus morbum iſtum eſſe contagioſum brevi myasmata infectionis communicata ſunt, incepimusque ferino modo tuſſire cum ſtridore, qualiter tabidæ oves tuſſiunt, quam tuſſim remediis non potuimus compeſcere, donec idiota quiſpiam nobis conſuleret, ut omni veſpere eundo cubitum aliquid raphani cum melle comederemus, & nil deſuper biberemus, quo remedio tuſſis & omnis noxa penitus deſiit.

Porro alteri dictorum phthiſicorum ordinavimus vinum medicatum ex herbis radicibusque ſtomachicis & pectoralibus (plerunque enim morbus à debilitato ventriculo incipit) cujusmodi ſunt radices enulæ, imperatoriæ, zedoariæ, herbæ ſcabioſæ, agrimoniæ & ſimiles, infuſo ſimul chalybe per ſulphur præparato. Adhæc dedimus ipſi tincturam ſulphuris ad guttas XX. vel XXX. cum vino vel alio vehiculo ſumendam, & utrunque egregiè ipſi profuit, ita ut minori ſpacio quàm quatuor hebdomadum plenè convaleſceret, & ſtrenuè edendo etiam impingvaretur, cum antea nec dormire nec comedere poterat.

Tincturam ſulphuris ita paravimus: ℞. ſulphuris communis Italici vel alterius optimæ notæ, & tantundem ſalis tartari, hæc duo contrita leni prunarum calore colliqua, ne ſulphur conciplat flam̄am, poſtmodùm colliquatam maſſam effunde ex ollula ſuper madefactum aſſerculum ligneum ne adhæreſcat, tum maſſam hanc rurſus contuſam inde in retortam vitream, ac ad altitudinem duorum vel trium transverſorum digitorum oleum terebinthinæ ſuperfunde, & deſtillatione rurſus abſtrahe, eum in finem ut ſulphur ſua clave, nempe oleitate aperiatur; Tum ſpiritum vini tartariſatum ſuperfunde, donec tingatur, quo defuſo alium affunde, quoad ſatis tincturæ elicuiſti, tunc ſpiritum vini abſtrahe ad juſtam tincturæ conſiſtentiam, quam tunc ſerva, debitè parata ſatis jucundi eſt odoris, & amaricantis ſaporis, confortat ſtomachum & pellit urinam, & in roborando & reparando ventriculo ſupradicto balſamo ſulphuris præferenda, ſi verò vitium non hæreat in ſtomacho, ſed pulmone, tunc melius balſamus convenit. *Tinctura ſulphuris.*

Parium cum balſamo ſulphuris virium eſt balſamum Peruvianum, cujus gutta una vel altera cum ſacharo *Balſamũ Peruvianum.*

charo in pilulam redigatur, & quotidiè accipiatur.

Aſſenſum etiam meretur Clariſſimus Barbette, contra omnium ferè Scriptorum Practicorum ſententiam laudans ad hunc affectum temperata acida, teſtatus ſe eis feliciſſimè uſum, dulcia verò acidis non temperata obſervata eſſe ægris ſi non ſemper, ſaltim plerunque obfuiſſe, quibus dicere velle videtur, ideò in curatione phthiſeos tam parum præſtari, quòd practici ſemper in dulcibus hæreant, quæ tamen plus obſint quàm proſint, niſi ejusmodi dulcia parumper acidis contemperentur.

Plura remedia & ſpecifica phthiſica proponit

TEXTUS:

Phthiſis hæreditaria.

PHthiſis hæreditaria difficulter curatur imò ferè nunquam propter altius impreſſas nativæ (avitæ) conſtitutionis radices, quæ curationes nullas accipiunt, inducias quidem interdum patiuntur, ne nempe gravius affligant, conſummatas curationes autem nunquam.

Quia vero transplantatæ tabis plerunque deſtillationes comites & cauſæ ſunt, experientiâ comprobatum eſt, radicem rheumaticam, de qua ſupra de catarrho ſuffocativo, ex collo geſtatam, bonâ inſuper obſervatâ diætâ in ejusmodi tabescentibus multum profuiſſe. Ex ejus itaque uſu de tabe hæreditariâ minuendâ, vel ſaltem impediendâ non eſt deſperandum, plura de phthiſi vide infra de ſputo ſangvinis.

Tabes incipiens

In incipiente tabe à deſtillationibus acribus vix dici poteſt, quantum vomitiones præſtent, præſertim ab aqua benedicta, ſi ſimul cerebrum tanquam membrum mandans ſuis ſpecificis & confortativis diligenter in ſuo vigore conſervetur. Deinde reſpiciendum quoque eſt ad illapſos humores in ipſos pulmones, ut expectorationibus mundificativis, aut ſi tenues ſunt, incraſſantibus domentur. Quod ſi nihilominus exulceratio ipſius pulmonis, quæ exquiſitam phthiſin conſtituit, ſuborta fuerit, ſi recens extiterit, vomitiones multum juvant (a) *ad mundificationem & pectoris ſaburram ſublevandam. Deinde mundificantia apprimè ſunt neceſſaria, qualia ſunt hydromelita compoſita expectorantibus. Item alia quæ uſu quotidiano, & praxi Authorum ſunt addiſcenda.*

(a) Non usque adeò tutæ ſunt vomitiones, ubi jam actu pulmonum læſio ſeu exulceratio ſuſpicabilis eſt, facilè enim etiamnum plus lædi poſſet, vel vomitus ſangvinis excitari. Incepimus quidem in ſupra commemorato altero phthiſico curationem etiam cum vomitorio

& benè ceſſit, poſtea præſcripſimus mentionatum illud vinum medicatum, at affectus erat in inceptione, & absque ſuſpicione læſionis pulmonum actualis nihilominus primo uſu illius vini partem ſangvinis ſemel tantùm rejecit, quod nobis metum incuſſit, ne pulmo jam eſſet actu ulceratus,& vitriolatio chalybi in vino ſoluta adhuc magis eum arroderet, more acidularum mineræ ferri participantium quales ſunt Schwalbacenſes,quæ pulmones læſos adeò lædere pergunt, ut nemo phthiſicus eas impunè bibat, atque in tali paſſu etiam chalybs omittendus eſt, in aliis verò addendus, quia in roborando ventriculo & tollendis obſtructionibus vix par habet, cum verò indicium ad tale quippiam ſuſpicandum non eſſet, juſſimus vinum continuare & tincturam ſulphuris, neque amplius quicquam ſangvinis prodiit.

Expectorantia ſunt loch cum floribus ſulphuris. Item flores ſulphuris albi, lac ſulphuris. Item balſamus fœniculi, & alia quam plurima.

Balſamus ſulphuris.

Ad conſolidantia pulmonis ulcera tanquam præſtantiſſimum pertinet balſamus ſulphuris: ℞. *florum ſulphuris alborum quantum vis, ſublima adhuc ſemel atque iterum ab aloë & myrrha & olibano, ut docet Crollius. Hos flores extrahe cum oleo aniſi (vel ſpiritu terebinthinæ balſamico) ſine ebullitione, & fiet rubicundiſſimus balſamus. Hujus guttæ VI. ad XX. in decoctis pectoralibus quotidie manè & veſperi (augendo doſin pro morbi proceſſu) intro ſumptæ pulmones putridos & exulceratos, præmiſſis tamen mundificantibus & expectorantibus, mirabiliter reſtituunt, ulcera conſolidant, & ad perfectam* (b) *curationem unicè diſponunt.*

(b) Verecunda praxis conſolidationē ulcerum pulmonalium nunquam promittat, vel ejus ſpem faciat, balſamus enim ſulphuris quomodocunque paratus etiam in levioribus pulmonum vitiis ſæpius fruſtra in uſum vocatus fuit, imò teſtibus Sennerto & aliis practicis plurimi ex nimio balſami iſtius uſu in phthiſin inciderunt.

Hujus farinæ etiam eſt conſerva roſarum annum non excedens, a cujus largo uſu multos penè deſperatos phthiſicos convaluiſſe hiſtoriæ teſtantur, at ſi imitari velis, in plurimis fallet.

Imprimis autem pro arcano nobis communicatum eſt ad ſanandam phthiſin, eoq; non diu abhinc conſilio monachi revaluiſſe quendam omninò derelictum, & adhuc optimè valere, ſi menſe Martio colligatur aqua pluvialis, paulò poſt verò renaſcentibus herbis accipiantur herbæ pectorales & ſangvineæ, uti ſunt veronica, ſcabioſa, agrimonia, bellis, ſalvia, pulmonaria & ſimiles ſtatim ſub prima earum pullulatione,

ne, atque cum prædicta aqua ſinantur fermentare, fermentatumque pro potu ordinario bibatur, communicator ſanctè aſſeverabat, eum qui hoc potu curatus ſit, ſibi optimè eſſe notum, & antea fuiſſe quaſi umbram, nunc verò iterum pingvem, carnoſum & optimæ valetudinis, quod etiam monachus prædixiſſet his verbis: *Tu ex mea inſtitutione propines tuo corpori primam viriditatem naturæ, & eodem modo revireſcet, & perfectè convaleſcet.* Hujus ipſi quidem experimentum nondum vidimus, ſed candidè communicamus, uti accepimus.

Alius Monachus Dominicanus etiam nunc probè valens, & antea pro confirmato phthiſico habitus nominetenus nobis indicabatur, qui convaluerit multo uſu pulveris fungorum ſalicibus adnaſcentium. Imò Archiater quidam inſignis nobis retulit, proprium ſuum fratrem à nimio potu vinorum Franconienſium incidiſſe in phthiſin, & jam ab omnibus pro deplorato habitum acceſſiſſe fœminam empiricam, ſe curaturam eum offerentem, quod etiam feciſſet, ſed non niſi integro elapſo anno, ubi malum ad exteriorem cutis circumferentiam verſum ſit, adeò ut totum corpus ſcabie veluti cruſtâ ſit obductum, adhæc fratrem quolibet poſtmodùm anno ſenſiſſe aliquam recidivam, donec ſcyphi illi è ligno fraxini in uſum veniſſent, potu enim aliquandiu ex ejuſmodi ſcypho aſſumpto omnes morbi reliquias deſiiſſe, fœminam autem commemoratam medicaminibus etiam fungos ſalicum immiſcuiſſe.

Pulmonum adhæſio (c) *difficulter curatur in adultis.* Pulmonum adhæſio.

(c) Tam frequens & naturalis eſt, ut Generoſiſſimus Nic. Tulpius lib. 2. obſ. 17. pulmonem paucis putet corporibus omnino eſſe liberum, ſed ut plurimum agglutinari huic vel illi coſtæ, imprimis autem in ſectis phthiſi defunctorum ſæpius tam firmiter pulmo adnatus vel agglutinatus invenitur, ut ſine laceratione divelli nequeat, nihil tamen certi determinari poteſt, an iſta agglutinatio fuerit cauſa phthiſeos, vel phthiſis agglutinationis.

Plura de curatione phthiſeos vide infra capite de ſputo ſangvinis.

CAP. LXXX.

DE PLEURITIDE, *Germ.* das Seitenſtechen.

Lateralis morbus quamvis ſit nomen generale & diverſos in latere affectus ſignificare poſſet, tamen quia hic affectus vulgariſſimus eſt, quivis jam per illud generale nomen in ſpecie hunc affectum intelligit, qui etiam pleuritis vocatur, à pleura, quæ membrana illa eſt coſtas intercoſtalesque muſculos inveſtiens, atque in hoc affectu inflammatur, intumeſcit & dolorem acutiſſimum ac punctorium infert, more omnium membranarum, quum eæ uti etiam nervi ſint inſtrumenta ſenſus & attactæ vel tenſæ dolores acutiſſimæ ſenſilitatis movere ſoleant, rationem etiam eſſe putamus quod cæteris partibus minus ſint poroſæ, Morbus lateralis.

atque

atque eum in finem à natura circumtenſæ,ut ea quæ intus reſervari debent, ſine eruptione vel difflatione conſerventur, uti videre eſt in veſica urinaria,quod iſta membrana neque aërem nec urinam perſpirare ſinat. Cum ergò flatus intus excitetur,nec exitum habeat,non poteſt non membranas tendere & dolorem vehementer perceptibilem ciere.

Pleuritis quid? Eſt itaque pleuritis inflammatio & doloroſa tenſio commemoratæ interioris thoracis duplicatæ tunicæ pleuræ, ac muſculorum quibus adhæret, imò ipſius pulmonis, uti veraciſſimus & expertiſſimus Platerus autopſiâ & irrefutabilibus rationibus evincit, tam in peripneumonia quàm vera pleuritide pulmones inflammatos eſſe, quæ pleuræ inflammatio ſemper contingit cum dolore lateris punctorio, tuſſi, difficili reſpiratione, febre continuâ, ac pulſo duro.

Pars affecta. Pars affecta primaria eſt membrana pleura,per conſenſum verò ſimul afficiuntur muſculi meſopleurii, pulmo, mediaſtinum, ſeptum transverſum, pericardium.

Pleuritis duplex. Sunt autem duæ ſpecies pleuritidis, una eſt genuina ſive vera & exquiſita, magisque periculoſa, altera ſpuria & non adeò periculi plena.

Vera pleuritis à methodicis antiquioribus hæc dicitur, quando fervens & impurus bilioſusque ſangvis inter pleuram & muſculos intercoſtales conſarcinetur. Notha verò, quando humores craſſi vitioſi frigidiores ſpiritusve flatulenti inter membranas coſtas exterius obducentes, muſculosque coſtis extrinſecus incumbentes congerantur. Recentiores autem ſtatuunt, quod in genuina pleuritide ſangvis arterioſus acris ſe præternaturaliter effundat in membranam pleuram, in nothâ autem ſangvini ſimul miſceatur lympha craſſior, ſeu pituita.

Cauſæ. Cauſæ ſecundum practicos ſunt ea omnia, quæ ſangvinem in venis queant calefacere, extenuare & fluxilem efficere, item pituitam in cerebro fundere, ac defluxionem inde concitare, uti ſunt vehemens corporis exercitatio calefactoria, vel incaleſcentia à fervore ſolis vel balneis calidiſſimis, irâ, veneris palæſtrâ, calidorum aromatum, vel radicum interno uſu, vini meraci ingurgitatione, item ſubitanea refrigeratio poſt prægreſſum corporis æſtuationem, vel per largum hauſtum frigidum vel inſpiratum aërem perfrigidum, talis enim repentina alternatio caloris & frigoris graviſſimas defluxiones excitat, paritque communiter vel coryzam (quæ rariſſimè periculoſa, quia nares ſunt receptaculum defluxionis, atque ideò aliquo modo aſvetæ) vel anginam, vel pleuritidem vel peripneumoniam, ubi defluxiones ſemper ſunt periculoſæ ob teneritudinem partium, & quod defluxionum inaſvetæ ſunt, ſi ergò defluxio ruit in pleuram, illa acutiſſimâ ſenſilitate prædita mox dolorem concipit & indignatur, quæ indignatio & doloroſitas illicò æſtum pariunt, ab æſtu autem veluti à calefactis cucurbitulis

tulis ſangvis & humores attrahuntur copioſè, quorum nimietas ſive multa affluxio pleuram tendit ad ampliandum prius anguſtum ſpacium, illa tenſio autem ob exquiſitisſimum membranarum ſenſum infert dolorem pungentem & lancinantem, à quo attractio augetur & inflamatio. Tenſio ejusmodi membranæ pleuræ etiam ſæpiſſimè excitatur ab aliquo irrumpente flatu, qui ob impatientiam tenſionis dictæ membranæ confeſtim intolerandæ doloroſitatis punctionem excitat, omnis autem dolor ſuſcitat calorem & attractionem, ut dictum eſt, quod autem communiſſima pleuritidis cauſa ſit quædam flatuoſitas, & longè communior eâ, quæ à ſangvinis efferveſcentia, affluxu, vel bilioſa admixtione fiat, patet ex eo, quod multi etiam ſenes corripiantur verâ pleuritide, uti etiam Helmontius natus ſexaginta ſeptem annos eâ interiit, in tali autem ætate ſangvis non efferveſcit, neque importuna ira, vel exercitia tantum æſtum excitare poſſunt, flatus verò his frequentes, qui omnia hæc commovere valent. Adhæc Hippocrates teſtatur, quod qui multum eructent, non admodùm pleuritici fiant, ratione ut putamus, quod aër & quilibet flatus facilè inveniant rimulam, per quam exhalent, multum autem eructantes non ſolùm flatibus in ventriculo ſuo, ſed etiam aliis intra thoracem interdum ſe colligentibus conſvetudinem fecere, ut ad fauces & os pergant, quod ſæpisſimè in nobis ipſis experti ſumus, quod interdum alicubi in alterutro latere thoracis ex improviſo dolor aliquis punctorius ex aliquo procul dubio flatu ſe percipiendum præbuit, cum verò eructare poſſimus quandocunque velimus, & quaſi aliquâ anthliâ flatus ventriculi ructando exhaurire, non deſiimus ſemper ſurſum trahere ructus, quoad pungens dolor omninò evanuerit, putamus itaque punctionem hujusmodi fuiſſe à flatu in aliquam cavernulam illapſam, & ab anthliante ructatione ſimul ad fauces tractam, quod ni feciſſemus, fortè dudum in pleuritidem incidiſſemus, hoc modo autem nunquam quicquam ejus percepimus excepto tali interdum pungitivo dolore, ab eructatione ne horam quidem durante.

Acutiſſimus autem Helmontius in deſcribenda & curanda pleuritide à methodicis recedit, ac planè aliud fundamentum de ejus modo fiendi in tractatu: *Pleura furens* profitetur, cujus ſumma hæc eſt: Se (nimirum Helmontium) conſiderare in pleuritide primum motorem internum ſive calcar, ac dein laceratorem pleuræ, & utrunque unum idemque efficiens ſui ipſam ſe vocare pleuritidem, cruorem autem eò affluentem & effuſum, indeque natum apoſtema tanquam productum conſiderare, quorſum communem ſe adducturam experientiam in exemplum. Sit ſpina parti alicui infixa, cui ſuccedat in inſtanti dolor, à dolore mox pulſus, à pulſu cruoris affluxus, unde tumor, febris, apoſtema &c. ſpinam ergò poſt ſe movere Doctrina Helmontii de pleuritide.

cætera. Metaphoricam ergò ſpinam pleuritidis, & propriè loquendo, ipſam pleuritidem eſſe peregrinam aciditatem, conceptam in Archeo, quam ſi fuget, aut deponat in cruorem venæ cavæ, eam ad venam azygos, imò vel in ipſam propinquam coſtarum carnem expelli, unde apoſtema tanquam pleuritidis productum. Denique ſicut apoſtema natum ab infixâ digito ſpinâ non niſi temerè curetur per venæſectionem, ſed propter ſolam ſpinæ evulſionem ſanationem promittat: ita contingere in pleuritide.

Etenim uti acor in ſtomacho ſit gratus & ordinarius ſapor: ſic extra ſtomachum omnem aciditatem eſſe præter naturam & hoſtilem. Quod hactenus ſit neſcitum à ſcholis. Sic nempe tormina ab acido inteſtinorum, in lotio ſtranguriam, in ulceribus corroſionem, in pelle ſcabiem, in artubus podagram &c. quodque ſi experiri quis velit ad manum, emictæ noviter absque dolore urinæ aliquot ſaltem guttas vini aciduli immiſceat, & per ſyringam injiciat, experturum eum ſe invito, hanc doctrinam eſſe veram. In latice quoq; pleuritidem notham (quam ventoſam vocent) ſuſcitare, aſt ſi archeus in cruoris gremium leviculam ſibi ſiniſtro applicatam aciditatem depoſuerit, ſtatim extravenetur, ejiciatur à venis ſpreta, & apoſtema pariat, ubicunque id locorum contigerit.

Si verò id profundius in venis eveniat, peſtilens aliquod pathema inſurgere. Quod à ſe probari. Quippe cruorem aut carnem nunquam aceſcere absque actuali putrefactionis conſecutione (quod alibi per carnes beluarum ſub canicula ociſſimè putrefientes, ideò juſculum acidum dantes ſe probaſſe ex inſtituto) cruorem enim aceſcentem mox contra naturam venarum totiusque carnis indolem (quamdiu vivat) coagulari. Nam dudum in cadavere cruorem à coagulatione præſervari à vena, è qua ſi excidat, ſtatim grumeſcere. Hinc ſequi quod facti apoſtematis non poſſit ejusdem cruor per venam ſectam evacuari, utcunque nomen revulſionis aut derivationis in morbi metum, & ægrorum deluſionem jactitetur. Itemque nec venæſectio impediat, ne quid deinceps amplius aceſcat. Cum phlebotomia privationis tantum vim habeat. Nec poſſit eductus cruor inhibere, ne qui intus aciditatem hauſit, eandem deponat. Aſt condignum pleuritidis remedium teneri in Archeo cauſare averſionem ab aceſcendi conceptu. Si itaque acor cruoris ſit ejusdem putrefientis indicium, certum eſſe, quod vena nec putridum, nec putrefientem cruorem in ſe recipiat, nec putrere ſinat, ſi adhuc à morte eandem à coagulatione defendat. Ergo exorbitantem aliquam, peſtilentemve impreſſionem in cruore eſſe, ſi aceſcat utut tenuiter.

Sin autem ab endemico in thoracem ſpirato, vel aliàs intus veneno acido Archeus infectus ſit, isque venarum cruorem vel alium in alimoniam deputatum affecerit, ſtatim eundem

eundem cruorem à quavis parte putredinem extimeſcente à ſe repelli. Atque hoc eſſe calcar efficiens verumque pleuritidis. Idque videri primum Medentum Hippocratem ſenſiſſe, dum ſcribat: *Non calidum, frigidum, humidum, ſiccumve, morbos eſſe, ſed acre, amarum, acidum & auſterum.* Eſſe autem acidum in pleuritide, ex eo patere, quod in pleuritide lotium & cruor venâ ſectâ elicitus grumeſcant etiam exeundo, ſive ante cruoris condenſationem, quæ grumeſcentia ſive caſeatio ſit acoris effectus. Latex enim aceſcens in intercoſtales carnes incidens faciat dolorem pleuriticum, non autem verum aut conſtantem affectum. Quemque idcirco flatulentam nominent (quanquam flatus eò nunquam attingant, niſi aſſumpto toxico transmutante) qui & leviculo remedio mox ſit diſſlabilis per inſenſiles nimirum transſpirationes.

Pleuritis flatulenta.

Aciditatem igitur confeſtim dolorem parere, doloris autem proprium comitem ac cauſam eſſe convulſionem, in qua convulſione pulſus antea latens manifeſtetur, indureſcat arteria, & comitetur dolor. At quia convulſio plerunque per intervalla tendatur ac remittatur (quod parturientium dolor teſtetur) hinc fiat, quòd quoties pleura ſpasmum ſuum, proprio motus blas intendat, toties aliquid fibrarum dilaceretur à coſtis, dumque ſe vel tantillum remittat, accurrere cruorem vicinum in locum rugarum contrahendo fracturam. Hocque iteratis vicibus eſſe cauſam apoſtematis magni, juxta frequentiam & aſperitatem contracturarum. Cruorem autem extravenatum, aut alioqui juſtam doſin ſuperantem, ob ſymbolum fermenti acidi conceptum, hoſtilem fieri, & præſtò coagulari. Quod ſi verò acor in venam arterialem, vel arteriam venalem (quæ ſint vaſa pulmonis) diſpergatur ab infecto Archeo, neceſſitatam advenire peripneumoniam pulmonis. Debere itaque cernere & diſcernere ſcholas, an cauſæ continenti ac radici medeatur phlebotomon. An verò totus illarum conatus ſaltem ſeſe extendat, ut cum procurata virium jactura incrementum pleuritidis præcaveant, ſpinâ enim evulsâ facilè ceſſare reliquum. Niſi fortè diutina mora apoſtema ipſum fecerit ſpinoſum. Nam ſemel formata apoſtemata vel ulcera, licet à tergo nec radicem in corpore ſint nacta, nec aliunde foveantur, per ſe ſtare deinceps ac ſubſiſtere absque aliâ ſui tutelâ. Incumbendum ergò ſpinæ evellendæ: tabidique eſſe ulceris pertinaciam: quod ulcus non ſpinam jam habeat, ſed ſpinoſum evaſerit. Gigni itaque in nobis ſponte pleuritidem, dum primæ digeſtionis hoſpes in alienam meſſem peregrinus involet: vel aliàs inſpirato endemico virulento. Tumque eſſe pleuritidem populariter frequentem. In multo enim æſtu repentinum, multumque affatim frigidæ hauſtum, pleuram non ſecus atque aliud acidum irruens contrahere. Non etiam eſſe culinam pleuræ in tenuiſſima ac indiviſibili

Peripneumoniæ cauſa.

ejus membranula: ſed in contigua ſibi intercoſtali carne. Nimiam namque ejus tenuitatem non permittere intra ſe culinam abſcondi. Mortificari ideò citiſſimè pleuræ ipſius cruorem per violentum irruens externum, ſive acidum fuerit ſive repentinum frigus, eo quod in externa illa culina alimentum ſibi non digeratur, atque præparetur. Vitiatum ergò cruorem, dum in fieri eſſe ſit, ad alimentum pleuræ, illicò aceſcere, fiatque vera pleuritis. Pleuritidem autem non quidem advenire, ſed adveniſſe & adeſſe ſentiri, dum ab externo irruente generetur. Generationes enim naturales velut in inſtanti fieri. Ideoque degenerationem cruoris in præfata exterâque pleuræ coquina eſſe quaſi inſtantaneam. Sed pleuritidem contingentem ab acido cruore aliunde contaminato, morbos plerunque habere alios prænuncios. Eſſe autem pleuritidi quoque proprium, quod mox naturam ſui peccati pœniteat. Adeòque horrore admiſſi erroris delictum ſuæ digeſtionis libenter corrigat. Ac proinde ad ſanationem exigatur tantùm, ut ſpina & confuſæ digeſtionis productum auferantur in ipſo cruore circumſtante, imò & in ipſo apoſtemate. At pleuritidem quæ ſit per phlebotomiam reſtituta, ſæpè poſt annum recurrere, ſæpiusque tabem poſt ſe relinquere. Quia reſiduæ ſpinæ negotium relinquatur ſolius naturæ humeris ſuperandum, abſq; adjutorio reſtaurante characterem ibidem morantem. Veteres quidem ſenſiſſe: *Ubi dolor & calor, eò affluere cruorem.* Sed ſpinam præcedentemque motricem aciditatem neminem adhuc attigiſſe. Cruentum autem in pleuritide pro unâ parte ſputum non coagulatum (quia nondum acidum) velut ad ſolamen doloris miſſum accurrens non eſſe cauſam occaſionalem morbi, pro altera autem parte cruorem intra pleuram & coſtas ſiſti acidum, grumeſcere, apoſtemari & pus fieri. Plurimum itaque cruorem feſtinantem pro ſolamine doloris (ubi dolor, eò accurrat cruor) trans pleuram in thoracem penetrare, qui moleſtiſſimâ exſcreetur tuſſi. Pleuritidem itaque à peripneumonia nec cauſis occaſionalibus ut neque remedio differre. Suffundi nempe cruorem in pulmonis parenchyma juxta ſpinam pleuriticam. In vomica namque licet pulmo cruorem, ac diverſa in ſe contineat hoſtilia, defectu tamen acidæ ſpinæ non eſſe peripneumoniam, ſed alios eſſe defectus, procedentes ab excrementis propriæ digeſtionis. *Vomica pulmonis.*

Sua demum remedia nempe pulverem de virga cervi, vel tauri, vel cruorem hirci, vel ſuccum cichorii ſylveſtris, flores papaveris ſylveſtris & plura talia neminem in pleuritide & peripneumonia relinquere, imprimis ſangvinem hircinum abſectis teſtibus emiſſum & exſiccatum difficilimæ triturationis. Quibus cauſa immediata in Archeo corrigatur, acor tollatur, & ad diaphæreſin cruor diſponatur, dolor pacetur, quia aciditas extingvatur. Eadem quoque remedia propinari devolutis *Remedia pleuritidis Helmontii.*

tis ab alto, quatenus contuſione grumefactum cruorem diſpergant, id eſt ſpinam auferant, venenum tollant, & eatenus locum incarnent. Sic omnibus ſimul indicationibus unica ſpinæ emendatione ſatisfaciant. Tandem narrat ſeipſum tertio Kal. Januarii abſoluto ætatis anno 63, repentè invaſum febre cum rigore leviculo, ſic ut dentes quaſſiſſent, cum dolore punctili in latere anteriore circa os ſternum, qui inſpirationem præpedierit. Mox dein ſputum cruentum adfuiſſe, ac tandem merum cruorem prodiiſſe. Sumpſiſſe ſe ſtatim cervi genitale carptum, & dolorem ſtatim imminutum eſſe, mox bibiſſe drachmam cruoris hircini. Quatriduo ceſſaſſe ſputum cruoris, perſtite tuſſiculâ rarâ, cum aliquot exſcreationibus, perſeveraſſe autem febrem. Nam ſecunda die dolorem circa zonam latere ſiniſtro ſeſe pandiſſe cum reſpiratione difficili, febris augmento & pulſu intermittente, expectaſſe ſe in ſplene coagulari apoſtema, cum lien globatus in molem pondus feciſſet. Attollendo enim genua in ſublime, vel in latus dextrum decumbendo gravis ponderis cadentem globum ſe ſenſiſſe & ſuſpicatum pleuritidem è ſplene ſuſcitatam, quæ cum juſtis remediis abacta eſſet è coſtis, lienem demum afflixerit. Cui ſtatim obveniſſet potu vini bulliti cum lapidibus cancrorum, & infra paucos dies omnem dolorem & ponderis molem evanuiſſe. Hæc Helmontius.

Huc pertinent etiam ſequentia Hippocratis graviloquia:

Pleuritis eſt affectus conſiſtentis ætatis. *lib. 3. aph. 30*
Et morbus hyemalis. *3. 23*
Cauſatur quoque ab aquiloniâ conſtitutione. *3. 5*
Et à tumoribus ulcerum rubicundis in anteriori corporis parte exiſtentibus, & repentè evaneſcentibus. *5. 65*
Rarò accidit his qui acidum eructant. *6. 33*
Pleuritide laborantes debent in quatuordecim diebus ſurſum purgari. *5. 8*
Aliàs fiunt empyici. *5. 8*
Empyici ex pleuritide debent in quadraginta diebus è ruptione ſurſum purgari. *5. 15*
Alioqui fiunt phthiſici. *5. 15*
Sputum ſtatim circa initia pleuritidis apparens morbum breviat. *1. 12*
Si verò poſtea, prolongat. *1. 12*
An ejus dolores ab aliis multum differant, perdiſcendum. *6. 5*
Si mutatur in peripneumoniam, malum. *7. 11*
Superveniens in ea alvi fluvus, malum. *6. 16*
Si pleuriticus dolor cum ſputis biliosis ſine ratione evanuerit, æger in delirium incidit. *3. prorrhet.*
Denſa & exercitationi dedita corpora ex pleuritide & peripneumonia citius intereunt. *in coacis*
Quibus in morbo laterali plurimus ex ſputo ſtrepitus in pectore ſonat, & vultus de-

miſſus eſt, oculusque aurigine ſuffuſus, & caligine obductus, in his mors expectanda eſt. *in coacis*

Reliqua Hippocratis præſagia de ſuppuratione à pleuritide & peripneumonia ſupra cap. 77. citata inveniuntur.

Prognoſis. Prognoſin quod ſpectat, ea majorem in partem in citatis jam Hippocraticis comprehenditur, his tamen etiamnum ſequentia addi poſſunt. Nimirum pleuritidem eſſe quidem affectum periculoſum, ex ea tamen plurimos evadere, & iterum convaleſcere, quo citius autem materia peccans in ſuppurationem abit, ſputaque quo magis copioſa, albicantia, & cum minori difficultate exeuntia ſunt, eò citius morbus curatur, ſi verò tuſſis à copioſo ſcreatu non levatur, ſed cum difficili reſpiratione augetur, vel non imminuitur, ſignum pravum, imprimis ſi pulſus eſt parvus, frequens & valdè durus, talium enim neminem evadere obſervatum eſt. In ſpecie verò ſolet hic morbus his eſſe perniciosus, qui jam ante bis vel ter eodem laborarunt, item aſthmaticis, prægnantibus, & decrepitis, nec non cachecticis, & ex priori morbo aliquo debilitatis, laborioſis etiam ſive gravi labore quotidie occupatis uti ſunt fabri ferrarii, foſſores & ſimiles, non benè cedit, quia ejusmodi robuſti homines non niſi ex prægnanti causâ tali morbo corripiuntur, eòque magis eodem ſuperantur.

Curatio à plerisque practicis incipitur venæſectione (quam, ut paulo ante audivimus, Helmontius & & ejus ſequaces omnino rejiciunt, & tanquam maledictam & vires imminuentem ſpernendam ſvadent) etiam in ſenibus, pueris, gravidis, puerperis, & menſtruas purgationes patientibus, eam mox primo morbi die celebrantes, imò eodem die ſemel vel bis reiterantes. At vix divinius auxilium ſtatim morbi principio obtingere poteſt centaurio noſtro minerali vel aquâ benedicta Rulandi, aliquantulum largius exhibitâ, ut aliquot vomitus proritentur, quibus materia eryſipelatodes hujus morbi extunditur, atque æger veluti à gravi ſarcina liberatur, prout etiam practici teſtantur, vomitum bilioſum & copioſum in principio pleuritidis ſalutem prænunciare, talem autem vomitum poſſumus benedictiſſimo illo remedio concitare, nemo itaque illud intermittere debet, quod idem etiam Author noſter, Angelus Sala, Martinus Rulandus, Johannes Petrus Faber aliiq; in uſu habuere, imò ipſe Hippocrat. hoc jubet, lib. 4 aph. 18 dicens: *Dolores quoscunque ſupra diaphragma requirere vomitum, inferiores verò purgationem ventris.*

Poſt vomitum ſtatim veniendum ad ſpecifica, quorum diverſa ad hunc morbum ſunt decantata, uti ſunt flores ſulphuris, raſura apri, ſtercus caballi vel gallinæ album, ſcobs priapi taurini vel cervini, flores buxi, fuligo camini, vel ejus ſpiritus deſtillatus & ſimilia, ex his quod- Specifica.

quodcunque placuerit, datur ad ℈j. in aqua papaveris erratici.

Experimentum

Inſigne etiam eſt remedium, ſi pomum excavatur, eique inditur ʒj. thuris, & poſtea ad ignem aſſatur, atque ægroto pro una vice integrum datur comedendum, ſuperbibitis ℥iii. aquæ carduibenedicti, quibus aſſumptis in lecto coopertus ſudet.

Exterius ad dolorem leniendum inungendum eſt aliquod ungventum topicum e. gr.

Ungventum topicum.

℞. ungvent. dialthæ. comp.
pectoral. an. ℥ſ.
oleor. anethin.
ſem. pap. alb. an. ʒiij.
chamæmel.
roſac. an. ʒvj.
m. detur in fictili.

Vel ſuperponatur emplaſtr. diachylon ſimplex, quod præ cæteris dolorem lenit. Plura docet

TEXTUS.

IN pleuritide verâ ante omnia & quidem ſub initio vel etiam tertio aut quinto die exhibeo aquam benedictam ad vomitus ciendos. Sic nimirum influxus humoris & inflammatio ſiſtitur, ac pectus ipſum ab impuritatibus liberatur. Aqua benedicta exhibetur juſtâ doſi in aqua cardui Mariæ vel rheados, aliquando deſcendo ad venæſectionem, ſi non morbus videtur reſolutus, & plethora juſſerit. Idque facio vel ante vel poſt vomitum.

2. Ubi vel natura ipſa vel etiam patientes abhorrent à vomitu, ipſa ſangvinis miſſio principaliter præcedat, præſertim ex vena cordis (baſilica iſtius lateris quod affligitur) quod ſi nec ſic quidem febris & ſymptomata remiſſiora fiunt, deſcendo ad alia magis appropriata, quorum prius ℞. ſpir. nitri & ſpir. vini (ſpiritus vini corrigitur à ſpiritu nitri, datur præterea in perexigua doſi, aliàs omnis ejus uſus hic nocivus) ana ℈j. vel ʒſ. aut ℈ij. ad ſummum, miſce cum aqua papaveris rheados tepida quantum placet (v. gr. ℥j. ij iij.) & patientem aſſumpta hac potiuncula ad ſudandum in lecto, quantum fieri poteſt, diſpone. Appropriatum.

3. Mox exhibeo diaphoreticum in peracutis ad ʒj. cum aqua cardui Mariæ vel rheados.

4. Ruſticis vel robuſtioribus (a) exhibeo oleum lini ab ℥j. ad ℥iij. poſthæc omnia deinceps adminiſtrantur expectorantia.

(a) Quibuslibet vel magis vel minus robuſtis ordinamus ſuccum naſturtii aquatici recenter expreſſum, mixtum cum tertia, quarta, vel quinta ejus parte aceti vini vel ſcillitici, addita portiuncula ſalis communis, & ſi placet olei olivæ, hujusque mixturæ omni circiter ſemihora unum vel alterum cochlear plenum aſſumere jubemus, optimè expectorat, apoſtemata rumpit, febrem reſtin- Experimentum

reſtingvit, eſtque cuilibet ferè temperamento ſalubre.

Specificum. *Nota: ſpecificâ proprietate pleureſin ſolvit raſura dentis apri aliquoties exhibita in vehiculis appropriatis: melius eſt magiſterium ejusdem* (die Hauzähne) *Extrinſecus ad doloris & puncturarum mitigationem faciunt inunctiones ex ungvento dialthææ, oleo amygdalarum dulcium, & ſimilibus.*

Confert quoque epithema ex melle & lacte invicem decoctis, & calidè in veſicâ ſuillâ lateri dolenti applicatis. Hujus loci ſunt cataplasmata ex anodynis, quæ multa ſunt apud practicos.

Specifica quoque ſunt priapus cervi, tauri ad ℈j. Joël pag. 277. decoctum florum papaveris rheados. Valeriola lib. 5. obſ. 10.

Pleuritis notha. *In pleuritide nothâ eadem plerunque obſervantur, niſi quod à ſpiritu vini abſtineamus.*

Pleureſis flatulenta. *Externè in flatulenta pleureſi mirificè valet pulvis ſeminis cymini in folia braſſicæ butyro illita aſperſus, & foris loco dolenti applicatus (hoc uſus ſum in filiolo meo Chriſtophoro.)*

Empyema. *In empyicis præſertim à pleuritide conſultò maturanda eſt ſuppuratio, poſtea ſanies ſeu pus educendum, de quibus omnibus conſulantur practici, imprimis Rondeletius, & B. Faventinus. Hoc nimirum loco Chymica videntur vacillare, cum omnia lenioribus maturantibus extrinſecus & intrinſecus lenientibus ſunt peragenda. Nihilominus decoctum guajaci cum pectoralibus exhibitum multum prodeſt. Fortius operabitur, ſi flores antimonii fixi aliquoties non ſingulis diebus, ſed ſingulis ſeptimanis pondere ℈j. in decocto guajaci propinentur.*

Sic nimirum tum maturatio tum ruptio apoſtematis promovebitur. Rupto autem apoſtemate, nec dum ſanie per purgationem expectoratâ, recurrendum eſt ad abſtergentia.

Inter cætera laudatur hoc: ℞. aquæ hordei ℔ij. mellis roſati ℥V. (intellige aquam hordei deſtillatam) radicis althææ ℥j. m. & ebulliant ad conſumptionem tertiæ partis, poſtea colatura detur ad lambendum: (ſyrupus de althæa Fernelii hîc etiam valet) hoc abſtergetur ulcus & pus ad inferiores partes corporis transferetur, mundabiturque per ſpiritum. Interea dum hæc fiunt, patienti quater vel quinquies in die aquæ hederæ terreſtris cum ſuo ſale acuati propinentur calidè ℥iij. vel IV. ſingulis vicibus. Item folia hederæ terreſtris in cibos mixta ſuppurationem dextrè ſanant. Felicior fit progreſſio, ſi ex hedera terre-

terreſtri fiat arcanum, cujus guttæ IV. vel VI. in aqua propria exhibitæ omnem locum abſolvunt.

Serum in pectore fluctuans educit ſuccus bryoniæ ut ſupra de anguſtia pectoris. Item ſuccus ireos noſtratis ad ſummum ſemunciâ aſſumptus(b)*purgat nimirum per vomitum.*

(b) Typographus corruperat hunc locum imprimendo doſin hujus ſucci ℈ſ. quaſi verò tantillum poſſit eſſe ſumma doſis, imò ad unciam unam vel paulò plus accipi poteſt, ita à talibus incuriis interdum optimi libri penitus ſuâ corruptione redduntur inutiles, ſi non damnoſi.

Plura vide infra de ſputo ſangvinis, cap. 83. in fine.

CAP. LXXXI.

DE BRONCHO SIVE RAUCEDINE, Germ. Heiſerkeit.

Raucedo quid? RAucedo (rectius raucitas ut Plinius habet, à Plauto etiam ravis dicitur) eſt remiſſio vocis morboſa à ſuâ naturali aſperitate & gravitate, cujus loco editur mollis, ſubſtridula, & ſemiſona, melius tamen ab omnibus intelligitur vox rauca, utpote quæ tam frequens & vulgatus eſt affectus, ut vix ſit, qui eam non audierit, vel ipſus aliquando expertus ſit.

Cauſæ. Cauſæ vocis raucæ ſunt: vel nimia humectatio, vel aſperitas vel ulceratio pelliculæ aſperæ arteriæ, de qua Aetius: *Aſperæ* (inquit) *arteriæ extremum, & ſubjacentem ipſi aſperam arteriam cum ſuis propriis muſculis pellicula quadam fortiter complectitur & ambit;* humectatio itaque huic membranulæ nimia contingit ſæpius à catarrho è capite in aſperam arteriam defluente, nimia tamen potius vocem penitus intercipit, mediocriter verò rigans raucoſam efficit, idem etiam frequenter fit ab ingurgitatione & heluatione, qua pariter aſpera arteria plus juſto humectatur, nec non à clamore immoderato, uti frequentem hunc affectum in hiſce obſervamus, quorum munus eſt vocem ſemper vehementer intendere, & valdè ſonoram edere, uti ſunt cantores, præcones, prædicantes in magnis templis, citharœdi, tragœdi & ſimiles, qui omnes peculiari nomine Phonaſci nominantur. Magnâ Phonaſci. enim vociferatione nō ſolum commemorata pellicula arteriæ extremum ipſamque arteriam aſperam ambiens, verùm etiam muſculi vocem operantes à confertim erumpente ſpiritu & colliſione ex ſtridore intenſæ vocis perenni perculſi inflammantur, omnis autem inflammatio ſive calor nimius attrahit mox affluxum catarrhalem, uti in applicatione nimis calefacientium ad cutem videmus attrahi lympham, quæ cuticulam attollit, ut ſpacium obtineat, ac veſicam conſtituit; item inſpiratio auræ borealis, vel fumi, vel pulveris nonnunquam raucitatem producit, excitando ſimilem calorem, humoremque at-

 trahen-

trahendo. Exulceratio quoque depaſcens in fauces ſerpens, uti contingit in lue Gallica, lepra, noli me tangere, tandem vocem lædit, ac primò raucam facit, poſtea verò penitus aufert, vehementi nimirum eroſione tunicas & plectrum vocis corrumpens, ut nulla amplius colliſio & anguſtatio aëris (quæ ſonum & clangorem efficit, uti in fiſtulis & tubis obſervatur, quòd absque anguſtiſſimis orificiis non ſonent) fieri queat. Denique quicquid inſtrumenta vocis uti ſunt guttur, epiglottis, vocales nervi ac lacerti, lædit, cauſa hujus affectus eſſe poteſt.

Progno-ſis. Prognoſis hujus affectus eſt, quod, ſi jam integrum annum duraverit, utplurimum curationem amplius non recipit, deſperata etiam non ſolum raucitas ſed & ipſa vita eſt, ſi in dictis exulcerationibus vox rauca edatur.

Curatio. Curatio inſtituenda eſt pro cauſarum varietate & ab earundem ab latione. Si itaque bronchus ab illabente in aſperam arteriam catarrho proveniat, curatio dirigenda eſt ad ſublationem deſtillationis, quod præcipuè fit aſſumptione aquæ benedictæ, ut catarrhus per vomitum expurgetur, aliisque debelletur, quæ ſupra cap. 18. propoſita ſunt, ſi defluxio fervens ac ſalſa eſt, conferunt ipſi poſt evacuationes lambitiva ex diacodio, ſyr. violac. jujubino, de glycyrrhiza, frigidæ verò ac viſcidæ ſyr. de hyſopo, praſſio, oxymel ſcillit. loch ſanum, de caulibus, ac decocta pectoralia calefacientia, item ſuccus caulium cum melle mixtus, aliaque quæ tuſſi conveniunt.

Reme-dia in cauſa frigida. Raucedo à frigore, clamore, aliisque externis cauſis levioribus curatur lubricantibus aſperam arteriam calefactivis moderatè, uti ſunt ſuccus glycyrrhizæ ſub lingva detentus & ſenſim deglutitus, rotulæ diaireos, paſtilli bechici, vel fiant tales morſelli:

Morſuli. ℞. ſucc. liquirit. ʒij.
pulv. rad. irid. flor.
myrrhæ an. ʒſ.
gum. tragacant. ℈ſ.
ſachar. cand. ℥ij.
cum aq. hyſopi affuſa f. morſelli, quorum eundo cubitum unum ſub lingva teneat, ac ſponte liqueſcentis ſuccum ſenſim deglutiat, cubando in dorſo.

Lobelius verò ſyrupum de eryſimo adeò ad raucedinem commendat, ut per decennium raucedine laborantes juvenculas à ſe reſtitutas eſſe aſſeveret, ſyrupus iſte ſic paratur:

℞. Eryſimi totius recent. m. VI.
rad. enulæ camp.
tuſſilag. recent. ſucculent.
glycyrrhizæ an. ℥ij.
herb. borrag.
capill. veneris
cichor. an. m. iſ.
flor. cordial.
ſtœchad. vel betonic.
anthos an. m. ſ.
ſemin. aniſ. ʒvj.
paſſular. mundat. ℥ij.

Inciſa & contuſa decoqvantur in ſ. q. aquæ hordei (convenientiorem arbitramur aquam ſimplicem, aqua enim

enim hordei ſe implevit, quantum in ſe continere poteſt, nec ulterius multum ſolvere poteſt, niſi priora ſua contenta rurſus abjiciat, & alia diſſolvat, & tunc etiam nil aliud eſſet, quàm aqua ſimplex, cum verò dictæ ſpecies meliores vires ad hunc affectum in ſe habeant quàm hordeum, operæ precium eſt, eas aqua ſimplici diſſolvere & extrahere, quæ non jam pridem alia contenta & quidem viliora in ſe vehat, ſed de recenti ſe totam ex his ſpeciebus impleat) hydromelitis & ſucci eryſimi ℥vj. ut coctione ad caſum transverſi pollicis continuata ſuperſint: circiter libræ ij. vel iij. quas fortiter exprime, in colatura diſſolve ſachari circiter ℔iſ. & f. ſ. a. ſyrupus, qui mirum in modum expectorat; poſſunt etiam alia atque alia in uſum vocari, uti etiam optima proponit

TEXTUS:

Raucedo à clamore ſanatur rotulis diatragacanthi frigidi, cum oleo aniſi illitis, ſi paulatim in ore reſolutæ deglutiantur.

Quæ à frigore, tollitur hauſtu vini calidi cum ſacharo distemperato.

In raucedine à deſtillatione præſtans eſt ſyrupus compoſitus de eryſimo Lobelii.

CAP. LXXXII.
DE TUSSI, Germ. Huſten.

Tuſſem longâ deſcriptione declarare opus non eſt, quum nullus unquam homo inveniatur, qui eam non ſæpiſſimè exerceat, eſtque homini tam familiaris, ut etiam nuper nati infantes absque ullius inſtitutione eam brevi addiſcant, eſt ergò tuſſis motus naturalis pulmonum, aſperæ arteriæ, muſculorum thoracis & diaphragmatis à natura inſtitutus ad reſpirationis organa per excuſſionem repurganda à pulviſculis & aëris atomis, cum reſpiratione quotidiè introhauſtis, nec non à craſſa & viſcida pituita ad parietes aſperæ arteriæ ab inſpiſſante calore naturali ſe affigente, quum verò interdum ille motus ab acri defluxione vel pungentibus pulviſculis, quales à calce, cinere, aromatibus & ſimilibus rebus acribus pulverulenter evolitant, nimium irritetur, hominemque valdè fatiget, vel etiam pejora excitet, ſi non ſuccurratur, neceſſe eſt in ejusmodi occaſione tuſſim lenire.

Duplicis autem generis tuſſis deprehenditur, nimirum ſicci & humidi, ſicca tuſſicula eſt, in qua æger ad tuſſim quidem ſtimulatur, & creberrimè tuſſit, ſed nihil excernit, humida econtra multum tenacis muci & pituitæ tuſſiendo extundit, & ſcreatu ejicit. *Tuſſis duplex ſicca & humida.*

Cauſæ tuſſis ſunt: frigida aëris conſtitutio, ut fit flante aurâ boreali frigida & ſicca, item frigidiſſimi potus *Cauſæ.*

tu: larga & confertim facta ingurgitatio, defluxio catarrhalis, decumbens in aſperam arteriam, tenuemque ac ſalſam aquoſitatem eò derivans, quæ titillando tuſſim excitat, potus quoque ſubacidus vel auſterus facilè tuſſim ſtimulat, item pulverulenta inſpiratio, vel acida, vel fumoſa, quarum quælibet contingit crebrius operatoribus & Deſtillatoribus Chemicis, pulverem enim volatilem carbonum, cinerum, rerumque ſuarum calcinatarum, vel ſublimatarum halitu intromittunt, ut & vapores acidos aquarum fortium, fumosq; à furnis aſcendentes. Item pingvia crebrius eſitata, uti ſunt pingvia juſcula, lardum & nuces rancidæ, aliaque ſimilia, fit etiam tuſſis per communicationem ab aliis membris malè affectis, nempe à liene, hepate, ſtomacho, pulmone, utero, pleura, & diaphragmate inflammatis, nec non ab infeſtantibus lumbricis, acribusque humoribus os ventriculi lancinantibus.

Huc pertinent etiam ſequentia divini ſenis dictitata:

Tuſſis eſt affectus nuper natorum infantium. lib. 3. aph. 24
Nec non ſenum. 3. 31
In quibus fit à deſtillatione. 3. 31
Taleſque affectus uti ſunt raucedines & gravedines in valdè ſenibus non concoquuntur. 2. 40
Tuſſes, raucedines & gravedines fiunt vere. 3. 20
Nec non hyeme, prægreſſa æſtate ſicca & aquilonia, atque autumno pluvioſo & auſtrali. 3. 13
Aquilonia conſtitutio movet tuſſes. 3. 5
Frigida ut nix & glacies ſunt pectori inimica. 5. 24
Moventque tuſſes ac deſtillationes. 5. 24
Tuſſis in hydrope, malum. 5. 35
Hydropici tuſſientes ſunt deſperati. 7. 47
Sicca tuſſis in febribus ardentibus, parum ſtimulans diuque durans eſt ſignum parvæ ſitis. 4. 54
Tuſſis ante pubertatem gibbum faciens lethale. 6. 46
Hydrops à jecinore facit tuſſim. 2. præſ. 3

Prognoſis de tuſſi in hunc modum inſtitui poteſt, quod levis quidem ſit affectus, & de facili adveniens, atque etiam haud difficulter in junioribus robuſtis & alias benè diſpoſitis rurſus abiens, at ſi diu duret, contemnendus & negligendus non eſt, radicem enim figens, absque læſione pulmonum vix recedit, quippe qui continuâ hac concuſſione tandem exaſperatur & incaleſcit, unde ſemper plus catarrhalis defluxionis attrahitur, quæ tempore progrediente acredinem & ſalſedinem aſſumit, ac erodens fit, ita ut diuturnam & vehementem tuſſim plerunque ſangvinolenta rejectio ſubſequatur, poſtmodumque pulmonis exulceratio ac ipſa phthiſis. Prognoſis.

Sicca autem tuſſis ac nil exſcreans cum febriculâ quotidiè à cibo plus incaleſcente, ac corporis atrophiâ febrem hecticam arguit.

Diutur-

Diuturna quoque & violenta tuſſis prægnantium periculo non vacat, plerunque enim abortum accerſit.

In cæteris diutina tuſſicula ſicca cum dolore vel tenſione in regione alicujus membri principis nimirum hepatis, lienis, ventriculi &c. obſtructiones obſtinatas ac impuritatem ejus ſignificat, adeò ut reliqua membra per conſenſum ſimul afficiantur, & graventur, quæ ſympathica gravitas pulmonem ad motum hunc ſtimulat.

Curatio. Curatio tuſſis pro diverſitate cauſæ inſtituitur, cum autem plerunque gravis tuſſis catarrhum habeat comitem, cura primariò dirigitur contra catarrhum, per ea remedia quæ ſupra cap. 18. enumerata ſunt, incipiendo, in impetuoſa defluxione à purgatione per vomitum in his qui vomitioni aſveti ſunt, ſin minus, per ſeceſſum, ut materia defluxionis deorſum à pectore trahatur.

Bechica. Evacuato corpore uſurpentur expectorantia, aliàs bechica dicta, quorum varia in officinis proſtant, uti ſunt ſyrupus violatus, jujubinus, de papavere, de nymphæa, diacodion in tabulis, diatrag. in forma ſolida, conſerva nenupharis, violar. loch de mucilaginibus, oxymel ſimplex per ſe vel admixto gumm. ammoniaci, cujus nimirum ʒj. miſcetur ℥ij oxym. Cuncta autem hæc conveniunt in materia acri & tenui, in frigida autem ſyr. de praſſio, de farfara, capillis veneris, de hyſopo, oxymel ſcilliticum, ſyr. factus ex foliis tabaci, mixtura ex oleo amygdal. dulcium & ſacharo diſſoluto in aqua hyſopi, quæ ob egregiam deterſionem ſaponea dicitur. Saponea.

Sequens ſyrupus non ſolum optimè expectorat, viſcidamque pituitam tuſſientium & aſthmaticorum incidit, ſed etiam ſenſim per inferiora educit:

Syrupus expectorans.

℞. ſyr. roſar. ſolutiv. ℥iij.
de liquirit.
althæa
diacartham. an. ℥j.
vini malvatici ℥ij.
aceti ſcillit. ℥iij.
ſpir. vini ℥iſſ.
vitrioli ℈j.
aquæ cinamom.
roſar. opt. an. ℥i.
ſachari ℥VIII.

diſſolvantur invicem ſ. a. cujus manè & veſperi cohlear unum vel alterum ſorbeatur.

Infantibus autem & puerulis infarctum pectus habentibus hæc compoſitio non convenit, quia pro ipſis nimis fortis eſt, proinde leniora pro eis his ſubſtituenda, quale ſequens eſt:

℞. lactis caprini recentis ℥iiij.
ſachari candi pulv. ℥ij.
ſyr. roſar. ſolut. ʒiij.
diacartham. ʒj.

diſſolvantur invicem, deturque ſubinde ejus mixturæ cochlear plenum pro vice, ſubducit mucum per inferiora.

Optimè etiam convenit ſequens liquor bechicus:

Liquor bechicus.

℞. ſpiritus vini non rectificati ℥VI.
rad. elenii

 irid.

irid. Florent. an. pulveriſat. ʒij. ſuperfunde his ſpiritum vini, & invicem macerare permitte, quoad ſpirit. vini eſſentiam extraxerit, cum decanta, & pulverem per linteum exprime, adde eſſentificato ſpiritui ſachari cand. pulv. ℥ij. eaque in ſcutella ſtannea ellychnio ſulphurato incende, & inter ardendum cultro commove, donec ſacharum probè liqueſcat, tum adde croci pulv. ℈ſ. cujus manè & veſperi cochlear plenum lambatur.

Si verò tuſſis ſymptomatica ſit, & ab aliis malè affectis partibus procuretur, tunc cura ad earum defectus primariò ordinetur.

Plura remedia tuſſis proponit noſter

TEXTUS.

Tuſſim tum recentem tum inveteratam plerunque ſi non ſemper curant vomitus ab aqua benedicta procurati. Hac nimirum ratione prima regio ventris ab omnibus impuritatibus liberatur, deſtillationes ſiſtuntur, & ſi poſtea convenientia pectoralia tum interna tum externa fuerint adhibita, rariſſimè redit.

Interna ſunt omnis generis loch ſeu ſyrupi pectorales tum expectorantes, ſi opus ſit, tum confortantes, & thoracem cum pulmonibus ab illapſu humorum præſervantes.

Inter expectorantia laudatur oxymel & acetum ſquilliticum cum ſyrupo de jujubis, de praſſio mixtum.

Confortantia ſunt ſyrupus de acetoſa, de hyſopo, violarum, liquiritiæ. His omnibus annumerantur ſyrupi de althæa Fernelii.

Externa ſunt unguenta.

Nota.

Præſervatio à tuſſi mirabilis eſt in zizyphis hoc eſt majoribus illis uvis paſſis, quas Zibeben *Germani vocant, macerantur in ſpiritu vini, & turgeſcentibus valdè, earum una atque altera manè & veſperi ſumpta à tuſſi præſervat.*

II. *Tuſſim mirabiliter reſolvit liquor ſachari cum raphani taleolis* (a) *comploſione præparatus, de quo ſupra de aſthmate & orthopnœâ.*

(a) Si taleoli recentis & acriuſculi raphani ſaltim intingantur melli deſpumato, & veſperi ante ingreſſum lecti aliquot eorum manducentur, nihil deſuper bibendo vel edendo aliud, itidem longè optimè contra tuſſim operatur.

Item oleum ſachari magiſtrale, quod vocant, fit hoc modo: fundatur ſuper ſacharum candi album ſpiritus vini ſemel correctus, relinquantur invicem per aliquot horas in loco tranquillo, poſtea ſuccendatur ſpiritus vini, & ſacharum cum reliquo phlegmate in liquorem craſſum abit, Oleum ſachari magiſtrale.

qui

qui in tuſſibus etiam inveteratis aſſumptus expectorationem promovet, & aſperam arteriam cum pulmonibus leniendo corroborat, præſertim ſi aliquot guttæ extracti ſeu eſſentiæ croci huic admiſceantur.

Item extractio helenii per ſpiritum vini cum ſacharo miſta ſpiritu incenſo deflagrat, manetque ad tuſſim liquor perutilis. Huc refer pulverem illum Rulandi, de quo antè de aſthmate & orthopnœâ.

In puerulis & infantibus tuſſes ſolvunt ſpecies diatragacanthi frigidi in rotulis. Item ſi pedes quotidiè bis vel ter præcipuè ituris cubitum laventur in cereviſiâ calidâ, & poſtea ſoleæ pedum inungantur cum axungiâ lucii piſcis. His omnibus annumerantur flores & lac ſulphuris.

Tuſſes inveteratas (b) *à tenuibus deſtillationibus cauſatas ſiſtit laudanum opiatum, quod etiam in reliquis tuſſibus haud inutile eſt, modò dextrè adhibeatur thorace nempe à pituita craſſa & lenta non prorſus infarcto ſed libero.*

Experimentum certum. (*b*) Expertiſſimum ad tuſſem inveteratam Amati eſt: ℞. ſulphuris com. opt. triti ℥ſ. benzoi ℈j. in ovo ſorbili manè jejunè vel eundo cubitum ſorbendo ſumatur.

CAP. LXXXIII.

DE HÆMOPTYSI SEU SPUTO SANGVINIS, Germ. Blutſpeyen.

Hæmoptyſis, hæmatoptyſis. HÆmoptyſis, hæmoptoë vel hæmatoptyſis ſignificat ſangvinis exſpuitionem, ſeu per os rejectionem, eſtque talis affectus, in quo ſincerus ſangvis isque majori ex parte ſpumoſus ſcreatu excernitur, quum ergò hæc paſſio à quibusdam ad tuſſis genera refertur, Author ſtatim poſt tuſſim ejus remedia tradere voluit, quemadmodum etiam utplurimum tuſſim vehementem & diuturnam tandem ſequitur, longè tamen eâ horribilior affectio eſt, adeo ut Alexander Trallianus dubitet, an alius æquè difficilis ſit affectus ac ſangvinis exſcreatio, cum non modò per ſe, dum immoderatam vacuationem inducat, vitam adimere conſveverit, ſed etiam ex accidenti peſſimos & lethales morbos pariat, & ita tam per eſſentiam quàm per accidens inevitabiliter necet.

Varia autem egeſtio ſangvinis ex ore eſſe poteſt, ita ut modò ex thorace, jam ex pulmone, aſpera arteriâ, faucibus, palato, gingivis, columellâ, nunc à cerebro, ventriculo, hepate, liene prodire queat, hîc tamen ſolummodò per hæmoptyſin ea ſangvinis per os excretio intelligitur, quæ venit à partibus vitalibus, videlicet aſpera arteria, pulmone & thorace, ac reliquis jam dictis longè pejor eſt, quanquam nulla planè ſangvinis eruptio ex inſtituto ſit naturæ, ſed toto genere præter natu-

naturam, ſolo muliebri fluore ab utero fluente excepto. Nec obſtat quod Hippocrates profluvium ex naribus laudare videtur, comparatione enim ejus ad ea quæ ex ore prodeunt, hoc fecit, illud namque è naribus rarò noxam infert, niſi multitudine excretionis.

Hæmoptyſis triplex. Triplici autem modo ſangvinis per os eductio fieri ſolet, nempe vel per dilatationem orificiorum venarum & arteriarum, quæ receptacula ſunt ſangvinis, quæ dilatatio & apertio anaſtomoſis vocatur, vel per disruptionem eorundem, quæ rixis appellatur, vel per eroſionem ipſorum, quæ diabroſis nominatur, juxta vulgare diſtichon:

Anaſtomoſis. Rixis. Diabroſis.

Diabroſis venas erodit, rixis eaſdem
Scindit, anaſtomoſis has aperire facit.

Diapedeſis. Anaſtomoſi etiam accenſeri poteſt diapedeſis ſive rarefactio ſangvinis, quando ſangvis præ raritate & tenuitate etiam absque apertione oſculorum venarum poros tunicarum earum permeat, & transcolatur more argenti vivi, quod corio incluſum & compreſſum poros corii vi compreſſionis extendit, & transcolatur, absque disruptione vel apertione corii.

Cauſæ. Cauſæ hujus affectus poſſunt eſſe variæ, & quidem internæ vel externæ, internæ ſunt vel quantitas vel qualitas ſangvinis modum naturæ excedens, quantitas enim ſangvinis nimia vaſa extendit, ut vel ruptio vel dilatatio contingat, qualitas verò vitioſa ſive nimia caliditas vel tenuitas ſangvinis facit ut facilè per poros caliditate magis dilatatos permeet, & diapedeſin conſtituat, vel arreptâ acrimonia bilioſâ vel ſalſâ alicubi tunicas erodat, ac diabroſin efficiat, vitioſa iſta qualitas etiam anaſtomoſin & rixin producere poteſt, nimiam enim caliditatem inducens, effervescentiam tandem excitat, quemadmodum nimius calor ahenis & ollis ſubſtructus intus contentum liquorem in effervescentiam & ebullitionem redigit, ut priori ſpacio amplius contineri nequeat, ſed inſurgat, ſummum vaſis transcendat, ac ebulliendo effluat, vel ſi exitus denegetur, vas disrumpat & in particulas disturbet. Ita etiam ejusmodi nimium incaleſcens & efferveſcens ſangvis vaſa tendere, & vel rumpere vel aperire poteſt. Externæ ſunt quæcunque ſangvinem in quantitate vel qualitate ſupra legitimum naturæ terminum evehunt, uti ſunt victus nimium ſangvificans uſu ciborum euchymorum, potuumque plus juſto refectivorum, uti ſunt vina & cereviſiæ præpingves optimè nutrientes, vel etiam diæta nimium calefaciens, quod præſtant aromata, vinaque meraciora plenius aſſumpta, vehemens corporis exercitatio, per equitationem, venationem, ſaltationem in choreis, curſitationem, luctationem, pugilum veneriſque palæſtram, & ſimilia multa, corporis temperamentum in fervorem reducentia, uti etiam fit ab æſtu ſolis, ac balneorum calidiſſimorum, præſertim ſi alternatio repentina accedat

dat

dat caloris in frigus & contra, ſicuti quamplurimi eo modo hunc affectum ſibi cudunt, nimirum vel inſpiratione aëris frigidiſſimi poſt ingentem corporis calefactionem, vel aſſumptione potus frigidi æſtuante corpore affatim & repentinâ deglutitione ingurgitati, qua concurſione contrariorum nil niſi deſtructio corporis intermedii generatur, uti videmus quod candentes ſilices aquæ frigidæ ſubito injecti mox fragileſcant, & in pulverem diſſiliant, item ſi ferventi oleo frigida unda ſubitaneè infunditur, tantus excitetur ſtrepitus, ut oleum mox omne conflagret. Contingere etiam poſſunt hi affectus à multis aliis, imprimis à retentione menſium vel hæmorrhoidum, ubi ſtagnans & ſimul vitioſam qualitatem aſſumens ſangvis apertionem vel ruptionem vel eroſionem producere valet, item ab externâ violentia nempe ictu, lapſu, percuſſione, vulneratione, & ſimilibus.

Signa cauſarum.

Quinam verò inter dictos modos ſit, cui hæmoptyſis accepta feratur, & ex quanam parte corporis prodeat, agnitu quodammodo & diſtinctu difficile eſt, per hæc tamen ſigna internoſci poterit, ruptis enim vel læſis vulneratisve vaſis ſangvis ſubitò & ubertim in os ruit, in eroſione autem paulatim, & intervallatim eò derivatur, in apertura orificiorum inæqualis ſangvinis eductio fit, jam parca, nunc prodiga pro majori vel minori oſculorum hiatu. Partis autem mittentis indicia petenda ſunt ex prægreſſa aliqua indiſpoſitione hujus vel alterius partis vel regionis illius, præſensâ nimirum gravitate, tenſione vel dolore quodam in hoc vel illo loco. Prægreſsâ enim capitis gravitate & dolore, & poſtmodum ſangvine cum ſcreatu rejecto, ſangvinem è capite in os confluere oſtendit.

Si ſimplici exſpuitione prodeat, ex oris ipſius partibus provenire, nempe gingivis, columellave conjiciendum eſt.

Si ſangvis paucus cum tuſſi ac titillatione aſperæ arteriæ excludatur, ipſi arteriæ aſperæ tribuendum eſt.

Sangvis è pulmonibus eſt ſpumoſus ac florido rubore conſpicitur, atque ſine dolore cum tuſſi exit.

Sangvis è thorace nigricat & grumoſus eſt, atque in thorace dolor percipitur.

Sangvis è ventriculo grumoſus & niger eſt, prægreſſo vel concomitante nauſeâ, nec non cum eo pituita vel bilis admixta ſimul evomitur.

Unde autem in ventriculum fluxerit ſangvis, conjecturis his pateſcit, ſi enim ex hepate vel liene, in alterutro latere tenſio, tumor vel dolor percipitur, ac ſangvis prodiens nigricat & grumoſus eſt. Si ex utero, obſtructio menſium prævia fuit, tumorque & dolor epigaſtrii concurrunt.

Huc pertinent etiam ſequentia Hippocratis veriloquia:

Sputum ſangvinis eſt affectus adoleſcentum. lib 3. aph. 29

Sangvinis ſuperna ejectio qualiſcunque, mala. 4. 25

Sangvinis undecunque copia in febribus educta cauſat in refectione humectationem ventris. 4. 27

Poſt copioſam ſangvinis evacuationem lac dare, malum. 5. 64

Vehemens cephalalgia ſolvitur ſangvine ex ore prodeunte. 6. 10

Sangvis ſpumans extuſſitus à pulmone eſt. 5. 13

Frigida ut nix & glacies ſunt pectori inimica, & movent profluvium ſangvinis. 5. 24

Frigido in his utendum unde fluit ſangvis aut fluxurus eſt, non ad ipſa ſed circa loca ubi influit. 5. 23

Vomitus ſangvinis ſine febre, ſalutare, cum febre, pernicioſum. 7. 37

Poſt fluxum ſangvinis ſingultus aut convulſio, malum. 5. 3

A ſangvinis ſputo puris ſputum, malum. 7. 15

Sangvinis ſputum debet curari acerbis & refrigerantibus. 7. 37

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, ea majori ex parte in citatis jam Hippocraticis continetur, in quibus omnis per os excretio ſangvinis damnatur, ſæpius tamẽ in fœminis obſtructione menſium laborantibus vomitus ſangvinis nihil nocuit, ſed levamen attulit, nihilominus centies fuiſſet melius, ſi non per iſtam, ſed ordinariam naturæ viam talis eductio fuiſſet facta. Inter differentias autem ſangvinis exſpuitionis ſupra deſcriptas diabroſis omnium peſſima & deſperata eſt, rixis autem paulò minus, ſatis tamen periculi plena, niſi enim ante quartum diem conſolidetur, exulcerationem pulmonis & phthiſin indubiè procreat. Anaſtomoſis verò magis ſanabilis eſt & diapedeſis etiamnum facilius.

Curatio. Curatio à practicis incipitur venæſectione ad derivandum & revellendum ſangvinem à thorace, ideòque aperiunt venas pedum ſub talis cum parca tamen emiſſione ſangvinis pro vice, quam bis vel ter reiterant.

Julepus. Tum potiones refrigerantes & aſtringentes exhibent e. gr.

℞. aquar. millefol.
plantag.
papaveris ſylv. an. ℥iß.
ſyr. corallor.
de roſis ſicc. an. ʒvj.
ſalis prunell. ʒj.
m. f. julepus, binis vicibus ebibendus.

Convenit etiam in hoc caſu exhibere rhabarbarum, aſtringit enim & ſimul educit bilioſum vitium, ſangvinem ad efferveſcentiam ſtimulans, meliusque operatur, ſi vis purgans prius non nihil extrahitur, ut:

Rhabarbarum convenit. ℞. rhab. elect. ʒij. infundatur in aquæ plantaginis ℥iij. per tres horas, tum hanc aquam defunde, atque alias ℥IV. recentis aq. plantag. ſuperfunde, adde myrobal. citrin. ʒſ. tamarind. ℥ſ. infunde ſimul per VIII. horas, tum exprime, adde pulveris rhab. ʒſ. nucis moſchat. ℈j. ſyrup. corallor. ʒj. m. f. potio.

Nuper nos vocari curavit civis quidam

quidam circiter triginta ſex annorum, per intervalla ſincerum ſangvinem extuſſiens, ſed valdè parum qualibet vice, ſcreatum tamen quodlibet ſputum ſangvine erat tinctum, ac inſuper ſemel vel bis plenam buccam ſangvinis ſinceri ejecerat, quæ quidem rejectio ipſum adeò exterruerat, ut toto tremebundus eſſet corpore, & genua ferè ad invicem colliderent, juſſimus ipſum bono eſſe animo, ſangvinem enim non prodire è pulmonibus, cum non eſſet ſpumoſus ſed per anaſtomoſin aliunde transmitti, permanebat tamen valdè timidus, omnibus ex ſua familia innatum eſſe inquiens, ut tabe pulmonali interirent, præſcripſimus ipſi talem potiunculam:

Potio ſangvinem ſiſtens.

℞. aquæ plantag. ℥iiij.
hæmatit. præp. ℈j.
laudan. opiat. gr. j.
ſpir. vitrioli gutt. XX.
m. f. potio.

qua aſſumpta quievit, & ab eo tempore nil quicquam ſangvinolenti rejecit.

Specificum.

Pro majori autem ſecuritate communicavimus ipſi uſum herbæ perſicariæ urentis ſeu hydropiperis, ut nimirum iſta herba coqueretur in aqua ſolani vel ſedi majoris, atque tum aqua ea decocta biberetur, herba autem in fundo relicta in terram loco humidiori defoderetur, ut putreſcere poſſet, putrens enim ſanat ulcera & vulnera, & defluxiones abſumit, atque in nihilum redigit.

Notatu dignum.

In copioſo ſangvinis ſputo non ſufficit ſangvinem reſtringere & cohibere, ſed maximè quoque opus eſt extravenatum intus coagulatum diſſolvere, & educere, aliàs nil certius ſequitur quam phthiſis, & in hoc peccant plurimi medici, qui tantùm de cohibendo ſangvinis ſputo ſolliciti ſunt, & de intus remanente coagulato nihil cogitant, debent itaque ſuppreſſa hæmoptyſi ea exhiberi, quæ aliàs devolutis ab alto aliisque congelatum ſangvinem intra corpus diſſolvunt, uti ſunt rubia, oculi cancrorum, ſperma ceti, ungventum rubrum potabile, & ſimilia, quibus purgantia nempe rhabarbarum &c. permiſcentur. Plura proponit

TEXTUS.

Sputum ſangvinis è pulmonibus imprimis curat ſemen hyoſcyami, cum aliis pectoralibus (a) *& aſtringentibus admixtum & tabulatum. Vide Platerum in praxi & obſervationibus.*

(a) Iſtæ tabulæ Plateri ita parantur: Tabulæ hæmoptoicæ.

℞. ſem. hyoſcyam. alb. ſubtiliſſimè pulveriſati ℈ij.
corall. rub. ʒß.
gumm. Arab. ℈j.
violar. recent. n. X.
ſucci berb. ʒij.
ſach. in aq. roſar. & plantag. diſſoluti ℥ij. f. tabellæ manè & ſerò per multos dies ſumendæ.

De ſemine hyoſcyami notandum quod frigidam malignitatem in ſe continet, ac ita crudum pro interno uſu non inſervit, quod etiam fideliter monet Carrichterus incomparabilis

bilis Med. Cæſareus, illudque corrigere docet infuſione per noctem in tribus partibus aquæ fontanæ, duabus partibus aceti vini, & una parte vini albi veteris non admodùm meraci, reſiccatumque demum in uſum adhibere.

Si verò copioſus ſangvis ſimul excernitur, aſtringentia fortiora neceſſaria ſunt.

℞. aquæ radic. urticæ major. ſtillat. ℥IV.
olei vitrioli quant. ſ. ad mediocrem acetoſitatem f. mixtura & frigidè detur, hæc mixtura etiam ſangvinis vomitum feliciter curat, vide infra de vomitu.

Vel ℞. aquæ plantag. ℥iij.
ol. vitrioli ℈ſ.
m. ſubitò ſiſtit ſangvinis profluxum ex pulmonibus (vide ne guttur ſit exulceratum) & ſangvinis vomitum copioſum.

In caſu ab alto, ſi febres acceſſerint, ſignum eſt, ſangvinem extra vaſa in corpore putreſcere.

In hoc caſu nihil melius eſt aquâ benedictâ in vehiculo aquæ chærefolii propinatâ. Febrem nimirum & inflammationes ſubitò tollit (vena quoque ſecari poteſt) ac totum corpus ab impuritatibus liberat.

Poteſt eadem exhiberi, etſi nulla adhuc tum febris adſit, & quidem ſtatim ab initio, facit nimirum ne febris facilè ſuccedat, imprimis ſi & cætera fiant, quæ ſangvinem coagulatum diſſolvunt, qualia ſunt: Eſſentia ſangvinis hirci. Item ſangvinis lupi, mumiæ, imprimis verò magiſterium oculorum cancrorum, item carbones tiliæ (ad ʒj. vel ij. in aqua chærefolii vel aceto) chærefolium quoque detur incibis.

Pulvis ſequens in caſu multum prodeſt: Pulvis.

℞. carbonum tiliæ
oculorum cancrorum
herbæ cherefolii ana.
f. l. a. pulvis doſis ʒij.
in aceto.

Sic diaphoreticum in peracutis ſeu mixtura ſimplex (vel aqua alia theriacalis) ſingularis eſt in hoc caſu, ſi intrò ſumpta ſudores provocentur, qui admodùm neceſſarii ſunt, & interdum ab externis promovendi.

Si lodices in vino rubro ſtiptico (diaphoreticis parum proficientibus) immerſæ & poſtea expreſſæ, ac univerſum corpus amicientes, ſudores in hoc caſu mirificè promovent in lecto, præſertim ubi conquaſſationes interiorum viſcerum metuuntur.

Felix Wurzius in ſua chirurgia laudat Mercurium præcipitatum (b) *quem vide.*

(b) Mens

(b) Mens Wurzii eſt, ſi per negligentiam ſangvis in corpore extravaſatus non diſſolutus & eductus ſit, ſed jam reipſa putreſceret, & internam ſuppurationem efficeret, tunc vix ullum medicamen in officinis extare, quod ejusmodi ſuppurationem iterum diſſolvat, ſola autem antimonialia & mercurialia in hoc caſu potentia eſſe factâ jam ſuppurationem à ſangvine in corpore putreſcente rurſus diſſolvere, & foras eliminare, imprimis autem hoc præſtari à mercurio præcipitato, per quem ſeipſum mira vidiſſe, non ſolum enim ſangvinem congelatum diſſolvere, ſed ipſas jam ab eo factas ſuppurationes & vomicationes, à tali mercurio diſſolvi & expurgari, nec ſe credere ab ulla re quaquam idem fieri poſſe, ad hanc autem operationem commendat hanc mercurii præcipitarionem.

Præcipitatus Wurzii ad educendum ſangvinem putreſcentem.

Capias mercurii optimè per ſalem & acetum loti unciam unam, cui ſuperfunde in cucurbita vitrea aquæ fortis ex æqualibus partibus vitrioli calcinati & clarificati nitri confectæ uncias quinque, ac cucurbitam illam luto prius obductam reponas in capellam deſtillatoriam intra arenam, atque aquam fortem per alembicum à mercurio deſtilla ad ſiccitatem, tum verò denuò eam ſuper remanentem in fundo mercurium jam in maſſam pulverabilem converſum refunde, ac ſecundâ vice ab eo per deſtillationem repete, idque etiamnum tertiô reiterabis.

Hisce ſic peractis mercurium inſtar florum cheiri vel aurichalci citrinum è confracto vitro exime, ac ſuper marmore in pulverem tere, tritum rurſus alii cucurbitæ inde, ac unciam unam olei vitrioli eidem affunde, & vitrum cum eis in locum tepidum repone per viginti quatuor horas, poſtmodùm igne ſuppoſito valido oleum vitrioli in cineribus fac evaporet, ac omnes ab aqua forti relictos ſpiritus ſecum aufert, ita ut ab eis nil remaneat præter ſolum mercurium exſiccatum, colore flaventem, maſſam itaque in fundo jacentem exime, relicta eâ parte, quæ lateribus vitri adhæret, atque iterum optime ſuper marmore contritam in vitrum inde, ac ſpiritum vini ſuperfunde ad altitudinem duorum digitorum transverſorum, ac vitrum per duos dies totidemque noctes in loco tepido relinque, tum verò ſpiritum vini inclinato absque turbatione vaſe defunde, ac alium recentem rurſus infunde, ac per idem temporis ſpatium invicem macerare ſine, tumque pariter ſpiritum vini decanta, idemque in omnibus etiam tertia vice repete, & mercurius optimè erit paratus. Quo ſe ita eſſe uſum ait:

Propinabis primò patienti lene evacuativum è ſyrupo roſarum ſolutivo, ut binæ tantùm ſedes proritentur, poſtero die 5. 6. 7. vel 8. grana hujus mercurii pro ægri ratione in drachma una ſucci roſarum exhibe, & ſi jam incipit operari, patiens aſſumat unum vel alterum cochlear juſculi carnis, atque elapſis duabus horis juſculum accipiat cum duobus ovorum vitellis. Poſtmodum

dum quieſcat, & optimè tectus ſudorem expectet. Operatur hic mercurius absque ulla violentia, unum ſaltem vomitum excitando, prout multum impuritatum in ſuperiori corporis parte reperit. Inferius autem egregiè purgat, omnemque eluviem ſangvinis congelati exigit, etiamſi apoſtematio eſſet, radicitus tamen expellit, idque leni cum corporis turbatione.

Sunt & alii deſcripti pulveres ad caſum utiles, de quibus vide practicos.

Sangvinem coagulatum in venis & extra venas reſolvunt omnia illa (interdum etiam vena hic ſecari poteſt) de quibus jam diximus, imprimis verò ſudores prolecti poſt ſumpta reſolventia citò id expediunt.

Extractum vel arcanum ſeu eſſentia bellidis minoris intrò ſumpta innatâ quadam proprietate omnem ſangvinem coagulatum ſolvunt, & per inſenſilem quandam transſpirationem educunt. Sic aqua theriacalis & ſpiritus tartari idem præſtant.

Vide etiam ſupra de aſthmate.

Quamprimùm ad Medicum Aſthmaticus defertur, ſtatim purgans aliquod lenitivum præſcribat, à fortioribus nimirum medicamentis in principio temperandum. Hinc decoquatur materia ſyrupis pectoralibus de praſſio, hyſopo, liquiritiâ an. ℥iſ. floribus ſulphuris optimè tritis ℈j. ſucci liquiritiæ ℈iſ. aquæ tuſſilaginis, veronicæ an. ℥ij. capiat manè & tribus horis poſt prandium cochl. ij. vel iij. hinc purgetur ſyrupo aut apozemate, ad quod

Syrupus purgans.

℞. rad. hellebori nigri præp.
flor. irid. Florent. an. ʒiſ.
herb. tuſſilaginis cum toto
pulmonariæ maculoſæ an.
m. ſ.

coque in ſ. q. decocti pectoralis aut florum & fructuum ad ℔j.

In colaturæ ℥VIII. infunde
agarici
rhabarb. elect. an. ʒiiſ.
cinamom. ʒſ.

In colatura reliqua ebulliant folior. ſenæ ʒij. colaturam ſ. q. ſachari aut ſyrupo aliquo pectorali ad ſyrupi conſiſtentiam coque, cui in fine coctionis adde infuſum ex agarico & rhabarbaro, & f. apozema, aut ſyrupus liquidus, de quo ſumat, ſi ſit apozema, manè cum cuſtodia ℥iiij. ſi ſyrupus ℥iij. quod ſi non ſatis reſpondeat alvus, tunc

Pulvis purgans.

℞. rad. mechoacannæ
agaric. troch. an. ℈j.
diagrid. gr. VIII.
cinam. elect. gr. VI.
ol. aniſi gutt. ij.

f. pulvis ſubtiliſſimus detur media vel tertiâ parte ſingulis vicibus cum doſibus ſuperioribus.

Commendabiles quoque ſunt flores benzoës cum floribus ſulphuris

phuris ſi miſceantur. Item elixir proprietatis Paracelſi cum aqua hyſopi, aut tuſſilaginis exhibitum à gutt. VI. ad X. vel XII.

Fiat purgatio ſemper intermiſſis duobus diebus, in quibus utatur ſyrupo diluto ſuperius deſcripto. Hinc ſi plethoricus ſit æger, poteſt vena ſecari, ſed parcè mittatur ſangvis: poteſt etiam inungi pectus ſequenti ungvento:

Ungventum pectorale.

℞. *ungventi reſumptivi*
de althæa an. ℥ſ.
ol. ſcorpionum ʒj.
f. ungventum. Aut

Aliud.

℞. *ol. amygd. dulc.*
butyri recentis loti an. ℥j.
axungiæ anatis (aut in defectu ejus olei chamomillæ ʒſ.
ol. irini & croci an. ℈j.
cum pauca cera f. ungventum quo calidè inungatur pectus manè, & veſperi ante paſtum, aut applicetur emplaſtr. diachylon.

Poteſt etiam in initio exhiberi nonnunquam aqua benedicta aut infuſio florum antimonii, ut ſcilicet ventriculus benè evacuetur, & regio thoracis commota in materiam morbificam exurgat.

Quibus ita præmiſſis ad ea, quæ expectorationem juvant, accedendum, non neglectis tamen iis, quæ à proprietate quadam morbum hunc exterminant. Inter quæ palmam tenent flores ſulphuris, extractum helenii, oleum aniſi, lac ſulphuris & balſamus ſulphuris.

Rotulæ expectorantes.

℞. *Florum ſulphuris* ʒj.
extracti elenii ℈j.
ſachari albiſſimi in aqua tuſſilaginis ſoluti ℥iſ.
olei aniſi gutt. iij.
f. rotulæ.

Poſſunt autem flores ſulphuris aut per ſe, cum æquali parte iridis Florentinæ, aut ſpeciebus diatragacanthi frigidi aſſumi in ovo ſorbili ad ʒj. *aut cum rob nucum, quod ſingulare in hoc morbo remedium, in forma electuarii adhibito pauco ſpiritu vini & ſacharo roſato (ut fiat lambitus cum aqua & fructu rubi, aut quod convenientiſſimum, fiant rotulæ) aut ſi propter extractum injucunditatem pariat, ipſius loco ſumatur pulvis radicis ireos.*

Rotulæ.

Aut ℞. *diaireos ſ.* ʒj.
diatragacanthi ʒſ.
balſami ſulphuris ℈ſ.
ſachari in aqua capilli veneris aut farfaræ ſoluti ℥ij.
f. rotulæ, illinantur oleo aniſi.

Lac ſulphuris exhiberi poteſt cum loch de pino, de pulmone vulpis ſano & experto, admixtis bechicis albis, penidio, & ſpeciebus diatragacanthi.

Proſunt quoque ac debent cum ſupra-

ſupradictis eclegmatibus & ſyrupis pectoralibus exhiberi & miſceri cryſtalli Martis & flores benzoes.

Cryſtalli Martis fiunt hoc modo:

Cryſtalli Martis. ℞. *limaturam martis puram ac tenuem, ſuperfunde guttatim oleum ſulphuris per campanam, ſtatim incaleſcit, & totum quaſi ſolvitur, ſine quieſcere & refrigerari, & intra duos dies concreſcent cryſtalli, qui per aquam communem deſtillatam ſoluti, & à fecibus per filtrationem ſeparati, denuò aquâ evaporatâ in cryſtallos redeunt, ſi ſcilicet exhalatur aqua ad cuticulam.*

Hinc in locum frigidum locatur, & regenerantur cryſtalli, aqua reſtitans ulterius, ut prius evaporatur, colliguntur que cryſtalli toties, quoties poſſunt, doſis gran. ij. vel iij.

Prodeſt quoque fumum excitare per os ex benzoë, aut benzoën cum florib ſulphuris ana miſceri pro fumo.

Quod ſi à materia tenui & aquoſa à cerebro delabente oriatur dictus morbus, tunc quæ in capite præcedente de catarrho ſuffocativo dicta ſunt, cum his medicamentis conjungenda, obſervatis iis, quæ à practicis in hac cura annotantur.

Pectoralibus iisdem planè remediis phthiſis (de qua etiam ſupra de phthiſi hæreditaria) curari poteſt, propter febris tamen præſentiam addantur, quæ humectant & refrigerant, & ut æger utatur pro potu ordinario, aut quàm ſæpiſſimè in die decocto pectorali, eoque ſemper, ſi fieri poteſt, debito communi aut ſimili in copia. Pectoralia ad phthiſin.

Item rotulas frequenter aſſumat de floribus ſulphuris cum oleo, balſamo & lacte ſulphuris cum eſſentia mellis, quæ fit: ſi miſceatur mel cum arena lota, ut fiat quaſi maſſa, cui ſuperfundatur ſpiritus vini ad duos digitos. Hinc per dies quinque digeratur, ſpiritus tinctus ad mellis conſiſtentiam iterum deſtilletur. Teneat quotidiè quoque in ore opiatum ſequens: Eſſentia mellis.

℞. *conſervæ roſarum ℥iſ.* Opiata.
ſachari roſati tabulati
penidii
bechici albi an. ℥ſ.
ſpec. diatragacant. frig. ℥iſ.
cum ſyr. violarum miſce.

Ad pectus emplaſtrum ſemper admotum ſit pectorale aut cataplaſma, inuncto prius pectore (c) *ungvento appropriato.*

(c) Paracelſus mirè commendat hoc ungventum ad phthiſin: Ungventum Paracelſi.
℞. axungiæ cervinæ ℔. X.
medullæ cervi ℔ſ.

olei

olei de baccis lauri ℥VI.
de angelica ad pondus omnium,
ſucci endiviæ q.ſ.pro decoctione, decoquantur ad ſucci conſumptionem, & paretur ſecundum artem ungventum, quo totum corpus quotidiè manè & ſerò inungatur, quavis vice priorem inunctionis ſorditiem reabluendo aquâ cum aceto mixtâ & decoctâ, idque ad decem ſeptimanarum ſpacium continuando, vel donec urina mutetur, & tunc patientem ſenſim reſtaurari ait.

Ad confortationem (d) *paratur pinolatum & panis marcius addita ſolutione perlarum.*

Paſta Regia. *Poteſt etiam fieri paſta regalis hoc modo:*

℞. *amygdalar. Ambroſinarum pinearum an.* ℥iij.
ſachari roſati tabulati ℔iſ.
ſem. aniſi
papav. albi an. ʒiſ.
bombacis
pulv. de pulmone vulpis an. ʒj.
carnis pectoris caponis unius, aut perdicis, diligenter in mortario contuſi.
m. & f. paſta, quæ in fruſta tenuia ad lubitum ſecta coque ſ. a. ad flavedinem.

Pinelaota. *Vel* ℞. *carnium teſtudinum*
cancrorum an. ℥j.
nucum pinearum in aqua roſ. maceratarum ℥ij.
pulv. diamargariti
diatrag. frig. an. ʒj.
flor. ſulphuris
rad. ireos an. ʒſ.
ſachari in aqua capillorum veneris aut ejus decocto ſoluti q. ſ. f. pineolata.

(d) Cardanus conſtanter aſſeverat, ſe multos reſtituiſſe phthiſicos etiam deſperatos tali regimine: ut nimirum patiens non alio nutriretur alimento, quàm hordeato absque carnium juſculo parato, & pro potu uteretur aqua ſacharata. Singulis verò diebus manè caperet ℥IV. decocti caudarum & chelarum cancrorum fluvialium in aqua hordei cum drachmis duabus ſachari facti.

Poſtquam materia optimè expectorata fuerit, utiliter adhiberi poteſt decoctum ex herbis, quæ vim habent conſolidandi. Exempli gratia:

℞. *plantaginis cum toto* ℔j. Decoctũ conſolidans.
conſolidæ majoris,
bugloſſæ ſeu conſolidæ mediæ,
fœniculi,
prunellæ cum totis an. ℥IV.
diptamni cretici ℥iiiſ.
florum hyperici
bugloſſæ
violar. an. ℥iiij.
cinamom. ʒiſ.
f. decoctum, aut infundantur in lacte caprillo ad tres dies. Hinc per retortam deſtillentur ad ſiccitatem. Poſſunt etiam cum dictis herbis fieri conſummata.

Deſtillatum apud nonnullos in magno pretio eſt ex corde nempe, hepate & pulmone vituli, adjectis aliquot herbis.

Bezoarticum animale.

Prodeſt quoque viperarum alcohol, vel bezoarticum animale, quod fit, cum poſt excoriationem viperarum, dum adhuc vivunt, inteſtinis, capite & cauda abjectis, caro reliqua, ut & cor & epar elota primùm in aqua ſimplici & poſtea in ſpiritu vini, exſiccetur lentè in umbra, vel balneo, & in pulverem ſubtiliſſimum redigatur: Hujus pulveris ℞. ℥j. ſalis præparati (ſæpius fuſi) ℥ij. aſſumitur pulvis ad quemlibet cibum loco ſalis menſarii.

Quinta eſſentia perlarum ad guttas IV. vel VI. quotidie imbibita phthiſicis quoque ſummum ſolatium eſt: illos nimirum priſtinæ ſanitati reſtituit, & morbum planè expellit, præſertim ſi guttulæ aliquot olei cinamomi ipſi adjungantur.

Pleuritidis remedia.

Ad pleuritidem (plura vide ſupra de pleuritide) laudant nonnulli aquam illam mucoſam, quæ effluit ex ore equorum, quando ex puro & gelido fonte aquantur, ſi patienti propinetur.

Tragæa antipleuritica.

Tragæa antipleuritica:

℞. ſalis prunellæ (quidam anodynum minerale vocant) ʒij.
pulveris flor. papav. rheados
corallor. rub. an. ʒj.
ſachari violacei ℥ſ.
m. doſis ʒij. cum aq. papaveris rheados vel card. benedicti. Eſt ſingulare remedium ad pleureſin.

Quemadmodum in omnis inflammationis, ita & in pleuritidis curatione ſtudendum, ut fiat inhibitio fientis, factæ fluxionis evacuatio, & doloris urgentis ſedatio.

Ut igitur fiens prohibeatur; ſtatim ab initio, ut vocatus eſt medicus (oportet autem, ut ante tertium diem vocetur, aliàs irrita erunt omnia) injecto clyſtere vena ſecetur media, vel interna lateris dolentis, etſi magnus ſit affluxus & tenſio, cucurbitulæ brachiis & cruribus ſuper genua apponantur, ſtatimque quia dolor urget, fomentum fiat ex rebus anodynis & temperatis, quale eſt decoctum è meliloto, chamomilla, fœnugræco, malva & roſis in lacte vel vino & aqua æqualibus partibus.

Cum decocto fomentetur latus cum ſpongiis, aut quod ferè præſtat, lacte calido impleatur veſica, & lateri dolenti applicetur per horas tres. Hinc ſupra pannum calefactum extendatur theriaca mediæ ætatis, ſuperinſperſis ſpeciebus diambræ, & calidè applicetur.

Intra corpus verò aſſumat doſin laudani opiati.

Bibat

Bibat ordinarie julepum:

Julepus. ℞. *aquæ rheados* ℥VI. *vel XII*
ſyrup. de endivia
violar. an. ℥ij.
ſpir. vitrioli gutt. VI.

Alius. *Aut* ℞. *aq. papaveris*
petroſelini
halicacabi an. ℔j.
ſyrup. de quinq; rad. ℔ſ.
ſpir. vitriol. ʒſ.

pellit urinam & ſudores, ſi fieri poteſt, aſſumat totam aquam XXVI. doſibus; matutinis verò temporibus aſſumat ſyr. de quinque radicib. de cichorio cum rhabarb. an. ℥VI. *aq. veronicæ* ℥IV. *m. ebibat totum ſpatio horæ.*

Die tertio ſi adhuc adſit plethora, & dolor urgeat, vena ſecetur iterum, & ſi vires ferant, purgetur die ſequenti infuſione de agarico, & rhabarbaro, electuario benedicto laxativo, aut electuario de foliis ſenæ, aut ſyrupo aliquo magiſtrali: indeque utatur oxymelite ſimplici & ſcillitico, verbi gratia.

℞. *Eorum* ℥iſ.
ſyr. de liquiritia
jujubis
hyſopo an. ʒiij.
aq. farfaræ
capill. veneris an. ℥iſ.

cum decocti pectoralis ℥iij. *miſce, capiat ad libitum, imprimis manè & tribus horis poſt prandium.*

Si apoſtema ſentiatur, danda opera ut illud ad extra trahatur ſi fieri poteſt. Ad rumpendum verò abſceſſum (e) *cæteris prævalet cataplasma ex herba kaly, radicibus lilii albi recentis, axungia porci, quod lateri dolenti applicandum, ſubitò rumpit abſceſſum, ſive interius ſive exterius ſit.*

(e) Cum illâ herbâ his in locis careamus, atque ſic commendatum heic cataplasma nobis inutile foret, videndum ut aliud ſimplex in virtute huic proximè accedens ſubſtituatur, exterius quidem vulgares cæpas in hac operatione experti ſumus ſæpius, eſſe potentiſſimas, & fortè herbam kali etiam ſuperantes, vel ad minimum æquantes, alii certè rei nulli cedunt, ſed etiam compoſitis ad ruptionem deſtinatis palmam præripiunt, uti in nobis ipſis hujus rei fecimus periculum, oborto enim nobis aliquando abſceſſui ad femur doloroſo ſive phymati ſuperpoſuimus emplaſtra officinalia ruptoria, nempe diachylon cum gummi, item apoſtolicon, ob fortem tamen tunicam phymatis nulla ſequebatur ruptio, impoſuimus ergò cæpam aſſatam cum axungia quadam, & momento ſaponis nigri communis molliuſculi contuſam & ſubactam, & ſtatim phyma cum ſedatione doloris remolliendo aperuit, effluente pure albo cum ſangvine permixto. Verùm ad interiores abſceſſus ejus virtutem nunquam experti ſumus, nec cum ea periculum fecimus, putamus tamen eas ruptivam qualitatem etiam in-

trorſum ad apoſtemata non adeò profundè ſita exerturas eſſe.

Illuſtriſſimus Digbæus, qui de pulvere ſympathetico ſcripſit, ſequens experimentum à ſe ſive in ſuâ præſentia probatum commendat, ad rumpendum apoſtema pleuriticum: accipe panem recens excoctum, finde eum per medium, & in duas medietates ſequeſtra, ac quamlibet partem interiori ſuperficie, ubi mica diſſecta eſt, theriacâ Andromachi obline, atque utrisque tepefactis unam ſuperliga loco dolenti, alteram verò ex adverſo ſatis fortiter, ne decidere queant, ac bis viginti quatuor horas ita ſuperligatas relinque, donec abſceſſus interius rumpatur, quod ſe obſervante contigerit, antequam dictum temporis ſpatium elapſum ſit, tunc remove panem, & patiens omnem vomicæ purulentiam vomitu rejiciet.

Experimentum

Duo alia experimenta ad pleuritidem à laudati Digbæi familiaribus probata idem commendat, verùm ea etiam apud alios practicos in uſu ſunt, unum è ſtercore equino, cujus manipulus bullitur in vini albi libra una vel ſesqui ad tertiæ partis conſumptionem, reliquum colatur, & ſacharo dulcoratur, nec non bibendum propinatur, quo epoto patiens tectus in lecto ſudorem præſtolatur.

Alterum procedit è pomo cocto cum thure hunc in modum: pomum prægrandius excavatur, ut nuclei eximi queant, cavitati inditur circiter drachma thuris ſelecti contuſi, cum particula medullæ ejus excavando extractæ permixti, & ſuperligato operculo à pomo reſciſſo; pomum illud ſub cineribus percoquitur, ac poſtmodum ab ægro ad rumpendum, vel expectorandum internam collectionem pleuriticam devoratur: medicamentum hoc quidem in tali caſu præſtans eſt, ac dudum etiam à nobis in uſum vocatum, longè tamen excellentius in eadem operatione medicamen eſſe reipſa non ſemel deprehendimus ſuccum naſturtii, utendum ut ſupra docuimus.

Folia item hederæ (f) *in cibos mixta ſuppurationem dextrè ſanant, felicior fit proceſſus, ſi ex hedera fiat arcanum, cujus grana quatuor vel quinque in aqua appropriata exhibita omnem ſcopum abſolvunt.*

(f) Aqua ſtillatitia hederæ terreſtris etiam in phthiſi ſingularem operationem præſtat, atque etiam à Paracelſo laudatur.

Non inutiliter quoque præſcribi poſſunt rotulæ de floribus ſulphuris cum oleo aniſi & tragacantho factæ.

Prodeſt quoque ſulphur vitrioli anodynum (g) *cum ſyrupo violarum, aqua cardui benedicti, cardui Mariæ & rheados, hæc enim à proprietate quadam naturali dicto morbo contrariatur.*

(g) Præparatio ſulphuris vitrioli anodyni ab Authore quidem ipſo initio hujus libri edocta eſt, melius tamen fore putamus, ſi vitriolum illud cœruleum, è quo ſulphur illud elicien-

eliciendum eſſe docuit, prius injectis lamellis ferreis dulcoretur, quod fit ſi vitriolum illud ſolvitur in aqua communi in vitro vel vaſe lapideo, ac non cōmuni terreo, quippe quæ multum in ſe ſorbent, ac filtratur, ut lapilli & feces remaneant, ſolutioni claræ imponuntur lamellæ ferreæ, ac cum eis coquitur, donec culter terſus à ſolutione hac amplius non obducitur rubedine cuprea, & ſi lingva guſtatur, dulcem det ſaporem, tunc omne cuprum ex hoc vitriolo præcipitatum eſt, vitriolum hoc evaporando iterum exſiccatur, & vel aceto deſtillato ex eo calcinato ſulphur extrahitur, vel ſublimando cum ſale armoniaco educitur, idem ſulphur etiam in lapide hæmatite efficaciſſimum invenitur, ac ſale armoniaco evehitur. Prædicta autem præcipitatio cupri eum in finem inſtituitur, ut ſulphur habeatur absque acrimonia, cuprum enim valdè acerbum dat ſaporem, ac eo violentam excitat vomitionem, quæ acerbitas etiam ſimul in ſulphur illud Authoris tranſit, ac illud vomificans efficit, niſi ſtudiosè edulcoretur, ut ipſe Author fatetur.

Poteſt item nonnunquam offerri de mixtura, quæ fit ex ſpiritus nitri & ſpiritus vini æqualibus partibus, ℈j aut ℈iſ.

Spiritus tartari (h) *etiam prodeſt cum aqua cardui Mariæ aut rheados, addito aliquo ſyrupo, pulvere ſeminis urticæ ad ℈j. cum ſyr. violarum lambat, & paulatim deglutiat.*

(h) Spiritus cornu cervi etiam inſignis eſt, item vulgaris fuligo camini in ſubſtantia ad ʒj. in convenienti vehiculo accepto, potentius operatur ſpiritus ejus rectificatus.

Notetur ut omnia illa, quæ aſſumit æger, ſint actu calida aut ad minimum tepida. Nam frigida, quæ inter bibendum ad pulmones veniunt, poros condenſant, & reſolutionem impediunt.

Pectus inungendum (i) *ungvento, ad quod*

℞. *ol. amygd. dulc.* — Ungventum pectorale.
chamomillæ an. ℥ſ.
croci ʒſ.
ceræ q. ſ.

f. ungventum quo inungatur poſt fotum.

(i) Melius operatur hoc ſequens ungventum:

℞. ungv. de alth. comp. ℥j. — Aliud.
ol. anethin. expreſſ.
lil. alb. an. ʒij.
papav.
hyoſcyam. expr.
roſar. an. ʒiſ.
cumin. ſtillat.
camæmel.
philoſ. an. ℈ſ.
m. f. linimentum.

Magnæ etiam efficaciæ deprehendimus ſequens emplaſtrum:

℞. Maſſæ emplaſtri diachyl. c. gum. ℥j. — Emplaſtrum.
pulv. rad. ireos
ſem. cumin. an. ʒj.
ol. ſtillatit. cumin. ℈ſ.
anethin. q. ſ. ad incorpo-

 ratio-

rationem f. maſſa emplaſtri pectori dolenti imponendum.

Maximè etiam commendantur rotulæ ſequentes:

Rotulæ. ℞. *flor. ſulphuris* ℥X.
myrrhæ rubeæ ℥iſ.
aloës epaticæ ℥j.
croci ℥ſ.

f. pulvis qui poteſt dari per ſe à ℥ſ. *ad* ℥j. *aut cum ſ. q. ſachari ex eo fiant rotulæ pro lubitu aſſumendæ.*

Si hisce non cedat, ſed protrahatur morbus, ad ea accedendum, quæ ad ſputi facilem exſcreationem faciunt, materiam detergunt, attenuant & incidunt, aut ſi nimis tenuis ſit, incraſſant: vias pectoris dilatant, ut educi poſſit materia, eamque tandem educunt, ubi non inutile exhibere interdum doſin de mercurio laxativo. Reliquorum medicamentorum farrago apud practicos extat.

CAP. LXXXIV.

DE CORDIS AFFECTIBUS AC PRIMO DE ULCERIBUS ET ERYSIPELATE.

COr omnium membrorum maximè princeps, quinimò humanum præ omnibus rebus in hoc mundo creatis prærogativam ac principatum tenet; ſolum enim à Creatore juxta cœlos cœlorum electum eſt, in quo Sacroſanctiſſima Trinitas veraciter habitet, atque adeò cor contritum omnibus templis, quàm ornata & ſacrata unquam haberi queant, longè ſanctius & ſacrius eſt, in templis enim manufactis Deum non habitare S. Scriptura expreſsè teſtatur. Act. 7, 48. Imò non ſolum Deus ter opt. max. cor mundum inhabitare in deliciis habet, verùm etiam Diabolus ſemper ſatagit homines ſeducere, ut ſibi cor ſuum in habitaculum cedant, uti de proditore Juda Scriptura S. dicit, quod Satanas in cor ipſius intraverit.

Divinum hoc membrum ſubſtantiam habet muſculoſam, & jure merito archimusculus dici poſſet, quum veluti è pluribus muſculis conſtare videatur, ſicuti autem dulciſſimum eſt totius corporis, non quidem dulcedine lingvæ, ſed potius menti guſtabili, mera enim dulcia mentalia ac gaudioſa amat, ac omnia triſtia horret, ita etiam more omnium nucleorum dulcium tegumento incluſum eſt, nimirum membranoſo illo involucro, quod pericardiũ nominatur, conſtans membranâ admodum craſsâ, ſolidâ, tenaci, compactâ ac durâ, undique cor cingente, ac circumcirca involvente, adeò ut niſi cultro prius diſcindatur, cor in conſpectum non veniat, habetque hoc involucrum eandem cum corde figuram, ac ubique æquali diſtantiâ ab eo diſtat, tantâ nimirum, ut ſufficiens ſpacium intermedium ſit pro pulſus & agitationis neceſſitate. Semper invenitur in eo liquor quidam tenuis aquoſitatis, limpidusque ac ſubdulcis ſive inſipidus, nullam enim exceſſivam ſaporum

porum qualitatem neque dulcedinis ſacharaceæ vel amaritudinis vel ſalſedinis, vel ponticitatis cor ferre poteſt, cum ſit membrum temperatum, liquor iſte non modò hîc ſemper præſtò eſt, verùm etiam in aliis partibus ad motum inſervientibus, uti ſunt omnes corporis articuli, quos indeſinenter ejusmodi liquor lubricat, ne reſiccati in motu tardentur vel impediantur, quæ lubricatio etiam in omnibus inſtrumentis motu continuo circumagitatis neceſſaria eſt, eamque ob cauſam lubricantur ac illiniuntur axes rotarum, volvuli horologiorum, pinnæ ſerarum &c. omne ergò membrum multo motu opus habens continuò tali liquore inſipido glareali lubricatur, ut etiam contingit in oculis & palpebris, quæ identidem ob indeſinentem circumverſionem & nictationem lubricante madore humectantur, qui ſubinde in lachrymas erumpit, videtur ergò indeſinens præſentia lymphæ hujus in pericardio aliquid ad motum cordis conferre. In omnibus enim hominibus præſens eſt tam ſanis quàm morboſis, vivis & jam mortuis, in uno tamen copioſior quàm in altero, communiter tamen in ſanis circiter cochlear unum ejus reperitur, ſive forte ℥j. vel ij. in morbidis copioſior multò eſt, & aliquot interdum unciarum, pueri etiam, fœminæ & catarrhoſi plus ejus habent, quàm viri & ſiccioris temperamenti.

Non tamen capſa hæc cordis ut vocant, ſimplicis tunicæ conditionem ſolummodò fert, contiguum enim exterius eſt mediaſtino, interius vaſis à corde provectis, perreptantibus eam venâ pulmonali & cavâ, arteriâ magnâ & pulmonali, nervisque à ſexto pari, nec non vena & arteria coronaria ab aorta & cava, adipe quoque copioſo eam ſuperius humectante.

Cor ipſum parenchymate conſtans denſo, compacto & firmo coloris eſt rubicundi, exterius læve, interius ſcrobiculis inæquale, figuram repræſentat pyramidis inverſæ vel coni pinealis, ſuperius latum magis, inferius, vero plus acuminatum, ita ut apex ſit inferius, baſis autem ſuperius. Annexæ ſunt baſi ejus duæ particulæ concavæ inſtar auricularum, quæ proinde etiam auriculæ cordis nominantur. Uſum earum moderni anatomici eum eſſe credunt, ut ſua concavitate nervoſisque fibris, quibus ſint inſtructæ, in laxatione cordis poſt ſyſtolen validam conſtrictionem faciant, ſangvinemque in ſe receptum in ventriculos cordis propellant, diverſum autem eis motum à motu ventriculorum cordis eſſe Harvæus putat, talem nimirum, qui quidem cum motu ventriculorum ſimul moveat, motum tamen ventriculorum anticipet, ita ut quatuor motus loco diſtincti ſint, duo tantum tempore, hasque eam ob cauſam auriculas eſſe appoſitas, ne ſangvis copioſè & violenter è venis in ventriculos irruens, clauſuram & conniventiam valvularum impediat, cum ventriculi ſe conſtringant, ſed in his ad oſtium poſitis ceu diverticulis, moram

ram aliquantulum faciat, donec rurſus à motu ventriculi quieſcant, laxenturque & valvulæ flacceſcentes non amplius orificia claudant. Interea auriculas ſangvine à venis dis tendi, ac finito motu ventriculorum, cum illi ad recipiendum ſint præparati, auriculas jam multum diſtentas ſe undique conſtringere, & in cordis ventriculos jam laxatos ſangvinem impellere. Hisce abſolutis ventriculos ſtatim rurſus ad motum inſurgere, ſeſe undique reſtringere, valvulas orificia claudere, ſangvinem ex illis in arterias, pulmonariam è dextro, magnam è ſiniſtro ventriculo effundi, & auriculas rurſus novo ſangvine impleri. Ideoque auriculas appoſitas eſſe, ne ſangvis continuo & repentino incurſu vel valvulas violaret, vel illarum conniventiam impediret.

Duo autem ſunt ejusmodi ventriculi ſive cavitates cordis interiores, nimirum dextra & ſiniſtra, dextra major eſt ſive amplior & latior, & carne graciliori ſuffulta. Siniſtra verò minor & carne craſſiore ſepta, carnoſo autem interſtitio à ſe invicem disjuncti ſunt, quod ſeptum vocatur. Ac alias etiamnum in ſe habet cavernulas, neutiquam tamen pervias, prætereaque columnas partim carnoſas, partim tendinoſas ſecundum profunditatem exporrectas diverſimodas pro contractionis commoditate.

E dextro ventriculo originem ducit vena cava ita dicta, quod amplio ri cavitate reliquis venis, quæ alioqui pariter cavæ ſunt, prædita ſit, deferens ſangvinem in hunc ventriculum dextrum, quæ poſtmodum ſupra cor elevata venam azygon profert, cujus rami coſtis inferioribus distribuuntur, ad jugulum autem aſſurgens vena cava diſpeſcitur in ramos amplos, ſubclavios cognominatos. Prodit etiam è dextro cordis ventriculo vena arterioſa, ita vocata, quod duplici tunicâ inſtar arteriæ veſtita ſit, deferens per ſuos ingentes bifidosque ramos ſangvinem in dextram ac ſiniſtram pulmonum partem.

E ſiniſtro cordis ventriculo initium capeſſit arteria magna ſeu Aorta, ita nominata, quod aërem & ſpiritum cum ſangvine vehat, magna verò quod arteriarum maxima ac veluti mater exiſtat, in hac quum anthliatio arterialis ſive pulſatio valida primordium ſumat, ideò tunica forti geminaque induta eſt, quarum interior adeò denſeſcit, ut in extremo ſenio nonnunquam rigida evadat, exterior autem tenuis eſt ac rara, ſed à propinquarum partium membranis ſubinde ſuccenturiati roboris tutelam conſequitur.

Ex hoc ſiniſtro ventriculo porrigitur etiam arteria venoſa ob ſimplicem tunicam, quâ venis reſpondet, ita appellata, hæc mox ab exordio geminatur, ramosque biſulcos dextræ ſiniſtræque pulmonum regioni inſerit, ubi exſuperantem in in eis ſangvinem hauſto aëre contemperatum in ſe accipere ac ventriculo cordis ſiniſtro advehere putatur.

Situm eſt quidem cor in medio thora-

thoracis, non tamen poſitu mathematico, vergente ejus mucrone ſiniſtrorſum, ubi ſub ſiniſtra papilla pulſus ſe prodit.

Sangvificatio autem in corde, quam nunc plerique ſtatuunt, quomodo fiat, nihil certi adhuc conſtat, Helmontius quidem in tractatu: *Sextuplex digeſtio.* Probare nititur: Quod digeſtio quarta compleatur in corde ejusq; arteria (primam enim vult fieri in ventriculo, cibumque ab acido ſtomachi verti in cremorem, ſecundam in duodeno, ubi fellis inſpiratione aciditas cremoris commutetur in ſalem ſalſum, aquoſioremque ejus partem à meraciore fieri ſegregabilem, quæ à renibus trahatur, unde urina ſit ſalſa ſatis, cruor autem parum. Tertiam demum digeſtionem fieri præſide fermento hepatis, ubi ſangvificatio incipiat in ſtomacho meſenterii, ac tandem in vena cava perficiatur) in qua elaboratione quartæ digeſtionis rubens craſſiorque venæ cavæ cruor perficiatur, fiatque flavior & planè volatilis. Cor enim utrinque auritum dici, habereque ad ſiniſtrum ſinum pulſantem arteriam unicam, magno ſibi trunco inſertam, ut duplici cruorem remigio fortius trahat trans ſeptum, quod inter utrumque ſinum in medio cordis ſit, differre itaque cruorem hepatis à ſangvine arteriali per quartam digeſtionem colore & conſiſtentia digeſti manifeſtam.

Sangvinem autem (inquit in tract. Blas humanum) ſiniſtri ſinus jam arterialem, & veri nominis ſangvinem eſſe, à ſe ipſo cruore in vena cava diverſum colore & ſubtilitate. Etenim non ſecus atque cruor venalis à cremore & chylo differat, ſic & ſangvis arterialis à cruore, quanquam cognatione propinquiore, & cœlorum inveſtitura quadantenus in unam familiam redegerint.

In eo tamen eſſe ſpecificam amborum differentiam, quod ſangvis ab anima immortali informetur in ſiniſtro ſinu: cruor verò minimè, ſolaque luce formæ ſenſitivæ participativè, non autem informativè illuſtretur. Cæteras enim digeſtiones quietem exigere. Quartam verò indeſinenti motus continuitate perfici. Non quidem quod ipſe cordis motus ſit cauſa formalis transmutativa: ſed tantum diſpoſitivè concurrat. Scilicet in ſinu cordis ſiniſtro tanquam ſtomacho ſingulare fermentum maximè vitale & lumino ſum habitare, quod transmutati cruoris in ſangvinem ſit cauſa ſufficiens, prout ſangvinis in ſpiritum vitalem transmutationi præſit. Quippe omnem cruorem naturaliter tendere in finem ſuum, qui ſit nutritio. Attamen ultimato in vaporem ſive in gas, diſpergi & evaneſcere, niſi per accretionis coagulum ſiſtatur. Sangvinem vero arterialem pro ſcopo habere, non quidem ut in fuliginem ſive excrementum vergat. Id enim ſi fiat, à morbo & per accidens evenire illi. Proprium alioquin objectum ſangvinis eſſe in ſpiritum vitalem traduci, qui ſi dein etiam evaneſcat, hoc illi præter intentum eſſe. Cum omne ens naturaliter

permanere deſideret. Spiritum nempe vitalem eſſe lucem originaliter in fermento ſiniſtri ſinus inhabitantem, quæ illuminet novos ſpiritus à ſangvine arteriali partos, ob quam lucis continuitatem ſcilicet arteria elevetur. Hæc & plura Helmontius in eodem tractatu in hanc ſententiam profert, quæ ibi videantur.

Porrò cor per vaſa ſua partibus proximis jungitur, nimirum per pericardium mediaſtino ac diaphragmati.

Actio ejus propria eſt per motum ſuum continuum excitare calorem, & ſpiritum vitalem, ſangvinemque elaborare ac diſtribuere, motus autem iſte dicitur pulſus, qui vulgo diſtingvitur in ſyſtolen, quâ cor ad expulſionem ſuſcepti ſangvinis ſe coarctat: & diaſtolen, quâ ſe ad eundem ſuſcipiendum relaxat.

Magnitudo cordis humani in diverſis variat, frigidioris enim qui ſunt temperamenti, majus cor habent, calidiores minus, communiter tamen ejus longitudo ordinaria circiter ſex transverſos digitos adæquat, altitudo quatuor ac latitudo totidem.

Loquitur verò etiam de cordis affectibus ſenex Divinus in ſequentibus graviloquiis:

Vulnus cordis lethale. lib.6.aph.18
Sani à purgatione incidunt in deliquium. 2. 36
In his qui pravo cibo utuntur, purgatio excitat ſyncopen. 2. 36
A tuberculi interni ruptione animi fit defectio. 7. 8
Deliquium in muliebri fluxu, malum. 5. 56
Incidentes ſæpè in deliquium absque cauſa manifeſta, ſubito intereunt. 2. 41

Tractat autem Author primò

DE ULCERIBUS ET ERYSIPELATE CORDIS.

Miratu dignum quid ſibi Author velit inutili hac ſcriptione, cum ipſe fateatur hos affectus eſſe inſanabiles, quod etiam verum eſt, quid ergò juvat de eis multa verba facere?

Signa diagnoſtica hujus affectus nimirum exulcerationis in corde certa vix habentur, ſed etiam ferè cum aliis pectoris & pulmonis affectibus communia ſunt, præcipuè autem hæc in ejusmodi exulceratis dudum ante notata ſunt: nimirum cardialgia per intervalla affligens, dolor in ſcapulis & ſummitate alterutrius brachii circa ejus commiſſuram, alvi fluxus & febris, pulſus inæqualis & intermittens, per totum morbi decurſum perdurans, dolor in regione ea ubi ulcus eſt, perpetuus & fixus, ac æger in latere affecto cubare nequit, ſed mox cardialgia & tuſſi corripitur, tuſſis ſicca adeſt cum difficultate ſpirandi, dolorque lateris affecti interdum pungens, obſervatus etiam eſt denique ſequi ſputum ſangvinis cum & ſine ſpuma, quo & vita ſimul abrepta eſt, hisce tamen ſignis etiam exercitatiſſimus nihil certioratur de ulcere cordis, niſi forte cardialgia & pulſus inæqua-

inæqualitas ac intermiſſio ſuſpicionem moveant, aliquid monſtri intus ali. Uti etiam ejuſmodi inordinatus pulſus ſemper debet ſuſpectus eſſe, cum nunquam non gravem cordis paſſionem vitamque abbreviandam denunciet, qualis verò in ſpecie paſſio affliget, ex tali inæqualitate etiam haberi nequit, ſed ſaltem poſt obitum ex ſectione eluceſcit.

Cum ergò ne ſciri quidem certò poſſit cordis ulcus, multo minus curari, ruit omnis ſpes de ſalutiferis ejus remediis, ut etiam cenſet

TEXTUS.

Ulcera cordis ejusque eryſipelata incurabilia ſunt.

CAP. LXXXV.

DE LIPOTHYMIA, ET SYNCOPE, *Germ.* Unkräffte und Ohnmacht.

Diverſæ voces apud Authores Scriptoresque Medicos inveniuntur, ſignificantes ſummam virium imbecillitatem ac animi deliquium, quales ſunt eclyſis, lipothymia, lipopſychia & ſyncope, quæ tamen etiam ab ipſo Hippocrate inter ſe confunduntur, ut videre eſt lib. 7. aphor. 8. ubi dicit: Ἐπὶ φύματος ἔισω ῥήξεως ἔκλυσις, ἔμετος, καὶ λειποψυχίη γίνεται. Id eſt: à tuberculi intus ruptione exolutio, vomitio, & animi defectio fit, ubi eclyſis, ſive exolutio & lipopſychia ſeu animi deliquium confundi, unumque & idem ſignificare videntur, idem etiam apud alios reperitur, ut modò lipothymiam, modò lipopſychiam ſcribant, quæ tamen diverſam habent ſignificationem, una enim vox animi, altera animæ deliquium ſignificant, verùm hæc confuſio nominum practicum non debent confundere, non enim niſi cor unum eſt, quod ſemper in imbecillitate virium patitur, licet in uno vehementius, in altero mitius, ac ſemper eadem remedia nimirum cordialia in acerbiori & remiſſiori pathemate adhibentur, quod autem pro lipothymia etiam apud quosdam lipopſychia, id eſt defectus animæ, in uſu ſit, eam habet cauſam, quod Principes Medicinæ ſedem animæ in corde ſtatuunt, & per deliquium animæ intelligunt defectum animoſæ, ſive animoſitatis, promptitudinis & vigoris virium.

Inter hæc autem jam explicata nomina & ſyncopen plerique hanc faciunt differentiam, quod illa levem & paulativam virium declinationem, ſyncope verò præcipitem & ſubitaneum earundem lapſum ac tantùm non extinctionem ſignificet.

Lipothymia ergò nec non lipopſychia & eclyſis ferè pro ſynonymis haberi poſſunt ſignificantibus inceptaneam animi defectionem, quæ fit quidem cum perfrigeratione partium extremarum & exolutione virium, abſque tamen ſudore, vox etiam & ſenſus non planè intercipiuntur, nec facultas vitalis omninò diſſoluta exiſtit. *Lipothymia quid*

Syncope verò uti à verbo συγκόπτω id eſt concido derivatur, ita etiam nihil aliud ſignificat quam conciſio- *Syncope quid?*

 nem

nem vel collapſionem repentinam omnium virium ſimultaneam tam vitalium quàm animalium & naturalium, quoniam æger ſyncopticus ſenſu & motu privatur, ac cor ipſum laborat atque læditur vel per ſe vel per conſenſum, prout præceps illa virium ruina, imbecillitas, pulſusq; exiguitas indicant, atq; adeò in hoc affectu pars affecta ipſum cor eſt.

Syncope ergò eſt animi deliquium forte, in qua omnes vires ſimul repentè concidunt, vox, ſenſus & motus intercipiuntur, pulſus eſt debiliſſimus, & interdum planè ſubſiſtere & ceſſare videtur, extrema ut manus, pedes, naſus & auriculæ perfrigerantur, ſudor frigidus in temporibus, cervice, & in pectore circa foveam cordis prorumpit, facies & labia palleſcunt, & interdum lurideſcunt, rationis & ſenſuum functio omnis ſuſpenditur, totumque corpus extremè debile & impotens eſt.

Cauſæ. Cauſæ horum affectuum eædem eſſe poſſunt, ita ut ſi leves ſint, lipothymiam, fortiores verò ſyncopen producant, ſuntque internæ vel externæ, internæ ſunt venenatæ, putridæ, corruptæ ac cordi infeſtæ exhalationes ex utero, ejusque putida ſentina à corrupto retento menſtruo vel ſemine. Item ab erumpente vel alicubi corporis deliteſcente pure internorum tuberculorum vel vomicarum. Cauſari etiam poſſunt ab aſſumpto toxico, venenatisve vel endemicis halitibus in febribus malignis & peſtilentibus (ubi crebra deliquia certa dant indicia malignitatis) quorum occultus odor, ſapor, vel acredo partim acutiſſimæ ſenſilitatis orificio ſtomachi, partim verò cordi ipſi perceptibiliter communicantur, eaque antipathicè lædunt. Pari modo omnibus affectibus obnoxium cor vel ex ſeipſo vitium aliquod producere, vel ab aliis partibus principalioribus per conſenſum ſuſcipere poteſt, quemadmodum ingens ille depaſcens æſtus febrium ardentium tandem omnem viſcerum ſucculentiam abſumit, ubi poſtmodum corporis ſummus ſqualor & inanitio nil niſi extimam virium proſtrationē progignere poteſt. Denique omnia immoderata & exceſſiva animi pathemata, uti ſunt ira, amor, terror, aliaque non modò animi deliquium, ſed & ipſam mortem repentinam inducere poſſunt, cuncta enim in ipſo corde oriuntur, ac proinde prius cor quàm aliud quicquam lædunt, quantum enim incendium eſt iracundia furens, alios momentaneè interficiens? annon ergò, priusquam alios, proprios ſui nidi parietes carneos deſtructoriè uſtulare vel lædere valeret? numquid inſatiabilis avaritia omnia corradere ſatagens, non proprii domicilii fundum prius ſuffoderet, quàm usquam alibi ſulcaret? & ſic de aliis immoderatis animi affectibus, ut ſunt terrores panici, dolores immanes, immenſus mœror timorque, inexplebilis laſcivia & luxuria, indicibile gaudium, & ſimilia, intelligendum, ab eis nimirum periculoſam ejusmodi plagam cordi infligi, vel ejus muneri turbationem inferri poſſe.

Exter-

Externæ cauſæ ſunt: extemporanea enervatio per laborem immodicum, vel balnea nimium calida, evacuatio corporis confertim, acceleranter & ſuperabundanter facta, inedia diuturna, vigiliæ intempeſtivæ, palæſtra veneris ſupra vires exercitata. Percuſſio vel alliſio violenta verſus ſiniſtram mammam vel orificium ſtomachi.

Deliquium duplex. Cum verò duplex ſit deliquium nimirum idiopathicum & ſympathicum, ſtudiosè dignoſci & addiſci debet, quale nam actu affligat, inquirendum itaque eſt, an pars quædam jam antea laborarit, ex. gr. an doluerit vel turbas dederit uterus, vel percepta ſit mordicatio in ventriculo & conſimilia, tum enim inſequens lipothymia ſympathica pronuncianda eſt, ſi verò nihil præceſſerit, idiopathica.

Prognoſis. Prognoſis eſt, quod pernicioſus eſt affectus, præſertim ſæpius repetens & in his qui crudis humoribus ſcatent, imò in cunctis ſi vehemens eſt, ac calor non ocyus revocetur.

Curatio. Curationis ſcopus in eo conſiſtit, ut quàm citiſſimè paroxyſmus ſolvatur, qui non dat inducias, donec mali cauſæ internoſcantur, ſed ſolummodo feſtinandum ad tollendum quod magis urget, confeſtim ergò liquor aliquis odoratus & efficax frigidusque in faciem ægri aliquantulum cum impetu & confertim injiciendus, ex tali enim ſvavi frigiditate calor nativus & ſpiritus ad cor ruentes foras revocantur, tum etiam odoratiſſimum aliquod oleum ſtillatitium, qualia ſunt; angelicæ, roſarum, cinamomi, caryophyllorum, corticum citri, benzoini, vel ex eis paratus balſamus naribus indi, illinique debet ſvavi enim fragrantiâ lapſæ vires recreantur, præterquam in ſyncope à ſuffocatione matricis, ubi ſvaveolentia cuncta, ſi naribus adhibentur, malum pejorant, fœtida econtra valdè proſunt, uti ſunt fumus combuſtarum plumarum, ſulphuris, caſtoreum, aſa fœtida & ſimilia.

Frequens verò eſt ſyncope ſtomachica, à alioſa nimirum colluvie os ventriculi mordicante, in hoc caſu valdè confert proritatus vomitus per infuſam aquam benedictam, plura habet

TEXTUS:

Lipothymiam ſolvit oleum ſuccini albi, & ejus balſamus naribus inditus, vel ad odorandum exhibitus. Item balſamus, oleum, & aqua cinamomi. Balſamus rutæ, caryophyllorum idem & quidem celerius præſtant Sic ambra & moſchus feliciter lipothymias tollunt, præſertim in viris. Item acetum florum tunicæ, rutæ, florum ſambuci commodè huc accerſuntur.

Spiritus corallorum hic inſignis eſt, de quo vide Crolli notas.

In lipothymia ſtomachica proſunt: 1. vomitivum. 2. confortantia, ut oleum zedoariæ. Item vinum & extractum ejusdem, eſſentia meliſſæ cum ſpiritu vini,

& aliquot guttis olei juniperi, eſſentia meliſſæ ex plicis ventriculi pituitam craſſam educit, vide etiam ſupra de capitis affectibus.

In ſyncope folia & flores meliſſæ inſuantur ſacculo, qui poſtea cum ſpiritu vini aſperſus applicetur mammillæ dextræ calidè.

Aqua perla-rum.

Aqua perlarum:

℞. *aquarum quatuor cordial. an. ℥ij.*
manus Chriſti cum vel ſine perlis ℥j.
magiſterii perlarum ʒſ.
ſuccini albi pulveriſati (ſuper marmore terendo) ℈ij.
aquæ Langii ℥j.
m. detur cochl. ſemiſ.

CAP. LXXXVI.
DE PALPITATIONE CORDIS, Germ. Hertz-klopffen.

MOtum & pulſationem cordis continuam primariam radicem, ac velut matrem vitæ corporis eſſe, negari nequit, quò debilior enim pulſus eſt, eò minus vita & vires vigent, & ceſſante pulſu omnia ceſſant, pulſus verò etiam absque reſpiratione nullo modo ſubſiſtere poteſt, ideò hæc duo membra nempe cor & pulmo conjunctim in una arce habitant, & ſepimento coſtarum, ſternoque & ſpina undique muniuntur, ne vi externâ aliquâ tam facilè lædantur, ſuntque continuo occupati, adeò ut à primâ vitalis auræ in utero matris conceptione ad mortem usque ne unicam horam ferientur, ſed indeſinenter vitam anthlient, cor quidam ipſa vitæ anthlia videtur eſſe, pulmo vero anthliator, ſangvis autem aqua vitæ eſt, quam attrahunt mediante aëre, ſine quo etiam vulgares anthliæ nō poſſunt trahere vel aquam haurire, amboque ab aqua illa vitæ vivunt, ac recentem continuò parant, ac toti corpori diſtribuunt. Quoties ergò cor pulſat, & pulmo reſpirat, toties homo vitam ſuam de novo quaſi à Deo optimo maximo mutuatur, totiesque tanquam fidelis vaſallus feudum hoc erga feudarium ſuum debet agnoſcere, atque ex omnibus viribus ſuis pro locato hoc vitæ feudo gratias agere, eoque in honorem Creatoris, ac utilitatem boni publici benè uti, quum verò nemo hoc faciat, quidam aliis in exemplum variis morbis puniuntur, major tamen pars non reſipiſcentium in pœnam futuram reſervatur. Inter tales autem morbos pauci ſunt ipſum cor infeſtantes, cor enim diu eos ſuſtinere nequit, quin ſimul brevi à munere ſuo ſive pulſatione ceſſet, feriæ autem cordis ipſa mors ſunt. Eſt tamen unus vel alter affectus cordialis non adeò citò interimens, nimirum lipothymia, de qua in præcedenti capite actum eſt, & cordis palpitatio, de qua præſens caput agit. Mirum autem eſt vitam cordis & totius corporis in motu cordis conſiſtere, & tamen quoque à motu lædi. Verùm hic motus

nempe

nempe palpitatio non eſt naturalis, ſed violentus & præter naturam, quando nimirum cor aliquod gravamen ſentit, movetur violenter ac velut ſpasmicè ad rem illam moleſtam excutiendam.

Palpitatio itaque nihil aliud eſt quàm immoderata concuſſio & laborioſa commotio cordis per vehementem diaſtolen & ſyſtolen moleſtam, ut illud à quo naturalis ipſius motus arctatur vel gravatur vel tardatur, à ſe propellat, quæ concuſſio interdum tam vehemens eſt, ut Fernelio notante animadverſum ſit vicinas quandoque coſtas ab ea fuiſſe fractas, easque quæ ſupra mammas ſunt à ſede ſua propulſas.

Cauſæ. Cauſa hujus affectus ſunt: vel ipſa cordis intemperies, vel nimia copia illius humoris, quem aliàs naturaliter pericardium in ſe continet, tunc enim naturalem motum impedit, ac violentum concitat, uti moleſtus humor in cerebro epilepſiam exſuſcitat. Imprimis autem temperamentum melancholicum ſemper in hunc affectum proclive eſt, & frequenter eò inquietatur, non quidem continuò ſed per intervalla, adeò ut in ipſis crebros & acerbos paroxysmos producat, qui ad quosvis corporis vel animi motus recurrunt, in ſpecie autem ab ira, balneis, equitatione, venere, æſtu, immodicâ exercitatione, crapulâ, vino meraciore, metu, horrore, triſtitiâ & ſimilibus, provenit etiam ab internis flatibus, quibus melancholici & hypochondriaci ferè ſemper abundant, noctuque ab eis plus quàm per diem moleſtantur, cooperante calore lecti, & in ſpiſſum eorum ſuccum agente, omnes enim fermè melancholici ſicciores ſunt, ac ventris aſtricti, ob paucam & ſpiſſam corporis humiditatem, quod autem ſucci inſpiſſati incaleſcentes multos edant flatus, quilibet experiri poteſt, ſi aliquem ſuccum expreſſum, nempe pomorum, baccarum ſambuci vel alium ad ſpiſſitudinem coquit, initio enim dum adhuc tenuis & dilutus ille ſuccus eſt, nullos inter coquendum edit flatus, coctione verò jam ſpiſſeſcens adeò flatulentus fit, ut pedere videatur, ſimile ferè teſte quotidiana experientia contingit in melancholico temperamento præditis, ut in pueritia & adoleſcentia, cum ſucco tenui & aquoſo etiamnum diluti ſunt, talem flatulentiam vix experiantur, exhalante autem per majorem ætatem, increſcentemque corporis calorem tenuiori & aquoſiori ſucculentiæ corporis parte, adeò tandem flatulenti evadunt, ut per ructus & peditus, emittere flatus cogantur, eorumque murmura interna etiam ab aſtantibus audiantur, hos flatus autem ſubindè multam in corpore faceſſere tenſionem, rationabile eſt, uti advertimus, quod ſæpius melancholici laborent aſthmate, absque tamen abundantia craſſæ & mucoſæ pituitæ in pulmonibus, quæ aliàs aſthma parere ſolet, neceſſe ergò eſt, ut id fiat à flatibus vias reſpirationis ac diaphragma tenſione ſuâ arctantibus, quidni ergò ab ejusmodi tenſione etiam pericardium introrſum

premi

premi poſſet, qua arctatione cordi in motu ſuo moleſtia & impedimentum infertur, inſurgitque ut noxam à ſe excutiendo propellat, quod etiam creberrimè ſub mediam noctem contingit, unde è ſomno excitantur, ac ingenti metu percelluntur, tenebris formidinem augentibus, cujus cauſa eſſe poteſt, quod tum in ſomno atque etiam compromovente calido lecto calor internus augeatur, ac ſupradicto modo plures flatus excitet, frequentiſſimè etiam hæc paſſio ab utero excitatur, quia is non modò tetros halitus à corrupto ſemine, putidaque colluvie in utero confluente emittit, verùm quoque facilimè membra principalia totumque corpus in conſenſum trahit, ut videre eſt, quod ferè ſemper hyſterica paſſio thoracem & pulmones ſtringat, ac aſthma efficiat, quidni ergò pari facilitate pericardium & cor ipſum affligat? quemadmodum etiam uterus ab imprægnatione mira ſymptomata interque ea & hunc affectum ſæpius progignit. Interni quoque abſceſſus & tubercula vix non palpitationem producunt, ratione ut putamus, quod in omni interna collectione, quantulacunque ea ſit, ſpiritus vitales, qui à corde exeunt, ut radii à ſole, (cor enim ſol microcoſmi eſt) eodem loci in ſuo libero tranſitu impediuntur, quemadmodum radii ſolis in eclipſatione ejus, unde crebriores tempeſtates ſeqvuntur, uti etiam ſæpius in macrocoſmo contingit. Ictericis quoque, cachecticis, hydropiſinque incurrentibus, affectus hic etiam non rarus eſt, ob impurum ſangvinem ad cor in circulatione delatum. Quod idem etiam in obſtructione menſium cenſendum eſt. Denique venenata aura in peſtifera conſtitutione, aliique maligni halitus, vel ipſa aſſumptio veneni cujusdam hanc paſſionem generare poſſunt, quanquam natura venenorum potius ſit cor peſſundare, & in ſyncopen & animi deliquium præcipitare, certum tamen eſt, quod halitus venenati arſenicales è fodinis & furnis fuſoriis, nec non à deſtillatione aquarum fortium & gradatoriarum reſpiratione diu hauſti inevitabiliter tandem hoc malum inurant. Imò diverſæ adhuc cauſæ enumerari poſſent, nimirum lumbrici, nimia corporis perfrigeratio vel calefactio, immoderata evacuatio, fœtoroſa habitatio, vulneratio, quam etiam ſingulariter Foreſtus incuſat, ſi poſt eam venæſectio negligatur, imò ad quamlibet palpitationem ſangvinis miſſionem commendat.

Prognoſis. Prognoſticon quod ſpectat, periculoſus eſt affectus cordis palpitatio, ob læſum vel impeditum cordis motum naturalem, ad conſervandam vitam inevitabilem, quemadmodum etiam hi, qui in juventute ſæpè hoc malum patiuntur, non facilè conſeneſcunt, ſed ut plurimum frequenter in animi deliquium incidunt, eoq; tandem intereunt. Multò etiam periculoſior eſt palpitatio idiopathica, quàm quę per ſympathiam ab utero vel aliis partibus excitatur, hæc autem illâ frequentior eſt.

Cura-

Curatio. Curatio pro cauſarum diverſitate variat, quæ etiam ſolummodò locum habet in ſympathica palpitatione, quam practici ex admonitione Foreſti incipiunt cum venæſectione, tumque disquirunt, cujus temperamenti æger ſit, potiſſimum tamen melancholici & bilioſi ab hoc malo præ aliis turbantur, ac nonnunquam nimio ſangvine repleti ſive plethorici, noſtro tamen judicio tales vix puri ſangvinei ſunt, ſed ut plurimum melancholicam quandam in ſangvine admixtionem habent, quæ quantilla etiam ſit, auſteritatis ſaturninæ eſt particeps, in circulatione autem ad cor deveniens non poteſt non ſubinde dulcedini ſolari adverſari, ac efferveſcentiam quandam excitare, imprimis præcedente gravi aliquo animi pathemate, nempe terrore, metu, triſtitiâ & ſimilibus, quæ ſangvinem adhuc magis depravant, uti è depravatione coloris vultus talium obſervari poteſt, in tali itaque caſu exhibenda ſunt imprimis quæ ſangvinem mundificant, quod potius per diuretica, quàm ventrem evacuantia obtinetur, nec non per alexipharmaca & bezoartica, paſſiones enim melancholicas omnes aliquid venenati in ſe vehere arbitramur, atque antidotis, uti ſunt theriaca Andromachi, Mithridatium, diaſcordium Fracaſtorii, electuarium Orvietanum, vel ſimilibus oppugnandas.

Nos in hoc caſu conſervam ordinamus è floribus calendulæ, quæ efficaciſſima eſt, ceu ex ſimplici ſolari, vinumque medicatum ex herbis ſtomachicis & cordialibus, cum infuſione chalybis præparati, frequentem quoque aſſumptionem ſpiritus ſalis armoniaci in aqua meliſſæ vel ejus infuſo.

Habuimus tamen nuper quendam hypochondriacum multa palpitatione in ſomno turbatum, & excitatum, qui hisce & aliis convenientibus præſidiis curari non potuit, donec præcipitatum noſtrum aureum acciperet, à quo per dies aliquot ſalivans integrè curatus fuit. Longè optima etiam proponit:

TEXTUS.

In palpitatione cordis à quacunque cauſa profectâ memorabilis eſt lapis bezoar genuinus non adulterinus, ejus grana ij. vel iij. cum magiſterii perlarum & corallorum an. gran. VI quotidiè usque ad remiſſionem morbi, exhibeantur in aqua cinamomi, vel aqua cordiali compoſita.

Externè applicentur inunctiones ex balſamis cordialibus. Item epithemata tum calida tum frigida.

Nota: palpitationem cordis inveteratam penitus aufert mumia hominis ſani, aliquoties in aqua cinamomi exhibita : (a) *item aqua theriacalis Crollii. Item aqua theriacalis camphorata Crollii, quæ ingreditur compoſitionem mixturæ ſimplicis. Item liquor margaritarum cum ſpiritu gua-* Specifica.

jaci præparatus, mirificè proficiunt ſi ſuis doſibus intrò dentur. Uſus olei cinamomi in rotulis multum (b) *prodeſt.*

(a) In palpitatione ab utero conveniunt antihyſterica, & ſi nil aliud ad manus ſit, detur ℈j. vel ʒſ. caſtorei in aqua meliſſæ, imò à ſola aqua meliſſæ aſſumpta mox melius habere obſervavimus, vel detur ſequens mixtura:

Mixturæ in palpitatione hyſterica.

℞. aq. meliſſ.
puleg.
artemiſ. an. ℥j.
theriac. Androm. ʒVI.
elixir. uterin. Croll. ʒſ.
ſpir. ſalis armoniaci ℈j.
ol. ſuccin. gutt. VI.
ſyr. artemiſ. ℥j.

Hujus mixturæ exhibeatur cochleare unum vel alterum in paroxyſmo.

In bilioſis temperamentis bilis per vomitum educatur aſſumptâ aquâ benedictâ, in reliquis pro cauſarum exigentia procedendum.

(b) Mirè his ægris ſuccurrit elæoſacharum cinamomi.

CAP. LXXXVII.

DE VERMICULIS IN CORDE SEU SUB CAPSULA CORDIS.

UBicunque ulcera & apoſtemata naſci poſſunt, ibi quoque vermes generari poterunt, non ergò mirum, ſi unum vel alterum etiam in corde fiat, cum conſtet ex carne muſculoſa, ad putredinem apta, hisce etiam obſiſti poſſe medicamentis putredinem humorum inhibentibus, ac impuram colluviem, antequam corruptionem & putrefactionem inducat, maturè expurgantibus, omnino methodicum & rationabile eſt, factâ autem jam putrefactione, vel vermiculatione & quidem in ipſo corde vel intra ejus involucrum, curationem promittere velle, idem eſſe putamus, ac ſi quis pomum vel nucem à verme intus perroſam redintegrare præſumeret, nimirum inanem operam ac lateris lavacrum.

Nolumus ergò de ejusmodi affectu verboſiores eſſe, ſed maneat in ſuâ exiſtimatione

TEXTUS.

SUbnaſci in corde vel ſub capſula cordis vermiculos extra dubium eſt (morbus hic virginibus familiaris (a) *) morbi dignotio ſumitur 1. à puncturis & doloribus cordis. 2. Lumbricis excretis vel non excretis. 3 Signum pathognomicum eſt convulſio.*

(a) Virginibus pleriſque familiaris eſt vermis cordis nimirum amor juvenum, cui etiam infra ſcripta cura per Mercurium competit, Mercurius enim in forma juvenis pingitur, ita ut nulla alia ſit contra hunc vermem cordis medicina, quàm mercurius mortificatus ſive juvenis illaqueatus vehiculo nuptiarum exhibitus.

Cordialia ſeu calida ſeu frigida ſeu etiam ſpecifica (niſi quod lapis bezoar ab initio, antequam convul-

convulſiones ſubſequantur, cum ſale tanaceti, vel diptamni Cretici, aut vulgaris ſumptus, doſi granorum IV. V. VI. VIII. interdum aliquid proficiat) parùm aut omninò nihil efficiunt.

Curatio ſpecifica. *Cura ſpecifica eſt talis: 1. expurgantur lumbrici per mercurium in conſerva roſarum exhibitum hoc modo: ℞. mercurii vivi purgati verbi gratia usque ℈j distempera vel mortifica (mercurius non mortificatur propriè) cum ſaliva jejuni vel cum ſucco limonum, miſce cum conſervæ roſarum ℥ſ. adde benzoës pulveriſat. gr. ij. aut ſi mercurius crudus reformidetur, tantùm ejus ℥j. vel ij. infuſione in aquæ frigidæ hauſtu per noctem factâ aqua decantata tandem exhibeatur* (b) *ſine mercurio (qui non attrahitur quidem ab aqua, ſed odore ſuo eam efficacem efficit) aut aqua deſtillata ex cæpis vel allio quantitate ℥ij. vel iij. propinetur. Lumbrici certò emoriuntur aut expelluntur.*

(b) Centies efficacius operatur aqua, in quam mercurius per retortam deſtillatus fuit.

2. *Lumbricis quidem excretis ſed convulſionibus & paroxyſmis recurrentibus, unde certiſſimum ſignum vermiculi cordialis deprehenditur, ſpecifica extracta allii, raphani ſylveſtris & naſturtii aquatici exhibeantur, doſ. ℈j.* (c) *in brodio vel juſculo, ubi raphanus ſylveſtris maceratus fuerit. Ab hac cura citiſſimè curantur.*

(c) Intelligitur, quod unus ſcrupulus ſit doſis ſive dicta extracta commiſceantur, ſive unum vel alterum ex eis absque reliquorum admixtione uſurpetur, ſunt enim ejusdem efficaciæ.

Nota: in defectu extracti ſufficiunt ſucci an cochl j. ij. vel iij. (d) *in hoc ſalia prædictorum ſimplicium dextrè parata idem præſtant.*

(d) Senſus eſt, ut omni manè talis doſis aſſumatur, & deſuper per duas vel tres horas jejunetur.

CAP. LXXXVIII.
DE VENENIS, Germ. Gifft.

Diverſa variaque venena in natura eſſe, nemo eſt qui ambigit, quibus etiam tam homines quàm pecora interimi poſſunt, ut quotidiè obviam fit in arſenico, quo glires, mures, feles & canes necantur, multaque exempla nota ſunt, quod etiam homines, qui per errorem illud hauſerunt, eo interempti ſunt, certum tamen eſt, doctrinæ medicorum de venenis etiam multas fabellas inſertas eſſe, quæ procul dubio à priſtinis ac primis ſcriptoribus introductæ ſunt, quibus poſteri omnia firmiſſimè credidere, non conſiderantes, illos etiam fuiſſe homines imò ethnicos, multò nobis rudiores,

diores, atque ita errare potuiſſe, uti quidem facilè quibusdam ſimplicibus demonſtrari poteſt, quæ ab illis venena proclamata ſunt, illud tamen per experientiam falſum invenitur ac manifeſtiſſima mendacia. Plumbum enim, lithargyrium, ceruſſa, argentum vivum, minium, cinabrium, ſulphur, ſal armoniacum, antimonium, vitriolum, alumen, boracem aliaque venenis de leterejis annumerarunt, nos tamen ſanctè teſtari poſſumus, nos extractum plumbi, lythargyrii, ceruſſæ ac minii multis abhinc annis in proprium corpus aſſumpſiſſe absque damno, ſi ergò in ſubſtantia eſſent ullo modo venena, magis talia eſſent in extracto, uti extracta ſemper vires ſuorum ſimplicium ſervant, adeò ut nemo unquam extractum arſenici crudi impunè intra corpus accepturus eſſet, quia verum eſt venenum, ſimiliter etiam intrò accepimus cinabrium, mercurium (cujus ultra integram libram ab alio Archiatro intro datum eſſe ſine damno novimus) boracem, ſulphur, & antimonium, ſal armoniacum ſublimatum jam ſatis eſt in uſu, uti etiam vitriolum in ſubſtantia & alumen. Palam ergò fit, plurimos ſaltem exſcripſiſſe ab aliis, & nihil probaſſe reipſa, an vera ſint nec ne, illi verò à quibus mutuati ſunt, ſua rurſus ab aliis ſunt ſuffurati absque facto periculo, & ſic ſemper unus decepit alterum, ad primum usque, qui fortè etiam à fabulatore quodam deluſus fuit, qualem ſuſpicionem meritò movere debet vulgare narramentum de baſiliſco, à plurimis ſcriptoribus traditum, quorum nullus noverat, an ſit verum vel fabula, meram tamen fabellam eſſe arbitramur, ac è Chymicis libris totum Mundum dementantibus ortam, qui materiam lapidis Philoſophici rem venenatiſſimam & baſiliscum vocarunt.

Recenſebimus autem venena illa putatitia metallica, & paululum examinabimus, an & qua operatione venena ſint.

1. Lithargyrium ſive auri vel argenti ſpuma eſt plumbum diu igne violento uſtum, unde tandem fluorem ſuum metallicum amittit, abitque in maſſam ponderoſam, nunc magis albicantem nunc plus flaventem, atque ob diverſitatem coloris ab imperitis diſtingvitur in lithargyrium auri & argenti, cum tamen unum & idem ſit, à chirurgis miſcetur emplaſtris ſuis incarnativis & conglutinantibus, nam mirum in modum vulneribus & ulceribus confert, ac ea perſanat, quod non fieret, ſi ullo modo venenoſitatem in ſe haberet, vera enim venena etiam exterius impoſita ſemper nocent.

2. Laſurinus color ex argento eſt anima vel ſulphur argenti, ac optima ejus ſubſtantia ſeu eſſentia, argentum autem purum non eſſe venenatum, patet ex eo, quod tam patinæ, diſci, quàm ſcyphi & canthari ex argento parentur, & quotidiè ex eis edatur & bibatur, absque ullo nocumento, ſi ergò argentum ipſum non ſit venenatum, quomodo ejus optima eſſentia venenum erit, diverſis

verſis autem modis ea ex argento educitur, nempe per ſpiritum urinæ, ſalis armoniaci aliosque liquores, imò ferè absque additione parari poteſt, quando nimirum amplo vitro acetum fortiſſimum inditur, ac tenues lamellæ argenti in eodem vitro ſupra acetum ſuſpenduntur, ita ut acetum non attingant, illudque vitrum obturatum reponitur in leni calore, quo acetum vaporare poſſit, & ille vapor aceti aſſurgens ſulphur illud argenti in pulcherrimo colore cœruleò elicit, ut exterius lamellis adhæreat, ac pede leporino deverri poſſit, à pictoribus expetitum ob pulchritudinem coloris, qui illud ultramarinum vocant. Quid jam dicent imperiti Scriptaſtri? an forte, quod non intelligant hoc ſulphur lunæ, ſed azurinum illud nobile, quod è lapide lazuli confiat, at ille lapis etiam datur intra corpus ſine damno, quomodo igitur optima pars ejus poſſit eſſe toxicum?

3. Ærugo ex cupro nihil aliud eſt quam eroſum cuprum mediante aliqua re acida vel acri, communiter autem fit per vinaceas laminis cupri ſuperſtratas, donec ab eis laminæ exedantur, ac in calcem viridem convertantur, quæ quidem propriè venenum non eſt, ſed res acris non nihil rodens, atque chirurgis ideò familiaris, quod impura ulcera mundificet, intra corpus autem non inſervit, niſi vitriolum ex eo paretur, quod in parva quantitate accipi poteſt ad ciendum vomitum, non ergò venenum eſt.

4. Scoria ferri eſt pars ſquamoſa ferri inter tundendum ſuper incude decidua, ab omni venenoſitate tam aliena, ut potius etiam aliorum nocivitatem extirpet, ſi enim cum his vel integro ferro mercurius ſublimatus bulliatur, corroſivitatē ejus adeò mitigat ut intro ſumi queat.

5. Plumbum uſtum fit, quando liquatum ſuper ignem plumbum continuò movetur, donec in calcem ſeu cinerem vertatur, huic cineri ſi ſuperfunditur acetum deſtillatum, extrahit ex eo dulcedinem, quæ filtrata & evaporata dat in frigore cryſtallos ſive ſal quoddam plumbi, quod in parvâ quantitate in ardoribus tùto intro ſumitur; ſi ergò calx plumbi eſſet venenum, deberet etiam extractum ſive ſal ejus venenum eſſe.

6. Minium ex plumbo fit, ſi ſupradicta calx tamdiu igniatur, donec rubeat, eſt ergò ejusdem naturæ, ac idem ſal præbet.

7. Ceruſſa uſta ex plumbo, eſt itidem calx plumbi ad albedinem uſta, ſimilis cum præcedentibus naturæ, ac pariter idem ſal ex ſe dat ut dictum eſt, omnes etiam hæ calces plumbi eandem habent naturam in perſanandis vulneribus & ulceribus, & malignitatem ex eis extrahendis potius, ergò venenoſitatis expertes ſunt.

8. Mercurius præcipitatus ex argento vivo tantùm abeſt ut venenum ſit, ut potius nullum præſtantius antidotum ſit contra malignitatem luis Gallicæ, & procul dubio etiam peſtis, nunquam enim peſtis graſſatur in hisce tractibus, ubi fodinæ

dinæ argenti vivi vel cupri habentur & ædificantur, ita ut colligere liceat, horum vapores venenum peſtiferum abigere.

9. Æs uſtum & crocus veneris ſunt cuprum calcinatnm, ejusdemque ferè virtutis cum ærugine.

10. Crocus martis eſt ferrum calcinatum, & jam ferè quotidiè intra corpus datur.

11. Mercurius ſublimatus ex argento vivo inter hæc omnia ſolummodò manifeſtum eſt venenum mirumque dictu, quod idem ſublimatus, ſi denuo ab æquali parte mercurii vivi optimè cum eo contritus & ſubactus ſublimetur, omnem rurſus venenoſitatem deponit, ex ea cauſa quod mercurius in ſe venenum non eſt, ſed ſi à ſale communi & vitriolo ſublimatur, tunc eorum ſpiritus corroſivos ſecum rapit, eosque retinet, amboque pulverem valdè corroſivum conſtituunt, qui denuò cum mercurio vivo contritus, ſuos ſpiritus ſalinos extendit, & reliquum mercurium vivum etiam in pulverem calcinat, non tamen corroſivum, quia ſpiritus corroſivi labefactantur in extenſione, ac omnem acrimoniam amittunt, unde talis præcipitatus albus volatilis mercurius dulcis nominatur.

12. Cinabrium ex argento vivo & ſulphure planè nihil venenoſitatis in ſe habet, niſi ejus fumus ex igne aſcendens halitu hauriatur, tunc enim venenatam qualitatem homini infert nunquam ſuperabilem, ita ut peſſimè faciant, qui in lue vénereâ fumum cinabaris adhibent, idem enim malum inducit, quod fumus argenti vivi, nempe tremorem, corruptionem pulmonum, aliaque, quibus auri fabri perpetuò conflictantur.

Atque hæc ſunt venena metallica, uti quidem vulgo in quibusdam libris practicis habentur, venena autem mineralia ab iisdem proclamantur ſequentia.

1. Sulphur vulgare, quod tamen veritati non conſonum eſt, cum ſulphur potius venenis reſiſtat, omnique corruptioni, uti videmus in doliis vinariis, quod ſolo fumo ſulphuris à corruptione conſerventur.

2. Arſenicum quod etiam verum, nam longè peſſimum venenum arſenicum eſt.

3. Nitrum, quod in noſtro nitro non eſt verum, ſed potius illud in malignis febribus optimum remedium eſt. Si verò dicatur antiquorum nitrum fuiſſe venenum, hoc nihil ad nos, atque etiam incertum eſt, cum nemo jam illud noverit.

4. Antimonium, quod tamen jam adeò in uſu eſt, ut vix amplius ejus uſum quis vereatur, ſed debet legitimè præparari, ac juſta doſis non transſcendi, aliàs verum eſt quod ſit venenum.

5. Auripigmentum, quod etiam verum venenum eſt, uti etiam arſenicum rubrum, quod vulgo ruſogallum nominatur, ac vulgari arſenico pejus.

6. Salarmoniacum, quod in noſtro non eſt verum, nam potior ejus pars ex homine, nimirum ejus urina venit, qui nihil venenati continet, ſi verò

verò inferatur, priſcorum ſal ammoniacum fuiſſe venenum, hoc cum veritate affirmari nequit, cum illud jam planè ſit incognitum.

7. Vitriolum, quod qui venenum affirmat, imperitum mendacemque ſe prodit, nam in ſubſtantia & eſſentia ad internum uſum jam familiariſſimum eſt.

8. Alumen, quod etiam aſſertum mendax eſt, nam innoxiè jam internum uſum ſubit.

9. Borax, quod in noſtro non eſt verum, nam in difficili partu, retentis menſibus aliisque affectibus ſalutarem uſum præſtat.

Porrò incuſantur etiam venenoſitatis hi lapides, nimirum Armenius, Lazuli, Magnes & Calaminaris, ſed cum eâdem veritate ut ſuperiora. Verum quidem eſt quod ferè omnes jam enarratæ ſpecies in igne fumum venenatiſſimum exhalent, qui cum reſpiratione intrò hauſtus immedicabilem noxam infert, ſed ab illo facilè caveri poteſt, & debet, nam & quilibet vulgaris fumus lignorum aliarumque rerum combuſtibilium valdè noxius eſt, imò omnis permixtio aëris, ſive ſit ex pulvere, vel aquoſis halitibus vaporibusve, nihil enim pulmonibus & lampadi vitæ convenit, quàm aër purus, ſerenus & ſiccus.

Hæc ſeries eſt præcipuorum venenorum metallicorum & mineralium, è quibus ſolum arſenicum & mercurius ſublimatus revera lethifera ſunt venena, & intus accepta rodendo necant, reliqua quidem malignitatem inferunt, ſed non omnes, ac rarò ad internecionem.

Seqvuntur nunc venena animalia, quæ ſunt:

1. Cantharides, ſpaniſche Mucken/ quæ præcipuè veſicæ urinariæ noxam inferunt, ſtranguriamque ac cruentam mictionem excitant, febremque per totum corpus ardentem, præparatæ tamen intra corpus dantur, ſuntq; experimentum contra calculum veſicæ.

2. Bupreſtes, Schmetterlein/ eſt ex genere erucarum, toti corpori nocens ſi intrò accipiatur.

3. Eruca, Raupen/ intrò acceptæ quidem malè conveniunt, ſed lethale venenum non præbent.

4. Papiliones, Butterfliegen/ etiam aliquid nocivi continent, ſed non lethales ſunt.

5. Araneæ, Spinnen/ hæ lethale venenum in ſe continent, & ſubindè excernunt ſatis copioſè, atque albi coloris, quod qui neſciunt, & in fundo feneſtrarum conſpiciunt, putant eſſe excrementum alicujus aviculæ, grandis enim aranea pro una vice ferè quantitatem piſi excernit, ab hoc deorſum cadente veneno interdum homines interiiſſe dicitur, quibus ab araneis ſupra menſam hærentibus tale venenum deciderat in fercula; araneis etiam accenſentur phalangiæ & tarantulæ, quum verò eis careamus, non opus eſt de ipſis verba facere.

6. Crabrones Hurnüſſen/ veſpæ Bremſen/ fuci Hummeln/ apes Immen/ tantùm puncturâ ſuâ tumorem & dolorem inferunt, quæ affrictu argillæ ceſſant.

7. Ser-

7. Serpentes, Schlangen/ eorum varia ſunt genera, & pleriſque homini lethali veneno infeſti.

8. Viperæ, Natern/ morſu ſuo ſunt homini lethales, quibus quidem his in locis caremus, ſæpè tamen vivæ ad nos transportantur.

9. Scorpii, Scorpionen/ pungendo homines lædunt, ſed non lethaliter, ſed his in oris ignoti.

10. Bufones, Kröten/ lethale venenum emittunt.

11. Hirudines, ſangviſugæ, Blutegeln/ lethales non ſunt niſi improvidis in potu aquæ in corpus ferantur, & intus ſangvinem ſugant, ubi duplicem noxam inferunt, nempe internam læſionem, & ſangvinis extravaſationem, quam ſuppuratio ſequitur.

12. Torpedo, paſtinaca marina nobis non nocent, quum eis careamus, multò minus baſiliscus, quem nemo vidit, & tamen ridicula multa in quibusdam libris Medicis de eo inveniuntur, an nimirum poſſit interimere cœcum vel ſurdum.

13. Canis rabioſus, ein toller Hund/ morſu ſuo & hominibus & pecoribus lethalis eſt.

14. Felis cerebrum comeſtum in amentiam præcipitat.

15. Lupus rabioſus eâdem morſu ſuo ratione lethalis eſt ut canis, ac canis etiam eſt ſylveſtris.

16. Veſpertilio, Fledermaus/ eadem ſymptomata, idemque periculum morſu ſuo excitare dicitur, quæ canis rabidus, quod tamen incertum eſſe putandum eſt, ſuccidiis enim in caminis pendentibus ſemper inhiant, ac ſæpiſſimè de eis comedunt, poſtmodum verò homines iisdem quoque veſcuntur indemnes, quod non fieret, ſi canis rabioſus eas vel minimum prælibaſſet, vel ſaltem ſalivâ attigiſſet, ac aliquis poſtea de eis comederet.

17. Morſus hominis quoque valdè noxius eſt, & plerunque gangrænam demorſi loci parit, peſſimum quoque venenum eſt ſangvis menſtruus.

Recitanda nunc quoque ſunt venena vegetabilia; quæ ſunt ſequentia.

1. Napellus & diverſæ aconiti ſpecies, Eiſenhütlein/ Wolffswurtz/ hæ herbæ venenatiſſimæ ſunt, imprimis napellus, cui intrò ſumpto remedium non eſſe Matthiolus ſtatuit, uti in ſuâ præſentia experimento deprehenſum ſit in uno, qui ab aſſumpto Arſenico præſtanti quadam antidoto curatus fuerit, & in altero, cui poſt aſſumptum napellum eadem antidotus nihil adjumenti attulerit, ſed venenata hac herbâ extinctus ſit.

2. Tithymalus, eſula, Wolffsmilch / cujus ſunt diverſæ ſpecies, violentiſſimè purgantes, legitimè autem præparatæ tutò poſſunt in debita doſi exhiberi, quam ſi quis transſcendat, noxam inferunt, nec mirum, cum & vinum aliaque longè optima in nimiâ copia ingeſta lethaliter nocere poſſint.

3. Mezereon, Kellershals / itidem violentiſſimâ purgatione nocet.

4. Laureola, pariter perquam violen-

violentas purgando excitat operationes.

5. Veratrum album & nigrum, Nieſewurtz / perindè violenter corpus purgando turbant, niſi legitimè præparentur & corrigantur, facilè enim convulſionem lethalem excitant.

6. Cyclamen, Schweinbrod / eſt ſimiliter periculoſum purgans.

7. Cataputia, Wunderbaum / Springkörner / eſt conſimili modo violentiſſimum purgans.

8. Turbith, eſt radix violenter purgans, niſi debitè corrigatur.

9. Ranunculus, Hanenfuß / Brennkraut / eſt herba impoſitione cutem exulcerans, intrò verò accepta interna exurit & lædit.

10. Euphorbium eſt violentum purgans, & ſi non debitè corrigatur, totum corpus incendit, dyſenteriam ac mortem parit.

11. Anacardus, Elefantenlaus / aſſumptus internum facit incendium & convulſionem.

12. Staphis agria, Läuſekraut / intrò ſumpta operatur ut anacardus.

13. Nux vomica, Kräenaugen / malignitatem continet, & laborioſum vomitum ciet.

14. Taxus, Eibenbaum / non ſolum accepta intrò nocet, ſed etiam umbrâ ſuâ morantibus aliquandiu ſub ea.

15. Agaricus niger, ſchwartzer Tannenſchwamm / anxietatem & noxam infert aſſumptus.

16. Viſcus, Miſteln / ejus baccæ & viſcoſus ſuccus aſſumptione nocent, & rationem turbant.

17. Cicuta, Schierling / Wüterich / continet venenum frigidum lethale.

18. Hyoſcyamus, Pilſenſamen / intrò accepta ſtupefacit, & rationem turbat.

19. Pſyllium, Flöhſamen / ſemen pulveriſatum aſſumptum valdè nocet, etiam extracta mucilago, ſi in nimia quantitate in corpus ſumatur.

20. Mandragora, Alraun / intrò accepta ſtupefacit, & carum generat.

21. Opium ſeu ſuccus papaveris eſt venenum frigidum, lethalem ſtuporem & ſomnum inducens.

22. Fungi, Schwämme / ex his quidam venenati ſunt, adeò ut muſcas necent, ac homines interdum ſtrangulent.

Ex his quædam lethalia venena exhibent, quædam verò non, ſuntque forſan etiam alia vegetabilia in ſecreto uſu ad paranda venena, quorũ ſcientiâ Itali omnes nationes ſuperare dicuntur, ſed valeat hæc ars latronaria, cujus Magiſtri Proditore Judâ longè pejores ſunt, qui quidem clam prodidit, demum tamen manifeſtam vim intulit, ita ut forſan caveri potuiſſet, at hi ſceleſti ſicarii adeò clanculum fratres ſuos occidunt, ut caveri nequeant.

Quamvis autem varia & diverſa ſint venena, diverſaſque operationes præſtent, eoſdem tamen tandem effectus edunt, quod intumeſcentiam corporis inducant, ac colorem lividum, ſtomachum aquâ repleant, ac ſangvinem coagulent.

Signa veneni calidi. Signa aſſumpti veneni calidi hæc ſunt: rubor faciei, tumor venarum, proruptio copioſa ſudoris: æſtus vehemens, anguſtia ingens, ſitis magna, citrinitas oculorum, fœtor oris ac ſimul percepta ab ægro roſio in ſtomacho vel ventre, mordicatio, ac lancinatio tam acuti doloris, ac ſi viſcera à cane diſcerperentur, vel terebra foderentur, vehementem etiam motum naturæ excitant, ejusque operationem inſigniter augent, nimirum per vomitum vel ventris fluxum magis magisque increſcentem usque ad dyſenteriam.

Signa frigidi. Signa verò frigidi ſunt: inſolita gravitas membrorum, rigor & frigiditas corporis, ſubſequente motus tarditate, ſpasmo aut tetano, demumque caro ſeu ſomno profundo, durante per tres dies vel plures inexcitabiliter, aut ſi excitetur, oculos tamen mox claudit ac redormit, donec natura vincat, & tunc evigilat, vel vincatur, tunc dormire pergit usque ad mortem, adeſt etiam frigus & labiorum tremor.

Curatio. Curatio generalis omnium venenorum conſiſtit in eo, ut mox efficax vomitorium exhibeatur, nimirum aqua benedicta, vel drachma ſalis vitrioli, ita enim quodlibet venenum ſive calidum vel frigidum exiſtat, è ſtomacho exturbatur, ut nocere nequeat, mox poſt vomitum detur multum butyri cum calida cereviſia, vel oleum amygdalarum dulcium, vel oleum hyperici, ita enim parietes ſtomachi & inteſtinorum lubricantur, ut corroſivum venenum non poſſit adhærere, quod imprimis contra arſenicum & mercurium ſublimatum conducit, nec ſolum internè verùm quoque externè, ſi quispiam corroſivum quoddam applicuiſſet, vel rodens aliquis liquor, uti ſunt aqua fortis, oleum vitrioli, vel aliud caſu ſuperfuſum eſſet, corroſio eorum mox oleo ſiſtitur, tamdiu ergò ſorbitio cereviſiæ butyratæ calidæ continuari debet, donec omnis vis corroſiva veneni edomita ſit, exterius totum corpus inungat balſamo aliquo calefaciente, introque accipiat theriacam Andromachi, & egregiè venenum debellabit; optima etiam contra venena ſunt, quæ commendat

TEXTUS.

De præſervatione & curatione venenorum diligenter notentur, quæ Crollius habet, perfectiora non dantur.

Balſamus vitæ Lichtenackeri egregia antidotus eſt.

Bezoarticum minerale ſolare meum.

Marrhozes radix ex Indiis nuper allata.

In dolore cordis bezoar & reliqua ſupra de confortantibus cor enumerata valent.

CAP. LXXXIX.

DE MAMMILLARUM VITIIS.

Formator omnis pulchritudinis, dulcedinis & deliciarum pro homine jam nato duas delicatiſſimas lagenu-

lagenulas ipſius matris pectori appendit, ſcaturientes nectar vivum & ſvaviſſimum, dulcedine fortè omnia alia exuperans, uti conjecturabile ſit, quod Deus ipſe delectatus eſt ex ejusmodi lagenulis virgineis admirandum hoc nectar haurire.

Appoſitæ ſunt hæ lagenulæ ſive mammæ ad ipſam fontis vitæ arcem, in qua ſoli illi duo fabricatores vitæ nempe cor & pulmo habitant, dieque ac nocte ſine ullis feriis occupantur anthliâ vitæ, derivantes fortaſſe nonnullam partem aquæ vitæ in has ſibi proximas uvas, quamvis præcipua portio videatur huc deduci à chylo.

Conſtant autem mammæ è ſubſtantiâ glandulosâ, ita ut nihil aliud ſint quam congeries corpusculorum glanduloſorum quamplurimorum perexiguorum.

Delibutæ ſunt mammæ multa pingvedine, pro fovendo calore vitali, ſvavique mollitie illis conciliandа in reclinatione infantis contra eas, atque etiam ob nitidiorem venuſtatis formam ſexui fœmineo impertiendam, uti ex quibusdam aliis elucet, ſolummodò ob decorem eidem indultis.

Venas implantatas habent duplices, unam axillarem, per exteriora mammarum diſtributam, & ab axillari ramo derivatam, alteram mammariam vocitatam à ramo ſubclavio venæ cavæ declinantem ac per interiora diſperſam. Has totidem comitantur arteriæ, conſimili ratione à ramo ſubclavio arteriæ magnæ nec non axillari deductæ ad advehendum ſangvinem vitali calore turgidum. Nervos obtinuere à quarto ramo medullæ ſpinalis, nec non ductus lymphaticos.

Receptacula hæc potus principis animantium epiſtomiola in medio habent nimirum papillas, quæ ſunt corpuscula rara teretia perforata exteriusque prominula, inſtar mororum rotunda, ut circum circa ab oſculo infantis in apertura ſua pariter foramen rotundum conſtituentis comprehendi ac circumvallari poſſint, ne inter ſugendum aliqua hiationis rima remaneat, ubi aër intraret, ac ſuctionem impediret, admirandum ſanè quod quilibet in lucem editus infans mox ſuctionem iſtam adeò exactè perficere noverit, ac ſi optimâ ratione vel ingenio perfrueretur, in omnibus ergò potentia & providentia immenſa Creatoris elucet, qui adeò mirabiliter nos omnes in utero matris format, in tanta anguſtia nativitatis conſervat, natosque ſvaviſſimo iſto potu recreat, & ex eo incrementum appoſitionemque omnibus membriolis tam mollibus quam duris corpusculi noſtri accedere ordinarit, ut ab iſto creſcamus, vireamus & conſervemur, ſicut arbor à ſucco per radicem aſſucto, infantis verò genitricem pariter delicatiſſimo lacte mammarum vitis ſeu uvarum meris papillis lactiferis refertarum potat, ac ſic ex uno lacte parat aliud, quo nos omnes mirum in modum educamur, ubi poſtmodum nobis etiam cœleſte lac ac manna immortalitatis, nempe fidem Chriſtianam ac ſanctiſſi-

ctiſſimam cellam viniferam ſui verbi videlicet ſacram ſcripturam omni ineffabili ſvavitate inſtructiſſimam paravit, & paratam inſtruxit. Quis ergò non animitus laudet adeò benigniſſimum patrem, & pro omni micula cibi, omni guttula potus, omni filamentulo veſtitus, omnique literula doctrinæ indeſinenter gratias agat? Annon etiam jure merito paratus eſſet infernus & cruciatus æternus omnibus ingratis, qui omnia hæc creatoris innumerabilia beneficia ab utero matris ad mortem usque recipiunt iisque educantur, veſtiuntur, cibantur & potantur quotidie, imò eis comeſſantur, inebriantur, ac ſæpè ſplendidè ſuperbiunt, ſed non agnoſcunt, paternaque præcepta datoris horum in ullo puncto obſervant, quid ergò tales in extremo judicio reſpondebunt?

Variis autem mammæ afficiuntur affectibus, quos Author uno nomine comprehendit. At propter tyrones neceſſe foret præcipuos ſingulatim non nihil declarare, quod etiam pro modulo noſtro effectum dabimus, ſuntque potiſſimum ſequentes: nimirum intumeſcentia, inflammatio, exulceratio, cancer, lactis defectus, lactis ſuperfluitas, lactis grumeſcentia in mammis, papillarum fiſſuræ.

Audienda verò ante omnia graviloquia Divini ſenis de mammis prolata:

Subitanea extenuatio mammarum prægnantis ſignificat abortum. lib.5.aph.37

Inſtante abortu mammæ extenuantur. 5. 53

Induratio verò mammarum deſignat futurum dolorem in mammis. 5. 53

Vel oculis. 5. 53

Vel coxis. 5. 53

Vel genubus. 5. 53

Talis dolor adimit metum abortus. 5. 53

Extenuatio unius mammæ in ferente gemellos indicat abortum alterutrius. 5. 38

Nempe dextræ mammæ, maris. 5. 38

Siniſtræ verò, puellæ. 5. 38

Lac in mammis extra prægnationem vel puerperium eſt ſignum defectus menſium. 5. 39

Lac copiosè è mammis effluens, eſt ſignum fœtus imbecillis. 5. 52

Collectio ſangvinis in mammis indicium eſt furoris. 5. 40

Mammæ firmæ ac ſolidæ fœtum eſſe valentem declarant. 5. 52

Cucurbitula permagna mammis affixa ſiſtit menſes. 5. 50

DE MAMMARUM INTUMESCENTIA.

MAmmæ non uno modo intumeſcunt, ſed modò ſangvineum tumorem cum rubedine & inflammatione patiuntur, de quo poſtea, vel melancholicum, qui in ſcirrhum vel cancrum abit, de quo itidem poſtea, vel phlegmaticum laxum, de quo hic agemus, tumor ergò mollis

Tumor mammarum diverſus.

Oedema duplex. mollis & laxus vocatur œdema, qui duplicis eſt generis, nempe vel flatulentus, in quo ſaltem craſſus flatus continetur, vel pituitoſus, in quo quædam aquoſa frigida ac plerunque etiam flatibus mixta materia ſtagnat, in utroque genere dolor ferè nullus percipi ſolet, ob frigiditatem affectus, quæ ſimul ſtupefacit, & ubi non eſt dolor, ibi quoque non excitatur affluxus ſangvinis, vel inflammatio, œdema itaque eſt tumor indolens, mollisque & tactui cedens, ac potiſſimum in mammis pariter laxis & tibiis oboriri ſolet, Signa. cognoſcitur ex eo, quod ſemper fit cum laxitate, exiguoque vel nullo dolore, colore autem ad albedinem vergente propter abſentiam inflammationis, tactuique cedit ob paucam aquoſam materiam intus retentam, ac tenſionem non facientem, tactu verò & impreſſione digitorum factâ manet veſtigium ſeu cavitas impreſſionis aliquandiu, ſi tumor ſit à collectione phlegmaticâ ſi verò flatuosâ, tunc impreſſionis ſignum non remanet, ſed pars impreſſa amoto digito mox rurſus exſilit, ob renitentiam flatus.

Prognoſis. Prognoſis ejus eſt, quod non facilè œdema ſuppurationem producat ob frigiditatem, uti dictum eſt, quæ ſtupefaciens eſt, ac dolorem, inflammationemque prohibet, inſuppuratum ergò remanet, ac vel inſenſibiliter difflatur, vel reſolvitur, vel indureſcit.

Curatio. Curatione œdemati tali modo ſuccurrendum, ut ſuperflua pituita è corpore expurgetur, quod præſtat pulvis jalappæ, vel ejus reſina cum ſyrupo roſar. ſolut, aſſumpta, vel alia phlegmagoga. Poſtea deveniendum ad ea quæ œdema reſolvunt vel discutiunt, in quem finem adhibentur fotus ex aſtringentibus & aquis naturâ vel arte ſalſis vel nitroſis, adjuncto etiam ſulphure, ſi valdè ſit diſcutiendum, hunc in modum:

℞. ſulphuris pulveriſati ℥iſ. Cataplaſma diſcutiens.
myrrhæ
ſalis gemmæ an. ℥j.
aluminis uſti ℥ſ.
croci ℈j.

pulveriſentur invicem & cum ol. anethino & tantillo aceti f. cataplasma tumori applicandum. Vel fiat ex eis decoctum, quo tumor foveatur, poſtmodum verò imponatur diſcutiens emplaſtrum, qualia ſunt: diachalciteos, diachylon ireatum, ceroneum &c. Emplaſtra diſcutientia.

Si verò œdema in nodos indureſcat, ſive in apoſtema tranſeat, emollientia conveniunt, uti ſunt: diachylon ſimplex, vel viſcus arborum cum modico calcis & aceto, vel fiat tale cataplasma:

℞. rad. althææ Cataplaſma emolliens
lilior. an. ℥ſ.
herb. atriplicis
parietar. an. m j.
flor. melilot.
chamæmel. an. p. ij.
ſem. lini
fœnugræc. an. ℥ſ.

decoquantur in jure pingvi ad mollitiem, tum probè contundantur, adde olei anethini & chamæmelini an. q. ſ. f. cataplasma calidè imponendum.

Hoc cataplaſma repetatur quotidiè bis, donec emolliatur durities, tunc aperiatur ferro aut imponatur emplaſtrum ruptorium, quod ita fieri poterit:

Empla-ſtrum ruptorium.

℞. fermenti acris ℥ſ.
pulveris cantharid. ℈ij.
ſtercoris columbin. ℨij.
ſucci ranunculi q. ſ.

f. maſſa mollis, cujus parum linteo inducatur, & in decliviori loco tumori imponatur, & per horas aliquot ibi ſinatur, & tumor eo rumpetur.

Rupto apoſtemate imponatur ipſi empl. apoſtolicon, vel triapharmacon, donec perſanetur.

Præcipuum autem in hoc affectu eſt, ut patiens ſimul utatur diæta convenienti, eaque refugiat, quæ nutrimentum dant craſſum & phlegmaticum, uti ſunt: braſſica, lac, poma, caſeus, lentes, piſces, caro porcina, cereviſia non ſatis defæcata & ſimilia, his enim pituita corporis augetur, atque hic affectus firmatur, qui alioqui difficulter medicamentis cedit.

DE MAMMARUM INFLAMMATIONE.

INtumeſcentia de qua jam actum eſt, erat tumor phlegmaticus & indolens, heic verò agemus de tumore mammarum ſangvineo, & valdè dolorifico, qui ſemper cum inflammatione concurrit, ac phlegmone mammarum nominatur.

Phlegmone mammarum.

Inflammatio itaque mammarum eſt corruptio in eis accenſa, qua paulatim ſangvis & humor mammarum incaleſcit inſtar putreſcentis fimi equini, ſeu fœni madidi, à quo calore mox attractio fit ſangvinis & humorum ab aliis locis, non ſecus ac à calidis cucurbitulis validè attrahitur, quâ attractione & affluxu humorum mammæ infarciuntur, & tumeſcunt, affluens enim materia requirit majus ſpacium, extenditque tunicas ad majorem amplitudinem, quæ extenſio fortis in his vaſis acutiſſimâ ſenſilitate præditis, magnum parit dolorem & inflammationem, inflammatio autem putrefacit partem cruoris ſuperfluam attractam, atque in pus vertit.

Cauſæ hujus inflamationis ſunt: vel ſuperfluitas ſangvinis, ob menſes vel obſtructos vel non ſufficienter evacuatos, ubi ſuperfluus vel impurus ſangvis poſtea regurgitat ad mammas, quia maximam cum utero convenientiam habent; vel etiam lac in mammis aceſcens & caſeoſam coagulationem ſuſcipiens, poſtmodum corrumpitur, ac inflammationem accerſit, eſtque hæc lactis corruptio communiſſima cauſa ejusmodi inflammationis. Poteſt etiam contingere ab externis cauſis, nempe à contuſione, lapſu, ictu, repentinâ poſt calorem perfrigeratione, ac ſudoris erupti repercuſſione; item ab affectibus animi, nempe terrore, ira, zelotypia, laſciva concupiſcentia, nihil enim potentius afficit uterum his affectibus, & per conſenſum etiam facilè mammas. Cauſæ.

Signa diagnoſtica manifeſta ſunt, tumor enim rubens ob inflammationem, renitensque ob tenſionem à copioſa Signa.

copioſa affluxione tactu deprehenditur, patiensque de dolore acerbisſimo conqueritur.

Prognoſis. Prognoſis ejus eſt, quod ſemper inflammatio mammarum maximum dolorem conjunctum habet ob acutam ſenſilitatem earum, calorque valdè urens percipitur, quem dum quis vult frigidis reſtingvere, & nimium frigida ac repellentia applicat, facilè mammas in lapideam duritiem aſtringit, ſicuti enim lac proclive eſt ad coagulationem, ita etiam vaſa ejus eandem naturam retinent, emollientibus autem & ſuppurantibus applicatis vitioſa materia brevi in pus tranſit, atque abſceſſus poſtmodum haud difficulter perſanatur.

Curationis ſcopus. Curationis ſcopus eſt, ùt ſtatim initio inflammationis, antequam affluxio humorum fiat moderatè frigida applicenter, quæ omnem calorem extrahunt, ac inflammationem ſedant, ubi ſimul vitioſa materia in eis collecta, deorſum trahenda, ac purgativo ſangvinis evacuanda eſt, verùm hæc frigefacientia remedia tantummodò à primo inflammationis initio conveniunt, poſt aliquam verò tardationem minimè, brevi enim collecta materia puſſeſcit ſeu pus concipit, quod poſtea potius promovendum, quàm impediendum.

Lac virginis. Inter ejusmodi frigefacientia præcipuum eſt vulgare illud lac virginis quod ita paratur: accipe tres vel quatuor uncias pulveriſati lithargyrii vel minii, vel ceruſſæ, vel incinerati plumbi, ac duas vel tres libras aceti deſtillati, inde ea in ollam vitreatam, ac mox ſuper prunis invicem obtectâ ollulâ coque, agitando ſubinde materiam ſpatulâ ligneâ, ac rurſus ollam obtegendo, coctionemque continuando, donec circiter libra una aceti ſuperſit, quam per filtrum defunde in mundum aliquod vitrum, tum etiam manipulum ſalis communis in duabus libris aquæ communis coque ad remanentiam unius libræ, quam pariter in pecu[illegible]re vitrum cola, & utrumque vit[illegible]m obturatum cuſtodi, uſu autem exigente, ex utroque vitro aliquam partem confunde, fietque liquor candidus, optimè refrigerans, quem ideò lac virginis appellant, in quo duplicata lintea humectantur, atque huic omnique alii inflammationi imponuntur, donec exſiccentur, tunc iterum intincta denuò imponuntur, donec omnis calor extractus ſit, quod brevi fiet.

Alii coqvunt vulgarem cremorem lactis cum melle, & imponunt, nonnulli olibanum & myrrham in aceti & vini æqualibus partibus coqvunt, & ſi unà ingens dolor infeſtat, etiam tria vel quatuor grana laudani opiati addunt, ac cum prædictis bulliunt, poſtmodumq; jus intinctis linteis calidè imponunt, quo dolores ſedantur, ac ſuppuratio impeditur.

Alii accipiunt olei roſacei ℥ij. albuminum ovorum n. ij. aquæ roſaceæ ℥j. aceti roſacei ℥ſ. hæc cum fruſto aluminis inter digitos retento optimè inter ſe conquaſſant, mixtaque ac tepida duplicatis linteis applicant.

Sedato

Sedato dolore bis in die admoveatur ungventum de althæa, quod egregiè reſolvit & diſcutit, ſi verò tendit ad ſuppurationem, imponatur emplaſtr. apoſtolicum, vel cæpa ſub cineribus aſſata, & cum axungia porcina,& modico ſapone illo molli nigricante ſubacta, quo cataplasmate citò rumpitur, & triapharmaco ſanatur.

DE EXULCERATIONE MAMMARUM.

INflammatio niſi diſcutiatur vel reſolvatur, ſemper naturaliter terminatur in ſuppurationem & exulcerationem, quæ tamen plerunque paulò ante narratis remediis præcaveri poteſt, multisque aliis, quemadmodum Foreſtus duo arcana ſuperſtitioſa (ut ipſe vocat) contra inflammationem mammarum in medium profert,quibus prohiberi poſſit ſuppuratio, ita tamen ut mox in principio adhibeantur,quorum unum ſit, quod quis manu dextra 25. ranas occidat, manumque poſtea mamillæ inflammatæ applicet, ſic inflammationem abigi; alterum ſit, quod quis manu talpam tenendo occidat, tamdiu ſcilicet eam comprimendo, donec moriatur, manumque poſtea leviter ad mammam apponat initio, & ſic inflammationem curari absque ſuppuratione. At parvi facienda eſſe ejusmodi arcana arbitramur, quæ curant absque eductione cauſæ, nam licet conſaneſcere videantur, non poteſt tamen firma & conſtans ſanitas eſſe, ſed noxa aliquandiu in corpore latebit, & poſtea alibi erumpet, verùm ſi ſimul conveniens purgatio inſtituatur, ut vitioſa materia educatur, tunc facilè varia ſedativa inflammationis ſuccedere poſſunt.

Interdum autem dicta inflammatio diſcutientibus reſolvi nequit, ſed ſponte ad ſuppurationem fertur,vel etiam per ignorantiam ægri opportuno tempore convenientia medicamenta non adhibentis negligitur, gravemq; exulcerationem excitat, in hoc caſu ſuppuratio adjuvanda eſt cataplasmate emolliente, quale ſequens eſt:

℞. radic. althææ Cataplaſ. emolliens.
lilior. albor. an. ℥j.
folior malvæ
mercurial. an. m. j.
coquantur ad mollitiem quibus contuſis adde
farinæ tritici
hordei an. ℥ſ.
butyri recent.
pingved. gallin.
porcin. an. ℥j.
ol. chamæmelin. q. ſ. f. cataplaſma tepidè imponendum.

Si maturatum ſponte non rumpatur, incidatur ſcalpello, pusque expurgetur melle & ſucco apii, nec non vitello ovi, linimento nimirum ex eis parato & impoſito,vel mundetur ungvento mundificativo, quod ita paratur. Liqueſcat uncia una mellis ſuper ignem lenem, ne mel aduratur, poſtea agitando ſpatula lignea vitellum unum ad duritiem coctum melli commiſce,donec absque aduſtione fiant ungventum, de quo in ruptum abſceſſum imponatur,

tur, donec probè mundetur, mundificat hoc ungventū etiam omnia alia ulcera recentia & inveterata, & ſi nimium impura ſint, admiſcetur octava vel decima ejus pars mercurii præcipitati vulgaris, præterea notanda quoque eſt admonitio Amati Luſitani, quod non facilè exulcerata mamma ad ſanitatem perducatur, niſi altera ſana à lacte exſiccetur, quod fit, ſi ſaltem fœmina infanti lac non dederit ſugendum. Vel frigefaciendo mammam intinctis linteis in aqua frigida, ac ſuper eam pulticulam ex fabis & aceto paratam imponendo. Ulcus demum ad ſanitatem perducitur emplaſtro oppoteldoch, cujus deſcriptio infra habebitur.

DE CANCRO MAMMARUM, Germ. der Krebs an den Brůſten.

Cancer mammar. quid?

CAncer vel carcinoma eſt ex genere tumorum & ulcerum, in multis enim non exulceratur, in aliis verò brevi ad exulcerationem vergit, tumor itaque eſt melancholicus, prædurus, rotundus, turgidus, colore lividus vel ater, his in locis exoriens, ubi complures ſunt muſculi ac venæ, quas turgere facit ſangvine livido, ut quodammodo appareant inſtar pedum cancrorum, unde hic tumor quoque nomen cancri obtinuit, & ſi exulceratur, abit in ulcus ſordidum, tetrum, mordax, doloroſè punctivum, & valdè corroſivum; frequens eſt in collo, naſo, palato, ſede, utero, omnium tamen frequentiſſimè invadit mammas fœmineas, ob earum laxitatem & glanduloſitatem, quâ facilè recipiunt vitioſam materiam à capite vel utero eò devolutam, initio hic tumor eſt exiguus, ac ſaltem ad piſi magnitudinem accedit, tum verò fabam, poſtmodum nucem juglandem ac demum ovum magnitudine æquat.

Cauſæ.

Cauſa ejus frequentiſſima eſt ſangvis menſtruus vel hæmorrhoidalis obſtructus, in his enim viris qui antea hæmorrhidas, & fœminis qui debito tempore fluxum menſium ordinatè habuerunt, & poſtea ex obſtructione vel ætate ingraveſcente deſveſcunt frequens eſt, à craſſa quoque ac melancholica diæta, oriri ſolet, ac præ aliis monachas frequenter infeſtat, nec rarò etiam quartanam febrim ſequitur.

Signa.

Signa cancri ſunt, quod ejus tumor non exulceratus durum tumorem exhibet, qui diu geſtari poteſt, ſi non acribus vel calidis rebus impoſitis exaſperetur vel irritetur, hoc enim ſi fiat, fit è veſtigio ferus & corroſivus, carnemque vicinam & ſubjacentem corrumpit, horribilemque fœtorem exſpirat, ulcus eſt ſordidum, aſpectu horridum, labris inverſis & duris, ex quo tenuis, nigricans vel fulva ſanies profluit, febris aſſidua & lenta comitatur, animique defectus frequens adeſt, ob proximam cordi vicinitatem horrendumque fœtorem cordi & cerebrò inimicum, ſi nimirum in mammis cancer hæret, rodendo autem brevi in longum, & latum diſcurrit, & profundum ſuffodit, niſi malignitas ocyus mortem accerſat.

Prognoſis. Prognoſin quod ſpectat, cancer eſt ulcus omnibus aliis inſanabilius, præſertim in provectiori ætate, non tamen omninò impoſſibilis ſanatio eſt, ſed in juniori ætate, & ubi menſes & hæmorrhoides cieri poſſunt, efficacibus medicamentis interdum domari poteſt. Si tamen ulcus jam diu duravit, & in profundum roſit, vix aliqua ſpes ſupereſt, cujus ſignũ eſt, ſi ulcus multum profundit ſangvinem, ex eo enim cognoſcitur, quod profunda eroſio facta ſit, cordiq; approximetur, ac interitus ægri inſtantaneè ſit timeſcendus. Signum cancri deſperati

Curationis ſpes. Quantum autem auxilii adverſus hoc maligniſſimum ulcus ſperari poteſt, in eo conſiſtit, ut patiens forti curatione morbi gallici tractetur, ſeu iſtis remediis utatur, quæ ad inveteratam luem veneream efficacia ſunt, ubi imprimis purgatio corporis ſangvinem mundificans inſtituenda eſt, melior autem purgatio haberi non poteſt, quàm ex mercurio benè præparato, teſte Helmontio, qui ſuo ſe mercurio diaphoretico fixo intrò dato cancrum exulceratum brevi tempore ſanaſſe affirmat, quamvis autem mercurius fixus ſit rariſſimus, neceſſe tamen eſt, quod etiam aliter præparatus mercurius in curatione uſurpatus non longè ab eodem ſcopo aberret, prout in puero apparet, quod, licet adeò robuſtus non ſit ac vir, tertiam tamen vel quartam partem ipſius roboris pariter poſſidet, & reiterando laborem tandem eundem effectum præſtare poteſt, Mercurius autem noſter cum auro præcipitatus, juxta noſtram inſtitutionem in tractatu de panacæis mineralibus traditam brevi admodum luem veneream eradicat, & perfectè ſanat, atque etiam in noſtra præſentia lepram Græcorum ſive pſoram funditus ſanavit, quidni ergò etiam in exulcerato cancro aliquid laude dignum præſtare poſſet? mirificè enim reſiſtit omni corruptioni, uti ex eo patet, quod omnes vermes enecat, & expellit, vermes autem ex corruptione & putrefactione naſcuntur & generantur, ſequitur itaque quod etiam ipſam corruptionem & putrefactionem impediat, cancer autem nihil aliud eſt quàm ingens corruptio, corrumpendoque ac depaſcendo idem præſtat quod vermes, rodit enim & ſuffodit ſurſum & deorſum atque ad latera tanquam vermiculus in nuce vel pomo, indureſcere & nigreſcere facit quaſi vermis in raphano, vermiculoſi enim raphani aliis ſunt duriores, nigriores & acriores. Non eſt ergo dubium, quin illud quod vermes abigat, etiam hanc corruptionem ſit exterminaturum.

Ad ſanandum etiam hoc ulcus aliaq; quæ bubones & tumores concurrentes habent, uti eſt peſtis, luesque Gallica multum juvat radix ſcrophulariæ, ſignaturam etiam tuberoſitatis habens. Debet itaque in cibo & potu toto curationis tempore uſurpari. Remedium à ſignaturâ.

Ad ulcus ipſum nihil debet applicari quod acre & valdè calidum ſit, ulcus enim eo irritaretur, & triplo plus corroderet, ſed talia adhibeantur, quæ ſvaviter refrigerant, quale eſt Cautela.

eſt extractum mineræ plumbi, per acetum deſtillatum factum cum ſucco parthenii ſive radicis lappæ majoris mixtum.

Apprimè etiam notandum quod impoſſibile ſit in ſanatione quicquam proficere, niſi patiens ſi fœmina ſit, habeat fluxum menſium, ſi verò mas, atque antea aſvetus fuerit repurgari per hæmorrhoides, tunc autem eæ ſint obſtructæ, nihil tamen efficitur internis medicaminibus, ea expellentibus, pellerentur enim ſaltim ad ulcus, quibus tantummodò pejoresceret, ſed ſufficit exterius applicare peſſum, qui optimè poteſt fieri è maſſa pilular. cochiar. minor. vel indatur myrrha in exiguum ſacculum, & loco peſſi adhibeatur. Plura de hoc affectu heîc inſerere ſuperſedebimus, cum ipſe Author infra de cancro plurima habeat.

DE LACTIS DEFECTU, *Germ.* Mangel der Milch.

DEus ter optimus max. dedit quidem ſexui fœminino hanc naturæ proprietatem, ut quæ ſunt prolificæ, etiam lac in ſuis mammis contineant, pro fœtus alimento. Attamen reperiuntur interdum, quæ illud non in ſufficienti quantitate profundant, quod infantibus idem eſt, ac adultis annonæ caritas.

Cauſæ. Cauſæ lactis defectus ſunt: vel vitioſitas ſangvinis, vel ejusdem penuria, vel defectus ventriculi ac hepatis malè concoquentium, vel prægreſſus aliquis morbus, ſangvinem & humores depaſtus, vel intemperies corporis calida, corpus valde exiccans, vel vitioſitas mammarum, ſangvinem non ſufficienter recipientium, vel nova imprægnatio, ubi lactis materia ad uterum trahitur ad nutriendum fœtum.

Curatio hujus affectus conſiſtit in cognitione & ablatione cauſæ, ſuppeditatione nutrimenti lactifici, uſuq; remediorum lactificationem adjuvantium. Nutrimentum debet inſtitui ex optimis ac concoctu facilibus cibis, uti ſunt hordeum & avena decorticata, lac caprillum & ovillum, juſcula carnis, paſtinacæ radices, nec non petroſelini & fœniculi, ova recentia ſorbilia, caro vitulina, pullorum gallinaceorum, capones. Potus ſit vinum dulce, tenue, album, & pro tenuioribus cereviſia optimè cocta, & defæcata non admodum fortis, multumque juvat ſæpius aſſumere juſcula ex eâ multo butyro impingvata. Curatio.

Inter alia remedia diverſa habentur experimenta, Hercules Saxonia commendat experimentum mulierum Patavinarum, in quo argentum vivum includatur nucis avellanæ cortici, omni obturato exitu, colloque appenſum geſtetur, alii utuntur ſequenti tragæa:

℞. rad. cardui Mariæ Tragæa.
fœniculi
piperis longi an. ʒiij.
ſachari cand. ℥j.

m. f. pulvis impalpabilis, cujus manè & ſerò pugillus accipiatur per aliquot dies.

Vel ℞. ſem. ſeſeleos Pulvis.
aniſi an. ʒj.

foenic.
lactuc. an. ʒſ.
cryſtall. præp. & trit. ℈ij. m. f. pulv. capiat. ʒſ. in vino albo manè & ſub noctem.

Alius. Vel ℞. ſem. paſtinacæ ℥ſ.
fœniculi
aniſi an. ʒij.
lactuc. ʒiſ.
lini ʒj.
cinam. elect. ʒiſ.
ſach. cand. ℥iſ.
m. f. pulv. cujus ʒj. manè & tantundem horâ unâ ante cœnam in vino albo aſſumatur, lac mirè auget.

DE LACTIS REDUNDANTIA.

QUibusdam lac in mammis nimis copioſè & plusquam infans abſumere poteſt, generatur, unde mammæ non modò inutili ſuperpondio gravantur, verùm etiam tenſione & dolore moleſtantur, ita ut ſic affectæ cogantur ſuperfluæ iſti lactis generationi remediis obviam ire, hoc enim ni fecerint, inflammatione periclitantur.

Cauſæ. Cauſæ ſunt: vel temperamentum ſangvineum corporisque uberior ſucculentia ab humida & calida conſtitutione producta, vel victus nimium nutriens, item potitatio vini dulcis copioſa, quod ſtatim in cruorem ſuccumque nutritivum commutatur.

Prognoſtica. Prognoſis eſt, quòd mammæ à nimia lactis gravatione & tenſione facilè dolores, inflammationem, & periculoſam apoſtemationem concipiunt, maturè itaque his antevertendum.

Curationis ſcopus eſt, ut alimentum minuatur, & nonnihil permutetur, abſtinendo à vino, & cibis nimium nutritivis, quales ſunt cremor hordei, ova ſorbilia, & recentes carnes, vena etiam in ſangvineis ſecanda.

Exterius mammis imponenda ſunt, quæ lac extenuant, & exſiccant, hunc in modum:

Primò lac redundans ante externam aliquam applicationem exſugatur, vel emulgeatur, aliàs à topicis facilè coagulatur, poſtea inungatur ungventum populeum, vel ſuccus menthæ. Vel reſinam abietis contempera cum cremore lactis, pannoque inductum tepidè applica. Vel ſolummodò foveantur mammæ aceto calefacto, imbuendo eo ſpongiam & ſuperligando, poſſunt etiam aceto acri prius incoqui mentha, gallæ & cuminum, & poſtea eo foveri. Vel mel, crocum & terebinthinam invicem miſce, ac emplaſtrum inde factum impone, Altimaro ſequens experimentum in uſu fuit pro matronis nobilibus, exſiccationem lactis expetentibus, quod ſequenti medicamine præſtitit absque metu inflammationis:

℞. althææ totius cum radic. Experimentum
oreoſelini
apii
malvæ an. p. j.
florum chamæm.
fol. lauri an. m. ſ.
coqvantur in ſ. q. aquæ, qua calente mammæ foveantur & abluantur,

emulcto

emulcto prius lacte; poſtea oleo roſac. omphacino inungantur, demum terebinthinæ q. ſ. vino albo & aq. roſ. ablutæ admiſceantur duo vel tria ova, ac croci ℈j. additâque cerâ in ſ. q. ex eis f. ceratum, quod panno craſſo lineo ſuperinducatur, perforando illud ibidem loci, ubi papillis ſuperponitur, ut utraque eminere poſſit, ac mamillis imponatur, nec non faſciis ſuperligetur, reiterando eundem fotum & ceratum manè & veſperi.

DE LACTIS GRUMOSITATE.

NOn infrequenter contingit, ut lac in grumos vel caſeoſum coagulum concreſcat, ac poſtmodum alia incommoda pariat, niſi maturè obſiſtatur.

Cauſæ. Cauſæ ſunt: vel nimia lactis copia, vel nimis diutina lactis in mammis retentio, antequam exſugatur vel emulgeatur, non ſecus enim tandem aceſcit, ac quodlibet aliud lac foris in vaſis repoſitum, quod videmus brevi ſpatio aceſcere, vel etiam inſtillato aliquo liquore acido mox caſeari, ac in ſerum & grumos ſeparari, idem etiam contingere poteſt poſt uſum refrigerantium applicatorum, vel nimium calefacientium, quæ tenuiorem ſeu aquoſiorem partem lactis exhalare faciunt, craſſiori remanente. Item ab externa contuſione, aliisque modis.

Prognoſis. Prognoſis eſt, quod niſi convenientia remedia applicentur, grumefactio & coagulatio ejusmodi tumorem, inflammationem & apoſtemationem indubiè parit.

Curationis ſcopus. Curatio pro varietate cauſæ aliter atque aliter inſtituenda venit, ſi enim redundantia ſangvinis in cauſa eſt, adhibenda ſunt ea remedia, quæ paulo ante enarrata ſunt, exſugendo nimirum vel emulgendo prius lac, & poſtea decocto menthæ & fœnugræci fovendo: ſi à nimio calore proveniat, ordinetur victus refrigerans, medicamenta autem ferè eadem conveniunt, imprimis epithema è fœnugræc. ſem. lini, & althææ decocto, cum oleo viol. & modico aceto. Imprimis autem ſequens ungventum ad lac grumoſum potenter diſſolvendum in uſu eſt:

Ungventum.

℞. abſynthii
ſemin. anethi
cumin.
ſtyrac. liquid. an. ℥j.
coaguli hœdi ʒvj.
ol. abſynth.
pingved. anatis an. ℥iij.

f. ex his ungvent. coqvendo ea in ſ. q. aquæ ultimoque addendo ℈j. croci, quod calidè applicetur.

Sæpius grumoſitas diſſolvi nequit, ſed inflammationem efficit, & ſuppurationem, & maturativis ſuccurrendum, prout ſupra de inflammatione dictum eſt.

Malum pilare. Quidam medici etiam inter affectus mammarum referunt pilare malum, ſic dictum à pilo, qui in mammis invenitur, de quo tamen non conveniunt, quidam enim in mammis pilos poſt partum interdum innaſci volunt, alii dicunt quod unus tantùm ſit pilus, qui caſu

 fortuito

fortuito cum potu intret, & poſtea ingentem dolorem in mammis moveat, qui ſedari non poſſit, donec exprimatur, vel ſponte exeat, vel cum lacte exſugatur, exterius ſimul inunctione facta ex lithargyrio, aceto, & ſale, hujus affectus mentionem facit Benedictus Veronenſis lib. 11. cap. 12. item Foreſtus lib. 17. obſervat. 21. de cordis ac mamillarum affect.

DE FISSURIS PAPILLARUM, Germ. Schrunden der Bruſtwärtzlein.

PApillæ tenerrimâ obductæ tunicâ non ſecus ac labia oris interdum finduntur, rimulasque ſeu fiſſuras contrahunt, & inter ſugendum acerbos dolores patiuntur, ubi aliàs eædem papillæ ſanæ exiſtentes potius à ſuctione infantis titillationem ac voluptatem ſentiunt.

Cauſæ. Cauſa eſt nimia tenuitas cuticulæ, quæ à forti ſuctione facilè diſſilit, item afflatus aëris frigidi & ſicci, qualis in Martio & à conſtitutione aquilonia dominatur, & tunc itidem in his qui teneriori cuticulâ præditi ſunt, fiſſuras in labiis & manibus excitare ſolet.

Remedia. Remedia ſunt: vel mucilago ex contuſo ſemine cydoniorum in aqua roſarum macerato extracta, & cum oleo violac. in ungv. redacta, & fiſſuris illita.

Vel imponatur ſucco plantaginis tragacanthum, & prodiens mucago illiniatur.

Plura remedia pro affectibus mammarum proponit

TEXTUS.

INflammationem mammillarum præcipuè ſedant epithemata externa.

Sic epithema ex thure & myrrha coctis cum aceto & vino tepidè applicatum (ſi dolor vehementior, addantur laudani opiati gran. ij. iij. IV) inflammationes incipientes tollit.

Sic vernix præparata & emplaſtri loco applicata inflammationes tollit, & abſceſſus prohibet: cicuta ſimpliciter tuſa inflammationes à lactis redundantia ſedat, & abſceſſum prohibet.

Internè in ejusmodi inflammationibus ſubitò auxilium ferunt ſpecula illa pennarum pavonis (die oberſte Spiegel-Feder allein/ *ubi ſignatura mammarum) quorum tria vel quatuor diligenter cultro in minimas partes ſciſſa, & aquâ menthæ exhibita ſeu abſorpta ſtatim proſunt.*

Abſceſſibus adhibeantur 1. diſcutientia. 2. maturantia. Ulcera facilius non curantur, niſi ab oleo nucis juglandis expreſſo, & leniter in ſartagine inſpiſſato, ac poſtea cum turundis applicato.

Præſtantiſſimus eſt balſamus ſulphuris Rulandi, qui ita fit:

℞. ſulphuris vel florum ſulphuris ℥ij. olei papaveris expreſſi ℔j. vini boni ℥iij. macerentur per Balſamus ſulphuris Rulandi.

octo

octo dies leni igne, aliquoties movendo, poſtea bulliant igne carbonum lentiſſimo, usque dum vinum conſumptum fuerit ſemper movendo. Tandem cola ſeu trajice per laciniam & ſerva. Vid. curat. 29. cent. 1. Rulandi. Item emplaſtrum diaſulphuris: ℞. olei ſive balſami ſulphuris ℥iij. ceræ ℥ſ colophonii ʒiij. myrrhæ ad pondus omnium, cerâ, colophonio, oleoq; liquefactis inſpergatur myrrha ſubtiliſſimè trita, igneque lento coquantur ſpatula ſemper agitando, donec permixta fuerint benè, poſtea nimirum poſt quartam horæ partem ab igne deponantur, & paulatim frigeſcant.

Emplaſt. diaſulphuris.

CANCER.

Cancer mammillarum in mulieribus plerunque ſubſequitur menſium obſtructiones, aut ſi ab alia cauſa procatarctica ſuum initium habuerit, ſæpè tamen menſes ſubſiſtunt, & malum fit deterius.

Non exulceratum ſatius eſt intactum relinquere, hoc modo nihil proficientibus auxiliis, ſed malum exaſperantibus. Mitius fit, ſi menſes in priſtinum ſtatum vel à natura vel à medicamentis revocati redeant ſi per ætatem id licuerit, aut ſi corpus aliàs cacochymicum, purgantibus & mundificantibus reddatur purius.

In mundificantibus præſtat ſpecificum purgans Paracelſi. Item mercurius dulcis & alia melanagoga, cum chymica, tum vulgaria.

Ulceratus firmiſſimè ſanatur 1. aqua fuliginis mundificante, donec nempe fiat eſchara. 2. Valet oleum arſenici fixi, in aqua plantaginis distemperatum, donec nempe mundificetur ulcus, & eſchara ſponte vel axungiis adjuta cadat. Quod ſi fibroſæ radices per cavitates hinc inde diſſeminatæ fuerint, volſellis evellantur prudenter.

Sanatio cancri ulcerati.

Internè ſæpius magiſterium oculorum cancrorum in aqua empetri; aut perſicariæ exhibeatur.

Externè mundificato ulcere, & cancro mortificato, conſolidantia ex oleo, balſamoque ſulphuris ejusque emplaſtro procurentur.

Hæc autem cura celebris eſt in ulcere cancroſo, vel carcinomate tantùm incipiente. Si eſthiomenon acceſſerit, ſeu ſi ulcus ſordidum & cavernoſum redditum fuerit, præſertim ſi in thoracem usque propagatum, rariſſimè ſanatio ulla locum habere poteſt. Præſtat poſt mundificantia ſæpius ulceri aſpergere pulverem de cuticulis ovorum internis pullorum excluſorum.

Lactis

Lac imminuentia. *Lactis redundantiam auferunt maximè folia cicutæ vel menthæ appoſita. Item caſeationem lactis ſolvunt. Felicius operaberis, ſi menſes ſimul fluant, itaque vel à naturâ vel arte movendi.*

Lac augentia. *Lac promovet ſemen fœniculi ſæpius comeſtum. Item radix fœniculi geſtata idem præſtat. Pulvis cryſtalli lapidis tenuiſſimus ſemel atque iterum pondere ℈ſ. vel etiam ℈j. datus in aqua fœniculi à proprietate quadam lac augere videtur.*

Sciſſuræ papillarum. *Sciſſuras mammillarum tollit axungia cochlearium, de quo ſupra de fiſſuris labiorum. Item capi. Item pomada.*

Cancer. *Cancer eſt tumor inæqualis, aſpectu teter, aliquando cum dolore. Nomen accepit à cancris. Hoc vitium fit in omnibus humani corporis partibus cum internis tum externis, quæ à naturâ purgationem habent, imprimis autem in mammis, quod raræ & laxæ ſint, quæ craſſiſſimam materiam melancholicam promptiſſimè excipiant. Generatur ex melancholico humore efferveſcente, qui ſi ſit acrior, exulcerationem efficit.*

Differentiæ. Signa. *Sunt cancrorum differentiæ ſpeciales, nam quidam ulcere carent, quidam exulcerantur, ſigna ſunt tumor, magis phlegmone nigricat, absque tantâ caliditate, venæque in habitu intumeſcunt, quoniam ſangvis inutilis à profundo attrahitur, ideòque varicoſæ venæ redduntur.*

Color cancri cineritius ſublividus, ad purpureum vergens, tactu duriſſimus, pungentes interdum dolores inducere ſolet, & maximè in maxillis & mammillis, in aliquibus autem corporis partibus dolorem infert, in aliquibus non.

Diverſificatur tum ratione loci, tum ratione materiæ, cum ſunt humores mixti, melancholici atque bilioſi ſimul, ratione loci in facie, in labiis, in naſo, in fronte, in manibus, digitis, ut experientia me docuit. Hæ partes immunes ſunt ab omni dolore, in mammis autem dolorem pungentem habet; in virili parte quoque dolores habere ſolet. Ubi cancer ſit dolorificus vel non.

Naſcuntur aliquando in labiis, naſo, in angulis oculorum, in fronte, & in tota faciei parte, ut plurimum quaſi verrucæ in forma ciceris, poſtea dilatantur & creſcunt ſicut fungi, cum labiis calloſis & inverſis, ſolent ſangvinem, vel quiddam virulentum emittere. In fronte ſolent ut plurimum corrodendo ſe dilatare.

Aliud genus ſeu ſpecies nullo modo ad ulcus pervenit, ſed tumor manet ſcirrhusque durus, lividus,

vidus, & nunquam ulceratur, & quotidiè augetur. Imò ut plurimum in collo, epate, ſplene, in vulva, in matrice, naſci ſolent, rarò in aliis corporis partibus, neminem vidi niſi Patavii in naſo cujusdam mulieris.

Primum hujus vitii genus ſi ulceretur, jugiter erodit, & profundum ſuffodit, ſaniem putridiſſimam emittit, & dolorem abominandum creat, qui ſufferri vix poteſt.

Incurabilis eſt, qui habet radices ſeu venulas varicoſas, quæ ſangvinem è profundo attrahunt in partibus thoracis, alius eſt curabilis.

Diæta. In curatione cancri 1. inſtituatur conveniens victus ratio, in qua vitanda, quæ ſuccum melancholicum generant, utendum ptiſana, hordeo, malva, atriplice, beta & omnibus, quæ bonum generant ſangvinem, & concoctu faciles ſunt, bibendum vinum tenue, album, non valdè antiquum.

Vacuatio primum tentanda ſangvinis miſſione, modò vires & ætas permiſerint.

Vena in gibbo media ſecanda, & primò menſes provocare, poſt humorem peccantem evacuare oportet.

Si hæmorrhoides in viris, qui bus emanare conſvevere, ſuppreſſæ ſint, recludantur.

Purgantia erunt epithymum, ſenna, polypodium, ſerum lactis, & hujusmodi compoſita, diaſena, diabugloſſum, pilulæ de lapide lazuli.

Poſthæc humorem, qui in partem decubuit, repellere, vel discutere, adhæc particulam, ne quid humorum abundantiæ ad eam confluat, firmare oportet cum aliquo repercuſſivo circa locum affectum: poſt imponendus pulvis benedictus ab Altiſſimo mihi datus ad utilitatem generis humani.

Hunc ordinem ſervare oportet medicum: manè jejuno Medicus ſemper cum ſputo bombacem apponat. Si cancer eſt ulceratus, accipiat pulverem abſterſo prius ulcere ab omni ſanie & virulentia, poſt aſpergat pulverem, ut aſpergunt farinam ſuper piſces, cum parantur in ſartagine, & cum prædicta bombace tegat, ac cum ſputo liniat circumcirca, ut adhæreat, cum adhæret, nunquam cadit, niſi unà radices ſecum eradicet. Solet hoc ut plurimum inferre dolorem interpolatè, quando humor acris & mordax non poteſt purgari per ulcus (etiam alioquin ſit tumor magnus, eo tempore nec removendum medicamentum, nec aliquid ſupra apponendum ſed circum oleo roſaceo illinendum, usque dum per ſe cadat) quando ille hu- Methodus curationis.

mor acris purgatur per ulcus, nullum dolorem infert, poſtea purgatur ſicut alia ulcera. Sed ego ſemper uſus ſum pulvere incarnativo mundificativo & digeſtivo ſolum ex terebinthina & vitellis ovorum cum ungvento de lithargyrio & mumia, ut infra ſcribam.

Semper advertendum, ne aliquot radices remaneant, & ſi remanſerint, iterum imponendus pulvis. Extat alioquin, dum abſint radices varicoſæ unus cancer ſuper alium quaſi ſtrumæ, tunc oportet iterare pulverem, usque dum ſtrumæ omnes evelluntur, & iſti cancri ſunt difficilimæ curationis, cum ſunt in thoracis partibus, quia inter thoracem radices habent.

Multas mulieres curavi ſolo hoc emplaſtro, dum erat in fieri ulcus: ℞. gummi ammoniaci in aceto ſoluti, & exquiſitiſſimè purgavi ſuccum illum malignum tali modo, quod non fluebat ad locum affectum (expertus ſum in mammillis) & ſæpè iteravi ad perfectam usq; curationem. Hoc emplaſtrum poſt conſolidationem ulceris per aliquot dies appoſui, & feliciter curavi nonnullos.

Emplaſt. ad cancrum.

Pulveris benedicti conficiendi ratio.

Pulvis benedictus ad cancrum

℞. pulveris in ſigno A. ℥iij.
B. ℥j.
C. ʒiij.

Subtiliſſimè quantum ſufficit impalpabilis reddatur ſuper porphyritem, ſervetur in loco benè clauſo, ne humiditatem recipiat, & quanto magis inveteratur, tanto precioſior eſt. Ante annum ad uſum non erit bonus.

A. Accipe in menſe Junio, Julio & Auguſto radices dracunculi majoris (quia eo tempore folia ſiccantur, & tota radix remanet in terra) radicem illam ſcinde in plures particulas, ſuſpende in loco, ubi ſpirant venti, cum ſiccatæ ſunt, ſerva illas ad uſum in conficiendo pulvere.

Quando iſtæ radices haberi non poſſunt, in earum vicem radices dracunculi minoris, qui dicitur arum, accipe, ſed melior major dracunculus, qui dicitur dracontium.

B. Sandaracham ab antiquis à vulgo dictam arſenicum album (a) calcinoſum, non ſplendidum quaſi vitrum, non rubeum, quod in ſe habet quandam malignitatem, ſed album calcinoſum non habet tantam malignam qualitatem, præpara illud ſequenti modo: ℞. illius q. v. ſubtiliſſimè pulveriſa, per quindecim dies de tertio in tertium appone aquam vitæ in loco calido, ut recipiat illius virtutem, & cooperiat arſenicum, ad illum pulverem poſt triduum iterum nova aqua vitæ appona-

ponatur, & illa quæ prius adfuit abjicienda. Miſce ſimul cum aqua, & tunc erit præparatum.

(a) Sandaracha propriè eſt arſenicum rubrum vulgari albo venenatius, uti quidem putatur, ſed ſat venenatum eſt album, adeò ut intro datum homines & beſtias interimat, atque etiam exterius impoſitum horrenda ſymptomata excitet, parumque refert, an ſit calcinoſum vel compactum, eſt enim materia ſalina valdè acris & cauſtica, ſive compactè cohæreat, vel in pulverem concidat, uti etiam vulgaris ſal unam eandemq; operationem præſtat, tam in fruſtis cohærens, quàm in pulvere conſiſtens, arſenicum illud album eſt volatilis ſalina pars minerarum metallicarum imprimis verò argentearum, ita ut principium argenti potiſſimum ex arſenico fieri videatur, in maxima enim copia arſenicum planè niveum ex mineris argenti in igne ſub ſpecie denſiſſimi fumi exhalat, imprimis ex illa minera argentifera rubicunda pellucida, quam rot-gülden Ertz vocant, quæ dimidium ſui ponderis puriſſimi argenti continet, reliquum potiori parte eſt arſenicum niveum ſublimabile tam venenatum, ut, ſi in aliquo laboratorio per ignem tractetur, hi qui tum laboratorium intrant, ſub primo ingreſſu aliquam lancinationem in faucibus ſentiant, idem arſenicum etiam affatim continetur in mineris biſemuthi & cobalti, ita ut nil niſi argentum crudum ſive adhuc planè immaturum videantur.

Senſus autem Authoris eſt, ut ejusmodi album arſenicum in ſubtilem pulverem teratur (id verò debet fieri cautè, ne difflabile pollen ejus cum halitu intrò vehatur, nemo enim unquam id impunè hauriret, duplici itaque vel triplici linteo ſæpius madefacto os & nares præligato muniantur, & ſic aër reſpirationis transcolatur, atomi verò arſenicales madido panno agglutinantur) pulvis ille indatur vitro, & ſpiritus vini vulgaris, ſive non rectificatus ad ſupereminentiam aliquam ſuperfundatur, vitrum obturetur, & in loco frigido relinquatur, movendo ſubinde materiam cum ſpatula lignea, ut aqua vitæ ad omnes particulas pervenire poſſit, ſpiritus vini ita ſuper arſenicum relinquatur per tres dies, poſtmodum defundatur, & abjiciatur, continet enim in ſe partem corroſivam arſenici, quæ etiam per deſtillationem à ſpiritu vini ſequeſtrari nequit, ſed ſimul aſcendit, & aſcenſione etiamnum ſubtiliatur, & majus damnum inferret, abjecto hoc imprægnato ſpiritu vini, alius recens in dictum vitrum reinfundatur, & in omnibus ut prius procedatur, usque ad quintam repetitionem, ſive diem decimum quintum, tunc ſatis arſenicum eſt edulcoratum, infundatur tamen etiam adhuc ſemel vel bis aqua communis, eâque etiam ſpiritus vini acredo eluatur, tumque arſenicum exſiccetur, & ritè præparatum eſt. Præparatio arſenici.

Poſſet etiã præparari in hunc modum: capias arſenici albiſſimi & ſalis petræ clarificatæ ana partes æqua- Alia præparatio.

les,

les, & utrunq; prius ſeorſim in ſubtilem pulverem ſuper marmore teras, poſteaque commiſceas, ac tam amplo crucibulo indas, ut ſaltim ad dimidium eis impleatur, tum in furno anemio crucibulum reponas, ac ignem circularem ab initio paucis tantummodò prunis ſubſtruas, & quando materia mixta ſentit calorem, incipit tumultuari & aſcendere, effundenda itaque eſt è crucibulo ſuper lapideam tabulam, denuoque pulveriſanda, & in crucibulo liquanda, tamdiu id repetendo, donec non amplius aſcendant, ſed ſimul figantur, nullumque penitus fumum emittant, tum etiamnum per aliquod temporis ſpacium valido igne igniantur, poſtmodum ſuperfusâ aquâ nitrum exſolvatur, remanens verò fixum arſenicum jam præparatum eſt, atque omnem venenoſitatem & corroſivitatem in fixatione amiſit, quod exſiccatum ad uſum ſervetur.

Fuliginis ſplendentis camini ſelectio.

C. ℞. *fuliginem quæ reperitur in caminis (ſupra de confortantibus de oleo fuliginis) non antiquam, neque arenoſam, ſed quæ in ſe habeat ſalſuginem, quia ſolet reperiri quaſi tela aranearum, & hæc non eſt bona, & prudens operator poterit conſiderare ſuâ diligentiâ, & ut ſupra dictum eſt componat pulverem.*

Pulvis incarnativus.

Pulvis incarnativus & mundificativus.

℞. *Olibani*
Sarcocollæ
Maſtichis
Myrrhæ
Aloës
Mumiæ
Ariſtolochiæ utriusque an. ℥iij.
Mercurii præcipitati cum aqua calcinativa (b) *compoſiti* ℥iſ.
f. pulvis.

(b) Aqua illa calcinativa deſtillatur ex albuminibus ovorum, & vocatur corroſivum dulce, de qua vide Helmontium, verùm huc quilibet præcipitatus vulgaris inſervit.

Ego uſus ſum præcipitato facto cum auro amalgamato (c) *in nobilibus cum ungvento ſequenti: ℞. lithargyrii auri* ℥iij. *mumiæ* ℥iſ. *ſubtiliter pulveriſatis cum oleo roſaceo & aceto roſaceo f. ungventum in mortario plumbeo.*

(c) Senſus eſt, ſe loco præcipitati vulgaris accepiſſe pro nobilibus, qui ſolvere precium potuerint, præcipitatum aureum, cujus confectionem docuimus in noſtro tractatu de Panacæis mineralibus, commixtum dictis ſpeciebus pulveriſatis, debeatque hic pulvis compoſitus per ſe ulceri cancroſo jam mortificato inſpergi, atque etiam partibus ſex vel octo ungventi heic deſcripti una pars pulveris incarnativi hujus compoſiti immiſceri & ulceri imponi.

Ungventum

Quo uti ſoleo, tale eſt: ℞. lithargyrii, affunde oleum, & agitentur

tentur per quadrantem horæ, poſtea adde acetum roſaceum, & ſic agitetur, poſtea iterum ſolum, ſemper agitando & fermentando per tres vel quatuor horas, & erit optimè compoſitum.

CAP. XC.

DE AFFECTIBUS VENTRICULI AC PRIMO DE INFLAMMATIONE EJUS.

Deſcriptio anatomica ventriculi.

ANtequam ad deſcriptionem affectuum ventriculi nos accingimus, operæ pretium eſt de naturâ & uſu hujus viſceris nonnulla præmittere. Eſt itaq; ventriculus membrum adeò princeps, ut nulla corporis pars absque eo conſiſtere poſſit, eſt enim omnium culina unica, ac velut radix vitæ, quoniam non ſecus atque arbor à ſua radice viret, ſic omnes reliquæ partes, omnem ſuccum & ſangvinem à ventriculo obtinent. Conſtat præcipuè è ſubſtantiâ membranaceâ, eâque triplici, ſive tribus diſtinctis membranis, quarum exterior communis nuncupatur, & à peritonæo deduci creditur. Media carnoſior eſt, fibriſque carnoſis omnis generis refertiſſima, quæ admirandam varietatem oculis objiciunt, modò ſe orbicantes, nunc obliquantes, jam rectitudinem ſervantes, eum, ut creditur, in finem, ut robur his partibus præſtet, variumque motum exercere queat, præcipuam enim eam edere operationem ex eo deprehenſibile eſt, quod admodum robuſta & valdè incraſſata conſpiciatur. Tertia ſive intima nervoſior eſt palatum quoque obtunicans, rugoſitate inæquali dives, ut cibos eò mordicius arripere & amplecti facilius poſſit, cruſtulâ quoque rubeâ mucilaginosâ lubricata cernitur, ne exeſionem à ſuccis acribus patiatur.

Vaſorum triplicium communium etiam particeps eſt ventriculus, nimirum arteriarum, venarum & nervorum, venas ſuas habet partim à venæ portæ trunco, partim à ramis ejusdem tam dextro nempe meſenterico, quàm ſiniſtro videlicet ſplenico, venæ autem atque arteriæ peculiariter ventriculo propriæ vocantur gaſtricæ, communes verò eidem cum omento, gaſtro-epiploicæ, vena itaque gaſtrica dextra, aliàs pylorica nominata ob ejus præcipuum flexum ad inferius ventriculi orificium, oritur à trunco venæ portæ; vena gaſtrica major deducitur à ramo ſplenico, quæ ſuperiorem ventriculi regionem orificiumque ejus ſuperius more coronæ circundans coronaria nuncupatur, & ſurculis aliquot cum pylorica coit; gaſtricæ pariter venæ minores, nec non vas breve ſeu vena brevis, modò intra nunc extra ſplenem à ſplenici rami ſuperiore traduce verſus ventriculi fundum protenſa: ac tandem vena gaſtro-epiploica ſiniſtra ab inferiori ſplenicæ venæ ſurculatu exordiens, partim lævorſum ad ventriculi fundum, partim ad omentum diſtribuitur.

Vena gaſtro-epiploica dextra à ramo meſenterico exſurgens conſimili

mili quoque modo dispartitur, cùm ad ventriculi fundum anterius & poſterius, tum ad omentum, ſiniſtræque gaſtro-epiploicæ itidem inoſculatur.

Comitantur commemoratas has venas quàm proximè arteriæ ventriculi exorſæ à ramo cœliaco arteriæ magnæ, ejusque cum dextrâ tum imprimis ſiniſtrâ propagine, quas nonnulli in gravibus ſangvinis vomitibus reſerari arbitrantur.

Ramus externus tam dexter quàm ſiniſter ſexti paris copiosè ventriculo, præcipuè verò ejus ſuperiori orificio nervos defert, atque etiam aliis partibus in abdomine ſitis, unde non modò ex ſe, ſed etiam ob hos implantatos nervos dictum orificium exquiſitiſſimi & acutiſſimi eſt ſenſus, atque ideò ventriculo maximus cum reliquis viſceribus conſenſus intercedit.

Simplex ſeu unicus tantummodò homini eſt ventriculus, quippe cujus cibi ferè cuncti prius in molis & piſtrinis exactiſſimè comminuuntur, ac in furnis & ollis excoqvuntur, adeò ut poſtmodum parum laboris ventriculus inveniat, ſicque ſimplex ipſi ſufficiat, in ruminantibus verò quadrupedibus quatuor ſunt, nempe venter primus, reticulum, omaſus & abomaſus. Magnitudo ventriculi humani mediocris eſt, videlicet in his, qui voracitati non ſtudent, ingluvioſi enim & plurimo cibo & potu ſeſe infarcientes majorem habent, cum velut corium ſit extenſibilis, ſed quo plus extenditur, eò tenuior & attenuatior fit ſubſtantia ejus, eoque poſtmodum concoctio infirmior. Concoctio illa fit in fundo ventriculi ſeu cavitate, appetentia verò creditur vigere in ſuperiori orificio, quod propriè ſtomachus, inferius autem pylorus vocatur, cujus officium eſt, chylum jam ſufficienter ſubactum & concoctum è ventriculo ad inteſtina emittere.

Situs eſt ventriculus ſub diaphragmate inter duo illa viſcera principalia nempe hepar & lienem, quæ ambo attingit eisque committitur triplici ratione 1. concurrente vicinia, adeò ut lienem ſiniſtrâ, jecur verò dextrâ parte attingat 2. vaſorum communione. 3. ligamentali connexione.

Introitus ſive canalis ventriculi, per quem cibus & potus in illum demittitur vocatur gula, vel œſophagus, cujus principium pharynx dictum tribus movetur paribus muſculorum, nec non ſphinctere, ſive conſtringente particulari. Primum par nominatur cephalopharyngæum, inſerviens ad elevandum, ſecundi nomen eſt ſphenopharyngæi, tertium ſtylopharyngæum appellatur, utriusque hujus paris officium eſt ad magis dilatandum in deglutitione œſophagum, ſphincter autem gulam aſtringit, ac cibum intromiſſum deorſum propellit.

Conſtat œſophagus pariter triplici membranâ uti ventriculus, habetque ſuperius venas & arterias à jugularibus venis, & arteriis carotidibus internis, nervos autem ab externis ramis ſexti paris. In thorace ramus

ramus azygos venas, intercoſtales, arterias, dictique rami nervos ſuppeditant, donec tandem circa ventriculum communium ſuperiori ejus orificii vaſorum particeps fiat.

Munus ventriculi à plerisque modernis ſtatuitur eſſe, ut cibum ac potum in ſe acceptum exactiſſimè commiſceat, ac concoctione in chylum commutet, quem deinde per pylorum in inteſtina emittat, ubi venæ lacteæ in meſenterio illum recipiant, glandulisque lacteis committant, à quibus nonnihil præparetur, arteriisque ac venis advehatur, unde breviter præparatus ad thoracicas aliasque partes protrudatur, quâ in levi præparatione & expulſionis conatu ſerum ſeparatum à dictis glandulis lacteis in adjacentes vel renes exprimatur, vel emulgentes arterias, hancque compendioſam ac breviſſimam viam eſſe, rationemque cur ſtrenui potatores mox à potu urinam emittant.

Verum Galen. lib. 4. de uſu part. cap. I. ſcribens: *Pernicioſa pelli infernè, reliqvum verò omne, quod fuerit naturâ utile, utilius adhuc ab ipſo ventriculo redditum, venis, quæ tum ad ipſum ventriculum, tum ad inteſtina perveniunt, diſtribui:* præ omnibus aliis aliter ſentientibus ſcopum attigiſſe videtur, nimirum venas ad ipſum ventriculum deſinentes, mox optimum ſuccum præparati in ipſo chyli in ſe trahere, & ad jecur deferre, imò mox primo affluctu intra initialia extremitatis venarum in membranis ſtomachi deſinentium orificia ſangvificationem in eo exordiri, ſangvis enim in eis contentus jam perfectus ſemper fermentat ulterius in ſui ſimile, non ſecus ac fermentum panificii mox primo attactu maſſam farinaceam depſendo jam jam ſubactam totam in ſui ſimile fermentum fermentat, ea enim vis eſt fermentorum, ut etiam ſimplicem aquam ſtatim ſuo allinctu penitus immutent, & in varia corpora convertant, ut palàm fit in quibuslibet ſeminibus aquâ madefactis, quod ab aqua brevi intumeſcant, combibitâ nimirum in ſe aquâ, & in una parte corpus herbaceum, in alterâ radicoſum ex ſe emittant, quæ excreſcentia nihil aliud eſt quàm aqua in augmentum ſeminis jam fermentata, & ſi quis putet ſemina attrahere terreſtreitatem in aquâ latentem, poterit ſeipſum confeſtim convincere, ſi aquam prius per alembicum deſtillet, & optimè rectificet, deinde hordeum in eâ maceret ad tumefactionem ejus, tum verò illud reponat in loco temperato, videbit enim è quolibet grano excreſcere ingentem culmum, qui nil aliud eſt quàm aqua ſimplex per fermentum converſum in corpus hordeaceum, & ſic fit cum omnibus ſeminibus & radicibus, quod nimirum aquam pluvialem diverſimodè immutent, & in ſui ſimile eam in colore, guſtu, odore fermentent, ita ut minutiſſimum ſemen raphani in quibusdam locis radicem in longitudine brachium viri & ſpiſſitudine caput humanum æquantem ex aqua conficiat, variè etiam fermenta

aquam

aquam colorant, in radice enim betæ rubræ fit ſuccus ſangvineus, in radice rhabarb. flaviſſimus, & ſic conſequenter, quod etiam hæc fermentatio & transmutatio aquæ ſtatim attactu fibrarum radicum fiat, poterit in qualibet minutiſſima fibra guſtando ſeu maſticando obſervari, eundem enim & ſæpè acriorem ſaporem exhibent ac tota radix, certum autem eſt primam attractionem & fermentationem à fibris fieri, ac mox in eis compleri, aliàs ſapor in fibris deberet ſemper eſſe dilutior ſeu inſipidior vel aquoſior, quàm in mediâ radice, ubi tamen contrarium in multis obſervatur, quod ibi ſit ſapor langvidior & ſubſtantia lignoſior. Quanta enim immutatio aquæ in radice fiat, betula verno tempore non adeò procul radice vulnerata edocet, copioſiſſimum enim liquorem longè à proprietate aquæ ſimplicis diſtantem plorat.

Cum ergò tanta transmutatio fiat per nudum ſaltem attactum à fermentatione, tam in regno vegetabili quàm minerali, ubi mineræ metallicæ aſſuctam aquam in metallicam ſubſtantiam in igne incombuſtibilem fermentant, prout in fluviis aurum vehentibus apparet, in quibus nihil continetur præter puram & ſimplicem aquam, quidni idem fieret in regno animali, fermentatioque ſangvificationis pariter inciperet mox in fibris venarum in ſtomachi membranas tanquam primariam radicem animalium protenſis? uti quidem manifeſtè ſentimus, ſi admodum famelici vel debiles cibum & potum optimi nutrimenti ingerimus, quòd ſtatim eis vix ſtomacho illapſis per totum corpus recreatio & confortatio ſentiatur, quod fieri non poſſet, niſi omnia vaſa quaquaverſum optimam partem mox aſſugerent, in ſuccos ſibi ſimiles fermentarent, eosque per totum corpus transveherent, omnesque partes reficerent, quod totum ſolummodò fit virtute fermentationis, cujus ingens poteſtas etiam tali exemplo luculenter demonſtrari poteſt, ſi nimirum varii flores ſvaveolentes decerpuntur, hi enim naturaliter mox flacceſcunt, & exoleſcunt, ſi verò in aliquod vitrum vel vas aqua ſimplici recenti repletum ſuis extremitatibus impendeant, ut ſaltim aquam attingant, diu adhuc floridi & ſvaveolentes permanent, quod fieri non poſſet, niſi exhalantem portionem odoris & ſucculentiæ ex nuda aqua reſarcirent, eamque in ſuccum & odorem ſibi ſimilem fermentarent. Cum Galeno itaque ſtatuimus fermentationem trium ſuccorum principum, nempe ſinoviæ ſive ſucci nervorum, ſangvinei arterialis & venalis mox incipere intra extremitates horum vaſorum in membranas ſtomachi exporrectas, indeque membris principibus nempe cordi, cerebro, jecori &c. advehi, & ibidem perfectionari, unde alioquin tam cita inebriatio à vino generoſo etiamnum in ſtomacho morante fieri poſſet, niſi ſpiritus vini inebriativus ſtatim ab extremitatibus vaſorum in ſtomacho

(cujus

(cujus gratia fortè tam notabiles nervi vaſaque ipſi orificio inſeruntur) arriperetur, & in caput veheretur, idque tanta in copia, ut rationem, viſum, loquelam & motum obruant?

Et ſi absque beſtiali ſcandalo fieri poſſet, putamus illud etiam reipſa probari poſſe, ſi quis generoſum vinum deſtillaret, atque exactè notaret quantitatem ſpiritus vini ardentis, poſtea verò aliquam ejusdem vini copiam biberet, quousque nimirum ſpiritum inebriantem in capite ſentiat, tum verò immiſſo in fauces digito ſibi ipſi vomitum proritaret, omneque vinum probè recolligeret, ac itidem deſtillaret per alembicum, pondus enim ordinarium ſpiritus vini iſtius eum non repertum opinamur, ſed valdè ſcandaloſum eſſet experimentum, meliusque fore credimus innocenter neſcire, quàm ſcandaloſè diſcere.

Hisce tamen non negatur reliqua chyli elaboratio in inteſtinis, meſenterio, vaſisque lacteis, videturque ſe res habere in modum farinationis, ubi optima farina levi operâ mox primo frumenti moliti concuſſu per ſpiſſum linteum ſecernitur, reliqua verò craſſior pars ulteriori molitione & per rariora lintea concuſſione opus habet, antequam omnis farinacea pars obtineatur, furfuresque ſegregentur.

Doctrina Helmontii de operatione ſtomachi.

Helmontius tamen non ſolum hæc ſed & pleraque aliorum aſſerta de operatione ventriculi confutare nititur, ſuamque peculiarem econtra ſtabilire de hisce rebus doctrinam, quâ præcipuè ſequentia aſſerit: Digeſtionem in ſtomacho non fieri à calore efficienter ſed tantum excitativè digerente, hoc eſt calorem non efficere digeſtionem, ſed excitare ſaltem fermentum ſtomachi ſpecificum, à quo tota digeſtio, & concoctio perficiatur, illam autem virtutem fermentalem ſpecificam conſiſtere in acore ſive potentiſſima aciditate, à liene ventriculo inſpiratâ, cujus vi canes oſſa conficiant, quæ tamen ipſi igni incombuſtibilia ſint, enim verò ſibimet ipſi (Helmontio) contigiſſe, quod aliquando vitri fragmenta alba & opaca è fornace ſua disjecerit, quorum colore lacteo ſuæ gallinæ deluſæ ea deglutiverint, paucos verò poſt dies aliquot gallinis occiſis compertum eſſe, vitrum circumquaque imminutum punctatim, & acumina amiſiſſe, nec non globoſum fuiſſe effectum, fracturâ alioqui vitri ſemper acuminatâ exiſtente.

Cæteras autem ſuperſtites & convivas mox poſt paucos dies reliquum vitrum contriviſſe, non obſtante, quod etiam exemptos è prioribus mactatis vitri globulos voraſſent. Vitrum tamen reſiſtere aquis fortibus quævis metalla ſolventibus. Pluribus nempe volucribus fermentum adeò potens eſſe, ut niſi ſubinde lateribus, cretâ, argillâve veſcantur, ex multitudine aciditatis malè habeant. Se etiam vidiſſe, quod acidum ſulphuris ſtagma chirothecam ſuam imbuiſſet, eamque in ſuccum parte qua maduerit, ſtatim reſolviſſet. Quo confirmatus fuerit,

tranſmutari cibos ab acido, adeòque habitare in ſtomacho fermentum, quod omnia ingeſta licet dulcia, ſtatim in acidum commutaret. Quocirca eſſe quoque acida cuncta, quæ appetitui deſidi propinentur. Nempe omphacium, acetum, ſuccum citri, aurantii, ſynapi, etiam ſalem & ſalem petræ, quatenus ſpiritum eſurinum in ſe habeat, & placidiſſimè acidum. Item berberes, ribes, ceraſa, cydonia &c. hactenus arridere ægris apepticis. Hujus itaque fermenti tam neceſſariam eſſe contemplationem, quod vitæ gubernaculo præſit; Et quanquam ſiccitas totius cum ſenectute invaleſcat, non ſeneſcamus tamen niſi fermentorum aliquot penuriâ, pauperie & extinctione. Cum cervus, corvus, aquila &c. primis adoleſcentiæ annis nobis longè ſint aridiores, in aliquot tamen ſecula perennantes, imò aquilæ & cervo ſponte renovetur juventus. Non eſſe autem fermentum illud digeſtivum in ſola aciditate aliquali ſitum. Neque enim acetum vel jus citri farinam fermentare, nec farinam fermentatam proinde eſſe fermentum ſtomachicum. Sed hoc eſſe acidum eſurinum, ſtomachicum, ſpecificum & humanum. Ita quidem per ſingulas brutorum ſpecies ſpecificè diſtinctum, quod ipſis ſit appropriatum, mures namque glires, & ſues citius fame perire, quàm phaſeolum edant. In homine verò plerunque ad generis amplitudinem aſpirare, plures caſeum horrere, vinum, lac, vel alia ſpernere, quia non conficiant, falconem ante mori, quàm panem eſitet. Hoc fermentum autem non eſſe ipſius ſtomachi proprium, ſed aliunde eò affluere & inſpirari, patere exinde, quod ipſi ſubinde deſit, inſpirari autem à liene, hinc palam fieri, quod lien ſtomacho incumbat ſic, ut gallinæ lienem circum ſtomachum unitiſſimè congeſtum habeant, ideòque potentius digerant. Digeſtionem ergò ſtomachi fieri vi hujus fermenti primi manifeſtè acidi à liene mutuati, qua cibi & potus unà pariterque diſſolvantur in cremorem planè diaphanum in cavo ſtomachi, quanquam autem fermentum ſtomachi acorem habeat ſpecificum, nõ eſſe tamen acorem ipſum fermentum vitale, ſed ſaltem organum ejus. Habere namque fermentum ſtomachi aciditatem ſibi comitem ſingularem, per proprietates, per genera atque ſpecies quoque diremptam, digeſtionem autem in ſe eſſe opus vitæ ipſius, cujus hac in officina inſtrumentum ſatellitium ſit acor. In aliis verò, quæ deinceps ſint officinis vita, aliam utrobique aſſociare ſibi qualitatem ſecundariam, ſuæ intentionis miniſtram, fermentali atque vitali ſcopo adaptatam.

Hinc nempe in ſtomacho non rarum eſſe peccatum, è gradu aciditatis alienæ oriundum. Quapropter orexin atque ejuſmodi ſtomachi perplexitates peccare in acore adultero. Unde puncturæ in ſtomacho, difficiles concoctiones, ructus ac vomitus peracidi. Quamobrem ſi in acido fermentum conſiſteret, acetum,

tum, oleum vitrioli, atque ſimilia obfermentatura eſſent panis maſſam, noſtroſque cibos perfecta transmutatione confectura. Nil tamen horum. Fermentum itaque arcanum liberum eſſe, atque vitale, ideòque paſſim ſuis finibus coaptare ſibi clientem qualitatem. Quoniam cum fermenta ſint de claſſe formalium & ſeminalium, ideò quoque ſe è conſortio planè materialium qualitatum ſegregaſſe. Sin autem qualitatem aſſociaverint corpoream miniſtram, quò facilius robur ſuum vitale diſpergant; id factum putandum in adjumentum, ideòque dualitatem non poſſe non cum fermento continere. Atque ideò etiam iſtam qualitatem peccare poſſe tam in exceſſivo quàm imminuto ſui gradu. Quàm mira autem ſit poteſtas fermenti acidi in ſtomacho, non minoris tamen eſſe portenti, quod cremor ille ſpolietur omni prorſus hauſtâ aciditate, ſimul atque labatur è ſtomacho in inteſtinum duodenum, à menſura duodecim digitorum ſic vocatum, atque immediatè ſubter pylorum exiſtens. Equidem anatomen conqueri moleſtiæ, hoc loco propter glandium vaſorumq; numerum, tam ſcilicet exiguo intervallo, tantorum uſuum organis diſtendi: adeòque in tota diſſectione nil æquè occurrere difficile. Etenim nec fruſtra ibidem eſſe tot vaſa & organa, licet illorum uſus neglectus ſteterit. Cum enim conceptum in cremore fermentum acidum ſtomachi tam ipſis inteſtinis, quàm aliis partibus per multa tormina perniciosum ſit, ſingulas partes ſingula obtinuiſſe fermenta, cum horum ſit in transmutando inexcuſabilis neceſſitas. Mirum dictu, quod acidus cremor in duodeno ſalis ſaporem confeſtim acquirat, ſuumque ſalem acidum in ſalem ſalſum adeò libenter commutet, non ſecus ferè atque acetum acerrimum per minium extemplo priſtinam aciditatem exuat, eamque in dulcedinem aluminoſam confeſtim mutet, prout & acidum ſulphuris extemplo mutetur in ſale tartari. At longè transmutationis excellentiori vigore acidum illum cremorem in nobis fieri ſtatim ſalſum absque ulla corporis alicujus commiſtione, ſolâ fermentali ac immutabili diſpoſitione, manente volatili aciditate iſtius cremoris in priſtina volatilitate, eam cum ſalſedine commutando. Fellis ergò fermento mutari, quicquid fuerit in cremore acidum, in ſalem urinæ. Fellis autem ſtomachum eſſe duodenum, & ſequentem arundinem inteſtini vicini, ac deſinere in principiis venarum meſenterii; fermentum verò à felle inſpirari ad corruptionem & ſeparationem aqueæ partis, mutarique in hac ſecunda digeſtione acidum volatile in ſalſum volatile. Tertiæ tandem digeſtionis, ſtomachum eſſe venas ipſas meſenterii, quorſum jecur fermentum cruentum inſpiret, cujus effectus ſit rubicundus ſalſus cruor. In vaſis ergò meſenterii incipere tertiam digeſtionem, quæ in jecore terminetur. Quamdiu autem cruor in meſenterio ſit, nondum digeſtus, ſit, nondum fibroſus

aut perfectus, ideoque cruorem meſenterii in dyſenteria non concreſcere, ubi econtra ruptâ in ſtomacho venâ, cruor protinus grumeſcat. Cremorem autem per inteſtina deinceps decurrentem ſicciorem evadere, aſſucto in venas ſurſum liquido. Inde verò reliqvum magis magisque putreſcere, adeò ut cum ad fines ilei deventum ſit propemodum, jam non parum liquidioris ſtercoris ſit generatum. Venas autē meſenterii ſugere quidem cremorem è ſtomacho in inteſtina lapſum, ſed non idem munus competere venis ſtomachi, ut attrahant in ſe acidum illum cremorem ſtomacho etiamnum immorantem absque interceſſione fermenti fellei, id eſt ſine mutatione acidi in ſalſum, omnē enim cremorem acidum venis eſſe hoſtilem, has verò nil hoſtile ad ſe trahere. Unde ſequatur, venas ſtomachi ne quicquam de cremore ſub ſe allicere, & cruorem omnem, antequam à venis meſenterii attrahatur, toleraſſe manum fermenti fellei in ſuo inteſtinorum ſtomacho. Imò quanquam arteriæ per ſtomachum diſperſæ ſugant ſpiritum vini: ſuccum tamen nullum haurire. Uſum ergò venarum ſtomachi eſſe alium, quam qui ſit meſaraicarum, nempe ſaltem pro nutriendo ſtomacho. Falſum itaque eſſe illud ſcholarum: *Quod ſtomachus ſibi primariò coquat: ſecundariò tantùm pro toto, ideòque verè alatur ipſe chylo acidulo. Adeòque ſi non nutriretur ſuo chylo, nec velle coctu-ram incipere aut attingere, eò quod ex philautia naturæ unumquodque pro ſe intentionaliter agat.* Nullam enim partem agere quicquam proprio nutu philautiæ in corpore, multoque minus officinas dicatas miniſterio totius, ſed naturam parere utrobique deſtinationibus Creatoris. Stomachum nutriri non aliâ materiâ quàm reliquam membranarum claſſem, quæ cremore deſtituatur. Cremorem quoque non ſuſcipere vitam, niſi per gradum cruoris, ſtomachum autem nutriri non poſſe alimento nondum vitali.

Porro quartam digeſtionem compleri in corde, ejusque arteria, in qua elaboratione rubens craſſiorque venæ cavæ cruor elaboretur, fiatque flavior & planè volatilis.

Quintam autem digeſtionem transmutare ſangvinem arterialem in ſpiritum vitalem Archei.

Sextam demum atque ultimam digeſtionem in culinis ſingulis membrorum perfici, totidemque eſſe ſtomachos, quot membra altilia, in hac nimirum innatum cuique loco ſpiritum ſuum ſibi coquere alimentum. Has ſex digeſtiones vitales naturam conſtituiſſe, in ſeptimo autem eam numero ſabatizare. Hæc Helmontius.

Verùm, pace perilluſtris hujus viri, hæc doctrina non in omnibus aſſenſum mereri poteſt, ſed lucidiſſimâ modernæ anatomes face affulſa una duumviratus columnâ vacillans deprehenditur nimirum lienicâ, more ſui Deaſtri Saturni, cui ſplen dicatur, pariter uno pede claudican-

dicantis, innumeris enim canibus hactenus lienes exſecti ſunt, absque ulla eorum voracitatis, curſus velocitatis, aliarumque caninarum qualitatum imminutione, niſi quod vis prolifica illis intercidere videatur, ruit ergò inſpiratio illa in ſtomachum à liene fermenti acidi, ſi enim canes liene carentes poſſunt nihilominus oſſa, aliaque duriuscula conficere, quidni & alia animalia idem poſſent absque lienis interventu? quamvis non ſine fermento acido, iſtud enim conſiſtere poteſt in ſolo ventriculo extra concurrentiam alterius viſceris, aciditas enim jam pridem ineſt omnibus rebus ad nutritionem aptis, adeò ut etiam foris tempore æſtatis in vaſis ligneis eam brevi concipiant, ſi humiditate additâ in macerationem ponantur; manifeſtè enim incipiunt fermentare & aceſcere, dantque in deſtillatione ſpiritum ardentem, multò autem facilius & celerius idem fieri poſſe in vivo, tepente, & cooperante vaſe nimirum ſtomacho, dubium non eſt, aciditas autem illa eſt tantummodo fermentalis, ingeſtos ſaltem cibos arripiens, non autem ipſum corpus ſtomachi membranaceum, quod mactatione in animalibus neutiquam acens reperitur, ſi verò ingens dominium aciditatis in ſtomacho exerceretur, etiam corpus ipſum ventriculi aceſceret, uti fit ab acoribus cunctis oppidò acidis, quod ipſa ſua receptacula acificent, nempe dolia, ollas, aliaque vaſa, adeò ut vel in eorum externa ſeu convexa parte odor & ſapor acidus percipiatur, ſi ergò tanta aciditas in ſtomacho eſſet, ut illuſtris Author putat, procul dubio etiam membranas ſtomachi imbueret, imò perſpiraret, adjacentibusque partibus hoſtilis eſſet, quod tamen non fit, unde conſtat, quod aciditas fermentalis potius ex ipſis commanſis cibis prodeat, curſu naturæ proprio aceſcentibus, & fermentationem efficientibus, contentamque in ſe aquam vitæ ſeu ſpiritum ardentem tam in homine quàm pecoribus per iſtam fermentationem ex ſe emittentibus, tanquam præcipuum nutrimentum ſenſuum, decursâ autem tali fermentatione aciditas illa ſponte & naturali revolutione, in alium ſaporem mutatur, etiam ſi fel non adeſſet, quemadmodum fructus arborum atque uvæ ingentem ſuam aciditatem & auſteritatem absque ullo fellis adminiculo in ſvaviſſimam dulcedinem commutant, cur ergò non idem in ſtomacho fieri poſſet, ut abſoluta fermentatione mox ſuccus ſvavis ſeparari, & ab ipſis ventriculi innumeris fibris (quę ſemper ſuctionem denotant) pro ejus ſucco alibili aſſugi, in debitam conſiſtentiam iterum fermentari, venisque ſtomachi exporrigi queat? ſolæne arteriæ in ſtomachum deſinentes eâ ſagacitate præditæ ſunt, ut ſpiritum ardentem, prout Author fatetur, ab acido ſucco diſtingvere, & electivè combibere norint? quid ergò venas & nervos ejusdem tantâ ſtupiditate infatuavit, ut non idem addiſcant, fruſtraque in ſtomachum deſinant? Longè ergò Galeni ſententia

tia probabilior eſt, utiliorem partem ſucci alibilis mox à venis ventricul. attrahi, & in cruorem fermentari. Nunc ad inſtitutum redeamus.

DE INFLAMMATIONE VENTRICULI.

CUm œſophagus ſeu gula ſit pars ventriculi, etiam ejus affectus heîc non reticendi. Obnoxius quidem eſt iisdem ferè morbis cum ventriculo, rarò tamen (ut etiam cenſet Fernelius) eis tentatur, eò quòd ingeſta celeri delapſu eum pervadant, nilque diu in eò moretur, nihilominus ſubinde hisce infeſtari ſolet, nempe deglutiendi difficultate, excoriatione, inflammatione, abſceſſu & ulcere: impedita deglutitio vel fit ab aliqua re inter deglutiendum inhæreſcente, & obſtructionem faciente, vel à defluxione ibi inflammationem & tumorem cauſante. Vel etiam à reſolutione muſculorum œſophagi; interdum à vehementi vomitione vel etiam repletione, quibus inferior pars œſophagi atque os ventriculi adeò relaxantur, ut ſuo munere fungi nequeant. Excoriatio autem, quæ ab ulcere eatenus differt, quod in illa fiat abraſio extimæ partis, in hac verò profundior penetratio, poteſt contingere vel à veneno, vel à re quapiam acri deglutita, vel malè commanſâ, vel aſperâ, vel à devorato oſſe, vel ab acri defluxione, item à ſqualore & deſiccatione in febribus ardentibus.

Quælibet autem deglutitio impedita periculoſa eſt, una tamen plus aliâ, & pro diverſitate cauſæ curatio inſtituenda. Si eſt à defluxione, conveniunt remedia catarrhi, nempe capitis evacuatio per pilulas de hiera, vel aloëphanginas, & ſimilia, optimus eſt vomitus per aquam benedictam, ſi ſtatim ab initio procuretur, poſtmodum propinentur pectoralia, ut ſyr. de hyſopo, de ſtœchade, ſi ſimul adſit inflammatio, vena etiam ſecatur, ac ſyrupi adſtringentes ab initio dantur nempe cydoniorum, de agreſta, de roſis ſiccis, de ſucco acetoſæ, granatorum &c. ex. gr.

℞. ſyr. acetoſit. citr.
corallor.
de roſis ſicc. an. ℥j.
aq. plantag.
cichor.
roſar. an. ℥iiſ.
ſpir. vitrioli ad grat. acid. m.
detur ſubinde cochl. 1.

In progreſſu exhibeantur humectantia uti ſunt ſyr. de portulaca, nymphæa &c.

Externè convenit ungventum refrig. Gal. vel roſac.

In excoriatione, quæ cognoſcitur ex ſenſu doloris in deglutitione vini, vel rei calidæ, vel acidiusculæ, convenit diacodium, mel roſatum, ſyr. de papav. &c. ſi ſimul inflammatio concurrat, ſangvis eſt mittendus. Intrò accipiat mucilag. ſem. cydon. cum aq. roſar. extractam, admixto ſacharo ad dulcedinem.

Si ab aſſumpto veneno, convenit vomitivum, & poſtea potionem lubricantem nempe lac vel cereviſiam calidam cum copioſo butyro propinare,

nare, ſic enim à lubrica pingvedine acredo veneni, ſive ſit arſenicum, vel mercurius ſublimatus, oblinitur, ut erodere nequeat.

Notandum etiam quod in affectibus meri ſeu œſophagi atque oris ventriculi omnia medicamenta acria, acuta, mordicantia, fugienda, nec non acerba, auſtera & pontica, quia hæ partes acutiſſimâ ſenſilitate vigent, & ab acribus valdè irritantur.

Inflammationis ſigna. Inflammatio autem oris ventriculi ſe his indiciis prodit, æger maximo dolore & anxietate conflictatur, febris incenditur continua, cum ſiti, ſiccitate lingvæ, & fervente reſpiratione, urina eſt rubra, ſuccedit ſæpius ob ingentem dolorem virium imbecillitas; ſyncope & delirium.

Curatio. Curatio hujus affectus inſtituitur venæſectione, injecto prius clyſtere, ſi alvus non reſpondeat, emolliente, miſſio tamen ſangvinis debet eſſe modica, & cum cautâ circumſpectione, ne vires debilitentur, cum plerunque etiam à morbo concidere ſoleant, quibus tamen hîc præcipuè opus eſt ad morbum ſuperandum.

Cataplaſma anodynum. A venæſectione ſtatim applicetur cataplasma anodynum pro dolore ſedando ex. gr.

℞. carnis cydonior. vel micæ panis in lacte cocti & farinæ hordei an. ℥iij.
pulv. roſar. rub.
flor. chamæmel.
melilot. an. p. j.
ſantalor. omn.
ſem. coriandri an. ʒiſſ.
ſummitat. abſynth. ʒj.
ſpicæ ʒſ.
pulveriſanda pulveriſentur, & cum ol. anethin.
chamæmelin. ana q. ſ. ad incorporandum, f. cataplaſma frigidè imponendū.

Oretenus aſſumat ea quæ paulò ante ad inflammationem œſophagi enarrata ſunt, item confectiones cordiales ex. gr.

Conditum. ℞. conſerv. roſar.
bugloſſ.
acetoſellæ an. ʒvj.
pulpæ citr. ℥ſ.
condit. rad. cichor. ʒiij.
pulv. diamarg. frig. ʒj.
ſantal. citrin.
diarhod. abb. an. ℈j.
man. Chriſt. perlat. ʒſ.
cum ſyrup. corallor. f. conditum.

Purgantia per os aſſumpta non conveniunt, quia vires diminuunt, quod hic ſemper nocet, ſufficit aliquod leniens. Plura remedia proponit

TEXTUS.

INflammationes oris ventriculi, ut & ventriculi ipſius citiſſimè perſanantur lapide prunellæ, ſi ejus ſcrupulus unus atque alter diſſolvatur in aquæ menthæ, vel cichorii aut abſynthii quantum ſufficit, & ſæpius pitiſſando abſorbeatur. Idem & quidem certius præſtat ſpiritus Saturni guttâ unâ atque alterâ in aquâ prædicta exhibitus, ſed nota:

Frigido

Frigido Saturno non benè juncta venus.

Ulcera ventriculi difficulter curantur, ideòque providentiâ naturæ rariora occurrunt.

Deglutiendi difficultas. *In Anguſtia ſeu difficultate deglutiendi antecellit rob nucum, in cujus ℥j. ſi ſalis gemmæ gran. VI. vel VIII. aut ad ſummum ℈ſ diſtemperentur, & poſtea per vices lentè deglutiatur, omnem hanc difficultatem tollit, ſeu ea contingat in morbis, ſeu extra morbos, hoc eſt ſit morbus ipſe vel ſymptoma. Quod ſi ſcirrhus hanc difficultatem cauſatus fuerit, emplaſtrum de cicuta (fit de ſucco cicutæ, oleo chamomillæ & ceræ q. ſ.) foris ad orificium ventriculi geſtatum diutius eum reſolvit. Nihilominus manente deglutiendi difficultate rob nucum ita temperatum præſtiterit. Vide Cardanum & Wilhelmum Fabricium.*

CAP. XCI.
DE CARDIALGIA,
Germ. das Hertzgeſpann.

Cardialgia quid? CArdialgia ſonat quidem dolorem cordis, ab omnibus tamen per hoc nomen ſemper intelligitur dolor orificii ſuperioris ventriculi, extra febrem contingens, quando verò idem os ſtomachi in febre acutâ vehementer dolet, tunc vocatur ea paſſio morbus cardiacus. Cardiogmus autem dolor eſt integro ſtomacho ab Hippocrate attributus, ut videre eſt lib. 4 aphor. 65. *In febribus circa ventriculum vehemens æſtus & cardiogmus, malum*, ubi cardiogmus à quibusdam ſtomachi, ab aliis cordis morſus vertitur.

Eſt autem cardialgia dolor acerbus & mordicans ſub cartilagine oſſis pectoris, interdum cum tumore aliquando citra intumeſcentiam iſtius partis, utrobique autem cum triſtri doloris ſenſu laceſſens.

Cauſæ hujus affectus internæ ſunt: humores acres bilioſi, vel à corruptione rodentes facti, atq; ad os ventriculi decumbentes, vel nimia caliditas vel frigiditas ventriculi, externæ ſunt: cibi pravi nutrimenti & mox in ventriculo corruptibiles, ubi interdum rodentem malignitatem induunt, ac venenatam qualitatem, cujus indoles ſunt fructus arborum immaturi & noxiæ corruptibilitatis, uti ſunt: mala perſica, ceraſa, pruna, item virides cucumeres, melones, item angvillæ, lac & ſimilia. Cauſæ.

Signa ſunt: dolor lancinans, acris, rodens, mordicansque os ſtomachi, cum amaritie & ſiccitate oris, adſunt interdum ructus & flatus, mugitusque intra ventriculum percepti. Signa.

Huc pertinent quoque ſequentia dictitata Hippocratis:

Ventriculi morſus extra febrem eſt ſignum quod purgandum ſit per vomitum. lib. 4. aphor. 17

Ut & amaritudo oris. 4. 17

Dolores qualescunque ſupra diaphragma indicant, purgandum

gandum eſſe per ſuperiora.

Morſus ventriculi in febribus malum. 4. 65

Nec non vehemens æſtus ejusdem. 4. 65

Diuturnus dolor partium ventris terminatur in ſuppurationem. 7. 22

Dolores ventris ſublimes leniores, non ſublimes fortiores. 6. 7

Cardiogmus in febre non lethali ſignificat bilis vomitum. lib. 3. præſ. 30

Prognoſis. Prognoſis de hoc affectu in hunc modum inſtituenda eſt, quod hic affectus ætati juvenili bilioſæ non infrequens eſt, atque in ejusmodi ægris facilè à nimio corporis exercitio commovetur ſeu in actum deducitur, qui etiam proclives ſunt in vomitum bilioſum rodentem, ac leviter in ſyncopen labuntur, quidam etiam eodem affectu repentè intereunt, præſertim ſi ſit à lumbricis ad os ventriculi repentibus, ac illud rodentibus, ubi etiam plerunque alia malignitas concurrit, lumbrici enim non facilè in ſtomachum aſcendunt, niſi ab aliqua maligna qualitate è loco ſuo ordinario pellantur. Extra febres tamen ardentes cardialgia adeò periculoſa non eſt, ſed bile per vomitum eductâ ceſſare ſolet, at in febribus malum ſignum præbet. Mortiferum autem, juxta Hippocratem, ſi cardialgiaco ægro veſicula vel tumor in dextro crure oboriatur.

Curatio. Curatio pro ratione cauſæ inſtituitur, extra febrem in ætate juvenili nihil melius vomitu, in paroxyſmo conducit aër frigidior, quies in conclavi non valdè lucido, cum feneſtris apertis, ut libero aëris perflatu æger fruatur, levi quoque operimento tegatur, motusque omnis ab eo vitetur ac vigiliæ, ſomnus verò vel ſponte vel arte capeſſendus, eâdemque operâ alvus lenis ſervanda, ſi valdè ſudant, ſudor inhibendus inuncto oleo myrteo vel ungvento aſtringente, ſi extrema corporis perfrigerentur, concalfacienda multa frictione, ac calefactorum linteorum applicatione; ventriculus dolens inungatur oleo abſynthii, vel maſtichino vel eis commixtis, ſi dolor acerbus urgeat, exhibeatur laudanum opiatum ad gran. iij. vel IV. cum decocto florum chamæmeli. Plura remedia egregia edocet

TEXTUS.

IN cardialgiâ incipiente vel paululum durante curandâ vomitus ſi promoveri poſſit, utramque paginam abſolvit. Vomitus ergò ab aqua benedicta vel gilla Theophraſti procuratus facilimè morbum ſolvit.

Inveteratam præſertim apud ſenes (vomitiones apud ſenes non ſatis tutæ) tandem aufert ſyrupus de chamomilla (melius eſt arcanum de chamomilla) præſertim Romanâ, ſi in aquâ menthæ quotidie exhibeatur usque ad declinationem morbi.

Forinſecus applicentur epithe-

mata ex emollientibus & dolorem auferentibus, chamomilla, malvâ (a) *præſtantiſſimum eſt in hoc caſu oleum chamomillæ ſaphiricum Thurnheuſeri (quod fit, ſi floribus chamomillæ addatur aliquid terebinthinæ Cypricæ in aqua diſſolutæ, & poſtea per veſicam deſtilletur) in aqua menthæ vel chamomillæ, aut è floribus ſambuci, aut foliis prunellæ ſylveſtris datum à guttis IV. ad VI.*

(a) Vel impleatur ſacculus è conciſis radic. althæ. flor. melilot. chamomil. roſ. rub. & fol. abſynth. qui in lacte fervefactus ventriculo imponatur. Optimum etiam remedium eſt avena cruda in ſacculos impleta duos, quorum unus in ſartagine calefiat, & protinus maximè calens loco dolenti apponatur, interim & alter ſacculus in eadem ſartagine incaleſcat, & frigidiorato priori in applicatione ſuccedat, & ſic alternatim conſequenter ad doloris usque ſublationem, quod etiam in doloribus ventris apprimè valet. Prodeſt quoque panis jam jam ab igne calens per medium ſectus, & aceto madefactus, ac impoſitus.

CAP. XCII.
DE DILATATIONE ORIS VENTRICULI.

NEſcio à quo ſtupido olim Medicaſtro excogitatum ſit, orificium ſuperius ſtomachi quibusdam continuò patere ac hiare, ex eoque patente vapores aſcendere in caput, ibique colligi in materiam catarrhoſam, atque abinde depluere in fauces, pulmones, aliasque inferiores partes, gravesque catarrhos eis inferre, cui anili fabulæ etiam Author ſubſcribere videtur, dum ejusmodi hianti aperturæ oris ventriculi medicamina applicare docet. At nondum probatum eſt, talem hiationem oris ventriculi vel fieri poſſe, nedum ut frequenter inter morbos occurreret, cum enim metu vacui molles cavitates in quibus nil materialiter continetur, naturaliter concidant, conniveant, ac ſuos parietes committant, etiam canalis oris ventriculi nempe œſophagus huic naturali legi paret, ac ſemper naturaliter dum ab intrante cibo & potu non diſtenditur, connivet, ac in omnibus clauditur, nec etiam hiare poteſt, niſi more arteriæ aſperæ à natura obtinuiſſet duriora orbicularia fulcra ſeu annulos cartilagineos, quibus diſtendatur in perpetuò hiantem canalem teretem, ac rotunda cavitate intus pervium, qui etiam ſemper repletus eſſet futurus aëre ad vitandum vacuum, quoties cibus ac potus cavitatem materialiter non explerent, & ad quemlibet illapſum novi cibi ac potus ructulans murmur à reluctante aëre audiendus foret, uti fit in quibuslibet extenſis cavitatibus aëre oppletis, prout quilibet experitur ſi repentè ac confertim aquam in lagenam infundit, tunc enim aër intus detentus intranti aquæ cedit, ſibique in anguſto orificio obviantes ſtridulum

lum murmur excitant. Non minus ridicula perſvaſio eſt, è patente hoc hiatu materiam catarrhorum exhalare, & in alembico capitis in colluviem colligi, ac deorſum demanare. Si enim hoc verum eſſet, deberent etiam omnes ructus in caput aſcendere quos emittimus, imò promptius mucosâ illâ ac tenaci pituita in catarrhis obſervabili, quæ præ lentore vix deorſum fluere poteſt, niſi immenſo pondere ruere cogatur, multo minus ſurſum, ructus tamen quamvis nil niſi ſubtilis aër ſint altius non aſcendunt quàm ad exitum œſophagi, ibique in faucibus erumpunt ac mox difflantur, quomodo ergò & quâ viâ craſſa illa pituita ſublimius ſcandet? Verùm longè aliter ſe habet collectio catarrhalis in capite, non enim è vaporibus ſtomachi fit, ſed è vero ſucco alimentario vaſis ordinariis nempe arteriis carotidibus, venis jugularibus ſurſum vecto, majori tamen quantitate quàm ad alendum opus eſt, neceſſariò itaque ſuperfluitas reſpuitur, & tanquam humor rejectitius ſecernitur, qui poſtmodum proſcriptus lege naturæ deorſum fluit, & partes gravat, nolumus autem de hisce verbo ſiores eſſe, ſed maneat in ſuâ exiſtimatione

TEXTUS.

Oris ventriculi dilatatio.

IN oris ventriculi dilatatione ſeu hiatu à ſumpto cibo valent confectio aniſi, fœniculi, coriandri, vel ante cibum tabulæ diatrion pipereon, oleum piperis optimum eſt. Purgantia hîc locum non habent.

Externè adhiberi poteſt baſilicum majus in ſacculo geſtatum circa orificium.

Fœtor ventriculi.

In fœtore ventriculi valet ambra in vino ſuſpenſa. Item oleum vel ſal cinamomi.

CAP. XCIII.
DE VENTRICULI INTEMPERIE.

Intemperies ventriculi quid?

INtemperies ventriculi eſt ejusmodi affectio, in qua ventriculus non à colluvie humorum vitioſorum, ſed ab intemperie quadam calida vel frigida vel humida vel ſicca debilis eſt, ita ut munus ſuum nimirum concoquendi cibos non rectè obeat, concoctio iſta propriè conſiſtit in chyloſi, ſive converſione cibi & potus in chylum ſive ſpeciem albicantem cremori hordei ſimilem, uti quidem plerique Authores loqui ſolent, ac res etiam ita ſe habet, quatenus aſſumpta etiam naturaliter ſunt albicantis coloris, uti panis, avena & hordeum decorticata, caro ovina & porcina recens, vinumque album & ſimilia, verum ſi colore viridi, rubro vel fuſco ſunt ſaturatè tincta, uti ſunt pruna Damaſena, ſpinachia, atriplices, beta rubra & ſimilia, tum iſte color nequaquam vertitur in cremorem album, ſed usque ad ultimam ſtercoream excretionem permanet, uti quilibet in ſuis excrementis experiri poterit. Præterea iidem Authores ſtatuunt, quod cibus & potus alterentur in ventriculo per innatum ejus calorem, cooperantibus naturalibus fa-

cultatibus, fibris ventriculi congenitis, quæ naturales facultates & potentiæ, videlicet attractiva conſiſtat in rectis fibris, retentiva in obliquis, expulſiva in transverſis, habeatq; has potentias ventriculus cum omnibus corporis partibus communes. Verùm etiam hæc non omnia ita ſe habent, nam ſi concoctio conſiſteret in fortiori calore, omnes cholerici, qui plus aliis temperamentis abundant calore, ſemper plus ederent & conficerent, quod tamen falſum, ſed potius minus aliis edunt & plus bibunt, econtra frigidiores, uti ſunt phlegmatici & melancholici, plus edunt & conficiunt, minus autem bibunt, vixque unquam invenias cholericum, qui appetentiâ caninâ laboret, multos verò melancholicos, ſi verò dubites de edacitate phlegmaticæ complexionis, eas de domo ad domum & obſerves fœminas & ancillas, & edaciſſimas plerasque invenies, adeò ut quater, quinquies vel ſexies dietim plenum paſtum inſtituant, inter quas tamen non paucæ ſunt, quæ toto die imò interdum triduo unico hauſtu potus contentæ ſunt. Iſtæ autem duæ complexiones abundant multâ aciditate, atque ita concoctio ſtomachi potius aſcribenda eſt fermento acido ventriculi, uti etiam appetitus ab acidis inſigniter augetur, vulgaribus etiam exemplis illud abundè demonſtrari poteſt, acidi enim liquores, ut ſunt acetum, ſuccus citri, limonum, ſpiritus vitrioli, ſalis &c. conſumunt etiam in frigido coralla, oculos cancri, lapides, cuprum, ferrum aliaque dura, ubi econtra aqua ferventiſſima ea non attingit, ſi verò in aquam frigidam ſaltem manipulum ſalis communis injicias, & poſtea ferrum vel cuprum imponas, videbis ea per diutinam temporis moram paulatim in illa ſalſa aqua conſumi.

Non parum itaque concoctioni conferre ſalem communem largè cibis immixtum veriſimile eſt, qui etiam ſaporis aciduli eſt, & procul dubio cibos duriores corrodere juvat, ſatisque mirari non poſſumus, quosdam inſulſiſſimos Medicaſtros illum ſæpius ægris interdicere, nimirum in calculo renum, lue Gallicâ, aliisque quibusdam affectibus, cùm potius ejus uſum accuratius injungere deberent, ſicuti enim ſaltem vulgari aqua diſſolutus adeò dura metalla diſſolvit; ita etiam ejus largiorem uſum eadem in corpore præſtiturum, calculoſamque & tartaream materiam, & obſtructivam mucilaginem potenter diſſoluturum non dubitandum eſt, imprimis autem ſuâ incogitantiâ non parum delinqvunt in febribus acutis, ubi omnis appetitus proſternitur, ſal autem culinarius (ſine quo homo vivere nequit) vulgari notitia & conſvetudine tantummodo cibis, non autem potui miſcetur, cum itaque ejusmodi ægri ſæpè per multos dies omnem cibum averſentur, etiam ſaluberrimo hoc aromate carere coguntur, ſi itaque tales medicaſtri tantillum naturam intelligerent, mox in feriante appetentia ſalem propinaturi eſſent tamdiu in potu,

donec

donec appetitus rediret, quod & hoc pacto citius eventurum, & patiens celerius ad ſanitatem rediturus eſſet.

Quæ verò prædicto modo de fibris ventriculi affirmantur, pari modo incerta ſunt. Fibræ ſiquidem in omnibus radicibus propter attractionem ſunt, nullæ autem ob expulſionem, quamvis in plurimis radicibus conſimiliter obliquæ, rectæ, & orbicantes fibræ numeroſè obſerventur, eundem ergò in finem etiam in ventriculo poſſunt eſſe, ut è cremore optimam partem alliciant, fermentare adjuvent in ſuccum venis aptum, ubi poſtmodum venæ in ventriculũ deſinentes ulterius eum aſſugant, & in cruorem contento intra ſe ſimilem fermentent.

Sed ut redeamus ad intemperiem ventriculi, ea à practicis ſtatuitur calida, frigida, humida & ſicca (è quibus tamen ut plurimum calida & frigida intemperies ventriculum debilitet, perrarò verò ſicca, niſi in febre hectica & ſenectute, humida etiam minus noceat, niſi præcedat hydrops) ſintque ſigna calidæ intemperiei ſitis continua, eructatio nidoroſa, alimentorum frigidorum deſiderium, calidorum averſatio & ab eis offenſio. Frigidæ verò ſitis rariſſima, ructus acidi ac frequentes, appetitus nimius, calidorum cupiditas, frigidorum reſpuitio. Siccæ oris ſiccitas, corporis totius macilentia, humidorum delectatio, ſiccorum repudiatio. Humidæ rugitus ac fluctuatio in ventriculo, oris humiditas & multa exſpuitio, ſiccorum delectamentum, humidorum averſamentum.

Signa calidæ intemperiei.

Signa frigidæ ſiccæ & humidæ.

Curatio

Curationem Practici inſtituunt hoc modo, ut hiſce intemperiei ſpeciebus ſemper contrariæ qualitatis remedia opponant, nempe intemperiei frigidæ calida, nempe aromata & calefacientem diætam, & cum aliis ſic conſequenter, uti cuilibet ratio dictitat, quæ cum vulgaria ſint, eis recenſendis ſuperſedebimus, contenti his quæ habet

TEXTUS.

INtemperies ventriculi cum humore, ſive à cauſa frigida, ſive calida ſit, corrigitur leni vomitu præcedente. Sic nimirum ſaburram ventriculi, ejuſmodi intemperiem plerunque comitantem facilius exterminamus, quàm ſi aliis purgantibus per inferiora utamur. Præterea plicæ ventriculi ab humore congeſto quaſi obſeſſæ expediuntur, & poſtea intemperies, modò nec innata, nec inveterata admodum ſit, facilè corrigitur.

Si humor nullus acceſſerit, non erit quidem abſonum vomitivis (in quibus aqua benedicta unicè valet) abſtinere, vel etiam, ſi ferre poſſunt, vomitum imperare. Tutius tamen progredimur ad laxativa purgantia, qualia ſunt pulvis ſenæ laxativus, extractum mechoacannæ, panchymagogum vegetabile, item mercurius dul-

cis, his præmiſſis confortantia ſpecifica exhibenda ſunt.

Utrobique i. e. in intemperie tam calidâ quàm frigida præſtat ſpiritus vitrioli acidus, imprimis vitrioli veneris, de quo in notis ad Crollium. Elegantior ſemper deprehenſus ſpiritus vitrioli Philoſophicus, in juſto vehiculo exhibitus (horis duabus ante paſtum ſine motu, vel horâ una cum motu) prævalente quidem caliditate cum tinctura roſarum, vel extracto centaurii minoris (NB. imprimis arcanum ejus) prædominante verò frigiditate cum extracto calami aromatici, zedoariæ, vino abſynthiaco vel alio generoſo.

In ſenibus præſertim pituitoſis & catarrhoſis eſſentia meliſſæ cum ſpiritu vini extracta. Item eſſentia pulegii multum imò plurimum poſſunt. Utraque tamen eſſentia interdum fortificanda eſt in exhibitione cochlearis unius, taleolis vel particulis aliquot calami aromatici conditi, aut olei juniperi guttis duabus aut tribus (ſic nimirum pituita egregiè reſolvitur.)

Nota: ſpiritus vitrioli Philoſophicus eſſentiis hisce immixtus guttis aliquot eas feliciores facit.

Correcto ventriculo omnia illa ſymptomata (cardialgia ex conſenſu ventriculi, animi defectus, delirium, ſopor) nec imminere, nec prævalere poſſunt.

Corrigitur ventriculus omnium commodiſſimè per vomitoria. Ablatis ergò impuritatibus, & ventriculo reſtituto omnia illa ſymptomata ceſſant.

Si quod forſan poſt correctum & confortatum ventriculum ab hisce accidentibus reſiduum fuerit, θεράπευσις petenda eſt ex propriis iſtorum morborum capitibus.

CAP. XCIV.

DE FASTIDIO, ET INAPPETENTIA, Germ. Unluſt zum Eſſen.

VAria nomina obtinuit hic affectus quando appetitus proſtratus eſt, nimirum anorexia, aſitia, apoſitia, inappetentia, cibique faſtidium, quibus etiam facilè percipitur, qualisnam ſit paſſio, nempe talis, in qua æger omnem cibum averſatur, adeò ut etiam nomen cibi ipſi nauſeam moveat, atque ad ejus aſpectum nauſeabundus reddatur. Anorexia, aſitia, apoſitia, inappetentia.

Pars affecta eſt os ventriculi, in quo ſuctionis ſenſus torpet, imminuitur, vel perit.

Cauſæ hujus affectus ſunt: vel intemperies, vel mucoſitas, vel obſtructio venarum meſaraicarum orisque ventriculi, vel colluvies pituitoſorum dulciumque recrementorum, quæ ſatietatem pariunt, ſicuti acida famem, & quæcunque ſuctionem Cauſæ.

nem

nem venarum dictarum impediunt, item biliosa collectio ſemper appetitum minuit, eò quod valdè calefacit, calor autem excitat ſitim, ubi multo potu ventriculus obruitur, unde proverbio dicitur: *Ubi cereviſia coquitur, ibi non poteſt coqui panis.* Multa quoque pingvia ingeſta appetentiam peſſundant, quia ventriculum relaxant, & lubricant. Item exceſſiva ingluvies & voracitas, unde ventriculus tandem debilitatur, multa etiam potatio & crebra ingurgitatio vini meracioris fermentum acidum ventriculi proſternit, potus enim qui multum ſpiritus vini in ſe vehit, atque etiam ipſe ſpiritus vini per ſe copioſè ingurgitatus ſemper aciditatem minuunt, uti experiri licet, confundendo ſpiritum vini cum ſpiritu ſalis, aquâ forti, alioque acidiſſimo liquore, & invicem deſtillando, aciditas enim penè tota perit. Idem ergò à multâ potatione ſpiritus vini in ſtomacho fieri, veriſimile eſt, quod nimirum aciditas fermentalis tandem inſigniter minuatur, vel penitus aboleatur, ex qua etiam causâ ſæpius ſtrenui potatores in hydropem incidunt. Quantam quoque vim in debilitando appetitu animi pathemata, ut ira, terror, amor &c. exerceant, nemini non eſt notum, ac quotidie experimentis cernitur; pari modo graves affectus cerebri uti ſunt amentia, ſopores, paralyſis, apoplexia, epilepſia appetentiam auferunt, vel torpeſcere faciunt. Item conſpectus & contrectatio rerum abominabilium, nempe putidarum ſordium, vel cadaverum, inappetentia etiam ſuccedit in morbis acutis, in quorum initio multum alimenti fuit aſſumptum, ſic inquiente Hippocrate lib. 2. aphor. 32. *Omnes ferè malè ſe habentes circa initia benè cibati, neque quicquam proficientes, circa finem rurſus cibum non appetunt, qui verò circa initia cibum non appetunt, poſtea bene appetentes, hi melius evadunt.* In omnibus quoque internis inflammationibus, ob ſympathicum calorem ventriculi. Item poſt morbos chronicos propter dejectam vim facultatum naturalium. Nec non in profluviis ventris vel ob imbecillitatem, vel defluxionem colluviei in ventriculum à ſuperioribus partibus. Ob deſidem etiam vitam, & intermiſſum corporis exercitium, quia in deſidia calor langvet, parvamque reſolutionem præſtat; multaque alia.

Prognoſin quod attinet, pueri & in juvenili ætate conſtituti ab inappetentia plus læduntur quàm ſenes & conſiſtentis ætatis. In principio etiam alicujus ægritudinis inappetentia minus nocet, quàm poſt diuturnum aliquem morbum, vel vehementem evacuationem, ubi appetitus unicum reſtaurationis remedium eſt, atque in ejus defectu tum corpus jam exhauſtum etiamnum planè exareſcere cogitur. Prognoſtica.

Curatio ferè in pleriſque cauſis poteſt incipi à vomitorio, ſive enim mucoſitas vel pituitoſa vel bilioſa colluvies in ventriculo præſtò ſit, ea commodiſſimè per vomitum educitur, Curatio.

citur, educto autem ſuctionis impedimento, appetitus redit.

In exhauſtis verò, ſenibus, debilibus, & his qui vomitioni inaſveti ſunt, ea non convenit, ſed exhibeantur his acidiuſcula ex. gr.

Mixtura ſtomachica.

℞. Syr. de acetoſ. citri
de acetoſella
de limonibus an. ℥iſ.
Syr. de mentha ℥ij.
oxym. ſcillit. ℥j.

m. capiat manè unum vel alterum cochlear cum vino generoſo, ubi ſimul laxandum videtur, addantur ſyrup. roſar. ſolut. ℥iſ. vel ij.

Alia.

Vel ℞. Syr. de limon. ℥ij.
granator. acid.
acetoſit. citr. an. ℥j.
corallor. ℥ſ.

m. dentur ij. cochl. ante paſtum.

Utatur quoque ſubinde opiatâ ſequenti ad roborandum ventriculum:

Opiata roborans.

℞. Conſerv. roſar. vitriolat. ℥ij.
acetoſ.
flor. tunic. an. ℥ſ.
Conditura zingib.
cortic. cit. an. ℥ſ.
ſem. coriand. præp. ʒij.
ſantal. rub.
corall. rub. præp. an. ℈ij.
ſem. acetoſ. ℈j.

pulveriſanda pulveriſentur ſubtiliſſ. & cum myva cydonior. f. opiata, quantitate caſtaneæ manè & ſerò aſſumenda.

Plura remedia proponit

TEXTUS.

IN faſtidio & inappetentia valet ſpiritus vitrioli Philoſophicus, cujus effectus ſatis laudari nequeunt. Exhibendus is eſt in vehiculis convenientibus (in aquâ menthæ, acetoſæ, vino, brodio) faſtidium id fit ex ſucco vitriolato vitiato in ventriculi fundo, & conſopito, qui iterum excitatur acidis.

Epithema.

Externè cibi faſtidium aufert epithema ex vino malvatico & aceto ana, cum cruſta panis, pulvere caryophyllorum aſpersâ, & aliquoties calidè ſupra ventriculum poſitâ. Idem efficit ungventum ex butyro capræ & oleo caryophyllorum ſtillatitio miſtum, Ungventum. *inungendo ventriculum (præſertim in chronicis) vide plura de nauseâ.*

CAP. XCV.

DE BULIMO, Germ. der Kühhunger.

Bulimus quid?

BUlimus vel bulimia eſt ingens & immodica appetentia ciborumque fames, ſubitò accidens, quâ correptus mirum in modum eſurit, & niſi confeſtim cibum obtineat, in ſyncopen incidit, appetitus quoque perit, faſtiditque tum oblatos cibos, imò nec per vim vel coactus ullum ferre poteſt, debilitatur autem adeò, ut in animi deliquium conjiciatur, differt autem hic affectus à canina appetentia, quod in hac quidem ſimiliter magna fames & voracitas ſit, ſed ingeſti cibi paulò poſt ſupra vel infra redduntur, aliique famelicè appetuntur, vorantur, & pariter mox

mox rejiciuntur, more canibus conſveto, aſt in bulimo cibus retinetur, atque etiam in quibusdam fames haud difficulter cibis reſtingvitur, in aliis autem non niſi multo devorato alimento, unde à quibusdam der Kühhunger i.e. fames vaccina nominatur. Eſt tamen in hisce regionibus rariſſimus affectus, & in praxi vix ſemel atque iterum longo tempore occurrit.

Cauſæ. Cauſa hujus affectus eſt perfrigeratio oris ventriculi à valido externo frigore, uti his contingit, qui itinera per frigora & nives faciunt, vel aliàs externum frigus tolerant, atque imbecillæ ſunt naturæ, debilemque ſtomachum atque os ventriculi habent; Interdum etiam à vermibus, omne alimentum in ſtomacho abſumentibus affectus excitatur.

Huc etiam pertinent ſequentia Hippocratis dictitata:

In fame laborandum non eſt. lib. 2. aphor. 16
Fames corpora ſiccat. 7. 59
Imperanda eſt corporibus humida carne præditis. 7. 59
Solvitur à potu vini. 2. 21

Prognoſis. Prognoſis ejusmodi inſtitui poteſt, quod niſi in hac fame cibus citò offeratur, incidit patiens in animi deliquium, eoque facilè extingvi poteſt, uti quibusdam contigiſſe ſcribitur, in locis deſertis vel balneis hoc malo correptis, atque ex inſtanti extinctis ob defectum auxilii, eſt enim bulimus nil niſi incipiens famelicum animi deliquium. Interdum tamen impingvantur & plethorici fiunt, ventrem opplentes cibariis, ut proturgeat inſtar panticum vaccinorum.

Curatio. Curatio inſtituenda venit per calida & humida tam alimenta quàm medicamenta, exhibendo ægro panem in vino dulci maceratum, ovaque ſorbilia & carnem ſuillam, aliaque pingvia, oleoſa & dulcia, ac fugiendo acida & auſtera, quæ appetitum augent. Medicamenta ſunt theriaca, & mithridatium antiqua, diaſcordium, & ſi æger deficit viribus, acetum lavendulatum vel aliud naribus ipſius adhibeatur. Præbeatur quoque ipſi ſingulis horis parum cibi, nec ſinatur pati inediam; Rondeletius valdè commendat pro utiliſſimo cibo lucanicas pipere integro conditas. In reliquis imitandus

TEXTUS:

IN bulimo (hic eſt ex ſucci vitriolati defectu) os ventriculi maximè cum patiatur, illa quæ in paſſionibus ejusdem dicta & præſcripta ſunt, hic maximè locum habent. Itaque cætera ſi correſpondeant, vomitus citiſſimè curam expedit. Hac nimirum ratione humores maligni facilimè expediuntur, evelluntur, ventriculique villi ut iterum attrahant, ab impedimentis liberantur.

Quòd ſi vomitus procurari nequeunt, intercidentibus nempe viribus, admodumq; proſtratus, vel indicationibus nullis vomitum

ſvadentibus, omnium commodiſſimè recurritur ad acida vitriolata. Hoc modo ſpiritus vitrioli Philoſophicus in vino granatorum, ſyrupo limonum, ſyrupo de acetoſitate citri, vel cum tinctura roſarum propinatus aliquoties ad morbi nempe usque declinationem, perfectiſſimè ſanat.

CAP. XCVI.
DE FAME CANINA,
Germ. der Hundshunger.

QVamvis alii Practici hunc & ſuperioris capitis affectum ſub uno nomine comprehendant, vocantes eos nimiam ciborum appetentiam, attamen quia à diverſis excitantur cauſis, atque etiam in accidentibus variant, ideò cum Authore noſtro famem caninam in peculiari capite tractare voluimus.

Appetentia canina quid? Affectus ergò hic eſt inſatiabilis famelicoſitas, appetitusque ſemper vorandi, unde tamen fames non expletur vel remittit, utut ſpacium ſeu interna capacitas ventriculi vorando ſit oppleta & infarcta, ſed quando jam tanta copia ingeſta eſt, ut ventriculus inde gravetur, tunc aſſumpta adhuc cruda rurſus per vomitum & reliqua per alvum exturbantur, & ſtatim nova alimenta rurſus inſatiabiliter expetuntur, ſicque alternatim vomitio & voracitas hos ægros infeſtat inſtar canum vel luporum eodem modo cadaveribus ſe opplentium, ac vorata regurgitantium.

Cauſa. Cauſa hujus affectus à Practicis ſtatuitur humor acidus, ori ventriculi impactus, illudque ſemper ad famem ſtimulans, quod etiam veritati conſonum eſt, communiter enim hoc affectu laborantes melancholici ſunt, & plurimo acido ventriculi abundant, adeò ut interdum à nimio acido ad vomitum irritentur, ac liquamen acidiſſimum vomitione rejiciant, quod præ acore ingenti fermentationem in terram cadens excitat. Appetitum quoque ab acido quodam fermento foveri, inde conſtat, quod acida inſigniter appetentiam augeant, uti ſunt ſpiritus vitrioli & ſulphuris, acetaria &c. quod nemini non notum eſt, ita ut plerique in appetitu proſtrato ad ſpiritum vitrioli tanquam ad ſacram anchoram confugiant, qui etiam plerunque mox ab ejus aſſumptione redire ſolet, apparet ergò, etiam in ventriculo interdum ejusmodi ſuccum acidum abundare, appetitumque nimium proritare, canes quoque & lupos ceu beſtias melancholicas nimiam ſemper ejus abundantiam habere, eâque ad voracitatem ſtimulari, qui etiam tantummodò per ejusmodi ſuccum acidum adeò dura corpora, nempe oſſa & cartilagines conficiunt, cujus gratiâ eadem fortaſſè etiam devorant, ut nimirum aliquandiu aciditati reſiſtant, roſionemque ſuſtineant, nec non acidum in ea reagendo infringant, eandem procul dubio etiam ob cauſam volucres, gallinæ aliaque pennata ſemper arenam & lapillos exiguos deglutire coguntur, ut nimirum ſuperfluus acor in eorum ſtoma-

ſtomachis in ea agendo miteſcat, niſi enim dura hæc corpuscula comedant, malè habent, & quaſi ægrotant, nimia enim aciditas incipit tunc forſan agere in ipſum corpus ventriculi, ſunt ergò arenulæ, creta & calx præcipuum aroma volucrium, & ſal quaſi culinarius, inſerviuntq; ad mitificandam ſuperfluam earum aciditatem, quâ etiam penitus conſumuntur, ut nil quicquam lapilloſi in earum excrementis ſuperſit, præter particulam albam cretaceam, hoc ergò arenoſum condimentum volucribus tam neceſſarium eſt, ac homini ſal marinus, absque quo vivere non poſſumus, eſt enim ſpecificum noſtri fermenti ſtomachici aroma, roborans debile noſtrum acidum, quod in nobis tam robuſtum non eſt, ut poſſit cibos ſine adjumento ſalis communis conficere, cujus vicem etiam nulla res alia ſubire poteſt, alia enim acida uti acetum &c. appetitum quidem augent interdum cibis admixta, at ſi identidem ea ingerere vellemus, uti ſalem communem, melancholicos & morbidos nos tandem efficerent, imò planè deſtruerent ventriculum ad extremum, ſolum ergò ſvave illud eſurinum ſalis communis noſtro fermento roborando ſpecificum eſt, atque etiam ſatis forte conſumptivum duriorum corporum, conſumit enim etiam duriſſima metalla nempe aurum, chalybem, cuprum, ſi ſaltem manipulus ejus unus vel alter aquæ communi injiciatur, metallumque laminatum tunc eidem aquæ imponatur. Nihil autem hactenus compertum eſt, quod in caſu neceſſitatis à nobis loco ſalis marini vel gemmæ uſurpari poſſit. Scribit quidem Hiſtoricus ille Judaicus Joſephus, quod tempore Regis Jorami in gravi illa obſidione urbis Samariæ fimum columbinum in locum deficientis ſalis communis ſuffectum fuiſſe, at quanta cum miſeria, nemini non eſt conjecturabile. Cauſam etiam Practici ſtatuunt nimis fortem totius corporis digeſtionem, unde inops fiat alimenti, venæque continuò è ventriculo ſugant, gravemque famem pariant, at cum talis fames non ſit vitioſa, ſed à naturali licet fortiori ſuctione contingat, non inſatiabilis cenſenda eſt. A vermibus etiam inſedabilem famem excitari poſſe, quando omnẽ alimenti ſubſtantiam depaſcuntur, ſæpius exempla docuere. Nec novi quid eſt, poſt laborem improbum magnumq; corporis exercitium ingentem appetentiam excitari poſſe.

Prognoſis. Prognoſis hujus affectus in hunc modum inſtituitur, quod hæc fames ubi omnia per vomitum rejiciuntur, nec citò curetur, nil niſi periculum inducere poteſt, nempe cachexiam, hydropem, atrophiam, lienteriam, ſimileſque ad interitum deducentes affectus.

Curatio. Curatio iisdem remediis perficitur, quæ in antecedente capite enumerata ſunt, niſi quod vomitoria hic locum non habent. Si à lumbricis fames dependeat, bibatur omni manè ſuccus naſturtii, ventrique imponatur fel taurinum cum aloë mixtum. De cætero obſervetur

TEXTUS.

APpetentiam caninam(hujus cauſa bilis praſina ſeu ſuccus vitriolatus in ventriculo, non ergò imperandus eſt vomitus, ne moto humore ſequatur cholera, nec dandi ſunt ſucci vitriolati acidi, ne malum augeatur) tollit eſſentia meliſſæ cum ſpiritu vini extracta, cujus doſis cochl. unum, miſce cum aliquot gutt. olei carvi, præmittenda tamen ſunt univerſalia, quæ ſuccum vitriolatum ſeu bilem minuunt, & per inferiora educunt. Sic extractum rhabarbari, mechoacannæ. Item panchymagogum vegetabile maximè hîc laudantar. Vitelli ovorum aquâ indurati ſæpius comeſti à ſpecifica proprietate κυνορεξίαν *ſolvunt.*

Specificum.

CAP. XCVII.

DE PICA ET MALACIA,

Germ. das ſeltzame Gelüſten der ſchwangern Weiber.

Pica, citta, malacia.

PIca, vel citta & malacia ſunt ſpecies depravatæ appetentiæ, in quibus varia inuſitata appetuntur, nempe caro cruda, terra, pix, calx, creta & alia, eſtque ejusmodi corruptus appetitus prægnantibus frequens, atque etiam quibusdam puellis; imò teſte Fernelio interdum etiam viros & pueros corripit, ut deſiderio calcis vivæ, arenæ, cretæ aliorumque edendorum teneantur.

Volunt autem cittam dici à citto, id eſt hedera, eò quod ea variis plantis occurrentibus ſe implicet, ſicut ergò illa correptitia ſit variarum plantarum, ita etiam fieri à pica, quòd erga varia edulia feratur. Picam verò volunt derivari ab ave pico, quæ ut quidam volunt, etiam hoc malo laborat, vel ob ejus varietatem, quam cittâ affecti pariter varia appetendo oſtendunt. Malacia autem idem ſit ac mollities, malacus enim mollis eſt, quidam tamen hæc nomina diſtingvunt, ita ut pica vel citta ſit affectus prægnantium, potiſſimum eis accidens tertio menſe à conceptione; malacia verò virginum chloroſi laborantium, quam diſtinctionem etiam Author noſter retinet. Jam fortiter autem depravata & inordinata hæc appetentia imaginationem prægnantis obſeſſam tenet, ut niſi per manducationem deſideratæ rei ipſi ſatisfiat, aut abortiat, aut ſimilitudinem ejusdem rei ſibi per deſiderium imaginatæ fœtui imprimat, contingit hoc vitium prægnantibus poſt quadrageſimum diem à conceptionis tempore, duratque ad menſem usque quartum, ac poſtmodum deſinit.

Cauſæ hujus affectus eſſe ſtatuuntur varia recrementa in ſtomacho gravidæ redundantia, eò quod fœtus initio omne, quod ratione alimenti ad ipſum devolvitur, ob imbecillitatē ſuam conſumere nequeat, unde ſuperfluitas illa, uti quoque retenta menſtrua in corpore moram trahentia corruptionem & vitioſam qualitatem induant, & ad Cauſæ.

partes

partes ſuperiores delata in ventriculo acrem quendam ſuccum producant, qui imaginationem ſtimulet, ejusdem ſucci contrarium devorare, nempe aliquod corpus ſiccum ſucco illo in contrarietate oppoſitum, uti ſunt terra, gypſum, carbones, pix navalis, ut habeat, in quod rodendo agat, & conſumatur atque etiam eâdem opera ſuum contrarium deſtruat, ſicque neutrum eorum ſuam naturam retineat, & corpori nocumentum inferat, uti aliàs in ſtatu ſano fieret, ita ut pix navalis, vel calx ſine damno devorari non poſſit, niſi tali ſucco ipſi contrario conſumatur, & in aliud ens corpori innoxium transmutetur, cujus exemplum habemus in oleo vitrioli acerrimo, quod ſine perroſione in ventriculo morari planè non poſſet, ſuperfuſum autem ſali tartari tanquam ſuo contrario, tam propriam quàm ſalis tartari acrimoniam deſtruit, ut poſtmodum utrumque in ſatis larga quantitate absque ulla noxa in ventriculo morari poſſent. Pro diverſitate autem temperamentorum ſuccus ille acris in omnibus fœminis non uno modo ſe habet, ſed juxta cujusvis naturam variè graduatur, unde etiam appetitus earum heteroclitus ad diverſa & diſſimilia fertur, ita ut una res acidas, alia auſteras, frigidas, calidas vel alias appetat, hinc tanta diverſitas, ut quædam cineres, gypſum, ſalem, argillam, aliæ aromata, cinamomum, caryophyllos, nucem moſchatam, nonnullæ glaciem, nivem, aquam frigidiſſimam, acetum, ſuccum limonum, citri, fructus immaturos copioſè, & plerunque ſine notabili læſione deſideret.

Signa picæ manifeſta ſunt, ſemper enim tales res ſibi aliàs inſvetas appetunt, atque buccam tenui ſalivâ oppletum ſentiunt, quæ fortis appetitus comes individuus eſſe ſolet, unde crebrò exſpuunt, morſionesque circa orificium ventriculi, nauſeam & anxietates perſentiſcunt & quandoque etiam vomituriunt. Signa.

De prognoſi non opus eſt multa verba facere, eſt enim affectus ferè naturalis, ſponte veniens in gravidis, & ſuapte ſponte etiam circa quartum geſtationis menſem iterum ceſſans, partim quod natura ejus fiat aſvetior, partim quod fœtus jam grandior majorem humorum copiam abſumat, atque etiam notabilis pars illuviei jam antea per vomitum eliminetur, ſi tamen diutius protrahatur, atque etiam in virginibus chloroſi laborantibus, quibus hæc affectio pari modo familiaris eſt, neceſſe eſt, manu medicâ ſubvenire, exhibendo prægnantibus leniora & benigniora educentia, & ventriculum roborantia, ac mittendo ſangvinem, à fortioribus autem abſtinendum ob periculum abortus, in virginibus autem aperiendæ ſunt obſtructiones, ac provocandi menſes, eis remediis, quæ chloroſi conveniunt. Prognoſis.

TEXTUS.

IN pica valet aqua cinamomi (in pica prægnantium vomitus & purgantia non habent locum)

aqua corticum aurantiorum, item ſal cinamomi aurantiorum ex corticibus, & citri ex corticibus cum magiſterio corallorum & perlarum.

Si res cupita denegetur, ne quid incommodi fœtui detur, convenit aqua pampinorum vitis albi (bryoniæ) quæ ſtatim prægnanti exhibeatur.

De MALACIA infra in capite de cachexia virginum.

CAP. XCVIII.
DE SITI, Germ. Durſt.

Sitis ſiticuloſitas. Sitis, ſeu ſiticuloſitas vario modo contingit, nempe à temperamento cholerico, fervore aëris ambientis, incaleſcentiâ corporis ab exercitiis, evacuatione, in febribus, ab internis inflammationibus pulmonis, pleuræ, & jecinoris, in hydrope, diabete. Hoc loco autem agitur de ſiti morboſa à caliditate & ſiccitate ventriculi inducta.

Cauſæ. Internæ. Cauſæ internæ ſitis ſunt: temperamentum calidum & ſiccum, intemperies calida ventriculi ac orificii ejus vel œſophagi, vel humores calidi & ſalſi. Externæ. Externæ ſunt cibi vehementer ſaliti, uti ſunt haleces, omniaque alia ſale condita, & condimenta acria qualia ſunt ſinapi, raphanus major & ſimilia, item potus meracior copioſè ingurgitatus, ſive ſit vinum vel cereviſia ſpirituoſa. Longa moratio in æſtuoſis locis. Medicamentorum valdè calidorum, vel veneni calidioris inhauſtio.

Sitis quoque mentionem facit Divinus ſenex in ſequentibus ſuis dictitatis aphoriſticis:

Quibus in febribus ardentibus ſiccæ tuſſes paululum irritantes diu durant, non admodum ſiticuloſi ſunt. lib. 4. aph. 54

Lac dare ſiticuloſis, malum. 5. 64

Medicamentis purgati non deſinunt purgari, donec ſitiant. 4. 19

Noctu bibere appetentibus, admodumque ſitientibus, ſi ſuperdormierint, bonum. 5. 27

In febribus continuis ſi partes externæ frigent, internæ uruntur, & ſitis adeſt, lethale. 4. 48

In cauſa ſitifera non ſitire malum. *de morbis*

Siti ſuperficiali ſomnus medela eſt. *6. de morbis*

Quod ad prognoſin ſpectat, ſitis ab externis cauſis excitata nihil periculi habet, ſed potu reſtingvitur, plurimi tamen ita ſubitaneè bibentes lethalem morbum accerſunt, in magno enim corporis æſtu repentè frigidiſſimum potum affatim infundere idem eſt, ac candentes ſilices in aquam conjicere, ſicuti enim mox diſſiliunt, ita etiam interna æſtuantia viſcera frigido potu reſtincta exſolvuntur & hecticam, vel hydropem pariunt indubiè. In quavis ergò corporis æſtuatione non protinus bibendum, ſed tamdiu à potu abſtinendum, donec prius efferveſcentia ſedetur, tumque buccella panis prius comedenda poſteaque biben- Prognoſtica.

bibendum. Sitis autem ab internis cauſis diſcriminoſior eſt, præſertim in morbis chronicis, ut hydrope, phthiſi, diabete, quorum ſiticuloſorum vix ullus evadit, eſt enim ſignum depaſti humoris vitalis, quamvis enim hydropici ferè in humore natent, non eſt tamen humor vitalis, ſed mortalis, vitalis verò nimirum laudabilis ſangvis in deſperato hydrope pariter depaſcitur ac in tabe fieri ſolet.

Curatio. Curatio ſitis immodicæ pro diverſitate cauſæ variat, ac primum quidem quod ſitim ab externis cauſis, quales ſunt cibi vehementer ſaliti, vel acribus aromatibus conditi, immoderata potatio, ſaltatio, & ſimiles concernit, ea ſi convenienti potu ſedabilis non eſt, medicinam in ſomno habet, teſte in paulò ante citatis aphoriſmis Hippocrate. Si à bilis copia ſitis proveniat, vomitorio exturbanda eſt, vel exhibito cholagogo per ſeceſſum educenda.

In genere autem ſiti ſequentibus remediis occurritur, pro ditioribus talis parari poteſt potus:

Potus ad ſitim.
℞. ſyrup. de limon.
nymph.
violar. an. ℥j.
ſpir. vitrioli ʒj. plus minus.
aquar. violar.
bugloſſ.
nymph.
borrag. an. ℥ij.
aquæ fontan. ℔ij.
m. pro potu ordinario.

Alius. Vel ℞. lim. C.C. ℥iij.
coque in lib. VIII. aquæ fontan. ad caſum duorum digitorum tranſverſorum, adde tum momentum cortic. citri recent. remove ab igne ut frigeſiat probè obtectum, tunc adde cochlearia VI. hujus mixturæ.

℞. mivæ cydon. ſimpl. ℥iij.
ſyr. flor. tunic.
de rub. idæo an. ℥ij.
rob rib.
ſucc. citr. an. ℥iſ.
aceti de rub. idæo ℥j.

Tinctura roſar. Vel paretur tinctura roſarum hoc modo:

℞. roſ. rub. ſicc. ℥j.
aq. tepidæ ℔iij.
ſpir. vitriol. ʒiſ.
infunde per horas 4. frigidè
colaturæ adde ſachari albi ℥IV.
aq. roſar. ℔ſ. f. julep. clarus
pro potu ordinario.

Alius potus. Vel ℞. decoct. hord. & liquirit. ℔ij.
C. C. ad albed. calcinat. ℥j.
ſpir. vitr. q. ſ. ad grat. aciditat.

In omnibus febribus continuis pro potu convenit decoctum hordei & liquiritiæ, addi poteſt radix graminis vel acetoſæ, quæ aquam vini colore tingit, in longis autem febribus radix fœniculi, petroſelini, ſem. aniſi, coriandri, fœniculi.

Decoctũ hordei ad ſitim. Decoctum hordei ſimpl.
℞. hordei integr. m. ſ.
paſſul. min. ℥ij.
ſem. aniſi
fœnicul. an. ʒij.
flor. cordial. an. p. j.
aq. fontan. ℔VIII.
coque ad hordei crepaturam, adde ſub finem
ſach. cand. ℥j.
coletur & cum album. ovi clarificetur.

Vel

Alius modus.

Vel ℞. hord. m. ſ.
rad. ſcorzoner.
acetoſ. an. ℥iſ.
C. C. raſpat.
ſantal. rub. an. ℥ſ.
ſem. citr.
fœnic. an. ʒiſ.
coq. in ℔V. aq. fontan. ad caſum transverſi pollicis, colatur, adde
ſyrup. viol.
d. rubo idæo an. ℥ij.
ſpir. vitr. ad grat. acidit.

Aliter etiam atque aliter paratio potus fieri poteſt, prout docet

TEXTUS.

IN ſiti à quacunque causâ proveniente præſertim in febribus lapis prunellæ in aqua frigida fontana diſſolutus, vel julepo roſarum admodum conveniens eſt. Idem omninò præſtat ſpiritus vitrioli aliquot guttis in aqua fontana vel julepis refrigerantibus exhibitus (ſpiritus ſalis in hydropicis tantùm ſitim extingvit) ſic aqua aluminis per B. deſtillata ſitim & fervorem quemvis ſedat.

Peregrinantibus æſtate, ſole fervente ſalutarius eſt non bibere, etiamſi ſitis urgeat, cui tamen reſtinctio eſt adhibenda, præſtat locuſtarum (die oberſten Gipffelgen) *prunellorum ſylveſtrium maſticare, quàm vel quodlibet potionis genus ingerere.*

Sic ſequens pulvis itinerantibus maximè utilis eſt, æſtate præſertim, ſi epatis intemperies calida multum urſerit:

Tragæa pro potu.

℞. piperis
ſem. aniſi an. ℈j.
liquiritiæ ℥j.
rad. ireos ʒj.
ſachari puri ℔j.
f. pulvis ſubtiliſſ.

Hujus (a) *℞. tantum quantum bis vel ter mucrone cultri accipi poteſt, miſce cum aqua pura fontana transvaſando è vitro in vitrum (interdum præcipuè in febribus additur de lapide prunellæ aliquid) eſt potus ſuaviſſimus ſitim ſedans & interiora corroborans.*

Pulvis pro ptiſanâ.

(a) Pulvis pro ptiſana ſeu aquâ coctâ mox paranda ſic conficitur:

℞. radicum chinæ non carioſæ ſelectiſſ.
ligni ſaſſafras an. ℥iſ.
liquirit. raſæ ℥iiſ.
ſem. aniſi mund. ℥iſ.
C. C. uſti albiſſ. ℥ij.
cinamom. elect. ℥iſ.
m. f. pulv. ſubtiliſſ. ad ſcatulam
S. pulvis pro potu.

Hujus ℥j. coque in ℔iiij. aquæ fontanæ, ac poſt colaturam in cellam pone, ut refrigeretur, ſic enim ſubſidentibus ſpeciebus in fundum vaſis aqua ſupernatat clara & utilis.

CAP.

CAP. XCIX.
DE CRUDITATE VENTRICULI, ET ABLATA CONCOCTIONE, Germ. Undauung deß Magens.

CHyloſis ſive concoctio ventriculi legitima cibos nimirum convertens in cremorem non eſt leve munus ac beneficium, ſed velut præcipua materna mamma virium totius corporis, ut quilibet in ſe ipſo experiri poterit, ſi per integrum diem jejunet, & poſtmodum cibum optimè nutrientem probèque commanſum comedat, ac vinum bonæ notæ ſuperbibat, quamprimum enim in ventriculum deſcendent, evidentiſſimè totum corpus recreari & confortari ſentiet, cibo & potu etiamnum exiſtentibus in ventriculo, quatenus nimirum probâ ventriculi concoctione gaudeat, praviſque humoribus non ſcateat, ſi verò ventriculus impura humorum colluvie ſit refertus, ac malè concoquat, tunc gaudioſam illam refectionem ab illapſo cibo & potu etiam omnium laudabiliſſimis nequaquam percipiet, ſed potius moleſtum onus & gravamen, veriſſimumque confeſtim deprehendit illud Divini ſenis: *Impura corpora quanto plus nutris, tanto magis lædis.* Unde etiamnum idem quod ſupra cap. 90, affirmavimus, conſtanter aſſeveramus, mox in ventriculo optimam partem nutrimenti à vaſis in eum deſinentibus ſugi, & ſtatim in talem ſuccum qualem in ſe continent, nempe ſangvinem arterialem, venalem, ſuccumque nervalem, fermentari, non ſecus ac ſemen paſtinacæ ex humore terræ atque aquâ pluviali radices rubras inſtar ſangvinis fermentat, aliaque ſpecies alba ejusdem paſtincæ albiſſimas radices ex eadem aqua per fermentationem profert, tertiaque flaviſſimas: Si ergò hoc per fermentationem in terra frigida ex aqua ſimplici poteſt fieri, quid prohibet, quò minus in calido ſtomacho, ſpirituque vivido cooperante è pane & vino jam pridem ruffeſcentibus, nec non carne, quæ jam ante ſangvis fuit, mox pari modo fermentatio ſangvifica incipere poſſet, non expectatâ ultimâ digeſtione? quæ procul dubio ob craſſiorem partem nutrimenti inſtituta eſt, quemadmodum repetitio molitionis frumenti non ob puriſſimam partem, quæ mox prima molitione in puriorem farinam abit, ſed reliquam craſſiorem, quæ vix tertiâ ſui molitione, pollen fit, inſtituitur. Nullum ergò nobis dubium eſt, quin commemorata jam refectio toti corpori vires ſtatim è ſtomacho tribuens nihil aliud ſit, quàm ſuctio optimæ partis commanſi nutrimenti, ita ut talis ſuctio perficiatur à venis, arteriis & nervis in ſtomachum deſinentibus, attractusque ſuccus fermentetur mox in ſubſtantiam ei ſimilem quam jam pridem in ſe vehunt, quæ facilè ulterius fermentare poteſt, more cujusvis fermenti, ut palam fit in fermento panis, quòd paucis horis totam maſſam ſibi aſſimilet, quod etiam

hoc in impuro ſtomacho non fiat, itidem argumento eſt, quandam ſangvificationem mox in ſtomacho incipere, impuritas enim nihil aliud eſt quam obſtructio & obmucatio fibrarum ſtomachi, ut ſugere non poſſint, ut unico exhibito vomitorio probari poteſt, quod ſæpius una vice talem impuritatem excutit, ita ut in plurimis illicò proba concoctio & confortatio ſequatur.

Læſio concoctionis triplex. Juxta Practicos autem concoctio ventriculi tripliciter lædi ſolet, nimirum imminutè, depravatè & abolitè, quarum ſingulæ ſua peculiaria nomina obtinuêre, imminuta enim concoctio vocatur bradypepſia, depravata dyſpepſia, & abolita apepſia, omneſque tres ſpecies nomine cruditatis comprehenduntur.

Bradypepſia. Dyſpepſia. Apepſia. Cruditas

Hæc tamen cruditas juxta diverſitatem temperamentorum variat, in bilioſis enim naturis ac ſtomachis ſolet eſſe nidoroſa, uſtulatos nimirum ructus odori ovorum, & corruptorum piſcium vel olei frixi perſimilem exhalans, in melancholicis autem acida, & in phlegmaticis inſipida, ita ut ſaltem aqueos ructus mucoſoſque halitus & ſcreatus emittant.

Cauſæ internæ. Cauſæ internæ ſunt: intemperies ventriculi calida vel frigida, vel impura humorum collectio in ventriculo, vel internæ obſtructiones ſuctionem chyli impedientes, uti contingit in obſtructione lienis, hepatis & meſenterii, ſemper enim in ejusmodi obſtructionibus non modò cruditas ventriculi concurrit, verùm etiam proſtratio appetitus, ut minimo ingeſto cibo ſibi planè ſaturati videantur, item abſceſſus in ventriculo.

Externæ. Externæ ſunt: gravatio ventriculi à nimiâ ciborum copiâ atque immodicâ ingluvie, quâ tandem adeò debilitatur, ut munere concoctionis ritè amplius fungi nequeat, item cibi malæ nutritionis ac duræ concoctionis, quales ſunt carnes fumo exſiccatæ, piſces ſaliti & ſimilia, item cruda aſſumpta viciſſim cruditates pariunt, uti fit, quando fructus arborum crudi, nempe poma, pyra, ceraſa, meſpila, nuces, uvæ, aliaque cruda nempe cæpæ, allium, cucumeres copioſè vorantur, potuſque ſimilis generis nempe craſſa cereviſia novella non ſatis defæcata, vel etiam aqua, vinum lentum, vel mucidum. Item multa heluatio, ebrietates & crapulæ, quibus fermentum ventriculi acidum concoctivum planè deſtruitur, præſertim à potu meraciori, qui multum ſpiritus ardentis in ſe vehit, ſpiritus enim ardens ſeu vini omnem aciditatem dulcificat, adeò ut fortiſſima corroſiva nempe aqua fortis, regia, ſpiritus ſalis, nitri, vitrioli aliaque à ſpiritu vini immutentur, ſuamque aciditatem corroſivam in eo amittant, tollit etiam quamlibet fermentationem, uti quilibet experiri poterit, ſi muſto vel cereviſiæ jam validè fermentanti ſpiritum vini infundat, videbit enim mox ceſſare fermentationem, muſtumque ob fermentationem turbidum clareſcere, idem ergò etiam perpetrabit ſpiritus vini in ventriculo, ſi per ſe vel in potibus

mera-

meracioribus copioſè hauriatur, ita ut nil certius heluationem ſequatur, quàm deſtructio fermenti acidi ventriculi, poſtmodumque alii pejores morbi, ut hydrops, tabes vel alii. Immoderatæ etiam lucubrationes, ac intempeſtivæ vigiliæ ſemper demum cruditates ac ventriculi langvorem inducunt; Denique immoderata venus hoc peculiare habet, ut ſerum langvefacti ventriculi planctum poſt ſe relinquat.

Signa. Signa cruditatis hæc eſſe ſolent; gravitas ventriculi, ac ferè ordinaria obluctatio ingeſti cibi, concoctioni adeò reſiſtens, ut non modò plurimos moveat ructus, ſed eos quoque per ſat amplum temporis ſpacium ſuo ſapore & odore imbuat, ita ut dudum poſt ciborum ſaporem & odorem in fauces eructatum tam exactè hoc affectu laborans percipiat, ac ſi jamjam deglutiviſſet, hæ autem eructationes omnibus cruditate affectis poſt paſtum familiares ſunt, ſive ſint cholerici vel melancholici, vel pituitoſi, jejunis autem iisdem non conſimiles fiunt ſed diverſæ, nempe melancholicis acidæ, cholericis nidoroſæ & velut calceæ, phlegmaticis flatuoſæ & inſipidæ, quibus etiam ut & melancholicis perpetuò os ſalivâ abundat aquosâ, quam crebrò exſpuere coguntur, cholericis autem lingva amarum ſaporem ſapit, ac ſicca eſt.

Prognoſis. Prognoſis in hoc affectu hæc eſſe poteſt: Si vitium ſit ab externis cauſis, occurri ei facilè poterit, ſi maturè convenientior diæta inſtituatur, colluviesque ventriculi per intemperantiam inducta expurgeretur, ſi verò nimium inveteraſcere permittatur, exorbitantia illa convertitur in habitum, ita ut poſtmodum ſemper debilis permaneat ventriculus, unde etiam reliqua viſcera fiunt langvida, ac per totum corpus cruditates pariunt, imprimis ſangvinem aquoſum & cachecticum, ubi tandem exitus alius vix eſſe poteſt quàm hydrops, vel lienteria, vel tabes, vel alia mortis accerſio.

Curatio. Curatio cruditatis ventriculi molienda eſt à cauſæ ſublatione, cumque primaria & vulgatiſſima cauſa eſſe ſoleat colluvies vitioſorum humorum, ea vomitorio optimè debellatur, nempe aquâ benedictâ vel decocto aſari, deinde roborandus eſt ventriculus, quod in frigidis præſtat ſpec. diacinnamom. ſi ejus drachma pro vice in calido juſculo aſſumatur, roborat enim ventriculum & ejus concoctionem, nec non capiti & oculis confert. Calidis autem naturis conferunt acida, ſed de his fusè tractat

TEXTUS.

Cruditatem ventriculi, ſi ætas & virium robur ſvadent, aufert vomitus conciliatus ex aqua nucum & raphano deſtillata & pauxillo aquæ (a) *benedictæ procuratus, quem excipiant tandem ventriculum corroborantia, partim intra partim extra.*

(a) Intelligit vomitorium Plateri, verùm aqua benedicta ſola ſufficit.

Specifica. *Interna ſunt omnia acida, nominatim verò ſpiritus vitrioli Philoſophicus cum conſerva roſarum, acetoſellæ, menthæ & ſimilibus mixtus* (b) *ſenibus multum prodeſt eſſentia meliſſæ. Item eſſentia pulegii, quæ omnem co-ctionem ſive ablatam, ſive tardam, ſive vitiatam in iisdem juvat, oleum maſtichinum in juvanda coctione præſtans eſt, ſi ejus guttæ ij. iij. vel IV. in convenienti liquore, vel etiam in vino vel compoſito exhibeantur.*

(b) Acida conveniunt bilioſis & calidis, frigidioribus autem amara ut abſynthites &c. proſunt.

Nota: in his affectibus ventriculi balſamus aloëticus, quandoque veſperi ante cœnam vel poſt mediam noctem doſi ʒj. vel ij. ſumptus ventriculo robur conciliat. Sicut etiam pilulæ de aloë vulgari, ſi cum extracto myrrhæ præſertim fuerint compoſitæ.

Externè juvant inunctiones, epithemata, & cerota ſtomachalia, in quibus eminet (c) *cerotum de ladano puro cum ceræ q. ſ. in formam emplaſtri redactum, ſic ſacculus ex mentha, abſynthio, pulegio conſutus & geſtatus idem facit.*

(c) Eſt ceratum Cratonis, quem hic mirum in modum laudat atque ad concoctionẽ roborandam commendat, Deoque ſingulares agit gratias, quod ſe ad ejus notitiam perduxerit, vidimus tamen quod ſaltem vulgare emplaſtr. Noribergenſe idem præſtiterit, plusque arriſiſſet ad ſupergeſtandum ventriculo, ſi gratioris eſſet odoris, Cratonis autem ceratum ita fit:

Ceratum ſtomachicum.

℞. gumm. ladani ℥ij.
ceræ ℥IV.
olei nuc. moſchat. ʒiij.
f. maſſa emplaſtri.

Maximè etiam ad ventriculi cruditates commendatur tanquam ſpecificum appropriatum ſal armoniacum purificatum, aqua item ſive balſamus ventriculi & balſamus fœniculi, ſpiritus quoque abſynthii multum prodeſt.

Sal armoniacum purificatum.

Sal armoniacum purificatum ita fit:

℞. *Salis armoniaci benè triti & limaturæ martis an.* ℔j. *miſce diligenter, & ex cucurbita, vel etiam retortâ in arena ſublima* (d) *aucto in fine igne, ut quod purum eſt, aſcendat in collum retortæ vel cucurbitæ, fæces verò cum limatura in fundo remaneant, quod ſublimatum eſt, iterum per ſe ſublima & ſerva.*

Deinde ℞. *ſalis communis q. v. decrepita in crucibulo, donec fluat. Hujus* ℞. *& ſalis armoniaci antea ſublimati ana partes æquales, tere invicem & ſublima, atque ita perge ſepties, ſemper abjiciendo caput mortuum, & addendo*

dendo ſublimato parem ſalis decrepitati quantitatem, & erit ſpecificum præparatum, cujus grana iij. vel IV. in vino abſynthiaco vel decocto ſaſſafras per aliquot dies continuos propinata, ita tamen ut ſudor à ſumpto medicamento promoveatur, ventriculum perfectè curant. Eſt præterea hujus uſus expeditus in curandis febribus, de quo infra de ſpecifico febrili.

Optimum autem ut tum ventriculus, tum reliqvum corpus ab omnibus impuritatibus ſit liberum.

(d) Qui juxta hoc præſcriptum ſublimationem ſalis armoniaci inſtituit, inanem ferè operam deprehendet, ſal enim armoniacum recentem limaturam martis arrodit, ac planè in eam ingreditur, ita ut vix igne intenſiſſimo aliquid rurſus ab ea exeat, & ſublimetur, at ſi loco limaturæ accipiatur ſcoria ſive batitura martis, tunc facilè ferè totum ſal armoniacum ab ea in ſublimatione aſcendit colore flaveſcens, at noſtro judicio non opus eſt hac operoſa ſublimatione, ſed ſatius eſt chalybem præparatum ſeparatim exhibere, mirabiliter enim ſtomachum confortat, nos eum cum ſulphure cementatum optimèque candefactum & tritum unà cum herbis & radicibus ſtomachicis infundimus in vino generoſo, ejusque omni manè jejuno ſtomacho circiter IV. vel V. uncias bibendas ordinamus cum jejunio deſuper duarum vel trium horarum, & longè optimum nanciſcimur ſucceſſum.

Aqua ſeu balſamus ventriculi.

Balſamus ventriculi.

℞. *nucis moſchatæ*
caryophyllorum
cubebar. an. ℥iſ.
cinamomi
macis
zedoar.
granor. paradiſi an. ℥j.
galangæ ʒiij.
piperis longi ʒvj.
flor. tunicæ
roſar. rubr.
bugloſſ.
menthæ an. m. j.
herb. menthæ
pulegii
abſynth. utriusque an. m. iſ.

Tritis terendis & confractis confringendis adde medullæ panis tritici ℥x. *deinde matracio vitreo exceptis adde vini optimi ad duorum digitorum eminentiam, fiatque infuſio per VIII. dies vaſe clauſo. Deinde proliciatur emulſio ex amygd. dulc.* ℔ſ. *cum dicto infuſo miſce, additisque mellis optimi* ℥iij. *fiat deſtillatio in B. ad ſiccitatem. Hujus aquæ cochlearia duo exhibita in quavis ventriculi imbecillitate conveniunt & propinantur.*

Balſamus fœniculi.

Balſamus fœniculi.

℞. *Extracti ſem. fœnic. cum ſp. vin. facti ℥ij.*
ceræ albæ aut mannæ calabrinæ ℥ſ.
ſalis fœnic. ʒiſ.
miſce ſuper igne lento ut fiat maſſa, adde olei fœniculi ʒiij. vel IV. m. & ſerva. Doſis à ℈ſ. ad ℈j. cum aqua roſar. aut menthæ.

Quod ſi dicta deficiunt, poterit bis in hebdomade hora una ante prandium offerri ʒſ. pilularum maſſæ ſequentis ℞. Aloës ſepties in ſucco roſarum lotæ & exſiccatæ partes duas, rhabarbari electi & myrobalanorum emblicorum partem unam, f. maſſa.

Exterius inungatur ventriculus oleo maſtiches deſtillato, poſt inunctionem applicetur ceratum ſtomachicum Galeni, vel emplaſt. pro ſtomacho, aut emplaſtr. de maſtiche aut quod omnibus præſtat, tacamahaca ſuper alutam extenſa emplaſtri loco.

Prodeſt etiam in fine paſtus dare hunc pulverem:

Pulvis.

℞. *cubebar. ʒiiſ.*
nucis moſchat. ℈iiij.
caryophyll. ʒſ.
macis ℈j.
calami aromatici ℈ij.
liquiritiæ raſæ ʒij.
confect. carvi ʒvj.
fœniculi ℥ſ.
rotular. diatrion. ſantal. ſ. camph.
diarhodon abbat. an. ℥ſ.
m. f. pulvis groſſus, de quo capiat poſt paſtum pugillum unum.

Scutum ſtomachale:

Inunctio ſtomachalis.

℞. *ol. abſynth. ℥ſ.*
caſtorei ʒij.
menthæ ʒſ.
ol. maſtichini ʒvj.
juniperi
nucis moſchat. an. ʒj.
caryophyllor. ℈ſ.
zedoariæ g. iij.
m. inungantur præcordia & tegantur aluta hac

Scutum ſtomachale.

℞. *Storacis calamitæ ℥iſ.*
ambræ griſ. gr. j.
ol. macis
menthæ
abſynth. an. ʒj.
pulv. caryophyllor.
macis an ℈j.
diſſolve gummi ſtoracis calam. f. maſſa, ducatur ſuper aluta, & obducatur ſindone rubrâ f. l. a. ſcutum ſtomachale.

Inunctiones fiunt per oleum abſynthinum, maſtichinum, menthæ in ditioribus deſtillata, in pauperibus expreſſa præſcribantur, aut cocta.

Si verò, ut ſæpiſſimè & quaſi ſemper fit, epar ſit calidum, & periculum immineat, ne dum uni medeamur, alteri noceamus, tantùm

tum calida medicamenta ventriculo offeramus, epati exterius refrigerantia applicari poterunt, nempe ungventa, epithemata & ſacculi cum ſantalis, trochiſcis de camphora & ſimilibus.

Ablata concoctio.

Ablatam concoctionem in morbis chronicis, ubi plerunque concoctio ventriculi perit tota, per analogiam eſſentia panis, ejusque oleum reſtituit tandem, ſi cætera quoque tam intrinſecus quàm extrinſecus rectè adminiſtrentur. Sic eſſentia carnis ſolâ ebullitione ſine aqua adjecta in vaſe clauſo extracta nutritionem (e) *omnem abſolvit pedetentim, poſtliminiò quaſi in priſtinum ſtatum revocatâ coctione ventriculi.*

(e) Iſta eſſentia paratur è carne bubulâ minutim conſciſsâ, indendo ejus libras quatuor cum ſale quantum ſufficit in magnam ollam librarum aquæ circiter quindecim capacem, cujus operculum exiguo foramine perforatur, ut halitibus interdum exitus detur, ne ollam diffringant, ac poſtmodum ſuper ollam cum paſtâ ex farina & albumine ovorum firmiter lutatur, dictum autem foraminulum obturatur lignello, quod ſubinde extrahatur, & rurſus infigatur; tunc olla hæc locatur in B.& per integrum diem in coctione dimittitur, tum caro fortiſſimè exprimitur, & abjicitur, omnem enim virtutem amiſit, juſculum autem ſive excoctus ſuccus in cella ſervatur, cujus pro vice aliquid in parva patina calefit, ac ægro exhibetur, ubi autem per morbum deglutitio eſt impedita, per mundum ſiphunculum faucibus ægri ſvaviter injicitur quotidiè, donec rurſus liberè poſſit deglutire, diu enim efficaci hoc ſucco ſolo interea ſuſtentari poteſt.

Oleum ſeu ſangvis panis ſignaturâ ſuâ repræſentat ſangvinem, neque fruſtra factum videtur, inter eſculenta omnia quidem nauſeam homini ſano poſſe movere, præter panem, tanquam nutricationis noſtræ potiſſimum inſtrumentum. Ille ergò in dulciſſimam eſſentiam (natura dulciſſima maximè eſſentificata arripit) & oleum chymicè redactus pauciſſimis guttulis fermè illicò in ſangvinis maſſam beneficio coctionis ſecundæ converſus diutiſſimè hominem conſervat, & nihilominus tandem coctionem reducit.

CAP. C.
DE RUCTIBUS ET FLATIBUS VENTRICULI.

HIc affectus quidem ad caput præcedens pertinere videtur, ubi etiam de multa eructatione actum eſt, at cum Author etiam hic peculiarem ejus mentionem faciat, de eo etiamnum nonnulla dicenda ſunt. Eſt autem eructatio naturalis proprietas ventriculi atque ejus orificii ſuperioris, omnibus ferè hominibus,

nibus, etiam optimè valentibus perquam familiaris, mediante enim aëre cibus & potus deglutiuntur & deorſum propelluntur, uti etiam ſubinde ſaliva deglutitur ad humectandum œſophagum, quavis autem deglutitione pars illa aëris, deturbationem promovens, ſimul in ventriculum deſcendit, atque aliquot deglutitionibus coacervata tandem iterum ſurſum cum ructu prorumpit, idque in omnibus ferè ventriculis, & ſi ſuperius non emittitur, ad inteſtina tranſit, ac per inferius guttur ſtrependo exit; Præter hanc autem naturalem eructationem, etiam alia morboſa frequens eſt, nempe acida & nidoroſa, illa melancholicorum propria eſt, (videlicet ſi modum excedit) hæc bilioſorum & febrientium, acida quidem in mediocritate permanens morboſa non eſt, ſed cum melancholia & frigiditate ventriculi invaleſcens, tunc enim nil niſi flatuoſam eructationem ad quævis ferè verba audias tali homini aſtans.

Ructus morboſi quid?

Cauſæ.

Cauſæ igitur flatuoſæ eructationis ſunt: vel frigiditas, atque imminutio calidi innati, uti idem quoque contingit in macrocosmo, quod tempore autumni, quando calor ſolis inſigniter minuitur, magna ventorum flatuoſitas generetur; vel debilitas ventriculi in concoctione, ubi cibi reſiſtentes flatus pariunt. Cibi etiam duriores licet in robuſtis ventriculis coquantur, multum negotii faceſſunt, & flatuoſitatem, non ſecus ac quilibet labor perdurus ſuum operatorem adeò defatigat, ut longè fortius ſolito reſpiret, & ſuſpiria crebriora ducat. Adhæc quædam eſculenta ex ſua natura flatulenta & ructuoſa ſunt, qualia ſunt: allium, cæpa, raphanus, caſtanea, fabæ, piſa cum pellibus, ficus, ceraſa exſiccata, caro ſuilla, caſeus vetuſtus putris, rapa, haleces, caro fumata, & ſimilia, aliam tamen correctionem vix patiuntur, quàm ut ab eis abſtineatur.

Mentionem etiam ructationis facit Hippocrates in ſequentibus ſuis dictitatis:

Acidum ructantes non admodum pleuritici fiunt. lib. 6. aphor. 33

Ructus acidus in diuturnis lienteriis ſuperveniens, qui prius non extitit, ſignum bonum. 6. 1

Curatio.

Curationis remedia huic affectui competunt, quæ in præcedenti capite ac ſupra de intemperie ventriculi enarrata ſunt; imprimis autem ad frigidum & ructuoſum ſtomachum ſequens valet:

℞. ſem. aniſi ℥j.
maſtic.
cinamomi craſſius pulveriſator. an. ℥ſ.
galang.
zedoar. an. ʒij.

radices incidantur, omniaque coquantur in lib. iij. vini albi in cantharo lutato per duas horas, ac de colatura manè & ſerò calefacta bibatur, conveniunt quoque ſpecies diagalanga & diatrion pipereon, aliaque quæ habet

TEX-

TEXTUS.

IN ructibus etiam vulgò commendatur vinum abſynthites; ſic ipſius arcanum. Item ſal & ſpiritus ſalis abſynthii potiora ſunt. Si ructus fuerint fœtidi & nidoroſi, imprimis verò æruginoſi, primum ſubſidium petitur à vomitu procurato (per aquam benedictam cum aqua aniſi, fœniculi, menthæ) qui ſaburram totam ventriculi eliminat, ventriculumque à cruditate liberat: ructus quò deinceps minus moleſti eſſe poſſint, poſt vomitum tandem illa conducunt principaliter, quæ ex abſynthio fieri diximus.

Flatus ventriculi. *Flatuum ventriculi curatio convenit cum curatione ructus. (Hippocrates: venter diu inflatus minatur tympanitidem) aliàs eſſentia coriandri ante paſtum hic laudatur, item oleum cymini & corticum aurantiorum.*

CAP. CI.

DE INFLATIONE ET TUMORE VENTRICULI, *Germ.* Aufblehung und Geſchwulſt deß Magens.

Inflatio & tumor ventriculi quid? VEnter diverſo modo intumeſcere & in tumorem attolli ſolet, nimirum in hydrope, tympanitide, hydrope uteri, mola, & quandoq; in diuturna ſuppreſſione menſium; Aſt de his hujus loci ſermo non eſt, ſed de intumeſcentia, quæ ventriculum ac cum eo totum ventrem in tumorem præternaturalem elevat, atque ex congeſtis cumulatisque flatulentis ſpiritibus in capacitate ventriculi, nec non quandoque inteſtinorum excitatur.

Cauſæ internæ. Cauſæ internæ ſunt: debilitas caloris ventriculi, & fermenti digeſtivi, quæ plurimos flatus generare ſolet, item imbecillitas facultatis ventriculi expulſivæ, ita ut flatulenti ſpiritus inter concoquendum alimentum generati non expellantur, vel per eructationem, vel ventris crepitum, ſed in ventriculo moram faciant, ac inter ejus tunicas ſe colligant.

Externæ. Externæ ſunt; alimenta flatuoſa ac frigefacientia intemperanter aſſumpta, qualia ſunt cerevìſia novella turbida, mel crudum, piſa non detunicata, fabæ, fructus arborum dulces, olera, rapa, cæpæ, porrum & ſimilia.

Signa inflationis ventriculi ſunt: tumor manifeſtus & renitens dolorificusque, qui digitis preſſus ægrè cedit, nec foveas impreſſionis relinquit, ut tumores molles œdematoſi faciunt, ſed ob flatuoſam turgentiam rurſus exſilit, & veſtigia replet, flatus etiam ſupra vel infra erumpentes ferè levamen afferunt.

Prognoſis. Prognoſis ejus in hunc modum inſtituitur, quod omnis ventris prægrandis inflatio aſthma infert, quia diaphragma tendunt, motumque ventriculi impediunt, unde appetentia dejicitur, multò magis autem id ab ipſo ventriculi tumore fit, quia

ventriculus primariò afficitur, ſoletque hæc ventriculi intumeſcentia tandem in verum hydropem degenerare, niſi maturè ei occurratur.

Curatio. Curatio in hoc conſiſtit ſcopo, ut ventriculus tam per alimenta quàm medicamenta ad calorem & fortiorem concoctionem promoveatur, debent itaque ipſi ſuggeri cibi euchymi & facilè digeſtibiles, parca tamen manu, abſtinentia enim non minus multum ad curationem confert, parcè ergò edatur & bibatur, quia ex nimio potu generatur hydrops, juvat etiam diuturnior ſomnus & mora in calido lecto, utrunque enim ventriculum calefacit, & ſic materiam flatulentam in halitum reſolvit & expellit, nec minoris adjumenti eſt balneum ſeu inſeſſus ex decocto herbarum emollientium, calefacientium, & carminantium, quales ſunt herba & flores meliloti, chamæmeli, verbaſci, radic. leviſtici, ebuli, ſemina anethi, cumini & ſimilia, imprimis autem ſulphur vulgare ſimul incoquatur.

Poſt inſeſſum & fotum aliquod emplaſtr. calefaciens, ut de baccis lauri tumori imponatur, intrò verò dentur poſt convenientem corporis evacuationem flatus diſcutientia, ut theriaca vel electuar. de baccis lauri, aliaque quæ habet

TEXTUS.

IN inflatione ventriculi præmiſſis præmittendis, de quibus præcedentibus actum eſt, balſamus, vel olei fœniculi guttæ aliquot exhibitæ proſunt. Sic oleum carvi tum intra tum extra præſtat, præſertim ſi epithemata ex carminativis extra fuerint applicata.

Tumor ventriculi. *In tumore* (a) *ventriculi à flatibus, vel ab alia causâ emergente antimonium diaphoreticum vel flores albi antimonii fixi aliquoties ſingulis diebus dati in aqua fœniculi ſpecificâ quadam proprietate juvant: idque magis, ſi aliquantum ab iis ſumptis ſudor provocetur. Non minoris virtutis eſt diaphoreticum in peracutis ſeu mixtura ſimplex ſemel atque iterum in vino abſynthiaco datum.*

Tumor ſeu abſceſſus ventriculi. *(a)* Tumoris ventriculi nomine etiam intelligitur vulgo abſceſſus particularis ventriculi, cujus cum Authores inter affectus ventriculi quoque faciant mentionem, pariter hic de eo nonnulla ſimul dicenda veniunt.

Ventriculus itaque non minus ac aliæ partes molles apoſtemationi obnoxius eſt, quod tum contingit, vocatur tumor præternaturalis ſeu abſceſſus ventriculi, qui interdum in aliqua ejus parte, tum externa tum gibba, tum in interna concavitate exoritur, qui interdum indureſcit, nonnunquam autem ſuppuratur, ac in convexa parte ventriculi exiſtens, ruptione ſua pus in abdomen dimittit, in intrinſeca autem concavâ in capacitatem ventriculi.

Cauſæ. Cauſæ eædem ſunt ac aliorum tumorum & apoſtematum; adhæc

quoque

quoque exempla ſunt, quòd à deglutitis rebus acutis, nempe aciculis, cultro, vel ſpinis piſcium, tunicis ventriculi infixis abſceſſus in ventriculo excitati ſint.

Signa. Signa ejusmodi abſceſſus ſunt: dolor alicubi in ventriculo perceptus, imprimis tangendo & comprimendo affectum locum, appetitus eſt proſtratus, concoctio langvet, poſt aſſumptum cibum præſertim duriorem dolor & angor exacerbantur, ſi nimirum tumor in capacitate ventriculi latet, ſi verò in exteriori parte, tangendo & comprimendo deprehenditur, ſi verò in orificio ventriculi, ſtatim cibus illabens ſummam læſionem affert, adeò ut ſyncopen ægro quoque accerſat.

Prognoſis. Prognoſis ejus eſſe poteſt, quod ſicuti chirurgi officina non poteſt eſſe culina, ita ventriculus abſceſſu laborans munere concoctionis fungi vix poteſt, raro ergò tales convaleſcunt. Sed plerunque intereunt.

Curatio. Methodus curationis eſt, quod in calida corporis conſtitutione vena ſecatur, ac diæta parca ex cremore ptiſanæ, avenæ & ſimilibus adminiſtratur, cum potu aquæ hordei, melius autem eſt parare potum ex herbis vulnerariis, ad rumpendum abſceſſum convenit frequenter bibere decoctum ficuum, imprimis ſuccus naſturtii omnes internos abſceſſus rumpit, ſi ita uſurpetur, ut ſupra docuimus, poſtmodum vix aliquid tam potenter ſanat ac panacæa mercurialis alba in principio hujus libri inter cathartica edocta, portentosè quoque conſaneſcere ulcera & vulnera facit herba perſicariæ, ſi ſolummodò tantillum temporis in aqua frigida maceretur, in qua corrigitur, poſtea ulceri ſuperponatur, demumque in terram humidam defodiatur, ut putreſcere queat, at cum interius non poſſit ſuperponi, coquitur tantummodo in aqua ſolani vel plantaginis, atque iſta decoctionis aqua bibitur, herba autem in fundo remanens ſimiliter in terram defodiatur.

CAP. CII.
DE SINGULTU, *Germ.* der Kluxen.

Singultus quid? Singultus eſt motus violentus & quaſi ſpaſmicus oris ventriculi, quo res moleſtas villis ſtomachi impactas excutere nititur, ac juxta Practicos hic motus vehementior eſt ipſo vomitu, qui hunc motum eſſe volunt pugnam quandam inter facultatem expultricem & retentricem, quarum illa rem noxiam in ventriculo perſentiſcat, eamque extrudere conetur, hæc ſibi credita retinere ſataget, ſitque ſingultus orificio ventriculi idem quod convulſio nervis.

Cauſæ. Cauſæ ferè ſemper externæ ſunt, & quidem ex mente Hippocratis à repletione & inanitione, quibus alii etiam tertium fiendi modum ſive cauſam addunt, nempe materiam acrem, quæ tamen ſub repletionem pertinere videtur, nam ſicut inanitio omnia comprehendit, quæ è corpore exeunt, ſic repletio cuncta illa, quæ per os ingeruntur, qualiacun-

que demum ſint ſive acria vel ſalſa, dulcia, nutrimenta vel medicamenta. Si ergò humores vel vapores acres irritando ſingultum efficiant, non poſſunt non conſimili ratione ſub repletionem referri, ab ingeſtis enim alimentis generantur, alii autem mirè ſe torquent, ut explicent, quo pacto ſingultus fiat ab inanitione, cum enim ejus eſſentia conſiſtat in defectu, nemo dixerit, naturam inſurgere ad expellendum defectum, quin potius eam ſe moturam ad defectum reſarciendum, & ſic attractricem potius quàm expultricem facultatem impulſuram. Verùm ea ſcrupuloſitas adeò neceſſaria non eſt, cum tam difficilè non ſit, mentem Hippocratis aſſequi, qui innuere vult, ſingultum ori ventriculi idem eſſe, quod convulſio nervis, & utrunque venire ab inanitione vel repletione, ſicuti autem nunquam nervi inſurgunt in convulſione ad aliquid expellendum, ſed contrahendo ſe teſtantur ſuam moleſtiam, ita etiam os ventriculi in ſingultu nullo unquam tempore aliquid expulit, ſed ſimiliter motu ſuo, ſibi aliquid moleſtum adeſſe teſtatur. Prout etiam cor facit in ſuſpiriis.

Singultus duplex. Eſt autem ſingultus vel idiopathicus vel ſympathicus, idiopathicus eſt, ubi materia eum producens in ipſo ventriculo coacervatur, ſive ſint humores acres, vel lumbrici, vel medicamenta acriora aſſumpta. Sympathicus eſt, quando ab aliis partibus, vel hepate, liene, inteſtinis, renibus, utero vapores acres ad eum transmittuntur, prout etiam hepar inflammatum ſuo tumore ventriculum comprimit, atque ad ſingultum irritat.

Si ergò ſingultus venit ab inanitione, tum præceſſit immoderata evacuatio per ſeceſſum vel profluvium ſangvinis. Si verò à repletione, tum ſigna præſtò ſunt, ſolviturque ſingultus eveſtigio per vomitum.

Hujus affectus etiam Hippocrates meminit in ſequentibus aphoriſmis:

Convulſio & ſingultus à repletione & inanitione fiunt. lib. 6. aph. 39

Jecori inflammato ſupervenit ſingultus. 5. 58

Singultus ab inflammato hepate, malum. 7. 17

Ut & à vomitu. 7. 3

Nec non ab ileo. 7. 10

Atque à ſuperflua purgatione. 5. 4

Et in hæmorrhagia. 5. 3

Senibus nimium purgatis ſingultus malus. 7. 41

Superveniens ſternutatio ſingultum ſolvit. 6. 13

Singultiens in laborioſa febre, morbo laborat peſſimo. in coacis

Prognoſtica. Prognoſin quod attinet, ea potiorem partem in jam citatis Hippocraticis continetur, quæ etiamnum cuncta brevibus complecti poſſumus, ſingultum penè eundem exitum ſortiri cum ſpaſmo vel convulſione, uterque enim poſt repletitionem quidem adeò periculoſus non eſt, verùm poſt exanitionem ſemper nuncius & prodromus mortis eſſe ſolet.

ſolet. Quod etiam Valleſius teſtatur, ſe nullum vidiſſe ſervatum, qui extenuatus vel febre ardente vel maligna decumbens ſingultu correptus fuerit, in omni itaque ardore & inflammatione, nempe cerebri, diaphragmatis, ventriculi, in omni fluxu ut dyſenteria, diarrhœa, in omni marcore ut quartana & ſimilibus lethale ſignum eſt, ſingulare tamen Foreſtus exemplum notavit de quodam, qui poſt febrem continuam, alvi fluxum ac vomitum in ſingultum incidit, quem ipſe Foreſtus ab omnibus deploratum curavit decoctis ſeminibus anethi, carvi, portulacæ & papaveris albi in cereviſia tenuiore, cujus cyathum unicum bibens æger à ſingultu convaluit. Quando autem ſingultus in febribus eſt criticus, non ſemper eſt periculoſus, ſed ſignis coctionis apparentibus ſæpè criſin denunciat per vomitum. In hyſterica etiam paſſione adeò periculoſus non eſt, prætenquam in uteri inflammatione, ubi non caret periculo.

Curatio. Curatio variat pro cauſarum diverſitate, ac primò quidem, ſi ſingultus à repletione importunus ſit, aſſumendum eſt vomitorium, nempe aqua benedicta vel ſal vitrioli. Si à frigiditate veniat, nempe ab aſſumptis frigidis, vino nimium lymphato, remedium in calefacientibus eſt quærendum, qualia ſunt caſtorium, ruta, cuminum, mentha, ſpecies aromatici roſati, diacalaminthes, diacinnamomum, à ʒſ. ad ʒj. cum vino aſſumpta, inungendo quoque ventriculum oleo maſtichino, abſynthii vel alio. Si ſingultus à calidis & rodentibus humoribus contingat, quod roſione percipitur, vomitorium pari modo convenit, ac poſtmodum frigefacientia ut ſyr. de endivia, portulaca & ſimilia.

Si ab acribus medicamentis vel ingeſtis cibis, laudanum opiatum, vel theriaca recens convenit. Si eſt ab ardenti febre, vel inflammatione, curatur per refrigerantia, vitando tamen ea quæ actu frigida ſunt; Plura habet

TEXTUS:

IN ſingultu ſymptomatico præſtat oleum cumini internè aliquot guttis.

Externè applicetur hoc epithema: ℞. cineres quernos, imple ſcutellam cum iisdem, & imbibe cum vino malvatico, ſuper cineres extende laciniam (ut excidant) & applica ventriculo ſæpius, ſi opus, imbibendo (extemporaneum remedium thoracis (a) *compreſſio* (ſihe ob die Hoſen wol verbunden) *ſingultus à repletione curatur vomitu.*

Ad ſingultum accommodata ſunt remedia: terra ſigillata Sileſiaca vera, bolus Armena. Lapis bezoarticus verus Orientalis. Emplaſtrum extrinſecus de cruſta panis, de baccis lauri, & ſimilibus. Specifica.

(a) Plura ſunt ejusmodi ridicula remedia, quibus tamen ſingultus cedit, Experimentum

cedit, cujusmodi etiam eſt, ſi jam quis ſingultire incipit, & ſaltim quemvis ſingultus ſonum numerat, tunc ſtatim ceſſat etiam mox in prima ſingultatione, adeò ut plerunque non opus ſit ſecundam vel tertiam numerare, ſi verò erratur in numero, uti ſæpius fit, quod quis primam non advertit, & ſecundam vel tertiam putat eſſe primam, tunc etiam nihil juvat. Eſtque tam certum hoc experimentum, ut vix unquam fallat.

CAP. CIII.

DE NAUSEA ET VOMITU, Germ. Unwillen und Kotzen.

NAuſea & vomitus ſunt ſymptomata ventriculi extenſione & remiſſione tantummodo differentia, ſuntque motus inverſus ventriculi, quo contra ſuam naturalem conſvetudinem & innatam qualitatem, quæ conſiſtit in motu deſcenſivo, ſive deorſum ad inteſtina vergente, ſe convertit ad motum aſcenſivum ſive ſurſum ad gulam, ita ut neceſſario hic inverſus motus ventriculo laborioſus ſit, contingit enim cum violenta expulſione aſſumptorum difficili aſcenſu opus habentium, antequam per os rejici queant. Conatus autem ille ad ſurſum trahendos pellendosque è capacitate ventriculi vocatur nauſea, quæ quidem prodromus eſſe ſolet vomitionis, ſed non vomitus ipſe, ſemper tamen deſiderium ad eum excitandum, quamvis non ſemper vomitus ſubſequatur, ſed tenuis ſaltem & aquoſa humiditas ſeu copioſa ſaliva ex ore profluat, quæ à natura inſtituta videtur, ut gulam lubricet, quò facilius vomitus ſubſequi poſſit, unde etiam naturæ humidiores longè facilius & cum minore labore vomunt quàm ſicciores.

Cauſæ internæ horum ſymptomatum ſunt: vel acredo quædam ventriculum mordicans, ſive ea in ipſo ventriculo generetur, vel aliunde nempe è capite, ab epate, liene vel alio transmittatur. Vel nimia lubricitas & mucoſitas rugis ventriculi adhærens, ſuctionemque ac concoctionem impediens, unde is tandem ad violentam ejus exturbationem inſurgit, non ſolùm autem talis acredo vel lubricæ ſordes in capacitate ventriculi hæc ſymptomata excitant, verùm quoque parietibus gulæ adhærentes, vel titillationem in ea efficientes, ut quilibet experiri poteſt, ſi ſaltem immiſſo digito, vel penna oleo intincta ſibi in faucibus titillationem excitet, protinus enim tam nauſea quàm vomitus ſubſeqvuntur. Cauſæ. Internæ.

Externæ ſunt: vel nimia ciborum ingeſtio, ita ut inde ventriculus gravetur, pondusque ſuperfluum per vomitum exturbet; vel devoratio lubricorum & pingvium in magna copia, quorum lubricitate appetitus, & concoctoria facultas ſubvertitur, & in nauſeam vertitur; item cibi facilè corruptibiles, atque in ventriculo mordacem malignitatem induentes, quales ſunt fructus quidam & angvillæ, ſuccus & ſemen raphani; eaque quæ in bilem facilè mutan- Externæ.

mutantur, ut vinum meracum copioſè & ad inebriationem ingurgitatum; aſpectus etiam rerum ſordidarum & nauſeoſarum haud difficulter ventriculi ſubverſionem inducit, ob imaginationem quæ ſingulare domicilium in ore ventriculi habet, ut patet in oſcitatione, quod ſtatim in aliis ſimilem imaginationem & effectum producat. Item fumi quidam etiam nauſeam pariunt, ut videre eſt in his qui prima vice fumum tabaci per tubulum hauriunt, quòd horrendâ nauſeâ plerunque vexentur, imprimis ſi non nihil iſtius fumi deglutiatur; gyratio quoque totius corporis diuturnior motusque in orbem, nec non fluctualis, prout ii ferè omnes, qui prima vice navigant, per aliquot dies graviſſima nauſea laborant.

Signa. Signa hujus affectus manifeſta quidem ſunt, quibus autem cauſis accepta ferenda, pernoſci ſatis non poterit, niſi ſimul ſufficiens relatio ægri, aliæque circumſtantiæ perpendantur. Nam ſi cauſa in ipſo ventriculo idiopathicè hæreat, intemperies ejus, moleſtia & dolor evidenter præceſſêre, ſi verò ſympathicè, tum capitis, lienis, hepatis vel alterius partis præſenſum gravamen informationem præbebit.

Huc etiam pertinent ſequentia Hippocratis dictitata:

Vomitio eſt affectus nuper natorum puerulorum. lib. 3. aph. 24
Ac morbus æſtivus. 3. 21
Æſtate etiam vomitus inſtituendus. 4. 4
Hyeme verò cavendus. 4. 6
Imprimis in laborantibus lienteriâ. 4. 12
Vomitio promovetur motu corporis. 4. 14
Ac motu navigationis. 4. 14
Subitanea vomitio fit à tuberculi inferioris ruptione. 7. 8
Vomitio ſpontanea confert ſi purgentur, quæ convenit. 1. 2
Sedatque alvi profluvium. 6. 15
Purgatio per vomitum convenit extra febrem in faſtidio cibi. 4. 17
Ac ventriculi morſu. 4. 17
Nec non in vertigine tenebricoſa. 4. 17
Atque oris amaritudine. 4. 17
Uno verbo in omni dolore ſupra diaphragma. 4. 18
In difficulter vomentibus præhumectandum corpus copioſiori alimento & quiete. 4. 13
Vomitio mediocriter carnoſis non convenit. 4. 7
In tabidis autem planè caveri debet. 4. 8
Graciles econtra & facilè vomentes per vomitum purgandi. 4. 6
Vomitus ab ileo, malum. 7. 10
Poſt vomitum ſingultus, malum. 7. 3
Nec non rubor oculorum. 7. 3
Vomitus划 bilioſus neceſſariò ſequitur diviſum cerebrum. 6. 50
Vomitus atræ bilis in quocunque morbo incipiente, lethale. 4. 22
Optimus vomitus eſt qui bilem pituitæ mixtam habet. lib. 2. præſag. 38

Ac

Ac neque craſſitie neque multitudine admodum excedit. *ibid.*
Sinceræ autem pituitæ vel bilis vomitus periculoſus. *ibid.*
Viridis verò, lividus vel niger vitioſus. *ibid. 39*
Et ſi hi colores concurrant, mortis periculum adeſt. *ibid. 40*
Lividus vomitus cum fœtore, lethaliſſimum. *ibid. 41*
In quovis vomitu fœtores, mali. *ibid. 42*
Signa inſtantis bilioſi vomitus in non lethali febre ſunt: dolor capitis. *lib. 3. præſ. 30*
Aut obverſantia ante oculos obſcura quædam. *ibid.*
Aut cordis dolor. *ibid.*
Item horror & frigus præcordiorum. *ibid. 31*
Atque hæc maximè contingunt in tertianis. *ibid. 34*

Prognoſtica. Prognoſin quod attinet, ea majorem partem continetur in citatis jam Hippocraticis, præterea verò notandum, quod qui ad vomitum proclives ſunt, commodiſſimè per vomitionem purgantur vere & autumno, atque tunc temporis conducit ad valetudinem, qui verò nimis crebrò ad vomitum ſe accingunt, teſte Celſo & Avicenna ex ſuo ſibi ventriculo cloacam concinnant, ſuamque ſenectutem properanter accelerant; Vomitus à naturâ inſtitutus ſiſtendus non eſt, præſertim initio morbi, & die critico accidens, verùm expulſio naturæ ita ſinenda, quamdiu purgantur quæ purgari debent, & facilè tolerant ægri, at ſi immodica ſit vomitio & vires proſternens, cohibitio ejus ſtatim molienda. Vomitus in febribus peſtiferis contingens nil boni deſignat, ſed conceptam venenatam labem denotat adeò fortem, ut vomitum proritet, quo tamen venenum non expellitur, niſi valida alexipharmaca etiamnum in ſubſidium adhibeantur.

Curatio. Curatio nauſeæ & vomitus juxta cauſæ diverſitatem variat, ac primò quidem, ſi natura ipſa vomitum ad expurgandam impuram humorum congeſtionem, vel expellenda nociva aſſumpta concitaverit, tunc conatus vomitivus reprimendus non eſt, ſed inſuper vomitorio aliquo propinato adjuvandus, ita enim nociva colluvies citius extunditur, ac poſtmodum vomitus ſponte ceſſat.

Remedium utile. Si verò obſtinata vomitio ſit, poterit ea ſiſti tribus vel quatuor granis laudani opiati aſſumptis cum ℨj. pilular. cochiar. minor. & vomitus mox deſinet, ac poſt horas quatuor evacuatio ſequitur per ſeceſſum.

Evacuatis ſic ſufficienter vitioſis humoribus roborandus eſt ventriculus conſervâ roſarum vitriolata acceptâ, vel miva cydoniorum admixto uno vel altero grano laudani, vel detur uncia ſucci limonum cum ſcrupulo ſalis abſynthii. Optimum eſt ſequens:

Hauſtus.
℞. cinamomi ʒj.
zingib.
nuc. moſchat. an. ℈j.
croc. gran. IV.
ſachari ℥ij.
vini ℥VI.

ferve-

ferveſiant invicem, bibatque patiens ejus manè & ſub noctem hauſtulum calefactum, exterius applicetur ſtomacho cataplaſma è fermento acri, cum aceto & ſucco menthæ ſubactum, vel

Cataplaſma.

℞. pulv. nucis moſchat.
rad. ſymphyt. maj. an. ʒj.
calami aromat.
zingib. an. ʒj.
baccar. junip. ℥j.
medull. panis ſiligin. ℥ij.

coquantur in vino ad conſiſtentiam pultis, ac in modum cataplaſmatis calidè imponatur.

Plura remedia præſcribit

TEXTUS.

IN nauſea utilia ſunt, quæ de debilitate appetitus ſeu inappetentiâ ſupra de faſtidio enumerata ſunt.

Specificum.

Nauſeam verò citiſſimè ſolvit comeſta zedoaria vel ejus extractum, quod totâ proprietate in omnibus ventriculi affectibus valere poteſt, frequens autem uſus radicis zedoariæ, item acetum zedoariæ in juvenibus & ſenioribus ventriculum malè affectum adeò roborat, ut nihil ſupra, ideoque ejus uſum comprobatum, & commendatum magni facere libet, cum nuſpiam non effectus ſubſequatur ſperatus.

Salis peregrini compoſitio.

Ne quis in mari evomat, ſalis peregrini compoſitio maximè laudatur, illa talis eſt:

℞. ſalis petræ ſeu lapidis prunellæ (potius nitri fixi)
ſalis fuſi & ſalis gemmæ an. ℥ſ.
galangæ
macis
cubeb. an. ʒj.

m. f. pulvis, doſis eſt à gran. IV. ad VIII. maximè jejuno ventriculo, ſtomachum enim confortat, digeſtionem juvat, & à putredine conſervat.

Nauſeam à ſumpto medicamento arcet panis toſtus pulvere caryophyllorum & aceto aſperſus, orique vel naribus admotus. Itemque cæpa præmorſa.

Vomitus laudabilis nunquam ſiſtendus: fit nimirum plerunque à malis humoribus ad ventriculum refluentibus, crapula, copiâ ciborum pingvium & inſvavium, quæ dum per ſuperiora exitum quærunt, impedienda non ſunt. Vomitus quando ſiſtendus.

Cæterum vehementiores non ſunt tolerandi, quales ſæpius videmus in hypercatharſi.

Vomitus enormes ſiſtit 1. aqua menthæ unciis duabus ſemel atq; iterum ſumta. 2. Emplaſtr. theriacæ ventriculo impoſitum. 3 Succus cydonioru crudus miraculosè vomitus ſiſtit, ſi ejus cochleare unum vel alterum propinetur. 4. Sæpius vomitus vomitu curandus eſt. Durantibus itaque iiſdem Specifica.

& quidem ſingulis diebus recurrentibus aquæ benedictæ uſus imprimis auxilium affert confortato deinceps ventriculo. 5. Laudanum opiatum egregiè valet, ubi reliqua omnia parum efficiunt. 6. Cæteris annumerantur etiam extractum zedoariæ, abſynthii, meliſſæ, menthæ, pulegii. Cum præſertim epithema ad ventriculum fiat ex decocto abſynthii, menthæ, lupuli, in aqua ferrariorum, vel aceto paratum.

CAP. CIV.
DE VOMITU CRUENTO,
Germ. Blutſpeyen.

Vomitus & ſputum ſangvinis differunt

ACtum quidem eſt ſupra de ſangvinis per os rejectione, verùm iſtius loci intelligitur ſputum ſangvinis, quod ſemper è thorace & pulmonibus prodit, atque cum tuſſi exſcreatur, hic verò de alia ſangvinis exſpuitione ſermo eſt, in quâ nimirum ſangvis non per tuſſim vel ſcreatum, ſed vomitionem rejicitur, talis autem vomitus ſangvinolentus educitur è ventriculo, cui vomitio propriè convenit, ita ut is ejusmodi ſangvinem evomat, tuſſitio verò ac ſcreatio actio pulmonum eſt, ac thoracis, ab eisque ſangvis exſcreatus prodit.

Eductio autem hæc ſangvinis fit vel idiopathicè ſive proprio ventriculi vitio, vel ſympathicè ſive per transmiſſionem ad ventriculum ab aliis membris, videlicet liene, epate, utero, capite, frequentius tamen à liene & epate, quàm aliis partibus, idque per eorum venas à ſe ad ventriculum pertingentes.

Cauſæ internæ.

Cauſæ internæ cruenti vomitus ſunt: vel nimia ſangvinis abundantia, ab eoque venarum turgentia, quæ ab aliis partibus ad ventriculum feruntur, adeò ut dictæ venæ ex nimia repletione vel anaſtomoſin, vel rixin, diapedeſin vel diabroſin faciant, quæ quomodo contingant, ſupra cap. 83. explicatum eſt; vel etiam ſangvinis efferveſcentia, quâ ſe magis extendit non ſecus atque aqua ſuper ignem incaleſcens priori ſuo ſpacio amplius contineri nequit, ſed ob majorem ſuam extenſionem etiam ſpacium, quod prius in eodem vaſe ſupra aquam vacuum erat, aſcendendo implet, quin imò demum quoque hoc non ſufficit, ſed ad extremum ſua extenſione nimia penitus marginem vaſis transſcendit, & ebulliendo ex olla effluit, ignemque extingvens finem coctionis efficit, quod itidem interdum etiam ab efferveſcentia in ſangvine contingere poteſt, quod ab interna aliqua cauſa exæſtuet, atque efferveſcat, ita ut in vaſis ſuis amplius contineri nequeat, ſed usque ad marginem ſive extrema oſcula ſe dilatet, ſive extenſionem faciat, atque in ignem ſuæ culinæ, id eſt in ſtomachum effluat, atque interitum coctionis procreet, niſi maturè violenta ejusmodi ebullitio impediatur. Quamvis enim ignis actualis in corpore non ſit, qui more culinarii ebullitionem cauſet, à contrariis tamen fermentis idem fieri poteſt, quando

quando unum vel alterum nimium invaleſcit, ſuumque contrarium obruit, uti videre eſt in parca commixtione mechanica duorum contrariorum, qualia ſunt butyrum antimonii & ſpiritus nitri, oleum vitrioli & ſal tartari, aqua fortis & calx viva, aliaque quod tantummodo parum efferveſcant, & paululum ſtrideant, ſi guttatim ſaltem per vices commiſceantur, verùm ſi quis confertim ea confundat, tantopere exæſtuant, ut velut ab igne in vehementem ebullitionem redigantur, & per totum vas, utut magnum, ſe non modò extendant, verùm etiam marginem vaſis aſcendendo ſuperent & effluant.

Cauſæ externæ. Externæ cauſæ ſunt: heluatio & ingurgitatio vini meracioris, aquæ vitæ & ſimilium potulentorum igneorum; victus nimium ſangvificans: uſus creber aromatum calidiſſimorum, quæ humores fundunt, & ſangvinem in extenſionem & efferveſcentiam redigunt; fortia animi pathemata, præſertim in ira vel venerea occupatione: vehemens corporis exercitatio, violentaque viſcerum commotio; gravioris rei ſublatio: viſcerum colliſio per lapſum, ſaltum, equitationem aliosque violenter commoventes caſus: acriorum & erodentium rerum, vel venenatarum in cibis aſſumptio.

Quo pacto autem internoſcatur an vomitus ejusmodi cruentus ſit idiopathicus vel ſympathicus, atque à quanam parte ſympathica ſangvinis transmiſſio fiat, uberioribus indiciis ſupra in hæmoptiſi indicatum eſt; hujus loci autem erit obſervare, an rejectus ſangvis ſit grumoſus & nigricans, tum enim indubiè concludendum, ex propriâ ventriculi culpâ ſive idiopathicè eum eſſe rejectum, illicò enim ſangvis è propriis vaſis prorumpens congelatur, ac in atros grumos abit, ob ſubitaneam ſui corruptionem.

Huc pertinent quoque ſequentia Divini ſenis veriloquia:

Sangvis ſupra erumpens qualiscunque, malum. lib. 4. aphor. 25

Præſertim cum febre. 7. 37

Extra febrem non adeò malum. 7. 37

Vomitus ſangvinis muliebris ceſſat erumpentibus menſibus. 5. 32

Curetur acerbis & refrigerantibus. 7. 37

Prognoſis. Prognoſin quod ſpectat, vomitio ſangvinis, à quacunque demum parte ea proveniat, nunquam caret periculo, in magna enim copia prorumpens vel in diſcrimen repentinæ mortis conjicit, vel in ventriculo congelaſcens corruptionem & putrefactionem inducit, unde poſtmodum animi deliquia, virium exolutio ac ſuffocatio pertimeſcenda, minus tamen periculi impendet ab eo, qui à menſium ſuppreſſione cauſatur, quàm ſi ſit à ſplene vel hepate, reſeratâ enim menſium obſtructione, quod nonnunquam vel venæſectione in inferioribus partibus obtinetur, vomitus ejusmodi cruentus deſinit. Non minus etiam promptè hæc per vomitum ſangvinis profuſio in hydropem conjicit, ac aliæ

qualeſcunque, talis autem hydrops ab ulla ſangvinis deperditione originem trahens ſemper inſanabilis eſt.

Curatio. Curationis ſcopus adeò ſcrupuloſè opus non habet ut pro innumerâ cauſarum varietate variè inſtitui debeat, plurimæ enim cauſæ ſangvinis vomitionis etiam præter jam ante enumeratas eſſe poſſunt, prout exempla ſunt, quibusdam in ventriculo carunculas inſtar hæmorrhoidum ſuccreviſſe, & per intervalla ſangvinem profudiſſe, aliis ab intermiſſa venæſectione vel venere præſertim in viduis vel religioſis talem vomitum contigiſſe, aliisque modis, verum practici ordinariè curationem inchoant à venæſectione, quocunque modo vomitio contingat, etiam à truncatione alicujus membri, quam pariter vomitus ſangvinis ſequi ſolet, parcè tamen ſangvinem detrahunt, quia jam pridem vires à vomitu debilitatæ ſunt, injecto prius clyſtere, ſi alvus ſponte non reſpondeat; Poſtmodum tam intus quàm extra aſtringentia ordinant ex. gr.

Pulvis ſiſtens.

℞. Lap. hæmatit. impalpabiliter triti
corallor. rubeor. an. ʒj.
terræ ſigillat.
boli armen.
trochisc. d. carabe an. ʒſ.
acaciæ ℈j.
camphor. ℈ſ.

f. pulv. ſubtiliſſ. cujus ʒj. cum ℥iij. aquæ plantag. additis guttis aliquot ſpiritus vitrioli, vel drachmis aceti acris, vel ſolius camphoræ gr. VIII. ad XII. cum ſucci vel aquæ plantaginis ℥iij. aſſumantur, præſtantiſſimum enim eſt.

Imò ſuccus plantaginis etiam omninò ſolus ad ℥IV. manè & ſerò frigidè aſſumptus nulli remedio ſecundus exiſtit.

Vel paretur ſequens electuarium:

Electuarium.

℞. conſerv. roſar. vitriolat.
papav. errat.
balauſtior.
radic. ſymphyt. maj. an. ʒij.
terræ ſigillat.
boli armen. lot. in aq. roſar. an. ℈ij.
lap. hæmat. præp.
corallor. rub. pp. an. ℈j.

cum miva cydonior. ſimp. f. elect. molle, capiat magnitud. caſtaneæ, jejunando deſuper per tres horas.

Si ſangvinis concreti ſuſpicio ſit, exhibeatur ʒj. coaguli leporis, vel cyathus oxycrati.

Obſervatio. Potentiſſimè autem omnem congelatum ſangvinem internum extravaſatum diſſolvit, & exigit præcipitatus aureus cum extracto rhabarbari aſſumptus.

Debet etiam integra diæta ad refrigerationem dirigi, atq; ex aſtringentibus & emplaſticis inſtitui, potus ſit aqua ferrata, vel vinum rubrum ſtypticum.

Denique huc etiam accerſi posſunt cuncta, quæ ſupra ad curationem hæmoptiſ. tradita ſunt & ſequentia

TEX-

TEXTUS.

CRuentam vomitionem citò reſtingvere optimum, alioquin propter ſpirituum copioſam projectionem lipothymiæ & ſyncope ſeqvuntur lethales.

Experimentum *Reſtrictivum excellens eſt ſupra enumeratum de ſputo ſangvinis, quod ℞. aquæ deſtillatæ radicis urticæ (non habetur parata in officinis, diligenter tamen paranda ſpir. & aſſervanda) major. ℥VI. ſeu olei vitrioli tantum, quantum ad acetoſitatem ſatis largam ſufficit; diluantur & ſatis frigidè potentur.*

Poſt hanc ebibitam potionem ſimul ventriculo applicetur panis toſtus cum pulvere caryophyllorum aſperſus, & in vino malvatico & aceto madefactus, vel fiat Cataplasma. *pulticula ex medulla panis ſe caliniæ & vino rubello ſtyptico & aceto fortiſſimo calidè inducẽda ventriculo toti & orificio ejus manè & veſperi renovanda. Hac ratione ſubitò ſiſtitur vomitus cruentus.*

Plethorâ præſente interdum ſi vires ferant, phlebotomia baſilicæ non omittenda.

Quod ſi grumoſus ſangvis in ventriculo congeſtus fuerit, idq; diſtenſiones circa eundem & excrementa præſignificant nigra, purgationes lenes ex rhabarbari (ʒſ.) & mechoacannæ (ʒiſ.) in ſubſtantia datis, optimè quod reliqvum eſt in ventriculo & inteſtinis excernunt cum leni aſtrictione. Poteſt etiam pro potu dari vinum rubrum, in quo infundantur radices urticæ majoris. Vide ſupra quæ in exſpuitione ſangvinis & hæmorrhagia dicta ſunt.

CAP. CV.

DE CHOLERA VENTRICULI, Germ. die Brechſucht.

VOcula choleræ in duplici ſenſu apud Medicos notiſſima eſt, ſignificat enim flavam bilem, primariamque eſſentiam temperamenti cholerici ac cauſam bilioſarum affectionum, altero verò denotat morbum quendã ventriculi à cholerâ oriundum ac valdè acutum, in quo qvum cholera ſive bilis atrociſſima ſymptomata excitet, integer affectus cholera appellatur, omninò tamen abuſivè, ſi enim hoc ratum debeat eſſe, ut morbi cauſæ ſuæ nomen obtineant, debebat hydrops nominari phlegma, pleuritis ſangvis & ſic conſequenter. Nominis ratio.

Eſt autem cholera graviſſima & peracuta ventriculi paſſio, in qua humores & contenta ejus ingenti cum perturbatione ſurſum per vomitionem, & deorſum per copioſam alvi dejectionem violenter excernuntur. Cholera quid?

Cur autem huic morbo nomen

choleræ inditum ſit, non ſatis conſtat, cum non à ſola bile excitetur, ſed potius à corruptis pravique ſucci cibis magisque à phlegmaticis quàm bilioſis. Quidam ergò exiſtimant hoc nomen ab inteſtinis derivari, veteres enim inteſtina choladas appellarunt, verùm hæc nominis ratio non minus inconveniens eſſet, quamvis enim inteſtina unà in hoc affectu graviſſimè afficiantur, affectus tamen ipſe ad ſtomachum pertinet, & in eo incipit, relinquimus ergò nomen in ſuâ exiſtimatione, in deſcriptione ipſius morbi pergentes.

Cholera itaque ut dictum, eſt paſſio & vehemens perturbatio ventriculi, qui morſu, pondere, vel gravamine moleſto laceſſitus furioſè ſe commovet ad expellendum illud celeriter, eamque expulſionem confertim per ſuperius & inferius orificium inſtituit, non modo etiam contenta ventriculi impetuoſè ejiciuntur, verùm quoque ab aliis locis humores attrahuntur, quocunque enim in loco dolor vel morſus ſævit, illorſum humores corporis, & imprimis latex ſeu lympha confluunt, ad eluendam illam mordacitatem, prout manifeſtum fit in applicatione veſicatorii cujusdam, quod etiam ſua ignea mordicatione lympham ſeu humorem lympidum attrahit in veſicas, idemque fit in qualibet ambuſtione, ubi mox ubicunque morſus aduſtionis percipitur, aquoſus ille ſuccus accurrit ad eluendam acritudinem, ac tam copioſè congregatur, ut cuticulam attollat in veſicas ſucco illo repletas, è quibus apertis poſtmodum effluit, à mordicatione ergò in ventriculo percepta ſucci corporis mox iſtuc confluunt ad eam eluendam, ventriculus autem furibundus eos violenter ſupra & infra exterminat, unde copioſa illa excretio, quod etiam fit à violentis purgantibus, nil enim aliud ſunt quam interna veſicatoria, unde tam copioſa humorum attractio & ejectio. Purgantia ſunt interna veſicatoria.

Agnitio & dignotio choleræ morbi hisce fit ſignis: æger ſubitò in vehementem impetuoſum, copioſum & continuum vomitum incidit, cui etiam vehemens ventris fluxus copulatur, in quibus ſurſum deorſumque copioſa materia nunc pituitoſa, nunc bilioſa, flava, viridisque amara acidave exturbatur, idque continuatim per aliquot horas, unde vires miſerè proſternuntur, ſequiturque vehemens ſitis & ſudatio, muſculorum in brachiis & pedibus moleſta tenſio, virium exſolutio & ſyncope. Signa.

Duplicis autem choleræ mentionem facit Hippocrat. 4. de rat. vict. in morbis acutis, nempe ſiccæ & humidæ, quarum utraque immodicam ventriculi perturbationem ſurſum deorſumque efficiat, differentes tamen causâ & ſymptomate, ſicca enim generatur ex acri & flatuoſo ſpiritu, qui tam in ſui egeſtione quàm retentione mordicationem & lancinationem infert partibus ventris nervoſis, cum inflatione & ſtrepitu ventris, dolore laterum & lumborum, alvique ſiccitate & aſtrictione. Cholera duplex.

 De Cholera Ventriculi.

ne. Cujus curationem etiam ibidem Hippocrates tradit. Humida verò provenit à pravis alimentis, aliisque cauſis, quas modò recenſebimus. Cum etiam diverſi humores juxta apparentiam dejiciantur, quidam eam diſtingvunt in bilioſam & phlegmaticam, aliique iterum in idiopathicam & per ſe incipientem, atque in ſymptomaticam aliosque morbos ſubſequentem, denique in mitiorem & feriorem, verùm hæc non ſunt ab adeò multiplici differentia morbi, ſed à diverſitate complexionum, cum unus naturam ſeu Archeum habeat tolerantiorem, alius impatientiorem, ac vario modo furentem.

Cauſæ internæ.

Cauſæ internæ ſunt: vel calida intemperies ventriculi, mordaces humores in concoctione progenerans, vel transmiſſi vapores acres ab aliis partibus; vel abſceſſus, tumor, læſio in ventriculo contingens.

Externæ.

Externæ ſunt: varia prava & facilè corruptibilia alimenta, cujusmodi ſunt: melones, pepones, cucurbitæ, cucumeres, ceraſa, mala perſica, armeniaca, piſces carne molli præditæ, angvillæ, nuces juglandes recentes copioſè ingeſtæ. Item crebræ crapulæ; nimia voracitas; motus vehemens mox poſt paſtum; venus ſtatim à cibo frequentata. Immoderata animi pathemata, imprimis triſtitia & ira, vigiliæ immodicæ; mala præparatio ciborum, vel aſſumptio eorum, quæ ſunt malignæ & putrefactivæ qualitatis, ut caro cadaverum, ac plurima alia.

Prognoſtica.

Prognoſis hujus morbi in hunc modum inſtituitur, quòd cholera ſit affectus peracutus, quamvis initio leniter incipiat, illicò enim augetur & ruit in pejus, dolorem magis magisque inferens, nec non punctionem in ventriculo & inteſtinis, primo quidem minus prava excernuntur, nempe cibi corrupti, poſtmodum aquoſi humores, tum flavi, citrini, bilioſi, poſteaque virides, ac tandem nigricantes, paulatim autem deveniunt ad convulſionem & ſingultum, ultimò verò pulſus debileſcit, ſudor frigidus emanat, virium exolutio ſyncopen affert & mortem, totaque tragœdia die quarto vel ſeptimo finitur, feſtinanter itaque ſuccurrendum eſt, aliàs ægrum mors vel tabes expectat.

Curationis ſcopus.

Curationis ſcopus eſt, ut egeſtio pravorum humorum per vomitum & ſeceſſum promoveatur, ab aſtringentibus autem ab initio abſtineatur, largum itaque hauſtum æger aquæ tepidæ bibat, vel decocti hordei communis, addito pauco ſacharo, & ſi non ſponte per vomitum reddatur, immiſſo digito is procuretur, poſtmodum ʒij. theriacæ recentis, quæ miram ſiſtendi vim habet, vel ſequentis electuarii ℥j. vel ij. aſſumantur:

℞. ſyrup. de cichor. c. rhab. ℥j.
rob de ribes
mivæ cydonior. ſ. an. ℥iſ.
ſyr. de mentha ℥ſ. m.

vel paretur decoctum caryophyllorum & maſtich. in vino rubeo addito ſemine aniſi, de quo ante & poſt paſtum bibatur.

Ventri-

Ventriculus etiam roboretur hoc vel ſimili condito:

Conditum.

℞. Conſerv. roſar. vitriolat.
flor. tunic. an. ℥ſ.
rob de ribes
diacydon. ſine ſpeciebus an. ʒVI.
cortic. aurant. condit.
theriac. Androm. an. ʒiij.
ſemin. citr.
acetoſ. pulv.
ſpec. trionſant. an. ʒſ.
cum ſyr. de mentha q. ſ. f. conditum.

cujus quantitas avellanæ una hora ante paſtum manè & veſperi aſſumatur.

Venter verò inungatur quotidiè bis vel ter ſequenti tepefacto ungvento:

Ungventum.

℞. ol. maſtich.
abſynth. an. ℥ſ.
cydonior. ʒij.
nucis moſchat. expreſſ. ʒiſ.
ſem. hyoſcyam.
myrtellor. an. ʒij
m. f. linimentum epigaſtrio inungend.

Denique huc etiam trahi poſſunt, quæ ſupra cap. 103. ad vomitum propoſita ſunt, & quæ habet

TEXTUS.

IN cholera valent eadem quæ in vomitu, imprimis aqua menthæ, ſemen roſarum, magiſterium perlarum, corallorum. Tinctura corallorum & eſſentia ſmaragdi. Item his nihil proficientibus laudanum (a) *opiatum doſ. gran. iiij. exhibetur. Item ſpongia ſalicibus adnaſci ſolita in aqua ſtiptica vel vino rubello.*

(a) Laudani opiati doſis integra nempe gran. iij. vel IV. non danda, ſi virium exolutio ſeu proſtratio adſit, verùm in hoc caſu dividenda hæc doſis in duas vel tres partes, unaque ſtatim, altera verò duabus vel tribus horis poſt offerenda.

CAP. CVI.
DE DOLORE VENTRICULI, Germ. Magenſchmertzen.

SUpra cap. 91. actum eſt de dolore oris ventriculi, ſub quo quidam Practici quoque comprehendunt omnem ventriculi dolorem, quidam verò eos disjungunt, & de quolibet ſeorſim tractant, prout & Author hoc peculiare caput de dolore ventriculi in genere conſcripſit. Agitur ergò hic de dolore contingente in cavitate ventriculi ejusque membranis, imò totius ſubſtantiæ ventriculi, ſubintellecto quoque ſimul pyloro, qui quidem peculiarem ſubinde dolorem pati poteſt, at cum difficillimè internoſci ſignis ab alio ventriculi dolore poſſit, atque etiam iisdem remediis curari deprehendatur, ſimul hic comprehenditur.

Omnis autem dolor ventriculi admodum triſtem ſenſationem infert, quamvis in ſuperiori orificio ſemper ſævior multò ſit, ſatis tamen ſævus etiam reliquus eſt dolor, & vocatur communiter ventriculi colica ſive tormenta, hi autem qui diu dolore

dolore hoc affliguntur, diuturna vitâ non fruuntur, pejora enim dolor accerſit, nempe vel inflationem, vel inflam̃ationem cum torſione, morſione vel roſione.

Dolor ventriculi variè afficit. Omnis enim ventriculi dolor vel ſtomachum diſtendit, atque inflatione attollit, vel mole gravante afficit, vel pungit, vel mordicatione roſioneve torquet, non tamen ſemper eodem loco, quibusdam enim imam, aliis mediam nonnullis ſupremam ventriculi occupat plagam. Interdum continuus eſt, nonnunquam periodicus & interpolatus, jam unum divexat jejunum, nunc alium cibatum, alium cibo jam confecto, & ſic variis varium ſe exhibet.

Cauſæ internæ. Cauſæ doloris ſtomachi perquam multæ ſunt: præcipuæ ex internis eſſe poſſunt: vel intemperies ventriculi frigida, quæ ſemper flatulenta eſſe ſolet, quemadmodum etiam frigidius temperam̃entum anni nempe autumnus multos ventorum flatus & procellas generat, plurimosque navigantium violenter interimit, idem itaque etiam in frigidiori corporis temperamento contingere, multamque ab ejusmodi frigiditate flatulentiam excitari poſſe veriſimile eſt flatus autem distendunt, & dolorem pungentem vel gravantem inferunt; vel etiam doloroſa ſenſatio oriri poteſt à vermibus, tunicas ventriculi vellicantibus. Item à congeſtione humorum acrium, quales ſunt bilis flava, viridisque & ſalſa pituita, in ipſo ventriculo ſe colligentes, vel ab aliis partibus transfluentes: latentes etiam interdum abſceſſus in thorace, vel alibi ruptione ſua ventriculum afficere poſſunt, vel in eo ipſi tumores, durities vel ſcirrhi generari.

Cauſæ externæ. Externæ ſunt: alimenta acria, flatuoſa, ructuoſa, praviqué ſucci, quæ vel copia ſuâ, vel prava qualitate, vel acritudine, vel flatuoſitate ventriculum comprimunt, gravant, pungunt, tenduntve. Item perfrigeratio corporis ſubitanea poſt labores vel ſudores vel calorem. Vel potatio hauſtus frigidiſſimi in multo corporis fervore, unde non rarò dolor brevi necans excitatur. Omnium autem ſæviſſimum dolorem incurrunt potiunculati veneno vel pharmacis deleteriis, idque duplici ex cauſa, priori quidem, quod venena ſunt corroſiva, & ventriculum exulcerant, alterâ verò quod omnia venena cor torquent, ſolutionem autem continui excitant lapſus, percuſſio, alliſio contra ſtomachum, prout etiam acria medicamenta idem præſtant, & ſic de neceſſitate dolorem pariunt.

Signa. De ſignis diagnoſticis & loco affecto non opus eſt multa diſſerere, manifeſta enim ſunt, & à plebejiſſimis quoque diſcernuntur, qui nimirum dolorem inter umbilicum & foveam cordis ſentientes rectè eum ventriculo aſcribunt.

Prognoſtica. Prognoſin quod attinet, dolor quidem inferioris ventriculi regionis adeò periculoſus non eſt ac orificii ſuperioris, nec etiam tam violenta ſymptomata infert, attamen ſi intemperies ventriculi frigidior ac flatulenta medicamentis contuma-

citer reſiſtit, tandem habitualis evadit, ita ut ejusmodi dolores pleni ſint periculi, atque in lethalem hydropem ſiccum ſive tympanitidem firmentur. Dolor autem à lumbricis minoris eſt periculi, facilè enim medicamentis interfici poſſunt, incauti tamen interdum luunt, dum invaleſcentes vermes rodendo non modò acerbiſſimos dolores, verùm etiam quandoque ſubitaneam mortem inferunt.

Curatio. Ad curationem autem ordiendam neceſſe eſt, ut pro cauſæ exigentia ea fiat, ſi itaque ab aliis partibus per conſenſum videatur dolor derivari, primariò illæ medicandæ ſunt, ſi verò in ipſo ventriculo cauſa hæreat, quod inde colligitur, ſi nulla alia pars langvet, tunc plerunque malum à bile eſt, quæ vomitorio expediatur per aquam benedictam vel aſſumptâ drachmâ pulveris radicis aſari in decoctionis hordei hauſtu tepido.

Poſt vomitum roboretur ventriculus impotis aliquot guttis ſpiritus vitrioli in vino abſynthite, vel conſervâ roſarum vitriolatâ.

Ubi vomitus locum non habet, purgatio fiat per ſeceſſum hoc pulvere:

Purgans. ℞. rhabarb. opt. ℈ij.
resin. ſcammon. gr. IV.
tartari vitriolati ℈ſ.
f. pulvis, ſumatur totus pro vice in juſculo.

Si admodum dolor ſit pertinax, exhibeantur laud. opiat. gran. iij. cum momento ſachari roſ. vel in decocto chamomillæ.

In cauſa doloris frigida vel flatibus conferunt confectiones diacymini, diagalangæ, diatrion pipereon, dianiſum, diacinnamomum, vel conficiatur confectio ſtomachalis in hunc modum:

℞. ſpecier. diagalang. — Confectio ſtomachalis.
diacinnamom.
diambr. an. ʒj.
ſachari ℥VI. diſſolvatur in aq. menthæ q. ſ. f. rotulæ.

Doſis ℥ſ. conſumunt flatus, roborant ventriculum, jecur & concoctionem.

Conducit quoque electuar. de baccis lauri. Foreſtus in tali caſu à frigiditate & flatibus mirum in modum decantat hunc fotum:

℞. rad. althææ ℥ſ. — Fomentum.
flor. roſar. rub.
chamomill.
ſummitat. abſynth. an. m. j.
coquantur in aq. chamomillæ & aq. communi q. ſ. pro ℔iſ. in fine addendo vini albi optimi, aquæ roſar. & aceti parum. f. fotus.

Ardor ventriculi, der Soot. Ad dolorem ventriculi etiam pertinet frequens ille affectus, qui vocatur orexis, arſura vel ardor ventriculi, eſtque fervens & acris mordicatio percepta inter concoctionem cibi in orificio ventriculi ac totâ gulâ, quæ peractâ jam concoctione iterum conquieſcit.

Cauſæ. Cauſæ hujus affectus ſunt: bilioſa conſtitutio ventriculi ejusque orificii, cibi acres, dulces ac pingves, imprimis caro fumata, cereviſia vel vinum calidè manè aſſumpta, motus corporis ſtatim à paſtu, prout etiam his

his familiaris eſt, qui à ſumpto cibo equitant vel curru vehuntur.

Remedia. Remedia ſunt: primò evacuatio materiæ bilioſæ per vomitum, vel per ſeceſſum: poſtmodum aſſumantur ſpecifica, quorum multa probata in uſu ſunt, ex. gr.

℞. nuc. moſchat. ʒij.
ocul. cancr.
cretæ an. ʒj.
ſach. cand. ℥ſ. detur ʒj.

Proſunt quoque mucilaginoſa & præcipitantia, qualia ſunt ſuccus portulac. glycyrrhyz. ſiliqua ſola comeſta egregiè prodeſt, item avena decorticata, quæ ſpecificè omnem ardorem orificii ventriculi commanſa aufert, verùm hæc de ardore ventriculi dicta ſint in parentheſi, cum Author ejus non faciat mentionem, ſed ad dolorem ventriculi ſequentia tradit

TEXTUS.

Dolores ventriculi tollit oleum chamomillæ ſaphirinum (de quo ſupra de cardialgia in ſyrupo dialthææ vel in conſerva roſarum, oxalidis, acetoſellæ, menthæ &c. guttæ aliquot exhibitæ. Idem facit oleum maſtichis, ſi à cauſa frigida, oleum cinamomi. item Oleum zedoariæ.

Extrinſecus foveatur ventriculus floribus chamomillæ frixis & ſæpius applicatis.

NB. *Si ab iſtis omnibus parum præſidii ſucceſſerit, vomitu res procuranda eſt (aliquid nimirum in ventriculo latere ſuſpicio eſt) poſtea ventriculus roborandus pilula una vel duabus pro earum magnitudine ex lachryma olibani.*

CAP. CVII.
DE ANIMALCULIS VENTRICULI, Germ. Würme im Magen.

INnumera exempla nota & notata ſunt, in plerisque corporis partibus vermes generari poſſe, & generatos eſſe, nempe in cerebro, auribus, naribus, pulmonibus, veſica, aliisque, è ventriculo etiam ſæpiſſimè per vomitoria oretenus rejiciuntur, imò ſponte interdum dormientibus vermiculoſis pueris per gulam in os repunt, ibique vel per nares exeunt, quæ quidem ut & vermium generatio in dictis locis rarò contingunt, at evomitio unius vel alterius vermis ferè quotidiè occurrit, verùm graviſſimi Authores Practici negant, vermes in ventriculo generari vel diu morari poſſe, quin fermento ſtomachi conficerentur, repunt quidem ſæpius ex gracilibus inteſtinis, ubi lumbricorum natalis locus eſt, per pylorum in ſtomachum, præſertim dulcibus ingeſtis cibis allecti, ſed celeriter pertranſeunt, atque altius aſcendunt, ſuaque reptione in ventriculo mala ſymptomata excitant, nempe vomitum, dolorem, famem, ſyncopen. Lumbricorum nidus.

Cauſæ & ſigna vermium inferius in proprio eorum capite tractabuntur, cum convenientibus remediis, ſubnexis hic ſaltem quæ habet Cauſæ.

TEXTUS.

ANimalcula ventriculi (ex quacunque cauſa) eadem tollunt, quæ ſupra de vermibus cordis. Sic arcanum tanaceti, aſari. Item vomitus per aquam benedictam.

Specificum. *Secretum eſt in hoc caſu pulvis ſecundinæ primiparæ, cujus ʒſ. vel ℈ij. cum extracto theriacæ, vel cum aqua theriacali Crollii, aut mixtura ſimplici abſorpta, talia vel maleficio vel caſu quodam nata animalcula & inſecta citiſſimè enecat, poſtea cum leni infuſo foliorum ſenæ, rhabarbari, mechoacannæ per alvum exturbanda.*

Spiritus C.C. eſſentificatus. *Spiritus cornu cervi in hoc affectu multum quoque prodeſt, imprimis eſſentificatus, hoc eſt, in quo ſal fixum aqua convenienti prius extractum, & ritè depuratum in ſpiritu hoc volatili diſſolvatur, & cum eo uniatur.*

CAP. CVIII.

DE IMBECILLITATE VENTRICULI, Germ. Schwachheit deß Magens.

OMninò ſuperfluum hoc caput videtur, cum ferè eadem ſupra cap. 93. de intemperie & cap. 99. de cruditate ventriculi propoſita ſunt, cum ergò cruditas & imbecillitas una eademque ventriculi paſſio ſint, qua nimirum concoctionis debilitate laborat, non opus eſt illa heic repetere, quæ in dictis capitibus pro explicatione hujus affectus tradita ſunt, referatur itaque iſtuc ſequens

TEXTUS.

IMbecillitas ventriculi ſi adſit, ante omnia convenit adhibere vomitorium ex vitriolo albo, aut extracto ellebori, à quibus, ſi æger abhorreat, datur doſis mercurii vitæ, quo facto ventriculus tam intrò aſſumptis, quàm extra admotis roborandus, repetitâ tamen ſæpius ægri evacuatione.

Quæ aſſumuntur, inter vulgaria imprimis ſunt ſpecies electuarii aromatici roſati, diarhodon abbatis, roſatæ novellæ cum conſerva roſarum & menthæ exhibitæ, aut alio quocunque modo. Pulvis diagalangæ, ſpecies de mentha, abſynthio, myrobalanis, nuces moſchatæ conditæ, pulvis aronis Quercetani, & alia apud Practicos. Stomachica.

Pro potu ordinario prodeſt vinum abſynthii, imprimis tempore verno præparatus ſpir. abſynthii, qui ad libitum cum potu miſceatur.

Aſſumatur quoque cremor tartari ſæpius, & interdum ſpiritus vitrioli, aut deſtilletur aqua vitæ ex vino malvatico, aut alio generoſo, in cujus libris duabus macerentur

rentur m iſ. pulegii exſiccati (a) *ejus cochlearia duo exhibeantur cum olei vitrioli guttis aliquot, quantum videlicet ad gratam aciditatem requiritur, quo aſſumpto aut in loco calido ſe contineat, aut ſe exerceat æger, ut incaleſcat ad ſudorem usque.*

(a) Efficacior fit iſte ſpiritus vini, ſi per octiduum cum pulegio in obturato probè vaſe maceratur, ac poſtmodum per alembicum ab herba abſtrahatur, ac tum tantundem recentis pulegii eidem imponatur, atque tunc demum ad indicatum heic modum uſurpetur, poteſt quoque pro lubitu gratioris ſaporis ergò aliquid ſachari ſimul imponi. Experti etiam ſumus, quod ſpiritus iſte vini pulegiatus ſi quantitate duorum circiter cochlearium miſceatur particulæ ſpiritus ſalis armoniaci ad guttas fortè XX. vel plures, eaque mixtura ſimul hauriatur, eodem inſtanti inter hauriendum per nares totum caput petat, atque inſigniter confortet, ac univerſum corpus recreet. Obſervatio.

Prodeſt etiam nonnunquam aſſumere cochl. I. ſyrupi de canella aut caryophyllis præparati modo ſequenti:

℞. cinamomi (aut caryophyllorum) ℔ *iſ affunde vini malvatici vel Falerni* ℔ *iij. infunde in matratio craſſo modo contuſis aromatibus per tres dies in cineribus calidis. Hinc leniter ebulliant & colentur. Colaturæ adde æquales partes ſachari albi, & f. ſ. a. ſyrupus.*

CAP. CIX.

DE AFFECTIBUS INTESTINORUM, AC PRIMO DE OBSTRUCTIONE EORUNDEM.

Opus nutritionis humanæ nil aliud videtur, quàm molendinum non quidem farinale, ſed humorale, quo nimirum alimenta moluntur, & loco farinationis inſuccantur in humidum radicale ſeu humorem vitæ, in plurimis ergò hoc noſtrum molendinum reſpondet molitioni vulgari farinali, quemadmodum enim molæ vulgares motum ſeu rotationem ſuam nanciſcunter ab aëre vel aquâ, quorum alterutrius impulſu lapides molares verſantur, atque interjectum eis frumentum conterunt ac comminuunt in pulverem craſſum, qui derivatur in longam crumenam linteaceam formâ ſuâ inteſtino non multum abſimilem, transverſim per ciſtam farinæ extenſam, ambabusque extremitatibus perviam, quæ per inſtrumentum motivum indeſinenter hinc inde concutitur, ut puriſſimum pollen trans poros lintei pervibretur, quod in ciſta farinæ colligitur, inſerviens pro piſtura panis ſimilacei magnatibus proprii. Albedine enim ſua albicanti cerebro reſpondet, ac fortaſsè pro illo aptius nutrimentum ſuppeditat, quo & magnates virique excellentes plus plebejis indigent, cum potiſſimum cerebro laborent & defatigen- Nutritio quaſi molendinum eſt.

 tigen-

tigentur. Reliqua frumenti pars iterum molaribus committitur, ac minutius conteritur, denuòque per linteum illud transcutitur, idque toties, donec omnem ſuam farinam deponat, ac ſoli furfures remaneant.

Ita conſimili modo noſtra nutricationis mola ab aëre à pulmonibus tracto verſatur, molares ipſius ſunt ſuperior & inferior ſeries dentium, quibus alimenta operosè prius præparata, nempe in molis, furnis, ollis, torcularibus, cellis &c. denuo conteruntur, atque itidem in longam crumenam membranaceam derivantur, in cujus inſigni cavitate prius invicem macerantur & fermentantur, ubi etiam mox optima pars pro magnatibus corporis nempe membris principalibus ſegregatur, ac transcolatur, craſſior pars non quidem denuò molaribus redditur ut in moletrinis, cum hoc fieri nequeat, acrioribus autem fermentis ulterius quaſi commaſticatur, nempe à ſucco biliario & pancreatico, atque ideoque crumena illa eò longior eſt, ut aliquot vicibus longitudinem crumenarum farinalium ſuperet, ibique craſſior velut farina ſeu ſuccus alibilis pro plebejis ſeu ſequioribus corporis membris ac partibus ſequeſtratur, donec nihil ad nutritionem apti ſuperſit, ſed ſoli furfures excrementorum remaneant.

Sicuti autem in moletrinis non poteſt non ſimul generari farina volatilis per totam domum parietibus ſe affigens, & cum volitantibus perpetuò in aëre atomis terreſtribus ſe commiſcens, quæ proinde farina pulverulenta Germ. Staubmehl nominatur; ita etiam in mola corporis ſemper ſuccus quidam impurus volatilis generatur, qui in ſudorem, mucum & ſordes abit.

Prædicta longa crumena ſeu manica quædam Hippocratica membranacea *Inteſtina* ſunt, adcaudata pyloro, uti gula ſuperiori orificio quaſi adroſtrata eſt. Conſtant inteſtina pariter ac ventriculus ſubſtantiâ membranaceâ triplici, nempe tunicâ extimâ ſive communi cum peritonæo, pingvedine meſenterii exuberanter ditatâ, idque ut putatur ad conſervandum calorem, mediâ carnoſâ, fibriſque variis præcipuè orbicularibus conſpicuâ, intimâ verò nervoſâ & rugoſâ, quæ rugoſitas inſervire creditur ad promptius complectendum & remorandum chylum, aliàs per planum æquò celerius delapſurum, adhæc mucagine quadam hæc intima intus gaudet ad ſe tutandam adverſus omnem acrimoniam. Deſcriptio inteſtinorum anatomica.

Cæterum adnata commemorata extimæ tunicæ pingvedo in venalibus extis ſemper intima conſpicitur, eò quod laniones in repurgandis inteſtinis ea invertunt, ut intimior pars foris à fecibus & fœtore per ablutionem mundari poſſit, inſigniter itaque quidam Scriptores medici decepti ſunt, putantes inteſtina naturaliter intrinſecus pingvedine obduci, eamque in dyſenteria abradi.

Porrò inteſtinis inſerta ſunt vaſa numeroſa, venas enim ſuſcipiunt multi-

multiplices tam à dextro quàm ſiniſtro ramo meſenterico venæ portæ, arterias itidem à meſenterica ſuperiori inferiorique; nervos autem à plexu meſenterico ſexti paris, tum etiam venas lacteas propriis valvulis donatas.

Tantæ inteſtina ſunt longitudinis, ut ſeptimam circiter ſaltem ejus partem corpus proprium ſuâ longitudine conſtituat, in plurimos autem gyros plicata ſunt, ut eò minus ſpacium occuparent, chylusque hinc inde migrando diutius remoraretur, exactiusque elaboraretur, ac tota purior ſucculentia nutrititia eliceretur, illudque diuturniori mora fieri, inde patet, quod ſi quis ſtudio excrementa ad ſeceſſum ſtimulantia diutius ſupprimat, & per unam vel alteram horam intus detineat, poſtmodum verò deponat, adeò tam parva mora exſuccantur, ut in ſcibala ferè indureſcant, ſin autem per balanos vel acriora ſtimulantia citius quàm par ſit, ad exitum irritentur, ſemper humidiora & fluxilia conſpiciantur, eò quod nondum ſatis exſugi potuerint.

Medium itaque natura in optimè valentibus tenet, & nec nimis citò educit, nec diutius quàm ut aliqualem lubricitatem retineant, intus remoratur.

Amplitudinis inteſtina ſunt diverſæ, rotundi tamen omnia ambitus, & quamvis unum quid & à pyloro ad unum usque contiguum ſint, ob diverſam tamen mutationem formæ, & habitudinem tunicarum in tenuia & craſſa dividuntur, ſingulaque rurſum tribus diſtinctis nominibus diſcriminantur, non ſecus ac ſi tot diſtinctæ partes eſſent.

Primàm enim à pyloro partem duodenum vocant, à menſura duodecim digitorum, & cum illud nomen antiquiſſimum ſit, atque etiamnum hodie eadem menſura accuratè in ea advertatur, libentius hoc nomen retinetur, ad demonſtrandum eandem antiquis corporis ſtaturam & menſuram cum hac noſtra moderna fuiſſe, ſituatio ejus eſt in dextro latere ſub hepate, ac cum pancreate connexio, craſſioris quidem cæteris tenuibus eſt ſubſtantiæ, aſt anguſtioris cavitatis, præſertim verſus pylorum, amplioris non nihil verſus jejunum, & circa inſertionem ductus cholidochi & pancreatici, ubi aliis tenuibus amplius & latius eſt. Dictus ductus cholidochus extremitate ſua porum conſtituit biliarium, qui eundem in modum ac ureteres intra membranas veſicæ urinariæ, inter duas hujus duodeni membranas aliquantulum deorſum protenditur, antequam foraminulo deſinat. Eodem loci quoque ductus Wirſungianus pancreaticus peculiaris ſui exitus foramen habet, prope commemoratum porum biliarium, attamen utplurimum ab eo diſtinctum, quamvis interdum in unum coaluiſſe oſculum deprehendantur. 1. Duodenum.

Secundum tenuium appellatur jejunum, eò quod ſemper vacuum omni materiali contento advertatur, quin imò accuratè circa tempus 2. Jejunum.

delapſum

delapſum chyli è pyloro auſcultantibus in ſeipſis particulam unam poſt aliam adeò celeriter & cum ſuſurro pervolare ſubaudietur, ac ſi ſagittarentur, ſatis largo inter quamlibet pervolationem interjecto ſpacio, & adeò ſine omni hæſitatione, ut vix quantitas capacitatis cochlearis pro vice pervolare fortè queat.

3. Ileum. Tertium tenuium, ileum vocatum, incipit, ubi prædicti vacuitas juxta quosdam anatomicos ceſſat, quod tamen aliis non probatur, principiumque hoc exactè ſciri non poſſe affirmatur, deſinit verò propè valvulam coli, hoc multipliciter gyratur, ac reliquis longius eſt, nimirum circiter viginti palmorum, venarum quoque arteriarumque exceptione aliis uberius, nec non anguſtius, unde tam facilè ſuâ anguſtiâ & tricabilitate lethali volvulo anſam dat, ob vaſorum quoque multiplicitatem leviter inflammationem, phlegmonem & gangrænam ſuſcipit, eoque eundem volvulum lethiferum parit.

4. Cœcum. Craſſorum primum dicitur cœcum, eò quod ingreſſus & exitus idem ſit, in adultis admodum puſillum eſt, & ad initium coli nec non ilei finem proceſſum vermiformem propendulum habet, hoc in fœtu ſemper eſt plenum excrementis, atque in pueris majus quàm in adultis, de uſu ejus variæ Authorum ſunt opiniones, hactenus tamen incertæ.

5. Colon. Secundum craſſorum colon appellatur, amplius & capacius aliis, in cujus principio valvula extat intercludens excrementorum flatuumque regurgitationem in ileum, ita ut talia quidem ab ileo ad colon ſine impedimento deſcendant, aſcendere verò nihil eorum poſſit, illud verò nonnunquam laxari, teſtatur paſſio iliaca, ubi feces, clyſteres glandesque ſurſum rapiuntur: Adhæc plurimæ cellulæ colo ſunt, ad diutius retardandas feces: connectitur cum meſenterio, rene utroque, liene & ventriculo, etenim circa dextrum renem initium ſumit, ad hepatis cava aſſurgit, unde ſe flectens ductu transverſo ſub ventriculo ad lienem pergit, ab eoque ad renem ſiniſtrum recurvatur, ubi circa os ilium ſiniſtrum ſe iterum flectit ad os ſacrum, ibique ſui finem ac recti initium producit.

Rectum hoc inteſtinum craſſorum eſt tertium & ultimum à recta ſui extenſione ſic denominatum, propriâ ac mediâ ſuâ tunicâ totum ſe reliquis carnoſius præſtat, fibrisque rectis diſtinctum, poſtremo ſuo exitu peculiaribus robuſtisque muſculis movetur, nempe ſphinctere & duobus levatoribus, ille eum undique aſtringit, hi ſurſum retrahunt; Inſurculantur huic inteſtino quoque venæ & arteriæ hæmorrhoidales dictæ, tum externæ tum internæ. Interna à vena portæ indeterminato quidem exortu prodit, frequentius tamen à meſenterico ramo portæ ſiniſtro, interdum quoque dextro, aliquando à ramo portæ ſplenico, jamque eodem etiamnum extra lienem exiſtente, nunc cum liene juncto (quamvis id rarò contingat) 6. Rectum.

ab ipſo ſplene ad inteſtini recti tunicas vena declinante.

Externa hæmorrhoidalis à cavæ ramo hypogaſtrico exurgit, atque ad muſculos præcipuè ani motores concedit.

Venis his ſociantur arteriæ, partim ab inferiore meſenterico ramo, partim ab hypogaſtrica huc productæ. Junguntur quoque his nervuli exorti ab extremo dorſalis medullæ. Amplitudine conſpicuum eſt, longitudine verò reliquis cedit.

Officium tenuium inteſtinorum eſſe putatur chylum à pyloro ſuppeditatum plenius præparare, & elaborare, cum planè adhuc imperfectus in ea illabatur teſtimonio vulnerum abdominis & inteſtinorum. Craſſorum verò excrementa colligere, recti eadem validè continere, quod tamen potiſſimum ope duplicis ſphincteris, cutanei nimirum admodum tenuis in podicis extremo latitudine digiti cuti infixi, & latioris infimo oſſi ſacri juncti, ano circumpoſiti, efficitur, quo etiam reſoluto, præhumectato, vulnerato, ulceratove, involuntarius fæcum effluxus contingit. Helmontii verò ſententia eſt, in craſſis inteſtinis chylum demum ſtercorari ſive fermento ſtercoreo imbui, fermentum autem ſtercoreum præcipuè ſedere in inteſtino cœco, quod quidem ſit exiguum, neceſſarium tamen receptaculum omnis ſtercoris, uti pateat in lupo, qui infra medium inteſtini duos membraneos utres ſive ſacculos rotundos habeat, qui ipſi ſint in vicem inteſtini cœci. Eſcam enim ipſi cadere ab inteſtini longo ductu ad unum ſacculorum, mox verò in alterum, ac tandem hinc in ſequens inteſtinum duci. Imprimis autem Helmontius irridet ſpem clyſterum nutritivorum inteſtinis injectorum cum inteſtina nunquam queant digerere lumbricos, ergo multò minus clyſteres. *Clyſterum nutritivorum vanitas.*

Nunc propoſitum de affectibus inteſtinorum proſequamur, primo autem Author tractat

DE OBSTRUCTIONE INTESTINORUM.

PRæſens titulus curare docet obſtructionem inteſtinorum, at non explicat, qualem pituitoſam obſtructionem velit, an nimirum tota cavitas tenaci muco oppleatur, ut nil perlabi amplius queat, vel oſcula venarum in inteſtina deſinentium obglutinentur, ut earum ſuctio impediatur, quod quidem interdum contingit, & pro cauſa cœliacæ paſſionis à practicis habetur. De qua cum inferius tractandum fuerit, nolumus hic eſſe verboſiores.

In altero paragrapho explicatius loquitur, quod nimirum obſtructionem intelligat à fæcibus induratis, quem affectum alii obſtructam alvum nominant vel aſtrictam. *Alvus obſtructa.*

Alvi itaque obſtructio ſive obſtipatio communiter eo ſenſu accipitur, quod difficilis & tarda fiat fæcum inteſtinorum egeſtio vel dejectio, non autem omnimoda alvi ſuppreſſio, qualis in iliaca paſſione obtingit, atque ſub hoc caput non pertinet, quamvis iſta multoties ex hac

fiat, ſi hic affectus vehementius invaleſcat. Hic autem intelligimus ſegnem & difficilem excrementorum depoſitionem, ubi ſæpè per unum vel alterum diem nihil dejicitur, ex quo ſemper fæces, quo diutius intus morantur, eo magis indureſcunt & ſiccantur, eoque poſtea difficilius & laborioſius excernuntur. Venulæ enim & fibræ inteſtinorum non modò tenuibus, ſed & craſſis inteſtinis implantatæ inceſſanter humorem ſugunt & alliciunt, adeò ut diutius detentæ feces neceſſariò in ſcybala indureſcant, & poſtmodum vix vehementi conatu excludi queant.

Cauſæ. Cauſæ obſtipationis alvi variæ eſſe poſſunt: præcipua autem & communiſſima eſt atrabiliaria ſeu melancholica complexio, tales enim ferè omnes difficulter & tardè alvum deponunt, melancholica enim conſtitutio naturaliter frigida eſt & ſicca, atque inſtar aluminis aſtringit, prout frigus ſemper talem qualitatem exhibet, ac tempore hyemis aquam conſtringit in glaciem, flante quoque aëre boreali alvi pariter aſtringuntur.

Intemperies etiam hepatis calida ſemper viſcerum humiditatem ad ſe trahit non ſecus ac calefacta cucurbitula, unde fecibus inteſtinorum humor decedit. Quidam etiam ſponte vel aliorum conſvetudinem imitando conſveſcunt vel fumum tabaci per tubulum in os trahere, vel ejus folia quotidiè dentibus maſticare, vel alia quæpiam ſalivantia, quibus plurima ſalivæ copia ipſis in os attrahitur, & tam copioſe exſpuitur, ut ſæpè totum pavimentum eorum ſputo madeat, iſta autem humiditas ab inferioribus partibus ſurſum rapitur, ita ut inteſtina tum ſimiliter parum ſucci retineant, ut etiam his accidit, qui conſvetudinem aſſumunt ad quodvis verbum exſpuendi. Alii in ſuis cibis delectantur radicibus ſeminibusve diureticis & diaphoreticis, unde major pars humiditatis quotidiè aſſumptæ ad renes vel poros cutis tranſit, ac per urinam ſudoremve educitur. Nonnulli ob debilitatem ventriculi parum comedunt, atque etiam pauca excrementa generant, quæ poſtmodum quoque parum ſtimulant, & ſic retenta ſcybaleſcunt. Complures etiam reperiuntur, quibus acceleranda negotia incumbunt, ita ut eorum gratia interdum ſtimulantem dejectionem inhibeant, ac differre cupiant, donec prius negotium hoc vel illud ſit expeditum, interim verò feces ſiccantur, & ubi ſemel quis ita faciat, natura mox in conſvetudinem abit. Sunt quoque qui quædam edulia conſtipantia in deliciis habent, ut ſunt amygdalæ dulces, caſtaneæ, glandes, cydonia, panis è frumento Saracenico, tritico &c. in copia comeſta; indurantur & his alvi, qui inſveti trans mare navigant, ac nauſea ex mari vexantur, ſuam enim ob malaciam tum coguntur decumbere, adeò ut ſi vel moveant ſe, majorem nauſeam incurrant, quieſcunt ergò, nec intra dies aliquot ſeceſſum audent perficere, ita ut exempla ſint tales interdum ob diu intermiſſam

termiſſam excretionem,& inde contractam conſtipationem ileum & mortem incurriſſe. Procedente quoque tempore naturaliter temperamentum humanum non rarò ſponte mutatur, ita ut qui in juventute ſit alvi laxæ, fiat in ſenectute ſtrictæ & vice verſa. Tandem nonnulli morbi inteſtinorum etiam alvi conſtipationem pariunt, ut tumores, ſcirrhi, obſtructiones, ſtupor a ni, paralyſis ac alii.

De hoc affectu quoque loquitur Hippocrates in ſequentibus graviloquiis:

Quibus juvenibus alvi ſunt humidæ, his ſeneſcentibus exſiccantur. *lib.2.aph.20*

Juvenes alvos humidas habentes melius degunt ſiccas habentibus. 2. 53

Alvi ſeneſcentibus utplurimum ſiccantur. 2. 53

Deguntque deterius his qui humidas habent. 2. 53

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, communis alvi durities plus moleſtiæ quàm periculi faceſſit, innumeri enim ſunt, qui absque periculo eâ moleſtantur, videlicet ſi aſtrictio à vulgaribus & levibus ſit cauſis, ſi verò à vitio inteſtinorum nempe tumore vel inflammatione, lethalis periculi plena eſt, à fecibus quoque induratis ſæpè graviora ſymptomata cauſantur nempe tormina & colica, quæ poſtmodum levi negotio ſemper reverti ſolent.

Curatio. Curatio hujus affectus initium ſuum orditur à cauſæ ſublatione, quæ ex relatione ægri & aliis circumſtantiis percipitur, brevis tamen ſucceſſus vix promitti poteſt, tam enim in melancholicis, quàm calidâ hepatis intemperie laborantibus obſtinatiſſimus affectus eſt, & non niſi longo remediorum uſu expugnatur, initium autem fit à clyſteribus, qui ad emolliendam alvum varii ſunt, facilè tamen in unum vel alterum modum eorum paratio absque præſcripto inſtitui poteſt. Verumenimverò ſi natura clyſteribus aſveſcat, ſemper tunc illis vult irritari, melius ergò eſt eis non aſveſcere, ſed aliis remediis votum obtinere, quorum quidem multa habentur, leniſſimum autem fit è vitellis duobus ovorum recentibus & juris piſorum vel lentium modicè cocti unciis quatuor vel quinque cum pauco ſale & ſacharo. Item hauſtus juris capitis vitulini, in aqua cocti, ſine alterius pingvedinis vel ſalis communis additione. Conveniunt quoque poma cocta, prunave dulcia cum ſacharo horâ unâ præcisè ante prandium vel cœnam aſſumpta; vel detur ℥j. violarum purpurearum è jure piſorum rubrorum, & ſi ab eis vim deſideras auctiorem, adde ſcrupulum vel ſemidrachmam fecum vini albi, ac nonnihil foliorum ſenæ cum cinamomo. Item jus carnis pingve cum pauco ſacharo & ovi vitello crudo ad uncias quatuor vel quinque bibitum. Lenit quoque alvum aqua ſtillatitia è corticibus medianis viridibus ſambuci. Item aqua ſtillatitia, vel ſuccus vel jus primæ decoctionis braſſicæ, vel aqua ſtillatitia ex immaturis cucur- Lenientia alvũ varia.

 bitis

bitis cum ſacharo pota. Pro certo quoque laxat, ſi fol. betæ & mercurialis an. m. j. coquantur in aliquo vulgari juſculo, idque capiatur horâ una ante paſtum. Innumera alia habentur ad obſtructam alvum à fecibus & pigritie dejectionis, quorum quædam quoque ad obſtructionem à pituita inſervire poſſunt, omnium autem optimum eſt in hoc caſu præcipitatus aureus vel turpethum minerale, vel aliud ejusmodi cum phlegmagogo aliquo miſtum & propinatum, egregia quoque ſunt in hunc finem quæ docet

TEXTUS.

Obſtructio inteſtinorum I. *à pituita ſolvitur medicamentis tum externis tum internis. Internis nempe vulgaribus undiquaque apud Authores obviis. Mirabilis eſt eſſentia meliſſæ, ſi ipſius drachma una cum guttis tribus olei ſeu ſpiritus juniperi miſceatur cum extracto colocynthidis & ſcammonii (de quo notæ in Crollium) vel cum doſi panchymagogi vegetabilis. Extemplo nimirum pituitam diſſolvit, poſtea per adjectum purgans exterminandam, Item extractum agarici cum aqua cinamomi vel ſpiritu vini.*

Externa ſunt ſuppoſitoria & enemata, quæ foris nempe applicantur, ut ſcilicet pituitam ex inteſtino recto & colo educant, obſtructionemque diſſolvant. Ex ſuppoſitoriis laudabile eſt quod fit ex mellis ℥j. & radicis ellebori nigri ℈j. (hoc ſuppoſitorium in pueris utile) clyſter eſt ex croci metallorum ʒſ. ad ʒiſ. (de quo notæ in Crollium) in decocti mercurialis ℔j. & butyri recentis vel olei olivarum ℥ij. dexterè applicatus. Hujus etiam uſus eſt in fæcum duritie. Suppoſitorium. Clyſter.

II. *A fæcibus induratis enemata valent. Item ℞. omentum cum inteſtinis vituli* (Kålberkröſe) *coque in eum modum, quo aliàs menſis apponi ſolet cum multo brodio.* Fæcum induratio.

Eo adhuc fervente ano ſuppoſito vapor excipiatur per ſellam, & paulo poſt σκύβαλα indurata ejiciuntur, & obſtructio ſolvitur, quæ deinceps emollientibus internis ulterius expedienda fuerit.

Inter emollientia hîc locum habet primarium cremor tartari ſæpius in juſculis exhibendus à ʒj. ad ʒiſ. 1. 2. 3. 4. diebus.

In ſummâ obſtructione alvi ℞. plumarum minutiſſimè inciſarum pugill. 1. m. in panem f. pilulæ. Item olei ceræ ℈j. usque ad ʒj. in enemate emolliente: Zibetha umbilico illita: fel tauri poteſt etiam clyſteribus addi ad imitationem naturæ, quæ felle facultatem expultricem irritat. Pilulæ.

III. A

Tumor inteſtinorum. III. *A tumore. Enema ſpecificum:*

℞. *lactis, ol. oliv. an.* ℔j.

Enterocele. *In aſtrictione ex enterocele adhibeantur externa emollientia & injiciantur enemata.*

Tarda alvi dejectio. *In tardiſſima alvi dejectione à quâcunque causâ procedente mirabilis eſt effectus eſſentia ſalis tartari cum ſpiritu vini extracta, & ad conſiſtentiam redacta, cujus gutt. ij. usque ad VI. vel VIII. tandem ſingulis diebus veſperi horis duabus à cœna in hauſtulo vini vel alio liquore exhibeantur, donec ſponte ſubſequatur lubricatas alvi. Hoc feliciſſimè uſus ſum & in melancholia hypochondriaca, ad virium prope dejectionem* (a) *ſcilicet dyſenteriam.*

(a) I. e. adminiſtretur hæc ſalis tartari eſſentia, donec prodiga alvi ſolutio ſequatur, & quaſi dyſenteria quædam vires quidem dejicere viſa, verùm cum radicali morbi curatione contingit.

CAP. CX.
DE INFLAMMATIONE ET EXULCERATIONE INTESTINORUM.

Inteſtina quandoque inflamantur. INteſtina non minus ac aliæ molles corporis partes inflammationi & exulcerationi obnoxia ſunt, ut palam fit in volvulo, quo intereuntium cadavera ſectione ſæpius ſua inteſtina inflammata, exulcerata & gangrænata exhibent, nec non in dyſenteria, cujus exulcerationem carunculæ circa finem exeuntes produnt. Hæ affectiones modò in tenuibus, nunc in craſſis contingunt.

Cauſæ. Cauſæ earum ſunt: flatus tenſione dolorem, punctionemque inferentes, omnis autem dolor intenſus excitat calorem & accurſum humorum, unde neceſſariò reliqua ſeqvuntur ſymptomata doloribus calidis communia, nempe inflammatio, ſuppuratio & exulceratio loci vel partis affectæ. Item internæ biliosæ defluxiones, vel humores aceſcentes, tunicas vellicantes.

De affectibus verò inteſtinorum loquitur quoque Hippocrates in ſequentibus aphoriſmis.

Gracile inteſtinum diſſectum non coaleſcit. *lib. 6. aph. 24*
Eſtque ea diſſectio lethalis. *6. 18*
Inflammationem recti inteſtini ſemper comitatur ſtranguria. *5. 58*

Signa diagnoſtica ſunt: ſi inflammatio ſit in tenuibus inteſtinis, conjunctam habet febrem continuam, dolor intenſiſſimus & acutiſſimus circa umbilicum affligit. Craſſorum verò in inferiori parte ventris. Utplurimum autem alios affectus conjunctos habet ejusmodi inflammatio, nempe vel ileum vel dyſenteriam, vel inteſtinorum colliquationem, & ſic communia cum illis ſigna & prognoſtica.

TEXTUS.

INflammatio, abſceſſus, ulcus, cancer, enemate (a) *curantur, quamvis cancer vix.*

(a) Enemata quidem inferioribus inteſtinis conveniunt, ſuperioribus autem læſis potius potiones,& mediis utrisque à medicis ſuccurritur.

Fiſtula. *De fiſtula infra de affectibus externis.*

CAP. CXI.

DE COLICA ET ILIACA PASSIONE, Germ. Krimmen und Darmgicht.

QUamvis Author duos hos affectus in curatione comprehendat, attamen quia nonnullam inter ſe differentiam conſtituant, atque etiam à plerisque Authoribus diverſis capitibus & methodo curandi tractentur, conſimiliter operæ pretium eſſe duximus cujusvis peculiarem præmittere deſcriptionem & curandi rationem.

Ileus quid? Ileus ergò eſt affectus tenuium inteſtinorum, qui vulgò quoque iliaca paſſio, nec non volvulus, & à quibusdam miſerere mei appellatur, eſtque morbus peracutus, horribilis & plerunque lethalis, in quo motus inteſtinorum naturalis, periſtalticus ſive à ventriculo verſus anum ordinariè fiens mutatur in præpoſterum ſeu inverſum, ita ut inteſtina ab ano verſus ventriculum ſe moveant, ac nihil amplius per anum dejiciatur. Motus enim naturalis ſeu periſtalticus inteſtinorum fit per fibras orbiculares & transverſas inteſtina (juxta Authores) contrahentes,& contractivè moventes, more lumbricorum terreſtrium, partes ſui corporis ſucceſſiva contractione moventium. Motus iſte naturalis à cauſis præternaturalibus hujus morbi invertitur, ita ut fibræ iſtæ retrorſum ſe contrahant, non ſecus ac retrogradi cancri, pedes ſuos quos legitima ſua proreptione ſemper alternatim antrorſum protendere ſolent, retrorſum moventis, corpusque retroagentis, præpoſtero autem hoc motu ea quæ inteſtinis continentur ſimul violenter retrò ſuguntur, & ſurſum ad ventriculum rapiuntur,cum verò omnem concluſam ſuctionem aër ſequatur, non poteſt non motus iſte retrogradus ab aëre in concluſa cavitate jam à ſuctione retrorſum tracto violenter intendi, conclu ſus enim aër ſurſum ſuctus etiam ponderoſiſſima ſecum rapit, ut quilibet probare poteſt, ſi tubum aliquem vitreum unâ extremitate in vas cum argento vivo omnium graviſſimo intra argentum vivum condat, alterâ autem ore ſugat, videbit enim mox argentum vivum ſuctione ſimul ſurſum rapi. Hinc tandem omnia quæ inteſtinis continentur invaleſcente morbo ſurſum ad ventriculum rapiuntur, nempe chylus, flatus, ac fæces ipſæ, ac per vomitum rejiciuntur, quam legem quoque injecti clyſteres & ſuppoſitoria ſequi opus habent, idque tam violenter,ut exempla ſint, ſuppoſitoria ro-

buſtis

buſtis filis ad coxas alligata, disruptis filis intrò eſſe tracta & evomita.

Signa. Agnitio & dignotio iliaci affectus per hæc ſigna ipſi propria habetur: æger doloribus ſæviſſimis & intolerabilibus in ventre & circa umbilicum cruciatur, hypogaſtrium tumore duro & eminente inflatur & vehementer diſtenditur, alvus omnino eſt ſuppreſſa, & nihil penitus fæcum per inferiora excernit, quæ omnimoda inferioris egeſtionis ſuppreſſio proprium, & perpetuum hujus morbi ſignum eſt, progreſſu autem morbi vomitio vehemens ſubſequitur humoris bilioſi ac pituitoſi, chylique & quicquid intus continetur, nam ſtercora quoque ſeu chylus in ſtercoris formam corruptione transmutatus vomitu redditur, ultimò verò ſudor frigidus copiosè emanat, extrema refrigerantur, cor tremit, anxietate & deliquio deficit, jam jamque mortem imminere denunciat.

Cauſæ. Cauſæ ilei ſunt: diuturna fecum retentio, quæ poſtmodum indurantur, ac inteſtina obſtruunt. Item multa ventris flatuoſitas inteſtina inflans & tendens. Inflammatio quoque & intumeſcentia inteſtinorum cavitatem eorum alicubi occludens, ut nihil amplius permeare queat. Adhæc inteſtini complicatio & intricatio, ut quaſi in nodum volvatur, quod quidem in hernia non infrequens eſt, uti etiam in colica, quæ ſæpius in ileum terminatur ob nimiam flatuum copiam, inteſtina admodum diſtendentem, unde nonnunquam perplexè complicantur & convolvuntur, ut nodum faciant.

Triplex autem à quibusdam agnoſcitur ilei differentia, una quæ veniat ab inflammatione, altera à motu inteſtinorum inverſo, tertia à fæcibus induratis, verùm hæ tantùm ſunt diverſæ cauſæ aliæque plures, nam etiam ſtranguria lethalem parere poteſt ileum, & à quacunque cauſa ſit, motum tandem inteſtinorum inverſum efficere poteſt. Ilei differentia triplex.

De ileo loquitur etiam Hippocrates ſequentibus veriloquiis:

Ileus eſt morbus autumni. lib. 3. aph. 22

Ab ileo vomitus, malum. 7. 10

Nec non ſingultus. 7. 10

Ut & delirium. 7. 10

Atque convulſio. 7. 10

Ileus à ſtranguria necat in ſeptem diebus. 6. 44

Accedente tamen febre & urinâ fluente evadunt. 6. 44

Colica verò paſſio eſt itidem quidem affectus inteſtinorum, verùm inferiorum craſſorum & imprimis inteſtini coli, quod ob ſui longitudinem & anfractuoſitatem receptaculum eſt ſtercorum, flatuumque: ex multa ergò ſtercorum & flatuum permixtione doloroſæ tenſiones & punctiones in hisce craſſis inteſtinis contingunt, non quidem in omnibus, ſed tantummodo in his, qui concurrentibus aliis cauſis eis occaſionem præbent. Colica paſſio quid?

Immanis autem cruciatus eſt affectus colicus, ac præcedente iliaco etiamnum ſævior, quanquam non adeò lethale periculum accerſat.

Agnitio & dignotio hujus affectus Signa.

per

per hæc ſigna ipſi propria innoteſcunt: quod nimirum perpetuò acutiſſimum & ferè intolerabilem dolorem individuum habeat comitem, & ſi ejusmodi immanis dolor non concurrat, minimè quoque vera colica exiſtit. Adhæc dolor colicus non manet fixus in uno loco, ſed vagus circumerrat, & modò circa ventriculi, nunc lienis, modò hepatis, renumve regionem, infraque ac ſupra umbilicum obrepit, in ſiniſtro autem latere interdum magis moratur, non ſolùm quod in eâ parte quædam anguſtia ſit, verùm etiam ut opinamur, quod ſplen pariter ſit membrum flatuoſum, uti perpetua hypochondriacorum flatulentia luculento argumento eſt, & ſic una flatuoſitas facilè excitat aliam etiam citra attactum, ſicuti chordæ in teſtudine quædam cum aliis pulſatis ſonant, utut non attingantur, hinc dolor colicus cum lienico & nephritico non rarò confunditur, & ab eisdem ſatis difficulter diſcernitur. Nonnunquam dolor magis in uno loco permanet conſtans, quem etiam eo acerbius laceſſit, non ſecus ac ſi ſudes acuta intruderetur, vel locus perterebraretur. Alvus plerunque conſtipatur, adeò ut ne flatus quidem erumpere queant, vel ſi quid excludatur, ferè flatulentum eſt, & aquæ immiſſum ſupernatat, quod tamen etiam ſanorum fæces plerunque faciunt. A ſumpto cibo æger pejus & doloroſius habet, eò quod à repletione ventriculi turgida inteſtina plus coarctentur, at repellendo non rarò viciſſim ventriculum turbant, ita ut in vomitus pituitoſos, bilioſosve ſolvatur, vel multos protrudat ructus, quibus tamen malum non levatur.

Cauſæ colicæ paſſionis cum iliaca communes ferè ſunt: præcipuè autem bilioſi præ cæteris eâ ſæpè corripiuntur, levique iracundia acerrimam ejus recidivam patiuntur, quâ etiam elucet, quantum venenum bilis ſit, quod tam immanes cruciatus pariat, brutis enim nihil tale fit, quamvis mera crudiſſima & duriſſima ſuis ſtomachis conficere cogantur, multumque frigoris perferant, ſolam fortè eam ob cauſam, quod affectibus animi non ut homines turbentur, equi verò alicujus ſcintillulæ eorum participes eſſe videntur, nempe ſuperbiæ, libidinis, invidiæ, atque etiam facilius & crebrius aliis brutis malè habent. Ita ſemper animi pathemata plus ullis aliis cauſis morbos pariunt. Excitatur quoque ſæpè colica à perfrigeratione ventriculi alimentisque frigefacientibus, item craſſis, ſtipticis & aſtringentibus flatulentisve, item his quæ facilè corrumpuntur, atque ad fermentationem ſuſcipiendam apta ſunt, qualia ſunt uvæ, fructus arborum, muſtum, cerevifia novella, aliaque. Cauſæ.

Lumbrici quoque vellicando tunicas inteſtinorum acutiſſimo ſenſu præditorum eam excitare poſſunt; item inflammatio, tumor aliaque propria inteſtinorum vitia etiam hic in cauſa eſſe poſſunt, eo modo ut ſupra narratum eſt. Communiſſima

autem

autem cauſa eſt humor acidus, juxta Helmontium à fermento felleo non ſatis ſubactus, & poſtmodum aciditate ſua mordicationem in inteſtinis commovens, eâque ratione bilioſi & ad iram præcipites magis in hunc affectum proni videntur, quod ſæpè iraſcentes tam furiosè ſuam bilem commovent, ut quaſi totum eorum corpus præ fervore bilis tremat, unde non poteſt non bilis eorum per totum corpus vim ſuam ſpargendo in veſicula ſua deficere, & deinde non ſufficere ad ſaturandam aciditatem ſucci pancreatici, acor autem inſaturatus remanens poſtea tormina & ſtranguriam parit. Quidam autem mirantur quo pacto aciditas vel acredo dolorem excitans eum non continuum producat, ſed per intervalla quieſcentem, cum nihilominus acor intus maneat, & continuo procul dubio vellicare pergat. Ad quæ reſpondemus, potiſſimam exacerbationis cauſam eſſe archeum ſive ſpiritum corporis, qui certis vicibus contra cauſam inſurgit, ut eam conſumat, vel expellat, quâ inſurrectione locum gravatum contrahit, quæ contractio nil aliud eſt quàm motus convulſivus doloroſus.

Huc etiam applicari poſſunt ſequentia Hippocratis graviloquia:

Dolores ventris ſublimes leviores. lib.6. aph.7

Non ſublimes fortiores. 6. 7

Dolores circa umbilicum ac tormina, quæ neque medicamentis, neque aliter ſolvuntur, in tympanitidem terminantur. 4. 11

Dolores in quibusvis partibus an multum differant, perdiſcendum. 6. 5

A ventris dolore diuturno, ſuppuratio. 7. 22

Dolores in febribus circa viſcera fortes, malum. 4. 66

In forti dolore ventris extremorum frigiditas, malum. 7. 26

Quicunque dolores infra diaphragma moleſtant, purgatione per inferiora indigent. 4. 18

Prognoſis de hisce affectibus eum in modum ſe habet: Quod ileus periculoſior ſit colica, & plerunque lethalis, imprimis ſi ab inflammatione inteſtinorum ſit, quæ verò à fæcibus induratis provenit, ea minus periculoſa eſt, ſigna autem lethalia in ileo ſunt: vomitus, ſingultus, vel delirium vel convulſio, vel ſurditas, urinæ verò ſuppreſſio, vel frigidus ſudor, imminentem jam mortem prænunciant; Verùm ſi quid aſſumpti cibi vel medicaminum per inferiora exeat, ſignum eſt ſalutis, indicat enim viam iterum eſſe apertam. Prognoſis.

Quod verò colicam paſſionem ſpectat, ea quæ vagum & non adeò atrocem dolorem infert ac diuturnum, facilius curari poteſt, quæ autem dolore vehementiſſimo & fixo diſcruciat, & in qua nihil per alvum redditur, nec ſomnus conceditur, aliaque ſymptomata cum ileo communia habet, etiam eodem modo finitur, ut paulò ante dictum eſt.

Curatio colici doloris incipitur

communiter clyſtere, nempe ſi à flatibus eſt, tali:

Clyſter in colica.

℞. rad. althææ mund. ℥iſ.
fol. malvæ
parietar.
betæ
mercurial. an. m. j.
flor. melilot.
chamomil. an. m. ſ.
ſem. aniſi
fœniculi
dauci
carvi an. ʒiſ.

coque in aqua communi ad ℔j. vel iſ. in cujus colatura diſſolve caſſiæ pro clyſtere
diacatholici
elect. hieræ picr. an. ℥ſ.
ſachari rub. ʒvj.
ol. anethin.
chamomelin.
amygd. dulc. an. ℥j.
vitellum unius ovi crudi
ſalis communis ʒiſ.
m. f. clyſter ſtatim injiciendus.

Parte dictorum oleorum calefactorum etiam exterius venter inungatur.

Ejusmodi clyſter in aliis cauſis paucis mutatur, nempe ſi obſtructio fit à craſſa pituita, additur ruta, in fæcum duritie aliquid ſalis gemmæ, optimè ſcybala diſſolventis.

Utiliſſimè quoque interdum clyſteri adduntur aquæ benedictæ Rulandi ℥iij. vel IV. in dolore vehementi ℈j. Philonii Romani ſimul admiſcetur.

Venter una fovetur tali fotu calido:

Fomentum.

℞. ſummitat. aneth.
flor. chamomill.
melilot. an. m. j.
ſem. lini
malvæ
fœnugræc. an. ʒij.
dauci
aniſ. an. ʒj.

coquantur in ℔ij. aquæ communis pro fotu.

In dolore ſæviſſimo dentur gran. IV. V. vel VI. per ſe in pilulam redacti laudani opiati, vel addatur laudano aliquod purgans, ſic non modò dolorem ſedat, verùm quoque cauſam expurgat.

Specificum.

Inteſtinum lupi exſiccatum ſpecificum eſt ad ʒj. exhibitum, quo multi ſine ullis aliis remediis convaluere.

In ileo ſi eſt ab inflammatione, ſtatim vena ſecatur ad extingvendam inflammationem, & aliquoties repetitur, ſi vires ferant, clyſteres injiciuntur refrigerantes, incoquendo eis ſemina frigida majora & ſimilia.

A cibo debent ægri primo vel etiam ſecundo die abſtinere, imò per 4. aut 5. dies tria tantùm ſingulis diebus cochlearia juſculi ſumere, ad impediendum vomitum, qui malum valdè auget.

Quoad cætera hæc cura cum præcedenti convenit, fovendo & inungendo ventrem, at ſi ileus eſt à flatibus vel circumvolutione inteſtinorum, tunc per os datur quantitas argenti vivi, qui gravitate ſua deorſum fluit, & apertionem promovet, plura proponit

TEX-

TEXTUS.

IN omni colica & iliaca paſſione dextrè curanda (à catharticis fortioribus abſtinendum) ſemper proſpiciendum, ut alvus ſit libera, quam ſi natura ita conſervat, benè quidem, ſin minus, tum externis nempe ſuppoſitoriis & clyſteribus (vide diſputationem meam de colica) tum internis ſaltem mollificantibus utendum: quale eſt extractum mercuriale (cum ſpiritu vini paratum) doſ. à ʒj. ad ʒij. cum extracto ſenæ juſta doſi (à gr. X. ad ℈j.) exhibitum.

Quando alvus eſt libera, & flatus diſtendunt inteſtina, ab initio tinctura corticum aurantiorum cum ſpiritu vini extracta multum valet, doſ. cochl. j. hæc eſſentia ſemel atque iterum data flatus omnes diſſipat; ſin minus, exhibeatur in malvatico olei amygdalarum dulcium ℥ſ. ad ℥j. quod ſi ne ſic quidem flatus ſitientes expediuntur, loco amygdalarum dulcium exhibe ſpiritus terebinthinæ ʒj. ad ſummum, poſtea arctiſſimè cum faſciis liga ventrem (mit einer Handquelen drey⸗mal um den Leib gezogen von 2. ſtarcken Perſonen) & flatus omnes diſſipabuntur.

Remedium efficax.

Nota: in colica & iliaca flatulenta, quemadmodum etiam in cæteris, alvo exiſtente libera, remedium ſpecificum (extremum quo uſus ſum in quæſtore quodam) eſt mixtura ſpiritus vini & ſpiritus nitri ana ʒſ. vel ℈ij. in aqua commini tepida, ſudoribus exinde provocandis data. Illicò nimirum ſpiritus ſitientes colicæ adminiſtros potat, ac in vapores reſolvit (patiens quieſcat, licet id ei difficile: motu nimirum creſcit malum) ut reliquum quoque corpus à vaporibus noxiis per medicamentum aſſumptum liberatum eò melius morbum pereuntem ſibi ſubjicere poſſit.

Specificum.

In colica ex pituita vitrea valent oleum zedoariæ, chamomillæ ſaphirinum (à gutt. iij. ad ℈j.) ſæpius exhibita.

Specifica in colica à pituita.

In pituita educenda præſtat eſſentia trochiſcorum alhandal cum vino malvatico deſtillato extracta, item ſpiritus vitæ aureus Rulandi ab ℥ſ. ad ℥iſ. ad ſummum.

In colica à bile erodente: extractum rhabarbari. Item panchymagogum vegetabile multum præſtant: bilem nimirum educunt, quâ excretâ ſi nihilominus dolores durarint, malvaticum cum oleo amygdalarum dulcium poſtea ſemel atque iterum datum acrimoniam bilis reſtitantis infringit & dolores ſopit.

Ad colicam bilioſam.

NB. *In his caſibus aliquando cæteris paribus laudanum opiatum dextrè paratum & ſumptum mira-*

De Ileo & Colica.

mirabilia præſtat. Cujus tamen uſus, ſi hæc ipſa prædicta in promptu fuerint, non temerè præcipitandus, niſi forſan materia tam fortiter impacta ſit, quæ doloribus confertim incrudeſcentibus nullas inducias permittit. Hoc itaque in caſu ut quies ipſi naturæ imperetur, à laudano minus abſtinendum erit.

Si ex humore acri, valet etiam mixtura ſimplex.

In colica ex humoribus æruginoſis, vel flatibus inter membranas incluſis nihil melius eſt, quàm exhibere doſin compoſiti è ſpiritu nitri & ſpiritu vini, citiſſimè nimirum expedit.

In colica ponatur magnes ſuper umbilicum & ſtatim ceſſabit dolor.

Colica etſi nonnunquam à bilioſis & acribus humoribus ad inteſtina profluentibus fiat, ab inflationibus item inteſtinorum, & à duris diu retentis excrementis: tamen nulla frequentior eſt, quàm quæ à pituita & flatibus oritur. In quibus omnibus notandum, ut alvus ſemper ſit aperta. 2. Ut medicamenta potius per clyſterem injiciantur, quàm per os exhibeantur ante alvi apertionem.

Ut igitur alvi obſtructio colicos dolores fovens ſolvatur, injiciatur clyſter emolliens & laxans, vel ex ſolo decocto brancæ urſinæ veræ cum oleo chamomillæ & anethino, aut ſequente, quo vel ſolo ceſſare dolorem expertum eſt:

℞. juris piſorum ℥iij. Clyſter.
extracti eſulæ ʒiſ.
bulliant ſimul, ut extractum ſolvatur, hinc adde
olei lini ℥IV.
ſalis gemmæ ʒj.
ſalis communis ℈j. aut ʒſ.
m. injiciatur moderatè calide.

Ejectis ventris impuritatibus dolori tanquam magis urgenti ſuccurrendum, ipſum mitigando & ſedando anodynis & narcoticis.

Extrinſecus fiant inunctiones oleo chamomillæ & amygdalarum dulcium, cum guttis aliquot olei ſtillatitii anethi, aut olei Philoſophici. Hinc imponendi ſacculi calidi ex furfure aut milio, aut tantùm tegulâ calefactâ linteo involuta. Remedia externa.

Imò ſi dolor urgeat, applicetur emplaſtrum ex laudano vel ſolo vel cum aliis mixto.

Umbilicus inungatur balſamo apoplectico, cui ſi admiſceatur gr. j. vel ij. zibethi, potentius & citius operatur, aut è zibetho cum oleo nucis moſchatæ expreſſo f. balſamus.

Intrinſecus exhibeatur ʒſ. theriacæ mediæ ætatis cum laudani opiati

opiati gr. V. extracti caſtorei gr. IV. aut pulveris caſtorei ℈ſ. atque hoc medicamentum offeratur. Si abſit inflammatio, quâ præſente poſt pilulas laudani deglutitas oleum Saturni per deliquium ad guttas V. vel VI. in vino albo propinare, & ventrem inungere convenit balſamo Saturni, qui duplex. Unus ad inflammationes omnes è partibus duabus olei Saturni per deliquium è ſale ejus & parte una olei roſati ſimul miſtis in mortario lapideo. Alter fit cum ſali Saturni affunditur in matracio convenienti ſpiritus terebinthinæ ad eminentiam digiti, donec ſal in ſpiritu terebinthinæ ſolvatur, & rubicundo tingatur colore. Tinctus ſpiritus è cineribus deſtillatur per retortam igne primum lentiſſimo, donec oleum terebinthinæ prodierit, quod cum amplius non deſtillat, muta vas recipiens, ignem auge paulatim, donec etiam fortiſſima habueris, & prodibit oleum præſtantiſſimum in vulneribus, ulceribus, cancro, noli me tangere aliquoties tangendo bombace medetur. Hinc poſt horam unam ſi non ceſſat dolor, ſequens potiuncula exhibenda:

Balſamus Saturni.

℞. *ſpir. vini* ℥j.
nitri ℈ſ. *aut gutt. XV.*
aquæ fontanæ ℥iij.

Ægro ſtragulis benè cooperto ſudores aliquandiu provocandi, aut offerri poteſt doſis ex aqua theriacali, aut ſpiritus terebinthinæ ℈ſ. *in vino malvatico.*

Prodeſt etiam ſi dolor non ceſſat, dictum clyſterem repetere, & ægrum in balneum locare emolliens, & anodynum, quale capite de calculo præſcripſimus.

Si magna adſit flatuum copia, id quod ex inteſtinorum murmure facilè cognoſcitur, carminativa admiſcenda clyſteribus & aſſumendis intro, ita ut cum aqua theriacali, aut potiuncula dicta guttæ aliquot olei ſtillatitii carvi, aniſi aut fœniculi miſceantur.

Exterius inungatur venter oleo anethino & chamomillæ, cui dicta olea deſtillata admixta ſint.

Cucurbitula magna umbilico applicanda, & doloribus urgentibus cingulo conſtringantur partes abdominis.

Quibus præmiſſis ratione doloris & paroxyſmi ad ea, quæ cauſam ipſam reſpiciunt, propius accedendum, & ſi à pituita craſſa & viſcida, ut plerunque fit oriatur, ea primum leniter purgantibus expurganda, habito ſimul reſpectu ad flatus craſſos ſemper in hoc affectu præſentes. Unde ſemper decoctum aut aqua ſtillatitia aniſi, fœniculi, dauci, cum infuſo agarici, mechoacannæ, & electuarii diacarthami exhibenda,

cavendo ne rhabarbarum aut myrobalanos, ob aſtringentem, quam poſſident, facultatem exhibeamus, nec ſenam & caſſiam ob flatulentiam, atque ea quæ injicienda diximus, nonnunquam prætermittantur cum iis quæ per os dantur.

Expurgatâ materiâ calefacientibus, attenuantibus & discutientibus reliquiæ tollendæ, ut: ſpiritu terebinthinæ, mithridatio, theriaca, aqua theriacali ſpiritu nitri, quibus interdum ſudor excitetur. Proſunt etiam ſequentes rotulæ.

Rotulæ. *℞. ſpec. diacymini*
diacalaminth.
aromatici roſat. an. ʒſ.
ſachari in aqua fœniculi diſſoluti ℥iij.
aquæ cinamomi ʒij.
ol. aniſi ℈ſ.
ſuccini gutt. VI.
f. rotulæ de quibus ſumat æger unam atque alteram ad lubitum.

Quod ſi à bilioſis & acribus humoribus ortum ducat morbus, illi ſtatim poſt alvi apertionem & anodynorum applicationem detergendi & expurgandi iis, quæ bilem reſpiciunt, injecto clyſtere è lactis ℔j. in qua mellis mercurialis ℥IV. aut V. diſſolutæ ſint, aut poteſt loco lactis aſſumi aqua hordei, in qua roſæ, violæ aut malva bullierint cum diapruno aut diaſebeſten.

Per os datur diaprunum ſolutivum, ſyrupus roſarum ſolutivus cum infuſo rhabarbari, item ſyrupus ex multiplici infuſione violarum.

Si ex aliqua inflammatione inteſtinorum fiat dolor, poſt fæcum ejectionem ſecetur vena, & clyſteres injiciantur refrigerantes & emollientes: aut ſi etiam aliqua ſuſpicio ſit bilis flavæ, ex lacte, in quo bullierint refrigerantia cum ſacharo rubro & oleo violarum.

Per os quæ aſſumuntur, ſint refrigerantia.

Si ex duris & diu retentis fæcibus oriatur, injecto clyſtere emolliente mirè prodeſt balneum aquæ dulcis cum herbis emollientibus & humectantibus, & poſtea propinandum medicamentum validum, quod fæces emollitas exturbet. Quod ſi non proficiat, folle aut ſyringa inflentur inteſtina, ut ſeparentur fæces ab inteſtinis, ſtatimque injiciatur clyſter fortis, cui ʒſ. aut ʒj. ſalis gemmæ admixta ſit.

In omnibus autem dictis cauſis ſemper cum aliis propinanda, quæ peculiari proprietate contra hunc morbum faciunt, ut ſunt exſiccata inteſtina lupi ad ʒj. in vino epota. ſtercus ejusdem exſiccatum Specifica.

cruri-

cruribus & pectini alligatum: aqua ſtercorum bubulorum juniorum per alembicum deſtillata.

In ileo ſtatim ſolvendo exhibe mercurium crudum à ℈j. ad ℥j. oleo communi recenti cum ſacharo distemperatum ne agnoſcant patientes, ſtatim ſolvitur alvus & dolores leniuntur, ſi quid reſiduum fuerit, expediendum id eſt cum aliis purgantibus.

Paralyſis (a) *in quam colica interdum deſinere ſolet, univerſalibus præmiſſis purgantibus curatur, ut in paralyſi dictum.*

Imprimis convenit ſpiritus tartari, rotulæ ibidem deſcriptæ, & oleum ſuccini & extractum, balſamus galbani, terebinthinæ cum cataplasmate ex radice ſymphyti.

(a) Paralyſis ex colica, quam vulgò contracturam vocant, deſcripta eſt ſupra cap. 10.

CAP. CXII.

DE FLUXU INTESTINORUM, *Germ.* Durchbruch.

Fluxus ventris quid?

FLuxus ventris eſt quando non ordinaria ſpiſſa excrementa ex alvo prodeunt, ſed omninò liquida, ita ut inſtar alicujus liquoris effluant, & in plano propter tenuem liquiditatem non in uno loco maneant, ſed declivius decurrant, hæc ſi ita ſe habent, verum ventris fluxum conſtituunt, ea verò excrementa quæ quidem molliora ſunt, at in loco plano non decurrunt, pro fluxu ventris non ſunt habenda, quibusdam enim hoc naturale eſt, ut ſemper molliora excrementa deponant inſtar pultis, nec quicquam inde mali ſentiunt, cum potius ejusmodi laxa alvus ſanitati conducat.

Prædictus autem fluxus non uno modo contingit, ſed nunc albus nunc ruber eſt, modò verum ſtercus, at omnino liquidum, modò chylus ante ſuam concoctionem è ſtomacho præcipitatus; tres ergò veteres conſignarunt modos ejusmodi ventris profluvii, deſumptos à ratione ejus quod excernitur, nimirum quando cibus etiamnum impermutatus prodit, hoc vocarunt lienteriam, ſi verò alii humores albi qualescunque etiam bilioſi & melancholici, modò absque ſangvine, nominarunt talem fluxum diarrhœam. Ubicunque verò ſangvis unà exiret, appellarunt Dyſenteriam.

Fluxus ventris triplex.

Lienteria.

Diarrhœa.

Dyſenteria.

Quamvis autem quidam ex recentioribus adhuc aliam ſubdiviſionem in profluvio ventris fecerint, appellantes eum fluxum, quem vitio cerebri contingere obſervarunt, cerebralem, à ſplene ſpleneticum, hepaticum, oppilativum, lotivum &c. ab aliis tamen hæc nimis ſcrupuloſa diſtinctio rejicitur, ſatis eſſe dictitantibus triplicem illam veterum conſtitutam differentiam.

Eundem ergò morem Author noſter retinet & ſub fluxu inteſtinorum diſtinctos illos tres modos comprehendit, pro meliori autem intellectu tyronum ratio poſtulat, ut quemvis ſeorſim declaremus.

Primò

Primò autem occurrit fluxus ille, in quo chylus impermutatus excretione redditur, quem ideò practici fluxum chyloſum appellant, qui iterum duplex in praxi obſervatur, quibusdam enim chylus omninò impermutatus exit, & tunc affectus nominatur lienteria ſeu lævitas inteſtinorum, aliis pars quædam cocta apparet, & quædam cruda, tumque cœliaca paſſio vocatur, ſeu affectio ventralis, κοιλίας enim vox ventrem ſignificat, interdum tamen ab Hippocrate in ſpecie ventriculo tribuitur, nonnunquam verò quamlibet inſignem cavitatem ſeu capacitatem denotat, ita ut cœliacá affectio tam ſtomachalis quàm ventralis verti Latinè poſſit, noſtro etiam judicio utrisque nempe vitioſo ſtomacho & inteſtinis accepta ferenda. Differunt autem hæ duæ profluvii ſpecies tantummodò per magis & minus, in cœliacâ enim concoctio adhuc aliqualis notatur, ita ut in ea actio ſit imminuta, in lienteria autem abolita, eſt ergò cœliaca paſſio nihil aliud quàm primus gradus lienteriæ, ſeu principium ejus, ubi concoctio nondum planè abolita eſt, ſed aliquantulum adhuc viget, poſtmodum verò paulatim deſinit, & veram lienteriam producit.

Fluxus chyloſus.

Cœliaca paſſio.

Signa cœliacæ.

Signa diagnoſtica cœliacæ paſſionis ſunt: aſſidua egeſtio, ac nonnunquam fœtida, quam leviuscula præcedit animi defectio, cibum averſantur, decolores ſunt & admodum marceſcunt, pulſus eſt frequens & celer ac ſi febrilis eſſet, præcedit hunc affectum prominentia & diſtenſio abdominis, ſpontaneumque deinde profluvium ſequitur, & quia exinde patet, collectionem in ventre fieri, ideò à quibusdam potiſſimum inteſtinis malè affectis tribuitur.

Cauſæ.

Cauſæ cœliacæ paſſionis à Fernelio recenſentur: *Imperfecta malaque chyli diſtributio, quam meſenterii, lienis aut jecoris obſtructio, vel trahentis facultatis imbecillitas, vel alimentorum, maximèque fructuum fugacium, & potus immoderata copia peperit: hæc enim diſtribui tota nequit, ſed maxima ex parte in abdomine perſiſtit.*

Lienteria autem pariter Græca vox eſt, quæ Latinè ſignificat lævitatem inteſtinorum, eò quod ob lævitatem & lubricitatem ſuam à pituitoſis humoribus contractam chylum celeriter, & ante coctionem ullam perlabi ſinat, ita ut cibi eâ qualitate quâ ſunt aſſumpti, per inteſtina præcipitentur & dejiciantur, ſine coloris, odoris & conſiſtentiæ mutatione.

Signa lienteriæ.

Signa ejus ſunt: dejectio ut dictum chyli cruda; excretio aſſidua cibi, colore ſubalbida, inæqualis, & aquoſa absque ſangvinis aut bilis admixtione, ægri admodum malum corporis habitum & intenſam cruditatem acquirunt, ita ut in eorum excrementis genus aſſumpti cibi apertè dignoſci queat, ſi quoque diu duret fluxus, appetentia proſternitur, ac corpus extenuatur, vires dejiciuntur, nonnunquam etiam calor in hypochondriis percipitur. Ut plurimum quoque lienteria absque dolore

dolore eſt, quia plerunque fit à defectu fermenti acidi ſtomachi, interdum tamen à nimia aciditate melancholica oritur, tumque conſimiliter tormina & dolores infert.

Cauſæ lienteriæ. Cauſæ lienteriæ diverſæ ſunt, præcipuæ autem ſequentes: plurima ingeſtio eorum quæ fermentum ventriculi acidum debilitant, & perfundant, qualia ſunt alimenta phlegmatica cruda copiosè & jejuno ventriculo devorata, ut fructus arborum, ceraſa, pruna, mora, perſica, poma, pyra, item cucumeres, melones aliaque ejusmodi, quibus ventriculus perfrigeratur, & in peregrinam fermentationem trahitur, iſta enim cruda nondum fermentata etiam in frigido reſervata citiſſimè in propriam fermentationem & corruptionem abeunt, multo magis in tepente & humido ſtomacho, qui ab iſta peregrina fermentatione mox irritatur, & ingeſta inconcocta ejicit, ea verò multam mucoſitatem relinqvunt, qua ſtomachus & pylorus lubricantur, ita ut diu munus ſuum obire rectè non poſſint, & ſic lienteria continuatur, donec per aliquod purgans mucoſitas illa expurgetur, vel ventriculus ſuam aciditatem recuperet, & iſta peregrina corrodere & conficere queat, unde ructus acidi juxta Hippocratem in lienteria boni, qui nimirum antea non extiterint, at ſi ſimul concurrerint, ſignum eſt cauſam eſſe ex nimiâ aciditate melancholica. Sæpius etiam excitatur ab externa perfrigeratione ventriculi, imprimis verò à diutina mora in aqua frigida. Temperamentum quoque phlegmaticum multa ſemper pituita ſcatens ſponte ad hunc affectum propendet, imprimis balbi, humidum enim cerebrum habent, quod ex levi cauſa plurimum pituitæ ad ventriculum transmittit, eumque lubricat, & perfrigerat, vel acri defluxione lædit, ut ad tempus à coctione feriari cogatur, ut apparet in dentibus ab ejusmodi defluxione moleſtatis, quod etiam non rarò per aliquot dies cibum mandere planè nequeant. Tandem ſumma naturæ debilitatio in diuturnis lethalibus morbis ad extremum ſæpè hunc affectum parit, ita ut vel omnis facultas retentrix pereat, vel reſolutio & colliquatio humiditatis fiat, prout etiam in his fit, qui cum ſudore moriuntur, colliquatio enim & expreſſio humiditatis in hisce extrorſum fit, in lientericis verò talibus introrſum.

De hisce profluviis etiam loquitur Hippocrates in ſequentibus aphoriſmis:

Profluvium ventris eſt affectus virilis ætatis. lib.3.aphor.30
Lienteria eſt morbus autumnalis. 3. 22
In eâ diuturnâ ructus acidus qui prius non extitit, ſignum eſt bonum. 6. 1
Sequitur dyſenteriam. 7. 76
Dyſenteria longa ſpleneticorum terminatur vel in hydropem vel lienteriam. 6. 43
Quâ intereunt. 6. 43
In lienteria hyberna vomitorium exhibere, malum. 4. 12

Lienteria cum difficultate ſpirandi & laterum puncturâ in tabem tranſit. *in coacis*

Prognoſis in cœliaca.

Prognoſis hujus affectus in hunc modum ſe habet: cœliaca paſſio nihil aliud eſt quàm incipiens lienteria, & ſic unus & idem morbus eſt, ſanatur autem initio facilè, imò vel ſolo victu incraſſante, at ſi negligitur, inveterata fit difficilis, imò nimis radicata ferè impoſſibilis curationis, vel etiam in dyſenteriam transmutatur, difficilior quoque ea eſt, quæ ab intemperie ſeu habitudine frigidiori oritur, nec non quæ ab exulcerantibus humoribus generatur, itemque à debilitate retentricis facultatis orta, hæc enim in tympanitidem tranſire ſolet & mortem; incurabilis quoque eſt quæ abraſionem villorum ventriculi vel inteſtinorum excipit, nec non chronicos & acutos morbos.

Diarrhœa quid?

Diarrhœa verò eſt altera fluxus ventris ſpecies, in qua non, ut in jam commemorata cibus vel chylus inconfectus, ſed alimentum jam concoctum cum humoribus vitioſis mixtum, absque tamen actuali ſangvine vel pure excernitur, quæ ſi concurrant veram dyſenteriam conſtituunt. Et ſic facilè ab aliis quibuscunque ſpeciebus alvi fluxus diſcernitur, cum in lienteria & cœliaco morbo alimentum ſaltem in chylum comminutum, at non concoctum vel ſemiconfectum excluditur, in dyſenteria & tenesmo ſemper admixtio ſangvinis cernitur, purulenti tamen aliquantulum, ſicuti in fluxu hepatico & hæmorrhoidali purior ſangvis immixtus prodit.

Cauſæ diarrhœæ.

Cauſæ diarrhœæ ſunt: debilis conſtitutio viſcerum concoctioni & nutritioni miniſtrantium, ut ſunt ventriculus, hepar, meſenterium lien, & inteſtina, quorum imperfecta concoctio defluxiones & ſuperfluas humiditates generat. Quas interdum natura forti excitato profluvio expellit; frequentiſſimè quoque cauſa occaſionalis defluxionum in capite cumulatur, nimirum per repentinam alternationem caloris & frigoris, uti quotidiè tali modo vehementiſſimi catarrhi excitantur, qui à dicta ſubitanea permutatione caloris in frigus & vice versâ ſalſam acredinem induunt, & poſtmodum ad inferiores partes decumbunt, ac modò ventris profluvium, nunc exulcerationem pulmonum, anginam, pleuritidem aliumve affectum producunt; tales autem catarrhos erodentem ſalſedinem in ſe vehere, ſæpius in coryza apparet, ubi tenuis & aquoſus mucus à naribus deorſum manans brevi cuticulam excoriat, nec non in ophthalmia, ubi oculi à defluxione ingentem mordicationem, doloremque ſentiunt, rubedinemque & lachrymas patiuntur. Pari modo quoque ejusmodi acres defluxiones in corpore acrimoniam ſuam edere poſſunt, quælibet autem erodens acredo, inſtar veſicatorii attrahit ubicunque applicatur, eandem ergò operationem acres defluxiones etiam in corpore præſtare veriſimile eſt, multamque humiditatem & humores allicere, unde fluxus ventris conci-

concitatur. Quemadmodum autem illa materia, quæ in ſuperficie cutis ab applicatis veſicatoriis in veſicas attrahitur, nil aliud eſt quàm bonus ſuccus & ſangvis corporis, quamvis ſpecie cujusdam limpidæ aquæ appareat, nam etiam in longè optimè valentibus eandem aquam attrahunt, ita idem quoque intra corpus contingere rationi conſonum eſt, quod ab acribus defluxionibus etiam bonus cruor & ſuccus corporis attrahatur, & in fluxum albicantem convertatur, ut etiam à purgantibus fit, quæ etiam inculpatiſſimâ ſanitate gaudentes copioſè purgant, & in magna doſi exhibita interdum vel ſitulam eductâ materiâ replent, cum autem in ejusmodi ſanis mali humores non ſint, ſequitur laudabilem cruorem & ſuccum corporis in talem larvam colluviei converti.

Non raró quoque ab immaturis vel nimiâ copiâ devoratis arborum fructibus crudis profluvium ventris excitatur partim ob eorum phlegmaticam & mucoſam qualitatem, quâ viciſſim ventriculum mucoſum reddunt, & lubricum, partim verò quod nonnunquam aliquid maligni eis inſit, vel etiam ipſis increſcat, prout nemo non novit, inſecta multoties obreptione ſua eos venenoſitate inficere, quæ interdum poſtea cum illis devoratur, atque à naturâ tanquam ſibi maximè adverſa celerrimè iterum, vel per vomitum, vel profluvioſum ſeceſſum expellitur.

Denique nonnulla infermentata nempe cereviſia novella, muſtum, recenter coctæ ſtriblitæ atque alia ejusmodi cupidè aſſumpta in ſtomacho fermentationem excitant, ac humores convehunt & ſic in turbido fluxu expelluntur. Frequenter etiam in acutis morbis natura per criſin profluvium concitat, cauſamque morbificam expellere conatur.

Præter hanc datur adhuc alia diarrhœæ ſpecies, quæ colliquativa nominatur, ab ingenti morbi calore ac malignâ putrefactione orta, contingitque utplurimum in febribus malignis quibusdam ardentibus & peſtilentibus ut & hecticâ, aliisque internis viſcerum inflammationibus, ubi materia quædam pingvis oleoſa vel adipoſa per alvum excernitur. Diarrhœa colliquativa.

Inter alvi fluxus ſpecies etiam recenſetur *fluxus ſtercoroſus* ſic dictus, quod in eo ingens copia ſtercoris liquidi ſæpius excernitur, is verò alimentis excrementitiis in ventriculo corruptis, vel copioſis excrementis in inteſtinis congeſtis generatur.

Signa autem cauſarum quamvis cum difficultate diſcernantur, ſequentia tamen notanda ſunt: Si diarrhœa à cerebri transmiſſione dependeat, ejectiones exhibet ſpumoſas juxta lib. 7. aphor. 30. quod quidem perpetuum non eſſe quidam contendunt, verùm pituitam quoque absque flatuum admixtione à cerebro defluere poſſe, quæ unica ſpumoſitatis cauſa ſit, ſed pace eorum etiam extra flatulentiam ſpuma excitari poteſt, nimirum in liquoribus viſcoſis fortiter agitatis, ut eſt cereviſia præpingvis & viſcoſa, Signa cauſarum.

atque acetum ex eo confectum, quæ fortiter agitata plurimam ſpumam excitant, item quando duo liquores contrarii commiſcentur nempe ſpiritus nitri & butyrum antimonii, aquæ fortes & oleum tartari per deliquium, aliaque ſimilia, tunc invicem pugnando multum ſpumæ exhibent, cum itaque in malè affecto capite pariter cerebrum ſuum contrarium experiatur, nempe æſtum ſeu calorem vehementem, vel dolorem vel gravamen, ab iſtis contrariis etiam ſpuma excitatur.

Si verò diarrhœa ſit à vitiato ventriculo, præceſsêre defectus ſtomachi, nempe dejecta appetentia, dolor in ea regione, intemperies ventriculi calida vel frigida.

Si inteſtina ſunt pars mandans, à lumbricis in eis degentibus id ſolet contingere, quorum ſigna ſimul adfuerint.

Si hepar vel lien, id fit ab eorum obſtructione, quæ tenſione, gravitate vel dolore iſtius loci proditur.

Sic & uterus, meſenterium, aliæque partes non obſcurè ſua gravamina præſignant, quæ ſi deinde ejusmodi fluxum habent pediſſequum, non immeritò conjecturari licet, eorum vitio transmiſſione, vel ſympathicâ affectione eum contigiſſe.

De diarrhœâ autem loquitur etiam Hippocrates in ſequentibus aphoriſmis:

Balbi ſunt proclives ad alvi profluvia. lib. 6. aph. 32
Atque in ipſis ſolent eſſe diuturna. 6. 32
Alvi profluvium eſt morbus æſtivus. 3. 21
Atque in aſſiduis imbribus popularis. 3. 16
Nec non infantibus dentire incipientibus familiaris. 3. 25
Ut & ætati conſiſtenti. 3. 30
Si in eo purgantur, quæ oportet, tunc confert. 1. 2
Solvit in febribus ſurditatem. 4. 60
Ophthalmiâ laborantibus prodeſt. 6. 17
Fortis diarrhœa leucophlegmatiæ ſuperveniens eam ſolvit. 7. 29
Si in diarrhœa excrementa ſunt ſpumoſa, à capite fit defluxio. 7. 30
Diarrhœa bilioſa ceſſat ſuperveniente ſurditate, & vice verſâ. 4. 28
Ut & à ſpontaneo vomitu. 6. 15
In ea excrementorum mutatio bona juvat. 2. 14
Prava non. 2. 14
In diarrhœâ bilioſâ lac malum. 5. 64
Diarrhœâ laborantes interdum in ſomno palpebras non exactè commiſſas habent, ſed album oculorum apparet. 6. 52
Terminatur in dyſenteriam. 7. 75
Diarrhœa prægnantibus abortum minatur. 5. 34
Pleuriticisque & peripneumoniacis perniciem. 6. 16
Phthiſici cum diarrhœa moriuntur. 5. 12
14

Varia excrementa ſunt lethalia. *lib. 2. praſ. 23*
Ut & ramentoſa. *ibid.*
Atque bilioſa & nigra. *ibid.*
Nec non porri colorem imitantia. *ibid.*

Prognoſtica. Prognoſin quod attinet, ea in jam citatis aphorismis majorem partem continetur, cujus ſumma eſt: Diarrhœa levamen afferens, ſalutaris, at vires dejiciens, mala & ſiſtenda; ſi fluxus jam per aliquot dies duravit, atque excrementa incipiunt mutari & craſſeſcere, illud bonum eſt ſignum, roburque naturæ & probam concoctionem denotat, uti quoque in coryza craſſeſcens mucus inſtantem ejus finem denunciat, at ſi excrementa in pejus mutentur, & etiamnum liquidiora pejoriſque coloris fiant, nempe lividi, oleaginei, æruginoſivè, tunc ſecuturam mortem portendunt. Fluxus quoque alvi qui cum dolore, labore ac frequenti dejectione fit, mali ominis eſt, erodit enim ac vires proſternit, malus etiam eſt, qui cum morbo acuto incipit & cum eo perſtat, multam enim malignitatis copiam denotat, atque etiam vires dejicit, ut morbum malignum debellare nequeant. Fluxus ſponte effluens ægro non ſentiente vel ſignum eſt delirii vel caloris nativi ſenſusque abolitionis. Hydropicis bonus eſt in principio morbi & viribus etiamnum validis, eis autem dejectis tam his quàm phthiſicis mortem infert.

Curatio. Curatio diverſæ hujus ventris fluxionis ferè eadem eſſe debet, & primò quidem cauſa mali plerunque in ventriculo ſtabulata commodiſſimè in his qui vomere poſſunt, vomitorio educitur, nempe aquâ benedictâ, vel ſale vitrioli, vel aquâ ex raphano & nucibus, vel radice aſari, vulgo quoque leve vomitorium parant ex ℥VI. aquæ tepidæ & ℥iſ. oxymelitis commixtis, ac tepidè mox à cibo propinatis, his verò quibus vomitus non convenit, datur aliquod lene purgans per inferiora, ex. gr.

Purgans lene.

℞. myrobalan. cheb. ℥j.
infunde per noct. in aq. abſynth. ℥VI.
manè ebulliant ad remanent. ℥IV.
℞. colaturæ fortiter expreſſæ quantum eſt, adde
ſyr. roſar. ſolut. ℥j.
pulv. hieræ ſimpl. ℈j.
m. f. potio manè ebibenda.

Evacuato ventriculo detur ad roborandum eum theriaca recens ad ʒij. cum ℥IV. vini rubri. Vel gran. iij. laudani opiati cum momento conſerv. roſar.

Exterius regio ventriculi inungatur oleo maſtic. vel abſynth.

Pauperiores evacuato ventriculo comedant ſaltem dimidium unius nucis moſchatæ ita in ſubſtantia, egregiè enim conſtipat & ventriculum roborat.

Experimentum. Nos in quolibet alvi fluxu etiam dyſenteria damus ʒj. theriac. & ℈j. pulveris ſubtiliſſ. lapid. hæmatit. cum ℥iij. aquæ folior. querc. optimo cum ſucceſſu.

Optima etiam eſt opiata Amati Luſitani hæc:

Opiata eximia. ℞. conſerv. roſar. antiq. ℥VI.
theriac. Androm. ʒVI.
mivæ cydonior. q. ſ. f. opiata
doſis ℥ſ.
manè nihil ſuperbibendo.

Item hæc opiata Paracelſi:

Alia Paracelſi. ℞. flor. centaur. minor. ℥j.
hyperic. ℥ſ.
corallor. rub. præp. ʒj.
cum ſyr. de papav. alb. f. opiata.

Conducit hæc in fluxu exulcerante, nam egregiè incarnat, plura habet

TEXTUS.

O*Mnes fluxus inteſtinorum primariò à ventriculo pendent, hujus ergò ut partis mandantis prima habenda ratio fuerit (cachimiæ & plethoræ) niſi fluxus nimius urgeat. Ideò ventriculo corroborato ipſi fluxus quoque ceſſant, ſed tamen præmiſſis in fluxibus incipientibus vomitibus, adhibitisque epithematibus (de quibus ſupra de affectibus ventriculi) tandem enematibus abſtergendum & conſolidandum.*

Triplex autem non ſine cauſa ſtatuitur alvi profluvium, diarrhœa, lienteria, & dyſenteria.

Ad fluxus ventris omnes detur ter in die de croco martis, ſingulis vicibus grana X. cum ſucco prunorum ſylveſtrium, item ſequens: (a)

Mixtura. ℞. *hepatis lupi*
mithridatii an. ℈j.
magiſterii corallor.
boli armeni
C. C. uſti
maſtich. an. ℈ſ.
aquæ tormentill. ℥iij.
cichor. ℥ij.
mivæ cydonior. ℥j. *m.*

(a) Hæc præſcriptio eſt pro una doſi, at nimis magna & ingrata quibusdam futura eſſet, nec opus eſt omnia hæc ingredientia accipere, ſed ſufficit major doſis mithridatii nimirum ad ʒij. cum corallor. ſaltem præp. & hepat. lupi an. ℈j. in ℥iij. aq. tormentill. vel plantaginis.

In diarrhœa & dyſenteria epidemica præmiſſo vomitu ad antidota fugiendum. Diarrhœa & dyſenteria epidemica.

Diarrhœa non epidemica quia à variis cauſis pendet, & ſemper alterius morbi effectus, diligenter videndum, à quanam cauſa hæc ipſa dependeat, & an critica hæc ſit, naturæ conſveta, vel ſymptomatica. Diarrhœa non epidemica.

Si ob errorem aliquem externum accidat, an à partis aliqua intemperie, aut humorum copia fiat: quæ omnia, ſi quis ritè obſervet, non difficilè erit huic morbo reſiſtere.

In genere notandum, nullam talem ſubitò reprimendam & renitendam eſſe niſi fortè in phthiſicis & peripneumoniacis, & ſi quid moliendum, à medicamentis lenioribus & imbecillioribus ſemper

ſemper incipiendum eſt, dato ſolo diacydonio, aut miva cydoniorum compoſita. Ventre exterius inuncto oleo cydoniorum, maſtichino, nardino, de abſynthio, de mentha, prodeſt etiam lac ebullitione unica coctum & chalybeatum manè & veſperi, horis quatuor ante cibum, ad poculum unum, addito terræ ſigillatæ ſcrupulo uno.

Si verò vires dejiciantur, ad fortiora accedendum, deinde ad clyſteres, & medicamenta primum abſtergentia, hinc aſtringentia tam externa quàm interna, de quibus in dyſenteria, ita tamen ut ſemper habeatur reſpectus ad membrum primò affectum, in externis tamen notandum, ne exterius muſculi conſtringantur, ſic nimirum augebitur malum. Conſtrictio enim à muſculis auget excretionem: quare optimum, ut tenuium ſint partium, ut penetrent ad inteſtina. Quod optimè conſequeris, ſi addideris acetum fomentis & cataplaſmatis.

Emplaſtrum.

Maximè in omni alvi fluxu prodeſt, ſi regioni ventris calidè imponatur emplaſtrum de theriaca antiqua, & terrâ ſigillatâ ana. Multum quoque in omni alvi profluvio prodeſt ſyrupus de roſis ſiccis, myrtillorum, & imprimis de ribibus, de berberis, de corallis Quercetani, CC. uſtum & inteſtina gallinæ in clibano exſiccata, & in pulverem redacta, lota prius aquâ aliquâ aſtringente.

Lienteriæ cura.

Iisdem ferè remediis occurritur lienteriæ ſeu inteſtinorum lævitati, in qua tamen magis calefaciendus & roborandus ventriculus & inteſtina. Et nonnunquam ſi à pituita aquea eas partes lubricante fiat, cauſa expurgantibus tollenda.

Conveniet hîc ſuper ventriculum cucurbitam parvam ponere, ut diutius cibum retineat.

Si ob affluxum bilis ad inteſtina, aut ob errorem aliquem externum, iis ablatis & mutatis morbus facilè tollitur.

Si fluxus fiat propter obſtructionem venarum meſaraicarum, aut imbecillitatem hepatis attractricem, cauſa ſuis medicamentis tollenda. Imprimis in fluxu hepatico prodeſt ſal corallorum. In aqua plantaginis diſſolutum à ℈j. ad ʒſ. ſæpius per vices exhibitum, cæteris neceſſariis non omiſſis.

Diarrhœâ correpti creberrimè utantur oryza cum jure carnium ſeu lacte cocta.

Potus ſit aqua (b) *chalybeata, in qua coralla, CC. uſtum, ſpodium, tormentilla, biſtorta, nux moſchata, cortices citri, granatorum, punica mala cocta ſint.*

(*b*) Aqua

(b) Aqua chalybeata non aſtringit, ſed potius laxat.

CAP. CXIII.
DE DYSENTERIA,
Germ. die rote Ruhr.

DYſenteria eſt vox Græca, ſignificans difficultatem ſeu laborem inteſtinorum, quod nomen tamen quibusdam ineptum videtur, dicentibus in iliaca paſſione inteſtina longè graviorem experiri laborem, debeatque huic morbo convenientius nomen imponi, nempe inteſtinorum ulcus, at quis aſſeverare auſit ſemper in hoc affectu adeſſe ulcus? Eſt autem dyſenteria alvi fluxus cruentus ac nonnunquam quoque purulentus cum ventris torminibus, & interiorum tunicarum inteſtinalium eroſione & exulceratione, teneſmo & febre.

Dyſenteria quid?

Dyſenteriæ ſpecies quatuor.

Quatuor autem veteres dyſenteriæ differentias conſtituerunt. Unam à copia ſangvinis per totum corpus redundantis, quo orificia venarum aperiantur, & in inteſtina ſuperfluus ſangvis effundatur, quemadmodum eveniat in conſvetis fluxum pati hæmorrhoidum, hisque qui exercitationem intermittant, nec non fœminis quibus menſes ſint ſuppreſſi, talibus enim, ut & qui ſangvinem per intervalla è naribus ſtillantem habuerint, itemque quibus aliquod membrum truncatum ſit, certis recurſibus ejusmodi dyſenteriam contingere cruentam. Alteram cum ex imbecillitate hepatis aquoſus ſangvis dejiciatur loturæ carnium ſimilis, quæ dyſenteria hepatica nominetur. Tertiam cum melancholici ſplendentis ſangvinis dejectio fiat, ſangvisque niger pici liquidæ ſimilis excernatur, de qua excretione Hippocrates loquatur, dicens: *Sangvinem ſupra ferri qualiscunque ſit, malum, infra autem bonum, ſi niger dejiciatur.* Quartam dyſenteriam veram ab ulceratione inteſtinorum dependentem, atque à vitioſis & acribus humoribus ortam, cujus ergò à quibusdã dyſenteria rheumatica nominatur (quamvis alii hanc peculiarem etiamnum præter enumeratas ſpeciem eſſe contendant.) Tres autem iterum dyſenteriæ gradus tam veteres quàm neoterici ſtatuunt, primum ubi excrementa ſunt pingvia, alba, ſpumoſa, limoſa, & viſcoſa; ſecundum, ubi unà cum excrementis ramenta quædam, fibræque interioris pelliculæ ſeu tunicæ ſuperficiariæ abraſa ſangvisque & pus excernuntur; Tertium, in quo particulæ ipſius ſubſtantiæ membranoſæ inteſtinorum exeſa unà cum copioſo cruore & pure prodeunt, ac in minutis fruſtulis ſeu caruncculis conſpiciuntur, atque hic gradus ultimus confirmatam & inſanabilem dyſenteriam oſtendit.

Tres gradus dyſenteriæ.

Partes affectæ ſunt inteſtina tam tenuia quàm craſſa, ventriculus autem ſimul in conſenſum rapitur, imò frequentius primaria cauſa eſt.

Partes affectæ.

Agnitio & dignotio dyſenteriæ hisce ſignis habetur: patiens frequenter dejicere cogitur, excluditque primo alba & mucoſa excrementa ac procedente tempore cum

Signa.

ſangvine tincta, tormina in ventre ſæva affligunt, ſociata plerunque febre, vigiliis, ſiticuloſitate, & appetentiæ proſtratione, mucus utplurimum viſcidus albus toto morbi decurſu excrementis imixtus conſpicitur, unà cum aliis humoribus ac cruore, quem alii pingvedinem cenſent, ab inteſtinis deraſam, alii ordinariam inteſtinis mucilaginem, lubricationem ipſis & faciliorem excrementorum permeationem conciliantem; Alii defluum è cerebro aliisque locis mucorem quendam exiſtimant. Alii pus abſcedens credunt inteſtinorum exulceratorum.

Quænam autem inteſtina ſint affecta hisce ſignis diſcernitur: ſi affectus eſt in inteſtinis tenuibus, dolor eſt acutiſſimus, excrementa autem non ſtatim à dolore redduntur, & jam depoſita permixta magis cum ſangvine ac pure apparent, aſt ſi affectus eſt in craſſis dolor aliquantulum eſt obtuſior, quem mox depoſitio excrementorum minus cum ſangvine & ſanie permixtorum inſequitur. Utrisque verò inteſtinis affectis dolor primò acutiſſimus, ac poſtmodum obtuſior ſentitur, pus & ſangvis excrementis permixta ſunt, atque etiam iisdem ſupernatant. Cum autem hic morbus ſit epidemicus & contagioſus etiam ſigna ipſum præſagientia obſervantur: qualia ſunt: hyems aquilonia, proximumque ver auſtrale & pluvioſum, æſtas verò calida & ſicca dyſenteriam ad finem æſtatis prænunciare volunt, præcipuè his qui in otio & intemperantia vivunt; plerunque etiam dyſenteria expectanda venit, quando copioſus ſit proventus fructuum arborum, nempe prunorum, ceraſorum, pyrorum, imprudens enim plebs ac imprimis puerilis ætas ſibi ab eis temperare nequit, unde poſtea fluxus ventris & dyſenteria ſeqvuntur, atque iterum ad alios transferuntur. Quædam etiam naturæ peculiariter ad eam proclives ſunt, quales ſunt lentiginoſi.

Signa affectum epidemicum præſagientia.

Lentiginoſi proclives ad dyſenteriam.

Cauſæ internæ ſunt: acres defluxiones ex capite in ventriculum decumbentes, & acredine ſua humores inſtar violenti cathartici attrahentes, donec tandem eductio ſangvinea ſequatur, uti quoque vehementiſſima purgantia operantur eodem modo. Item peculiaris quorundam proclivitas ad hunc affectum, quorum oſcula venarum in inteſtinis levi negotio ſangvinem emittunt, prout econtra alii ad quemvis attactum ſangvinolentas gingivas habent. Sangvinis quoque nimia redundantia vel conſvetudo effluvii per hæmorrhoides, nares, menſesve poſtmodum ſuppreſſa alium ſibi exitum quærere ſolet.

Cauſæ internæ.

Externæ ſunt: multa comeſtio fructuum citò corruptibilium, imprimis uvarum, quæ in corpore in fermentationem abeunt, ac rodentem aciditatem aſſumunt, melones quoque copioſè ingeſti peculiarem ad dyſenteriam excitandam qualitatem obtinent, uti quamplurimi morte ſua experti ſunt. Adhæc fortiſſima purgantia, ut ſunt euphor-

Externæ.

bium, ſcammonium, colocynthis, mercurius vitæ, eſula, mezereon & ſimilia in nimia doſi vel his quibus non conveniunt, exhibita. confertim humores purgando tandem ſangvinem educunt, & ſic hunc morbum producunt; uno verbo quicquid diarrhœam excitare poteſt, hujus etiam morbi cauſa exiſtere valet, cum etiam hic illius prodromus eſſe ſoleat. Denique etiam aër per contagium ſemen hujus morbi ab uno ad alterum transferre ſolet.

De hoc affectu loquitur etiam Hippocrates in ſequentibus aphorismis:

Dyſenteria eſt affectus ætatis virilis. lib.3.aph.30
Ac morbus autumnalis. 3. 22
In ſiccitatibus eſt popularis. 3. 16
Hyemi ſiccæ & aquiloniæ, verique pluvioſo & auſtrali, proximâ æſtate ſuccedit. 3. 11
Sequitur diarrhœam. 7. 75
Terminatur in lienteriam. 7. 76
Fit à tumoribus ulcerum rubicundis in antica corporis parte exiſtentibus, & repente evaneſcentibus. 5. 65
In mania ſuperveniens conducit. 7. 5
Nec non ſpleneticis morbis. 6. 48
His tamen diuturna exiſtens terminatur in hydropem. 6. 45
Vel lienteriam lethalem 6. 45
Prægnantibus tenesmus parit abortum. 7. 27
In diuturna dyſenteria faſtidium cibi, malum. 6 3
Et cum febre pejus. 6. 3
A ſincera dejectione dyſenteria, malum. 7. 23
Et ab atra bile lethalis. 4. 24
In ea caruncularum excretio, mortiferum. 4. 26
Senibus & pueris dyſenteria magis exitioſa, quàm mediæ ætati 2 progn.
Excrementa ramentoſa lethalia. 2. præſ. 23

Prognoſin quod attinet, ea majori ex parte in citatis jam aphorismis continetur, præterea tamen etiam hæc prognoſticari poſſunt: quod nimirum malo in ſuperioribus hærente inteſtinis graviora accerſat ſymptomata, præcipuè autem faſtidium cibi ingens nauſeamque plerunque febre junctam, inſomniam ac immanes dolores, unde vires citò dejiciuntur. Longè etiam inſanibilius eſſe quàm ſi craſſa affecta ſint, patet etiam ex Hippocrate dicente: *Si tenue quoddam inteſtinum fuerit diviſum, non coaleſcit*, ob venarum nimirum copiam, & quod chylum nondum excoctum vehant atque ideò ad ulteriorem corruptionem tendentem, ex quo etiam ſubjectam ſibi continui ſolutionem ſimul corrumpit; difficillimæ ergò hæc ulceratio fit ſanationis. & imprimis juxta Ætium in jejuno exiſtens, in inferioribus autem curatio facilior eſt, ac in recto ac colo non adeò difficilis. Temperamentum quoque unum præ altero curam faciliorem vel difficiliorem efficit, ſangvineum enim omnium minimam difficultatem faceſſit, majorem phlegmaticum, atque etiamnum graviorem bilio- Prognoſis.

bilioſum & imprimis in ſummo gradu exiſtens, cujus bilis porracea eſt, atrabiliarium verò omnem ſpem adimit, cum dyſenteriam cancroſam, gignat, quod indicare voluit Hippocrates, *ſi ab atra* (inquiens) *bile dyſenteria incipit, lethalis.* In ætatibus etiam ea quæ magis robuſta eſt, minus periclitatur, ut eſt media ætas, at puerilis cum adhuc ſit tenera, ac citò diſſolvatur, adhæc quoque ratione uti ac præceptis obtemperare neſcia, nec non ſenilis cum parum ipſi ſangvinis ſuperſit, & ſi illud paucum etiamnum exhauriatur, neceſſariò brevi intereat, ideò non poſſunt non plus aliis periclitari, magisque fœminæ viris, cum & hæ viribus inferiores ſunt, quod tamen non ſemper eventui reſpondet, non paucæ enim fœminæ licet valdè debiles videantur, diutius viris vivunt, & è gravioribus morbis evadunt, cujus cauſam eſſe putamus, quod fœmineus ſexus plus morbis aſvetus ſit, & ſucculentior frigidiorque proprium adverſus internas inflammationes (quibus viri calidiores & ſicciores magis quàm ipſo morbo exareſcunt) refrigerium penes ſe geſtet.

Curationis ſcopus. Curationem moderni practici inſtituunt per purgantia, alterantia & topica, eaque in parva quantitate, eò quod dyſenterici nec copiam cibi nec potus, nec medicaminũ ferant.

Pro purgante utuntur rhabarbaro exhibentes ejus ℈ij. vel iij. ita in ſubſtantiâ pulveratâ, alii verò prius aliquantulum torrent, at melius eſt hoc modo:

Potio ex rhabarbaro.

℞. rhab. opt. ʒij.
aquæ burſæ paſt. ℥iiij.
infundantur ſimul per horas IV. Poſtea defunde hanc aquam & pulverem rhabarbari aliquantulum exprime, affunde rurſus alias ℥iij. recentis aquæ laudatæ per noctem, manè adde colaturæ expreſſæ ſyr. roſar. ſolut. ℥ſ. f. potio.

Angelus Sala unicè commendat hoc vomitorium:

Vomitorium Salæ.

℞. ſalis vitrioli ʒſ. vel ʒj.
ſyr. de betonic.
aquæ beton. an. ℥j.
aq. cinamom. ʒX.
m. pro una doſi.

Expurgata ſic causâ materiæ morbificæ progrediendum ad ſpecifica, atque etiam in his qui jam aliquandiu fluxum paſſi ſunt, in his enim ulteriori purgatione non eſt opus, quinimò Keslerus graviter invehit in eos, qui ullo modo dyſentericis purgativa exhibent, dicens hunc morbum eſſe malignum inſtar peſtis, & tantummodò roborantibus indigere, ſvadetque ut ℥ſ. theriacæ Andromachi & ʒſ. vitrioli martis invicem ſubacta emplaſtri modo inducantur panno, & umbilico imponantur, toti verò ventri aluta obducta rob ſambucino leniter ſuperligatur & geſtetur, donec ſponte exſiccetur, ab infra quoque per ſellam perforatam fiat ſuffumigatio pulvere ſuccini, ac patientem brevi melius habiturum.

Emplaſtrum.

Nos verò tam ad dyſenteriam quàm reliqua ventris profluvia plerunque felici cum ſucceſſu utimur

mixturâ præcedenti capite laudata ex theriacâ & lap. hæmatit.

Si huic nòn cedit, adhibemus inſuper alias experimentales machinas, quarum hoc non eſt ultimum:

Experimentum

℞. fruſtulum ligni vulnerarii ſeu fraxini, intinge illud excrementis cruentis, ut undique cruore & ſanie obducatur, tum infige illud in fruſtum lardi, & abſque extractione in eo infixum maneat, donec æger convaleſcat, melius fortaſsè operaretur ungventum armarium, at cum & hoc ex voto operetur, in eo hactenus acquievimus.

Aliud.

Adhæc quoque ſubinde ordinamus, ut pingvedo è lardo recenti alicujus majalis ad ignem aſſato exſtillans ita per ſe calens ſorbeatur, doſis pro infante eſt exiguum cochlear plenum, pro adulto duo cochlearia.

Interdum pueri adeò refragarii & immorigeri ſunt, ut planè nihil per os illis exhiberi poſſit, in ejusmodi caſu ſequens cum ſalute applicatur:

Aliud.

℞. herbæ perſicariæ lingvam guſtando inſtar piperis urentis unum vel alterum manipulum, contunde eam in mortario, affunde ſimul vini rubri ſtiptici, in quo ignitus chalybs aliquoties ſit reſtinctus, coque ea in pultem, & in modum cataplaſmatis regioni renum calidè ſuperpone, ibi per tres horas relinque, deinde ablatum in fimum humidum ſepeli, aliamque partem ejusdem recentis cataplaſmatis ſuperpone, & ut prius procede, & brevi dyſenteria ſanabitur.

Aliud.

Experti etiam cum ſalute ſumus pomum cydonium vel pyrum cum cera alba & maſtice aſſatum, cujus & Author meminit, plura recenſere ſuperſedemus, cum egregia multa doceat Authoris

TEXTUS.

IN dyſenteria proprietate (cæteris omninò obſervatis, quæ in cruenta dejectione neceſſaria ſunt) ſpecificâ unicè juvant:

Specifica.

Eſſentia ſmaragdi

I. *Eſſentia ſeu tinctura ſmaragdi, quæ fit hoc modo:* ℞. *particulas ſeu recrementa ſmaragdi (℈j. vænit 4. vel 5. baziis) tere (non in mortario niſi ferreo) in pulverem tenuiſſimum ſuperporphyrio, ſuperfunde urinam puerorum ſimplici deſtillatione paratam, & in loco calido tincturam extrahe, quam toties affuſo menſtruo recenti collige, quoties illa in idem mittitur. Tincturas omnes collectas & filtratas, ablato per deſtillationem menſtruo, reduc in pulverem griſeum, quem de novo cum ſpiritu vini extrahe in ſummam viriditatem. Spiritu vini denuo ablato ad aliqualem conſiſtentiam relinquitur eſſentia vel tinctura ſmaragdi in fundo, cujus gr. ij. iij. IV. ad VIII. vel X. in aqua plantaginis, tormentillæ &c. exhibita omnes dyſenterias miraculosè ſiſtit, & ventriculum roborat.*

NB. *Spi-*

NB. *Spiritus vitrioli non detur, præcipuè ſi exulceratio adſit.*

II. *Eſſentia croci martis* (a) *à Crollio deſcripta.*

Specificum dyſentericum ex marte.

(a) Eximium quoque ex marte dyſentericum paratur hoc modo: ℞. ſpiritum ſalis communis vel nitri à ſale communi decrepitato per deſtillationem abſtractum, ſolve in eo limaturam chalybis vel communis ferri q. p. ſolutionem filtra, ac deſtilla per retortam vel alembicum ad ſpiſſitudinem mellis. Facto hoc ℞. ſacchari Saturni q. p. ſolve in aqua communi, vel quod melius in phlegmate aceti deſtillati vel in aqua communi, cui parum aceti deſtillati admixtum ſit, ita enim ſacharum Saturni melius ſolvitur, in aqua ſimplici autem ſolutum magna pars ſachari S. præcipitatur ad fundum vaſis in ceruſſam, ſolutum ſacharum Saturni filtra, poſtea infunde in hanc ſolutionem nonnihil ſpiritus ſalis communis vel nitri rectificati, tunc præcipitatur ad fundum vaſis pulvis albus, cujus & ſupradictæ mellaginis martialis recipe ana partes æquales, inde ea ſimul in retortam vitream, atque per gradus abinde omnem humiditatem abſtrahe, aucto demum igne ad candorem usque, ac circiter per dimidium horæ materiam in igne candente detine, ſic omnes ſpiritus corroſivi expelluntur, & in fundo remanet materia obſcuræ rubedinis, ſeu ſpadicea, cujus grana VI. vel VIII. per ſe cum aqua plantaginis contra dyſenteriam intrò ſumuntur, vel cum aliis antidyſentericis miſcentur.

III. *Aluminis crudi drachma una in aqua plantaginis ad potandum data dyſenteriam ſolvit.* Alumen crudum.

IV. *Tinctura corallorum grana IV. V. VI.* Tinctura corallorum.

V. *Laudanum opiatum cæteris paribus.* Laudanum opiatum.

VI. *Aurum potabile Anglicanum (item pulvis ſpongiæ ſalicis, de quo ſupra.)* Aurum potabile Anglicanum.

In dyſenteria cauſa quæ eſt humor bilioſus & fervens infuſione ex rhabarbaro & myrobalanis tollenda, facta infuſione in aqua hordei, ipſoque rhabarbaro fortiter expreſſo ſemel atque iterum factâ repetitione purgantis ad leviter aſtringentia tam extra quàm intra applicanda accedendum, quale imprimis eſt ſequens: ℞. *ſucci baccarum ſambuci q. v. in eum injice micam* (b) *panis ex furno extracti calidam, ut ſuccum imbibat. Hinc iterum in furnum, ut exſiccetur, inde, quo facto iterum in dictum ſuccum immerge, exſiccaque, idque tertiò & quintò repete. Tandem exſiccetur ut in pulverem redigi poſſit, doſis ℥j ſingulis matutinis.* Experimentum

(b) Sumatur dictus ſuccus loco aquæ vulgaris ad depſendam paſtam è farina tritici, ex eâque maſsâ coquatur panis, cum pane autem procedatur, ut hic docetur, & longè optimum remedium obtinetur ad dyſenteriam.

Prodeſt etiam hîc nux moſchata & myrobalani conditi in quantitate aliqua aſſumpta, ſyrupus ribium, berberorum &c. Crollius emplaſtrum ex theriaca & terra ſigillatâ tepidè applicat.

Clyſter. *Injiciatur quoque clyſter ex decocto anodyno chamomillæ, anethi, & roſarum, in quo diſſolve ſevum hircinum ab ℥ſ. ad ℥j. cum ovi vitello diſſolvendum, ne cohæreſcat.*

Quòd ſi malum ad ſtatum & incrementum pervenerit, convenientiſſimum remedium eſt, in principio miſcere clyſterem ſequentem, quem ſæpius reiterare convenit. Nam ſi materia pauca ſit, ſolis interdum id genus enematibus, adhibita jam dictâ purgatione curatur morbus.

Alius clyſter. *℞. lactis uſtulati ſeu chalybeati ℔iſ.*
mellis roſati ℥iij.
vitellorum ovorum n. ij.

f. clyſter. quòd ſi careas lacte, ℞. aquam hordei, in qua folior. chamomillæ & roſarum an p. ij. in cocta ſint, aut loco dicti decocti hordei capiat capitum vervecum, imprimis ſi dolor magnus adſit: poſtea ad ea quæ vim habent conſtringendi, & ſimul refrigerandi enemata properandum, quale imprimis eſt ſequens:

Enema refrigerans & aſtringens. *℞. herbæ centinodii*
burſæ paſtoris
plantaginis an. m. j.
ſummitat. tapſi barbati
equiſeti an. m. ſ.
& ſi fortius deſideras, adde
balauſt. m. ſ.
myrtyillorum ℥ij.
ſem. plantag.
portulac. an. ʒij.
flor. roſar. p. ij.

coque in ſ. q. aquæ hordei ad ℔j. aut ℔iſ. in decocto diſſolve mellis roſati colati ℥ij ſach. rubei aut roſacei ℥j. f. clyſter, qui ſæpius injiciendus, & nonnunquam cum præſcripto adſtringente permutandus.

Interius per os exhibeantur ſyrupi aſtringentes, opiata, condita, & conſervæ. Præſtat conſerva radicis ſymphyti cum terra ſigillata & ſale corallorum. Præſtat etiam poſt abſterſionem ſæpius exhibere doſin laudani opiati mei. Hoc nimirum ad omnem alvi fluxum evacuatâ prius materiâ tutò exhibetur, magnoque cum fructu. Aut exhibeatur potio cardiaca, quæ

℞. theriacæ recentis aut mediæ ætatis Potio cardiaca.
confect. alkermes an. ʒſ.
trochiſc. de carabe
de terra ſigill. an. ʒſ. ad ʒj.
ſyr. rib. aut violar ℥j.
de roſis ſiccis ℥ſ.

m. capiat hora ſomni aut poſt meridiem.

℞. con-

℞. confect. alkermes
d. hyacinth. an. ℈j.
trochiſc. de carabe ʒj.
aq plantagin. ℥j.
ſyr. roſar. ℥iſ.
f. potio.

Aut bolus ex confectionis de hyacintho ʒiſ.
terræ ſigillatæ aut boli armeni aut
trochiſc. de carabe ℈iſ.
cum ſacharo f. bolus.

Exterius inungantur oleo myrtillorum & cydoniorum ana Aut fiat ex herbis ſequentibus decoctio, quâ fomentetur venter & renum regio.

Fomentum.

℞. plantagin.
centinodii an. m. iiij.
fol. ſymphyti
equiſeti an. m. ij.
gallarum
nucum cupreſſi
glandium quercuum an. ℥ij.
flor. roſarum
verbaſci an p. iij.

Decoque in aqua pluviali & vino aſtringente, addito ſub finem coctionis pauco aceto, aut inungatur venter inferior ungvento Comitiſſæ, aut ungvento ſtiptico Fernelii: applicetur emplaſtrum de maſtiche, ol. cydon. an ℥j. pulvere myrtyllor. ℥iij. proſunt etiam hîc lapidum pretioſorum ſolutiones & perlarum.

Emplaſtrum.

Crura laventur decocto ſequenti:

Decoctum pro pedilavio.

℞. gallarum immaturar.
nucum cupreſſi an. ʒiſ.
rad. filicis
calcatrippæ an. ℥ij.
fol. plantagin.
tapſi barbati an. m. j.

Coque in vino adſtringente, cum decocto laventur crura manè & veſperi.

Cum corpus ſatis purgatum clyſteribus dictis, offeratur infuſio rhei cum rheo toſto:

Infuſio rhei toſti.

℞. rhabarbari parum toſti ʒj.
infunde cum myrobalanorum citrin. ℥ſ.
ſantali citrin. ℈ſ.

In ſero lactis aut aquâ endiviæ, exprimantur, expreſſo adde
rhabarbari torrefacti ℈iſ.
ſyr. capill veneris ℥j.
capiat manè.

Hinc ad ea quæ fluxum planè ſedant, accedendum, in quo ſequentia medicamenta primas tenent: ℞. gummi Arabici & ceræ albæ an. ʒſ. includantur in pyro aut malo cydonio alicujus magnitudinis, quod in cineribus vel ad ignem aſſetur, ut optimè molleſcat, exhibe manè & veſperi, quoties viſum fuerit. Non incommodum quoque fuerit ſæpius cum vino rubro aſtringente, aut cum vino granatorum exhibere ſupradictos

Experimentum

dictos panes cum ſucco baccarum ſambuci confectos.

Aliud certum.

Experimentum aliud certum, ſi juſto tempore, præcipuè, ubi exulceratio mundata, & jam conſolidanda eſt: ℞. *pomum cydonium vel aliud acidiusculum, excavetur ſuperiori parte, & expleatur cerâ albâ raſâ, & gr. iij. maſtichis, iterumque claudatur & involvatur ſtupæ, & aſſetur in cineribus, pomum aſſatum detur horâ unâ ante cibum, & mira operabitur.*

℞. *Carnis cydoniorum q. ſ. cum roſis rubris & vino rubro chalybeato, & applica ventri inferiori, ſummum arcanum eſt in hoc affectu.*

Crocus martis.

Crocus martis (c) *limatura martis ſeu chalybis primò urina pueri, deinde liquore ſalis, ſeu aquâ dulci, in qua ſal marinus ſit ſolutus, aſperſâ exedatur totâ humectata ſubinde nonnullis infuſionibus aceti tartariſati, acetum evaporet, ejus ſubſtantia reſidua forti calcinatione in pulverem rubicundum impalpabilem convertatur, quem aquâ pluviâ & roſarum ablues & exſiccabis. Hujus* ℞. ℈ſ. *ſeu* ℈j. *in dyſenteria & ſangvinis profluviis & obſtructionibus: ab extra in hæmorrhagia deſperata.*

Crocus martis nobiliſſimus.

(c) Crocus martis longè optimus fit è vitriolo martis, illud autem vitriolum paratur è limaturâ ferri ſolutâ in unâ parte olei vitrioli & quatuor partibus aquæ communis, fitque ſolutio viridis, quæ calida filtratur, refrigerata enim ægrè per filtrum tranſit, & in calore evaporatur, donec cuticula appareat, tum hæc remanentia in frigore reponitur, & concreſcit vitriolum viride dulce, quod in ſartagine ſuper prunis calcinatur continuè agitando, donec obſcurè rubeat, ſic nobiliſſimus habetur crocus martis, aliisque modo quocunque confectis multum anteponendus.

Oleum croci martis.

Ejusdem uſus eſt oleum croci martis, cujus proceſſus ſequens eſt: Crocum martis cum urina pueri forma in maſſam, quam per retortam deſtilla more ſpiritus vitrioli, & proveniet oleum rubrum & aliquantulum ſpiſſum, quod ſi per dies aliquot vel ſub fimo digeres, vel in cineribus circulabis, ad intrinſecos morbos egregiam operam præſtiteris. Uſus idem qui croci, doſis minor croco gutt. IV. vel V.

Sulphur Solis.

Sulphur Solis: hoc à proprietate ſuâ fixâ ſulphuri microcoſmico diſſoluto maximè confert, & in hunc modum paratur:

Solvens auri.

℞. *nitri & ſalis communis ana q. v. (v. gr.* ℔ *iſ.) boli communis* ℔ *VI. deſtilla ex eis ſ. a. oleum, veluti deſtillas oleum ſalis communis. Hoc oleo ſolve aurum prius amalgamatum, & admixtione*

florum

florum ſulphuris calcinatum (ut infra dicetur) ſeu pulveriſatum in matracio in cineribus poſitum, affuſo oleo deſtillato ad eminentiam duorum digitorum, aut ad ℥j. auri additur ℥ſ. ſpiritus ſalis dicti. Tincturam (d) *ſepara, & ſpiritum usque ad ſiccitatem ſæpius inde evoca per deſtillationem, ipſa auri ſolutio remanebit in fundo rubra. Huic ſuperfunde ſpiritum (oleum) vini, & tincturam ſecundum artem extrahe, ſpiritum tinctum deſtilla ad oleoſitatem. Hujus guttæ V. vel VI. in vehiculis convenientibus datæ fluxum ventris ſiſtunt, & ventriculum corroborant.*

Amalgama & calcinatio auri:

℞. partem unam auri, & partes ſex mercurii vivi f. ſ.a. amalgama, quod in crucibulum ponatur, & evaporetur omnis mercurius, pulvis relictus cum novo mercurio ejusdem doſis amalgamatur, idemque mercurius exhalet. Eadem amalgamatio repetatur. Hinc adde partes duas florum ſulphuris, in crucibulo detineatur in igne, donec ſulphur omne exhalet & deflagret. Idem labor ſextâ vice repetatur.

(d) Senſus eſt ut ſpiritus ſalis tinctus defundatur, ac deinde aliquoties deſtilletur ſeu cohobetur, tandem ſpiritu ſalis ad ſiccitatem abſtracto, remanentiæ in fundo ſpiritus vini tartariſatus ſuperfundatur, ut tincturam ſeu ſulphur ſolis extrahat, remanente corpore auri griſeo in fundo, ſpiritus vini coloratus usque ad aliqualem ſpiſſitudinem ſeu oleoſitatem abſtrahitur. Diverſa autem menſtrua ita colorem auri extrahunt, atque corpus albicans relinqvunt, quod fuſione in metallum album inſtar argenti reducitur, at ſi per antimonium fundatur, etiam colorem ſuum aureum recuperat, ita ut denuò per ejusmodi menſtruum extrahi poſſet. Menſtruum tale quod ſulphur ſolis extrahit, eſt ipſe ſpiritus ſalis communis, ſi cum æquali parte ſpiritus vini rectificati aliquoties cohobetur. Obſervavimus quoque quod ſpiritus vitrioli Philoſophicus ſi aliquot guttis ſpiritus nitri acuetur, folia auri extrahat, ut planè albicent, & ſi diutius in menſtruo remaneant, tandem penitus liqueſcunt absq; ulla menſtrui actione notabili, uti aliàs menſtrua ſuam operationem bullulis & ſtrepitu oſtendunt, communicatione etiam ſequentem modum pro extractione ſulphuris ſolis accepimus, quem quidem nondum experti ſumus, ſed uti accepimus, viciſſim communicamus:

℞. vitrioli calcinati & nitri anâ q. v. deſtilla ex eis more communi aquam fortem, cujus ℔j. ſuperfunde ℥ij. cinabaris pulveriſatæ, atque ab ea deſtilla in arena. Usque ad aſcenſum ſpirituum, ſeu rubedinis, phlegma deſtillatum pende, ac loco ejus tantum ponderis ſpiritus vini rectificati accipe, infunde eum in vas re-

cipiens, injectâ quoque ℥j. ſalis communis, ac tum ſpiritus dictæ aquæ fortis lentè in hunc ſpiritum vini deſtilla, tunc paratus eſt ad extrahendum ſulphur ſolis.

Communicator quoque affirmabat ſe accepiſſe vitrioli & nitri ana ℔j. & evaporato phlegmate mox addidiſſe ℥ij. pulveris cinabaris, ac cuncta in pulverem contriviſſe, ac deinde leniter ex eis aquam fortem deſtillaſſe, eique tantundem ſpiritus vini rectificati admiſcuiſſe, atque hanc mixturam calci auri ſuperfudiſſe, ac obturatum vitrum per quatuordecim dies ſuper arena tepente reliquiſſe, & intra hoc tempus menſtruum rubro colore tinctum eſſe, ſolutionem hanc coloratam ſe deſtillaſſe, & pulverem coccineum in fundo manſiſſe. Calcem autem auri, unde rubedo extracta fuiſſet, manſiſſe griſeam, & poſt ablutionem lapidi lydio aſtrictam fricaturam inſtar argenti feciſſe.

Non ſine fructu quoque in hoc malo ſudor provocetur cum terra ſigillata & lapide bezoar.

Afferunt quoque non levem opem cucurbitulæ umbilico & ilus affixæ.

Potus ſit aqua hordei, in qua CC. coctum ſit.

Dyſenteria in ſuperioribus inteſtinis ſi fuerit, plerunque lethalis eſt, ſimul ob conſenſum evomente aut ſingultum patiente ventriculo. Poteſt tamen ius remedius curatio tentari, exceptis enematibus, quæ aut nulla aut pauca eſſe debent, aſſumpto per os lacte cum melle aut ſacharo roſaceo ratione abſterſionis, & cæteris neceſſariis ſupradictis exhibitis.

Quod ſi ab intemperie calida acres humores generentur ab epate, & dyſenteria hoc modo foveatur, ungatur epar cerato ſantalino ℥iiij. ol. nymphea, roſarum an ℥j. camphoræ ℈ſ. aſſumanturque quæ intemperiem alterant. Ungventum hepaticum.

CAP. CXIV.

DE TENESMO, *Germ.* Zwang zum Stulgange.

TEneſmus vel tenaſmus eſt affectus peculiaris recti inteſtini, excitans in eo vehementem tenſionem & aſſiduam per ſeceſſum excernendi cupiditatem, inanem tamen, cum dolore dicti inteſtini, nihilque aliud videtur eſſe quàm ſpecies quædam dyſenteriæ, ab ea tamen loco affecto differens, ſemper enim recto tantùm inteſtino accidit, idque ad dejiciendum laceſſit, nihil verò vel perexiguum mucoſumque cruentum vel bilioſum excernitur, cum econtra dyſenteria perpetuò in omnibus inteſtinis concieatur. Teneſmus quid?

Agnitio & dignotio hujus affectus ex hisce ſignis eluceſcit: patiens eo correptus aſſiduâ egerendi cupiditate afficitur, quemadmodum enim ſtrangurioſi ſæpè mingere deſiderant, Signa

derant, ita teneſmici excrementa ventris deponere, nihil tamen vel ſaltem exigua, mucoſa, cruenta variè colorata, nempe flava, viridia, albicantia excernunt, ac ferè eadem ſymptomata patiuntur quæ in dyſenteria affligere ſolent, nimirum acerbos dolores, ac vigilias, in ſpecie autem ſtranguriam, quæ ſemper in teneſmo adeſt, ob conſenſum veſicæ recto inteſtino adjacentis, quæ eo inflammato,& ab inflammatione intumeſcente comprimitur,atque etiam à calore vicino ſimul afficitur, vel urinâ repleta etiam inteſtinum premit & dolorem infert, unde deſidendi cupiditas augetur, cum ergò alternatim una pars alteram moleſtiâ afficiat, hinc teneſmus ſtillicidium urinæ, & hoc viciſſim majorem deſidendi cupiditatem, & cum eâ aliquando exitum inteſtini recti ſeu procidentiam ejus excitat, eò quod muſculi, quorum officium eſt surſum retrahendi, continuo dolore & retrahendi conamine nimium defatigantur,demumque quarundam fibrarum reſolutionem ſuſcipiunt, & attractionem dimittunt, tum quoque delapſu humiditatis relaxatio fit. Excrementa initio pingvia & pituitoſa ſunt, procedente verò tempore etiam ramenta quæpiam continere videntur.

Cauſæ. Cauſæ eædem ſunt, quæ dyſenteriæ, quatenus exulcerationem in inteſtino recto parere queant, & quicquid expultricem hujus inteſtini nimium proritat, ſive dyſenteriam præcedat ſive ſuccedat; plerunque enim teneſmus dyſenteriam antecedit, ac nonnunquam etiam eam ſequitur,cum aliqua exulceratio relinquitur, ſuppeditans acrem ſaniem, inteſtinum vellicans, quibusdam etiam ab acrioribus purgantibus medicamentis generatur,in aliis à nimium calido jecinore, item ab abſceſſu aliquo in inteſtino naſcente, ſuâq; inflammatione teneſmum cauſante. Hæmorrhoides quoque interiores, vel excrementa nimium indurata,imprimis ſi corpuſcula dura deglutita vehant, qualia ſunt ſemina fructuum,oſſicula ceraſorum, baccarum & ſimilia, vermes, aſcarides, humores acres; item ſi quis ſuper lapide frigido ſedeat, vel aliàs eas partes valdè perfrigeret.

Signa cauſarum. Signa cauſarum tam ex dejectis quàm relatione ægri habentur, ſi enim eſt ab ulcere aliquo, ſanies vel ſangvis in dejectione ſe offert, cum dolore acuto & aliquandiu poſt excretionem morſivo, ſi ab apoſtemate,inflammatio & pondus cum ſævo dolore percipitur, excrementa ſunt ſicciora, ac febris ægrum detinet, ſi ab hæmorrhoidibus, vel propter rhagadias, patiens eis antea obnoxius fuit, præceſſeruntque vel etiamnum adſunt. Si à dyſenteria vel diarrhœa,ea præceſſit,non ipſam tamen dyſenteriam eſſe, præcipuè hoc ſigno dignoſcitur, quod in teneſmo cupiditas egerendi ſit aſſidua, in dyſenteria autem interpolata, & non tam vehemens nixus ut in teneſmo.

De hoc affectu loquitur Hippocrates in ſequentibus aphoriſmis: *Mulieri prægnanti teneſmus*

 ſuper-

ſuperveniens facit abortum. lib. 7. aph. 27

Rectum inteſtinum inflammatum facit ſtranguriam. 5. 58

Progno-ſtic. Prognoſin quod attinet, teneſmus neque inter acutos nec chronicos morbos refertur, nec periculoſus habetur, cum haud difficulter ſanetur, & per ſe mortem non inferat, attamen cum febre vel dyſenteria complicatus periculo & difficultate non vacat, moleſtis enim vigiliis torquet, & quandoque in tabem conjicit. Quando ab acribus humoribus vel bile ortum ducit, facilè in dyſenteriam mutatur, à ventoſitate autem in ileum vel colicam, vel cephalalgiam graviſſimam, ſi quoque ſingultus diutinus coincidat, ægro mortem portendit.

Curatio. Curatio pro cauſarum diverſitate inſtituenda eſt, in plethoricis & concurrentem inflammationem habentibus vena ſecatur, ac enema refrigerans inflammato inteſtino infunditur hoc modo confectum:

Enema refrigerans.
℞. hordei integri m. j.
fol. plantag.
ſymphyt. maj. an. m. ſ.
roſar. ſiccar. m. j.
aquæ commun. ℔iſ.
coqvantur ad ℥XV.
colatur. expreſſæ ℞. ℔j.
ol. roſac. ℥iij. f. clyſter.

Si inflammatio admodum urgeat, fiat ſic:

Aliud.
℞. decocti hordei ℥VIII.
ſucci nymphææ
plantag. an. ℥iſ.
mucaginis pſyllii aquâ roſar. extr. ℥ij.
ol. roſ. ℥iiſ.
m. f. clyſter.

Conducit quoque valdè parare talem inſeſſum:

Inſeſſus.
℞. rad. althææ cum toto
fol. malv.
verbaſc. an. m. j.
flor. chamomill.
verbaſc. an. m. ſ.
ſem. lini ℥IV.
aniſ.
fœnic. an. ℥j.
coqvantur in ſ. q. aquæ, fiatque inſeſſio umbilicotenus

ungantur quoque pecten, ingvina, interfœmineum & circumjacens regio ani oleis refrigerantibus calefactis tamen, ac nihil actu frigidi applicetur, etiam in cauſa calida, uti ſunt ol. nymphææ, papaveris, roſac. mucag. ſem. pſyll. aquâ roſar. extract.

Clyſter in cauſa frigida. In cauſa frigida f. clyſter è jure caponis vel gallinæ ad ℔j. caſſiæ extr. ſach. rub. an. ℥j. benedict. laxat. ℥ſ. ol. chamæm. anethin. an. ℥iſ. ſalis gemmæ ʒj.

Convenit ſimul inſeſſus ex herbis calidis, ut ſunt abſynth. rut. puleg. orig. ſem. aniſi, fœnic. anet. fœnugræc. lin. &c.

Si ſit à vitioſis humoribus, leniter purgandum.

Si ab induratis fæcibus, nihil purgantis per os exhibeatur, niſi prius fæces per clyſterem emollientem ſint eductæ, aliàs periculum futurum eſſet, ne purgans ob denegatum tranſitum ab inferioribus partibus ad os traheret, & ægrum interficeret. Vitentur etiam in tali caſu omnia

omnia acria in enematibus, aliàs fæces etiamnum magis indurant.

Conveniunt quoque in hoc affectu ferè cuncta antidyſenterica, plura habet

TEXTUS.

IN teneſmo externè valet decoctum foliorum quercus cum furfure in aqua chalybeata vel extinctionis ferrariorum factum & in ſacculis vel inſidendo vel applicando calidè uſurpatum.

Clyſter. *Mirabilis quoque eſt in hoc caſu clyſter ex jure carnis vervecinæ cum olei ceræ guttis aliquot ad ℥j. injectus.*

Oleum maſtichis confert. *Ad intra olei maſtichis guttæ aliquot exhibentur in aquâ menthæ, plantaginis, pulegii. Subitò teneſmum ſolvunt; eſtque ventriculo gratum, inteſtinis non inimicum: præterea quicquid dyſenterias curat, imprimis teneſmum ſiſtit.*

In purulentâ excretione dolorificâ enema ex lacte & oleo olivarum ana vel butyro recenti (poteſt etiam addi radix ſymphyti) tam ad abſtergendum quàm conſolidandum præſtat. Ubi tamen ad majorem abſterſionem aliquid mellis ab initio miſcendum eſſe memineris, (a) *nihilominus interim quæ emolliunt, doloresque ſedant, negligenda non ſunt, vide infra in morbis meſenterii.*

(a) Tam interno uſu quàm in clyſteribus etiam apprimè convenit balſamus ſulphuris.

CAP. CXV.

DE DYSENTERIA HEPATICA, *Germ.* die Leber-Ruhr.

QVamvis hic fluxus ad dyſenteriam non pertineat, quia tamen quamplurimi mox poſt dyſenteriam de eo tractant, Author eos imitari voluit. Vocatur fluxus hepaticus vel dyſenteria hepatica, in qua non excernitur cruor ſeu cruenta & purulenta materia ut in dyſenteria, ſed merus ſangvis dilutus, & velut aqua ſangvine tincta, ita ut loturæ recenter mactatarum carnium aſſimiletur, non etiam continuò durat hic fluxus ut dyſenteria, ſed interdum per unum vel alterum diem imò per triduum ſubſiſtit, ac deinde revertitur, maximâ quoque ex parte in fluxu hepatico dolor ferè nullus vel exiguus ſaltem in dextro hypochondrio percipitur, nulla etiam ramenta inteſtinorum prodeunt, ſed ſangvis aqueus nondum perfectè coctus, qui ob imbecillitatem retentricis facultatis hepatis juxta practicos per venas meſaraicas inteſtinis transmittitur, ac per alvum evacuatur. Signa morbi.

Cauſæ hepaticæ dyſenteriæ ſunt: imbecillitas hepatis ex calida vel frigida intemperie, vel vitiatum ejus fermentum ſangvificum ex inordinatâ diætâ. Magni autem momenti eſt internoſcere, an ex calida vel frigida intemperie morbus adſit, Cauſæ.

ſit,

ſit, ut ei convenientia medicamina adhibeantur. Ideò hisce indiciis calida intemperies dignoſcitur: conjuncta nimirum ipſi eſt magna ſitis, bilisque vomitus tam flavæ quàm æruginoſæ, cum conſimilibus dejectionibus. Lingva eſt ſcabra, corpus ſiccum & gracile, jecoris autem ſuccus & ſangvis primo colliqueſcunt quaſi, & in cruentum liquamen reſolvuntur, procedente verò tempore ex ipſa ejus ſubſtantia tandem particulæ in fœdam ſorditiem reſolutæ abſcedunt. Adhæc temperamento calido præditi, ſunt tenuis habitus, hirſuti, iracundi animi, curisque dediti. Frigida verò jecoris intemperies neque multam ſitim excitat, nec bilis vomitum, nec oris & lingvæ amaritiem, nec alvi dejectiones bilioſas, nec fœtoris adeo abominabilis, nec humorum colliquationem, ſed ſangvinem quaſi craſſiorem & ſubnigro ſimilem continent. Reliqvum quoque corporis temperamentum ad frigiditatem accedit.

Prognoſis. Prognoſin quod attinet affectus hic ſemper periculoſus eſt, & plerunque perniciem accerſit, cum enim quælibet profuſio ſangvinis immoderata funeſta ſit, neceſſariò multo funeſtior erit ſimul principale viſcus & officinam ſangvinis exhauriens, cujus tunc reparatio in nullo alio loco poteſt fieri, vita autem ſine eo æquè ſubſiſtere nequit ac lampas absque oleo flammam ellychnii alere, fluxus ergò hepaticus perdurans perniciei certę nuncius eſt, imprimis ex calida hepatis intemperie ortus, febrilis enim ſimul eſſe ſolet, ſuoque æſtu citò colliquativus & putrefactivus, ac putredine ſubſtantiam hepatis deperdens, viresque ac vitam extingvens, eoque magis ſi malignitatem peſtiferam ſimul induat. Qui verò à frigida intemperie proficiſcitur diuturnior eſt, & tandem utplurimum in hydropem inſanabilem terminatur, qui quidem alias quoque ſangvinis deperditiones ſeu hæmorrhagias ſequi ſolet.

Fluxus hepaticus ſpurius. Datur præterea etiam fluxus hepaticus ſpurius cum dyſenteriâ, ſigna habens coṁunia, præterquam, quod torminibus & dolore ventris careat, & absque ramentis & caruncularum dejectione fiat, hic ergò fluxus non eſt adeò periculoſus, ut legitimus, quin imò moderni Practici evincunt, quemlibet fluxum hepaticum in regionibus frigidis vacare periculo, at non in calidioribus, deceptos quoque eſſe antiquos in ejus cauſarum cognitione falſoque nomine, cum nihil aliud ſit, quàm apertio arteriarum ſplenicarum ſive hæmorrhoidalium ſuperiorum, itaque exeuntem liquorem exhibere ſpeciem loturæ victimarum recenter mactatarum, ac mordicationem non inferre, ſed dolorem aliqualem gravativum, palpebrarum inflationem & pedum tumefactionem, cum excrementis crudis, vigiliisque nimiis; Alii volunt eſſe eductionem ſeri ſangvini permixti, ſuâque copiâ nimiâ vaſa relaxantis, quæ ſi meraca absque tamen dolore & exulceratione ſit, fluxum nothum hepaticum conſtituat; quicquid ſit, eſt hæmorrha-

morrhagia interna, ſuâque nimiâ copiâ non poteſt non eosdem demum effectus parere, quæ aliàs hæmorrhagiis ſolemnes ſunt.

Curatio. Curatio ab omnibus inſtituitur per antidyſenterica, additis ſemper ſpecificis hepaticis, utiliter ergò ſtatim exhibetur infuſum rhabarbari & myrobalanorum citrin. tum parentur apozemata & vinum medicatum cum vino rubro ex radicibus biſtortæ, tormentillæ, ſymphyti majoris, foliis equiſeti, burſæ paſtoris, plantag. floribus roſarum rub, balauſtior. & ſimilibus.

Si eſt à debilitate hepatis, addantur quæ hepar roborant, ut ſunt, ſalvia, hepatica nobilis, agrimonia, eupatorium &c. utile eſt ſequens electuarium quotidiè uſurpandum:

Electuarium hepaticum.

℞. conſerv. cichor.
rubr. roſ. antiq. an. ʒij.
mivæ cydon. ſimpl. ℥ſ.
nucis moſchat.
maſtic. an. ʒſ.
ſpec. diatrion ſant.
trochiſ. de carabe an. ℈ſ.
hæmatit. præp. ℈j.
corall. rub. præp. ℈ij.
vitrioli martis ad rubedinem calcinati ʒſ.
cum ſyr. myrtin. f. electuarium doſis magnitudo caſtaneæ omni manè.

Egregiæ quoque ſunt ſequentes tabellæ:

Tabellæ.

℞. balauſtior.
flor. roſar. rubr.
ſem. plantag. an ʒſ.
ſpec. diatrion ſant.
hæmatit. ſubtiliſſ. trit. an. ℈j.
ſachar. roſ. ℥ij.
aq. cuſcutæ q. ſ. f. confectio in tabulis, doſis ʒiiſ. pro vice.

In calida hepatis intemperie uſurpentur hepatica refrigerantia in decoctis & infuſis, ut ſunt rad. ſymphyti major. cichor. & endiv. cum toto, acetoſ. fol. dentis leonis, ſangvinar. plantag. centumnod. ſem. portulac. papav. alb. endiv. & ſimilia, ex. gr.

Julepus.

℞. cichor.
endiv. ana cum toto m. j.
rad. ſymph. maj. ℥ſ.
fol. portulac.
cuſcutæ
dentis leon.
abſynth. Rom. an. m. ſ.
ſantali citrin.
ſem. plantag. an. ʒj.
coque in aq. pluvialis ℔ij. ad tertiæ partis conſumptionem, colaturæ expreſſæ adde
ſyrup. de roſ. ſicc.
d. limon.
d. menth. an. ℥j.
ſyr. corallor. ℥ſ. in f. juleb.

Convenit & hic pulvis:

℞. rad. tormentill.
ſem. plantag. an. ℈ij.
trochisc. d. ſpodio
corall. rub. pp.
hæmatit. præp. an. ℈j.
m. f. pulvis ſubtiliſſ. capiat ʒſ. in ovo ſorbili.

In intemperie frigida conveniunt ſimplicia hepatica calefacientia ut ſunt: abſynthium, agrimonia, rad. filicis, ariſtolochia longa, marrub. fumar. chamæpit. ſem. dauci, fœnic. aniſ. & ſimilia, ſpecificum eſt hepar

lupinum

lupinum optimè tritum à ℥ſ. ad ℥j. in ſucco cichor. vel endiv. plura habet

TEXTUS.

IN fluxu hepatico ſeu dyſenteria hepatica nec purgantia nec clyſteres proſunt: adſtringentia autem qualia ſunt rhabarbarum à ℈j. ſenſim progrediendo ad ʒiiſ. in ſubſtantia cum myrobalanis in aquâ plantaginis cum ſyrupo cydoniorum & melle exhibitum Idem cum ſacharo mixtum, & ſæpius datum mirabiliter prodeſt Tale eſt extractum rhabarbari cum ſpiritu vini paratum, cujus doſis ab initio exigua ſit, nempe à ℈ſ. tandem major usque ad ʒj.

II. *Epar corrigentia in hoc caſu ſtudioſè ſunt obſervanda. Sola radix cichorii & graminis in vino infuſa, & ad paſtum duntaxat ſemel atque iterum vino hauſto, & aliquandiu continuatione factâ œconomiam epatis ab innata quadam proprietate juvant (diæta ſit accurata) tandem poſt uſum hujus infuſi aliquandiu continuatum additur infuſum ulmariæ.*

III. *His præmiſſis & continuatis tandem ad aſtringentia jecori & partibus internis amica deveniendum eſt. Omnem abſolvit paginam ſolutio corallorum* (a) *in aceto deſtillato forti facta, ut poſtea menſtruo per deſtillationem ablato relinquantur corallia in forma ſalis. Hoc ſal corallorum ſine ulteriori præparatione (℥ſ. in aquæ plantaginis ℔j.) quotidiè usq; ad declinationem morbi ituro cubitum exhibitum, cochleari ab initio uno, vel duobus, aut etiam tribus deinceps, fluxum mirabiliter ſiſtit, & viribus paulatim redintegratis reſtituit.*

(a) Sequentem corallorum præparationem pro longè optima ad ſiſtendos fluxus ſangvinolentos accepimus: ℞. ſachari puriſſimi, & corallorum rubicundorum ſubtiliſſimè pulveriſatorum ana partes æquales, coque in M. B. cum ſcobe lignea, igne lento, & ſi fortaſſis nimium bulliat, adde tunc aliquid cujusdam aquæ cordialis, nimirum roſarum, cinamomi, meliſſæ, florum citri, atque ſic lentè coquendo perge, fitque tinctura ruberrima, pulvis autem corallorum nigricat, filtra & ſerva, roborat cor & hepar, conducit in morbis uterinis, nimioque fluxu menſium, doſis cochleare unum. Tinctura hepatica.

NB. *Aliquando in hoc caſu, præſertim poſt aſtringentia vel cum iisdem aurum potabile Anglicum potenter aſtrictionem juvat & ſanat.*

CAP. CXVI.

DE LUMBRICIS, *Germ.* Bauch/ oder Spuhlwürme.

VAriis in locis corporis vermes generari poſſe, ex multis obſervationibus notum eſt, nec mirum, quic-

quicquid enim putredinem concipere poteſt, aptum etiam eſt ad generandos vermes, atqui ſubſtantia totius corporis illud eſt, quemadmodum quoque ad extremum totaliter exceptis oſſibus à vermibus exeditur. Verùm nos hîc tantummodò de vermibus inteſtinorum agemus.

Affectus iſte vermicularis majori ex parte puerilis & pueris proprius eſt, quanquam nonnunquam & ſeniores eis infeſtentur, at perrarò illud fit, cum econtra pueris nihil ferè conſvetius & communius ſit vermibus ſeu lumbricis, adeò ut Hippocrates vel ſi alius libri 4. de morbis Auctor ſit, non dubitet aſſeverare, lumbricos non modo latos ſed & rotundos in pueris naſci, dum adhuc in utero ſint, eò quod aliquando cum recens natorum excrementis viſi ſint excerni, quin eosdem vermes etiam alios ex ſe parere, quod & alii nonnulli teſtantur, à ſe nimirum in expulſis per medicamina vermibus obſervatum eſſe, quod nonnulli alios in ventre habeant.

Species lumbricorum diverſæ.

Lumbrici longi & rotundi.

Sunt autem variæ lumbricorum differentiæ ſeu ſpecies, pro varia materiæ putreſcentis conditione, alii enim ſunt teretes & longi, in ſuperioribus inteſtinis nidulantes, è quibus cibo deſcendenti obnituntur, & non rarò ſurſum in ventriculum repunt, eumque moleſtis ſymptomatis afficiunt, è quo interdum aſcendere pergunt, ac per gulam in os ſpatiantur, vel etiam per cavum palati in nares obrepunt. Præter hos etiam ſunt alii, qui lati & breviores ſunt, ſemini cucurbitæ comparati, provenientes vel in inteſtino cœco vel in cellulis coli, atque interdum mirum in modum cohærentes unam ſeriem efficiunt; Alii ſunt perexigui & tenues, itidemque teretes, termitibus putreſcenti carni & caſeis innaſcentibus ferè in omnibus ſimiles, & vocantur aſcarides, habitantes in inteſtino recto ac extremo ſphinctere, ibique ingentem pruritum excitant, atque deponendo alvum copiosè in excrementis ſe moventes viſuntur. Suntque una cum lumbricis longis admodum frequentes, magis tamen in pueris adultioribus, lumbrici verò in minoribus, lati verò ſeu cucurbitini longè rariores.

Lumbrici cucurbitini.

Aſcarides.

Præter has tres ſpecies adhuc quartum genus vermium ſed admodum rarò habetur, qui tæniæ vel teniæ vel tineæ vocantur à ſimilitudine, Græcis enim tenia faſciam ſignificat, qua infantes obvolvuntur, cum ergò hic longus & latus vermis faſciam aliquam repræſentet, illud nomen obtinuit, longitudine enim ſuâ aliquot ulnas interdum æquat, imò extenſus & circumplicatus ſecundum longitudinem inteſtinorum aliquando longior ipſis exiſtit, ſed de eo adhuc inter nonnullos lis eſt, an ejusmodi cohærentia ſit unicus vermis, vel ex innumeris parvis conſtans, ut quidam exiſtimant, eſſe tantummodò ſeriem ſeu conglutinationem quandam plurimorum illorum cucurbitinorum. Aetius verò putat hunc vermem eſſe permutationem pelliculæ intrinſecus inte-

Tæniæ.

inteſtina ambientis ; Hippocrates autem, eum connaſci pueris in utero materno, ac deinde cum eis augeri, de morbis ſcribit.

Hæ itaque quatuor ſortes ſunt ordinarii incolæ inteſtinorum, & ſi interdum etiam in ſtomacho ſe produnt, ex inteſtinis in eum repſiſſe eos autumandum eſt, quanquam Joan. Jacobus Craſtius in ſua epiſtola cent. 2. obſ. chir. Hild. 70. teſtetur, eos quoque generari in ventriculo, plures tamen Anthores graviſſimi id negant, inter quos etiam Helmontius in tract. ſextuplex digeſtio: in hanc ſententiam ſcribit:

Doctrina Helmontii de vermibus.

Lumbricos non generari in duodeno, multoque minus in ſtomacho, imò ſi diutius ibidem perſiſterent, per modum cibi conficerentur, nempe quo fermentum fellis non pertingat, ibi lumbricorum eſſe patriam, fieri enim ex alimento ſemidigeſto, quod dum ad loca ſua delatum ſit, tanquam lac tepidum pelle incruſtetur, palpitetque ac ſenſim vita donetur. Vix enim lumbricos extra vitalem nidum ereptare ſurſum, niſi ob ſibi horridum, ac malæ contagionis obſtaculum, adeòq; vix bonum aliquod præſagire, qui ſponte ſurſum ejiciantur. Lumbricos autem præſupponere fermentum fellis, alioquin enim in cœliaca paſſione continui vermes ſuſcitarentur. Putreret enim ſtatim cremor, niſi fel cremorem ſale ſuo condiret. Aſcarides autem in recto inteſtino circa finem coli provenientes non eſſe lumbricos ex ſubſtantia humana aut cremore genitos, ſed ex putridis quiſquiliis, prout in carne, caſeo, piſcibus, atque ulceribus vermes proveniant, cadaveroſos ergò eſſe aſcarides, non item lumbricos. Deniq; lumbricos eſſe in nobis absque prolificatione, aſcarides verò ſua ova parere; hæc Helmontius.

Cauſæ.

De cauſis vermium Practici unanimes non ſunt, ſed multimodè ab invicem ſentiendo recedunt, præcipuè de cauſa efficiente, quam aliqui calori putredinoſo, alii nativo tribuunt: aliique utrique horum concurrenti, qui calorem putredinoſum accuſant, rationibus utuntur, cuncta inſecta oriri è putredine, contraria pars econtra ratiocinatur, calorem putredinoſum igneitate ſuâ potius vermes diſſolvere & deſtruere, quàm ut ſit generationi corporis viventis idoneus. Reliqui concurrentiam utriusque caloris ſtatuentes, argumentantur calorem putredinoſum materiam diſponere ad generationem vermium, & poſtmodum ceſſare, ita ut quandiu duret, generatio vermis non incipiat, ſed quando operatio ipſius peracta ſit, res enim putreſcibiles prius per putredinem reſolvi in liquamen & quando totum per calorem putrefactivum liquatum ſit, tunc eum remittere, ſeu rurſum frigidiorem fieri, ac mutari in gradum caloris naturalis, qui tunc vermiculationem incipiat.

Cauſam autem materialem ſtatuunt eſſe pituitam dulcem, putredinem concipientem, qua putredine interveniente aptitudinem acquirat, ut in lumbricos convertatur, absque

abſque tamen neceſſitate ut prius fiat pituita, verùm alimenta vermibus producendis apta immediatè putreſcendo in vermes abire poſſe, ſicuti in pomis, caſeis, carnibus aliisque rebus per ſolam putredinem vermes generentur. Verùm hæc non in omnibus ita ſe habent, nihil enim in vermem mutari poteſt, niſi prius ſuccus fiat, quamvis in pomis, nucibus, caſeis aliisque rebus vermes creſcant, illis integris manentibus, punctum tamen illud ubi vermis generatur prius in ſuccum reſolvitur, ac poſtmodum ex ſucco vermis figuratur, qui deinde ſolidam ſubſtantiam pomi, nucis &c. depaſcitur, uti hoc luculenter in verminoſis caſeis & carnibus apparet, quod ſemper ibidem loci, ubi vermes ſuum nidum habent, humida mucilago reperiatur. Quæ mucilago ejusmodi pituita eſt, uti Authores volunt, præterquam quod dulcis nequaquam & nunquam ſit, ſed potius ſemper ſubacida, uti palam fit in vino, è quo acetum conficitur, antequam enim in acetum mutetur, prius penitus vermiculeſcit, ita ut per totum vini ſpacium innumerabilis multitudo vermiculorum appareat, idque ſemper fit, quando levis aciditas incipit, quæ ſi poſtmodum ingraveſcat, & veram aceti acorem induat, tunc omnes iſti vermiculi moriuntur, fundum petunt & ſedimentum illud aceti ordinarium conſtituunt, quod vulgo mater aceti nominatur, unde conſtat generationem vermium fieri à leviuscula & jam jam incipiente aciditate, à perfecto autem acore iterum interfici, quod etiam in caſeis probari poteſt, recentes enim facilè putreſcunt, & vermes proferunt, ſuntque ſaporis & odoris ſubacidi, ſi verò perfectam jam aciditatem caſealem nacti ſint, tunc vermes in ipſis amplius locum non habent, quia acor ipſos interficeret, nam & ipſam caſeorum ſubſtantiam exedit, & in mollem putrilaginem valdè acrem redigit. Cum ergò pueri ob nimiam eorum voracitatem varia alimenta & copioſè ſæpius in die comedant, non expectatâ concoctione priorum, neceſſariò quædam adhuc cruda cum coctis per pylorum in inteſtina labi neceſſe eſt, cruda verò nondum corrupta etiamnum in inteſtinis corrumpuntur, & ſubaceſcunt, & ſic in vivum quid mutantur.

Imprimis autem pueri lactentes, unà cum lacte carnibus cibati, vermibus valdè laborant, eò quod eorum debiliſſimus ventriculus carnem conficere nequeat, in corruptionem ergò abit, & vermes generat, quod non fit, ſi lacte ſolo nutriantur, lac enim citò conficitur, antequam vermes proferre queat.

Signa præſentium lumbricorum varia notantur, non tamen in omnibus ægrotantibus omnia ſimul concurrentia, ſed quædam ex illis in uno, & nonnulla in alio, primo autem ſigna rotundorum lumbricorum ceu communiſſimorum recenſenda veniunt. His itaque præſentibus ægri ingenti ventriculi morſu, ventrisque ac inteſtinorum divexantur. Signa.

Tuſſiculæ ſiccæ ac leviter ſtimulantes eis frequentes ſunt, interdum in ſomno tremunt, vel præter conſvetudinem cum impetu exſurgunt, nec non cum clamore evigilant, ac rurſus indormiſcunt. Nonnulli ſingultiunt, alii lingvam exſerunt, aliis in ſomno ſaliva ex ore profluit, ac per noctem labia habent humida, de die verò ſicca. Nonnulli per ſomnum rixantur, alii clauſis oculis muſſitant, utut non dormiant, ægrèque ferunt ſe excitari. Alii dentibus frendent ac ſtrident, & nunc ſugere, nunc maſticare videntur ſi infantes ſint; quidam interdum pulſu per aliquam moram deſtituuntur, ac perfrigerantur, nec non more syncopticorum tenui quodam frigidoque ſudore perfunduntur, modò maxillis liveſcunt, nunc rubeas obtinent, jam iterum vehementer pallent, nonnullis pulſus quoq; eſt inæqualis vel omninò deficiens, & mox recurrens. Quibusdam etiam appetentia perit, ac inordinatè febricitant; quidam continuò dormiunt, vel anguntur, & ab uno loco ad alium ſe volutant, vomunt, nauſeant. Communiſſima autem ſigna ſunt inflatio ventris inſtar tympani, diarrhœa cinerea, ſeu dejectio ſtercori bubulo ſimilis, vel argillam diſſolutam referens, anhelitus ſubacidus, ſitis inexplebilis, frequens ſcalptio narium, oculorum ſplendor, & in quibusdam ſangvinolenta ſuffuſio, gingivarum eroſio, & corporis macilentia, naſique acuties. Latorum verò vermium præſentia indicatur fame inexplebili, continuoque morſu ventriculi, & niſi ſemper cibus ingeratur, vermes inteſtina morſu rodunt, cibus autem citò excernitur, corpus valdè gracileſcit, imbecillum & tardum redditur. Certiſſimum verò & infallibile ſignum eſt, ſi quædam ſemini cucumeris ſeu cucurbitæ ſimilia cum recrementis prodeant, aſcendunt etiam lati facilè in ventriculum, eumque mordicando syncopen concitant. Aſcaridum verò ſigna ſunt: ingens pruritus in ano, in ſingulis quoque dejectionibus vermiculi in excrementis conſpiciuntur.

De lumbricis loquitur etiam Hippocrates in ſequentibus locis:

Lumbrici rotundi ſunt affectus grandiuſculorum puerorum. *lib. 3. aph. 26*

Ut & aſcarides. *3. 26*

Lumbrici ſub finem morbi cum excrementis deſcendentes nihil nocent. *2. præſ. 18*

Prognoſin quod attinet, quamvis in citatis jam Hippocraticis affirmetur, vermes in declinatione morbi excretos nil nocere, plerique tamen rectè ſtatuunt, nullos vermes boni quid ſimpliciter deſignare, cum perpetuò ex materia putrida in humano corpore generentur, ideòque tam concurrente quàm abſente febre, ſemper malam ſignificationem adducere, & ex ſui natura malos eſſe, ac nec per ſe neque per accidens bonum portendere, multos quoque eorum negligentes ab eis præſertim teretibus exeſos vel in lethalem convulſionem præcipitatos eſſe, quibusdam verò eos ex ingvinibus, aliis per

Prognoſis.

per umbilicum prorepſiſſe, præ aliis autem maximè infantibus, pueris, adoleſcentulis ad pubertatem accedentibus, ac nonnunquam etiam decrepitis familiares & uberes ſint, eò quod hi debilioris ſint fellis, media verò ætas felle abundat, cujus & qualicunque amaritie vermes interficiuntur, juxta practicos autem majores minoribus ſunt pejores, multi paucis, rubri albis, vivi mortuis, quod tamen alii negant, dicentes hoc ſignum eſſe pravæ malignitatis, qua ipſi vermes intereant, vivosque eſſe meliores mortuis, ſi cum febribus exeant, at noſtro judicio tam vivi quàm mortui in morborum principio malum portendunt, nempe ingentem putrefactionem, præſertim in peſtiferis & malignis, in declinatione autem ſignum ſunt roboris naturæ & virtutis expulſivæ, pejores autem ſunt cum febribus quàm ſine eis, putrefactionem enim febrilem magis accendunt, cibi appetentiores ſunt, ac plus morſu infeſtant, febrem & ſymptomata maligna augent, viresque & ſubſtantiam corporis longè citius atterunt, tam enim febris quàm vermes depaſcunt, vermes autem defectu alimenti magis ad quærendum ipſum moventur, magisque inteſtinis infiguntur. Attamen quocunque modo in febribus exeant vel expellantur, ſi quidem morbus & ſymptomata minuantur, bonum erit. Omnium autem minus periculoſi ſunt aſcarides, ac vix unquam nocumentam inferunt, præterquam quod moleſtam in ano pruriginem faceſſant; lati verò ut vult Avicenna, ſi non expellantur, fiunt majores, ac tunc cunctis aliis deteriores.

Curationem practici aggrediuntur catharticis, quæ vim habent vermes interficere, expellere, materiamque putridam evacuare, quod præſtant medicamenta ex rhabarbaro. Curatio.

Pulvis jalappæ ſine ulla alia additione exhibitus ad gran. XXV. expertum eſt, cum additione hoc non facit. Pro pueris ſequens optimum eſt; Experimentum

℞. fol. ſenæ ſ. ſ. ʒVI. Mixtura laxans optima contra vermes.
agaric.
dictamni alb. an. ʒiſ.
zingib. ʒj.
pulveriſentur craſſo modò, & ligentur in nodulo, coque cum ℥ij. prunorum Damaſcenorum in aqua graminis
hyſopi an. ℥VIII.

immiſſo ſimul dicto nodulo, donec dimidium ſuperſit, quod coletur, & nodulus fortiter exprimatur, adde ſachari ℥iſ. vel tria cochlearia plena, hujus juſculi patiens 2. vel tria cochlearia ſorbeat, ac ſimul duo vel tria dictorum prunorum comedat, expellit vermes egregiè, & probè pectus ab infarcta craſſa pituita liberat.

Vel ℞. ſyrup. de florib. perſic. Alia.
diaſercos
d. abſynth. an. ℥j.
ſpir. vitrioli gutt. XVIII.
m. dividantur in tres doſes, & quotidiè manè una exhibeatur.

Foreſtus hoc à nobili Gallo ſibi

 com-

communicatum arcanum prædicat ſummis laudibus:

Arcanũ Foreſti.

℞. ſucci granatorum ℥j.
ol. olivar. ℥ſ.

commixta exhibe pro una doſi, movet aliquot ſedes, multoſque vermes ſimul educit.

Diverſa autem olea lumbricos expellunt: nempe olei ſpicæ gutt. ij. ex vino. ol. de granis citri potum & umbilico illitum. ol. nucleorum perſicorum. ol. hyperici. Oleum quoque ſimplex cum colocynthide decoctum, & toti ventri inunctum efficaciſſimum eſt.

Nos hucuſque ne ſemel quidem absque optato ſucceſſu ſequente uſi ſumus

℞. mercurii dulcis gran. VI. ad XII.
diagrid. vel ſcammon. ſulphurati gran. j. ad iij.

pro ætate pueri, tere invicem ſubtiliſſimè, & pro una doſi exhibe.

Ad tænias decantatur pulvis oſſium humanorum additis granis tribus florum æris, ad ℈j. vel ℈ſ. oſſium pro una doſi, occidit etiam omnes alios vermes. Flores æris ad hunc ſcopum parantur è vitriolo cœruleo, infundendo in illud lixivium ſalis tartari, & præcipitatur pulvis viridis, qui edulcoratus inſervit pro his floribus; plura proponit

TEXTUS.

IN lumbricis è corpore expellendis valent multa, principalia ſunt:

Specifica

1. Extractũ turpethi & rhabarbari.

I. *Extractum turpethi & rhabarbari cum ſpiritu vini paratum; vulgò rotulæ diaturbith cum rhabarbaro idem faciunt, doſis in adultis ab ʒſ. ad ʒj. in pueris a.* ℈*j. ij. iij. &c. pro perſona, non tantùm nimirum lumbricos necant, ſed inſuper etiam è corpore educunt.*

2. Eſſentia florũ perſicorum.

II. *Eſt eſſentia florum perſicorum cum ſpiritu vini extracta, doſ. gran. V. VI. VII. VIII. vel eorundem ſyrupus. Flores ſumantur decerpti, non qui decidunt.*

3. Olei ſulphuris per campanam.

III. *Olei ſulphuris per campanam gutt. IV. uſque ad IX. item oleum coryli per deſcenſum paratum in decocto aliquo, ʒj. vel ʒij. olei ad menſuram 1. decocti. Item cornu cervi uſtum ſine igne, vel ſpiritus cornu cervi.*

4. Sal ſulphuris.

IV. *Sal ſulphuris ex capite mortuo poſt oleum ſulphuris per campanam extractum. Vel aliàs ſublimati flores granis tribus vel quatuor in lacte vel aqua abſynthii.*

5. Aqua cæparum

V. *Aquæ cæparum vel allii aut per ſe aut cum mercurio crudo per noctem infuſa.*

6. Mercurius vivus.

VI. *Præſtantiſſimus eſt mercurius vivus vel per ſe crudus à* ℈*j. ad drachmas aliquot devoratus, vel cum ſucco limonum prius mortificatus (doſis hujus ſit minor, quia mortificatus diutius manet)*

manet) poſtea conſerva roſarum cum aſa dulci, vel floribus ejus mixtus. Compoſitio eſt talis: ℞. *hydrarg.* ℈ſ. *vel* ℈j *alteretur cum ſucco limon. conſerv. roſar.* ℥ſ. *flor. benzoin. ſeu aſæ dulcis gr. ij. m. f bolus.*

Aſcarides. *Ad Aſcarides expellendos inſerviunt jam dicta, nominatim verò aqua acidula, quæ in confectione florum antimonii alborum exigua progreditur, in decocto CC. uſti data ſemel atque iterum. Spiritus eſſentificatus cornu cervi, de quo ſupra de animalculis ventriculi, omnis generis vermes enecat & expellit.*

Tænia. *Tæniæ potiſſimum cauſa eſt obſtructio in cyſta fellis. Purgationibus ſi non cedat, adhibenda ſunt tantùm purgantia ad ſaburram in inteſtinis hoſpitantem, & nutrimentum tæniis ſuppeditantem, explodendam. Deinde venter totus inungendus eſt quotidiè aliquoties, poſt purgantia, fellibus* (a) *jumentorum, vel etiam ungvento de arthanita. Iandem mercurius vivus eſt exhibendus, cujus vires in tænia mortificanda ſunt mirabiles. Extremo loco ad exturbandas tænias vel integras, vel fruſtulatim divulſas laxantia ſunt adhibenda.*

(a) Fella ejusmodi adminiſtrata hunc in modum optimè operantur: ℞. ℥ſ. colocynthid. tritæ, miſce cum felle bovino vel alio & vino albo, & cum ſtupa ventri impone, ſolvit alvum, & vermes quoscunque necat.

Ad latos vermes etiam conducit decoctum centaurii & abſynthii, item radix filicis pulvere tenus aſſumpta à ʒſ. ad ℈iiij. in melicrato, quæ etiam potenter fœtum expellit, forſan ergò quoque ſabina & alia fortiter expellentia eodem modo juvant, Mizaldus etiam pulverem lumbricorum terreſtrium exſiccatorum ad omnes vermes commendat, valet quoque ſuccus piloſellæ cum cereviſia potus.

CAP. CXVII.

DE ANI VITIIS, UT SUNT INFLAMMATIO, ABSCESSUS, EXULCERATIO, FISTULA.

ANus diverſis quoque affectibus obnoxius eſt, eosque ſubinde experitur, cujusmodi ſunt dolores, inflammatio, aliique qui ſequuntur, primò autem de inflammatione Author agit, quæ incipiens eſt phlegmone & abſceſſus, atque in exulcerationem abit, & quandoque in fiſtulam terminatur. Hæc inflammatio fit cum dolore, tumore & febre, rubedinem loci affecti conſpicuam efficit, idque non ſine pulſatione, æſtuatione & ſiti, adeſt quoque difficilis & valdè doloroſa alvi excretio. Phlegmone ani.

Cauſæ ſunt: multa equitatio inſveta, vel copioſus ſangvis præſertim hæmorrhoidalis, & ad anum decumbens; item hæmorrhoides reſtrictæ, duræ, cœcæ, inflatæ, vel Cauſæ.

etiam

etiam reſectæ vel cauteriſatæ, ſive id fiat per cauteria, ſive acria medicamenta. Poteſt id quoque contingere, à lapſu, percuſſione, ſeſſione prædura, refrigeratione, eryſipelate, tumoribusve.

Prognoſis. Prognoſis eſt, quod hæc inflammatio ſuppuretur, rupto autem abſceſſu ulcus producit ſordidum ac purulentum, quod ob loci humiditatem & excrementorum tranſitum vix coaleſcit, ſed brevi in fiſtulam abit, ſordium copiâ calloſam, perpetuò manantem, & ſanationi refragantem, cujus inſanabilitatis plures cauſæ ſunt, præcipuè autem hujuscemodi, quod hæc pars ſenſu vegetiſſimo prædita ſit, & ab acrioribus medicamentis facilimè irritetur, deinde quod locus ſit verendus, ac liberam medicamentorũ applicationem non patiatur, tum verò quod alvi exoneratio inopportunè fiat, & ſanationem impediat. Humiditas quoque & caliditas loci exſiccationem & refrigerationem expoſcens, ex parte tamen ab iisdem læditur, ſiccantia enim & aſtringentia ſimul mordicationem inferunt, ſenſui vegetiſſimo hujus loci permoleſtam, ob humiditatem verò & caliditatem naturaliter ad putrefactionem & apoſtemationem propendet.

Curatio. Curatio itaque maturè acceleretur, antequam in ſuppurationem tranſeat, cujus auſpicatio fit cum clyſtere emolliente, ut fæces duriuſculæ educantur, nulla autem purgantia per os exhibenda, ne materiam deorſum trahendo affluxum humorum ad partem affectam provehant; eductis fæcibus vena in brachio tundatur, ſi plethora adſit, loco inflammato applicanda refrigerantia & leviter repercutientia, cujusmodi eſt vulgare illud lac virginis, cujus confectio ſupra cap. 89. edocta eſt, intinctis duplicatis linteis mundis ſæpè adhibitis, donec omnis calor elicitus ſit, vel coquatur panis triticeus ſive medulla ejus in aqua plantaginis, vel ſolani, poſtea exprimatur, adde non nihil lactis muliebris, & olei roſacei, & cataplasma ex eis confectum ſuperponatur.

Cataplaſma refrigerans.

Vel ℞. ſucci plantag. ℥ſ.
ſachari Saturni ℈ſ.
reſolvantur invicem ſuper calore, adde medullæ panis triticei in lacte caprillo maceratæ, & in mortario contuſæ ℥ij.
album ovi unius, f. cataplasma.

Alvus clyſteribus ſemper detineatur aperta, & ſi prædictis inflammatio non ſolvatur, ſed in ſuppurationem abeat, maturantia applicanda ſunt, ex. gr.

Aliud maturans.

℞. rad. althææ cum toto,
fol. malvæ an. m. j.
ſem. lini
fœnugræc. an. ℥j.
coquantur & contundantur in pultem, add. olei amygd. dulc. & axungiæ porcin. ana q. ſ. f. cataplasma.

Vel radic. lilior. alb. & cæp. alb. coque ad mollitiem, adde ipſis contuſis olei roſ. q. ſ. f. cataplasma.

Rupto abſceſſu & pure educto ulcus mundetur melle roſato in decocto hordei diſſoluto, notandum quoque quod non expectanda ſit ſponta-

ſpontanea ruptio, ſed ſcalpello adjuvanda, aliàs pus diutius retentum adjacentia loca corrumpit, & fiſtulam gignit. Poſt mundificationem conſolidetur emplaſtro triapharmaco, vel apoſtolico, vel hoc ungvento:

Ungventum cōſolidans.

℞. ungv. albi camphorat. ℥ſ.
tutiæ
lithargyr. an. ℈j.
lap. calaminar. ʒſ.
thur.
ſarcocoll.
myrrh.
balauſt. an. ℈ſ.

pulveriſanda pulveriſentur ſubtiliſſimè, & contritis, in mortariolo plumbeo exactiſſimè affundendo ſimul parum poſt parum olei hyperici, donec fiat ungventum fuſcum & juſtæ conſiſtentiæ, quod inungatur, vel panno lineo inductum ſuperimponatur.

Fiſtula.

Interdum ejusmodi ulcus degenerat in fiſtulam ſordidam, omni ſanationi reſiſtentem. Eſt autem fiſtula ani ulcus ſinuoſum ſtricti atque anguſti orificii, intus autem amplæ & ſinuoſæ cavitatis, continuò ichorem ſeu tenuem ſaniem orificio ſuo exſudans, interdum videtur obſtructionem pati, nihil enim tunc emanat, partes autem vicinæ inflantur, ac dolent, ſponte tamen reſeratur, ac rurſum ſaniem elidit.

Cauſæ.

Cauſæ fiſtulæ ani ſunt: vel præcedens abſceſſus à pure non debitè repurgatus, & maturè curatus, vel etiam tenasmus neglectus facilè in fiſtulam tranſit, fit quoque ab hæmorrhoidibus malè curatis vel exulceratis, aliisve ulceribus à pravis humoribus vel defluxione ortis, cacoëthicis, cancroſisve, vel ab ictu, lapſu, aliisve caſibus.

Prognoſis.

Prognoſis ejus eſt, quod interdum inteſtinum perforet, & tunc pars fæcum ventris è fiſtula exit, nonnunquam in veſicam penetrat, ac veræ urinæ quid per fiſtulam exit, quinimò teſte Fernelio hisce micturientibus flatus & crepitus ventris aliquando per fiſtulam emittuntur, ac poſtmodum etiam aliquid urinæ cum ſanie ſequitur, tales autem caſus omninò incurabiles & lethales ſunt, illæ verò fiſtulæ dictis modis non penetrantes, ſunt quidem pariter difficilimæ curationis, curari tamen poſſunt, & ſi quoque non curantur, indies autem mundæ habeantur more fluentium hæmorrhoidum, corpus repurgare creduntur, & ad ſenectutem conſequendam facere, modò relatis modis non penetrent, notum tamen eſt ejusmodi fiſtulas, licet non penetraſſent, hecticam & mortem intuliſſe.

Curatio.

Curatio ſive tractatio fiſtulæ ani à practicis eum in modum fit, quod prius corpus à pravis humoribus repurgent, purgandi autem modus variè inſtituitur, at optimus conſiſtit in medicamentis mercurialibus, quippe quæ ſangvinem mundificant, vix ergò melius quid exhiberi poterit, præcipitato aureo, vel mercurio dulci cum pil. fumariæ, vel alio vulgari purgante admixto.

Utatur quoque talis patiens pro potu ordinario potione vulneraria, quæ intrinſecè ſanationem promoveat,

veat, ac optimum ſangvinem conficiat, qualis quidem ſequens eſt:

Potus vulnerarius ad ſanandam fiſtulam.

℞. rad. dictamni alb.
ireos
polypod. quercin. an. ℥ſ.
herb. agrimon.
piloſell.
prunell.
veronic.
ophiogloſſ.
card. benedict.
ſtœch. citrin.
ſtœch. Arab. an. ℥ſ.
cortic. ligni ſancti
fraxini an. ℥iij.
ſarzæ parill. ℥ij.
liquirit.
fœniculi an. ʒij.

Conſcindantur & contundantur omnia craſſo modo, ac probè miſceantur, hujus mixturæ cape manipulum unum, ac menſuram unam aquæ communis ſuperfunde, coque ea ad caſum transverſi pollicis, colaturam in cellâ aſſerva, ac pro ordinario potu utere, admiſcendo ipſi dimidium, tertiam vel quartam partem vini, ut eò melioris ſaporis fiat, & bibi queat, atque hanc potionem continua ad ſex, ſeptem vel novem menſes, & miraberis ejus effectum in ſanatione fiſtularum, lupi, morbi Gallici, ac inſanabilium ulcerum, purgatio tamen corporis ſæpius reiterari debet, nec non ulcus ipſum quoque quotidiè decocto hujus potionis commemoratæ elui. Sanatio tamen obtineri ullius pravi ulceris nequit, niſi prius ipſius fundus putridus abſumatur, ac probè mundificetur & abſtergatur, in quem finem vulgo illitione ungventi Ægyptiaci, aut inſperſione pulveris radicis veratri nigri, aut ariſtolochiæ rotundæ utuntur, ſed longè melius operatur butyrum antimonii vel ſpiritus ſalis, ſi alterutrius nonnihil illinatur, excitant quidem nonnullum dolorem, ſed brevi rurſus ceſſat, mundificatum ulcus poſtmodum ſanatur emplaſtro Opoteldoch, cujus confectionem cum pluribus arcanioribus ad fiſtularum & ulcerum curationem infra invenies.

Doloribus ani etiam accenſeri poteſt intertrigo & uredo, qui affectus ab equitatione & pedeſtri peregrinatione inter femora contingunt, ubi diutino attritu in iſtis partibus excoriatio fit, ſanatur autem illito ſucco herbæ potentillæ, vel ſevo à liquata candela, plura ad ani affectus docet

Intertrigo.

TEXTUS.

In affectibus ani externis, inflammatione, ulcere, fiſtula, levioribus ulcerationibus procedendum eſt communi modo, quo aliàs in cæteris partibus externis ſimiliter affectis progredimur.

Inflammationes ani à proprietate quadam (præmiſſis univerſalibus) curat decoctum agrimoniæ & menthæ Saracenicæ (unſer lieben Frauen Müntze) *cum aqua & aceto paratum, & tepidè applicatum.*

Pro apertione, maturatione & conſolidatione præſtat balſamus ſul-

ſulphuris cum oleo papaveris, de quo ſupra de abſceſſibus mammillarum.

CAP. CXVIII.

DE CONDYLOMATIS, VERRUCIS, FICUBUS, MARISCIS ET MORIS ANI.

Condylomata. CONdylomata quid ſint, inter Authores ne convenit quidem, Celſus enim lib. 7. cap. 30. de ani vitiis, condylomata vocat tubercula indurata; Paulus verò Ægineta lib. 6. cap. 80. de condylom. rimis & tuberculis, *Ani* (inquit) *condyloma loco ſolùm ab eo quod muliebres locellos infeſtat, differt, occalleſcens & ipſum ſèdis tuberculum, aut inflammatione, aut rimâ, quæ dicitur rhagas, præcedente.* Fernelius vult, condyloma eſſe durum tuberculum, in ani margine ortum, aut grani uvæ, aut verrucæ, aut ficus effigie, tædio potius quàm dolore moleſtum. Aëtius econtra vocat condylomata rugas ani intumeſcentes: *Accidit* (lib. 14. cap. 3. de rhagad. & condyl. ſcribens) *in ſede condyloma, quando replicatis ani corpuſculis ruga quadam præter naturam inſurgit, & intumeſcit, cum enim anus ſinuoſus ſit, rugas annexas habet. Ergò intumeſcente ruga condyloma generatur, quod interdum molle & ſine inflammatione eſt, interdum inflammatum, durum & dolorificum.* Franciſcus Joël autem dicit: condyloma eſſe tumorem in margine ani excitatum, ſimilem pugno digitorum, aut maturis moris, aut ficui, aut grano uvæ nigræ.

Alii verò ex recentioribus per condylomata intelligunt hæmorrhoides ſiccas, & tuberoſitates ani ſparſas ſine pede, è quibus nil ſangvinis emanet, ſed aliquando quæpiam aquoſa humiditas: Alii condylomata tantummodò ſinui mulíebri tribuunt, quando autem ſimile tuberculum in ano proveniat, nomen verrucæ ani ipſi competere volunt, à plerisque tamen appellatur tuberculum ſimpliciter in ſui initio, occalleſcens autem condyloma.

A condylomatis autem parum differunt cæteræ ani excreſcentiæ, ut ſunt thymi, ſycoſes ſive ficus, attrices, verrucæ, mariſcæ & mora ani. Thymus eſt protuberans quædam excreſcentia, aſpera, ſubrubra, oblonga & augeſcens, ac in exciſione plurimum ſangvinis profundens, ejus generatio frequens eſt circa ſedem, pudenda & femora, & nonnunquam quoque in facie, diverſi autem thymi ſunt generis, quidam enim ſunt exigui, & vocitantur eminentiæ, quidam magni & propriè thymi nominantur, quidam majores, & ſycoſes ſeu ficus appellantur, parvum itaque diſcrimen eſt inter has ſpecies: ficus autem ani deſcribitur, quod ſit excreſcentia quædam circa anum, ejusque circulum vel pudendum, baſin habens ſtrictam ſupernam verò partem latam. In morbo autem Gallico ejusmodi ficus appellitantur mariſcæ. Attrices autem ſunt minores tuberoſitates circa

Thymus. Sycoſes. Ficus. Mariſcæ Attrices

circa anum, aliquando diſparentes, & procedente tempore revertentes. Inter has tamen ſpecies ficus præ cæteris moleſta & doloroſa eſt. Thymorum quoque quidam mites ſunt, alii feri, mites ſunt parvæ quædam carunculæ inæquales, ſcabræ, albicantes vel ſubrubræ & indolentes, feri duriores exiſtunt, ſcabrioresque & majores, coloris lividi ac dolorem pungentem inferentes, imprimis manibus & applicatis medicamentis attacti, atque hi quidem vulgaribus medicaminibus minimè cedunt, ſed inſanabiles ſe exhibent, ceu naturæ cancroſæ, mites verò ſanationem recipiunt. Acrochordon verò ſive verruca ſimiliter turgidula quædam prominentia eſt, nemini non nota; mora de genere ficuum ſunt, ſimilitudinem quandam mororum arboreorum conſtituentia, atque inde illud nomen ſortita. Pleraque horum nihil aliud ſunt, quàm tubercula hæmorrhoidalia, ſive hæmorrhoides cœcæ, quamvis formâ aliquantulum differant, nam & vulgares puſtulæ, variolæ aliaque formâ & apparentiâ multum differunt, quamvis ejusdem ſint eſſentiæ, atque iisdem remediis curentur.

Acrochordon.

Mora.

Fiunt autem hæc cuncta ab impuro ſangvine craſſioreque & melancholico, exitum ſuum quærente in extremitate venarum hæmorrhoidalium, quæ in anum deſinunt. Nec rarò ab infectione luis Gallicæ deveniunt, atque eandem denunciant, de quo in ſuo loco.

Rhagades.

His quoque annumerantur rhagades ſive fiſſuræ ani, quæ ulcuscula oblonga ſunt, diſcindentia rimas ſive rugas ani, ſuntque ſciſſuræ, his non abſimiles, quæ ſæpius inferius oris labrum, nec non manus & pedes occupant, ibique cutem in rimas dehiscere faciunt, fiunt autem quandoque in muſculo anum claudente, quem ſphincterem appellant, interdum in ipſo ani circulo, atque etiam interdum in utero, ſuntque nihil aliud quàm ulcuscula nunc humida & ſanioſa, nunc ſicca & calloſa. Jam cancroſa & acria, admodumque doloroſa.

Cauſæ.

Cauſæ rhagadum ſunt: vel induratæ fæces ventris, aſperitate ſua rugas ani lædentes, vel defluxio acrium humorum, vel inflammatio & extenſio à condylomatibus, cuticulam ani dehiscere faciens, vel malignus humor ex lue venereâ, vel apoſtemata calida, item fluxus hæmorrhoidum, glandes vel clyſteres acres, & quicquid partes illas ardore inficit vel findit.

Signa.

Signa ſatis manifeſta ſunt, nempe rimæ cum prurigino ſo dolore, tetro odore, ac virulento humore, ita ut nigrum quid, vel viride vel citrinum fœtens effluat, aliquando tamen nihil emanat, ſed ſiccæ tantummodò ſciſſuræ apparent.

Degenerant autem rhagades, ſi negligantur, facilè in ulcus erodens vel fiſtulam, ob dolorem quoque in hecticam deducere poſſunt.

Curatio.

Curatio horum affectuum ferè iisdem medicamentis perficitur, imprimis autem ea quæ luem veneream aliàs curant, in uſum vocanda, quamvis hæc vitia cum iſta lue con-

junCta

juncta non ſint, nihilominus enim etiam his conveniunt, ab impuritate enim ſangvinis ſemper contingunt, ſangvinem ergò mundificantibus optimè debellantur, commodè itaque mercurius dulcis vel præcipitatus aureus cum pilulis fumariæ exhibetur, poſtea pro topicis adhibeantur aſtringentia, nempe crocus martis cum ſucco tapſi barbati temperatus. Vel elota terra capitis mortui vitrioli cum terebinthina liquida mixta, dicitur autem caput mortuum illud, quod poſt fortiſſimam deſtillationem ſpiritus & olei vitrioli in fundo retortæ remanet, bullitur autem in aqua communi, donec omnis ſalſedo & vitriolacea acredo in aquam depoſita ſit, aquâ illâ decantatâ remanet terra illa edulcorata ſeu elota capitis mortui, aqua autem edulcorationis ſi evaporatur, reſiduum dat ſalem vitrioli vomitivum. Rhagades inungantur ungvento albo camphorato, vel ceruſſa cum oleo roſac. & aqua roſac. continuo conterantur in mortario plumbeo addito quoque momento camphoræ, donec abeant in ungventum fuſcum ſuperponendum, optimè juvat emplaſtrum oppotel doch hisce tuberculis, excreſcentiis, verrucis aliisve ejusmodi vitiis ſuperpoſitum, plura docet

Ungventum ad rhagades.

TEXTUS.

Fiſſuræ ſeu rhagades.

IN fiſſuris valet pingvedo cochlearium, de qua ſupra de fiſſuris labiorum.

Condylomata, omnisque generis verrucas, ficus, mariſcas & mora ani prorſus inſenſibiliter tollunt cineres ſtercoris murium, cum vino cocti & applicati.

Idem faciunt conchylia juxta fluminum littora reperta oblonga, calcinata & cum vino cocta, & applicata.

Sic crocus metallorum cum aqua fœniculi distemperatus, & in petiis applicatus dolores (a) *primò ſedat, & deinde ipſa condylomata conſumit.*

(a) Dolores quoque demulcet emplaſtrum Apoſtolicum, ac deinde tubercula rumpit, & iterum ſanat, habuimus tamen aliquando tuberculum duriusculum in ſpatio quod eſt inter anum & pudendum, cui vulgaria emollientia emplaſtra nempe dyachylon, apoſtolicon, fruſtra imponebamus, donec tandem cataplasma ex cepis aſſis cum axungia & ſapone molli nigro ſuperpoſitum eſſet, quo brevi doloroſitas evanuit, & tuberbulum mox ruptum eſt, & deinde facilè conſolidatum.

CAP. CXIX.

DE DOLORE HÆMORRHOIDUM, ET HÆMORRHOIDIBUS COECIS,

Germ. das Geſeige.

DIverſo ſignificatu nomen hæmorrhoidum ab Auctoribus ſumitur, modò enim ipſas intelligunt venas ad orificium ani terminantes, easque communiter hæmorrhoides appellant, nunc verò inflationem dictarum venarum in

ſuis extremitatibus in anum deſinentibus, quæ interdum à cumulato ſangvine melancholico contingit. Iſtæ autem hæmorrhoides ſive inflationes hæmorrhoidales dividuntur in externas & internas, externæ hæmorrhoides ſunt, quæ foris extra anum vel non profundè intra eum conſpici poſſunt, internæ quæ profundæ in ano ſitæ ſunt & non in conſpectum veniunt, ac proinde hæmorrhoides cœcæ dicuntur, externa verò ex ano ſurgens atro ſangvine melancholico repleta in ſpeciem ficus diſtenditur, atque etiam ficus appellatur à quibusdam, quanquam alii ficum eo ſenſu accipiant, ut in ſuperiori capite declaratum eſt; confuſio ergò quædam de hisce apud Authores occurrit, cum alii tres hæmorrhoidum differentias deſcribant alii quatuor, quidam enim ſimiles eſſe eas volunt verrucis, vel granis uvæ vel moris, nonnulli ipſas confundunt cum deſcriptis in antecedent capite affectibus, ut ſunt rhagades, condylomata, ſycoſes, ficus, thymi, verrucæ, clavi, formicæ, ac reliquæ ani excreſcentiæ; alii tantummodò diſtingvunt in cœcas & fluentes, per cœcas intelligentes ſiccas, & à quibus nunquam aliquid fluit, ſive ſint profundæ ſive foris conſpicuæ, per fluentes verò apertas, & ſangvinem hæmorrhoidalem profundentes. At inutilis eſt tam multiplex diſtinctio, ac ſufficiebat eas diſtingvere in cœcas ſive abditas, prominentes clauſas & fluentes, quamvis clauſæ ab apertis vix differant, facilè enim itidem aperiri poſſunt ut fluant, quod autem ſponte non aperiantur, inde venit, quod clauſæ nimis robuſta ſeu tenaci tunica inveſtitæ ſint, quam ſangvis perrumpere nequit, niſi arte apertio promoveatur.

Hæmorrhoides ſunt externæ & internæ.

Hæmorrhoides cœcæ.

Ficus.

Clauſæ autem plerunque immani & vix perferendo dolore comitantur, durâque protuberantiâ turgent, ac ſympathicè etiam vicinas partes nempe veſicam, colem, teſtes aliosque graviter afficiunt, ita ut interdum urina ſupprimatur, vel teſticuli, ingvinas, colisve inflammentur.

Signa.

Signa hæmorrhoidum externarum manifeſta ſunt, tument enim vel fluunt, de internis verò non ſemper per certa ſigna certi quid conſtat, quod etiam Avicenna. 17. tert. cap. 2. fatetur: *Scias* (inquiens) *quod multoties aliquis exiſtimat, quod habeat hæmorrhoides, & non habet niſi ulcera in recto, & in eis quæ ſunt circa ipſum.*

Debent ergò una cum ſignis demonſtrativis etiam aliæ circumſtantiæ expendi, veteres quidem conſulunt ut everſio ſedis fiat, vel ut Rhaſis vult, ventoſa ſupra anum apponatur, at cum noſtris non tutum cenſeatur, ſusque deque habetur. Notatur autem in latentibus hæmorrhoidibus aliquale pondus, & dolor pruriginoſus, ſi verò fluunt, exiens ſangvis eas declarat, & à dyſenteria hoc modo diſcriminatur, quod absque dolore & torminibus hæmorrhoidalis ſangvis dejiciatur, nec mixtus ſit cum fæcibus vel pure, à teneſmo verò quod non cum

tanta

tanta expreſſione & laborioſo nixu exeat, ut in teneſmo, ſed exſtillat moderatò effluxu, & nates circa foramen ani cruentat, ita ut anitergia papyrina vel lintealia durante illo effluvio ſemper ſangvine commaculata appareant, absque tamen dolore, niſi exeunte duro ſtercore, & tumentiam hæmorrhoidalem premente. Singulare quoque ſignum eſt, quod color faciei hæmorrhoicorum teſte Avicenna plerunque ad viriditatem declinat. Præcipuum autem eſt, ſi æger jam antea huic affecto obnoxius fuit, & per intervalla eo laboravit, ut quibusdam quarto quoque anno, aliis ſingulis annuis vel citerioribus ſpaciis contingit, vel ad eum propendet, ut ſolent ejusmodi parentibus prognati, vel diſpoſitionem naturalem membrorum ad eum habentes, ut ſunt calido & ſicco hepate, latisque venis circa anum præditi, ac victu craſſo atque melancholico vel etiam calefaciente & ſiccante (ut à multo uſu cæparum fieri obſervavimus, & ab aloë contingere notiſſimum eſt) utentes, præcedente, jam ingruente malo, gravedine dorſi, dolore & pruritu ani.

Sæviſſimus autem dolor ſemper hæmorrhoidibus cœcis & non fluentibus adeſt, eò quod turgente ſuâ inflatione etiam inflammationem & humorum incenſionem excitent, atque etiam his partibus tanquam extremis acutus ſenſus eſt, ex quo acerrimè ſentiunt, & cum periculo offenduntur, ſicuti in omnibus extremis partibus contingit, nempe digitis pedum, & extremis digitis manuum læſis, oculisque, pudendis ac ſede, quod ſemper acerbiſſimè doleant. Tum etiam ſphincter nervoſam quandam ſubſtantiam habet, quæ neque ſectionem nec uſtionem fert absque convulſione.

Cauſæ turgentiæ venarum hæmorrhoidalium ſunt: ſangvis quantitate vel qualitate peccans, & utroque modo inflationem & tenſionem faciens. Denſitas item pelliculæ iſtarum venarum, quam ſangvis disrumpere nequit, atque ita intus coacervatur, & majorem tenſionem, inflationem, dolorem, & ardorem excitat. Cauſæ

Prognoſis hæc eſt, quod hæmorrhoides cœcæ admodum doloroſæ & malæ ſint, apparentes tamen minus malæ, quàm latentes & profundæ, & ſi apparentes etiam aperiantur, dolores mox remittunt, quia ſangvis tendens & acris effluit, In ſexu fœmineo hæmorrhoides ceſſant, erumpentibus menſibus. Quamvis autem tumentes hæmorrhoides rarò periculoſæ ſint, interdum tamen adeò inflammantur, ut acerbo dolore æger crucietur, vel etiam gangræna inde ſibi metuenda ſit. Nonnunquam in ſuppurationem & exulcerationem abeunt, & demum ulcus fiſtuloſum efficiunt, plerunque ſine ſpe curationis, ob rationes ſupra cap. 107. adductas. Prognoſtica.

Denique in Italia frequentes & familiares ſunt carunculæ ani criſtaceæ, pullorum gallinaceorum criſtas referentes, ex infando ac naturam pervertente concubitus abuſu

(cujus

(cujus gratiâ olim Sodomitæ pluviâ ignis & ſulphuris concremati nunc tormenta æterna ſuſtinent) naſcentes, cujus prognoſis eadem eſt, quæ dictis Sodomitis obtigit, non tantùm pro nefandi hujus ſceleris patratoribus, ſed & magiſtratibus, qui in hæc non animadvertunt.

Curatio. Curatio doloris hæmorrhoidum inſtituitur primò per aliquod lene purgans conveniens pro educendo humore melancholico, ut eſt decoctum vel infuſum ſenæ, fortiora tamen omnia omittantur, ne humores ad partem affectam trahant, & humorem exaſperent, mirè conveniunt & decantantur ad hæmorrhoides pilulæ de bdellio, ſi per aliquod tempus hebdomadatim earum doſis aſſumatur, deſcriptio ipſarum habetur in diſpenſatorio Auguſtano. Eſt etiam ſpecificum ad dolorem hæmorrhoidum, aliosque affectus, qui cum tuberoſitatibus duris affligunt, ut eſt cancer, peſtis &c. radix & herba ſcrophulariæ, quæ etiam ſignaturam tuberoſitatis in ſua radice oſtendit, uſurpatur ejus radix & herba pulveretenus, vel decoctum ex eis parando, vel quocunque modo quis eis uti velit, Signaturam quoque hæmorrhoidum exhibet quadantenus radix chelidonii minoris, ac contra hunc dolorem geſtatur collo appenſa, atque etiam ejus radix contuſa applicatur. Item herba millefolium aqua fervente infuſa, & aqua iſta pro potu uſurpata per integrum menſem, omnes ab iſto affectu liberare dicitur. Externè millepedes in oleo aliquo anodyno

Pilulæ de bdellio mirè conveniunt.

Specifica diverſa.

nempe anethino vel alio cocti & oleum inunctum. Item oleum perſicorum. Vel ungventum roſaceum. Butyrum quoque recens in mortariolo plumbeo tamdiu agitatum, donec liveſcat, egregium ad hunc affectum anodynum inungendo præbet. Decantatur quoque chamædris in oleo cocta pro linimento. Item oleum florum verbaſci ad ſolem confectum. Nos pro excellentiſſimo experti ſumus emplaſtrum Apoſtolicum tuberoſitati impoſitum, ſedat enim dolorem, & tuberculum rumpit, ut ſangvis hæmorrhoidalis effluere queat, plura docet

Ungventum anodynum.

Obſervatio.

TEXTUS.

IN doloribus porrò & hæmorrhoidibus cæcis admodum dolorificis ſpecificum eſt: ℞. *ſcarabæos pilulares* (Roßkefer) *q. placet, coque in oleo lini ad conſumptionem animalculorum, poſtea cum bombace applica loco dolenti calidè, idque ſæpius repete.*

Specificum.

Sic cineres ſuberis exuſti, cum axungia capi, vel oleo myrtino cocti, & ano applicati, dolores intenſiſſimos ſiſtunt. Immoderatiſſimi & his non cedentes cedunt, ſi opii gran. j. atque alterum fuerit admixtum. (a)

Ungventum ex linaria: ℞ *herbæ linariæ cum floribus m. j. contundantur, & cum adipe porcina q. ſ. f. linimentum, cui expreſſo & parumper refrigerato vitellum ovi permiſceatur, & cum* *goſſypio*

Ungventum ex linaria.

goſſypio vel lana applicetur parti dolenti, dolores ejusmodi ad miraculum usque ſiſtit. Hoc tanti fecit D. Wolfius amicus meus, ut tanquam ſecretum ſingulare Illuſtriſſimo ſuo Principi Ludovico Seniori, Haſſiæ Landgravio piæ memoriæ toties rogatus, non revelare vellet, priusquam ipſi annuatim bovem ſaginatum promitteret, quâ promiſſione facta non tantùm herbam linariam ipſi monſtravit, ſed etiam addendo verſiculum conſvetum, differentiam hujus ab eſula patefacientem, nimirum quòd

Eſula lacteſcat, ſine lacte linania creſcat.

Hoc poſtquam aſſidens nobilis &c. Joannes Riſodelius ab Eſchenbach hæreditarius Mareſcallus Haſſiæ perciperet, per jocum verſiculum invertit hoc modo:

Eſula nil vobis ſed dat linaria taurum.

(a) Amatus cur. 6. cent. 3. mirum hoc topicum tradit:

℞. Pomum arantium, & id cultro excava, in quo oleum roſaceum & lavendulæ ſemina infunde, & ad cineres calidos admove, & calidum applica, & ſæpè innova.

CAP. CXX.

DE PROFLUVIO HÆMORRHOIDUM, Germ. der übermäſſige Gülden-Aderfluß.

QUamplurimis conſvetum, & naturale ordinariumque eſt, quod ſuperfluus ſangvis exundantesque humores à natura ferantur in venas ad extremitatem inteſtini recti decurrentes, atque in ſphinctere & margine ani terminantes, in eisque primum dilatationem & intumeſcentiam, ac paulò poſt apertionem & effluxum concitent, qui fluor hæmorrhoidum appellatur, cujus apud Practicos variæ ſunt diſtinctiones, quod nimirum fluxio modò fiat per anaſtomoſin, nunc diapædeſin vel diabroſin, & quod ſint hæmorrhoides aliæ corporeæ & internæ, quædam verò primitivæ & externæ, quædam antecedentes & quædam conjunctæ. Ex antecedentibus rurſum aliæ complexionales, vel compoſitionales, aliæ humorales, & qui plures ſunt ejusmodi garritus, interdum plus ex arte & fundamento, quàm ægri optant, utpote quibus ſola opitulatio ſine ullis ambagibus in votis eſt. *Fluor hæmorrhoidum diverſæ ſunt diſtinctiones.*

Cauſæ hujus apertionis variæ ſunt, primaria cenſetur ſangvis melancholicus ſuâ gravitate deorſum decumbens, quod melancholicis ſolemne eſt, non autem efferveſcentia ſangvinis, quæ ſurſum ad nares fertur, quæ potius ipſis inſvetior eſt & non adeò boni ſigni, ut apparet in quartanariis, quòd ebullitio ſangvi- *Cauſæ apertionis.*

 nis

nis per nares ipſis erumpens pravo admodum ſignificatui iisdem cedat; acria quoque ano indita vellicatu ſuo calorem & attractionem ſangvinis excitant, ut interdum fit à clyſteribus acribus, vel glandibus nimium ſalſis. Imò ipſa ægri excrementa aridiora anguſtum ani tranſitum lacerare, & fluxum hunc concitare poſſunt, contingit quoque quibusdam fœminis ex difficultate partus, aliis à cruciatu calculi, ulceribus in inteſtinis, nixu vehementi reddendorum excrementorum. Temperamentum quoque calidum & humidum nimiam ſangvinis progenerans abundantiam, ut quidam volunt, quanquam ejusmodi temperamentum potius effervescentiam per nares vel ſputum cruoris efficiat, niſi in tardiori ætate, quando melancholeſcit, tunc enim etiam deorſum fertur inſtar fecum vini, quæ tantum in prima vini infantia, quando adhuc recens muſtum eſt, ſurſum, poſtmodum verò ſemper deorſum ad fundum dolii feruntur. Caliditas quoque & ſiccitas aëris ambientis interdum hunc fluxum concitat, nempe in æſtate torrida, item longa equitatio, vel compreſſio ani per continuam ſeſſionem ſeu vitam ſedentariam; cibi acredinem & fervorem ſangvini communicantes, ut fit à multa comeſtione cæparum, allii, porri & ſimilium, quod etiam medicamenta aloëtica in natura habent. Denique victus craſſus alimentaque melancholicum ſangvinem generantia, pathemataque animi ad melancholiam diſponentia, ut ſunt: terror, timor, triſtitia, curæ, vigiliæ & ſimilia.

De hoc affectu loquitur etiam Hippocrates ſequentibus locis:

Hæmorrhoides ſunt affectus ætatis conſiſtentis. lib. 3. aph. 30
Superna ſangvinis rejectio omnis mala, inferna verò nigra bona. 4. 25
Inſanis hæmorrhoides ſupervenientes inſaniæ ſolutio. 6. 25
Hæmorrhoides diuturnas curanti opus eſt unam ſervare fluentem. 6. 12
Aliàs periculum tabis vel hydropis impendet. 6. 12
Hæmorrhoides bono ſunt melancholicis. 6. 11
Ut & nephriticis. 6. 11
Præſervant à pleuritide. 6. epid. com. 3.
Nec non à peripneumonia. ibid.
Ut & à phagedæna. ibid.
Atque à furunculis. ibid.
Terminthisque ac aphthis. ibid.
Itemque à lepra. ibid.

Prognoſin quod attinet, ea in jam citatis Hippocraticis majori ex parte continetur, præterea quoque conducit hic fluxus varicibus, arthritidi, indurato lieni, & in ſuppreſſione menſium, quibusdam etiam gravidis multa cum alleviatione contigiſſe obſervatum eſt. Interdum tamen nimium invaleſcit hic fluxus, & tunc eadem incommoda ſecum adducit, quæ alia ſangvinis immoderata profluvia ſeqvuntur, nempe debilitatem totius corporis, cachexiam & hydropem. Immoderatus enim hæmorrhoidum fluxus (ut verba

Progno-ſtica.

verba teſtantur Aëtii) plurimorum ſæpè malorum origo eſt. Nam deformitatem (i. e. decolorationem) & vitam miſeram (i. e. perpetuam imbecillitatem) & interdum mortem (i. e. refrigerationem mortalem & hydropem) affert.

Curatio. Curatio profluvii hujus inſtituitur his, quæ fluxum aliò divertunt, quales ſunt frictiones dolorificæ & ligaturæ, practici quoque ſvadent in robuſtis ſecare venam, at cum fluxus cohibitio non præſumatur, quàm viribus jam debilitatem oſtendentibus, tutum non eſſet in manifeſta debilitatione, per venæſectionem adhuc magis debilitare, fiant ergò tantùm ligaturæ doloroſæ in extremitate digitorum, apponuntur etiam cucurbitulæ ſupra jecur & lienem, intrò verò dantur refrigerantia & aſtringentia, ut ſunt: coralli rubri præparati, crocus martis, trochisci de carabe, terrâ ſigillatâ & ſimilia ex. gr.

Pulvis. ℞. trochisc. de carabe ℈ij.
lap. hæmatit. pp.
corallor. rub. pp. an. ℈j.
croci martis ʒſ.
camphoræ ℈ſ.
m. f. pulv. ſubtiliſſ.
doſis ℈j. ad ℈iſ. manè cum vino rubro chalybeato.

Electuarium. Vel ℞. conſerv. roſar. rubr. vitriolat.
ſymphyt. major.
cichor. an. ℥ſ.
diacydon. ſimpl. ʒX.
lap. hæmatit. præp.
terræ ſigillat. an. ʒj.
corall. rub. præp. ℈ij.
vitrioli martis ad rubed. calcinat. ℈j.
laud. opiat. ℈ſ.
miſce exactiſſimè, & cum ſyrup. cydon. q. ſ. f. elect. doſis ʒij.

Doctor Waibelius piæ memoriæ narrabat nobis aliquando, ſe in ſe ipſo expertum eſſe, pilulas ſuas, quæ vocantur pilulæ Weibelii, fluxum hunc concitare, ac rurſus quoque ſiſtere, quæ operatio quoque à quibusdam radici ſcrophulariæ attribuitur, cujus ratio eſt, quod talia ſangvinem mundificent, & impuritatem melancholicam expellant, quæ ante ſui expulſionem naturam ad apertionem ſtimulat, expurgatâ autem impuritate ſponte fluxus ſiſtitur. Sequens eſt expertum tam in viris quàm fœminis:

Experimentum. ℞. radic. tormentill.
biſtort. an. ℥ſ.
cinamom.
galang.
caryophyll. an. ʒj.
camphor. ʒſ.

f. ex omnibus pulvis, craſſior coquendus in vini optimi ℥XXX. in cantharo lutato per duas horas, tum colaturæ adde ʒſ. camphoræ ſubtiliſſimè tritæ, ejusque omni manè & ſerò ℥iij. vel IV. bibantur.

Decantatæ quoque ſunt pilulæ de bdellio, atque etiam ſuffumigium exceptum de bdellio. Plura docet

TEXTUS.

Profluvio hæmorrhoidum immoderato medentur omnia illa, quæ alioquin ſiſtendo ſangvini proſunt. Laudantur tamen:

Specifica 1. Eſſentia croci martis. I. *Eſſentia croci martis (de qua vide Crollium) tamdiu exhibita, quamdiu fluxus ſeverior durat; alioquin ſi ſtato tempore & moderatè fiat, nunquam ſiſtendus.*

2. Cingulum ex foliis hellebori. II. *A proprietate quadam valet cingulum ex foliis hellebori nigri conquaſſatis recentibus, nudo corpori circundatum* (die Blåtter kommen bloß an den Leib) *folia parumper conquaſſantur (ſcilicet ut tantùm fibræ duriuſculæ emolliantur) poſtea ad faſciam filo cum acu aſſuuntur in longum, ut fiat quaſi cingulum.*

Experimentum ad profluvium menſium. *Hoc feliciter uſus ſum. Idem præſtat omninò in immoderatis fluxibus menſium, & imprimis ſanguinis arterioſi poſt partum graviſſimum ſæpè magno conamine profluentis.*

3. Mixtura ex mumia & ſubere. III. *Mumiæ transmarinæ & ſuberis ana pulvis tenuiſſimus factus, quem diligenter applica orificio venarum hæmorrhoidum, ſubito ſiſtit ſangvinem.*

CAP. CXXI.
DE SUPPRESSIS HÆMORRHOIDIBUS, Germ. Verſtopffung der gůlden Ader.

Suppreſſio hæmorrhoidum quid? SUppreſſio hæmorrhoidum eſt, quando his, quibus antea per periodos commemoratus fluxus hæmorrhoidum fiebat, & à quo multum levaminis percipiebant, ſubſiſtit, & per diutinum temporis ſpatium non amplius revertitur, tum etiam manifeſtum gravamen in corpore poſt ejusmodi ſuppreſſionem percipitur, cujus ſigna ſunt: gravitas & malus habitus totius corporis, dolor lumborum, intumeſcentia pedum, color faciei fuſcus, obſcurè pallidus, vel ad viriditatem inclinans, melancholica animi pathemata, nempe triſtitia, timor, ſolitudo, palpitatio cordis, crebri ructus, vigiliæ circa medium noctis, aſtricta alvus, crebra exſpuitio, tenſio & murmur in hypochondriis, proclives quoq; ſunt tales ad quartanam, at non neceſſariò mox eâ corripiuntur. Signa.

Cauſæ ſuppreſſionis hæmorrhoidum ſunt: victus craſſus & refrigerans, conſimilem ſangvinem generans, qui ſeipſum poſtea obſtruit, & ſuâ craſſitie ſuppreſſioni dictæ anſam dat, item refrigeratio ani à rebus externis. Cauſæ.

Prognoſis hujus affectus in hunc ſe habet modum: quod iſtam ſuppreſſionem graves & deſperati ſequantur morbi, nempe affectio hypochondriaca, ſcirrhus lienis, fœdus & lividus color faciei, cachexia, mania, ſcorbutus, lepra, quartana, aliive, ſcilicet unus vel alter ex his ægrum tandem corripit, ſed non omnes vel complures ſimul & uno inſtanti. Prognoſis.

Curatio ſuppreſſarum hæmorrhoidum non differenda, ſed mox inſtituenda, quando earum naturam gravantium ſigna comparuerint, nempe turgentia venarum in cruri- Curatio.

cruribus & circa anum, vel tibiarum gravitas, vel dolor circa lumbos, nec non pruritus in ano. Practici autem ſecant venas ſuperiores, alii potius applicant ſangviſugas, procuratâ prius emollitione turgentiæ hæmorrhoidalis per balnea, inunctiones vel emplaſtra mollificantia, poſtea frictionem aſperam adhibent cum ejusmodi rebus quæ aperiunt, ut ſunt folia ficuum, cum ſucco ceparum ſubacta, vel cepas in aceto maceratas contundunt cum oleo quodam calido ut rutaceo, vel pulpam colocynthidis oleo intinctam ano alligant, aliaque ejusmodi; ſi tamen hæmorrhoides protuberent, optimè aperiuntur impoſito recenti emplaſtro Apoſtolico; Plura docet

TEXTUS.

Suppreſſas hæmorrhoides præter modum & tempus aperiunt folia ficus, ſi ſæpius recentia ano applicentur, vel cum iisdem locus fricetur.

Sic ſuccus ceparum cum aloë miſtus, & panno aſperiori fricando applicatus aperit hæmorrhoides.

Pilulæ aloëphanginæ ſemel in ſeptimana ſumptæ; aloë data hæmorrhoides aperit.

Aperiunt quoque ſuppreſſas hæmorrhoides ſuccus cyclaminis, aronis, bryoniæ, emplaſtrum ex farinâ laterum, felle bovis, ſtaphiſagria, ungvento ex medulla colocynthidis & oleo amygdalarum amararum. Item pulvis colocynthidis cum melle toſtus.

CAP. CXXII.

DE PROCIDENTIA ANI,

Germ. Ausfallung deß Affters.

PRocidentia ani ſeu prolapſus ſphincteris eſt ubi muſculi rotundi in extremitate longanonis, quibus is podici eſt colligatus, foras extra anum elabuntur, & invertuntur, nec per ſe intrò recedunt, vel abſque manuum ope rurſum queunt ſurſum retrahi, ſed manualem repoſitionem poſtulant, affectus autem iſte frequens eſt gravidis, parturientibusque & puerulis, in quo ſphincter aut ſuâ ſponte elabitur, aut nixu ſeu conatu vehementiori inter excernendum protruditur. Procidentia ſeu prolapſus ani quid?

Cauſæ hujus procidentiæ ſunt: vel temperamentum pituitoſum humidumque ligamenta relaxans & reſolvens, teneritasque dictorum ligamentorum, quibus ſphincter podici eſt alligatus, ita ut relaxationem facilè ſuſcipiant, quorum utrumque in puerulis contingit. Vel abſceſſus ſeu inflammatio in interioribus inteſtini recti latitans. Vel violenta concuſſio verſus ſpondylos dorſi, ex lapſu, alliſione, vel violenta percuſſione inducens ſubſequenter reſolutionem. Vel paralyſis lacertorum ſeu muſculorum ſphincteris, vel fiſtula in ano. Cauſæ.

Signa prolapſi ani manifeſta ſunt, à quibus autem cauſis contigerit, Signa.

 ſedulò

ſedulò inquirendum & diſcernendum, cum una prolapſio curabilis ſit, alia verò non, per propria itaque ſigna id perdiſcere oportet.

Si itaque ab humectante qualicunque pituita id eveniat, dolor in ano gravis & moleſtus percipitur, & ſiquidem pituita ex ſalſedine acris fuerit, dolor eſt magis ſtimulans & mordicationem langanoni inferens, cum teneſmo, & excretione albicante, viſcida & mucilaginoſa, reponitur tamen facilè anus ad interiora manibus. Si ex paralytica reſolutione, tum excrementa cum flatibus involuntariè exeunt, atque etiam ſigna paralyſis adſunt, de qua ſupra cap. 9. Si inflammatio vel apoſtema in cauſa ſit, anus non ingreditur, etiam impellendo, calor quoque, tumor, dolorque acutus, ſæpius cum febre junctus ſimul adſunt. Si ob tenſionem ſpasmicam, fæcibus exitus denegatur, atque utplurimum colica ſubſequitur; Si ab ulcere fiſtuloſo, diu jam antea moleſtatus ab eo æger fuit, humorque ſanioſus continuò exſtillat. Si ab externâ violentiâ per caſum, concuſſionemve, vel perfrigeratione relaxante per diutinam moram in aqua frigida, vel aëre gelido, ex relatione ægri id facilè colligitur.

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, procidentia ani, quæ cum forti teneſmo vel fluxu ventris fit, periculoſa, pravum enim & per ſe gravem morbum auget, & applicationem topicorum medicaminum eorumque effectum impedit. Quæ verò ab externa violentia, nempe lapſu, ictu, alliſione fit, pro diverſitate majoris vel minoris læſionis magis vel minus difficilis redditur, utplurimum tamen diuturnam curationem & blanda remedia requirit. Quæ verò à paralyſi, eandem difficultatem inducit, quæ paralyſi ſolemnis eſt, combinatione hujus affectus auctam, tumq; extra limites ſpei conſtitutam, ſi dicta paralyſis à lapſu vel percuſſione vehementi inflicta ſit; vel ſi vulgaris quidem paralyſis ſit, at cum reſolutione pedum concurrat ſubitaneâ, læſionem enim occupaſſe nervos deſignat, ac reparari non poſſe. Quamvis etiam communis procidentia ſit, ac à nulla periculoſa cauſa orta, attamen longè difficilius in ſenioribus, quàm junioribus curatur, in pueris autem indies ſanatur, modò dicti caſus non concurrant, cum verò convenientibus remediis adhibitis ſucceſſus non reſpondet, ſed marcor & extenuatio corporis ſequitur cum diſcoloratione vultus, ſpondylorum dorſi, nervorumque paralyſin ſeu reſolutionem immedicabilem ſignificat, morbumque lethalem.

Curatio. Curatio juxta enumeratas cauſas variat. Si itaque ægritudo ſit à nimia pituitoſitate humectationem longanoni inferente, per phlegmagoga prius educenda eſt pituita, ac poſtmodum topica applicanda, quibus calefacientibus anus gaudet juxta Hippocratem.

Sedi, pudendo, utero, veſicæ,
his calidum amicum & decretorium. *lib. 5. aph. 22*

Frigi-

Frigidum verò inimicum & interimens. 5. 22

Si inflammatio adſit, alvusque durior exiſtat, fiat decoctum emolliens ex malva, althæa, addita caſſia extracta vel diapruno ſimplici, eoque alvus proritetur, atque etiam locus affectus, tumorem, ruborem, caloremque & duritiem oſtendens foveatur, fomento tepido ex decoctis in lacte malvis, althæâ, floribus chamæmeli, meliloti, anethi, ac ſemine cydoniorum, inungendo poſt fotum oleis è vitellis ovorum, roſaceo & anethino ſimul mixtis, ac tum anus in locum ſuum reponatur, atque poſtmodum aſtringentibus adhibitis intus detineatur, ut ſunt cupulæ glandium, balauſtia, gallæ, ſumach, plantago & ſimilia in vino rubro, vel aquâ ferrariorum decocta, in quo æger poſt repoſitionem aliquandiu ſedeat.

Si verò à diuturno profluvio ventris ſive diarrhœa, dyſenteria vel teneſmus ſit, hæc procidentia contingit, ut in talibus fluxibus tandem fieri ſolet, adſtringentia univerſalia ſunt uſurpanda cum corroboratione membrorum, tum verò anus decocto hordei cum melle roſaceo detergendus, ac manibus molliter reponendus, adhibito poſtmodum fotu cum ſacculis ſtypticis, carminantibusve, ſi ſimul flatus adſint & ingreſſum ani prohibeant. Si à reſolutione nervi ex vitio ſpinæ, topica applicantur extremitati ſpinæ circa coxam, eaque adhibentur quæ paralyſi conveniunt; concurrente verò fiſtulâ, ulcere rhagadibusve, manui chirurgicæ affectus relinquitur, jam quoque percipiamus remedia

TEXTUS.

IN procidentia ani primò rectè reponatur inteſtinum, etiam adhibitis mollificantibus decoctis, ſi repoſitionem vel tumor, vel etiam durities accedens impedierit, poſtea ad aſtringentia accedendum, tum interna tum externa.

Inter interna laudabile eſt decoctum radicis prunellæ ſylveſtris (omnes ferè radices alvum ſolvunt propter ſuccum mercurialem, quem in terra hauriunt) in cereviſia vel aqua, quod ſæpius hauſtum in die per aliquod tempus, leniter aſtringit, ſed ita ut alvus quoque ſit libera, quam in ejusmodi caſibus ſemper oportet eſſe talem, alioquin à fortiori conatu egerendi, inteſtino viciſſim remeabili futuro.

Externa ſunt varia, ſed elegans eſt quod fit ab aſſere querno apprimè lævigato, & cum maſtiche, poſtquam ille incaluerit ad ignem, illito, & ſtatim ano ſuppoſito (ſuperſedendo) ad tolerantiam tamen ipſius caloris.

Quòd ſi autem inteſtinum nullo modo antea repoſitum vel arte intus manere aut hærere poſſit, hoc unicum eſt præſens remedium ſupra de procidentia oculi edoctum:

Experimentum

edoctum: ℞. cineres ſcarabæorum pilularium, ſparge ſuper inteſtinum prolapſum, & quoquo modo poteris, repone, nunquam egredietur amplius, præſertim ſi deinceps decoctum radicis prunellæ ſylveſtris ad tempus uſurpatum fuerit. Aluminis uſus propter nimiam ſtipticitatem cautè evitandus, corrodit præterea partes earumque venulas.

Crepitus ventris frequens.

Crepitus ventris frequens curatur ut flatus.

Stercoris incontinentia.

Stercoris incontinentia ex reſolutione muſculi podicis ut alia paralyſis curatur. Ex ventriculi imbecillitate ad eum reſpiciendo.

CAP. CXXIII.

DE JECORIS AFFECTIBUS, AC PRIMO DE HEPATIS INTEMPERIE.

Deſcriptio anatomica hepatis.

ACcedamus nunc templum Jovis microcosmici & laboratorium ſangvinis nempe jecur ſive hepar. Dici autem volunt jecur quaſi juxta cor, eo quod incaribili ſeu inevitabili neceſſitate atque etiam viciniſſimo ſitu cordi propinquiſſimum ſit, intercedente tantummodò ſolo & unico ſepti transverſi centro inter hepar & cordis mucronem, totoque corpore hepatis officio ferè non minus ac ipſo corde indigente, adeò ut cum læſo hepate nullum non membrum lædatur & lethaliter marceſcat. Nobiliſſimum & ſangvificum hoc viſcus conſtat ſubſtantiâ ſui generis carnosâ ſangvini recenter appoſito ac concreto non abſimilem, colore in adultis ſangvineo, in fœtu autem albicante, ac in ſenſim adoleſcentibus magis magisque flaveſcente, quam legem quoque ipſe ſangvis ſervat, ut in ſua quaſi infantia lacteſcat, & ſenſim rutileſcat, parenchyma itaque hepatis è concreto conſtare ſangvine videtur, percolatumque ſuccum chyli viciſſim in ſangvinem fermentat, non ſecus ac fermentum panificii maſſam è farina & aqua ſubactam odore & ſapore breviſſimâ morâ fermentando ſibi planè aſſimilat, quod autem præcipua pars fermentationis ſangvificantis in & ab hepate fiat, mox in ejus obſtructione vel læſione pateſcit, ubi loco ſangvinis ſerum aquoſum per totum corpus diſtribuitur, à membris autem ſpernitur tanquam inutile liquamen ab hepate non fermentatum, quo etiam demum ipſa vita ſuffocatur.

Integitur hepar membranâ ſimplici, ab alterâ venarum tunicâ oriundâ eâdemque cum peritonæo exiſtente, & ſatis arctè parenchymati adhærente, quam vaſa varia permeant à venâ portæ & cavâ, arteriâque magnâ; duplices autem complectitur venas, nempe ſuperiores, quæ venæ cavæ propagines ſunt, ſangvinemque in amplum ipſius truncum convehunt; Atque inferiores quæ & numeroſiores, venæque portæ traduces ſunt, à trunco autem ejus in amplitudinem hepatis diducto derivatæ, à quo & tam

vena umbilicalis in fœtu prodit, quàm ampli quoque extra jecur rami, nempe ſplenicus ac meſenterici deducuntur, ad lienem, omentum, ventriculum, ac cuncta inteſtina venas diſtribuunt.

Arterias venis intra jecur ſociatis ramus cœliacus dexter arteriæ magnæ depromit, an verò paucas ut hactenus apparuit, vel numeroſas, easque in membrana ambiente ſubſiſtere potius quàm in ſubſtantiam penetrare viſas, ut quibusdam accuratius inſpectantibus placet, nondum ſatis certum eſt. Submittit quoque ſexti paris internus dexter externusque ſiniſter ramus ſtomachicus nervulos duos in ambitum & parenchyma diſſeminatos, quin & moderna ſolertia anatomica quosdam lymphæ ductus præter vaſa commemorata in hepate obſervatos aperuit.

Porrò jecur humanum admodum conſpicuæ eſt magnitudinis, ac rotundæ ferè figuræ, diſtingviturque in partem convexam reflexâ lævitate ſepto transverſo ſeſe aptantem & concavam, quæ inferior eſt & magis inæqualis, extuberans in lobulum & ſinum bifidum excavatione efformans, quorum alter veſiculam biliariam comprehendit, alter verò ſubſtratam ventriculi partem fovet. Adhæc fiſſurâ ſingulari venam umbilicalem exſerit, quæ demum in adulta ætate in ligamentum velut quodpiam ſolidatur.

Membrum eſt planè ſangvineum, & temperamenti ſangvinei, quod calidum & humidum eſt in mediocritate.

Situatur in hypochondrio dextro ſub diaphragmate ac cartilaginibus coſtarum.

Superius jungitur ſepto transverſo ac mucronatæ pectoris cartilagini per ligamentum membraneum, at ſatis validum, poſterius lumborum vertebris peritonæum, inferius anteriusque abdomini per ligamentum umbilicale ſeu venam umbilicalem in adultis in ligamenti ſoliditatem tranſeuntem, cui nomen ſuſpenſorii impoſitum eſt, combinatur.

In quibusdam hepar ſupra modum excreſcit, & ventrem in tumorem attollit, ut hydropem mentiatur, quemadmodum Helmontius quendam virum vidit, cujus hepar 16. libras Brabanticas, ac fœminam cujus jecur 21. libras ponderarit, quorum uterque pro hydropico habitus fuerit. Medicamen autem contra hanc hepatis accretionem eſſe mercurium per ſe præcipitatum.

Officium & munus hepatis eſſe ſangvinem conficere & elaborare, tota credidit antiquitas, quam jecinoris ſangvificationem Helmontius quidem approbat, ulteriorem tamen ejus in corde fieri perfectionem ſtatuit, plurimis enim argumentis in ſuo tractatu de ſextuplici digeſtione alimenti humani probare nititur, ſex principalia fermenta in corpore vigere, unumque poſt aliud operari in aſſumptis nutrimentis, antequam perfectam membrorum

Doctrina Helmontii de ſangvificatione in hepate & corde.

brorum appoſitionem & nutritionem præſtare queant, primum horum fermentorum eſſe acorem ſtomachi, qui cibos duros reſolvat in cremorem liquidum, atque concoctionem in ſtomacho potiſſimum fieri per aciditatem manifeſtam, plus quàm per calorem, ut veteres credidere, nullum enim calorem dura diſſolvere poſſe, prout acor ſtomachi in canibus oſſa, & in volucribus lapillos & arenam diſſolvat & conficiat, atque etiam ſimile quid mechanicè inſtitui queat per liquores acidos ut ſunt acetum deſtillatum, ſuccus citri, ſpiritus ſalis, aqua chryſulca & ſimilia, quibus itidem dura corpora nempe metalla, coralla, oculi cancri, multaque alia (quæ tamen in forti igne integra maneant) diſſolvantur. Acidum itaque ſtomachi fermentum primum operari, ac cibos convertere in cremorem acidum, qui per pylorum elabens confeſtim ſubeat fermentum ſecundum, à felle in duodenum ſpiratum, quo dictus cremor confeſtim è ſuâ aciditate fermentetur totaliter in ſalſum, quantum nimirum à fermento acido ſubactum ſit in diaphanitatem, opacum verò ſeu corporeum adhuc perſiſtens non ſalſificari, ſed intus acidum manere, exterius tamen flavedine tingi à felle, & cum fæcibus ad anum amandari, ut palam fiat in furfuribus, qui ob retentam aliqualem aciditatem in pane ſedem moveant, aſſumptâ ſic ſalſedine ſeroſiorem partem fieri ſegregabilem, ſecernique, & à renibus trans hepar attrahi, & per veſicam expelli. Reſiduam autem & corporaliorem cremoris ſubſtantiam à fermento hepatis ſangvifico vaſis meſenterii ab hepate inſpirato in venis meſenterii fermentari in cruorem, in hepate verò terminari & fieri ſangvinem, ita ut tertia digeſtio ſive fermentatio incipiat in dictis meſenterii vaſis, & in hepate deſinat, differre autem cruorem à ſangvine, eò quod nondum ſit fibroſus, ſufficienterve digeſtus & perfectus, ut appareat in dyſenteria, quod nimirum dictus meſenterii cruor non concreſcat, cum tamen in disruptâ venâ ſtomachi cruor illicò grumeſcat, fermentationem ergò hanc tertiam demum in vena cava ſuam conſequi perfectionem ſangvificantem, atque hactenus fermentum hepatis in tantum inclinari ſangvificationi (ex munere ipſius univoco & unico) quod venæ etiam jure feudi, illam ab hepate proprioque inde inſito Archeo confirmante retineant, ita ut cadaveri dudum à morte non coaguletur cruor in venis, qui aliàs effuſus illicò grumeſcat.

Abſolutâ ergò hac in venâ cavâ fermentatione tertiâ, incipere quartam & in corde compleri ejusque arteriâ, in qua elaboratione rubens craſſiorque venæ cavæ cruor elaboretur, fiatque flavior & planè volatilis, differre autem cruorem hepatis à ſangvine arteriali per quartam digeſtionem colore & conſiſtentiâ digeſti manifeſtam; Quartam hanc digeſtionem perfici in ſiniſtro cordis ſinu, remigio arteriæ magnæ, cruorem trans ſeptum, inter utrumque

que cordis ſinum, medium trahente. Sangvinem autem arterialem jam elaboratum ulterius committi fermentationi quintæ in aure cordis dextra, non alio fine inceſſanter operante, quàm ut à ſinu ſiniſtro aliquid ſpiritus vitæ trans ſeptum cordis poroſum tanquam per exile cribrum trahatur, ut cruor in vena cava juxta cor participatione illius ſpiritus vivificari incipiat.

Cum autem ab aure ſiniſtra & inſigni trunco arteriæ fortior ſuctus fiat ad ſiniſtrum ſinum, hinc parum ſpiritus vitalis cruori venali communicari. Cruorem autem jecorarium (licet perfectionis ſuæ gradum acquiſiverit, poſtquam meſenterium ſuperarit) tantùm pro maſſa quadam mumiali & materia ex qua; at nondum pro perfecto vitali ſangvine habendum, ſiquidem ſemper per ſui totum nimio madeat latice, quo orbari debuerit, priusquam fœcundum & dignum ſpiritus fiat ſubſterniculum, cruorem quidem labi intra muſculorum ſtamina, & fieri carnem, ſed ad alenda viſcera & fibras carnis non facilè transſcendere. Infirmum enim longo morbo extenuatum etiam poſt adoleſcentiam convaleſcentem facilè priſtinum carnis ſtatum reſumere, at non proinde, qui vitio cujusdam viſceris emaciatus ſit, ſimiliter ad priorem ſtatum reſurgere. Hancq; eſſe tabis ſanandæ inteſtinorumque ulcerum medelæ difficultatem. Ubi interim ulcera externa longè pejora per pharmaca oretenus ſumpta ſanentur, tametſi ab ore longius diſtent quàm interna, eò quod viſcera atque membranæ internæ alantur ſangvine plùsquam cruore.

Hæc eſt Helmontii doctrina de ſangvificatione hepatis, à nobis in ſuo valore relicta, cum recentiorum opinionibus de ſangvificatione in corde, miſtione bilis cum ſangvine in hepate, multiplicibus lobulis hepatis, quibus totum ipſius parenchyma conſtet, ac glanduloſis coagmentetur globulis, ad quos extrema omnium vaſorum tam afferentium quàm efferentium, venarum portæ ac cavæ, arteriæ hepaticæ, nervorum, ductusque biliarii hepatici, quin & radicum ex folliculo fellis propagatarum, terminentur, de quibus cum adhuc incerta omnia ſint, judicium ſuſpendimus, ac interim cum antiquis hepar pro principali ſangvificationis officina agnoſcimus, cui etiam hæc nova obſervata, etiam ſi in plerisque ita ſe habeant, nihil derogare poſſunt, imprimis ejusmodi glanduloſorum globulorum coagmentatio omniumque extremitatum vaſorum ad eos confibratio potius primarium hoc ſangvificationis laboratorium confirmatum irent quàm negatum: Prout quoque plerunq; ſingulæ radicum fibræ proprios habent nodulos, in quos deſinunt, in eisque primariam ſuccificationis fermentationem incipere conjecturandum venit. Nunc inſtitutum proſequamur

DE HEPATIS INTEMPERIE.

NOn temerè divinus ſenex protulit: *Sanitatem magna ex*

parte ex jecoris bona valetudine conſtare. Inſtructurus procul dubio imperitos Medicos, ut ante omnia jecoris rationem habeant, ne debilitatem incurrat, hoc enim ſi fiat, nulla erit complexio vel temperamentum licet naturâ ſuâ ſit omnium optimum & firmiſſimæ ſanitatis, quod non unà cum ægrotante hepate continuò infirmetur, & usque ad interitum ſimul ægrotet.

Intemperies hepatis quid?

Omnes itaque valetudinarii ſunt qui intemperie hepatis laborant. Intemperies autem eſt, quando innatâ vel etiam acquiſitâ qualitate hepar nimium eſt calidum vel frigidum, ſiccumve vel humidum, taliterque affecti vocantur à medicis jecinoroſi vel hepatici, quo quidem nomine ab antiquis hi appellati ſunt, qui jecoris inflammatione laborant, jam verò ab omnibus intelliguntur per illud, quibus citra manifeſtum aliquem jecoris affectum ex ſola intemperie ejus imbecillitas accidit.

Signa intemperiei frigidæ.

Signa intemperiei jecoris frigidæ ſunt: corporis univerſi frigiditas cum quapiam intumeſcentia, excrementa ſunt liquida, ac coloris varii, & quandoque vini rubei feces referentia, vel eis ſimilia, minus tamen fœtida, ea quoque primùm diu in alvo ſuppreſſa manent, deinde autem copioſius redduntur cruda, liquida, & aquoſa, urinæ ſunt tenues & albæ, appetentia non omnino eſt proſtrata. Corpus tactu percipitur frigidum colorisque albi vel pallidi, facies eſt tumida ſæpè, præſertim oculi & crura.

Signa calidæ.

Signa verò calidæ intemperiei ſunt: corporis tactus calidus, & color citrinus admodum, ita ut vel album oculorum quandoque flaveſcat, urina eſt pallida, flava & mordax ictericorumque urinæ reſpondet, præſertim ſi jejunant, habitus eorum eſt gracilis, ſuntque ſiticuloſi ob conſenſum ſtomachi, corpus eſt ſiccum, macrumque, lingva ſcabra, dejectiones alvi utplurimum ſunt bilioſæ, & ſi admodum exceſſerint, colliquationes fiunt cum multa bile, craſſæ, olidæ, ex ſangvinis genitæ aduſtione, tam contenti in jecore quàm in meſenterio, mox & caro colliquatur ex calore abundante, febres ardentes facilè irruunt, & colliquationes & cruentam egeſtionem inducunt, vomitusque bilioſos vel æruginoſos, ſimilesque dejectiones, jecore demum colliqueſcente, & in cruentas ſanies contabeſcente, ita ut progreſſu temporis ex ipſa ejus ſubſtantia tandem particulæ longè fœtidiſſimæ decernantur, tales quoque ſunt animi iracundi, hirſuti, vigilioſi, & curis dediti, totoque temperamento calidi, certiſſimum autem intemperiei hepatis calidi ſignum eſt, ardor continuus in volis manuum & plantis pedum.

Signa ſiccæ.

Signa diſcraſiæ ſiccæ hepatis ſunt: habitus corporis ſiccus & ſqualidus, excretio pauca & indurata, arefactio & ſcabroſitas lingvæ, labiorumque, ſiticuloſitas indeſinens.

Signa humidæ.

Signa humidæ hepatis intemperiei ſunt: lingvæ humiditas, ſitis carentia, collapſio faciei nulla, dejectio

ventris

ventris frequens, eaque liquida vel aquoſa.

Progno-ſis. Prognoſis de diverſa ejusmodi intemperie hunc in modum inſtitui poteſt, quod nimirum nulla intemperies negligenda, frigida autem facile in hydropem terminatur, infert etiam plerunque frigida intemperies hepatis hoc malum, ut hæmorrhagiam narium excitet, vel profluvium ſangvinis ex utero, interdumque per hæmorrhoides, ſolet etiam procedente tempore febris ſupervenire, quæ quidem importuna non videtur, adeò ut etiam ab imperitis non advertatur; Calida verò intemperies vehementiores inſultus facit & pro majori vel minori affectus magnitudine majus vel minus periculum creat, & juxta ejusmodi magnitudinem judicatur, & ſecundum majora vel mitiora ſymptomata, nec non ex ſui diuturnitate, & ſi convenientibus medicaminibus expugnari nequit, convertitur autem plerunque in tabem vel hydropem, invaleſcens enim totius hepatis colliquationem affert & corporis conſumptionem.

Cauſæ intemperie calidæ. Cauſæ autem calidæ intemperiei ſunt: uſus ciborum & potuum calidorum, acriorum aromatum, ſimiliumque conditurarum, præcipua autem eſt diſpoſitio linoſa, quæ poſtmodum facilè ab uſu calidorum invaleſcit, carnique & venarum tunicis intemperiem talem inurit.

Cauſæ frigidæ. Frigida econtra fit utplurimum ex multo uſu rerum frigidarum tam interius quam exterius, ut ſunt: victus phlegmaticus & frigefaciens, crebra potatio aquæ, item ex larga profuſione ſangvinis qualicunque modo factâ ſive per nares, uterum, hæmorrhoides vel aliter.

Curatio pro cauſarum diverſitate variat, in frigida intemperie convenit, ut tota victus ratio ad calidum dirigatur, verſando in aëre calidiori & ſicciori, atque in cubiculo ſublimiori degendo, cibi ſint calidiusculi, probè nutrientes & concoctu faciles, herbisque conditi calidioribus, ut ſunt hyſopus, ſerpillum, ſatureja, majorana, fœniculum, meliſſa, ſalvia, quæ imprimis ad omnes affectus hepatis convenit, item apium, petroſelinum, & eorum ſemina, aliaque aperientia, cum hæc frigida intemperies plerunque concurrat cum obſtructione, poteſt ex his & ſimilibus parari vinum medicatum in hunc modum; Curatio. Diæta.

Vinum medicatum.

℞. radic. apii
eryngii
filipendulæ an. ℥ß.
herb. ſerpilli
ſaturejæ
majoran.
ſalviæ
meliſſ.
abſynth.
agrimon.
centaur. minor. an. m. ß.
ſemin. aniſi
fœnic.
apii
petroſelin. ān. ʒij.

concidantur & conquaſſentur omnia craſſo modo, ſacculoque inſutis ſuperfundantur vini albi ℔ VI. macerentur per triduum, tumque

ejus omni manè ℥IV. vel V. bibantur jejunando deſuper tres horas.

Utatur quoque ejusmodi opiata:

Opiata.

℞. Conſerv. meliſſæ
ſalviæ
abſynth. Rom. an. ℥ſ.
cortic. citri condit.
calam. aromat. condit. an. ʒij.
jecoris lupi exſiccat. ʒj.
ſpecier. diagalan.
aromat. roſat. an. ʒſ.
cymar. abſynt. exſiccat. ℈iiij.
uvarum paſſular. enucleat. ℥ſ.
macis ʒſ.
croci ℈j.

cum ſyr. de abſynth. f. opiata. Doſis quantitas caſtaneæ manè & veſperi.

Ex ſuperius recitatis herbis fiat etiam ſubinde decoctum, eoque hepar calidè foveatur.

Diæta in calidâ intemperie.

In calida autem intemperie contrario modo diæta & victus ratio ad refrigerationem ordinetur, fugiendo loca æſtuoſa calidoque aëre perflata, degendo autem in cubiculo inferiori verſus occidentem vel ſeptentrionem, vitando quoque multam corporis calefactionem ab igne, pelliceis, ſolisque radiis, nec non animi pathemata perturbativa ut ſunt iracundia, furor, venus, item exercitia corporis, & vigiliæ, conveniunt in diæta herbæ refrigerantes, ut ſunt intybus, cichorea, portulaca, acetoſa, quæ verò facilè corrumpuntur nullius ſint uſus, ut cucumeres, melones, cucurbitæ, ceraſa dulcia, aliique fructus crudi, item angvillæ & caro pingvis, ova ad duritiem cocta, vinum dulce & multum, ac calida aromata cuncta.

Laudabilis autem uſus ſunt: hordeum & avena decorticata, juſcula pullorum, ipſique pulli gallinacei, aviculæ, perdices, attagenes, cuniculi, capones, phaſiani, alaudæ, turtures, ſervetur etiam quies & ſomnus moderatus, pro potu ſervit cerevi ſia tenuis vel vinum lymphatum ſpiritu vitrioli ſubinde acificatum, vel ſpiritu ſalis, interjectis potionibus medicamentoſis refrigerantibus & aſtringentibus, ut eſt tinctura roſarum, decoctum ſeridis, vel ſantalorum, interveniant quoque medicamenta chalybeata, ſæpiusque propinetur ſuccus cichorii, cum modico ſachari. Regio verò hepatis exterius inungatur illinitione ex cerato ſantalino, plura proponit

TEXTUS.

IN omnibus hepatis intemperiebus extractum agrimoniæ, item radicis graminis mirificè valent, præſertim ſi exhibeantur miſta cum ſpiritu vitrioli ad gratam acetoſitatem.

Acidulæ ſeu aquæ ſpirituales in hepatis intemperie calida & ſicca; item frigida & ſicca, ſi cum extracto centaurii minoris, item cichorii & cum eorum ſalibus permiſtæ & exhibitæ fuerint, etiam accedente ſpiritu vitrioli, aut ſi minus grata extracta fuerint, ſi reducantur illa in arcana, vel ſi ſaltem in infuſis propinentur, effectus ſuos mirabiliter oſtendunt, ſi præſertim ſubinde

univer-

univerſalia neceſſaria, & conveniens victus ratio acceſſerit.

Inter purgantia prævalet rhabarbarum, cujus uſus eſt ſalutaris admodum hepati quoquo modo ad intemperiem quandam inclinanti.

Putredo hepatis *Putredo hepatis incurabilis* (a) *eſt, quanquam pulvis alkaheſt Paracelſi (qui fortè ex mercurio) hîc aliquid poſſe putatur, ſed ſatius judicium ſuſpendere, quàm multa perperam adducere.*

(a) In putredine hepatis incipiente, ſalvia ſativa atque ejus aqua ſtillatitia mirè decantatur.

CAP. CXXIV.
DE JECORIS IMBECILLITATE.

Atonia hepatis quid? ATonia ſive imbecillitas hepatis eſt, quando ipſius facultates naturales langveſcunt, & cum debilitate & imperfectione actiones ſuas obeunt. Facultates autem jecoris naturales ſunt attractiva, retentiva, alterativa & expulſiva, uno verbo chyli in cruorem fermentativa, ejusque ſuperfluitatis ſegregativa, in hoc famulitio ſi defectus occurrat, purusque ac laudabilis ſangvis non generetur, ut in cachecticis & cacochymicis obſervabile eſt, tunc hepar imbecillitate laborat, quod morbi genus frequentiſſimum eſt, diu tamen miſera vita cum ipſo comitata etiamnum protrahi poteſt antequam mors irruat, ſangvis tamen in ejusmodi hepaticæ imbecillitatis ſtatu indies crudior & lymphatior redditur, luculento argumento præcipuam ſangvinis cocturam fieri in hepate, ſi enim ſtatuentibus ſangvificationem in corde aſſentiendum ſit, deberet tunc defectus ſangvificationis cordi ipſi aſcribi, cujus tamen vel omnium minima labes vix unquam diuturnitatem ægrotandi concedit, ſed brevi mortem accerſit.

Signa debilitatis facultatum hepatis. Signa debilitatis ſingularum hepatis facultatum naturalium à practicis hæc notantur, in debilitatâ attractivâ excretio alvi eſt cremori ptiſanæ ſimilis, imperceptâ tamen in ventriculo læſione vel offenſione. Langvente verò retentivâ, dejectio alvi rubens fit, loturamque mactatarum recenter victimarum refert, frequenter quoque ſangvis dilutior & tenuior per nares, aut hæmorrhoides, menſesve, vel exſpuitionem prodit. In imbecillâ autem alterativâ ſangvis manet crudus & indigeſtum ſerum, membris alendis inutile, unde ab ipſis ſpernitur, decumbit itaque inſtar rei gravis deorſum, ac primum pedibus poſtmodumque cæteris partibus intumeſcentiam affert. In expulſivâ autem labefactatâ excrementitii humores, nempe bilioſæ & pituitoſæ feculentiæ à ſangvine non ſequeſtrantur, ſed in hepate retinentur, ejusque temperiem invertunt.

Cauſæ. Cauſæ imbecillitatis hepatis ſunt: vel innata quædam intemperies in frigiditate vel caliditate, de qua in antecedenti capite, vel aſcititia & interventu inconvenientis diætæ intro-

introducta, ut fit per alimenta nimium calefacientia, refrigerantia, humectantia, ſiccantia, craſſa, viſcoſa, obſtructiones parientia, plurimi etiam per repentinum hauſtum frigidum in magno fervore corporis, curſu, labore vel aliis modis percalefacti ingurgitatum jecur ſuum in irreparabilem atonian præcipitant, ſubitanea enim ejusmodi permutatio unius contrarii in alterum absque interpoſito medio planè deſtructiva eſt, ut eluceſcit in ſilicibus duriſſimis candefactis, & confeſtim in frigidam conjectis, penitus enim in pulverem concidunt & deſtruuntur; huc pertinent quoque reliquæ cauſæ in præcedenti capite enarratæ.

Hepatis quoque mentionem facit Hippocrates in ſequentibus aphoriſmis.

Dolor vehemens hepatis febre ſuperveniente ſolvitur. lib. 7. aph. 52

Jecori inflammato ſupervenit ſingultus. 5. 58

In jecoris inflammatione ſingultire, malum. 7. 17

Jecur durum in ictero malum. 6. 42

Durities dextri hypochondrii in morbo regio, minimè bonum. 4. 64

Purulentum jecur adurendum. 7. 45

Ex quo pus purum & album effluens eſt ſignum convaleſcentiæ. 7. 45

Pus album in tunica hepatis continetur. 7. 45

Purulentia hepatis inſtar amurcæ, lethale. 7. 45

Pervulneratio hepatis lethalis. 6. 18

Jecur aquâ repletum erumpens in omentum, ventrem aqua replet. 7. 55

Eſtque prodromus mortis. 7. 55

Curatio fit iisdem medicamentis, quæ ſuperiori capite propoſita ſunt, & quæ habet

TEXTUS.

IMbecillitatem (ἀτονίαν) *hepatis emendant, & in ſtatum priſtinum reducunt temperata illa hepatis auxilia, de quibus jam dictum eſt: cichoreum vel per ſe vel in medicamentum conveniens paratum (fortiora hîc evitanda, verbi gratia vomitoria, purgationes.)*

Ex chymicis eſſentia martis, præſertim in vinum malvaticum implantata, quando nimirum limatura martis candens (℔ſ.) *ſemel atque iterum extingvitur in malvatico* (℔. IV.) *ſic nimirum martis ipſius eſſentia vitriolata malvatico* (a) *communicatur, quod poſtea ab* ℥ſ. *ad* ℥ij. *in juſculo vel hauſtu aquæ cichor. aut ipſius infuſo aſſumitur. Svaviſſimum eſt epatis auxilium, id quod etiam ejus obſtructiones antiquas mirabiliter reſolvit. Martis dulcedo facilè communicatur vini dulcedini.* Eſſentia Martis.

(*a*) Melius

(a) Melius eſſe exiſtimamus è limatura Martis mediante oleo vitrioli tribus vel quatuor partibus aquæ unito parare vitriolum martis viride dulce, ejusque drachmam reſolvere in ℔j. vini malvatici, ac poſtmodum eo vino ita uti, ut hic docetur, à reſtinctione autem candentis limaturæ optima pars vini reſolvitur in vaporem & evaneſcit, quæ noſtro modo retinetur, eadem tamen eſſentia martis ſi non melior in ejus vitriolo continetur; Vel etiam chalybs præparari poteſt, ut in malvatico etiam frigido ſenſim liqueſcat, ſi nimirum chalybs ante follem febrilem ad ſcintillationem usque candefiat, & tum ſuper patinam aquâ repletam integrum fruſtum ſeu magdaleo ſulphuris forcipe ad candentem chalybem admoveatur, ut ambo ſe contingant, ſic chalybs luculenter candens à contractu ſulphuris liqueſcit inſtar ceræ, ac guttatim in patinam cum aqua deſtillat, in aqua autem iterum induratur in globulos, qui exempti ad ignem exſiccantur, atque in mortario in pulverem tunduntur, qui deinde in ollula terrea inter prunas detinetur, donec omne ſulphur conflagret, ac pulvis chalybis ſpadiceum colorem aſſumat, ac lingvæ admotus dulcis ſit ſaporis, tunc ſatis eſt, chalybs hic præparatus itidem in vino aliisque liquoribus etiam in frigore ſenſim liqueſcit, interjecto tamen uno vel altero die.

Præparatio chalybis.

Dejectio alvi cruenta.

Dejectiones alvi cruentas curant eadem, de quibus ſupra in inteſtinorum affectibus.

Tumores pedum.

In tumore pedum præſtant acidulæ ſpiritus vitrioli. Item geranium Rupertianum tuſum & applicatum. Item ceratum (Durchzug) *quod fit ex ceræ partibus duabus ſevi hircini parte una, & olei roſacei parte dimidiatâ, liqueſiant invicem, linteum in eo madefactum & extenſum applicetur calidè.*

CAP. CXXV.
DE OBSTRUCTIONE HEPATIS, Germ. Verſtopffung der Leber.

Obſtructio hepatis quid?

OBſtructio, obturatio vel oppilatio hepatis ſynonyma ſunt denotantia paſſionem jecinoris, qua ex infarctu laborat, ita ut in ejus meatibus ſeu cavitatibus aliquid materialis vel flatulenti hæreat, & obſtructionem efficiat. Obſtructionem iſtam volunt Authores fieri in extremis vaſorum partibus, non autem in propriâ ejus ſubſtantia ſeu parenchymate, ac inſtrumentalem eſſe morbum, non exiſtentem in intemperie, creberrimè autem contingere, eò quod vena portæ per totam jecoris ſubſtantiam in ramulos & ſurculos tenuiſſimos diſpergatur, nec minus tenues ramuſculi à venâ cavâ per eam diſtribuantur, per quos meatulos omne alimentum traducatur & divehatur, eos itaque tenuiſſimos ramuſculos, quos alii venas capillares jecoris appellitant, per cavam & gibbam hepatis partem à vena portæ & cava diſſeminatos obſtructionem pati, & propter

ſuam anguſtiam à lenta pituita in temperamento frigidiori obſtipari, vel ejusmodi obſtructionem etiam ipſas radices (quarum dictæ venulæ capillares veluti fibræ ſunt) ſive initia venæ cavæ aut portæ obſidere & intercludere, ut chymo libera per ea transmeatio denegetur, idque modò in cavâ nunc in gibbâ hepatis parte.

Alii tamen volunt obſtruentem occluſionem non tantum in dictis propaginibus venæ portæ & cavæ, verùm etiam in ipſo parenchymate hepatis fieri, nempe in meatibus & poris ejus inſenſilibus, quibus per totam ſuam ſubſtantiam more reliquarum partium refertum ſit, quorum perſpirabilitate alicubi impeditâ calorem hepatis non poſſe ventilari, nec halituoſa & tenuia excrementa evacuari; quinimò etiam ipſa vaſa & cavitates interdum à vero & minimè vitioſo ſucco nimis tamen abundanter coacervato obſtrui, vel in ſuo transfluxu impediri poſſe, quando à nimia ipſius repletione ita diſtendantur, ut ſe non poſſint contrahere ad excluſionem materiæ contentæ, cujus luculentum ſæpius exemplum detur in nimio veſicæ urinariæ infarctu à diuturniori urinæ retentione, ita ut præ vehementi diſtenſione ſe non poſſit contrahere ad urinam reddendam, ſed gravem patiatur ejus ſuppreſſionem; verùm hæc ratio tantummodò locum habet in iſtis vaſis quæ ad certa receptacula deſtinata ſunt, atque per moram aliquam ſuum contentum continere debent, quemadmodum vaſa talia congregatoria ſunt veſica urinaria, mammæ, renes, in quibus autem celer transcurſus & continua circulatio fit, ejusmodi diſtenſionem vix unquam experientur, ſicuti in rapidis fluminibus hyeme non fit conglaciatio, ſed tantùm in conſiſtentibus & tardè fluentibus aquis.

Agnitio & dignotio obſtructionis hepatis per hæc ſigna notatur. Facies ægri pallet, ſi temperamentum eſt bilioſum, vel albet ſi phlegmaticum eſt, reſpiratio fit difficilis præſertim ad concitatiorem ambulationem vel acclivem motum, ſi nimirum montes vel ſcalas aſcendat, quia pars obſtructa fit gravioris ponderis atque diaphragma ſimul deorſum trahit, ejusque liberum motum impedit, urina eſt alba, tenuis & aquoſa ob defectum coctionis, velut aqua cruda, quæ cocturam cum carnibus non ſuſtinuit, in cruditate manet, ac coloratum jus non exhibet, ita quoque ejusmodi urina adhuc crudum ſerum eſt, alvi excretio itidem liquidior, chyloſa, albida, aquoſior, ac nonnunquam cruenta eſt ob impeditas hepatis facultates naturales, pulſus inæqualis eſt & in pituitoſis langvidus, in bilioſis velox, gravitas & tenſio in hypochondriis ſentitur & quaſi oppletionis ſenſus eodem modo atque his contingit, qui ſe copioſis infarſerunt alimentis, atque ex eis percipiunt gravitatem, quam Hippocrates vocat ſatietatem hypochondriorum, indigetare volens, quemadmodum ſatur ventriculus ciboque diſtentus nihil amplius appetat, ſic hypochondria

Signa diagnoſtica.

chondria infarctu obſtructa, neque attrahere neque expellere, ſed velut ſaturitate quadam oppleta vel obſeſſa teneri, gravitas tamen iſta ſaltem ab ingeſto cibo in obſtructis & inflatis hypochondriis ſentitur tam gravativè, ac ſi immodica oppletio facta eſſet, licet valdè parum cibi ingeſtum ſit, hocque ſignum adeò infallibiliter obſtructionem hepatis & lienis indicat, ut fatente ægro talem ſatietatem à modico cibo, audacter ſine hypochondriorum ejus contrectatione, talis obſtructio affirmari poſſit.

Cauſæ internæ. Cauſæ internæ obſtructionis hepatis ſunt: vel inordinata animi pathemata, imprimis verò vehemens iracundia, quæ ſangvinem repentè efferveſcere, ac unà tenuiorem ejus partem exhalare facit, ubi craſſior pars remanens adhuc magis incraſſatur, eâque groſſitate ſubtiliſſimos meatus opplet, colliguntur quoque in his qui parum exercitationi corporis ſtudent, tractu temporis cruditates, quæ lentore ſuo ſimiliter obſtruunt.

Cauſæ externæ. Cauſæ externæ ſunt: alimenta craſſa mucilaginoſa & pituitoſa, quæ ſuccum nutrititium præbent viſcidum, craſſum & tartareum, imprimis ſi mox à cibo exercitium corporis inſtituatur vehemens, vel balnea quis ab ejusmodi victu ingrediatur, humor enim craſſus ab incaleſcentia corporis in tenues venulas dictas rapitur, quod utplurimum quoque fit ab uſu medicaminum aperientium, dum ventriculus crudis ſcatet humoribus; item vinum meracius copiosè ingurgitatum à craſſis & facilè corruptibilibus cibis, quales ſunt caro præpingvis quælibet, imprimis autem porcina, angvillæ, lac, caſeus, piſa, fabæ, lentes, vinum enim forte & ejus ſpiritus mucilaginoſum dictarum rerum promptè ſolvit, ſecumque ad hepar & renes defert, ubi poſtea illud adhæreſcit, & mucilagineum tartarum affigit, tenuesque meatus occludit; hoc etiam præſtant copiosè ſacharata, mellea & valdè dulcia, difficilimè enim in ventriculo à fermento acido ſuperantur, & in aciditatem rediguntur, ut palam fit tempore autumni, ubi muſtum acidiuſculum in doliis citiſſimè ſuam fermentationem abſolvit & clarificatur; dulciſſimum verò muſtum admodum diu fermentat, nimirum per multas ſeptimanas, antequam dulcedo poſſit à fermento acificante ſuperari, quamdiu autem non ſuperatur, muſtum manet turbidum, idem quoque in ventriculo fieri in valdè ſacharatis & dulcibus rationabile eſt, quod videlicet à fermento acido in ventriculo non ſatis ſubacta etiam feculentiam ſuam turbidam non dimittant, ſed ſecum ad hepar devehant, ubi poſtmodum obſtructionis cauſa inde emergit.

Prognoſtica. Prognoſin quod attinet, obſtructio diuturna radices agit, & facilè tandem in ſcirrhoſam indurationem abit, ubi poſtmodum curationem non amplius ſuſcipit, ſed utplurimum lethiſera eſt, vel etiam putredinem & febrem accendit, practicorum quoque opinatio eſt, ob-

ſtructionem eſſe duplicem, nempe à calida & biliosa materia, & à frigida & pituitoſa, calidam obſtructionem ſuſcitare febrem vel atrophiam, frigidam verò hydropem, at noſtro judicio, qualiscunque obſtructio ſit, in biliosis temperamentis facilè febrem, in frigidis verò cachexiam & hydropem introducet. Sæpè quoque in biliosis icterus obſtructionem eam ſequitur, vel dolor colicus, nonnunquam obſtructio hepatis, ſi in cava ejus parte exiſtit, ſolvitur alvi fluxu aquoſo vel etiam ſangvinolento, ſi in gibba, ſequitur aſthma, difficilisque urinæ emiſſio, quæ etiam aquoſa eſt, cum tumore hypochondrii dextri, alvus ſupprimitur, vel indurata ſaltem ſcybala excernit. Interdum autem malum cum urinâ multâ craſsâ emiſsâ ſolvitur.

Curatio. Curatio inſtituenda eſt cum univerſali corporis evacuatione juxta ægri naturam, ſi itaque obſtructio ſit à cauſa calida, vel potius æger ſit biliosus, quod cognoſcitur ex urina rufa, ſiticuloſitate, pallore vel citrinitate vultus, pulſu veloci, febricula, ventris ſtipticitate & aliis hujusmodi ſignis, primò diæta conveniens eſt ordinanda, ex refrigerantibus, non tamen obſtructivis alimentis, cujusmodi ſunt ptiſana & cremor hordei, & avenæ decorticatæ aceto roſaceo ad gratam aciditatem attemperata, vel quoque cum incoctione paſſularum & momenti cinamomi, conveniunt quoque pruna Damaſcena & acida Ungarica, caro caponum, gallinarum, earumque pullorum & avicularum, item vitulina, absque tamen aromatibus calidis, pro potu inſervit decoctum radicum cichorii, imprimis cum ſero lactis paratum, longè præſtantiſſimæ quoque ſunt hæ radices conditæ ad ℥ ſ. ante prandium vel cœnam aſſumptæ.

In ſtatu plethorico vel in non emaciatis mox incidatur vena, ſtatimque bibat ejusmodi potionem:

℞. ſyrup. acetoſ. ſimpl. Potio.
oxymel. ſcillit. an. ℥ij.
aquæ cichor.
capill. ven.
endiv. an. ℥iij.
tartari vitriolat. ℈ij.
m.f. juleb. pro tribus doſibus.

Poſtea propinetur purgativum conveniens ex. gr.

℞. rhabarb. opt. ʒij. Purgans.
aquæ cichor.
endiv.
gramin. an. ʒX.

Infundantur ſimul per noctem, manè expreſſione factâ adde ſyr. roſar. ſolutiv. ℥j. m. pro una vice.

Evacuato corpore nos optatiſſimo cum ſucceſſu ordinamus chalybeata, imprimis infuſionem chalybis per ſulphur præparati, ut ſupra cap. 124. docuimus, poteſt autem pro bilioſo infuſio fieri in vino tenui albo acidiuſculo, cum herbis hepaticis hunc in modum:

℞. herb. cichor. *Vinum chalybeatum.*
endiv.
cuſcutæ
lingvæ cervinæ
fumar. an. m.j.
baccar. alkekeng. conquaſſat. ℥iſ.

conci-

concidantur omnia, & inſutis ſacculo ſuperfundantur in cantharo lapideo vini albi lymphati ℔. VI. tum etiam ſeorſim in nodulo immittantur ℥ij. chalybis præparati, reponatur cantharus probè obturatus in cellam per quatriduum, poſtea omni manè jejuno ſtomacho tribus horis ante cibum bibantur tres vel quatuor unciæ, ſi alvus non ſatis deponit ſimul in hoc vino infundantur rhabarbari monachorum ℥j. vel ℥iſ. ac ſubinde ad confortandum jecur aſſumatur diatrionſantal. in tabulis, inungatur etiam regio hepatis ungvento ſantalino.

Obſtructio frigida. Frigida autem & pituitoſa ſi ſit obſtructio, quod pernoſcitur ex albido pallore & tumiditate faciei, tumore pedum, urina tenui & albâ clarâ, gravitate & obtuſo dolore dextri hypochondrii, difficultate ſpirandi, pulſu molli & langvido, ſitis carentiâ, ſalivalitate oris, anguſtiâ & aſtrictione venarum, & his ſimilibus ſignis, tunc in victu vitentur omnia craſſa, viſcida & mucilaginoſa, ut ſunt: lac, caſeus, caro porcina, & quælibet pingvis, item bubula, vaccina, hircina, pedes quadrupedum, angvillæ, congri, murenæ, cerebrum, viſcera, fabæ, oryza, ſacharata & mellaria, nec non farina ſiliginea cum lacte in pultem cocta; conveniunt autem carnes pullorum, gallinarum & caponum, perdicum, turdorum, aliarumque avicularum, caro quoque vitulina, item aromata ut piper, zingiber, cinamomum, crocus, & herbæ culinariæ calidæ ut: pulegium, apium, majorana, ſatureja, hyſopus, aſparagus, fœniculum, cappares & ſimilia calida, frigefacientia autem & facilè corruptibilia omninò fugiantur, ut cucumeres, cucurbitæ, melones, caſeus recens, & lac quod quo craſſius eò deterius eſt pro hepaticis & calculoſis. Potus ſit vinum tenue album, à cereviſia autem craſsâ abſtineatur, aër auſtrinus, frigidus, pluvioſus & ventoſus nocet, ſiccus autem convenit calidiorque, & cubiculi ab eo perflatio, cœlo ſereno exiſtente, ac moderata corporis exercitatio ante cibum, poſt cibum autem nocet, atque tunc quies ſervanda, absque tamen ſomno diurno, prodeſt panis probè fermentatus, imprimis ſi etiam ſit ſalitus, & cum cumino vel fœniculo vel aniſo ſubactus. Cibus autem concoctu facilis offeratur in parva quantitate pro vice, nec citius quàm priore concocto.

Medicamenta ſint incidentia craſſamque materiam ſubtiliantia, concoquentia ac demum purgantia, poſtmodumque obſtructionem auferentia.

Initium ergò poteſt fieri uſu tartari vitriolati à ℈ſ. ad ℈j. in juſculo incoctionis rad. apii, fœniculi, petroſelini & ſimilium, aliquoties repetito, deinde corpus evacuetur exhibito phlegmagogo ex. gr. Digeſtiva.

℞. flor. caſſiæ ℥j. Purgans.
agar. trochiſc. ℈iſ.
ſtœchad. ℈j.
ſeri lactis ℥IV.
f. infuſio per noctem, colatura detur pro vice.

Aliud. Vel ℞. cremor. tartari ʒſ.
reſin. jalap. ℈ſ.
ol. cinamom. gutt. IV.
f. pulvis in juſculo ſumendus.

Aperientia. Poſtmodum locum aperientium diverſa ſubire poſſunt, nempe dialacca, diarhodon, ſuccus fumariæ inſpiſſatus, nec non abſynthii, qui excellens eſt, trochisci de rhabarbaro & ſimilia, chalybeata tamen omnibus palmam præripiunt, poteſtque chalybs indicato ante modo præparatus cum radicibus & herbis hepaticis calidis ſumma cum utilitate in vino albo infundi, ut ſunt: rad. fœniculi, dauci, filicis, apii, herbæ chamædr. abſynth. agrimon. cuſcut. fumar. centaur. &c. cum his, vino albo & chalybe procedatur, ut paulò ante indicatum eſt.

Specificum in obſtructione hepatis. Pro admirando ſpecifico ad quamlibet hepatis obſtructionem decantatur pulvis hepatis lupini exſiccati ad ʒj. cum decocto centaur. minor. exhibitus, poteſt quoque miſceri opiatæ hoc modo:

Opiata. ℞. conſerv. meliſſ.
flor. beton. an. ℥ſ.
pulv. hepat. lupi ʒVI.
trochiſc. de rhabarb.
ſpec. diatrionſant. an. ʒj.
cum ſyrup. d. eupator. q. ſ. f. opiata.
Doſ. quantitas nucis moſchat.

Utiliter etiam regio hepatis exterius inungitur ejusmodi linimento:

Linimentum. ℞. ol. nardin.
abſynth. an. ℥ſ.
ſucci apii ℥j.
coquantur ad ſucci conſumptionem, adde
ol. maſtichin. ʒij.
ceræ q. ſ. f. ungventum.

Plura egregia proponit Authoris

TEXTUS.

Obſtructiones hepatis à quacunque cauſa profectas expediunt univerſalia illa, de quibus in renum affectibus, quæ alioquin tartarum per univerſum corpus natum demoliuntur (omnes macrocosmi obſtructiones à tartaro, ergo & microcosmi) quibus ſi illa quoque acceſſerint, quæ communiter à practicis in hepatis obſtructione præcipiuntur, quomodocunque medicamenti vicem ſuppleant, ſunt tamen pro indubitatis vehiculis, quibus medicamenta deobſtruentia (i. e. tartarum reſolventia) citiſſimè devehunt, & quaſi ad operandum efficaciora reddunt. Itaque infuſiones, decocta, apozemata, ſyrupi tam communes quàm magiſtrales, item aquæ deſtillatæ cum aliis multis intrinſecus & extrinſecus quoque adhibendis minimè negligenda ſunt.

I. *In omnibus hepatis obſtructionibus dextrè demoliendis principes partes obtinet Mars ſeu ferrum, cujus ſcobs cruda (à ℈ſ. ad ʒſ.) ſæpius* (a) *ingeſta (quotidiè bis terve) mirum quantum valeat in talibus affectibus.*

(a) Scobs ferri ſeu chalybis bellè in liquidam formam redigitur, ſi ſuperfuſa

perfuſa bonâ quantitate ſpiritus vitrioli Philoſophici digeratur in arenâ calidâ, tetro enim cum fœtore ſolvitur cum ſeparatione copioſâ ſulphuris cujusdam rutili, quod ex antimonio videtur proficiſci, ſolutione & filtratione Martis hujus factâ etiamnum nos aliquid recentis ſpiritus vitrioli Philoſophici affundimus, & ita in liquidâ formâ guttatim exhibemus in vino vel alio vehiculo, extractum hoc vel ſolutio Martis vel ut lubet appellare eſt coloris ferè crocei, ſi verò unciis circiter quinq; vini albi ejus guttæ XX. vel plures inſtillentur, vinumque aliquo bacillo vel cultro probè circumagitetur, lacteſcit nonnihil vinum, & ſaporem dulcedinis aſtringentis in lingva exhibet, hanc autem doſin pro vice exhibemus.

Martis præparationes excogitatæ ſunt multiplices: ſimpliciores verò quò fuerint, eò meliores, ſimplicitate ipſa natura gaudet.

Specifica hepatica ſunt 1. vinum martis. *Sic igitur* I. *vinum martis ſupra de imbecillitate hepatis deſcriptum prodeſt, tanquam ad ſimplicitatem magis accedens, ſi detur in convenientibus iſtis liquoribus, alioquin ad expediendas obſtructiones hepatis uſitatis. Aut ſi minus ferre poſſint patientes, in quotidiano potu, vel etiam cibo, doſis ab initio minor ad evitandam nauſeam.*

2. Pulvis cachecticus ſimplex. II. *Eſt pulvus cachecticus ſimplex elegantis virtutis in omnibus obſtructionibus internis. Ille ſic fit:*

℞. *chalybis præparati part. j.*
caſſiæ ligneæ partes iij.
ſachari albiſſimi partes iiij.

m. f. pulvis (chalybs in bracteas tuſus tantisper tunditur ſuper incudem, donec prorſus in ſcoriam abeat, poſtea ſubtiliter pulveriſetur; incus benè mundetur undique) ejus tantum, quantum mucrone cultri arripi poteſt, detur ter quotidiè manè jejuno ventriculo, horâ tertiâ veſpertinâ, & ituro cubitum (eine gute Meſſerſpitze voll *à ℈ſ. ad ℈j.*) *tamdiu donec omnis obſtructio fuerit expedita, etiam ad aliquot ſeptimanas continuando.*

III. *Eſſentia croci martis quoque laudabilis eſt, vide de imbecillitate hepatis.* 3. Eſſentia croci martis.

NB. *Hæc tutius exhibetur in fine poſt priora aperientia, leniter nimirum aperit & aſtringit, præſertim cum exhibitione præcedentium, alvus quoque nonnullis cieatur vehementius.*

IV. *Eſt ſpiritus tartari cum ſuo ſale ſpiritualiter prolecto fortificatus, cujus virtutes ſunt mirabiles, vide Crollium in digeſtivo univerſali.* 4. Spiritus tartari.

V. *Eſt aqua compoſita ex vitriolo & tartaro, cujus meminit Penotus tractatu de Medicina Chymica, compoſitio talis eſt* 5. Spiritus aperitivus Penoti.

(compo-

(compoſitio hæc non nihil immutata eſt à me, eâ feliciter uſus ſum in hydrope) ℞. *vitrioli Ungarici ad rubedinem calcinati* ℔. *IV. ſilicum è fluminibus collectorum & optimè calcinatorum* ℔. *V. tartari ad albedinem calcinati* ℔ *j. miſta inque tenuiſſimum pulverem tuſa reponantur aliquandiu in locum humidum, ut per deliquium in liquorem aliquantum abeant, poſtea deſtilla per alembicum in arena ter, ſingulis vicibus capite mortuo in pulverem redacto, reaffuſo humore deſtillato; Extremo per retortam igne aperto, ſed ab initio lento primum phlegma deſtilla, poſtea verò ſpiritum acidum auctioribus ignis gradibus elice. Ex capite mortuo calcinato ſalem extrahe & cum eo ſpiritum acidum, ablato prius phlegmate in Balneo circula vel digere. Tandem cum argillâ toto circulato in paſtillos redacto, iterum ex retorta igne nudo, gradibus tamen obſervatis ſpiritum alkaliſatum provoca, quemadmodum alioquin fieri ſolet cum ſpiritu tartari, ſale proprio fortificato. Doſis eſt à* ℈*j. ad* ʒ*ij. in vino vel alio convenienti liquore.*

Spiritus vini tartariſatus. VI. *Aqua Philoſophica ſeu ſpiritus vini tartariſatus (hoc eſt qui eſſentiam extraxerit ex tartaro, ſpiritus vini habeat aliquid phlegmatis* (b) *cujus beneficio ſalem arripit; tartarus ad cæruleitatem calcinetur) hæc principalia deobſtruentia interdum non tantùm obſtructiones ſolvunt, ſed liberè etiam per alvum ſubducunt. Id quod partim fit propter diſpoſitionem corporum, partim propter ipſum medicamentum. Sic mars plerunque etiam per inferiora deturbat. Sic aqua Philoſophica tartariſata liberius per alvum movet.*

(b) Etiam in quibusdam aliis operationibus, ubi ſolutio vel extractio per ſpiritum vini fieri debet, hoc notandum, ut ſpiritus vini non ſit rectificatus, ſed etiamnum phlegma contineat, quo mediante ſolvit, aliàs vix vel non, quod quidem experti ſumus in ſulphure antimonii aurato (ut vocant) quod aliquando cum ſpiritu vini vulgari non rectificato per aliquot ſeptimanas digerendo dulciſſimam eſſentiam in ſpiritum vini depoſuiſſe advertimus, idem ergò aliâ vice etiam cum ſpiritu vini rectificato experturi, poſt ſatis diutinum temporis ſpatium nullam ſpiritus vini colorationem è ſulphure factam deprehendimus, imò dum per curioſitatem videre vellemus, an non per diuturnitatem demum extractio fieret, vitrum per integrum annum in frigido reliquimus, nulla tamen coloratio ſecuta eſt, cum tamen vulgaris ſpiritus vini intra paucos dies etiam in frigido loco repoſitus è dicto ſulphure coloretur.

Quod

Quod ſi itaque ejusmodi alvi dejectiones quoquo modo excitatæ, obſtructionibus ſuppetias ferunt, id quidem benè; ſin minus, quandoque alvus ſollicitanda eſt; id verò commodius neutiquam fieri poteſt, quàm per cremorem tartari. Si fortior alvi ſegnities urgeat, confugiendum ad extractum rhabarbari, & extractum pilularum de ammoniaco (aliàs pilulæ Riverii) quod tale eſt:

Pilulæ aperientes.

℞. gummi ammoniaci in aceto ſcillitico ſoluti ℥iij.
ſpec. bieræ picræ ſ. ℥iſ.
aloës crudæ ℈iiij.
myrrhæ ℈j.
croci gr. VI.
cum ſyrupo de abſynthio f. maſſa mollis (c) *quæ extrahatur cum ſpiritu vini alkaliſato (hoc eſt tartariſato) ad formam extracti, doſis à ℈ſ. ad ℈j.*

(c) Quorſum opus cum ſyr. d. abſynth. prius parare maſſam? cum ſaltim pulveriſatas ſpecies ſpiritus vini melius aggrediatur, & ſi quid conferre abſynthium putetur, mox ejus exſiccati manipulus etiam ante extractionem pulveribus adjici poſſet.

Cautela: Quamtumvis in obſtructionibus hepatis aliàs curandis etiam externa, qualia ſunt epithemata, fotus, inunctiones, cerata, emplaſtra, forinſecus ad regionem hepatis offerantur: hæc tamen minus neceſſaria ſunt in uſu prædictorum interno: niſi quod forſan durities renitens ad tactum etiam externa medicamina poſtulet: tunc nimirum externa reſolventia in ſubſidium accenſeri debent.

In obſtructione omni ad duo imprimis reſpiciendum, ut morbus curetur, cauſaque continens auferatur, & præcaveatur, quod fit, cum materiæ copia imminuitur, craſſa inciditur & attenuatur, viſcida detergitur, fluens revellitur, ſimulque evacuatur, flatus diſcutiuntur, pars quæ materiam vel generat vel ſubminiſtrat, corrigitur. Exhibito igitur prius lenitivo, ſi plethora adſit, aut evacuatio aliqua conſveta ſuppreſſa, ab initio ſtatim baſilicam aperire conveniens eſt. Hinc corpus purgatione abundanti humori analoga evacuetur, adhibitis in principio lenioribus medicamentis, poſtmodum ad ea, quæ intemperiem ſemper quaſi obſtructionis comitem corrigunt, adduntur, admiſtis ſimul aſtringentibus, quæ principis hujus viſceris robur firmitatemque conſervant, de quibus omnibus videantur Practici.

Aſcribi hic imprimis poteſt aqua deſtillata deoppilativa.

Aqua deoppilativa.

℞. rad. amaræ dulcis ℥iij.
ſummitat. lupuli
cichor.

epaticæ
cuſcutæ
ſcabioſæ
eupatorii an. m. ij.

infundantur in ſero lactis ad tres digitos per tres dies hinc in vaſe deſtilla. Hujus aquæ ℥iiij. m. cum ſyrup. de quinque radicibus ℥ij. detur ſingulis matutinis, interpoſita ſingulis binis aut trinis diebus purgatione.

Tabulæ croci Martis.

Fiant quoque tabulæ ex croco martis ſequenti modo: ℞. limaturæ chalybis & ſulphuris ana, m. & in crucibulum ad ignem lentum primò poſtmodum fortiorem, & tandem fortiſſimum pone, ut ſulphur omne exhalet & conflagret. De novo miſce materiam cum æquali parte ſulphuris, quod iterum, ut dictum, in igne exhalet & conflagret, donec materia non amplius ſulphuris odorem ſpiret. Dictam materiam optimè pulveriſa, inde ſartagini ferreæ, & affunde aceti acerrimi ad eminentiam digiti, ſuper ignem carbonum patentem loca, donec acetum omne exhalet, ſemper agitando materiam ſpatulâ. Cum exhalavit totum acetum, adde aliud, & ut prius exhala, dando ſub finem ignem fortiſſimum, ut tota materia optimè rubeat, quæ aliquandiu moveatur adhuc, & ab igne removeatur, & frigeſcat (d) *hinc in pulverem ſubtiliſſimum redigatur. Ex hujus ℥j. ſachari albiſſimi in aqua agrimoniæ ſoluti ℔ſ. f. rotulæ, quibus in fine coctionis addatur gutta una atque altera olei caryophyllorum.*

(d) Melius eſſe judicamus, ſi loco hujus croci martis accipiatur vitriolum martis ad aliqualem rubedinem calcinatum, vel aliqua pars ipſius olei & ſpiritus deſtilletur per lutatam retortam, ita ut non extremâ ignis torturâ pellatur, ſed mediocriter per unum ſaltem diem, & poſtea ceſſando, & invenitur vitriolum ad rubedinem calcinatum, multo adhuc ſpiritu & oleo turgidum, quod verò egreditur, etiam in vino abſynthite per vices guttatim exhiberi poſt ejus rectificationem in hoc morbo poterit.

Fit quoque conſerva ex radicibus cichorii recens lotis, & optimè conquaſſatis, vel etiam per ſetaceum trajectis cum ſ. q. ſachari. Eædem etiam radices conditæ proſunt.

Prodeſt etiam hic maximè tinctura corallorum cum aliis permiſta, aut ſyrupus corallorum Quercetani, qui vel unicum in quavis imbecillitate hepatis remedium, quemadmodum & ſal corallorum in aqua plantaginis diſſolutum à ℈j. ad ʒſ. ac per vices exhibitum, quod hoc modo in omni fluxu hepatico ab imbecillitate hepatis cauſato præſtantiſſimum

mum eſt, ſi cætera ad diætam & alia pertinentia non negligantur.

CAP. CXXVI.

DE TUMORE ET SCIRRHO HEPATIS, Germ. Leber-Zelten.

Tumore hepatis. TUmores hepatis & lienis frequentiſſimi ſunt, per tumorem autem apud Practicos intelligitur non tantùm ſimplex inflatio & elevatio hujus partis, verùm apoſtema & abſceſſus, omnisque diſtenſio & divulſio ſuperioris partis à ſubjecta ſubſtantia, cum qua prius unita & continua fuit, interventu alicujus humoris vel flatus divellentis. Cum ergò diverſæ materiæ intervenientia advertatur, etiam diverſi tumores inter ſe differentes in hepate notantur.

Quando enim è nimia plethorâ & efferveſcentiâ ſangvinis tumor in hepate oritur, tunc phlegmone Germ. ein Blutgeſchwer nominatur: ſi è bilioſo ſangvine, eryſipelas Germ. die Roſe vocatur; ſi è pituitoſo & flatulento ſangvine, Oedema, Germ. eine weiche wäſſerige Geſchwulſt appellatur; ſi è terreſtri & melancholico ſangvine, ſcirrhus, Germ. ein harter Zelten/ dicitur. Hi tumores autem iterum juxta magnitudinem diſtingvuntur; duplices enim tumores in hepate proveniunt, nempe exigui tumuſculi puſtulis ſimiles hydatides vocati, ſeroſo humore ſeu flatulento ſpiritu plerunq; repleti, nec non alii grandiores, totam obſidentes ſuperficiem, vel nonnullam ejus partem, cavam nimirum vel gibbam.

(Diverſæ tumorum ſpecies. Phlegmone. Eryſipelas. Oedema. Scirrhus. Hydatides.)

Phlegmone autem & eryſipelas utplurimum concurrere ſolent, ut mox deſcribetur.

Scirrhus verò nomen quidem generale eſt cujuslibet tumoris duri, ubicunque ille ſubnaſcatur, frequentior tamen cum in hepate & liene eſſe ſoleat, ferè intelligitur alio cognomine non adjecto.

Duplicis autem eſt ſortis, recens enim, atque etiamnum ſenſilis dolensque tumor ſcirrhoſus vocitatur, diuturnitate verò in lapideam duritiem tranſiens, ſenſumq; ac omnem dolorem exuens, ſcirrhus dicitur exquiſitus.

Cauſæ tumorum & puſtularum in hepate ſunt: ſangvis bilioſus, alimenta acria atque multus uſus aromatum, ut ſunt: porrum, cepæ, ſinapi, piper, caryophylli: Cauſæ

Cauſæ autem ſcirrhi ſeu tumoris duri in hepate ſunt: vehemens & diuturna hepatis obſtructio, humores viſcidi, craſſi, nimio calore exſiccati, aut frigiditate indurati, ut Practici volunt, quod nimirum victu craſſo alimentisque facilè obſtruentibus utentes, qualia ſunt legumina, piſa, fabæ, lentes & ſimilia, conficiant ſibi chylum cruoremque lentum, quo exiles venulæ hepatis, pori & meatus facilè occludantur, idque vel concretione per modum tartari vini à frigiditate indurante, vel exſiccatione per modum tragacanthi aliorumq; gummatum mucilaginoſorum, à calore tenuiorem humiditatem evaporante & ſpiſſiorem

rem partem inſpiſſante & exſiccante in gummeam duritiem; item medicamenta externa topica impensè adſtringentia & refrigerantia, à quibus pori cutis obſtruuntur, & transſpiratio impeditur, atque obſtructio non modò augetur, verùm quoque ab aſtringentibus induratur; ita ut perpetuò ejusmodi applicatio actu frigidorum in inflammationibus hypochondriorum ſit fugienda, ipſa enim quoque nuda frigiditas aſtringit & indurat, ut videmus flante boreâ, ventres mox aſtringi, & laxas gingivas habentes, ſi paululum ſaltem aluminis tantillum temporis in ore teneant, licet omnem ſalivam poſtea cum alumine exſpuant, induratas tamen gingivas percipiunt, imò olea expreſſa licet fluidiſſima ſint, & ipſius ignis pabulum, tamen à nudo frigore hyemis tempore adeò congelantur, ut ſcindi fermè cultris poſſint.

Olea verò deſtillata à frigiditate quidem non congelantur, à calore tamen ambiente progreſſu temporis demum itidem planè ſpiſſeſcunt, & iterum in gummeam duritiem concreſcunt, evaporare nimirum faciente calore partes eorum humidiores, & reliquas exſiccante, ita ut ſola olea utrunque modum indurationis hepatis clarè dilucident. Denique quicquid cauſa eſt obſtructionis hepatis, etiam ſcirrhum ejus producere poteſt, atque ita quæ antecedente capite dicta ſunt de cauſis ejus, etiam hic dici poſſunt, imprimis autem probatio ibi facta de uſu dulcium & ſacharatorum hepati ſummè noxio; fieri quoque poſſe hunc ſcirrhum ab externa violentia, nempe ictu, caſu, compreſſione verſus hypochondria, probabile eſt, quotidiè enim ab anguſtis calceis compreſſis pedum digitis clavos corneam duritiem æmulantes, ſummèque dolorificos accreſcere videmus, ſemelque factos poſtea radicari, ita ut ſæpius etiam abſciſſi ſemper recreſcant. Plerunque etiam gibbi ingentes ab illatâ ſpinæ vi externâ ortum ſuum trahere videntur; idem ergò quoque in jecore fieri poſſe non dubitamus, ut à percuſſione vel contuſione, contra regionem ejus vel compreſſione ab arctis veſtibus, vel nimis crebro & diutino recubitu in dextro latere vim compreſſivam patiatur, ab eaque clavum ſui generis ſeu ſcirrhum producat.

Prognoſin quod attinet, ſcirrhoſi tumores ubicunquè ſint, non niſi ſui initio curationem ſuſcipiunt, idque ſatis difficulter, induratio enim curſu naturæ ſemper inclinat ad majorem indurationem, & quò magis ſola emollientia adhibeantur, eò magis tumor augetur, exquiſitus autem jecoris ſcirrhus, qui etiam jam ſenſilitatem depoſuit, penitiſſimè inſanabilis eſt, eumque curaturus ſaltem ludibrium reportaret, proinde Medici ab ejus curatione abſtinent, eamque Deo & naturæ committunt. Invaleſcente verò hepatis ſcirrho totius corporis color defœdatur & ex nigro flavet, pedes & venter deinde intumeſcunt, partes autem ſuperiores marceſcunt, & graci- Prognoſtica.

graciléſcunt, ac hydrops ingruit, nonnunquam ob impeditam per obſtructionem hepatis attractioné ex alvo chyli fit profluvium, quod etiam per ſe lethale eſſe ſolet.

Hydatides verò ſeu puſtuloſi tumuſculi ruptione ſua hepar exulcerant, quæ exulceratio ſi aliquantulum intret in ſubſtantiam, etiam inſanabilitatem faciunt. Teſte Hippoc. lib. 6. aph. 18. *Diviſum* (inquit) *hepar lethale eſt.* Molienda itaque eorum ſanatio, dum adhuc ſuperficiales exiſtunt.

Curatio. Curatio ſcirrhi à Practicis ſtatim in morbi principio antequam in confirmationem abeat tentatur, dum ejus præſentiam per ſigna advertunt, ægro enim dexter decubitus facilis, ſiniſter verò gravis eſt, ac moles quædam velut ſuffocans in ventriculum & præcordia incumbit, accuratè quoque tactu exploranti ſitu & figura jecoris circumſcriptus percipitur tumor ejusmodi durus. Statim itaque talem victum inſtituunt, qualis obſtructioni hepatis convenit, atque etiam iisdem medicamentis utuntur. Unicè autem à præſtantiſſimis Practicis commendantur quæ partim alvum expurgant, partimque urinas movent.

Si itaque cauſa ſit victus craſſus & pituitoſus, phlegmagogon ipſi propinetur ex. gr.

Purgans phlegmagogon.

℞. agar. trochiſc. ʒij.
galang.
zingib. an. ℈j.
aq. chichor.
fœnic.
abſynth. an. ℥iſ.

f. infuſio per noctem, manè ebullitione & expreſſione factâ

℞. colaturæ ℥IV.
ſyr. roſar. ſolutiv. ℥j.
diaphœnic. ʒij.
m. detur ſummo manè.

Poſtmodum uſurpentur in apozemate vel vino medicato, quæ humores viſcidos incidant & obſtructos meatus aperiant, ut ſunt: radices aſparagi, fœniculi, petroſelini, apii, graminis, maceratæ in aceto, folia & ſummitates agrimoniæ, marrubii, ſcolopendr. capill. veneris, cuſcutæ, ceterach, card. benedict. ſemin. petroſelin. viticis alkekeng. aniſi, fœniculi, additis purgantibus, nimirum rhabarb. monachor. ſenâ, agarico & ſimilibus. Aperientia.

Ad oppilationem hepatis mirè hoc electuar. poſt univerſalia prædicatur.

Electuarium.

℞. rhabarb. opt. ʒiſ.
hepat lupi exſiccat.
diarrhod. abbat. an. ℥j.
cum oxym. ſimp. q. ſ. f. electuar.

Foveatur quæque regio hepatis ejusmodi fotu:

Fomentum.

℞. rad. althææ contuſæ
bryoniæ raſæ
lilior. alb.
ebuli an. ℥j.
herb. abſynth.
malv.
althææ
agrimon.
chamæm. an. m. j.
ſem. lini
fœnugræc.
baccar. junip. an. ℥ſ.

coquantur conciſa in ſ. q. aquæ com-

munis & lib. ſ. aceti vini ad medias, colatura calidâ ſpongiâ munda excipiatur, eâque manè & veſperi ſemper recalefactâ regio hepatis, per ſemihoram fomentetur, poſt fotum inungatur eadem regio ſequenti ungvento calefacto:

Ungventum.

℞. ol. de cappar.
absynth.
maſtichin. an. ℥ſ.
ſucci rad. bryoniæ
apii an. ℥iſ.

coquantur ad ſuccorum conſumptionem, adde mucag. radic. althææ cum aceto roſac. factæ ℥ſ.
gummi ammoniac. in aceto ſcillit. ſoluti, trajecti & reinſpiſſati ʒij.
ceræ q. ſ. f. ungventum molle.

Poſt inunctionem imponunt Practici emplaſtrum ex ammoniaco & bdellio, quod in hunc modum parari poterit:

Emplaſtrum.

℞. gumm. ammoniaci
bdellii an. ℥ſ.

macerentur in aceto roſac. poſteaque coquantur ac reſolvantur, adm iſce tum
ol. abſynth.
maſtichini an. ʒiſ.
ceræ ſtillatit.
ſtyracis liquidæ an. ʒj.
ceræ q. ſ. ad conſiſtentiam cerati.

Ad hydatides autem ſeu puſtulas hepatis curandas parva ſpes eſt, præ omnibus tamen aliis medicamentis pro eis commendatur decoctum radicis chinæ, eodem modo paratum & uſui patum, ut in morbo Gallico fit, ubicunque tamen illud juvat, ibi eandem operationem longè efficacius præſtat præcipitatus aureus, cujus confectionem alibi docuimus.

Jam quoque in uſum vocemus medicamenta, quæ proponit

TEXTUS.

IN ſcirrho epatis non nimis inveterato dextrè expediendo ſufficiunt omnia, quæ de obſtructionibus ſolvendis dicta ſunt (ſcirrhus eſt tranſitus à mucilaginoſo tartaro in tartarum abſolutum.)

Quòd ſi verò ſcirrhus fuerit contumacior, tandem progrediendum eſt ad externa, in quibus omnem paginam abſolvit emplaſtrum de ſucco cicutæ (& mandragora cum ammoniaco) vide Cardanum, Heurnium & Fabritium Hildanum in obſervationibus Chirurgicis.

Emplaſtrum hoc dolorificum eſt, ante tumoris macerationem, relinquendum tamen nec niſi tertio quovis die innovandum. Hoc feliciter uſus ſum in Teichmanno J. C Marpurgi. Ab hujus uſu poteſt adhiberi clyſter emolliens & ſubducens ſaburram reſolutam. Vide infra de ſcirrho lienis.

Tumor hepatis.

In tumoribus hepatis ſeu ſcirrho vehementia purgantia & deobſtruentia omninò ſunt vitanda. Tartarus vitriolatus in decocto

cto paſſularum cinamomo vel etiam foliis agrimoniæ additis, ſi à cruditate (ſangvinis) vel ſemine aniſi, fœniculi, carvi ſimul coctis, ſi à flatibus, unicè hic præſtat. Sæpè etiam rhabarbari extractum vel ipſius infuſum in aqua acetoſæ, cichorii, centaurii minoris, endiviæ, debito modo exhibitum tumores crudos reſolvit.

In flatibus diſcutiendis etiam externa fomenta è carminativis facta: Item ungventa & emplaſtra ſæpè profuere.

Tumor muſculorum. *Tumor muſculorum abdominis in hypochondrio dextro rarò occurrit. Hîc tamen præter dicta maximè conferunt externa, oleum amygdalarum amararum, dialthæa, emplaſtrum de melilotho &c.*

CAP. CXXVII.

DE INFLAMMATIONE HEPATIS, *Germ.* Entzündung der Leber.

IN præcedenti capite de diverſis tumoribus hepatis mentio facta eſt, quales ſunt: phlegmone, eryſipelas, quæ duo concurrere ſolent, œdema & ſcirrhus, quæ pariter conjuncta eſſe conſveſcunt, ſcirrhus enim ante ſui indurationem œdema eſt, cum ergò de ſcirrho jam ſufficienter dictum ſit, nunc de inflammatione agamus. Inflammatio hepatis quid? Inflammatio itaque hepatis eſt affectus communis ac frequens ejusdem, quemadmodum enim ſangvis facilè corrumpitur, ita etiam inſtrumentum coctorium ſangvinis eâdem facilitate corruptioni & inflammationi auſcultat, cum etiam ſubſtantia ejus ſangvis coagulatus videatur, atque in modum ſangvinis corruptibilis ſit.

Agnitio & dignotio inflammationis hepatis in his ſignis conſiſtunt: Signa. percipitur primò gravitas quædam in dextro hypochondrio ad coſtas nothas, cum calore, dolore & febre, quæ circa noctem magis ingraveſcit, juxta inæqualitatem tamen temperamentorum in uno magis vel minus quàm in alio, reſpiratio eſt difficilis, ac per brevia intervalla trahitur, cum majori inter magnam ſpirationem moleſtiâ, identidem quoque æger à ſingultu vexatur, nec non moleſtâ tuſſi ſiccâ, pulſus eſt durus & inæqualis, ſitis adeſt vehemens, appetentia verò dejecta, decubitus in utroque latere moleſtiam creat, ſi enim in dextro latere patiens quieſcere velit, jecur à ventriculo premitur, in ſiniſtro autem, pondus quaſi deorſum trahens viſcus & diaphragma ſentitur, dolor autem magnus non eſt, ſi inflammatio ſit in profundo, parenchyma enim per ſe ſenſum non habet, at ſi exterior pars nempe membrana patiatur, dolor acerbus & acutus vexat, alvus à calore inflammationis aſtringitur & exſiccatur, inflammatum enim hepar inſtar calefactæ cucurbitulæ humiditatem ex inteſtinis attrahit, & ſic excrementa indurantur & exſiccantur, at ſi quoque magna debilitas & obſtructio hepatis

tis adſit, excrementa alvi potius erunt fluida & interdum loturam recentis carnis æmulantia; hepar enim tunc attrahere & per meatus obſtructos percolare nequit; urina eſt rutilans & mordax; lingva initio rubet, poſtmodum verò nigreſcit & ſcabreſcit: Quibusdam vehemens nauſea & vomitio bilis flavæ æruginoſæ accidit; color corporis citrineſcit, malaque dextra plus rubet alterâ.

Quænam autem hepatis pars laboret, his ſignis diſcernendum practici volunt, quod nimirum gibbâ hepatis parte magis affectâ tuſſicula ſicca ægrum invadat, dolorque ad tactum hypochondrii dextri, ad jugulum aſcendens magisque punctorius, nec non difficultas reſpirationis præſtò ſint. Concavâ verò ejus parte majorem inflammationem patiente dolorem magis eſſe gravantem, cibi faſtidium ingentius, vomitationem crebriorem, ſitimque cum ſingultu vehementiorem.

Monet autem Hippocrates, ne Medicus in dignotione inflammationis hepatis ſibimet imponi patiatur, multos enim (inquiens) ex eo quod ignorant, lucrum facere, quod credant ſe curaſſe phlegmonas jecinoris, cum tamen ſint muſculorum abdominis, diſtingvere itaque oportet has affectiones, & probè notare, tumorem in jecinore inflammato ſecundum formam hepatis eſſe circumſcriptum rotundum, & ad corporis decubitum ſimul conformatur, ita ut major appareat corpore ad ſiniſtrum latus reclinato (ex mente Aëtii) minor autem rurſum ad dextrum reconverſo, cedente hepate ſub coſtas nothas, præterea (ut idem ait) in hepatis inflammatione incumbens cuticula naturali modo ſe habere advertitur, muſculis autem inflammatis cutis circumtenditur, apprehenſaque digitis attractione non ſequitur, tumores quoque muſculorum rectorum oblongi, & per totum ventrem extenſi videntur, & umbilicum comprehendunt. A pleuritide verò ſatis difficulter diſtingvitur, debet ergò notari locus doloris, ejusque differentia, nam in pleuritide ſemper eſt dolor punctorius, pulſusque durus ſerræ modo tactum vibrans, in hepate inflammato non ita, tuſſis autem in hoc ſemper ſicca eſt.

Cautela.

Cauſæ internæ.

Cauſæ internæ inflammationis hepatis ſunt: ſangvinis copia nimia. Jecoris intemperies calida, ſangvinis humidiores particulas exſiccans vel evaporare faciens, reliquas autem incraſſans, unde poſtmodum facilimè capillares fibræ obſtruuntur, transfluxu autem & motu per obſtructionem impedito, corruptio & inflammatio de facili ſequitur, ut quotidiè in ſtagnantibus aquis idem obſervatur, quod nimirum corrumpantur, viriditatem contrahant, & per putrefactionem ranas, lenticulam paluſtrem, aliaque zizania lacuſtria progignant, quod in continuò fluentibus undis non contingit, niſi in ripis, ubi aqua quoque moram facit, idem ergò etiam in obſtructione internorum meatuum obtingere, & interceptâ circulatione corruptio-

ruptionem mox acceriî, accenſio nemque febris à putrefactione, rationi conſonum eſt.

Cauſæ externæ. Cauſæ externæ ſunt: nimia corporis calefactio, à fervore ſolis, balneis, exercitatione corporis immoderata, furore ex iracundia, laſciviâ venerisque litatione immodicâ, imprimis ſuperhauſtâ mox à calore frigidiſſimâ potatione, quemadmodum enim candentes ſilices frigidæ injecti ita percelluntur, ut in fragmenta diſſiliant, ita fit quoque ſummè calefacto ſangvini à ſubitaneo occurſu frigoris præcellentis, quod nimirum percellatur, ac veluti ſpineſcat alicubi, atque exinde febrem concipiat & inflammationem, non ſecus ac digitus inflammatur & apoſtematur ab infixa ſpina vel feſtuca, quod quibusdam in hepate, aliis pleurâ, vel ipſo pulmone, prout pars jam pridem naturali conſtitutione langvidior exiſtit, contingit.

Alii in hunc morbum incidunt à nimia ingurgitatione vini meracioris, vel uſu ſuperfluo aromatum calidiſſimorum, bilis incenſione per immoderata animi pathemata, externâ violentâ concuſſione adverſus regionem hepatis, aliisque ſimilibus modis; denique ea omnia quæ jecinori obſtructionis cauſæ ſunt, ut præcedentibus capitibus commonſtratum eſt, etiam inflammationem ejus cauſare poſſunt.

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, inflammatio hepatis morbus eſt acutus, ſignaque aliorum acutorum generalia ſimul implicat, in quibus ſalutarius vel pejus ſignum non eſt quàm virium robur vel proſtratio, quælibet etiam inflammatio, & ſic quoque hæc nihil aliud eſt quàm eryſipelas, inducens febrem planè ardentem, æſtuoſam & ſiticuloſam, atque ita ratione eryſipelatis non poteſt non eſſe periculoſa, præſertim in his, in quibus vires etiam non ſunt robuſtæ, ut ſunt graciles, bilioſi, ſenes, vel jam ante exhauſti, hi ergò neceſſario vel intereunt, vel in tabem prolabuntur, valdè etiam in omnibus acutis ut & hîc pernicioſum eſt, ſi extrema perfrigerantur, nempe manus, pedesque, media verò corporis uruntur, adhæc ſi pedes crebrius nudant, jam pridem refrigeratos, ſi nigra vel porracea vomunt, quibus lethalis aduſtio cognoſcitur: inſtante autem jam morte venter intumeſcit, abſceſſu dirupto, ſudor frigidus circa collum emanat & in facie, ac animi deliquium patiuntur. Singultus in hoc morbo ſemper pernicioſum eſt ſignum, non tamen ſemper neceſſariò in quacunque hepatis inflammatione adeſt, ſed in graviori, in qua hepar in magnitudinem attollitur præ inflammatione, quæ tunc ventriculo ſimul communicatur per ſympathiam. Bonam autem ſpem facit ſangvis copioſè per nares effluens, atque etiam ſi exiguus ſit calor febrilis, minutam enim inflammationem denotat, contrario autem modo ſi febris ſit acutiſſima, magnam inflammationem oſtendit, quæ in ſuppurationem & ulcus tranſit, quod inſanabile omninò exiſtit, præſertim ſi pus contineat inſtar

amurcæ ſeu fæcis olei, vel vitello ovi ſimil, vel ſubviride. Album autem pus & non fœtidum, ſignum eſt ſalutis, denotatque abſceſſum non in ſubſtantia ſed exteriori hepatis membrana contineri, verùm hæc obſervatio ſaltem antiquitus valuit, dum uſtio hepatis ſuppurati in uſu fuit.

Curatio. Curationem Practici mox aggrediuntur venæſectione, ſi vires & ætas ferant, atque unà exquiſitiſſimum victum tenuem præſcribunt, è corroborantibus & refrigerantibus, nec tamen obſtruentibus aut mordicantibus, qualia ſunt ptiſana & cremor hordei, nec non avenæ decorticatæ, carnes caponum, pullorum, gallinarum, perdicum, columbarum, vitulina cum incoctione radic. cichorii, lactucæ, intybi, paſſularum minorum. In potu vinum non convenit ob inflammationem quam auget, conveniens autem eſt aqua hordei, vel decoctum cichorii aut intybi, item emulſio è 4. ſem. frig. major.

Venæſectio præmiſſo clyſtere inſtituatur largiter è directo partis affectæ primo vel ſecundo morbi die.

Poſt venæſectionem lene aliquod purgans exhibendum, quod bilem evacuet, magis tamen leniendo quàm purgando. Eadem quoque medicamenta hic conveniunt, quæ ad inflammatum ventriculum inſerviunt, de quibus vide ſupra cap. 90. Exterius applicentur topica, nempe fotus, cataplasmata, inunctiones, in quorum applicatione ſemper notandum, ut eis admiſceantur aſtringentia, deinde ut nunquam actu frigida, ſed prius nonnihil calefacta applicentur, ex. gr.

Epithema.

℞. fol. cichor.
plantag.
perſicar. maculat.
endiv.
bugloſſ.
borrag. an. m. ſ.
flor. malv. arbor.
nymphææ
roſar. rub. an. p. ij.
ſantali citrini
rubei an. ℥iſ.
coquantur in aq. com. ℔iſ.
aceti roſac. ℥ij.
ad mollitiem herbarum colaturæ adde camphoræ ʒſ. f. epithema.

Celebrato fotu & abſterſo inungatur locus ejusmodi linimento:

Linimentum.

ol. roſac.
nymphææ an. ℥ſ.
myrthin.
maſtichin. an. ʒij.
ſucci cichor.
plantag. an. ℥iſ.
aceti roſac. ℥ſ.
bulliant ad conſumptionem ſuccorum, tum reſolvatur ad ignem arenæ in his oleis camphoræ tritæ ℈ij.
adde ceræ q. ſ. ut fiat ungventùm molle.

Inſerviunt etiam huc, quæ ſupra ad obſtructionem hepatis ſcripta ſunt, jam videamus, quæ proponat

TEXTUS.

Inflammationes hepatis purgationes acres non ferunt. Vomitus tamen in otioſis & pituitoſis, ſed certo modo, nimirum ſi vomi-

vomitiones etiam urgeant, prodeſt.

Sola ſangvinis miſſio hepar inflammatum ſæpiſſimè curavit.

Si quid tamen moliendum eſt, præſertim ubi dejectiones alvi ſilent, aut leni clyſtere, aut extracto rhabarbari, vel ejus infuſo in aquâ endiviæ & cichorii res expedienda fuerit.

Deinde ad molliter refrigerantia, ſi neque febris aut inflammatio, neque dolor inflammati hepatis aliquid remiſerit, lapis prunellæ in julepis temperatè refrigerantibus ſumptus, & loco potus imperatus, & febrem & inflammationem, & omnem putredinem aufert: potus verò confertim non ingerendus. Reliqua (ſcilicet in diæta, pharmacia, & chirurgia) adminiſtranda, ne plus noceant, quàm proſint.

Abſceſſus hepatis. *Abſceſſus hepatis non melius curatur, quàm præcavendo inflammationem.*

Ulcus hepatis. *Ulcus hepatis inſanabile eſt.*

CAP. CXXVIII.

DE CISTIS BILIARIS AFFECTIBUS, AC PRIMUM DE OBSTRUCTIONE VESICULÆ FELLIS.

PLerique Authores veſiculam fellis, ejusque affectus ſicco pede transſiliunt, eò quod uſus ejus hactenus non ſatis fuerit cognitus, noſter tamen Author nonnulla accidentium fellis affectibus hepatis inſerere voluit.

Deſcriptio anatomica veſiculæ fellis. Dicitur veſica vel veſicula fellea, folliculus vel cyſtis fellis ſeu biliaria, connexa eſt jecori à natura, & quaſi in ipſius gremium locata, ad recipiendum redundantem in ſangvine ſuccum biliosum, cujus ſemper notabilem in ſe quantitatem continet, & vix unquam omnino vacua in ſectione animantium reperitur. Contextum cernitur hoc bilis receptaculum è duabus membranis, quarum exterior communis eſt, ſive à peritonæo, ut putatur, oriunda & parti veſiculæ ex tanti ampliori tantùm obtenſa, cum altera pars jecinori immerſa ejus non ſit indiga. Interior veſiculæ propria craſſior eſt, omnique fibrarum carnearum genere intertexta pro exercendo motu, ut putatur ac firmioris roboris causâ, glutinosâ quoque cruſtâ interius delinita, pro tutamento adverſus acerrimi ſucci intra ſe contenti injuriam.

Venas obtinet à venâ portæ, quas cyſticas vocant ac gemellas, eò quòd earum duæ ſint; arterias quoque exiles à cœliaca dextra, nervulumque vix conſpicuum peculiarem à plexu coſtalium. Adhæc meatus in jecur à poſtica parte, ubi hepati adhæret, ſingulares educit, inter venæ portæ ac cavæ radices diffuſos bilem devehentes, inter quos unus conſpicuus eſt circa collum veſicæ evidenti foramine ſe prodens.

Diſtingvitur in geminam partem, nimirum fundum, ubi humilior & amplior

amplior eſt,& cervicem,ubi ſtrictior exiſtit, à cervice derivatur ductus exilis, membranoſis valvulis regurgitationi bilis obluctantibus donatus, qui in porum piliarium explicit, cujus anguſtia in cauſa eſſe putatur, quòd craſſior ſuccus bilioſus æquò diutius intra ſuum receptaculum inhibitus, ſæpenumerò calculos plurimos progignat tam angulatos quàm rotundos coloris interdum mororum, vel nigricantes.

Sita eſt veſicula fellea in ſinu jecinoris dextro, cui ſuperiori & media ſui regione, quâ cervicem conſtituit, firmiter connectitur. Idque beneficio ductuum biliariorum per jecur ſparſorum, nec non communis tunicæ in antica ſui parte eam cum hepate amicientis, interventuque peritonæi, varii generis vaſis & glandulis inter inteſtina & jecur locatis.

Amplior paulò eſt prædicto ductu exili porus biliarius deſcendens à jecinore ad inteſtinum duodenum, eòque bilem derivans, cujus exitus duodeno inſeritur flexu inter membranas obliquo, & in extremitate ſui aliquando geminato, ordinariè tamen ſimplex eſt, perrarò & nonniſi morboſâ contingentiâ in ipſum pylorum protenditur, ac moleſtam vitam efficit, eò quod identidem ventriculum acriter lancinet, & concoctionem interturbet, bilisque vomitum ſæpius concitet.

Porum biliarium cuncta animantia ſangvinea habent, tranſeuntemque per eum in inteſtina bilem, quod quidẽ veteres ignorarunt, fel non paucis animantibus deeſſe arbitrati, bilemque virulentum quid, & damnatum ſangvinis recrementum. Modò plerique fel credunt conſervare chylum à putredine, excrementisque pro ſtimulo expulſionis inſervire. Helmontius autem vult, fellis officium eſſe, cremorem à fermento ſtomachi acido ſubactum, totumque aciditatum, inſpirato in duodenum fermento felleo confeſtim mutare in ſalſum, in quibus autem fel debile ſit, ita ut totam cremoris aciditatem non poſſit penitus vincere & in ſalſedinem fermentare, ſed tantillum aciduli remaneat, ac cum lotio in veſicam rapiatur, his mox acerbiſſimam ſtranguriam excitari, quæ etiam ſenibus & pueris frequens ac familiaris ſit, ob debilitatem fermenti fellei. Jam inſtitutum proſequamur

Helmontii dogma de officio fellis.

DE OBSTRUCTIONE VESICULÆ FELLIS.

CYſtim fellis (inquit Fernelius) occupant obſtructio, calculus, repletio, inanitio.

Obſtructio duobus in locis præcipuè à Practicis accuſatur, nempe vel in meatu, ubi bilis è jecore tranſmittitur, vel in eo, ubi bilis è cyſti in duodenum derivatur, illam parere icterum, cum nimirum per obſtructionem bilis à ſangvine in jecore non ſegregetur, ſed intra eum per totum corpus vehatur, atque ad ambitum cutis diffundatur, hanc verò producere diſtenſionem veſiculæ à copioſa bile, variaque exſuperantis ejus ſymptomata, imprimis autem concretionem calculorum intra dictam

Obſtructio fellis.

ctam

ctam cyſtim, qui plerunque ſint nigri & leves, ita ut aquæ immerſi ſupernatent, reliquis è renibus & veſicâ eductis fundum petentibus, illum tamen biliarem pariter ſubinde indureſcere mirum in modum, cum bilis novo influxu non renovata diuque reſtagnans in proprio conceptaculo coërceatur, prout imprimis obtingat in utriusque ductus obſtructione, manifeſtis autem notis gravibusque accidentibus non prænuncietur, ſuſpicandum tamen in quolibet ictero gravi & diuturno; ejusmodi autem calculi biliares bovibus non infrequentes ſunt, & (teſte Helmontio) contra triſtitiam & atram bilem efficaces, coloris nigri, & nonnunquam vireſcentis vel ſubflavi. Bilis autem in proprio folliculo nimium abundans, eum interdum in ingentem diſtendit magnitudinem, ita ut gravitatis pondus, preſſura, ſuffocatio, ructus, ardor, ſitis, iracundia, ægrum laceſſant, quinimò aliquando corruptionem ſuſcipiens febres intermittentes inducat, aliosque affectus graviſſimos, nec leviores, quàm repentinum bilis effluvium. Totalis autem bilis exinanitio choleram morbum, vomitiones bilioſas, diarrhœam vel dyſenteriam, aliave graviſſima ſymptomata parit, atque in quamplurimis poſt mortem ſectis unica interitus cauſa ejusmodi exhauſtio bilis inventa eſt.

Calculus biliaris confert ad triſtitiam.

Quibus autem ſignis commemoratæ jam folliculi fellis affectiones præſciantur, remediisque obviam eatur, nihil certi adhuc conſtat, ſicuti quoque de uſu & officio fellis nihil ſolidi & ſufficienter certiorati hucusque innotuit, Paracelſus enim vult, fel & lienem nil aliud eſſe quàm corporis zizania, quæ corrumpere & deſtruere ſatagent, quicquid reliqua viſcera bona boni conſtruant. Carrichterus verò Medicus Cæſareus ſtatuit, fellis officium quadruplex eſſe, nimirum ut primò in hepate æqualem calorem conſervet. Secundò ut ventriculi concoctionem adjuvet. Tertiò ut humor ipſius craſſus ſulphureus in exitu ſuo per antipathiam veneris transmutetur in materiam ſalſam, ac inteſtina repurget. Quartò ut venis meſenterii apertionem contribuat. Alii demum aliter ſentiunt, proinde quoque in hisce noſtrum judicium ſuſpendimus, & tantummodò referimus, quæ proponit de hisce

TEXTUS.

Obſtructio alterutrius ductus veſiculæ fellis imprimis tollitur iis deobſtruentibus, quæ communiter obſtructioni hepatis inſerviunt, de quibus ſufficienter ſuo loco.

Peculiares itaque curandi modos hîc non habemus, ſed ratio & experientia ea tantùm perſeqvuntur, quæ obſtructionum momenta requirunt.

Speciatim verò aqua illa compoſita ex vitriolo & tartaro ſeu ſpiritus aperitivus Penoti hic multum prodeſt.

Bilis in cyſti fellis adaucta.

Bilis incyſti fellis adaucta leniter per cholagoga, ſi moleſta fuerit, educenda: rhabarbarum mechoacanna, vel extracti modo parata, vel etiam in ſubſtantia data, aut ſaltem infuſa, multa poſſunt.

Quòd ſi verò graviora ſymptomata acceſſerint, ſingula illa ex ſuis titulis prius cognita, deinceps curanda ſunt.

Contra omnem bilis redundantiam ſeu ſilentem adhuc ſeu graviter affligentem, ſpiritus compoſitus ex ſale communi & nitro, de quo egimus in notis ad Crollium, ſæpius in convenientibus liquoribus hauſtus maximoperè profuit.

Inanitio in cholera.

De inanitione in cholera dictum.

Calculus in folliculo fellis.

Prohibitio calculi in folliculo fellis conſiſtit in ipſius apertione, aut ſi jam generatus eſt, in ipſius reſolutione occultâ, quâ univerſi corporis tartarus vel impeditur, vel ſi natus eſt, inſenſibiliter reſolvitur. Hæc autem medicina tantùm pendet ex ludo humano dextrè in arcanum ſuum præparato, cujus deſcriptionem & modum habemus, infra in calculo.

CAP. CXXIX.

DE MORBIS LIENIS, AC PRIMO DE TUMORE EJUS.

Deſcriptio ſplenis anatomica.

A Marte microcoſmico ſive felle Author ad Saturnum humani corporis tranſſilit, cui nimirum ſplen ſive lien in regno animali, & plumbum in minerali dicatur, hoc quemadmodum metallorum molliſſimũ & debiliſſimum eſt, ita pariter ſubſtantia ſplenis carnoſa quidem, at omninò laxa & ſpongioſa exiſtit, aptaque ad ſorbendos humores aquoſos, ex eisque frequentes obſtructiones ſuſcipiendas.

Tunicâ integitur ſimplici à Peritonæo, ut volunt Authores, deductâ.

Venas ipſi ſuppeditat ramus ſplenicus venæ portæ, minutulos in ſurculos diſperſas, ac capillarem tenuitatem referentes; ramus autem cœliacus ſiniſter plures atque inſigniores ad eum devehit arterias, nervulis quoque gaudet ab interioris ſive coſtalis rami ſexti paris propagine ſiniſtrâ, à plexu nerveo meſenterii viſceris exteriora duntaxat percurrentibus.

Viſcus hoc numero communiter ſimplex eſt, licet rara fuerint exempla, duplum vel etiam triplum illud fuiſſe, æquè etiam rarò omnino deeſſe obſervatur; magnitudinis in melancholicis ſemper eſt conſpectioris, in aliis temperamentis ſequioris, quinimò à medicaminibus lienem deobſtruentibus imminui plurimi tradunt, inter quos Paracelſus

ſus ex profeſſo methodum præſcribit, quo pacto ſplen per medicamina omninò abſumatur, cum nil ſit aliud quàm corporis zizanium, quod quo magis increſcat, eo plus totum corpus marceſcat.

Temperamenti ſtatuitur ob arterioſi ſangvinis copiam calidi & ſicci, quod rationi conſonum non eſt, omnes enim ſplenetici temperaturæ frigidæ & ſiccæ animadvertuntur, idque potiſſimùm eos ita qualificante liene.

Coloris eſt è fuſco purpurei, & in provectiori ætate plumbei ob frigiditatem & ſiccitatem aſtringentemque qualitatem, prout in conjunctione aſtringentium & vitrioli color ater emergere ſolet.

Figuræ exiſtit triquetræ ſeu oblongæ, interius concavus eſt, exterius more hepatis convexus utut minus, lingvæ ſeu plantæ pedis aſſimilabilis, conſtantem tamen figuræ perpetuitetem non ſervat, ſed eam multimodè mutat.

Situatur in hypochondrio ſiniſtro paululum humilius jecinore.

Parte ſui convexâ colligatur diaphragmati, & cartilaginibus coſtarum, nec non reni ſiniſtro, concava verò ventriculo, omento, pancreati, interventu vaſorum communiumque membranarum.

Actio & officium lienis omninò ignorantur, ac quicquid de eo affirmatur, incertiſſimæ conjecturæ ſunt, quidam eum pro altero jecinore habent, tam in officio quàm externo ſchemate, & quod in confectione ſangvinis aquoſiori chyli portioni admiſtionem partium terrearum conferat, quæ ſententia tanquam ſagaciſſima contemnenda non eſt, Saturnus enim planetarum ſummus omnis aſtrictionis, terreſtreitatis & ſalificationis Author à Philoſophicis ſtatuitur, non ineptè itaque pro officina ſalificationis & jecore altero ſangvinis arterialis haberi poſſet, numeroſitate arteriarum nulli viſceri cedens; Quibus autem viis materiam conficiendam in ſe recipiat, etiam ignotiſſimum eſt, quidam ſoletter ſtatuunt, eum allicere ſuccum ex annexo ſibi ventriculo, quod ut pro certo non aſſeverari, ita viciſſim multo minus certitudinaliter negari poteſt, cum nihil incongrui nec impoſſibilis eo ſtatuatur, Saturninis enim ſubjectis non difficile eſt etiam inviſibiliter & imperceptibiliter operationes ſuas perficere, ut videre eſt in herbis ſpleneticis, nempe adianto, lingva cervina, ceterach &c. eas absque ſemine ullo ſolidis rupibus enaſci, ſuique ſuccum incrementi & perpetuæ viriditatis in ſicciſſimis lapidibus facilè invenire, vitriolum calcinatione ab igne ſicciſſimum factum ex ipſo inviſibili aëre iterum incrementum ſui corporis, ſuccumque vitriolaceum attrahit, quidni itaque etiam ſplen per mollem membranam ſtomachi ſuccum ſibi neceſſarium translicere poſſet?

Helmontius. verò de ſplene ſingularem doctrinam edidit, quâ ſplenem agnoſcit pro primario ſtomachi fermento, ejusque Sole, coctore & directore, omnem enim concoctionem Doctrina Helmontii de ſplene.

ctionem in ſtomacho perfici à fermento acido plusquam calore, aciditatem autem ſtomacho à liene inſpirari, & ſic lienem eſſe cauſam principem concoctionis ventriculi, ambo autem hæc membra conſtituere ſimul duumviratum, ſive gubernationem horum duorum in omnes corporis partes, vicinum autem ſplenem ſtomacho foris incumbere, quaſi eundem foveret vitali arteriarum contextu, non quidem quod arteriæ omnem dent vim ſpleni, ſed ſe habeant viſcera per modum aſtrorum, quamvis enim aſtra à ſole lumen mutuent; Ineſſe tamen ſingulis peculiarem ſuam proprietatem & agendi robur, quod in luna ſit longè evidentiſſimum circa maris receſſus, æſtus & exundationes. Eſto ergò quod arteriæ ſplenis vices ſolis habeant, ipſum tamen ſplenem geminam at natalem dignitatem ſibi peculiarem obtinuiſſe, licet cordis famulitio in præparatione ſangvinis & ſpiritus vitalis gaudeat. Splenem itaque ſedem Archei eſſe, qui cum ſit organum immediatum animæ ſenſitivæ, determinet actiones vitales animæ in ſtomacho reſidentis; primos autem conceptus formari in liene, ipſumque ſemper intentum eſſe ſeriis conceptibus, quoties tamen ſuos conceptus alterius alimenti deliciis ſopiat, det ab opere inducias ſive ſomnium, & ſic ſub concoctioné in ventriculo ſomnum plerunque obrepere, eò quod ſplen conceptus ſuos ſerios ſuſpendat tunc & oblectamento concoctionis in ventriculo fruatur. Aliàs verò intra infractuoſam arteriarum tortuoſitatem ſemper ſerios conceptus fovere, quoties autem malè ſe habeat, vel alieni quid in ſuos lares irrepſiſſe ſentiat, excitare mox per ſuas frequentiſſimas & fortè quadringentas arterias fortem pulſationem, ad exoticum hoſpitem excutiendum, non aliter ac in digito ab infixa ſpina durus pulſus concitetur, qui prius latenter & vix perceptus pulſabat, ſicque fortem hypochondrii pulſationem eſſe à liene ſpinoſo, & denunciare amentiam juxta dictum Hippocratis: *Quibus vena fortiter pulſat in hypochondrio, his mox mens ægrotat.* Hæc Helmontius, nunc pergamus diſſerere

DE TUMORE LIENIS,
Germ. Geſchwulſt und Blehung deß Miltzes.

AGitur hic de tumore lienis laxo atque inflatione à multa collectione humiditatis intra ſubſtantiam ſplenis, vel etiam à ventoſa & flatulenta materia, diſtenſionem & intumeſcentiam in liene cauſante; Iſta inflatio vel in ventre oritur, & poſtmodum ad lienem transfertur, vel etiam in ſplene ipſo generatur. Si è ventre aſſurgit flatulentia, à frigidis alimentis vel perfrigeratione ventris excitatur; ubi verò lien totaliter flatibus repletur, fluctuationes, quas clydonas vocant, à paulò liberaliori potu aſſumpto percipiuntur, fluctuatio autem eſt, quando intus ſtridor in ventre auditur velut aqua in utre, ita pariter copioſa potatio in ventre ſonitum efficit, Tumor lienis.

efficit, quando agitatur. Fit autem frequenter ructus acidus è frigidis cibis ſeu alimentis refrigerantibus, & poſt paſtum ſingultus, ſi verò ejusmodi ſigna non adſint, ſeu commemorata jam in ventre non advertantur, verùm ſplen tenſionem patiatur, puncturasque ſine aliquo gravitatis ſenſu, flatuoſitates in cauſa eſſe, conjecturandum. Hæc ventoſa flatulentia à frigiditate membrorum proficiſci ſolet.

Cauſæ inflationis & tenſionis lienis.

Cauſæ inflationis ac tenſionis lienis ſunt; vel alimenta craſſa, frigidiora & flatulenta, ut ſunt piſa cum pellibus comeſta, fabæ, caſtaneæ, ficus, poma, rapa, bulbi, mel & vinum novum dulce aliaque ſimilia, quæ cuncta largiter & diutino continuato uſu flatulentiam lieni inſpirant, nonque tantùm lienem ſed etiam ſtomachum, inteſtina, meſenterium, & reliqua viſcera flatibus & diſtenſione replent, & modò tumorem ſplenis vel tormina coli excitant. Vel etiam temperamentum frigidum & naturalis diſpoſitio ad generandos flatus; quod inde cognoſcitur, ſi prædicta alimenta in multum uſum non venerunt, temperamentum enim frigidum etiam ex aliis quibuscunq; eandem paſſionis continuitatem fabricat, in leniori tamen gradu, at ſi conſimilis quoque victus accedat, tunc morbus & cauſæ geminantur.

Signa.

Signa ſunt: lien flatibus diſtendi tur, & in amplum tumorem inſurgit, laxum tamen, & tactui cedentem, & quando manus imponitur, eâque compreſſio inſtituatur, flatulentum murmur intus auditur, dolor obtuſus adeſt.

De affectibus autem ſpleneticis & melancholicis loquitur etiam Hippocrates ſequentibus locis:

Autumno fiunt morbi lienares. lib. 3. aph. 22
Melancholia eſt affectus autumnalis. 3. 22
Inducit timorem & mæſtitiam diuturnam. 6. 23
Hæmorrhoides ſupervenientes ipſi conferunt. 6. 11
Quibus hypochondria elata murmurant, his lac malum. 5. 64
Quibus hypochondria ſuſpenſa in febribus murmurant, his ſuperveniente lumborum dolore alvi humectantur. 4. 73
Vel flatus erumpunt. 4. 73
Vel urinæ multitudo. 4. 73
Dolores quicunque infra ſeptum transverſum purgatione indigent per inferiora. 4. 18
Melancholici plenius per inferiora purgandi. 4. 9
Splenetici in longam dyſenteriam incidentes fiunt hydropici. 6. 43
Aut cum lienteria moriuntur. 6. 43
Lienoſis dyſenteria ſuperveniens, bonum. 6. 48
In morbis melancholicis fiunt periculoſi decubitus. 6. 56
Facientes apoplexiam. 6. 56
Vel convulſionem. 6. 56
Vel maniam. 6. 56
Vel cæcitatem. 6. 56

Repentina lingvæ impotentia eſt à melancholia. 7. 40
Ut & ſtupor cujuscunque partis. 7. 40
Crudorum dejectio per inferiora ab atra bile eſt. 7. 68
Hypochondria in utraque parte æqualiter mollia ſenſuque doloris carentia, ſunt optima in morbis indicia. lib. 1. præſag. 24
Inflammata verò ſunt ſuſpecta. ibid.
Ut & dolentia. ibid.
Et tenſa. ibid.
Nec non aliter in dextra aliter in ſiniſtra parte affecta. ibid.
Præcordia tumida, dura, dolentia in univerſum ſic affecta, peſſimum. ibid. 25
Ex ſiniſtra tamen parte duntaxat laborante, minus periculum eſt. ibid. 25
Mollis tumor indolens & digitis cedens longiori tempore finitur. ibid. 29
Sed non ita grave periculum ab eo impendet. ibid.
Tumor durus, magnus dolore crucians brevi mortem ſignificat. ibid. 31
Mollis verò, indolens & digitis cedens diuturnus eſt. ibid.
Hypochondriorum venæ ſi pulſent, turbationem, aut delirium portendunt. ibid. 25

Prognoſis.

Prognoſin quod attinet, tumor ſupradictus mollis & inflatio lienis levi de cauſa ab alimentis adveniens haud difficulter medicamentis vincitur, à gravi autem ſplenis obſtructione excitatus & durus tumor diuturnus eſt & obſtinatè remediis reſiſtit, ſoletque demum cum ſuâ obſtructione in hydropem vel quartanam vel lienteriam lethalem terminari.

Curatio.

Curatio fit per ea quæ obſtructionem, ſi quædam concurrat, reſerant, & per emendationem diætæ, ſi ab ea provenerit, ſi verò à temperamento frigidiori, per interna & externa calefacientia ſuccurrendum; Inſtitutâ itaque purgatione, ſi opus videatur, dentur intrò quæ flatus diſcutiunt, vulgò carminantia dicta, ut ſunt quatuor ſemina calida majora pulveriſata, vel decocta cum floribus chamomillæ in vino generoſo, inſerviunt quoque confectiones calidæ ut ſunt diacyminum, diagalanga, dianiſ. diacalaminthes, diatrion pipereon, ex. gr.

Pulvis.

℞. diacymin. ℥ſ.
diagalang. ʒj.
trochiſc. d. cappar. ʒiſ.
m.f. pulvis. doſ. ʒſ. ad ʒj.
omni manè & ſub noctem.

Electuarium.

Vel ℞. diacymin. ℥j.
dianiſ.
diapraſſii an. ℥ſ.
cum ſyr. d. capill. veneris q. ſ. f. electuarium, de quo ſumat frequenter aliquid.

Fomentetur etiam regio lienis hoc fotu:

Fomentum.

℞. rad. irid.
cyperi an. ℥ſ.
filicis ʒij.
ſummitat. anethi
majoran.

rutæ

rutæ an. m. j.
flor. chamomill.
melilot. an. p. ij.
ſem. apii
cumini an. ℨij.
fœnugræc. ℥ſ.
bacc. lauri. ℨſ.

omnia contuſa coquantur in vini albi & aquæ pluviæ ana partibus æqualibus, addendo aceti vini ℔ſ. donec circiter ℔ij. ſuperſint, quo decocto locus inflatus cum ſpongia calidè foveatur.

Poſt fotum inungatur tali linimento:

Linimẽtum. ℞. ol. de cappar. ℥ſ.
laurin.
rutac.
lil. albor.
amygd. dulc. an. ℨij.
ceræ parum f. ungventum molle.

Valdè quoque conducit ſubinde imponere talem ſacculum:

Sacculus. ℞. ſummitat. rutæ exſiccat.
abſynth. an. m. ij.
fol. lauri m. j.
calaminth. m. ſ.
flor. chamomill.
melilot. an. m. ij.
ſem. aniſi
lini an. ℥ſ.
cumini ℨij.

f. ſacculus, calefaciendus in vino albo, & expreſſus quàm calidè poſſit ferre, applicetur.

Plura talia docet

TEXTUS.

SPlenis tumor laxus & diſtendens, ſi à ſucco vitriolato, quẽ vulgò fæcem melancholicam vocant, propriè melanagogis deturbatur. Talia ſunt extractum hellebori nigri. Item extractum ſenæ aliaque compoſita extracta cum eſſentia epithymi, polypodii, cuſcutæ, capparum, ſcolopendriæ.

Univerſaliter tamen has fæces exturbat mercurius dulcis (qui ad miraculum usque operationes perficit) item panchymagogum Quercetani, cujus juſta doſis exigente neceſſitate data multum valet, præſertim ſi acuatur cum mercurio vitæ ad gran. XVI. mercurii dulcis gr. ij. mercurii vitæ longâ tritione miſcendo, & poſtea cum extracto ellebori nigri in pilulas formando.

*In hoc caſu pilulæ iſtæ exhibendæ ſunt poſt mediam noctem, repetita altera atque etiam tertia nocte, vel eâdem vel aliquantulum imminuta doſi. Præſtat ſimul in hac curâ, quemadmodum in cæteris ſplenis affectibus in vino macerare radices filicis, quæ ab innata proprietate hujus viſceris affectus curat. Item in victu quotidiano admiſceatur galeopſidis ſeu lamii pulvis, propter diſpoſitam proprietatem, quam habet ad morbos lienis; Itali milzadellam vocant (*auſ dem Haberacker.*)*

Externè ſi opus fuerit, applicetur tale vel ſimile cataplasma:

Cataplasma.

℞. radic. cucumeris aſinini
bryoniæ an. ℥j.
ſquillæ n. 1.
lilior. albor. bulb. j.
ſem. malvæ
althææ
fœnugræc. an. p. j.
lini p. ij.
folior. althææ
malv.
mercurial.
parietariæ an. m j.
rad. betæ albæ m. ſ.
decoque omnia in aqua ferrariorum cum ſexta parte aceti, & f. cataplasma vel etiam fotus ad regionem ſplenis. Huc referantur emplaſtra uſualia.

Si diſtenſio ſit à flatibus, à purgantibus abſtinendum quidem, ſed infuſum radicis filicis cum pauxillo ſenæ ſufficiunt, præſertim ſi ſemina carminativa ſimul adjecta fuerint.

Extrinſecus valent inunctiones ex oleo rutæ, capparum, liliorum alborum cum pulvere ſeminis agni caſti, ceterach corticibus capparum ad juſtam conſiſtentiam miſtis.

Quod ſi dolor vehementior urget, cappares contuſi, & in forma emplaſtri exterius applicati, dolorem ſubitò tollunt.

CAP. CXXX.
DE OBSTRUCTIONE LIENIS; Germ. Verſtopffung deß Miltzes.

QUi lienem pro jecore áltero habent, non multum à ſcopo aberrare videntur, in plurimis enim hepar æmulatur, nempe proximâ vicinitate ventriculi, æqualitate ferè morboſarum affectionum eundemque exitum efficiente, utrunque enim viſcus quandoque intumeſcit, dolet, ſcirrhificatur, cachexiam & hydropem parit, de utroque quoque exempla ſunt, quod in quibusdam in ingentem creſcant molem, in nullo autem alio membro vel parte ſimile quid obſervatur, obſervati enim ſunt, teſte Schenkio, Helmontio & aliis, quorum hepar vel lien ultra 20. libr. ponderavit. Quod quidem argumento eſt, ambo magnam ſucci partem attrahere, in eoque peculiarem operationem perficere, hepatis quidem laboratio ſangvifica paululum notior eſt, quamvis ea, quæ ab antiquis ipſi aſſignatur, etiam nunc à quibusdam in dubium vocetur, & potiori ex parte cordi tribuatur, at ſplenis actio etiamnum planè latet, ac ne viæ quidem notæ ſunt, per quas & quid, ac unde materia in qua laboret, ſubmittatur, videtur tamen in operatione quadantenus cum hepate convenire, ac jecur quidem venalem, lienem vero arterialem ſangvinem coquere & præparare, in utraque autem officina recrementi ſegregationem fieri, nempe in hepate

pate ſucci amari bilioſi, in liene verò aciduli, & ad ductum pancreaticum transmitti, & deinde utrunque ad inteſtina amandari; Aſt nihil certi nobis itidem in hac re conſtat, neque tamen antiquorum ſententiæ de operatione ſplenis aſſentiri poſſumus, tanquam cum ratione parum convenienti, ſtatuentium ſplenem eſſe receptaculum fæcis ſangvinis craſſæ melancholicæ ſive terreſtrioris partis ſangvineæ maſſæ, quâ plurimum delectetur & nutriatur, ab eâque ſangvinem repurget. Quaſi verò ad hoc vile miniſterium adeò innumerabili cohorte arteriarum, in ſplene continuò ferè clam indefeſsè pulſantium opus foret.

Volunt autem antiquiores Practici, ſplenem eum in modum obſtrui, quod nimirum venoſus meatus ex epate in ſplenem implantatus per ejusdem medietatem ad fundum ventriculi protenſus, vel ipſius lienis cavernulæ (quibus ejus ſubſtantia in modum cavernoſæ ſpongiæ referta ſit) humore terreſtri & melancholico vel ſolitario vel pituitâ craſſa permixto infarciantur, & obſtruantur, idque vel retentrice robuſtâ vel expultrice infirmâ, talem enim ſangvinem ipſius eſſe alimentum, atque in viſceris ſubſtantiam converti, quandoque etiam ita intus inſpiſſari, ut in ſtupendam creſcat magnitudinem.

Cauſæ obſtructionis. Cauſas hujus obſtructionis varias aſſignarunt. Nempe vel viarum anguſtiam, vel humoris fæculenti craſſitudinem viſcoſitatemve, vel ipſius ſuperfluitatem; item intemperiem imbecillitatemque facultatis ſegregatricis in hepate; & hæ quidem internæ cauſæ ſunt. Externæ autem ſemper ad hunc morbum producendum efficaciſſimæ deprehenduntur, alimenta craſſa flatulenta & pravi ſucci feracia, ut ſunt: caſtaneæ, fabæ, lentes, braſſica, fungi, caro porcina, leporina, fumata, ſalita, caſeus, piſces fumati, indurati, ſale conditi, mel, vinum novellum ſeu muſtum turbidum, cerevíſia craſſa non ſatis defæcata, potus aquæ paluſtris, ſtagnantis, vel putealis, paſtilli farinacei, & placentæ non fermentatæ, exercitationes vel balnea à cibo, menſes vel hæmorrhoides ſuppreſſæ; item infelices caſus, injuriæ, contumeliæ, amiſſio bonorum, amor, zelotypia, aliaque quæ contriſtant, vel timorem, horrorem, terroremve incutiunt, hisce enim facilimè fomes hujus morbi inſinuatur, ægerrimè autem rurſus eradicatur, pathemata autem animi fermè proximum ejus pabulum ſunt, imprimis terror & mœror, ſangvinemque in arteriis incraſſant, ut quilibet in ſeipſo experitur, ſi terrore panico percellitur, ſtatim enim tam fortem pulſationem in ſuo corde percipit, ac ſi ictibus mallei cujusdam feriretur, cujus cauſa eſt, quod à terrore ſangvis arterialis ita incraſſetur, ut mox durioris concuſſionis ventilatione opus habeat.

Signa communia obſtructionis lienis ſunt: tenſio, punctio & dolor gravans in ſiniſtro hypochondrio, appetentiæ interdum proſtratio, interdum auctio, accedit crebrius tumor Signa.

mor initio mollis vel laxior, demum tamen durior in dicto hypochondrio, timor & triſtitia animum obſident absque causâ compertâ, reſpiratio redditur difficilior, ſomnus & inſomnia turbantur, ac crebrius circa medium noctis æger è ſomno excitatur cum multa turbulentia & cordis palpitatione, uti ſæpius obſervavimus, cauſamque eſſe ſtatuimus, quod media nocte tempus eſt regiminis melancholię, quę regnare incipit horâ nonâ veſpertinâ, circa medium verò noctis in ſummo eſt vigore, ac tertiâ horâ antelucanâ ceſſat, ubi tum triplicitas ſangvinea incipit, horâ ſextâ matutinâ in ſtatu eſt, & horâ nonâ antemeridianâ deſinit, ſuccedente qualitate cholerica, & in meridie vigente, horâ autem tertiâ pomeridianâ ceſſante, tum verò ſequitur complexio phlegmatica, cujus dominium hora ſextâ veſpertina in vigore eſt, & horâ nonâ circa initium noctis finitur.

Inter ſigna commemorata quoque referunt putredinem gingivarum, ac graveolentiam oris, & quod pedes plerumque intumeſcant.

Functionum autem offenſiones ita diſcerni volunt, quòd obſtipatio venæ jecoris ad lienem offendat attractricem, ſuperioris venæ ad os ſtomachi, expultricem; læsâque vi digerendi in omnibus partibus oppilationem contingere, ex quâ febres compoſitæ & morbi hepatici, hepate verò ſimul ægrotante indubiè hydropem oriri.

Obſtructio quoque alia eſt citra febrem, & absque tumore hypochondrii, tumque totius corporis gravitas magis tamen in ſiniſtro latere cum dolore quodam percipitur, ac ſubinde levi tumore. At ſi ex febribus oppilatio oriatur, vel diutinam moram jam fecerit, major durities eſt ſub ſiniſtris præcordiis, quæ etiam à paſtu intenduntur, pedesque tumeſcunt, anhelitus abbreviatur, ac tuſſicula vexat, lienem vero à craſſis humoribus obſtructum increſcere ajunt, majorisque magnitudinis fieri, ſed quo plus increſcit, eò magis corpus totum marceſcit & macie conficitur.

Prognoſin quod attinet, lienis quidem obſtructio tam periculoſa non eſt ut hepatis, ſed mirum in modum contumax, & vix ullo ingenio, ſi radices egerit, ſe vinci patitur, ſed tandem duritiem & ſcirrhum lienis, icterum nigrum & hydropem plerunque accerſit, dolorem tamen lienis Hippocrates minus culpat, ſed dolenti ſplenico ſpem denunciat, eò quod ſenſus ſit à parte ſana & non ægra. Idem quoque ipſis dyſenteriam decernit ſalutarem, ſcilicet ſi judicialiter eveniat, & ſaltem cruenta non autem exulcerans ſit & brevi curſum abſolvat, tunc enim lien ab eâ detumeſcit & ſanatur, at à diuturnâ corpus perfrigeratur nimium, & in lethalem hydropem conjicitur. Catarrhis autem ſplenici rarò tentantur, ob eorum ſiccitatem, quæ potius ipſos catarrhos exſiccaret quàm generaret. At ſi melancholia pituitæ juncta eſt, tunc trucisſimos affectus parit, nimirum vel epilepſiam, vel apoplexiam, vel convulſionem *Prognoſtica.*

ſionem

ſionem vel cœcitatem, ut Hippocrates inquit.

Curationis ſcopus.

Curatio obſtructionis ſplenis, cum hepatis oppilatione remediis convenit, aliique affectus ſplenetici ferè iisdem medicaminibus auſcultant, quæ jecori proſunt, mirè enim conveniunt hæc viſcera, ita ut perpetuò vera ſint quæ Rondeletius aliique de ipſis pronunciarunt, *quòd nimirum tot & tales morbi fiant in ſplene, quot & quales in hepate*, intelligens, quod conſimili modo fientes etiam pari methodo, eâdemque fermè materia medica oppugnari debeant. Hanc tamen Practici differentiam faciunt, quod validiora morbis ſplenis medicamina incidentia adhibeant, ac melanogogis ſeu melancholiam purgantibus præcipuè utantur, in oppilatione verò hepatis cholagogis, in utriusque autem obſtructione phlegmagogis, eò quod plerunque tum à viſcida pituita malum ſit. Sedulò quoque in hac curatione advertendum, ne dolor colicus ejusque medela cum hac paſſione confundatur, vel alterum malum pro altero habeatur, hisce autem ſignis diſcernuntur: quod nimirum dolor colicus ſit acutus, diſtendens, & mobilis, totusque venter à flatibus diſtentus, ſplenicus verò eſt gravans, in unâ parte fixus, ſolaque pars ſiniſtra laborat.

Diæta.

Primum autem eſt, ut in curatione conveniens diæta inſtituatur, captando aërem ſerenum & temperatum, vitando autem aquilonium, frigidum, auſtrinumque pluvioſum & craſſum, abſtinendo quoque à curis, animi mœrore, triſtitiâque; ſomnum capeſſens dextro hypochondrio incubet, nec adeò crebrò ſupra ſiniſtrum, eò quod lienis obſtructionem augeat & humorem, refugiat quoq; alimenta refrigerantia, craſſa & viſcoſa, ut ſunt fabæ, lentes, oryza, milium, panicum, cicer, braſſica condita, caro ſuilla, cervina, aprina, hircina, bubula vetus, leporina, anſeres, anates, columbæ, turtures, lac quodlibet, caſeus vetuſtior, paſtilli farinacei, placentæ, cruſta artocreatum, ova dura vel frixa butyro, piſces mollis carnis & paluſtres, item ſale conditi vel indurati; ut & clibano inaſſata vel craticulæ, caſtaneæ, veteresque oleoſæ nuces, & fructus aſtringentes ſtiptici, acerbi ut ſunt cydonia, aquæ potus ſummè nocet, imprimis frigidiſſima, atque à balneo vel corporis exercitio; Conveniunt autem cibi concoctu faciles, ut ſunt; hordeum & avena decorticata, juſcula caponum, gallinarum, earumque carnes, perdices, pulli gallinacei, paſtinacæ, caro vitulina, ovina non admodum pingvis, cum incoctione radicum apii, petroſelini, cichorii, ac præcipuè capparum; potus ſit vinum album tenue vel cereviſia clara non fortis.

Inſtitutâ ſic victus ratione, ad convenientia medicamina deveniendum, quorum flatus diſcutientia in frequenti uſu ſint, ut ſunt ſemen & ſuccus rutæ, apii, ſeſeli, petroſelini, agnus caſtus, cappares tam vulgares quàm geniſtæ &c.

Solent verò Practici præmittere ejusmodi apozema:

℞. rad.

Apozema.

℞. rad. cichor. cum toto
filicis an. ℥j.
herb. ceterach
cuſcutæ
capill. vener.
lingvæ cervinæ an. m.j.
endiv.
ſummitat. lupuli an. m.ſ.
cortic. tamariſci ℥j.
ſem. aniſi
fœniculi
agni caſti an. ʒiſ.
baccar. alkekeng. ℥ſ.
fol. ſenæ ℥j.
epithymi ℥ſ.
coquantur omnia in ſ.q. aquæ ad lib. iſ. colaturæ adde
oxymell. ſcillit. ℥ij.
ſyr. de quinque radic. ℥iſ.
f. apozema pro 4. doſibus.

Obſervatio.

Solent quoque ſubinde adjicere aliquot uncias aceti vini idque perſvaſu ipſius Galeni, qui acetum commendat pro ſpleneticis, eò quod medicamenta ad lienem ingredi faciat, at nos ſedulò obſervavimus atque etiam ex relatione ipſorum quorundam ægrorum hoc affectu laborantium percepimus, eos ex ſuperfluo uſu aceti vini hunc morbum contraxiſſe, narrarunt autem ſe olim plurimum delectaſſe eduliis acidis, & aceto aciditatis, atque ideò ſi comediſſent lactucam aceto & oleo olivæ paratam ut moris eſt, ſe crebrius comeſtâ lactucâ demum quoque remanens brodium ſive mixturam ex aceto & oleo penitus exſorpſiſſe, unde ſe poſtmodum ſerò percepiſſe, largum hunc uſum aceti ſe planè reddidiſſe melancholicos, in hoc ergò puncto minimè Galeno neque ipſius ſequacibus aſſentimur, quod acetum acidaque vel acerba in exceſſivo gradu huic morbo conferant, cum ipſe morbus omnesque affectus melancholici ex nimia ſint aciditate, & potius ejus ſuperaddito uſu augeantur & incrementum ſumunt, magis autem cum hisce ſentimus, qui ſalia volatilia & lixivialia ordinant, quæ & ipſimet in melancholicis affectibus efficacia ſumus experti, quod & probè intellexit magnus Carichterus, qui ubique in ſuis ſcriptis in hisce affectibus melancholicis commendat cineres juniperi, ſambuci, caudicum fabarum, palmitum, coryli, & conſimiles, ut omni triduo recens eorum manipulus vel quantitas ovi majoris gallinacei linteolo mundo illigatus potui ægri immittatur, & rectè quidem, ſolvit enim potus ſalem cineris lixivialem aciditatis cujuscunque mortificatorem, & in ſe trahit, bibendoque in corpus vehit, & hoc ita ſe habere unusquisque experiri poterit, ſi cinerem qualemcunque imprimis autem multo ſale lixivioſo præditum, quales ſunt prædicti, ac recenter uſtum accipiat, ac liquorem acidum qualemcunque, nempe vel acetum, vel limonum ſuccum, ſpiritum vitrioli, ſalis nitri, aquam fortem, chryſulcam &c. ſuperfundat, videbit enim mox pugnam inter duo iſta contraria nempe aciditatem & alcaleitatim excitari, omneque acidum à magna quantitate alcaleitatis ſuperari & emori, laudandus itaque eſt Carichterus qui

Acetum & acida fugienda.

Quilibet cineres & eorum ſalia conveniunt.

qui hunc facilem methodum de cineribus commonſtravit, quia ubiq; facilè haberi poſſunt cineres, qui verò occaſionem habent ex ipſis parare lixivium, illudque filtratum ad ſiccitatem evaporant, obtinent ipſum ſalem cinerum, prædictam operationem mortificandi acidi longè efficacius præſtantem, at etiamnum fæculentum, iterum itaque aquam ſuperfundat, & in calore ſolvi ſinat, videbitque multas feces ſeparari, quæ jam in aqua ſolvi nolint, licet antea ſolutæ & per filtrum colatæ fuerint, nunc verò in filtro manent, purior autem pars per filtrum ſive chartam colatoriam transcolatur, hunc filtratum liquorem iterum evaporet ad omnimodam ſiccitatem, & puriorem ſalem inveniet, at ſi tertia vice eum rurſus aquâ ſolvit, & filtrat, iterum dat fæces, & ſic aliquoties repetenda eſt iſta ſolutio, filtratio & congelatio, donec ſal iſte ſatis clarificatus fuerit, qui poſtmodum in lagenula vitreâ veſicis ſuillis arctiſſimè clausâ in loco calido & ſicco aſſervetur, ne aër inſpirare poſſit, quo brevi in liquorem ſolvitur, quod ſi eveniat, evacuetur in vitrum evaporatorium, & rurſus ad ſiccitatem ſalis evaporetur. Hujus ſalis in curatione quotidiè aliquot grana ægro in convenienti vehiculo exhibeantur.

Spiritus ſalis armoniacæ.

Nec minoris virtutis eſt ſpiritus ſalis armoniaci, qui nimirum ex æqualibus partibus ſalis Armeniaci & calcinati tartari invicem commixtis, & in vitream cucurbitam conjectis, ſuperfusâ etiam particulâ aquæ ut mediante humore unum in alterum agere poſſit, deſtillatus ſit, cujus rectificati guttas X. XII. XV. magno cum fructu in hoc affectu aliis in vehiculis exhibemus.

In nullo etiam nos conſulente melancholico præterimus chalybem per ſulphur præparatum, ut ſupra cap. 124. doctum eſt, quem vel ſolum in vino albo claro non admodum forti infundi jubemus, vel additis ſimul herbis ſpleneticis, cujus vini deinde omni manè tribus horis ante paſtum ℥IV. vel V. bibuntur.

Uſus gummi ammoniaci.

Practici quoque gummi Ammoniacum in aceto diſſolvunt, per pannum exprimunt ut feces remaneant in panno, ac rurſus ad ſpiſſitudinem gummi leniter coqvunt, & vel ex eo ſolo pilulas conficiunt, vel unà quoque eidem maſſæ aloën optimam, pulverem ſenæ, myrrham, & crocum adjiciunt, harumque pilularum bis vel ter in ſeptimana ʒſ. vel ℈ij. impaſto devorandos curant, ſervato deſuper duarum horarum jejunio.

Quidam tamen ſaltem aliquot pilularum ex ſolo ammoniaco ordinant, & ſtatim ab earum deglutitione oxymel. ſcillitici ℥iſ. idque mirè commendant.

Radix filicis eximia eſt.

Sola quoque radix filicis in vino infuſa vel decocta, & in largo uſu habita magnoperè confert, at indiſcriminatim non eſt præſcribenda, fœminas enim ſteriles reddere dicitur.

Ungventum.

Pro topicis in celebri uſu ſunt quædam ungventa & cerata, ex. gr.

℞. ſucci bryoniæ

cyclamin. an. ℥iij.
ungvent. Agripp.
d. althæ. an. ℥j.
ammoniaci clarificati ʒij.
ol. de cappar. ℥j.
amygd. dulc. ℥ſ.
bulliant ad ſuccor. conſumptionem, adde
ceræ q. ſ. f. ungventum.

Ceratum topicum. Vel redigantur in ceratum addendo
pulv. tamariſci in furno exiccati
rad. filic. an. ʒij.
reſin. pini
terebinth. an. ʒiſ.
reſin. colophon.
ceræ an. q. ſ. f. ceratum.
Plura egregia docet ipſe Authoris

TEXTUS.

IN obſtructione ſplenis ſtatim corpus ab initio leniendum ſequenti ſyrupo:

Syrupus. ℞. *rad. elleborinigri præp. ʒiſ.*
herbæ ſcolopendriæ m. j.
cuſcutæ m. ſ.
fol ſen. Alex. ſ. ſ. ℥iſ.
galang. ℈iſ.
zingib ℈j.
ſem. aniſi ʒſ.
medullæ carthami ʒij.
epithymi ℥ſ.
infundantur in decocti aperitivi ſ. q. per noctem: manè coque ad ℥VIII. exprimantur & colentur. In colatura infunde rhabarbari elect. ℥iij.
cinamomi ʒj.
colaturæ adde
ſyrup. de quinque radic.

de abſynth. an. ℥ij.
m. pro tribus doſibus matutinis.

Inungatur & latus ſiniſtrum calidè manè & veſperi ungvento ſequenti:

℞. *ungventi Agrippæ ℥j.*
ol. de capparibus ℥ſ.
laurini ℥iſ. m.

Quòd ſi fortè ad primam doſin ſyrupi iſtius liquidioris non reſpondeat ſatis alvus, tum ſequens pulvis addi poteſt:

℞. *ſpec. diaturb. cum. rhabarb. ℈j.* Pulvis.
diagrid. gran. iij.

Quibus peractis, ſi vires permittant, & reliqua conſentiant, incidatur vena interna brachii ſiniſtri, & plenitudinis ratione emittatur ſangvis. Hinc per biduum utatur ſeq.

℞. *decocti aperitivi majoris ℥VIII.* Apozema.
oxymel. helleborati ℥iij.
ſyrup. de betonic.
d. quinq; radic. an. ℥iſ.
aq. fœnic.
cinamom. an. ℥iij.
ſpir. vitrioli ℈ſ.
ſalis ſcolopendriæ ℈j.
m. pro 4. doſibus. Interim fiat apozema:

℞. *radic. fœniculi* Aliud.
petroſelini an. ℥ſ.
aſari
ſarzaparill. an. ʒiij.
herb. agrimoniæ
ceterach

ceterach
cuſcutæ
ſcolopendriæ an. m. ſ.
ſem. aniſi
fœniculi
coriandri præp. an. ʒj.
flor. borraginis
bugloſſæ
betonicæ an. p. ij.
paſſularum ℥j.
decoque ad ℔j. in ſ. q. aquæ ſimplicis, colaturæ adde
ſyrup. de quinque radic. ℥ij.
de cichor. cum rhabarb. ℥iſ.
oxymelitis hellehorati ℥iiij.
f. apozema pro V. doſibus. Singulis verò doſibus horis duabus ante & poſt cœnam addatur electuarium, quod

Electuarium. ℞. *conſervæ fumariæ*
betonicæ
bugloſſæ an. ℥iſ.
cortic. aurant. condit. ℥ſ.
extracti ſcolopendriæ
croci martis noſtri an. ʒiij.
oculorum cancrorum præp.
ſalis corallor. an. ℈j.
cornu cervi uſti
ſpec. aromat. roſat. an. ℈iſ.
cum ſyrup. de ſcolopendr. q. ſ. f. electuarium, de quo capiat ad magnitudinem caſtaneæ.

Vinum chalybeatum. *Potus ſit vinum aut aqua hordei chalybeata, v. gr.* ℞. *vini aut aquæ hordei* (a) *℔VI. infunde in cineribus calidis martem, aut croci martis ℔j. cinamomi ℥iij. ſtent per 8. dies in vaſe benè clauſo, hinc colentur, de colatura capiat ad libitum.*

(a) Vinum melius eſt, omninò purum & impermixtum, eſt enim morbus planè frigidus & terreſtris, aqua autem magis refrigerat, & ſic morbum auget, &, teſte Hippocrate, à potu aquæ crudæ oritur.

Aut utatur vino vel potu, in quo concocta aut macerata ſint ſequentia, aut, quod melius eſt, eadem ſequentia ſacculo incluſa cum vino novo aut cereviſia deferveant.

℞. *radic. polypod. ℥iſ.*
herbæ fumariæ
meliſſæ
roriſmarini
cuſcutæ an. m. iij.
cortic. radicis capparum
tamariſci an. ʒVI.
fol. linguæ cervinæ m. ij.
vel tartari albiſſimi ℥j. m.

Prodeſt quoque extractum ſplenis bovis eo modo præparatum, ut infra de ſuppreſſione menſium deſcribitur.

Quod ſi morbus in ſcirrhum abiit, iiſdem medicamentis addi poſſunt pilulæ, quæ fiunt ſequenti modo: Ad ſcirrhum.

℞. *gummi ammoniaci ℥ij. diſſolve in aceto & per pannum rarum trajiciantur, adde aloës ſucco roſarum intritæ ℥ſ. ſalis abſyn-* Pilulæ efficaciſſimæ.

thu ℥ij. incorporentur omnia, & fiat maſſa conſervanda in aluta madefacta oleo aniſi, de qua per intervalla, ℞. ℈ij. ad ℥j. & f. pilul.

Prodeſt quoque ſequens aqua aſſumpta:

Liquor deſtillatus.

℞. rad. raphani ſylveſtris ℔iiij.
polypodii quercin. ℔iſ.
ſem. fœniculi ℥j.
cardamomi ℥ij.

radices incidantur & reliqua contundantur, & infundantur in vini veteris ℔. XV. ſtent in loco calido per tres dies, vaſe quotidie benè agitato. Deinde adde

aquæ naſturtii aquatici
bardanæ
fumariæ ℔ij.
ſeri lactis deſtillati ℔iſ.

deſtillentur lento igne per cucurbitam, doſis hauſtus unus vel per ſe vel cum ſyrupo aliquo. Item fiat ex naſturtio, bardana & fumaria recentibus in mortario lapideo ſuccus, qui depuratus ad uſum ſervetur cum aliis miſcendus, aut ad ſyrupum coquendus.

Emplaſtrum.

Ad lienis regionem ubi ſentitur tumor, applicetur emplaſtrum ex ammoniaco in aceto ſquillitico ſoluto, prius tamen foveatur locus ſequenti fomento:

Fomentum.

℞. herbæ ſcolopendriæ
meliloti an. m. iſ.
flor. chamomillæ
anethi
geniſtæ an. m. j.
radic. filicis ℥ſ.

decoquantur in ſ.q. vini albi aquæ & aceti ana, usque ad conſumptionem mediæ partis, cum hoc decocto foveatur locus ſpongiis manè & veſperi.

Electuarium confortans.

Ad confortationem lienis maximè confert electuarium ſequens, aliàs electuarium Solenandri dictum:

℞. paſſularum majorum ℔ſ.

coque in vino generoſo ad pultis conſiſtentiam, excerne per ſetaceum, & admiſce

conſervæ anthos
cortic. citri condit.
pulveris cinam. an. ℥j.
ſpec. aromatici roſat.
diamargarit. calidi
diacinamom. an. ℈ij.
ligni aloës odorati ℥ſ.
croci orientalis vel eſſentiæ ejusdem ℈ſ.

m. capiat ad libitum magnitudinis caſtaneæ.

In paſtu ſæpius utatur capparibus ex foliis geniſtæ muriâ conditis.

Poteſt quoque offerri diacapp. in tabulis.

Tabulæ diacapp.

℞. diacappar. & croci martis an. ℥j.
ſachari in aqua ſcolopendria ſolut. ℥iiij.

f. ſ. a. tabulæ, de quibus ſumat manè unam, & tribus horis poſt paſtum.

Non

Non incommodum quoque erit exhibere ſæpius tartarum vitriolatum & cremorem tartari, ſpiritum ejusdem & tincturam, cui ſuccenturiatur vinum martiale, pulvis cachecticus, ſpiritus vini tartariſatus, adjunctis ſimul externis, aliàs nihil efficientibus. Imprimis emplaſtrum de cicuta, de quo ſupra: tartarus vitriolatus primas tenet, modo præceſſerint mitiora aperientia, præſertim in ſcirrho inveterato.

Fomentum pro hypochondriacis:

Fomentum.

℞. *rad. althææ* ℔ſ. (b)
bryoniæ
cucum. agreſt. an ℥iij.
apii
petroſelini an ℥ij.
cortic. & rad. capparum
tamariſc. an. ℥j.
fol hederæ
ſambuci an. m. ij.
ceterach m. j.
ſem. agni caſti
abrotani an ℥ſ.
flor. geniſtæ
chamomillæ
melilot. an. p. iſ.
f. decoctum.

(b) Ad fomentum ſeu epithema vel ſexta pars deſignatæ hîc quantitatis ſufficit, liquet ergò quod debeat intelligi ſemicupium ſeu inſeſſus, ubi tanta decocti quantitas requiritur, ut ad umbilicum usque decoctionis liquor inſidenti aſſurgat, neceſſe igitur eſt, ut quantitas aquæ ad decoctionem ſumenda duo vel tria ahena impleat, talia ſemicupia per octo vel plures dies continuantur, ſemper iisdem herbis & brodio refervefactis, æger autem quotidiè per integram vel ſesquihoram in eo moratur, herbisq; ad mollitiem coctis locum affectum optimè fomentat, ſurſumque & deorſum fricat, ut probè emolliatur, egreſſus demum etiam calido linimento eundem locum ad calorem fornacis inungit, in quem finem Author ſequens præſcripſit:

Linimentum.

℞. *ol. capparum*
amygdalarum amarar.
an. ℥iſ.
tartari (c) ℥j.
gum. bdellii
ammoniaci diſſoluti in
aceto ſcillitico an. ʒvj.
ceræ tantillum
f. linimentum.

(c) Non ſe explicat an velit oleum tartari fœtidum vel per deliquium factum, utrunque tamen convenit, niſi quod ſtillatitium illud craſſum, quod fœtidum nominatur, ob odorem gravem non à quolibet tolerari poſſit.

Inveteratam plerunque diſſolvunt deobſtruentia hepatis, imprimis quæ à marte ſuppeditantur ſpecifica; ſpiritus vitrioli hic multum prodeſt. Acidulæ ejusmodi obſtructiones facilè tollunt.

CAP. CXXXI.
DE SCIRRHO LIENIS,
Germ. ein hatter Miltz-Zelten.

Scirrhus. Scirrhus lienis eſt durities ſive tumor durus, poſt prægreſſam gravem obſtructionem lienem occupans, ſequitur etiam nonnunquam lienis inflammationem.

Signa. Signa ſcirrhi lienis manifeſta ſunt, ſiniſtrum enim hypochondrium duritie & tumore oblongo eminentique per transverſum hypochondrii laborat, non tamen in quolibet eadem durities occurrit, ſed nunc renitens eſt pertinaxque, nec digitorum impreſſioni cedens, cum gravitate & dolore, quem tumorem ab humoribus melancholicis excitari ajunt; Nunc verò gravitas in dicto hypochondrio non percipitur, nec adeò impreſſioni renitens durities, ſed tenſio tantummodò quædam, huncque tumorem à flatibus in liene collectis oriri volunt, quilibet autem tumor duriusculus lienis etiam hæc ſymptomata inducit, nempe difficultatem reſpirationis inter ambulandum, eo quod diſtentus ſplen liberum diaphragmatis & muſculorum abdominis motum impedit, procedente quoque tempore fœtor oris & corruptio gingivarum ſequitur, ob affectum ſimul ventriculum putidos halitus in os ſubmittentem, quibus gingivæ putreſcunt, & graviter olent, pedes quibusdam etiam intumeſcunt ob cacochymiam, ex obſtructo viſcere elaborationi ſangvinis inſerviente, color cutis liveſcit, decubitus in ſiniſtro latere moleſtus eſt, eò quod turgidus lien ab incumbente corporis onere premitur, unde decumbentibus dolor usque ad collum in ſiniſtro latere protenſus concitatur.

Causæ internæ. Cauſæ hujus ſcirrhi internæ ſunt: temperamentum melancholicum, quod frigidum eſt & ſiccum & plurimos flatus gignit, ſpongioſamque lienis ſubſtantiam conſtringit & obſtruit, ut vel à flatulentia in tumorem diſtendatur vel propriâ conſtrictione indureſcat; item collectio materiæ tartareæ & fæculentiæ in meatibus lienis, cum enim fontes etiam limpidiſſimi per canales ducti, diuturnitate temporis parietibus canalium aliquam terreſtreitatem vel tartareitatem, vel cretam, vel ut appellare lubet affigant, ita ut demum cavitas anguſtior fiat, vel omnino occludatur, idem etiam in multiplicibus & anguſtiſſimis meatibus lienis à craſſo illo ſucco, quem lien quotidiè attrahit, & nonnunquam ad ingentem magnitudinem ab eo excreſcit & augetur, fieri poſſe & ſubinde contingere, dubium non eſt; à tali obſtructione etiam nonnunquam inflammatio lienis oritur, quæ demum in ſcirrhum terminatur.

Cauſæ externæ. Externæ cauſæ ſunt: diuturnus uſus alimentorum craſſorum, viſcidorum & terreſtrium, qualia in præcedenti capite diſſvadentur. Vel etiam nimius uſus calidorum ciborum vel medicamentorum, ſangvinis tenuiores partes evaporare facientium, ubi craſſiores remanent, & facilè

facilè obſtructiones pariunt. Item inflammatio lienis, applicatioque nimium refrigerantium, quibus pori conſtringuntur, ut materia vitioſa difflari nequeat, ſed congeletur, quin etiam calida intempeſtivè adhibita tenuiorem materiam reſolvunt, craſſiorem verò adhuc magis incraſſant. Sæpius etiam à febribus, & imprimis quartana hic affectus relinquitur, frequens quoque eſt his qui aquis paluſtribus & lutoſis in potu vel ciborum coctione utuntur, imò ab ipſa inhabitatione talium regionum, quæ aërem habent humidum & lacunoſum, generari ſolet, & in locis maritimis, ubi uſualis eſt victus craſſus, & cereviſia craſſa & fæculenta, qualis nautis ſolemnis eſt, cum pane biſcocto ſeu navali, carne fumata, lardo rancido, piſcibusque ſiccatis & ſimilibus, quibus proinde hic & alii morbi melancholici, & ut ſcorbutum populares ſunt. Aliquando quoque hic affectus ex criſi fit, naturâ materiam morbificam ad lienem devolvente.

Prognoſtica. Prognoſin quod attinet, diuturna lienis in tumeſcentia & durities plerunque in hydropem definit, ob ſympathiam ſpleni cum jecinore intercedentem, exquiſitus quoque ſcirrhus quilibet, atque ideò quoque lienis incurabilis eſſe ſolet.

Curatio. Curatio incipit à convenienti diæta, uti in præcedenti capite dictum, commendant autem practici ex Galeno hic ut in aliis affectibus melancholicis iterum uſum aceti, aliorumque acidorum, ſed cum eis non ſentimus ob rationes jam antea productas, neque etiam venæſectionem probamus, eſt enim morbus frigidus, & à majori perfrigeratione magis increſcit, purgatio autem per ſeceſſum conveniens eſt & utilis, præmitti tamen poteſt tartarus vitriolatus per unum atque alterum diem manè & veſperi.

Deinde purgatio exhibeatur in hunc modum:

Purgans.
℞. diacathol. ℥VI.
diaphœnic.
confect. Hamech. an. ʒij.
aquæ fumariæ ℥iij.
m. f. potio, ſummo manè ebibenda.

Poſtmodum per aliquot dies roborantibus lienem utendum, cui uſui apprimè inſerviunt trochiſci de capparibus quotidiè ad ʒj. in vino chalybeato aſſumpti. Non tamen ſemper unico medicamini inhærendum, quia natura ei aſſveſceret, itaque alternatim etiam alia ſpecifica in uſum vocentur, qualia ſunt ſpiritus cremoris tartari, ſpiritus filicis, item vinum medicatum cum infuſione chalybis præparati. Specifica

Exterius in uſu ſunt varia topica mollificantia nempe emplaſtr. de melilotho, item diachylon ſimpl. applicant etiam ſplenem bovis jamjam recenter exemptum, & etiamnum tepentem. Topica.

Hæc tam interna quàm externa per aliquod tempus debent continuari, quia non ſolent in tam obſtinato morbo citò opem ferre.

Foreſtus arcanum Faventini internum, ſuumque ungventum externum ſummè commendat ad omnem

omnem ſplenis duritiem diſſolvendam, quæ ita habent:

Arcanum. ℞. radic. filicis ℥ſ.
cuſcutæ ʒij.
m. & bulliant in ℥VIII. vini albi generoſi ad tertiæ partis conſumptionem, colatura bibatur per XV. dies.

Ungventum. ℞. ol. capparum ℥j.
lilior. alb.
amygdalar. dulc.
chamæmeli
butyri recentis an. ℥ſ.
ſucci bryoniæ
cyclaminis an. ℥j.
bulliant olea ad conſumptionem ſuccorum, adde ammoniaci in aceto diſſoluti ʒiiſ.
pingved. gallin.
crurum vituli
œſypi humidæ an. ℥ſ.
pulv. cortic. rad. tamariſc.
cappar.
ceterach.
filicis an. ʒj.
pulv. ſem. agni caſti
geniſtæ an. ℈j.
ceræ parum f. ungventum.

Conducunt quoque hîc eadem quæ ſupra cap. 126. ad ſcirrhum hepatis propoſita ſunt, plura docet

TEXTUS.

IN ſcirrho ſplenis dextrò curando, præſertim ſi inveteratus fuerit, ſolers cura maximoperè requiritur. Nihilominus ſi quæ huic viſceri ſcirrhum paſſo convenientia adducenda ſunt, ante omnia ab initio acquirenda ſunt mitiora, imprimis aperientia, tartarus vitriolatus inter omnia talia principes partes obtinet, cui ſuccenturiatur quaſi vinum martiale. Item pulvis cachecticus. Poſtremò omnium ſpiritus vitrioli tartariſatus mirificè prodeſt. Item ſpiritus vini tartariſatus. Hæc autem omnia parum aut nihil proficient, niſi deinceps externa quoque in ſubſidium eant.

Emplaſt. de ſucco cicutæ. *Mirabile eſt emplaſtrum de ſucco cicutæ & de ſucco mandragoræ (ſuccus mandragoræ ebur diſſolvit, hinc à medicis recentioribus in uſum introductus) ſi utrique cum ammoniaco distemperata fuerint. Vide quæ ſupra de ſcirrho hepatis dicta ſunt.*

CAP. CXXXII.
DE INFLAMMATIONE, ABSCESSU ET ULCERE LIENIS.

INflammationem lienis rarum quid eſſe teſtantur practici, ratio eſt quod lien ſit pars frigida ad inflammationem minus habilis, apta vel accommoda, nihilominus tamen interdum ei phlegmone ſeu inflammatio accidit, cum febre totius corporis continuâ, tumore & dolore in ſiniſtro hypochondrio, nonnunquam ad diaphragma & ſiniſtrum humerum pertingente, nec non gravitate & pulſatione in eodem latere & loco affecto, ſitis adeſt & cibi faſtidium, lentorque nigricans lingvæ adhæreſcit, dexter decubitus moleſtior, eò quod viſcus grave

Signa inflammationis lienis.

grave ventriculo incumbens, eum gravat, & ſi inflammatio & intumeſcentia ingens ſit, decubitus ſiniſter non minus moleſtat, eò quod tunc incumbens ſit ventriculus & hepar, & compreſſionem affert, non rarò enim ejusmodi tumor totum ſiniſtrum hypochondrium implet, atque infra umbilicum protuberat, inflammatione etiam ad vicinas partes & imprimis umbilicum pergente. Hæc ſigna tamen ſubinde variant pro diſcrimine temperamentorum & diversâ humorum congeſtione. Ubi enim cònſtitutio phlegmatica vel ejus coacervati humores magis dominantur, in his febris minor eſt, quotidiè tamen ſe movens, ſitis parva & remiſſior dolor; prædominante autem bile, febris intenſior & tertio die in modum tertianæ ingraveſcit, oris amarities & ſiticuloſitas urgent, cum vigiliis & nonnunquam delirio. Melancholiâ verò præponderante, durities lienis major eſt, colorque cutis ad fuſcedinem declinat. Interdum à ſolo ſangvinis in lienem influxu inflammationem fieri Authores volunt, tuncque tumorem & dolorem urgere vehementius & cum multa gravitate, uti de hisce quoque Hippocrates loquitur: *Sangvinis in liene abundantiâ ventrem indureſcere, corpus humoribus vigiliisque extenuari, & faciem emacreſcere.*

Cauſæ. Cauſæ inflammationis lienis ſunt: vel nimia ſangvinis copia in lienem calefactum influens, calefit autem vel ab aliqua externa concuſſione ex lapſu &c. vel ab aliquâ meatuum lienis obſtructione, quia impedita circulatio ſemper putredinem & inflammationem excitat; Vel naturalis debilitas vel intemperies lienis, munere ſuo minus rectè fungens, atque ſic cruditates, & feces generans, unde poſtmodum corruptio.

Prognoſtica. Prognoſis eſt ſi die quarto ſangvis è ſiniſtrâ nare erumpat, ſalutare, aliis verò diebus vel è nare dextra prodiens nihil prodeſſe volunt, niſi autem magna cum diligentiâ lienis inflammatio tempeſtivè curetur, in ſcirrhum terminari ſolet & perniciem afferre.

Curatio. Curatio inſtituitur mox cum diæta conveniente, ut ſuperius enarratum, abſtinendo in principio à vino, quod tamen circa finem aquoſum permittitur; Statim quoque Practici ſecant venam ad reprimendam & extingvendam inflammationem; & locum affectum exterius vino auſtero veteri cum oleo olivæ dulci invicem calefactis fomentant; vel aceto & oleo roſaceo itidem calidis, injiciendo poſt fotum clyſterem; ad detrahendum illud quod à fotu reſolutum eſt. Deinde lene purgans exhibent præmiſsâ præparatione per decoctum fumariæ, meliſſæ, lupuli & ſimilia, demumque topica applicant, nempe ungventa vel cataplasmata emollientia actu calida, & nequaquam frigida, quippe quæ facilè indurationem ſcirrhoſam efficiunt. Atque ſic interdum dolor & inflammatio reſolvitur, ut neque in ſcirrhum nec ſuppurationem abeat, quod tamen rarò contingit. Sed de his multa verba facere non opus

eſt, cum eadem medicamenta, quæ inflammationi hepatis conveniunt, etiam hic uſurpari queant.

TEXTUS.

INflammatio lienis, abſceſſus & ulcus eandem requirunt curam, cum hepatis affectibus.

CAP. CXXXIII.

DE MESENTERII MORBIS, NIMIRUM OBSTRUCTIONE ET INFLAMMATIONE MESENTERII.

Deſcriptio meſenterii anatomica.

MEſenterium eſt corpus in medio inteſtinorum conſtitutum, ea in ordinario multiplicium gyrorum ſitu ſuffulciens, ne confundantur.

Membrana eſt duplex, peritonæo continua, copioſâ pingvedine & innumeris glandulis referta, quarum media omnium maxima pancreas Aſellianum nominatur, ad differentiam pancreatis veri.

Numeroſiſſima quoque vaſa in meſenterio concurrunt, quæ meſenterica & meſaraica vocantur, nimirum à vena portæ, ramo meſenterico arteriæ magnæ, plexuque ſexti paris nervorum internorum, ac lumborum medulla, prout & venæ lacteæ in receptaculum chyli, aut in pancreas prius Aſellianum deſinunt.

Amplitudinis meſenterium ingentis in obeſis fit, ac pingvedinem copioſam generat, deſcribi tamen quoad magnitudinem certo nequit, cum ea in diverſis ſubjectis variet, ac ratione cacochymiæ diverſimodè mutetur.

Connectitur circa ſupremam lumborum tertiamque vertebram eis nexu admodum valido, atque etiam aliis partibus, hæc enim ejus portio, quæ inteſtinis tenuibus committitur, dictæ vertebræ tertiæ, atque etiam primæ & ſecundæ adhæret, quæ verò inteſtino recto, cum oſſe ſacro colligatur. Extremis verò ſuis inteſtinorum volumina colligit, eodemque modo cum ipſis inteſtinis in multas plicaturas circumgyratur, ita ut toti ſeriei inteſtinorum tantum non ad 36. pedum longitudinem excurrentium ubique annectatur.

Uſus meſenterii.

Uſum meſenterii eſſe Anatomici ſtatuunt, ut inteſtina firmiter in ordine & ſitu ſuo contineat, ac pingvedine ſua in calore naturali foveat, glandulis autem varias fiſſiones vaſorum meſenterii fulciat, ac molliter contineat, ne in magnis motibus rumpantur, vel ab incubatu inteſtinorum premantur, ſuo quoque madore inteſtina in humectatione conſervet, ne reſiccentur, quod omnino probabile videtur, hæ enim partes, quæ in continuo ſunt motu, ſemper madore & quidem lubrico indigent, ſicut in ore apparet, ubi ad lingvam ob operoſum motum formandarum vocum & loquelæ, nec non madefaciendum inter mandendum cibum uberrima copia hujus madoris affluere debuit, ita ut multa pars, tanquam excrementum exceſſivum exſpuatur ſub peculiari ſalivæ nomine, quanquam idem ille

humor

humor ſit, qui etiam aliis glandulis familiaris eſt, mirum quoque humorem iſtum adeò dulcem & inſipidum eſſe, adeò ut licet homo ferè nil edat vel bibat, quod eundem ſaporem inſipidum referat, ſed mera fermentata, ſalſa, aromatiſata, ſal quoque maris, quem in omnibus cibis largiſſimè homo aſſumit, per omnia filtra & cola cum liquoribus, quibus ſolvitur, permeet, atque ſic etiam iſte humor glandularum, cum eæ ſine dubio multum poroſiores ſint omnibus filtris, per quæ tamen ſal ſolutus tranſit, meritò ſalſus eſſe debeat, conjecturabile itaque eſt, potiorem glandularum uſum in eo conſiſtere, ut ipſam ſalſedinem (quæ in homine adeò potens eſt, ut licet ſalem marinum per unum vel alterum diem non aſſumat, urina tamen ejus non minus ſalſiſſima ſit, adeò ut præ copiâ ſalis rutilet inſtar fortis lixivii, quod itidem ob magnam ſalis lixivialis copiam rubens apparet) fermentent & transmutent in dulcedinem inſipidam, & lubricitatem glarealem, ne ulla ſalſa acredo relicta motum turbet, ejusdem ergò quoque uſus erit magna meſenterii glandula ſeu pancreas Aſellianum, ut ſemper copioſam ſufficientiam humoris lubricantis pro motu inteſtinorum in procinctu habeat.

Uſus pancreatis & ſucci pancreatici.

Non multum quoque abſimilem præſtare uſum videtur glanduloſum illud corpus ſeu pancreas verum, quod multam aciditatem colligens, eam tam copioſam fermentare in liquorem inſipidum haud potuit, canalem itaque in ſinu ſuo obtinuit, ut liquorem acidiusculum fermentationi in inſipidum non auſcultantem corrivaret, & ad inteſtina deveheret, novam ibi utilitatem reperturum, ut nimirum liquorem acrem felleum, pariter in inteſtina fluentem contrariâ ipſi aciditate ſaturaret, & ex utrisque temperatum quid fieret inteſtinis amicum & conſervativum, hanc tamen partem, quam hoc pancreas ſubegit & in inſipidum fermentavit, forſitan per ſuum corpus transcolat, in eundem pro lubricatione partium adjacentium uſum.

Deſcriptio Pancreatis.

Sortitum enim eſt pancreas ſubſtantiam cum glandulis maxillaribus convenientem, & per totum unum quoddam corpus eſt glandulare ſeu glanduloſum, excepta membranulâ tenui ipſum exterius ſuccingente, quæ meſenterio continua videtur, permeantibusque ipſum ramo venæ portæ ſplenico, & arteriâ cœliacâ ſiniſtrâ, nec non nervulis duodeno, jecori ac lieni diſtribuendis cum poro biliario; item venâ ejus propriâ è trunco venæ portæ, arteriâ è cœliaca ſiniſtrâ.

Meſenterium verò etiam ſubinde fieri morboſum quorundam exempla docuere, qui iſtis morbis extincti, ac poſt mortem ſecti ſunt. Narrat enim Helmontius, in ſuâ præſentia duorum ictero defunctorum corpora diſſecta à fellis obſtructione quidem immunia, quæ hactenus icteri cauſa credita eſt, at meſenterii venas cruore flavo ſtercoreo turgidas repertas eſſe. Fernelius verò aſſeverare non dubitat, in meſente-

rio ſæpè plurimorum morborum latere cauſas, nempe choleræ, melancholiæ, diarrhææ, dyſenteriæ, cachexiæ, atrophiæ, langvoris, lentarum, errantiumque febrium, vomitionum, dolorum colicorum, tumorum & abſceſſuum; Quod & alii Medici approbant, ideòque meſenterium nutriculam vocant.

Præcipuum autem meſenterii affectum putamus ejus obſtructionem in venis meſaraicis & lacteis, nec non numeroſis glandulis contingentem, idque potiſſimum ab intemperantia vel mala diæta, qui enim intemperanter vivunt, variisque gulæ illecebris ſe offarciunt, dulcibus, acidis, aromatiſatis, mollibus, duris aliisve multifariis, modò crudis modò coctis, aliisque ingeſtis antequam priora concocta ſint, illi non poſſunt non vitioſum & planè indebitè præparatum chylum congerere, in quo neque dulcedo ſacharacea, neque aciditas plenè ſubactæ ſunt, pars ergò aſtringit, pars laxat, alia vellicat, & ſi venæ meſaraicæ hanc ſaburram aſſugant, in uno obſtruuntur, in alio profluvioſè laxantur, & ſic quoque fit in glandulis, ſuccum ſalſum in inſipidum fermentare aſvetis, quando talem ſuccum non invenerint, ſed aliud quoddam variè infectum liquamen, unde ab eo etiam variè afficiuntur, uti os exemplo eſt, ſi enim aliquid aluminis ei inditur, adeò conſtringitur, ut & labra ferè ſicceſcant, & in tota bucca ſcabrities ſentiatur, rationi itaque conſonum eſt, eandem in rationem glandulas variè affici, alterari, & munere ſuo tum ſiniſtrè fungi, multoties quoque tale quippiam manifeſtè in glandulis maxillaribus ſentitur, nempe à manducatione rerum quarundam lentorem ipſis affigentium, quod nimirum pungens quædam conſtrictio in utraque maxilla percipiatur, ut in nobis ipſis ſæpius tale obſervavimus, cujus rationem eſſe putamus, quod lentor ille poros illarum colatorios nonnihil occludit, quod illæ moleſtè ferentes ſe aliquantulum dolorificè contrahunt.

Sic quoque pancreas diverſo modo morbidum affici pariter quorundam exemplis innotuit, qui ſectione ex malè affecto pancreate obiiſſe deprehenſi ſunt, uti Thuano hiſtoriographo illi Gallico contigit, cujus pancreas à morte ipſius ſcirrhoſum inventum eſt, in aliis vero ulceratum invenerunt.

Conſimili etiam ratione omentum in quibusdam tumidum & ſcirrhoſum inventum eſt.

Quum verò certa methodus iſtos affectus diſcernendi curandique in praxi nondum innotuerit, atque etiam nobis non comperta ſit, de hisce in ſpecie plura verba facere nolumus, ſed generalia tantùm deobſtruentia ad ejusmodi affectus, gravitates & profundas ventris tenſiones, quæ tamen harum partium defectus ſuſpicandos docent, commendamus, imprimis autem è mercurio & antimonio parata, quæ omnes corporis latebras perveſtigant.

TEX-

TEXTUS.

Graviores meſenterii obſtructiones & inflammationes magnorum malorum authores, cognitu tamen difficiles, niſi quando tumores circa umbilicum in meſenterio & pancreate deprehenduntur, exiſtere ſolent; prudens itaque medici ſolertia hic requiritur maximè.

Cognito morbo purgationes qualescunque raró proficiunt. Videtur nimirum exaſperari malum, quod ſanè, dum minus ab ipſis Medicis conſideraretur, non mirum extitit, quamobrem hos effectus ilias morborum ſubſequatur.

Doctiſſimus Fernelius palmam præripuit omnibus, & ſingulari induſtria ingeniique dexteritate ea prodidit, quæ Medicum Practicum hac in parte multum juvare poſſunt.

Tota cura conſiſtit in reſolventibus & emollientibus.

Reſolventia ſunt mitiora illa ex tartaro vitriolato, vino chalybeato, pulvere cachectico & acidulis tum naturalibus, tum artificialibus.

Artificiales vide apud Platerum in obſervationibus, de diſcoloratione, hæc nimirum omnia ingluviem iſtam in ignobiles ſedes meſenterii & pancreatis depoſitam mirabiliter reſolvunt.

Quod ſi ſegnities alvi tumoribus meſenterii altè ſepultis hisce reſolventibus non ceſſent, ſpiritus vini tartariſatus guttatim exhibitus ſegnitiem tollit.

Mollificantia ſunt ex fortibus externis, quibus ſi adjiciatur emplaſtrum de cicuta, res fiet magis expedita, quantumvis obſervatum ſit, dolores ſæpè recrudeſcere ab applicato hoc emplaſtro, quod certiſſimum ſignum eſt poſt inflammationem præcedentem putrilaginem illam exarſiſſe, & in abſceſſus degeneraſſe, ut ſæpè hoc modo pus ſincerum cum muco per alvum redditum fuiſſe animadverſum ſit (& tunc hoc emplaſtrum amovendum & enemata adhibenda.)

Hoc itaque in caſu nihil magis proderit, quàm obſervatâ legitimâ diætâ, & probè conſideratis, quæ ventriculum labefactatum, & totam œconomiam corporis inſigniter læſam reſpiciunt, ſæpius applicare enemata ſimplicia ex ſolo lacte, vel ol. olivarum, vel butyro recente. Hoc nimirum modo alvus ab inquinamentis iſtis interioribus purgationibus non cedentibus liberatur, & tandem omnia mitiora fiunt.

Sæpius tamen poſt curam hanc abſolutam lenioribus purgantibus quotannis adhibitis ſemel atque iterum providendum fuerit,

ne locus ſemel iſtis impuritatibus recipiendis idoneus factus ſubinde recurrentis mali ſtabilimenta faciat.

CAP. CXXXIV.

DE JECORIS LIENISQUE SYMPTOMATIS, ET PRIMO DE ICTERO SIMPLICI, Germ. die Gelbſucht.

Icterus quid?

ICterus à Practicis deſcribitur, quod ſit effuſio bilis per totum corporis ambitum, unde univerſa cutis malo defædatur colore, dicitur autem icterus ut quidam volunt ab animalculo quodam, quod à Græcis ictis Latinè vivera nominatur, Germanicè ein Iltiß; cur autem de nomine iſtius beſtiolæ vocetur, non ſatis conſtat, cum ea non ſit coloris citrini ſed fuſci, intermixtis ſaltem pilis quibusdam in extremitate ſubflavis. Alii itaque volunt per illud animalculum intelligi muſtelam ſylveſtrem, quæ auricolores oculos habeat. Aurigo etiam hujus morbi nomen eſt, eo quod aurei ſit coloris, Celſus verò eum vocat morbum arquatum ab arcu cœleſti ſive iride, eò quòd ejus colorem imitetur; nec non morbum regium, eò quod ornatus regum præcipuè ex auro conſtet, hic morbus autem flavedinem auream repræſentet.

Ratio nominis.

Icterus triplex.

Triplicis autem icterus (qui & icteritia vulgò nominatur) eſt ſpeciei, una flava ſeu citrina. Altera fuſca ſeu atra Tertia viridiuſcula. Primam volunt oriri à flava bile. Alteram ab atrâ ſeu melancholia; & tertiam ab utriusque humoris commixtione. Hîc autem de vulgari flavâ ſeu regio morbo tractatur.

Signa.

Signa icteri manifeſta ſunt, totius enim corporis cutis flavo tingitur colore, imprimis autem album oculorum in flavum convertitur, adhæc ſegnities ad motum corporis adeſt, ſemperque inſequitur difficultas reſpirationis, urina tam intenſè flaveſcit, ut linteum in eo madefactum croceo colore tingatur, excrementa verò ventris albicant, caput dolet, ſingultus crebrius inſultat, & gravitas quædam in dextro hypochondrio percipitur; hæc autem ſigna juxta Practicos eveniunt, ſi icterus eſt ab obſtructione veſiculæ fellis, & regurgitatione bilis in jecur, in hoc etiam febris non adeſſe ſolet, verùm ſi à debilitate ſegregatricis facultatis & inflammatione hepatis icterus proficiſcatur, tunc ſimul adeſt ardor dextri hypochondrii, ac febris cum vehemente ſiti & crebra eruptione ſudoris, fæces ventris tum non albicant, ſed valdè flaveſcunt. Icterus autem à febribus ortum habens ſeu à critica expulſione febris, ex improviſo advenit, colorque cutis non ſenſim ſed repentè immutatur, & in tali ictero excretio ventris & veſicæ ſuum conſvetum colorem retinent; qui verò à temperamento bilioſo ſeu cholerico dependet, non repentinam ſed paulativam cutis colorationem luteam affert, corporis quoque ambitus totus pruriginoſus & aridus redditur.

Cauſæ

Cauſæ internæ. Cauſæ internæ ſunt: durities, obſtructio vel inflammatio hepatis, vel imbecillitas facultatis ſegregatricis jecoris, vel oppilatio meatuum veſiculæ fellis, indeque bilis regurgitatio, talis autem oppilatio frequens eſt, & modò à calculis in ciſti fellea genitis, nunc à craſſitie & viſciditate quadam humorum provenit. Critica quoque expulſio materiæ febrilis in febribus bilioſis ſæpius icterum gignit, item temperamentum cholericum, bilem in toto corpore nimis copioſam generans.

Externæ. Externæ cauſæ à practicis ſtatuuntur alimenta dulcia facilè in bilem convertibilia, qualia ſint mel & ſacharum, eaque quæ multum bilis progignant, ut vina fortia nimis abundanter hauſta, nec non aromata & medicamenta ejusdem farinæ intempeſtivè & æquo crebrius aſſumpta, item ſerpentum & venenatorum animantium morſus.

Dogma Helmontii de ictero. Helmontius tamen cum hac antiquiorum Authorum doctrinâ penitus diſſentit, eique ſuam hanc opponit: Scholas falsò credere, cyſtim fellis in ſui exitu verſus jejunum inteſtinum obſtipatam, bilem ideò quotidiè generatam, moxque à ſui nativitate regurgitari, atque diſpergi in totum corpus, quam conſtipationem meatus fellis inferi probare nitantur, quia alvi excrementa ſint felle deſtituta, ideò & cinerei coloris nec flava. Quapropter lotium viceſies plus juſto occurrere tinctum, atque indies meracius.

At ſcholas tam veſicæ quàm alvi excrementorum tincturam à felle deſumentes primò nondum probaſſe ſuperum aliquem introitum fellis ad folliculum: ut neque is hactenus per exquiſitam anatomen ſit repertus. Ergò vel per inferiorem fel excrementoſum quotidiè intraret, vel inſenſibiliter. Non hoc modo, ubi tanta eſſet quotidiani fellis abundantia. Nec etiam priore modo, cum iſthac fruſtra intraret, qua ſtatim egredi deberet. Itemque ſi iſthac ingrederetur, deberet per inteſtinum ſurſum intrare, nec ſic unquam deficeret tinctura ſtercorum fellea, etſi aditus inferior eſſet occluſus. In limine itaque hærere humoriſtas, in probanda quæſtione an ſit. Ac deinde deficere in ductu & ſeparatione fellis à jecore. Tertiò ſaltem ex diſproportione facilè colligere potuiſſe, ſe deceptos. Nam ſi ictericus biberit libras octo uno die, tantundem flaviſſimi lotii propemodum eum eſſe redditurum, cujus ſaltem libræ quatuor eſſent meri fellis, & quò infirmiores ægri fuerint mortique viciniores, eò urinas in flavedine fore quoque intenſiores, nequicquam tamen amaras. Dimetiendum itaque foret, quantum flavi quotidiè per lotium, & per cutim expellatur ictericis, an videlicet tantundem fellis quotidiè per alvum pellatur ſanis, præcipuè quibus rarus ſit ſeceſſus. Quod ſi non, ergò non eſſe fel, non bilem, aut de naturalibus humoribus, qui fiat in ictero: ſed planè virus excrementoſum. Et per conſequens icterum non probare ſe è felle oriri. In ſuâ enim præſentiâ duo icterica cadavera diſſecta,

neutrius

neutrius tamen orificium felleum (ſe curioſè omnia luſtrante) obſtipatum fuiſſe, ſed venas meſenterii (infra jecur nempe & procul remotas à felle) cruore flavo ac ſtercoreo ſcatuiſſe, ſtercus ergò liquidum atque flavum, quod infernè deſcendere debuiſſet, in meſenterio detentum, atque aliud virus à cauſis peregrinis ſupernè natum fuiſſe. Stercus illud liquidum eſſe ſecundæ digeſtionis prolem, rapique frequenter ſurſum, mentitum itaque bilis vomitum eſſe peregrinum efficiens, quod virus peregrinum cum multa anxietate in ſtomacho primordialiter, & non è jecore repetitum fel generet; ſtercus illud liquidum nedum digeſtivæ errore multiplicare icterum, ſed & vitio diſpenſativæ, ordine retrogrado rapi in venas, quodque infernè purgari debeat, ſurſum vocari, mittique.

Ex altera inſuper parte ipſum icteri efficiens virus parere, domeſtico vitio, non ſecus atque obſoletâ ſtomachi digeſtione virus naſcatur, quod per vomitum expellatur. Etenim frequenter in ictero ani ſordes pallere, ac penè albicare, cras deinde rurſus flavere, iterumque mox inde pallere cinereè ut pridem, quod fellis obſtructionibus ſic alternatim minimè contingat. Nam ſemel ſolutis & apertis non eſſe recluſionem, aut clauſuram tam facilem, vel imminentem atque interpolatam.

Duo itaque in ictero ſimul concurrere. Unum eſſe alienationem ſecundæ digeſtionis, quo chylus pervertatur, tam qui regulariter bonus eſſet & in cruorem mutandus, quàm qui aliàs naturaliter in ſtercus liquidum intra inteſtina faceſſat. Alterum autem eſſe alienationem diſtributivæ ac digeſtivæ ſtomachi. Sæpè namque à crapula eſſe copioſum vomitum flavum, prout & dejectionem talem à poculo ſolutivo. Stomacho enim & inteſtino propriam eſſe flavedinem, ut ſtercus puerorum & vitulorum oſtendat, quæ ſubinde etiam à digeſtiva errante amaricet. Ubi autem cum errore digeſtivæ adſit vitium diſtributivæ, icterum jam confluere, eò quod præter naturam, quod naſcatur præter naturam, in venas & corpus diſpergatur, quod aliàs nec naſci nec iſthac deferri deberet, ſed per ſua emunctoria urgeri. Quæ diſtributiva à ſcholis hactenus ſit neglecta, cujus tamen errore varii fiant morbi, nimirum fluxus ſymptomatici, apoſtemata, aridura partium, œdemata &c. præſertim in terminis icterus. Stercus enim liquidum, quod naturaliter poſt ſeparationem purioris chyli alioqui circa finem ilei generetur poſtremò, & ante merum ſtercus in inteſtino colo; jam præcociter à jejuno inteſtino incipere, ac præter naturam verti in flavum illud excrementum (non tamen amarum, quale in ſtomacho naſcatur) unde illi fas ſcandendi in venas meſenterii emergat. Excrementa itaque alvi coloris eſſe cinerei, orbata ſtercore liquido ſibi naturali, & tingente flavedine, quam ſcholæ proficiſci à felle autument, ciſtidem-

que

que fellis in icτero clauſam, quà ad inteſtinum duodenum tendat, atq; idcircò alvi ſordes debitâ fellis portione privatas palleſcere, felque ideò quod per anum ſecedere debeat, urinæ ſupraproportionaliter & immoderatè commiſceri ſolius itineris errore. Conſtare tamen imprimis, quod ſtercus humanum, etſi flaveat parum aut multum, non ſit amarum tamen proinde, ut nec urina icterica. Canes enim edere flavum ſtercus infantium, quaſi adhuc lactis ſaporem illis referat. Admixtis autem aliquot guttulis huic flavo ſtercori alicujus fellis, tunc illud à cane nequaquam lambi. Quòd autem os in icτero amaricet, hoc bilem non arguere. In timore enim os ſimiliter amaricare cum ſalſedine. Timorem tamen nil quicquam imperii ſuper fel obtinuiſſe, ut concepto pavore effundatur in os. Etenim ſi in icτero cyſtis fellis ſit internè ſic clauſa, ut nil bilis in duodenum fluat, ergò amaritiem oris in icτero à felle non eſſe, à duodeno ſurſum tracto, cum non ſit alia via, qua fel in os aſcendere poſſet. Sæpè etiam in icτero poſt cineritia alvi excrementa redire flava, cur ergò icterus non deſinat, ſi ejus cauſa jam deſiſtat? aſſumpto quoque rhabarbaro vel alio cholagogo quicquid dejiciatur, flavæ bilis teſtimonia dare; cur ergò aſſumpto cholagogo non terminetur icterus, ſi bilis per inteſtina ad medentis nutum delabatur? Si etiam à ſerpentis cujusdam morſu repentè quis icτero ſuccumbat, an proin confeſtim fellis folliculum clauſum iri? ac non potius in omni icτero aliquod conſimile virus patrans latere, quod digeſtivam & diſtributivam alienet? ideòque excrementa palleſcere, flavere, rubere, & nigricare non aliunde quàm ex vitio tam digeſtivæ quàm diſtributivæ. Infantium nempe ſtercus flavius eſſe adultorum, non tamen cenſeri à ſcholis propterea biliſiores. Si ergò icterus non ſit ex oppilatione fellis, deoppilativa eſſe fruſtranea. Ut enim ſerpentes aliquot ex proprietate faciant icterum, ita & inſecta aliquot eundem viciſſim ſanent, ut & quædam ſimplicia foris alligata duntaxat; quatenus nempe virus tollant, quod præfatas facultates alienet, non autem quod ejusmodi vermes aut ſimplicia ſtatim cyſtim fellis obſtruant aut deoppilent. Efficiens itaque icteri eſſe fermentum præter naturam virulentum, quod pylorum ſic malè affectet, ut digeſtiva & ſimul diſtributiva alienentur: ſedeatque virus iſtud vel in duodeno vel longius ab ileo communicetur. Sic ſubinde à ſerpente demorſum confeſtim icτero affligi. Non autem quod ictus ille in pelle ſtatim occluſerit meatum fellis in jejunum inteſtinum. Proinde icterum per appoſitos flores chryſanthemi, dentis leonis, aliorumque multorum ſimilium, non rarò quoque per antidota quædam pyloro congrua ſanari. Quales ſint millepedes, lumbrici terræ, flavi vermes inter aſſeres, & quæ valenter abſtergant primam corporis regionem. Nec enim rhabarbarum, crocum, Specifica icteri.

curcuma, lapathum acutum &c. curare icterum quatenus flava: ſed illorum flavedinem potius indicare deſtinationem ſibi eſſe ad deterſionem veneni, ſignaturas enim prodere craſim internam rei, non autem ipſam craſim rem detegere. Porrò remedia ſpecifica icteri, exiguâ præſertim quantitate ut ſoleant data, non juvarent ſi infernum fellis orificium ſit adæquatè atque totaliter clauſum (quicquid enim non ſit totaliter clauſum, ſat pateat transfluenti felli) emunctoriumque ſic obſtipatum, ut nullatenus ſit expulſivum ſuarum ſuperfluitatum. Multo minus illud attractivum vel admiſſivum futurum remedii peregrini, priusque in ſtomacho transmutati, ideòque ergò planè fruſtraneum.

Denique ſi aliquod cyſtidi ſit os ſuperum (quod nullum, nam non reperiri tranſitum niſi infernè) illud ſanè aptum minimè fore ad trahendum bilem, multoque minus in tanta copia bilis, quanta ſupponatur in ictero. Debeat ergò bilis trahi per jecur, nec tantæ dimitterentur ſordes trans ipſum fellis folliculum, qui poris expers cenſeatur ſupernè. Adeòque non foret, unde inferus canalis obſtrui poſſet. Tum denuò hinc ſequi, ſi bilis ulla eſſet, eaque non transmitteretur ſupernè trans cyſtim fellis; remedium quoque contra icterum ſupernè in cyſtim labi nequeat. Neque infernè pariter admitti cum exactè ſupponatur occluſum, neceſſariò quemlibet icterum ſemper futurum absque ſpe ſanandi, quia citra remedium. Hæc Helmontius. De ictero loquitur etiam Hippocrates in ſequentibus:

Icterici non admodum flatulenti ſunt. lib.5. aph.72

Icterus in febribus die ſeptimo ſuperveniens, bonum. 4. 64

Nec non die nono, undecimo, & decimo quarto. 4. 64

Minimè tamen bonum, ſi dextrum hypochondrium ſit durum. 4. 64

Malum quoque ſi icterus in febribus ante diem ſeptimum advenerit. 4. 62

In ictero jecur durum, malum. 6. 42

Prognoſin quod attinet, ea partim in citatis jam Hippocraticis continetur, partim verò etiamnum inſtitui poteſt in hunc modum, quod icterus à calculo in veſicula fellis oriundus, ut & à ſcirrho hepatis incurabilis habeatur. Et ſecundum Celſum, ſi icterus poſt febrem contingat, plerunque ſalutaris (ſi tamen non ante ſeptimum febris diem accidat) ſi verò ante febrem, febrisque eum ſequatur, interimit. Diuturnus icterus hydropem minatur, præſertim urinâ ſimul diu aquoſâ apparente, obſtructionem enim hepatis à frigiditate denotat ingentem, ſecundum enim Avicennam urina in ictero alba parumque tincta ſemper malum eſt ſignum, item ſi quid ſimile grano orobi ipſi innatans conſpiciatur. Crocea verò & plus tincta ſalutarior habetnr. At qualiscunque ſit, ſi icterus in confirmationem & diuturnitatem abeat, periculoſus eſſe ſolet, materiâ enim diu intus commo- Prognoſtica.

commorante demum cor vel alia pars nobilis ſubitò opprimitur. Ictericus quoque in periculo verſatur, cujus appetentia omninò eſt dejecta, vigiliisque & delirio detinetur, ac cum labore loquelam format, lethiferum icterum portendit plerunque venter turgidus & vehementer intumeſcens: icterus quoque ſenibus pingvibus absque febre accidens raró aut nunquam curatur ob craſſitudinem & viſcoſitatem materiæ. Lethalis etiam eſt icterus cum inflammatione hepatis exiſtens, imprimis verò infectione croceâ juxta Gradum per tranſennam commiſſuræ capitis anterioris ſpectabili. Citrinus autem icterus vulgarior eſt nigro, citiusque ſanatur ac finitur, ſignumque utplurimum ægritudinum jecoris, niger verò ſplenis.

Quidam Authores perſtringunt ſupracitatum Aphorismum Hippocratis, affirmantem quod aurigo ante diem ſeptimum febris eveniens, malum ſignificet. Quam ſententiam tamen Hippoc. 4. de victus rat. in acutis melius explicat his verbis: *In febre millioſa morbus regius ante ſeptimum diem natus, cum rigore morbum ſolvit, ſine rigore peſtiferum.* Dicuntque per experientiam ſæpiſſimè icterum per criſin ante diem ſeptimum ſalutarem obſervari, criſesque etiam die tertio quarto & quinto per fluxum ventris, urinam & ſudationem contingere. Alii tamen Hippocratis mentem eſſe volunt, quod per diem ſeptimum quivis criticus intelligatur, ſeptimus autem ab ipſo nominetur tanquam nobilior criticus, indigitans eum, quem legitima materię febrilis concoctio præceſſerit.

Curatio pro cauſæ diverſitate varianda eſt, ſi itaque eſt ab obſtructione & calore hepatis, deobſtruentia & confortantia hepatica uſurpantur: ex. gr. Curatio.

Julepus.

℞. ſyr. de cichor. cum rhab. ℥iſ.
de endiv.
acetoſit. cit. an. ℥j.
aq. cichor.
endiv.
card. bened. an. ℥iij.
m. f. juleb pro tribus doſibus.

Poſtea purgans cholagogum exhibeatur, hoc vel ſimili modo:

Purgans cholagogum.

℞. Elect. lenitiv. ℥ſ.
de ſucco roſ. ʒij.
rhabarb. opt. gr. XV.
ſpic. gr. V.
ſyr. diaſereos And. ℥ſ.
aq. card. bened.
cichor. an. ℥ij.
m. f. hauſtus, 6. horis ante paſtum ebibendus.

Poſtmodum in potu ægri nodulus pendeat ex ſequentibus:

Nodulus pro potu.

℞. marrubii exſiccati m. j.
rhabarb. opt.
rubiæ tinct. an. ʒj.
ſchœnanthi gr. VI.
croci opt. ℈ſ.

incidantur omnia, & in nodulum ligentur, qui pendeat in vino albo tenui vel cereviſia.

Si verò eſt à febri tertiana, infra in curatione febrium ejus remedia ſimul habebuntur, ille tamen icterus qui eſt criticus, non medicamento ſed beneficio naturæ curatur, eò tamen

Specifica men melius, ſi ſpecifica ſimplicia contra icterum facientia alligentur, vel de collo geſtentur, ut ſunt: aranea in avellanam incluſa & geſtata. Item lacerta in ſacculo incluſa; aliquando contra fœdum cutis colorem ſemicupium è decocto flor. chamomill. herb. chelidon. & ſimilium paratur.

Experimentum Plurima autem ſunt ſpecifica icteri citrini, eum poſt chologoga ſanantia: experimentum enim eſt rubia tinctoria ad ℥j. in ℔iſ. cereviſiæ ad dimidietatem decocta, bibendo manè aliquot cochlearia. Item decoctum herbæ calendulæ bibitum, vel ſuccus ejus cum aqua marrubii manè aſſumptus, aliqui ʒj. lumbricorum terreſtrium addunt, hæc aliquoties repetantur. Vel ʒj. pulveris lumbricorum terræ in decocto abſynthii aſſumatur, vel contunde lumbricos dictos in mortario, affunde optimum vinum album, macerentur invicem in arena calida per noctem, manè cola per linteum mundum. Ejusque pro vice ℥ij. vel ℥iij. exhibe.

Aliud. Experimentum D. D. Alſteinii ſic ſe habet:

℞. flor. ſulphuris q. v. adde parum contuſi croci & miſce cum ſachari albi æqualibus partibus, ſumatur ejus quantum bis apex cultri continet manè & veſperi, intra triduum pellit icterum, idem quoque valet contra putrefactiones febrium. Valent etiam pro non nauſeoſis infuſa ſtercora, nempe equi comedentis avenam, anſerculi vere paſcentis herbam & album gallinæ in vino infuſa & colatura bibita. Plura egregia docet

TEXTUS.

IN ſimplici ictero cholagoga imprimis valent, extractum rhabarbari præcipuè commendatur. Quòd ſi verò obſtructiones ſint pertinaciores, aperientia ſunt minimè negligenda, qualia ſunt à tartaro vitriolato, cremore tartari, vino martis &c.

Mercurius luteus (*de quo in notis in Crollium*) *paratus ex mercurio ſublimato in aqua communi bulliendo ſoluto, cum oleo tartari præcipitatus ſpecificum eſt aperiens, cujus gran. iij. ad V. cum extracto theriacæ aut ipſa theriacâ ad ſudandum, repetitis, ſi opus eſt, vicibus exhibita, arquatum ſimplicem tollunt.* Præcipitatus luteus ſpecificum eſt.

II. *Decoctum fragariæ cum paſſulis minoribus ex aqua fontana præparatum proprietate quadam icterum præſertim in pueris ſolvit: idem potentius in adultis morbum aggreditur, ſi marrubii m. ſ. ad nodulum (præſertim ſi nulla adſit febris) vel in vino, vel decocto priori maceratus fuerit. Bibenda autem illa usq; ad morbi declinationem.*

Si morbus regius fuerit ſymptomaticus, plerunque obſtructiones hepatis fortiores concomitans, ſoluta cauſa quoque perire ſolet: nihilominus obſtructiones fortiſſi-

fortiſſimas concomitans hepate jam tum in ſcirrhum deſinente, infelicis hydropis prænuncius eſt, nec cedit, niſi iſthæc feliciter expedita fuerit. Rarò tamen, imò fermè rariſſimè propter mirabilem partium diſcraſiam, & patientium diætandi libertatem fauſta procedit curatio.

NB. *Potatores vini meracioris, præſertim aduſti, nunquam hoc morbo confl:ctantes, prognoſticis potius quàm ſalutaribus auxiliis relinquendi.*

Cæterum huc referuntur illa, quæ ſupra in obſtructionibus dicta ſunt, & quæ deinceps de hydrope morbum regium conſequente, vel eundem concomitante dicentur.

CAP. CXXXV.

DE ICTERO NIGRO,

Germ. die ſchwartze Gelbſucht.

Icterus niger quid?

ICterus niger ſeu morbus regius ater ad lienem quidem pertinere ab Authoribus judicatur, at cum etiam nominetur vulgò icterus, Author noſter mox poſt jam deſcriptum flavum de e hic agere voluit, eſt autem fœda decoloratio cutis totius corporis colore atro, ita ut univerſa cutis atrore vel fuſcedine inficiatur, quemadmodum in præcedenti citrinum colorem induit.

Hunc affectum practici oriri volunt ab obſtructione meatus qui ex epate in lienem, & inde in fundum ventriculi protenſus ſit, aut ubi meatus & venæ in liene obſtruantur, melancholicum humorem in hepar regurgitare, & cum ſangvine in totum corpus diffundi, totumque corpus ſubnigro colore tingi, & ſic hunc affectum ſeu icterum nigrum generari, verùm admodum incerta eſt hæc doctrina, nuſquam enim ſectione inſtitutâ atra bilis in conſpectum venit, ſicuti flava illa ſemper in ſua veſicula præſtò eſt, neoterici verò icterum hunc nigrum à vitiato ſucco pancreatico provenire volunt, quî autem id fiat, indicare vel comprehendere conſimiliter adhuc tum nemo ſatis eorum poteſt, quicquid ſit, affecti ſic plerunque ſunt lienares & melancholici, eorumque lienes ferè aliis naturaliter ſe habentibus grandiores deprehenduntur, ordinarius quoque color cutis ſpleneticorum eſt, quòd ad fuſcedinem & atrorem quendam tendat, unde conjecturabile eſt, lienem in ſangvificatione, & quidem ſangvinis arterialis ſimul cooperari, & ſi nimium magnus & fortis lien in homine ſit, ut in melancholicis à nativitate eſſe ſolet, tunc etiam fortius operari in ſangvificatione, ac ſangvini inducere majorem craſſitudinem, magnũ quoque proventum generare ſucci melancholici, qui ſua auſteritate aſtringit, ipſamque cutem compactiorem, & magis opacam reddit, unde non modò ſangvis craſſior etiam fuſcior eſt, verùm etiam tranſparentia cutis magis impedita, quin & copioſa adſtrictio plerunque etiam pi-

los occupat, adeò ut nigri appareant, verùm nigredo nihil aliud eſt quàm confertiſſima rubedo, qualis etiam in antimonio liquato eſt, quod pariter nigrum apparet, ſed per omnes particulas rubicundum eſt, & quidem tam copioſæ & confertim cumulatæ & compactæ rubedinis, ut nigredinem mentiatur.

Cauſæ internæ. Cauſæ internæ icteri nigri ſunt: temperamentum melancholicum; vel congeries humoris melancholici, vel obſtructio lienis. externæ. Externæ cauſæ ſunt: frequentior uſus alimentorum ſangvinem craſſum generantium, veluti ſunt legumina, braſſica condita, carnes fumo induratæ, piſcesque ſaliti vel fumati; mœroroſa quoque animi pathemata, item morſus quorundam animantium venenatorum.

Signa. Signa icteri nigri ſunt: color fuſcus & ſubnigrior cutis per univerſi corporis ambitum, qui interdum ob mixturam flavæ bilis vel pituitæ ex nigro vireſcit, vel liveſcit. Adeſt etiam inſveta animi triſtitia ac mœror ſine ulla cauſâ, hypochondrium ſiniſtrum quoque plerunque dolorem quendam, tenſionem vel gravitatem percipiendam præbet, & nonnunquam obſtructionem & tumorem ibidem exhibet. Urina autem ſemper unà ſubnigra apparet.

Prognoſtica. Prognoſin quod attinet, morbus regius ater longè contumacior & diuturnior eſt flavo, minus quoque frequens aurigine, & difficilius curatur, ſi tamen urina naturalem ſuum colorem ſervat, ſalubre eſt indicium, nimirum lienem non magnoperè eſſe læſum, ac nondum jecur in conſenſum pertraxiſſe, ſi verò non cedat medicaminibus, ſed in diuturnitatem abeat, plerunque pediſſequum habet hydropem & mortem.

Curatio. Curationem Practici inſtituunt per convenientem diætam & venæſectionem, quam tamen in hoc uti & in omnibus morbis frigidis damnandam cenſemus, quia adhuc magis refrigerat & in ſtatum cachecticum conjicit, commendant quoque frequentum uſum aceti, ſed quàm benè, facilè ex malo curationis ſucceſſu hariolari poſſent, morbus enim à nimiâ aciditate & auſteritate melancholica provenit, atque ejus antidoto nempe lixivioſo ſale & alcaleitate curari debebat, & non auctâ aciditate, quis enim unquam famem fame curavit, aut lethargum ſomniferis? aliter itaque in hoc morbo procedendum erit, ſi aliquid laude digni quis efficere voluerit, de quibus ſupra de obſtructione lienis ſatis dictum.

TEXTUS.

IN icteritia nigra plerunque obſtructionem ſplenis conſequente feliciter curandâ nulla certiora ſeu evidentiora acquiri poſſunt auxilia, quàm quæ jam ante in obſtructionibus ſplenis copioſè ſunt propoſita.

Hæc nimirum discoloratio tanquam ſymptomaticum accidens nunquam rectius tollitur, niſi fons mali exhauſtus, & ſplen

imò

imò jecur priſtinæ, quantum fieri poteſt, conſtitutioni reddita fuerint.

Sic itaque res expedienda, ut morbificis cauſis ſublatis, tandem ſubſequatur proſpera medicatio.

CAP. CXXXVI.
DE MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA, Germ. die Miltzſucht.

MElancholia ſeu paſſio hypochondriaca ſeu affectio flatuoſa, Arabibus myrachialis appellata eſt affectus temperamenti ſicci & melancholici, cui ferè genialis & perfamiliaris eſt, humidiori verò temperaturæ planè infrequens, ita ut puerilis & adoleſcentularis ætas ab hoc morbo libera atque ad eum ſuſcipiendum inepta cernatur, donec exuperans ejus humiditas ſeu aquoſior & tenuior ſucculentia ſangvinis exſiccetur, craſſiorque & terreſtrior evadat, & ſic aliquantulum pleniorem ſiccitatem induat, ut fit in ætate virili, provectiori, tunc enim calor naturalis imminuitur, ac ſplen, cui à Medicis melancholia attribuitur, magis dominari incipit, ac corpus ad frigiditatem & ſiccitatem diſponit, ita ut craſſos & melancholicos minusque elaboratos ſeu crudiores ſuccos progignat, ventriculus autem quoque tam per conſenſum quàm imminutam ejus actionem conſvetam plerunque ſimul laborat, ac malè concoquit, unde multæ cruditates generantur, atque ad alia viſcera transmittuntur, imprimis autem ab iſtiusmodi craſſioribus ſuccis ipſius ſplenis meatus, ac numeroſæ arteriolæ ex parte quadam obſtruuntur & occluduntur, & ſic denegato alicubi transfluxu humorum vel ſangvinis arterialis ſplen inſurgit, & ſe commovet ad occluſionem aperiendam, unde æſtus & varia exaſperatio in ſiniſtro hypochondrio percipitur, totum corpus variè perturbans.

Agnitio & dignotio mali hypochondriaci non admodum difficilis eſt, ſed per plurima ſigna non tamen in omnibus eodem modo ſe habentia innoteſcit, plerunque tamen ſequentia occurrere facit: imprimis enim in plerisque hypochondriacis ventriculus langvet, ac nimis tardè, vel perversè vel negligenter concoquit, idque utplurimum non tam propriâ quàm ſplenis culpâ, qui ventriculum perfrigerat, & in ſuâ actione alterat, ventriculus autem malè concoquens imperfectum chylum conficit, ac hepati lienique transmittit, qui viciſſim vitioſum ex eo ſangvinem parant, quo conſequenter etiam ventriculus malè nutritur, atque exinde neceſſariò indies langvidior redditur, ac magis magique defectuosè concoquit, imperfectus autem chylus poſtmodum etiam in vaſis meſenterii obſtructionis cauſa eſt, ac varia ſymptomata excitat, pro majori vel minori obſtructione, plerisque autem actio inteſtinorum etiam alteratur, ut nimis diu fæces in ſe retineant, unde plus æquo exſiccantur, ac demum laborioſè & non niſi vehementiori Signa.

mentiori

mentiori conatu excernuntur, illa autem humiditas, quæ aliàs fæcibus illis fluxiliorem conſiſtentiam conciliabat, jam ſurſum fertur, unde os continuò aquoſitate oppletur, & ptyaliſmum ſeu crebram oris ſalivationem & exſpuitionem efficit. Ut plurimum quoque propter obſtructionem in hypochondriis peregrina quædam fermentatio excitatur, ac plurima inde conſurgens flatulentia, uti in qualibet fermentatione fieri ſolet, quod nimirum ea quæ fermentantur, invicem efferveſcant atque ebulliant ob ejuſmodi in ſe concitatam flatulentiam, unde crebri flatus & murmura in hypochondriacis audiuntur. Alvus quidem, ut dictum, plerunque aſtricta eſt, interdum tamen etiam profluvium ventris ſequitur, ob nimiam acredinem humorum intus detentorum, & corruptionem excitantium, quæ corruptio ſeu putrefactio humorum acris & rodens fieri poteſt, ita ut inſtar cujuſdam veſicatorii humores attrahat, & ad ventrem deturbet. Cordis quoque palpitatio ferè ſemper in hoc morbo adeſſe, ægrumque ſatis vehementer perturbare ſolet, imprimis autem circa medium noctis, adeò ut ſæpius æger ab eâ è ſomno excitetur, ac plurimo metu & terrore conſternetur, eo quod nox & tenebræ naturaliter metum augeant, mediâ autem nocte melancholia dominium obtinet, atque ſe tum temporis movere ſolet, palpitatio verò cordis à vaporibus auſteris, acidis & malignis humorum melancholicorum excitatur, quemadmodum idem in operatoribus chymicis obſervatur, qui aquas fortes deſtillant, vel flores antimonii aliaque malignitatem quandam in ſe continentia parant, quòd frequenter palpitatione cordis laborent. Denique reſpiratio in melancholia hypochondriacâ difficilis eſſe ſolet, quia ſplen ab obſtructione inflatur, & diaphragma comprimit; dolor quoque capitis, tenſio temporum, vigiliæ, ſonitus & tinnitus aurium infeſtant ob fuligines aſtringentes caputque petentes.

Cauſæ hujus affectus variæ eſſe poſſunt, præcipua autem eſt innata ad eum diſpoſitio, quam Avicenna balbis attribuit, intelligens per eos, hæſitanter loquentes, quos vulgò traulos appellant, qui nimirum eandem ſyllabam inter loquendum aliquoties balbutiunt vel repetunt, antequam integrum vocabulum pronuntient, cujus rationem eſſe putamus, quod videlicet ejuſmodi homines perpetuò, profundis cogitationibus occupentur, & interdum alia loquantur & alia meditentur, ſicque ſæpius evenit, ut inter ſermocinandum aliis cogitationibus abripiantur, eorumque de quibus ſermo eſt, obliviſcantur, atque ita crebrius unius vel alterius vocabuli ſyllabas repetunt, donec ſeſe recolligant, aſt ejuſmodi ſuperfluis cogitationibus ſpiritus digeſtivus, & concoctivus ventriculi aliorumque viſcerum continuò ad cerebrum & officinam rationis retrahitur, atque ab opere concoctionis, chylificationis & ſangvificationis, quæ mediante hoc ſpiritu Cauſæ.

ritu ſeu archeo in ſtomacho, hepate & liene perfici debent, avertitur, unde neceſſariò cruditates gignuntur, quibus ſemel generatis, poſtea indies major earum fit proventus, & ab uno viſcere alteri transmittitur, atque ita ſingula debilitantur, totumque corpus ſangvine imperfecto ſuccoque cachectico repletur, ita ut non poſſint non omnes partes malè nutriri, è malo autem nutrimento demum puri laudabileſque ſpiritus ac ſpeculationes, quæ cibus mentis ſunt, generari nequeunt, ſed potius impuri & nubili, quibus mens & ratio turbantur, terrentur, & contriſtantur; præter hanc naturalem melancholiæ cauſam etiam multæ aliæ occurrunt, quarum proxima eſt uſus diuturnus alimentorum craſſorum pravumque nutrimentum generantium, qualia ſunt panis furfuraceus nec non biscoctus ſeu nauticus, item azymus ſeu non fermentatus, ut & cruſta panis identidem comeſta, quemadmodum multi eandem in deliciis habent, quæ tamen copioſam bilem atram ſuppeditat juxta illud:

Ne comedas cruſtam, choleram
quia gignit aduſtam.

Item fabæ, lentes, braſſica, caſeus vetuſtior, ova coctione indurata, caro porcina, ſalita, fumata, lardum & ſimilia.

Quàm valida quoque ſint animi pathemata ad hunc affectum procreandum, ut ſunt vehemens terror, timor & mœſtitia, imprimis autem zelotypia, quotidiana teſtatur experientia, hisce enim ſpiritus diſſipantur, ac concoctionum munia interrumpuntur.

In aliis vita otioſa & ſedentaria in cauſa eſt, per eam enim multa excrementa in corpore retinentur, quæ aliàs mediante corporis exercitatione & laboribus conſumuntur, vel per transſpirationem expelluntur, hinc etiam hic affectus viris doctis familiaris eſt, non modò propter vitam ſedentariam, verùm etiam ob continuas lucubrationes ac meditationes, videmus enim aquas ſtagnantes quæ fluxu continuo non moventur, corrumpi, & totius confiniæ aërem odore putido & lacunoſo inficere, atque etiam per putrefactionem aliam formam induere, ac in ſuperficie viridem cuticulam contrahere, demumque ejus partem in lenticulam paluſtrem aliasque herbas aquaticas mutari, non ergò mirum, ſi etiam in corpore humano in perpetua tranquillitate degente ſimile quid contingat, ejusque œconomia penitus immutetur.

Menſes demum nec non hæmorrhoides antea fluere conſvetas, poſtmodum verò retentas affectum hunc producere poſſe, indies quotidianâ experientiâ pateſcit.

Prognoſin quod attinet, morbus hic juxta experientiam periculoſus quidem non eſt lethalisve, obſtinatiſſimus tamen, & valdè diuturnus deprehenditur, adeò quidem ut in quibusdam per totum vitæ curriculum perduret; Quamobrem etiam vulgò ludibrium, opprobrium & flagellum Medicorum appellatur, eò quod iſtiusmodi ægritudo vix unquam Prognoſtica.

quam remediis perfectè cedat, quinimò licet interdum ſatis benè curetur, Patientes tamen ferè ſemper ſibi peſſima quæque imaginantur, morbumque expugnatum eſſe credere nequeunt, ſed, ut ſunt naturâ timoris pleni, ſemper timent, ne præter affectum quem ſentiunt, adhuc aliud periculoſius quoddam malum penes eos delitescat, eoque inopinato pereant, ideò Medicos quoslibet conſultum adeunt, nullius tamen præſcripta remedia tanto, ut juſſi ſunt, temporis ſpacio continuatò adhibent, ſed brevi iterum deſiſtunt, & nova identidem quærunt, ſuosque medicos creberrimè mutant, unde quoque curatio ex voto ſuccedere nequit, morbi enim melancholici ſemper diuturni ſunt, & non niſi longo remediorum uſu expugnantur, & ſi demum cedere videantur, levi tamen de cauſa ni mirum à gravi aliqua iracundia terrore vel mœrore diætæve errore revertuntur. Accidunt autem ferè ſemper his ægris metus & triſtitia cruditates, ructusque crebri acidi, & olidi, ſuſpiria ſeu ſpirationes ex imo pectore ductæ ventoſæ, æſtus præcordiorum, ſputum humidum, flatus & nonnunquam ventriculi vehementes dolores, acerbique præſertim à cibo difficilis concoctionis, quibusdam vomitus crebri erumpunt modò amari, nunc adeò auſteri, ut dentibus contactu ſtuporem inferant. Aliis venter durus & ſiccus eſt, alii gravi premuntur ſiti, vel ad inſveta edulia feruntur. Hypochondria ſive partes ſub coſtis ſitæ ſæpius æſtuant, & pondere quopiam gravantur, circa inceptionem quidem morbus longè facilius curari poteſt, inveteratus verò ægerrimè, & in habitum quaſi tranſit, & ſi nimium ingraveſcit, facilè in epilepſiam, vel apoplexiam vel furorem permutatur, præſertim ſi vertigo concurrat vel obſtinatus capitis dolor.

Morbus iſte ad ſicciorem ætatem & temperamentum pertinet, uti ſunt in ætate media conſtituti, apud reliquos autem nempe pueros, adoleſcentes & fœminas locum non invenit. Alvus conſtanter laxa bono eſt, urinaque craſſa, fluentes verò hæmorrhoides inſigniter juvant, immoderatæ tamen in aliud periculum exhauriendo vires præcipitant, at varices liberationi cedunt.

Curatio. Curationem hujus affectus practici inſtituunt & dirigunt ad viſcerum obſtructionem (quæ imprimis in meſenterio vigere ſolet) referandam, ſangvinem à ſua terreſtri fæculentia mundandum, viſcera corrigenda & confortanda, convenientemque diætam obſervandam, ad quem ſcopum obtinendum ſequentia in uſu ſunt:

℞. ſummitat. lupuli
fumar.
capil. veneris
ceterach, an. m. j.
abſynth.
chamæd. an. m. ſ.
flor. cordial. p. ij.
cortic. tamar.
cappar. an. ℥ij.
ſem. agni caſt.

fœnic.

fœnic. an. ℥iij.
fol. ſenæ Alex. ℥j.
polypod. querc.
epithym. an. ℥ſ.
prun. Damaſc. n. X.
uvar. paſſ. ℥j.
f. omnium decoctio in aqua ad ℥XV.
colaturæ adde
ſyrup. de epithym.
pomis
capill. ven. an. ℥j.
m. pro quatuor doſibus matutinis.

Poſtea purgetur patiens hoc modo:

℞. extract. helleb. nigr. deſcripti cap. 2. ſupra ℈ſ.
ſyr. d. fumar. ℥ſ.
ol. caryophyll. g. j.
m. pro una doſi.

Poſtea veniendum ad uſum vini medicati parati ſeu infuſi ex herbis jamjam enarratis & chalybe præparato, ut ſupra de obſtructione hepatis ſufficienter edoctum eſt, propinentur etiam ſæpius ægro gutt. XII. vel XV. ſpiritus ſalis armoniaci in alio vino ſimplici albo, vel infuſione radicis filicis, quæ ad hunc morbum egregia eſt, & ne natura uni rei aſveſcat, etiam alia quædam in crebro uſu ſint, nempe elixir proprietatis, ſolutio ſalis tartari in aqua meliſſæ ad guttas XX. vel XXX. aſſumenda, quidam mirum in modum commendant hoc:

Specificum.
℞. conſerv. bugloſſ. ℥ij.
tripheræ magn.
pulv. ſem. dauci an. ℥ſ.
capiat pro vice.

Audiendi verò non ſunt qui multis purgationibus morbum hunc eradicare nituntur, vel cum Galeno acetum & acida præſcribunt, eſt enim morbus tartareus, & jam pridem nimiâ ſuâ aciditate & auſteritate hoſtilis, his ergò oppugnari debet, quæ ſangvinem mundant, & aciditatem nimiam extingvunt quod fit per diuretica, & alcalia, cujusmodi ſunt ſal tartari, ſaliaque vegetabilia, conveniunt quoque hic omnia quæ ſupra cap. 130. indicata ſunt.

Oritur nonnunquam à multa lectione vel ſcriptione affectus huic non multum abſimilis, inferendo dolores circa ſtomachum & hypochondria, in eo tamen differt, quod timorem & mœſtitiam non habet conjuncta, pro malo ergò hypochondriaco habendus non eſt, licet neglectus in id tranſeat, ſed angor quidam ventriculi, quem ejusmodi ſcribentes incumbendo ſtomacho, eumque ad menſam ſeu pulpitum premendo ſibi accerſunt, cui ſequens apprimè confert:

℞. ſem. coriandr. præp.
cumin. præp. an. ℥j.
ſpec. diagalang.
aromat. roſat.
diacymin.
diarhod. abbat. an. ℨſ.
ſachari ad pondus omnium,
m. f. tragea, cujus ſæpius pugillum aſſumat.

Jam etiam conſiderandus venit Authoris

TEXTUS.

Melancholiam hypochondriacam incipientem vel ſimplicem plærumque curat vo-

 mitus,

mitus, nominatim ex aqua benedicta Rulandi procuratus: hac nimirum ratione ſaburra ex ventriculo & vicinioribus partibus eliminata faciliorem reddit curam, quæ tota inſumenda eſt in obſtructionibus, ſi hæ viguerint, demoliendis.

Aperientia itaque ut ſunt: cremor tartari, tartarus vitriolatus, vinum chalybeatum, pulvis cachecticus, vel præmittenda ſunt vomitionibus inſtituendis, vel iisdem poſtponenda. Utrobique prudentia medici hîc deſideratur, à qua cum pendeant omnium curationum momenta, ſæpè perit omnis felicitas, niſi illa cautè & religiosè, ſed cordatè ſubſit.

Purgantia in hoc primo caſu præter vomitoria ſunt chalogoga & melanagoga, pulvis ſenæ laxativus, extractum rhabarbari, mechoacannæ, panchymagogon Crollii, extractum ellebori nigri, item mercurius dulcis hîc multum poſſunt, à quibus evacuationes ſæpius, ſi opus eſt, inſtitutæ laudabiliter proficiunt. Sic extractum pilularum de ammoniaco (de quibus ſupra) hîc quoque unicè præſtat.

Ad mitiganda ſymptomata, quæ plerunq; fiunt à flatibus diſtendentibus præcordia, & in cerebro ſpiritus animales lancinantibus faciunt corroborantia nobiles illas partes, ſi diutius, quàm par eſt, & ipſæ obſtructiones durant, ſuntq; magiſterium & ſal corallorum & perlarum, lapis bezoar, tinctura corallorum, elixir proprietatis (NB. ſingulare hoc) item oleum croci. Hæc nimirum ſingula cor & cerebrum roborant; cerebro imprimis tinctura lunæ in hoc caſu utiliſſima eſt, de qua ſupra de affectibus capitis.

Corroborantia.

In confirmata melancholia hypochondriaca ſi leviora iſta minus locum habere poſſunt, præmittenda tamen ſunt, nec vomitus formidandus.

Experientiâ deprehenſum eſt, aperientia iſta quandoq; profuisſe, & acerbatum malum ſuſtulisſe; recidivam tamen per intervalla redeuntem, & graviter affligentem radicem ex toto non averrnncant.

Eadem ratio eſt in acidularum uſu quotannis inſtituendo, aliqualem viſcerum apertionem cauſantium, ſed morbum ipſum non penitus tollentium. Operæ pretium itaq; eſt, ut in ſubſidium melancholiæ hypochondriacæ confirmatæ curandæ talia accerſantur remedia, quæ funditus radicem morbi evellant: Sic primò aqua philoſophica ſeu ſpiritus vini tartariſatus in convenienti liquore à minima doſi ad maximam usque (à gutt. 1. 2. 3. 4. ad

8. vel

8. vel 12. aſcendendo quotidiè gutta una, interdum pro ratione circumſtantiarum in eadem doſi perſiſtendum) quotidiè exhibitus, præmiſſis tamen illis lenioribus, & parum proficientibus funditus curat.

Extractum pilular. ammoniacar.

II. *Idem præſtat extractum pilularum ammoniacarum de quo ſupra, cujus ſi detur quotidiè ℈j. (vel etiam interdum per dies ſingulos grano uno augeri poteſt ad ʒj. ſi opus eſt) per dies 12. vel 14. duabus horis ante cœnam, ſumpto poſt horam juſculo, operatio admodùm felix ſubſequitur.*

NB. *Sæpè uſu venire ſolet, ut ab exhibitione horum, præſertim ſolutis obſtructionibus internis viſcerum, alvus ita proritetur, ut quaſi dyſenteria ſubſequi videatur. Tunc providendum erit corroborantibus iſtis ſupra enumeratis, præſertim tinctura corallorum & elixire proprietatis.*

Interim reſpiciendum quoque fuerit in hoc caſu ad legitimè directam diætam, ſine qua nulla penè poteſt eſſe felix curatio.

Venæſectio in morbi ſtatu præſertim ſalvatellæ magnum adjumentum præſtat.

CAP. CXXXVII.
DE ATROPHIA, Germ. das Abnehmen.

Atrophia eſt alterius morbi productum.

ATrophiæ quidem proprium caput non competit, cum ſit alterius morbi productum, pluresque ſunt affectus, qui atrophiam producere poſſunt, interdum enim generatur à langvente ventriculo, modò à corde, liene, hepate malè habentibus, à quolibet etiam horum diverſimodè fieri poteſt, cor enim veſano amori implicatum tandem areſcit, totiusque corporis marcorem inducit, ſic etiam ſubinde ex aliis cauſis cor langvorem contrahit, & parem parit corporis ſtatum. Imprimis verò pocula veneno lento intoxicata, ſtygiaque afflamina ſagarum Deo permittente ipſi hoc modo deleteria ſunt; item ventriculus fermento concoctivo deſtitutus, vel apoſtemate laborans corpus marcidum efficit, ſic lienem graviter obſtructum, vel ſcirrho vallatum ingens corporis tabificatio ſequitur; lumbrici quoque inteſtinorum grandiores omne nutrimentum abſumentes eandem paſſionem progignunt, imprimis verò vermiculi atrophiales (die Mitesser) quos alii dracunculos vocant, infantibus frequenter contabeſcentiam inducunt, præterea febris hectica diverſo modo tabem & maraſmum, nec non pulmo exulceratus phthiſin & conſumptionem afferre ſolent. Demum obſtructiones in vaſis meſenterii latentes non rarò ariduram corporis ſecum afferunt, aliaq; quæ

Atrophia multiplex.

circulationem ſangvinis distributionemve ſucci nutritivi univerſalem alicubi impediunt, transfluxumque morantur, non poſſunt non macilentationem partibus in genere vel ſpecie cauſare.

Quam verò ex hisce Author intelligat, non explicat, ordo quidem poſtulabat, ut heic de affectibus lienis verba faciens, ſimul atrophiæ, quæ morbis lienis ſolemnis eſt, mentionem faceret, verùm potius generaliter quamlibet corporis ariduram intelligere videtur, ſuaque univerſalia earundem experimenta depromere. Nolumus ergò in hisce verboſiores eſſe, cùm & competentibus in locis de ſingulis his affectibus ſpecialiter tractemus.

TEXTUS.

Atrophiam evacuationes acres & ſolutiones non tollunt, ſed exaſperant quaſi, tantùm ſi colluvies interiora viſcera gravat, præſertim ventriculum, vomitus lenes ſunt imperandi, præſertim ab aqua benedicta. Ejus nimirum peculiaris vis hæc eſt, ut non tantùm ſaburram eliminet, ſed etiam ventriculum ad concoquendum inſtiget. Unde poſt aquæ benedictæ uſum ſemper videmus appetitum corroborari, augeriq; licet aliquandiu ille ſepultus parum aut omninò nihil effecerit.

Hoc itaque auxilium moderatè inſtitutum in principio hujus curationis multum prodeſt.

Deinde humectantia imperanda ſunt, quæ tamen ita imperari poſſunt, ut ſimul obſtructiones viſcerum expediantur. Tartarus ergò vitriolatus cum decocto paſſularum & ſyrupis humectantibus, quales ſunt ſyrupus violarum, tuſſilaginis, betonicæ ſumptus illas ſolvit.

Externa in hoc caſu laudabilia ſunt in pueris. Conferunt

I. Balneum ex decocto capitis & pedum vervecis in aqua fluente tamdiu ebulliendo præparatum, ut conſumptis omnibus carnibus oſſicula tantum poſſint eximi. 1. Balneum ex decocto vervecino.

II. Decoctum corticis ſalicis rubri in aqua fluminis, hæc balnea præſertin in pueris maximè atrophiæ ſubjectis eam ſolvunt laudabiliter, ſi ſepties, octies, novies in iis laventur ſemel atque iterum de novo præparatis. 2. Ex decocto ſalicis rubri.

A balneis ſpina dorſi vel oleo olivar. aut ungvento aliquo reſumptivo tota inungenda eſt. Inunctio.

In victu dentur humectantia juſcula & brodia, rarò aſſa. Emulſio amygdalarum dulcium cum aqua tuſſilaginis & betonicæ. Item quandoq; cum ſemine papaveris albi & melonum maximè utilis eſt.

In adultis balneum aquæ dulcis, in quo cineres corylorum, malvæ, bismalvæ, parietariæ, betæ, lactucæ, Semicupium.

lactucæ, ſemen lini, oſſicula item vervecum contuſa ebullierint, ſæpius inſtitutum membrorum atrophiam pellit. Iisdem utile lac caprillum. Item aqua deſtillata ex ſangvine ſuillo, ex plantis refrigerantibus & humectantibus mirificè prodeſt. Aqua iſta ſic paratur: ℞. *ſangvinis ſuilli, frica manibus, ut omnes fibræ auferantur, adde folia betonicæ, tuſſilaginis, roſarum rubrarum, malvæ an. m. j. ad ſangvinis* ℔*ij fol. lactucæ m ſ. ſem. melonum excortic.* ℥*j. aquæ tuſſilaginis* ℔*ij. deſtilla per alemb. ex B. poſtea aromatiſetur cum tabulis manus Chriſti perlatis ad ſingulas libras* ℥*iij. de hac aqua bibat ſæpius. Sic lac humanum ex uberibus ipſis hauſtum mirificè prodeſt.*

Aqua deſtillata ſpecifica.

Atrophia ex philtro.

NB. *Iis qui ex ſumpto philtro atrophia laborant, lac equarum auxilium eſt præſtantiſſimum, ſemper tamen cum pauxillo ſachari exhibendum.*

Conſumptionem corporis deſperatam, nibil ſcilicet proficientibus aliis mediis, hoc aliquando modo curavi:

Specificum.

℞. *mellis virginei quantum placet, inunge eo ollam non vitreatam recentem intrinſecus, poſtea olla plantetur in acervum formicarum, ita ut orificium ollæ tegatur cribro mediocriter laxo. & ſic formicæ currunt per cribrum & cadunt in mel in eodem hæſitantes, nec recurrentes, atque ſic nihil palearum vel aliarum impuritatum intromittitur. Supra collectarum formicarum ſ.q. funde ſpir. vini q. ſ. digere vaſe clauſo in B. per unum atque alterum diem, dein deſtilla per B. primò lentè, donec nimirum ſpir. vini prodeat. Quo ablato reliquum ebulliente balneo deſtilla & reſera.*

Hujus aquæ cochl. j. in qualibet ſeptimana ter vel quater jejuno ventriculo cum pane toſto exhibitum atrophiam corporis mirabiliter tollit. Interim vel totum corpus, vel tantùm partes diſtantes aliquoties eodem liquore inungendæ ſunt (manus, brachia, pedes) Quod ſi nec ſic curatio celerior ſuccedat, tandem procede ſequente modo: (hæc cura magnetica etiam in febribus valet, vide infra de aridura)

Cura magnetica.

℞. *ovum recens, coq; in urinâ conſumpti (hominis) in ollula nova, ut urina ovum planè contegat, ebulliendo, donec ovum indureſcat. Quod ubi factum fuerit, remove ollulam ab igne, & ovum coctum hinc inde foraminibus perfora ligneolo acuto, ut pertingant ad vitellum, poſtea idem ovum perforatum in eadem urina reliqua coque ſemper vertendo ovum, donec urina planè*

conſumpta fuerit, poſtremò ovum ſic paratum ſepeli in acervo formicarum. Quando itaque ovum à formicis conſumptum & exeſum fuerit, mirabili ſympathia conſumptio corporis deſinit & nutricatio ſequitur priſtina & elegans. Interim verò ſuperioris liquoris uſus non eſt negligendus.

Dracunculi Miteſſer.

In atrophia puerorum à dracunculis (ſeu vermiculis in cute juxta partes carnoſas & muſculoſas à vitiato nutrimento progenitis ſi quæ comedunt, nihil tamen apponitur) hæc cura eſt approbata.

Experimentum

℞. *radicis bryoniæ ℥j. vel ij. coque in lixivio è cineribus quernis parato in pulticulam, qua pueris dracunculis laborantibus (imperatâ ante inediâ) manè in loco calido (balneo) illine totum corpus, & relinque aliquandiu, ſic vermiculi per poros exerunt capita nigricantia. Itaque univerſa cutis ſtatim radenda eſt novaculis. Amputantur hac ratione capita vermiculis conſumptoribus (Miteſſer) & cauſa vitiatæ nutritionis aufertur. Hæc verò operatio ſemel atque iterum repetenda deinceps fuerit, donec nempe certum extiterit, vermiculos omnes eſſe ſublatos. Exinde pueruli balneentur aliquoties in inſeſſibus illis, de quibus ſupradictum eſt, vel ex capitibus & pedibus vervecinis, vel ex corticibus ſalicum rubeis præparatis.*

CAP. CXXXVIII.
DE CACHEXIA, Germ. der grüne Siechtagen.

Cachexia quid?

CAchexia, quæ & malus corporis habitus dicitur, eſt depravatio ſangvificationis, ac principium hydropicæ conſtitutionis, in quo univerſa corporis ſubſtantia carnoſa fit mollior & laxior, & quaſi inflatur, nimirum hæ partes quæ oculis ſubjacent, muſculique & quæ oſſa obvelant cum cute, tam in vultu quàm manibus, pedibus, & omni corporis ambitu, inturgeſcunt enim, ita ut ſi genis vel alibi digiti impreſſionem facias, laxa hæc carnoſarum partium miſcella cedit, & impreſſionis veſtigium relinquit, præterea quoque univerſa cutis & imprimis faciei fœdo colore deformatur, idque ex ſuffuſione humorum vitioſorum, impurique & crudioris cruoris in partes ſubcutaneas. Ut fieri ſolet in deploratis hepatis lienisque obſtructionibus, ſcirrhisve vel intemperie.

Signa.

Agnitio & dignotio hujus affectus difficilis non eſt, ſed per enarrata jam & hæc ſigna innoteſcit: perpetuò enim adeſt ſufflata cutis laxitas per univerſam corporis ſuperficiem, colorisque fœditas ex albo ſubflava, vel ex vireſcente pallore ad luridum vergens, facies & genæ inflantur, membra ingraveſcunt, & præmollia fiunt, imprimis pedes, ita ut præ gravitate tardè incedant, & vacillent, eò quod gravans humor ad inferiora fertur,

fertur, unde paulatim incipiunt tumeſcere, interdum etiam ſcrotum & ingvina tument, vires imbecilleſcunt, omniaque membra & artus pigreſcunt, ſegniusque obeunt munus ſuum, unde ſpiritus cum quadam anguſtia ducitur, concoctio alimentorum fatiſcit, appetentia aliquandiu manet, poſtea verò faſtidio cedit, excrementa inæqualiter & diſſoluto modo redduntur, ſudorque ferè nullus erumpit.

Cauſæ internæ. Cauſæ internæ ſunt: vel frigida intemperies hepatis vel lienis, eorumque in ſangvificatione imbecillitas, cocturæ enim ſangvinis uterque in peculiari laboratorio ſeu officina præeſſe videtur, nimirum hepar foco ſangvinis venalis, lien verò arterialis, quia utriusque læſio ferè ſemper eosdem morbos infert. Prout utriusque gravis obſtructio vel ſcirrhus hunc affectum generat, item alia quæcunque læſio alterutrius, contingit quoque à deperditione ſangvinis ſeu immodica profuſione quâcunque, ſive fiat per nares, vel hæmorrhoides vel menſes, nec non à quolibet profluvio immoderato, ut ſunt lienteria vel cœliaca paſſio, diarrhœaque vel dyſenteria, uti quoque producitur ſæpius ab omnimoda ſuppreſſione dictarum conſvetarum evacuationum præcipuè autem menſium, hæmorrhoidum, & ſudationis per obduratos poros.

Externæ. Externæ ſunt: alimenta pravi ſucci, vel nimium refrigerantia, craſſaque viſcoſa & tartarea ſubtiliſſimos meatus viſcerum ſangvificantium infarcientia, & obſtructiones cauſantia, item quæcunque calorem nativum debilitant, ut fit per immodicas heluationes & commeſſationes, quibus fermenta primaria tandem ſummè debilitantur, calidumque primigenium ſuperabundanter defatigatum deficit, quod idem etiam fit à nimia lucubratione, ſtudiorumque diutinâ ad multam noctem productione, pariter enim ſpiritus fermentationibus præſidentes perpetuo ſurſum ad cameras ſenſuum retrahit, unde non poteſt non turbatorum viſcerum debilitatio, confectionisque alimentorum imperfecta elaboratio, & ſic neceſſariò multarum cruditatum generatio contingere. Denique toxicatio morſusque venenatorum animalium, hunc morbum inferre poſſunt; imprimis verò juxta Hippocratem lib. 3. aph. 31. *Senibus cachexia familiaris eſt.*

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, cachexia, ſi in confirmationem abeat, hydropem parit, venter enim tandem tumere incipit, & aquam ſtagnantem colligit. At ſicuti ex diverſis cauſis hic affectus generabilis deprehenditur, ita etiam diverſas hydropis ſpecies inde emergere Authores volunt. Nempe ferè leucophlegmatiam à retentione menſium vel immodica eorum profuſione; Si verò à ſtomacho & inteſtinis cachexia ortum ducat, tympanitem proferre; ſi à ſplene, felle aut renibus, aſcitem; ſi à venis aliisque membris malæ nutritionis authoribus hypoſarcam, vel æqualem corporis tumiditatem. Facilè tamen incipiens hic affectus curari poteſt, qui etiam raro hos qui

in vigore ſunt, invadit, in his autem eſt difficilis & utplurimum immedicabilis, ubi à gravi hepatis vel lienis obſtructione, vel ſcirrho, vel incorrigibili quopiam damno ventriculi dependet.

Curatio. Curatio inſtituitur cum cauſarum ablatione, quarum itaque exacta cognitione opus eſt, pleræque tamen eisdem medicaminibus auſcultant, nam quæ obſtructionem lienis reſerant, etiam hepar obſtructum recludunt, menſes educunt, corpus refrigeratum calefaciunt, ſangvinem mundificant, vique diureticâ & diaphoreticâ ſuffuſionem iſtam ſubcutaneam reſolvunt & expellunt. Rectè itaque practici eandem cum hydrope curationem hîc adhibent. Primò autem conveniens diæta inſtituatur imperando patienti, ut in aëre mediocris caliditatis & ſiccitatis verſetur, humida verò loca ſomnumque diurnum & multam infarctionem cibi & potus refugiat, nec non craſſa alimenta, & obſtructiva, ut ſunt lac, caſeus, caro porcina & ſimilia, vitet quoque venerem, otium & mœrorem, juvant verò ea, quæ corpus calefaciunt, ut exercitium moderatum, deambulationes, frictiones, & thermæ ſulphureæ, item aromata ut cinamomum, caryophylli, crocus & condimenta calefacientia, ut ſinapi, porrum, allium, aniſum & ſimilia. Venæſectio hic planè non convenit, præterquam in obſtructione menſium, & hæmorrhoidum. Maximè in hoc affectu prodeſt uſus chalybis & tartari aliorumque ſupra de obſtructione hepatis & lienis commemoratorum, item ſpiritus aperitivus Penoti, cliſſus, lumbrici præparati, extractum abſynthii ejusque decoctio vel maceratio in vino vel cereviſia. In hisce autem ita procedi poterit: primò evacuatio inſtituatur talis:

Decoctum purgant.

℞. rad. ebuli
cichor.
apii
filicis an. ℥ij.
herb. abſynt.
card. bened. an. m. j.
cortic. median. ſambuc. m. ſ.
ſem. cartam. ℥ſ.
rhabarb.
agar. trochiſ. an. ʒij.
fol. ſen. ℥ſ.
ſem. aniſ. ʒij.
maceris ʒj.

Omnia conciſa & conquaſſata macerentur in ſeri lactis caprini vel vini albi ℔iij. per noctem, manè coquantur in cantharo lutato in bulliente balneo per horam, hujus decocti ſachari dulcorati hauſtus quotidiè manè ad ℥iij. vel VI. plus minus, prout operabitur, bibat, jejunando deſuper.

Purgans aliud.

Vel ℞. cryſtall. tartari ʒij.
reſin. jalapp. ℈ij.
ſyr. roſar. ſolutiv. ℥ij.
ol. fœnic. ſtillatit. ℈ſ.
m. pro tribus doſibus.

Vinum medicatum.

Hisce ſuccedat vinum medicatum ex herbis ſalviæ, abſynth. hyſop. agrimon. ivæ arthet. cuſcut. ceterach. marrub. rad. ebuli, ireos, filic. & ſimilibus, cui ſubindè inſtillet gutt. aliquot ſpir. aperitiv. penot. vel clyſſi, aliâ verò vice ſpir. ſalis armonia-

moniaci; ad hæc quoque utatur dialacca, diacurcuma, diarrhod. & conſimilibus, nec theriacam intermittat.

Si vitium eſt ab obſtructis menſibus, conveniunt uterina nimirum elixir uterin. Croll. caſtoreum &c. cum decoct. vel aq. ſtillat. artemiſ. meliſs. matricar. ſabin. plura docet

TEXTUS.

Cachexia qualibet à quibuslibet nempe cauſis procreata requirit reſolventia & corroborantia.

Reſolventia ſunt omnia aperientia internorum viſcerum. Sic nimirum omnis œconomia totius corporis depravata corrigitur.

Aperientia. *Aperientia ſunt tartarus vitriolatus, cremor tartari, vinum martis, acidulæ tum naturales, tum artificiales: quæ tamen omnia adminiſtranda ſunt poſt præmiſſos vomitus, ſi illi commodè fieri & patientes ferre poſſunt.*

Purgantia. *Purgantia poſt illa univerſalia habent locum quælibet, modò obſerventur obſervanda. Panchymagogon Crollii. Item ſpecificum purgans Paracelſi & mercurius dulcis hîc præcipuè laudantur ex tractum eſulæ & ellebori nigri in pituitoſis & melancholia hypochondriaca proſunt multum.*

Confortantia. *Confortantia deſumuntur ex communioribus quælibet hinc inde, præſtat ſpiritus vitrioli in conſerva roſarum, acetoſæ, florum borraginis, bugloſſæ, violarum &c. ſumptus; it. magiſterium corallorum & perlarum, cæteraq; aquæ analepticæ uſitatæ.*

Omnis porrò cachexiæ feliciſſimum auxilium eſt pulvis cachecticus ſupra deſcriptus. Itaque is ſolus præmiſſis ſaltem vel vomitoriis vel præcedentibus in cura aliquando purgantibus ſufficit. Quantumvis nimirum pulveris cachectici uſus alvum moveat, ſæpius nihilominus convenientibus purgantibus interdum res expedienda, ut ſcilicet in corpore collectæ fæces, & ab uſu pulveris cachectici quadantenus ſeparatæ penitus excernantur.

In virginibus plærunque defectus menſium ad cachexiæ cauſas accedit, unde fit illa deterior. Solet quidem in vetulis pulvis cachecticus etiam venulas uteri aperire, ſed obſtructio interdum tam pertinax, ut à ſolo illo aperiri nequeat. Dextrè itaque obſervato tempore uſitato fluxus menſium, quod eſt juxta illum vulgatum verſiculum: Luna vetus vetulas, juvenes nova luna repurgat; *præſertim ubi in curſu adhibitæ curæ dolores circa lumbos & uterum animadverſi fuerint.* Cachexia ab obſtructione menſium.

Ut igitur felicius procedatur, menſes moventia ſimul danda Menſes moventia.

 ſunt,

ſunt, de quibus infra de ſuppreſſione menſium. Talia ſunt aqua allii deſtillata, & oleum ſabinæ, item aqua aſari, raphani, artemiſiæ rubræ.

NB. *Si ad pulverem cachecticum addideris æqualem quantitatem chalybis præparati, ſtercoris anſerum juniorum, & dederis priori quantitate, præſertim circa inſtans menſium tempus, & pallori virginum & obſtructioni menſium melius medeberis.*

Specificum ultimum. *Pertinaciſſimas obſtructiones menſium aperit lixivium è ſcoriis ſeu recrementis reguli antimonii, ebulliendo tantùm cum aqua* (a) *communi præparatum, & ſuper ferrum vel ſilices candentes fuſum, ut vapor per ſellam perforatam ad naturalia contingat. Vide infra de ſuppreſſione menſium. Mercurialis in aqua cocta & pudendis applicata ciet menſes.*

(a) Scoriæ poſt fuſionem reguli antimonii remanentes in pulverem tunduntur & in aqua communi (ſi regulus cum additione ſalis petræ copioſi eſt fuſus, ſi verò absque ſalibus, in lixivio forti ex calce viva & cinere clavellato) coquitur, donec aqua vel lixivium ſaturatè tingatur.

His omnibus poſtea dextrè ſubiici poteſt vel addi ſectio ſaphenæ definito tempore fluentium menſium inſtituta. Antimonium diaphoreticum fixum ad expellendos menſes etiam efficax eſt, ſi ejus doſis uſitata quotidiè cum guttis aliquot eſſentiæ myrrhæ in aqua artemiſiæ rubræ exhibeatur.

Hæc autem omnia moderanda ſunt ad præſcriptum ipſius naturæ & canones artis.

CAP. CXXXIX.
DE HYDROPE, Germ. die Waſſerſucht.

Hydrops quid? HYdrops, quæ etiam hydropiſis, & aqua intercutanea dicitur, eſt intumeſcentia corporis ſeroſa ſubinde cum flatu permixta, à depravata ſangvificatione orta, in qua latex ſeu lympha corporis modò in ſolo abdomine, nunc per univerſam corporis cutem colligitur, ac demum in tantam lacunam ſtagnat, ut ad ipſum cordis confinium aſſurgat, hominemque ſuffocet.

Tres hydropis ſpecies. 1. Anaſarca ſeu leucophlegmatica. Sicut autem tres hydropis ſpecies, prima vocatur anaſarca, vel hypoſarca, vel ſarcites vel leucophlegmatica, id eſt albæ pituitæ per corpus diffuſio, eò quod pituitâ liquidâ conſtet, quæ ex ſui naturâ quidem ſemper in modum aquæ claræ albet, ex admixtione verò alterius cujusvis humoris alio quoque colore tingitur, coloremque mutat. 2. Aſcites. Secundæ nomen aſcites eſt, ſeu utricularis, eò quòd aqua in peritonæo velut in utre continetur. 3. Tympanites. Tertia tympanites à tympano, quoniam venter in eâ flatu ita diſtenditur, quaſi pellis ſuper tympano, qui etiam percuſſus ſonum edit quaſi tympanum, atque hæc ſpecies ab Hippocrate hydrops ſiccus

ſiccus nominatur, eò quod non ex humore aqueo, ut priores duæ ſpecies, ſed ex materia flatuoſa conſtet.

Signa. Agnitio & dignotio hujus morbi in hisce ſignis conſiſtunt: quod nimirum patienti ſi anaſarcam ſeu leucophlegmatiam incurrat, pedes & totum corpus intumeat, ſi verò aſciticus vel tympaniticus ſit, ſolo ventris præturgido tumore, quem aſcites dat laxiorem, tympanites verò longè duriorem, laborat, reſpiratio eſt difficilis & cum anguſtia, imprimis poſt quamlibet corporis commotionem, ſitis irreſtincta premit, & perennis potationis cupiditas, appetentia dejicitur, totiusque corporis cutis decoloratur. Differunt autem hunc in modum inter ſe, quod in anaſarca, ubi tumor per omnem corporis ambitum diffuſus eſt, à prementibus digitis veſtigium ſeu fovea in cute relinquitur. In aſcite verò venter & pedes aquâ turgent, & ſi corpus ab uno latere in alterum convertitur, aqua intra peritonæum contenta velut in utre aquâ ſemipleno hinc inde fluctuat; in tympania autem venter & pedes pariter turgidiſſimi ſunt, at non ab aquoſa ſed flatuoſa materia, ideòque venter à digiti percuſſione in modum tympani reſonat; quamvis verò in hac hydropis ſpecie etiam ſæpius unà flatui materia aquoſa ſit permixta, fluctuans tamen murmur in ea in converſione corporis neutiquam ſtridulat, ut in priori.

Cauſæ. Cauſæ calamitoſi hujus mali eædem ſunt, quas ſuperiori capite recenſuimus, conſiſtuntque omnes in refrigeratione, debilitatione & exhauſtione viſcerum ſangvificantium nempe hepatis & lienis, ſuntque internæ atque externæ.

Internæ. Internæ cauſæ ſunt: debilis & frigidior conſtitutio hepatis congenita, vel temporis progreſſu introducta, vel deplorata obſtructio vel ſcirrhus hepatis aut lienis, nimia deperditio ſangvinis per hæmorrhagiam narium, hæmorrhoides, menſes, vulnera, vel cruetam rejectionem, egeſtionemque in dyſenteria, fluxu hepatico, diarrhæa, lienteria, ſudorisque liquatione, vel etiam omnimoda intermiſſio conſvetarum eductionum per menſes, hæmorrhoides & ſudores; item morbi acuti vel chronici ut ſunt febres ardentes, quartana.

externæ. Externæ ſunt: mala diæta, intemperantiaque, multa heluatio, & pergræcatio, potulentorumque fortium, imprimis aquarum vitæ, ut vocant, ſeu ſpiritus vini immoderata ingurgitatio, ardens enim hic liquor omnem aciditatem infringit, uti quilibet experiri poteſt, ſi eum cum acidiſſimis & planè corroſivis unâ vel alterâ vice conjunctim deſtillarit, manifeſtè enim deprehendet, eorum auſteritatem & corroſivitatem tantùm non auferri & penitus immutari, idem ergò hæc aqua vitæ etiam in ventriculo perpetrabit, & ejus fermentum acidum, ſine quo tamen concoctio fieri nequit, immutabit, præterea hepar incendit, ſiticuloſitatemque parit, quæ poſtmodùm potu vix reſtingvi poteſt, pereunte enim ſimul concoctione per

 deſtru-

deſtructam aciditatem ventriculi, natura nutritionem per potum reſarcire ſtudet ſitimque excitat, quæ deinde ob conceptam à ſpiritu vini phlogoſin non amplius potu reſtingvitur, ſed potius indies augetur, magnumque aqueitatis proventum gignit, & per corpus diducit, primòque leucophlegmatiam, ac dein aſcitem producere conſvevit. Creberrimè quoque hydrops gignitur à repentina largaque potatione frigidiſſima, jamjam æſtuante corpore, item à multa nocturna heluatione, intempeſtivisque vigiliis, gelidatione ex nocturna ſtatione, vel in aquis immoratione & ſimilibus.

Doctrina Helmontii de hydrope.

Helmontius verò in tractatu: ignotus hydrops; hanc ſcholarum doctrinam penitus repudiat, plurimaque exempla recenſet ſublatorum hydrope, quorum hepata in ſectione nullam tabem oſtenderint, imò ſemetipſum aliquot centenos ſecuiſſe, mortisque cauſam in hepate non inveniſſe, aliam itaque planè diagnoſin hydropis depingit ſcrutinio proprio obſervatam, cujus hæc ſit ſumma:

Laticem ſeu glaream illam inſipidam (cujusmodi ſunt lachrymæ, aqua pericardii, ſudor totaque corporis lympha ſeu limpida ſucculentia) cruori permixtam unà in venis & ad glandulas ferri, hoc quamdiu fiat, communi hunc laticem potiri vitâ, nec regulis parere hydraulicis, ſurſumque ac deorſum neſcire, quia non habeat; Semel autem extra vitæ conſortium rejectum jam excrementi naturam ſubire, deorſumque properare, proprio gravatum pondere, vilis itaque pretii laticem eſſe. Ideoque quoties unumquodque viſcus malè afficiatur, ſtatim laticem negligere, eumque à cruoris ſui conſortio excludere: ſatisque ſibi negotii in ſui tutelam reperire domi.

Laticem ergò ſemel alibi repudiatum, vitæquæ ſodalitio ſpoliatum excrementi ſtatim indolem ſuſcipere: quia ſuam ſibique nativam. 1. Hanc anaſarcæ cauſam eſſe, ſive præciſè loquendo aquam non eſſe hydropem, ut neque ipſam anaſarcam: nec ventum eſſe ipſam tympanitidem, ſed aquam in abdomine & laticem in anaſarca eſſe producta hydropis, ut ventus in tympania. Hydropem ſanè interiore contubernio hoſpitem recipi, magisque nobis intimum eſſe, qui vitalia principia facultatesque vitæ aggrediatur ante natam aquam: adeòque omnis morbus per cauſas occaſionales immediatè vitalia alloquatur initia, in quibus tandem materiam & efficiens inveniat. 2. Notaſſe ſe, quandoquidem omnibus univerſim hydropicis pauca ſit & ſaturati coloris urina, laticem ideò eſſe materiam ut urinæ ita & hydropis, nec enim formaliter urinam, ſed hujus materiam, antequam inde lotium per aliorum commiſtionem & fermenti urinalis ſuſceptionem fieret. 3. Intelligere autem ſe in hydrope triplicem materiam, primam nempe occaſionalem, qualis ſit cruor extravenatus. Alteram deinde quæ ſit ipſa aqua, ipſeque latex in abdomine, qui ſit productum quoddam. Et tertiam

tertiam demum materiam habere ſuum internum efficientem, in internis vitalibus principiis Archei renum ortum. 4. Sicuti deficiente potu nihilominus adhuc renes urinam cruoris eliciant, licet parcam. 5. Ita & in hydrope urina ſit cruoris non potus, non laticis. Renes actualiter hydropem concipere, fabricare & continere. Abdomen verò per actionem regiminis renum diverſorium præbere, renemque laticem tanquam ſcenæ productum eò mittere. Non enim quatenus per aliud viſcus latex furtim abripiatur, ſed ſolum renem laticem proſcribere ad loca ſibi ſubjecta. 6. Laticem autem in œdemate & anaſarca minus vitæ conſvetudine privum quàm in aſcite: etiam rurſus ſorberi in venas & ad renes labi, ut ultimam lotii determinationem ſubeat. 7. Aſcitem regulariter ſanari, ſi ren multum & affatim minxerit ſponte vel per remedium. Recidivam autem patrare, ſi non penitus ſublatus e rene morbus. 8. Aquam inter cutem retrogrado motu laticem ducere in oſcula venarum, inde per venas in renes ſugi, & lotio tenus excerni, cujus tantillum duntaxat per diaphæreſin exhalet. Ideòque abuſivè doceri, laticem eſſe pituitam in œdemate, eamque recoqui in legitimum cruorem. 9. Itaque imperium & actionem regiminis renum ſe extendere nedum in renes, ureteres & vaſa urinaria; verùm inſuper in cavitatem ventris, inter peritonæum & muſculos abdominis; itemq; in venæ cavæ divaricationes ſe inferiores, usque & in pedes & tibias. 10. Non ergò renes ſinere laticem cadere proprio pondere: ſed verè mittere, non ſecus ac verè iterum trahant eundem trans omnem venarum cruorem, dum ſcilicet ſanetur hydrops per mictiones. 11. Quinimò renem ſemper cooperari & principaliter operari in fabrica hydropis: de neceſſitate igitur primariò affici, ſiquidem devius à finibus agendi. 12. Cumque ren ſit principalis effector hydropis, quanquam aliud ſubindè membrum cauſam occaſionalem contineat. 13. Sanationem idcircò incipientem vel inſtitutam per ablationem aquæ, ſemper eſſe ſubjectam recidivæ, & plerunque fruſtra tentari. Quia nunquam ſanatio condigna inſtituatur ab ultimato agente. 14. Hydropem itaque aſcitem ſemper eſſe effectum immediatum renum; Adeòque exigere ejusdem ſanationem reſtaurationem expulſivè renum, ſive defectus occaſionaliter ſuſcitetur, ſive demum in ipſo rene conſiſtat. 15. Quapropter ſe procul recedere à doctrina ſcholarum, quæ præteritis neglectiſque renibus, continuò jecur aſpiciat, eòque vota ſanandi dirigat. 16. Non eſſe autem hydropem abuſum devium, ſive archei exorbitationem in rene, occluſionem ejus per calculum aut mucaginem: ſed vim quandam anodynam virulentam, in cruore extravenato, aut ſimili materia hoſpitatam: Cujus importunitate ren primò ſui muneris obliviſcatur, habenas ſeparandi laticis abjicere: mox inde quoque

furorem

furorem arripere, dum laticem in abdomen inordinato motu releget. 17. Perinde ut ob lotium ſimplex ren quandoque claudat usque in obitum excluſivè. 18. Conſimilem ſcilicet ſe meditari in hydrope deviam qualitatem cruoris extravenati, cujus contagio occaſionali ren ſui muneris fiat obliviosus, cujusque veneni tempeſtiva ademptio renem à ligatura, adeòque abdomen ab aqua liberet. Errorem enim à ſe commiſſum dum cernat ren, probèque admonitus per juſtum medicamen, pœniteat ſeriò, ſorbeatque iterum dimiſſum ad ſe laticem, & foras expellat. 19. Verum ergò hydropem aſciten eſſe in renibus. Sive, ſolvere pertinacem ſeram renum, ſit ſolvere hydropem: prout ſolvere cruorem congelatum, ſit ſolvere cauſam occaſionalem ejus. Id eſt, cauſam immediatam tam materialem quàm efficientem veri hydropis eſſe Archeum renum errantem, quatenus ſcilicet exorbitet ac in furorem velut percellatur à cauſa occaſionali, ideam gignat, ſive ſpeciem, quam ipſe inſitus renum Archeus contumax foveat atque alat: per quam ſcilicet non; aut vix ſeparet urinam, aut cura illi incumbat ſui officii, ſuæve deſtinationis. Imò nec ſolum ſua munia prætereat atque negligat: quin etiam velut furioſus dimittat laticem ad abdomen, ut ſui velut internecionem procuret. Solvendum itaque eſſe pertinaciæ vitium Archei, ita ut mictio ſequatur, ſi ſperanda ſit ſanitas. Quibus uterque renum obſtipetur à calculo, moriunturque tandem præfocati à lotio, non ſint tamen proinde hydropici: quia lotium maneat in venis, quo nimirum ren ſe exonerare intendat, ſed non poſſit, in hydrope verò valeat, ſed non intendat ſe exonerare. In hydrope ergò furorem virulentum eſſe Archei: non item in obſtructione à calculo. Ideòque uno rene per cauſam occaſionalem virulentam agitato; ſimul ſemelque & alterum pariter furere. Quod in occluſione à calculo non item eveniat. Requirere autem hydropis eſſentiam, ut nedum ren negligat laticis ſeparationem, claudatque ſeram urinæ: verùm inſuper neceſſe eſſe, ut ſimul etiam laticem ad loca abdominis dimittat, imò & poros membranarum arctè claudat, ne ſcilicet quippiam laticis aut ventorum tranſpiret ac erumpat. Archeum renum magnâ & ſtulta ſolicitudine furere ut hydropem faciat, ſtultâque pertinaciâ ejus furorem foveri, quòd tum vires naturæ conſternatas ſentiat, nihilominus tamen nequicquam de concepto furore remittat. Si ergò occluſio à calculo morbum atque mortem inducat, non hydropem; hydrops quoque morbum atque mortem adferat ſine totali, imò vel materiali obſtructione renum: manifeſtum fieri, eorundem morborum diverſitatem pendere duntaxat à luxu, & intentionali furore Archei veneno cruento ſuſcitati: non item à materiali laticis errore. Axioma eſſe, quod omne ens eſſe atque permanere deſideret. Quod ſanè intelligendum ſit de ente gubernato

bernato per Deum per naturam communem, ac ordinatam ſive regularem: non autem de ente ſtulto atque per virus furibundo, quale ſit Archeus à corruptione ſui per peccatum & concitatus per cauſam occaſionalem morbi virulentam. Perinde enim eſſe atq; hominem furioſum, equum aut bovem, qui ſe è ſublimi præcipitet, ſuique finem procuret. Sic namque Archeum in ſuis furoribus velut ſtudio pertinaci ſibi exitium procurare. Quod ſcilicet in multis morbis ſit perpetuum. Scholas autem cauſam unicam & ſolam hujus morbi ſupponentes intemperiem frigidam hepatis, non conſiderare, quod frigida ejusmodi intemperies reſtaurari nequeat, hydropis autem paſſim ſanationem admittant, maximam quoque ſcholarum incuriam eluceſcere, quod inter tot myriades ſcriptorum adhuc primus deſit, qui cogitare auſus fuerit, quâ viâ quove modo poſſibili jecur ſuam aquam inter abdomen & muſculos deponeret. Concedere ſe absq; controverſia, omnem liquorem ab inteſtinis asſugi, rapique in venas meſenterii, tam eum ſcilicet, qui in cruorem deſtinetur quàm qui quomodolibet excrementis quandoque deputetur. Non verò ullam eſſe viam venarum meſenterii, niſi ad venam portæ, quæ ſe in hepar inſinuet. Ergò materiam ex qua hydrops usque in hepar feratur, non ſecus atque omnes fibras radicum tandem deſinere in truncum ipſum qui radix dicatur. Sed non eſſe canales, quibus hepar materiam ſive aquam hydropis deferat ad ſpatium abdominis. Si enim ſint venæ illæ ſobriæ, quibus membrana illa abdominis aut peritonæi nutriatur, cur ſaltem hepar has potius venas delegerit, hæcque loca affligat, cùm longè commodius ejusmodi ſuperfluam aquam, antequam jecur ſuâ importunitate ac pondere gravetur, per hæmorrhoides abigeret? quippe quæ ſublevandis oneribus nuncupatæ videantur. Interim certum eſſe, laticem ſive materiam hydropis natare in venis, quæ infra jecur ſint, cum non ritè ſecernatur tum per lotium. Saltem utut ſumatur, non valere hepar ad abdomen, jam in immenſam molem atque duritiem tenſum (propter aquæ cumulum) vel unicam guttulam amplius ſuperaddere, quin apertis illarum venarum oſculis velut diffracta catarracta aqua hydropica toto ex abdomine retrocederet, regurgitaretque in hepar. Nam imprimis oſcula venarum, deſinentium in abdominis membranam, non habere appoſitas ſingula valvas, inſtar pilarum ventoſarum inſufflatum ventum, ac laticem intus cohibentes. Deinde ſi ejusmodi valvas haberent, jecur ſaltem careret vi expulſiva tanti roboris, quin potius ipſum jecur & venarum canales citius dehiſcerent, creparentque, quàm quod contentam aquam ſuperaddant abdomini hydropico, in immenſam duritiem tento. Denique ſi quæ ejusmodi venæ ad hydropis carcerem deſinant pro ſui nutritione, ſaltem ſint filiæ venæ cavæ. Adeòque omnis hydor

eſſet in jecore & vena cava antequam in abdomine, eſſentque in immenſam duritiem turgida viſcera. Imò omnis cruor hydropicus nil niſi mera aqua eſſet, quod falſum ſit, concedentibus ultrò ſcholis, quod aqua hydropica per renes eſſet emuncta, priusquam ad abdomen veniret, niſi vitium atque peccatum potius eſſet renum quàm hepatis. Sangvificationem enim eſſe hepatis, ſeparationem autem laticis à cruore priorem eſſe, & alterius opificis quàm hepatis. Ineſſe quippe ab initio laticem cibis ac potibus, ſepararique eſſentialiter per fel, dum ſalis alicujus naturam aſſumat, mutetque aciditatem ſuam in ſalſedinem, permaneatque localiter permiſtus cruore, donec lotii ultimum nactus ſupplementum à renibus attractus expellatur.

Renes ergò moderatores eſſe laticis, ut jecur cruoris. Dein aquam hydropicam laticem eſſe non item adhuc urinam, cujus fermentum cum ſit ſtercoreum, & à renibus imprimatur, laticem illum nondum urinam eſſe. Laticis igitur expulſionem in abdomen potius eſſe officium renum quàm hepatis. Ideòque renes velut poſtliminiò reſipiſcentes non raró quoque depoſitam in abdomine aquam repetiviſſe, & ſanitatem ab hydrope ſponte reddidiſſe. Tum quoque non oblædi in hydrope ſangvificationem, nec areſcere hydropicos penuriâ cruoris, quantum laticis copia ſuffocentur. Sin autem in hydrope cruor non abundet, non fieri tamen id, quod jecur cruoris fabricam deneget: ſed quia exotico fure etiam cruor minuatur. Imò nec jecur à ſe factum cruoré vitiare, cum ſint oppoſitæ & incompatibiles actiones, ſangvificatio & cruoris deſtructio. Renem enim aquæ dominium ſuſcepiſſe, adeò ut deficiente potu cruorem vitiet, & in urinam transmutet. Furore autem Archei renem ceſſare & pene obliviſci ſui muneris, atque deſtinationis in ſeparando laticem à cruore, proinde ſe claudere, & velut indignatum exorbitantemque, laticem aliò deponere.

Hunc autem furoris tenorem analogicè ita concipi & exprimi, ſi primò conſideretur cruor extravenatus in rene detentus vel ſuper convexum inteſtini latens, qui cruor dum malignitatem fermentalem induat, mox ren laticis moderator indignabundus ſuſcipiat anodynum virus illius cruoris. Laticis autem deſtinationem eſſe, eluere ſordes, ſi quæ alibi in corpore detentæ ſint. Cumque ren nequeat per laticem eluere extravenatum iſtum cruorem, eò quòd latex eò non deveniat, accumuletur hic in venis, faſtidio ergò, tædioque ren inde adeò afficiatur, quod munus ſibi injunctum nequeat obire. Ideòque mox claudat exitum urinæ, ut quod copia regulari laticis nequeat, per abundantiam ejus perficiat. Mercurium igitur præcipitatum juxta præſcriptum Paracelſi curare omnem hydropem, non quatenus purget, ſed inquantum materialiter tranſiens per inteſtina, reſolvat extravenatum

cruo-

cruorem. Sin autem unà vomitum vel alvum cieat, id hydropi eſſe per accidens. Item ſi antimonium in liquorem vertatur ac poſtmodum in pulverem, qui tantum per ſudorem purget, haberi remedium, quod omnem hydropem modeſtè tollat extra metum recidivæ. Siquidem tollat tam cauſam occaſionalem, quàm ipſam furientis archei ametriam. Hydropem itaque morbum eſſe ex cruenta materia depravata, occaſionaliter oriundum velut initio fermentali: ad cujus incitamenta Archeus renum ideam indignationis formet: cujus poteſtate ureteres venas occludat, affluum laticem corrumpat ac divertat, huncque in abdominis ſpatium transmittat: abdominis interim membranas harumque poros ita ſtringat, ut nihil penitus transmittant in mortem usque.

Tympaniam autem plurimum ab hydrope differre cauſâ occaſionali, modo fiendi, materiâ nec non efficiente, non enim generari aquam ſed ventum, nec etiam arbitro rene eam fieri, ſed ſolùm præſide fermento toxico alimenti ſpermatici in convexo inteſtini hærentis atque deturpati. Hepar autem nequaquam ejus cauſam eſſe, cum venas vento turgidas hactenus non luſtraverit anatome, nec propter tormina inteſtini piare debeat hepar, licet tam hydrops quàm tympanites tormina ſequantur. Si etiam flatus inteſtini fiant ab hepate, remedium ipſi non autem carminativum inteſtino dandum. Debere itaque ſcholas theorematis ſui memores eſſe, quod *ejusdem ſit facultatis ſana & infirma*, indeque cognoſcere, ructus atque flatus ab inteſtino & ſtomacho generari. Adeòque convexum inteſtini non minus aptum generandis flatibus, quàm ejus concavum; Infeſtare ergò tympaniam ex aſſimilandis, ſed degeneribus liquoribus. Ventoſitatem enim ſive flatus in inteſtino fieri à quadam indiſpoſitione localis Archei, qui tum cibos ſubinde nequicquam flatulentos in flatum mutet. Cum ergo flatus in tympanitide ſit extra ſive in convexo inteſtini, conſiderandam eſſe eandem indiſpoſitionem flatulentam foris, quæ aliàs intus ſit in inteſtino. Fieri nempe à ſimilari alimento degenerante, quo fermentum ſtercoreum adveniens, ipſe archeus loci indignatus, & malè affectus vertat non quidem præfatam cauſam occaſionalem, ſed proprium membranarum alimentum in flatus. Ad hoc autem partem fermenti ſtercorei à cavo ad convexum inteſtini migrare. Ideòque flatum illum non eſſe inſipidum aut acidum ructuum, ut neque ſtercus oleat, quia non fiat à materia ſtercorea, ſed ab alimento degenerato & cadaveroſo. Patere ergò vanitatem remediorum, atque imprimis carminantium, quæ convexum inteſtini non reſpiciant.

Non autem hic fruſtra Paracelſum commendare fimos, cum ſint ſalia ciborum putridorum, quibus datum ſit reſolvere materiam occaſionalem hydropis. Eundem quoq; ſuum præcipiolum ſive mercurium

è ſuâ minera mortuum eductum præ reliquis approbare remediis. Qui & ſemper obſecundet votis, ſitque difficilis quidem ejus acquiſitio, ſed duorum granorum doſis ſufficiat ter quaterve exhibita.

Tandem etiam eſſe hydropiſim notham, cujus nemo alius meminerit, videlicet ex jecoris inordinata accretione ventris tenſionem mentiri hydropem, imò & in tabe extinctis ſummèque macilentis reperiri jecur ſupra modum excreviſſe penitus licet exſangve. Vim ergò creſcitivam mercurius ille enecet, non ſecus atque argentum tremulum in arborem terebrâ usque in medullam foraminatam injectum eandem occidat. De proprietate itaque mercurii eſſe vim accretricem hepatis extingvere ; id autem ut pro voto ſuccedat, oportere mercurium mori absque ullo ſalium externorum ſodalitio, aut ſpiritum alienorum conſortio. Sic tamen moriendum ipſi , ut vivum maneat in plauſtro, quod queat in vita media mercurii deferre ad loca deſtinata. Hæc Helmontius.

De hydrope loquitur etiam Hippocrates in ſequentibus:

Aqua intercus eſt morbus autumnalis. lib. 3. aphor. 22
Lienoſisque familiaris. 6. 43
Hisque à longa dyſenteria lethalis. 6. 43
Sanati à diuturno fluxu hæmorrhoidum proclives ſunt ad hydropem. 6. 12
Niſi una ſervetur aperta. 6. 12
Ab inſania hydrops, bonum. 7. 5
Aqua intercus ſi ex morbo acuto cœpit, periculoſa. lib. 2. praſag. 1
Talis hydrops febrem non ſolvit, ſed cum doloribus interimit. ibid.
Oritur magna ex parte vel ab ilibus & lumbis. ibid.
Atque pedes tumidos ac fluxum diuturnum efficit. ibid. 2
Quo venter non detumeſcit. ibid.
Vel ortum ducit à jecinore. ibid. 1
Inducitque tuſſem absque ſcreatu, nec non pedum tumorem, dejectionem duram, coactam, tumoresque circa ventrem modò in dextrâ modò in ſiniſtrâ parte. ibid. 3
Leucophlegmatiæ fortis diarrhœa ſuperveniens morbum ſolvit. lib. 7. aphor. 29
Alvus valdè fluida hydropi ſuperveniens citiſſimè moritur & ſentiens & loquens. lib. 4. de morbis. t. 34
Tormina & circa umbilicum cruciatus & lumborum dolor obſtinatus in ſiccum hydropa firmatur. lib. 4. aph. 11
Si aqua è venis in ventrem confluxerit, hydropis ſolutio fit. 6. 14
Quibus jecur aqua repletum eruperit in omentum, his venter aqua expletur & moriuntur. 7. 55
Hydropicis tuſſis ſuperveniens, malum. 6. 35
Hydropicus tuſſe detentus deſperatus eſt. 7. 47

Hydro-

Hydropicorum ulcera non facilè ſanantur. 7. 8

Quicunque hydropici uruntur aut ſecantur, ſi aqua universim effluxerit, omninò moriuntur. 6. 27

Albæ pituitæ hydrops ſupervenit. 7. 74

Hydrope incipiente alvi profluvium ſine apepſia ſuperveniens, morbum ſolvit. in coacis

Hydropici qui remediorum efficaciâ liberantur ſi in eundem affectum reciderunt, deſperati ſunt. in coacis

Hydropico febriculoſo urina pauca turbataque lethalis. in coacis

Stranguria in hydrope ſicco, malum. in coacis

Prognoſtica. Prognoſin quod attinet, hydrops plerunque cachexiam ſequitur, hæc enim pro illius initio habetur, prodromus quoque ipſius eſſe ſolet icterus diuturnus, item ſi color corporis permutetur ad albedinem, citrinitatemve, & facies ac palpebræ inflentur, nec non pedes & teſticuli, eoque magis, ſi quoque inflatio abdominis appareat, verus verò hydrops incipiens fit cum difficultate ſpirandi, tumore pedum, ingvinum & ſcroti, gravitate corporis, colore depravato, & ex virore albicante, faſtidio cibi, ſitique vehementiori, quem Authores humoribus ſalſis & putrefactis aſcribunt, internoque viſcerum æſtui, plurimi enim hydropicorum etiam febriunt, pedes autem in omnibus hydropis ſpeciebus inflantur & tument, non autem manus, cujus rationes practici eſſe volunt, quod manus cordi ſint viciniores, & facilioris pedibus motus, adhæc humores aquei ob gravitatem perpetuò deorſum ferantur. Facilè autem hydrops incipiens ſanari poteſt, verùm quoque facilè revertitur, omnis tamen hydrops ſatis curatu difficilis eſt & periculoſus, & quò magis inveteratus ſit, eò difficilioris eſt ſanationis, una tamen ſpecies magis vel minus difficilis altera eſt. Anaſarca enim cæteris ſanabilior eſt, Aſcites verò tympaniâ: verùm hæ duæ ſpecies potius inter ſe ambigunt, ut modò una jam altera difficilior & periculoſior ſit, pro minori vel exuperantiori cauſâ, ſemper tamen aſcites à ſcirrho, vel apoſtemate hepatis, & tympanites à ſcirrho ventris vel meſenterii æquè inſanabiles & lethales ſunt, in reliquis cauſis ſæpenumerò juniores curantur, rariſſimè autem ſenes ob vires eorum debiles, multum quoque curationi confert coactio ad famem & ſitim, unde citius ſervi curationi ſubjecti evadunt quàm liberi. Fortis quidem diarrhœa hydropi conducit, atque eum ſolvit juxta Hippocratem, hoc tamen ſaltem locum habet in principio morbi, viribus nimirum etiamnum conſtantibus, ſin minus, ratum eſt illud Avicennæ: Conſtrictio in hydrope anhelitus & ſolutio ventris in tribus diebus mortem ſignificat, quibusdam etiam brevi ante mortem præcedunt ulcera oris, gingivarum, totiusque corporis vel maculæ crurum

rum lividæ, aliis anthraces ſeu carbunculi velut peſtiferi, nonnullis egeſtio tanquam ſangvis coagulatus.

Curatio. Curatio hujus periculoſi affectus à practicis inſtituitur ſequentem in modum, ut ſtatim cauſæ, quantum fieri poſſit, removeantur, ac conveniens victus ratio adhibeatur, ſtudeantque in omni hydropis ſpecie roborare ventriculi & hepatis virtutem digeſtivam, eum itaque in finem injungantur cibi euchymi, facilisque concoctionis, mixtis aromatibus confortantibus & fragrantibus rebus moderatè ſtypticis, idque in ſalubri loco, qui non parum curationem promovet, convenientiſſima autem ſunt loca montana ſicciora & aprica, nec non marina, ut quidam volunt, inducti quibusdam exemplis eorum, qui in navibus unà trans mare navigantes à commotione navis vomitionibus correpti, ſanatique poſtmodùm ſunt. Quin imò motus quilibet hydropicis conducit, videlicet non modo à navigatione, ſed & equitatione, & vectione in lectica, item frictionibus, quia poros recludunt, & ambulatione, ſi vires conſtent; maximè verò ſitis & inedia probantur. Inter edulia valdè proſunt fabæ (& imprimis panis ex iisdem coctus) lentes, cicera, herbæque omnes, quæ urinam proliciunt, aſſata verò ob ſtomachi debilitatem non probantur. Pro potu inſervit vinum album, in quo fermentarint lupulus, turbith, aliaque laxantia, præcipuè verò ſi ſilices candidi candefacti aliquoties in eo reſtingvantur. Interdum provocandus eſt ſudor cum ℥ſ. theriacæ Andromachi additis aliquot granis euphorbii.

Appropriata. Sunt autem in communi uſu contra hydropem hæc medicamenta: radices 5. aperitiv. aſari, rhabarbari, ireos noſtrat. vincetoxici, imperatoriæ: herbæ, agrimonia, geniſta, bardana, abſynth. flores & cortex medius ſambuci, gummi gotte: decoctum ſarzæparillæ, guajaci, chinæ, infuſum radicis ebuli in vino curationem feciſſe vidimus & audivimus; Spiritus ſalis marini & gemmæ, ſpiritus aperitivus Penoti, item ſpiritus ſalis lacteus ejusdem inſignes ſunt: lacteſcens autem hic ſpiritus ita paratur: primò deſtillabis è ſale communi vel gemmæ igne aperto per retortam ſpiritum, ut moris eſt, quod fit, ſi duæ vel tres partes boli ſaltem pulveretenus miſcentur uni parti ſalis, & ita ſatis violento igne deſtillantur inſtar ſpiritus vitrioli, quo impaſta flores ſulphuris, ut quaſi puls inde fiat, atque iterum deſtilla per retortam, & egregietur liquor lacteus, qui ſummum eſt ſecretum in hydrope, doſ. ℈j. cum ſpiritu aniſi. Spiritus aperitivus dictus ſupra cap. 125. deſcriptus eſt. Convenit etiam ſpiritus antimonialis, quem clyſſum vocant, qui ita fit: ℞. antimonii, nitri purificati & ſulphuris communis ana ſive partes æquales, alii tamen accipiunt nitri duas partes, antimonii unam, & ſulphuris quartam, nonnulli etiam aliquid tartari albi crudi addunt, ut eò penetrantiorem ſpiritum contra obſtructiones obtineant, hæc pulveriſata

Spiritus ſalis lacteus.

Clyſſus.

invicem

invicem miſcent, tum retortam lapideam à tergo tubulatam in furnum locant, & prius candere faciunt, deinde particulam hujus mixturæ per tubum injiciunt, quæ candentem retortæ fundum attingens inflammatur, & ſpiritum in vas recipiens, quod amplum eſſe debet, efflat, illudque nebuloſo vapore replet, in recipiente autem aliquis liquor ut aqua betulæ vel ſalviæ vel alia debet eſſe, ut ſpiritus nebuloſi in ea colligantur, miſcetur hic ſpiritus cum potu conveniente, donec gratè aceſcat, & ita bibitur. Efficaciſſima quoque ſunt in hoc morbo ſalia lixivialia, imprimis ſal è bufonibus combuſtis eductus, imò exempla ſunt, quod quidam curati ſint alligatis ſibi ad regionem renum bufonibus, quod alii exuviis ſerpentum præſtitere, plura hic addere nolumus, cum admodùm copioſè hanc materiam tractet Authoris

Sal è combuſtis bufonibus præſtat.

TEXTUS.

Hydrops confirmatus difficulter curatur, incipiens facilè.

Nobiliora tamen medicamenta, utendique ratio expedita, præterea que ſubjectorum diſpoſitio æquabiliter affecta quandoque etiam hydropem confirmatiſſimum tollere viſa ſunt.

In ſingulis hydropis ſpeciebus ſemper ab aperientibus & mundificantibus per alvum, nunquam à diureticis cura incipienda: ſecus nimirum colluvies ventris tota ad renes confertim quaſi coacta ſummam difficultatem parit.

Purgantia univerſalia ſunt:

Purgantia univerſalia ſunt

I. *Mercurius vitæ ſeu flores butyri antimonii doſi ſua ab initio à granis IV. in extracto hellebori vel colocynthidis, poſtea, ſi vires ferant, auctiori usque ad 10. vel 12. per aliquot dies continuatus: præſertim in hydrope confirmato, ſtante tamen adhuc virtute ventriculi maximè prodeſt. In hoc caſu nullos generat vomitus, ſed tantum per inferiora purgat.*

1. Mercurius vitæ.

Nota: in ſenioribus hæc purgatio mercurii vitæ producit procidentiam ani, quæ poſtea rarò ſeu potius difficulter ſanatur & curatur.

II. *Flores antimonii albi in oleum deſtillati (ut dictum eſt ad Crollium) & poſtea illo oleo in aqua frigida repercuſſo, & in pilulas, pulvere dulcificato benè, redacto etiam per inferiora aquam intercutem expellit, ſi ſæpius exhibeatur.*

2. Flores antimonii albi.

III. *Extractum compoſitum* Crollii *ad ſpecificum hydropis.*

3. Extractum Crollii.

IV. *Extractum elaterii cum ſpiritu vini factum. Doſ. à gran. j. ad iij. ad ſummum.*

4. Extractum elaterii.

Poſt purgantia univerſalia deveniendum eſt ad leviter aperientia, & viſcera inferiora corroborantia, ita tamen ut ſemper diure-

diuretica admiſceantur partim in cibo & potu, partim etiam cum medicamentis ipſis leniter aperientibus.

Principes hic partes tenet pulvis cachecticus ſupra deſcriptus, cujus ℥j. vel ℈iiij. in decocto centaurii minoris macerata per noctem, & poſtea colatura in duas æquales partes diſtributa, & duabus auroris ſeſe ſubſequentibus invicem exhibita, idem quod eſſentia alhandal efficit.

Extractum eſulæ confert.

In aſcite laudatur etiam extractum eſulæ, item diaturbith cum rhabarbaro, item gummi guttæ, ſine omni enim mora materia in abdomine contenta evacuanda, præmiſſis tamen aperientibus & ſimul humorem crudum epati impactum præparantibus.

Tympanites.

Notanda in tympanitide.

In tympanitide ſimplici purgationes rarò proficiunt (exaſperatur nimirum malum) in compoſita verò præſertim cum aſcite ſæpè purgantia præſertim mercurialia & aquam & flatus excuſſerunt.

Liquor florum tapſi barbati.

Eſt autem ſpecificum in tympanitide ſimplici liquor ex floribus tapſi barbati (tapſi arcanum etiam valet, ſed liquor hîc præſtat eo modo paratus, quo ſupra de ophthalmia liquor ex floribus cichorii ad affectus oculorum paratus eſt) cujus ℈j. aliquoties & quotidiè ſumptus in decocto ſeminis & radicis fœniculi ventoſitates expellit.

Felicius id exequemur, ſi ſimul fiat fomentatio ventris hoc modo:

Fomentum ad ventrem.

℞. *urinæ pueri mundæ* ℔iiij.
lapidis prunellæ ℥iij.

bulliant invicem ad ignem lentum usque ad caſum tertiæ partis urinæ. Hac urinâ calidâ fomentetur venter intinctis petiis, factâ inſuper forti frictione cum manu (hoc modo reſtitui viduam Marpurgi ab omnibus medicis relictam) poſt benè abſolutam curam, expulſis ſcilicet aquis & tumoribus tum ventris ipſius tum reliquarum partium planè conſumptis, colophonem imponant exſiccantia, qualia ſunt:

Exſiccantia ſunt 1. Eſſentia croci martis.

1. Eſſentia croci martis à Crollio in fine ſpecifici hydropis deſcripta in conſerva roſarum antiqua, vel etiam in rob ebulino aliquoties exhibita.

2. Diacubebæ.

2. Diacubebæ Paracelſi quod ſic fit:

℞. *cubebarum h. e. granorum myrtillorum exſiccatorum.*
ſeminis ocymi,
caryophyllor. an. ℥iiſ.
ſantalor. omnium,
ſpodii,
ſem. 4. frigid. major. excorticat. an. ℥j.
ſuccini albi ℈ij.
ſem. endiv.

portu-

portulac.
lactuc. an. ʒſ.
pulveriſentur omnia ſubtiliſſimè, & cum ſach. ℥IV. in aqua cichorii ſoluti f. electuarium, cui adjiciatur ſyr. granator. ℥iſ. hujus mixturæ ʒij. uſque ad ℥ſ. ſæpius exhibeatur.

3.Spiritus guajaci. *3. Spiritus guajaci cum rob ebulino ſumptus ad ſudores eliciendos, feliciter exſiccat.*

In tympanitide arcanum cumini & carvi philoſophicè præparata poſt primas purgationes leniores, ne malum exaſperetur, ejus aliquot guttulæ cum ſudoriferis & aliis ſpecificis exhibentur.

Tres hydropis ſunt ſpecies; aſcites, tympanites & anaſarca, quarum periculoſiſſima eſt tympanites, ſecundum locum obtinet aſcites; anaſarca cæteris curatu facilior. Commendatur hic lixivium (a) *ex cineribus vitium, & cineribus frondium juniperi cum vino albo factum, cui tamen aromata & ſacharum melioris ſaporis conciliandi gratia imponere licet. Hoc lixivio non pauci mirè ab hydrope liberati ſunt.*

Experimentum (*a*) Commendat hoc remedium generaliter contra quamlibet hydropis ſpeciem, quem in finem etiam expertisſimum eſt, ſi accipiatur cinerum recentium flammulæ Jovis vulgò Zaunreben q. ſ. vinumque album per eos percoletur more lixivii, hujus vini lixivialis propina hydropico ſingulo manè unius vitri communis menſarii quantitatem, expelletque affatim per meatus urinarios pituitam hydropicam, dummodò viæ obſtructæ prius per convenientem purgationem patefactæ fuerint.

Martis quoque hæc præparatio conveniens: diſſolve limaturæ Martis ℥j. in aquæ fortis ℥viij. paulatim & ſucceſſivè affundendo, digere per noctem, deinde aquam fortem per alembicum ex arena abſtrahe, habebis ℥iſ. croci rubicundiſſimi, ſuper quem in igne leniter prius exſiccatum funde ſpiritum vini vulgarem & appoſito alembico cœco digere in arena, & ſpiritus vini rubeſcet, quem à fecibus decantatum deſtilla in balneo ad oleoſitatem. Eſt perutile in hydrope exſiccando & viſceribus corroborandis, præmiſſis enim univerſalibus ex medendi methodo, ſi poſtea ejus guttæ 9. vel 10. hydropico manè & veſperi in ſimplici granorum juniperi decocto propinentur, facilè morbum tollit & expellit. Præparatio martis antihydropica.

ASCITES.

In aſcite quæ omnium communiſſima, ſine omni mora materia in abdomine contenta evacuanda, præmiſſis tamen aperientibus, & ſimul humorem crudum epati impactum præparantibus. Aſcites.

Fiat igitur ſtatim decoctum, quod

Apozema. ℞. rad. ellebori nigri præparat.
mechoacan. an. ʒiſ.
galang. ʒj.
fol. ſen. Alexandr. mund. ℥j.
ſem. aniſi
fœnicul. an. ʒſ.
carthami ℥ſ.

infunde in ſ. q. decocti aperitivi per noctem, manè coque ad ℥viij. addendo ſub finem coctura

rhabarbari ʒiſ.
ſachari ℥ij. colentur

f. apozema non clarificatum pro tribus aut 4. doſibus, addendo ad ultimam doſin ſpecierum diaturbith cum rhabarb. ℈ſ. aut ℈j. poſt tres doſes apozematis exhibeatur doſis mercurii laxativi, aut præcipitati cum auro cum extracto colocynthidos & ſcammonii, aut exhibeatur ℈j. ad ʒſ. extracti eſulæ toties à Rulando ad hunc morbum decantati, præparationem vide in notis ad Crollium.

Huc referri etiam poteſt ſpiritus vitæ aureus Rulandi, qui fit cum ſpiritu vini malvatici ex trochiſcis alhandal extractâ tincturâ, quæ pro quantitate trochiſcorum & ſpiritus vini propinatur. Hinc exhibeatur per tres dies continuos diureticum ſequens:

Diureticum. ℞. rad. ebuli ℥ſ.
fœnicul.
polypod.
petroſelin. an. ʒiiſ.
irid. m. j.
ellebori præparat.
mechoacann. an. ℈ij.
fol. ſen. ℥j.
cortic. interior. ſambuc. ℥iſ.
flor. ſambuc.
geniſt. an. p. iij.
lavend. p. ij.
ſem. fœnic.
dauci an. ʒiſ.
zingib.
galang. an. ℈iſ.

Infunde in ſ. q. aquæ gratiolæ & florum ſambuci per noctem, manè leviter coque ad ℥viij. vel circiter, exprimantur, colaturæ adde

ſyrup. eupator.
byzantin. an. ℥ij.
aquæ cinamom. ℥ſ.

Adde ſemper, ſi alvus non reſpondeat, extracti trochiſcorum alhandal aut ſpiritus vitæ aurei quoad viſum fuerit: aut addatur ſucci radic. iridis noſtratis, naſturtii & corticis viridis ſambuci ℥ſ. ad ℥iiij apozematis dicti: imò ſi ſucci dicti ad ℥ij. vel ℥iiſ. propinentur cum aqua communi tantùm, potenter aquam educunt.

Debet etiam interdum, ne ſcilicet ſemper purgetur æger, & vires labaſcant, exhiberi cremor tartari, aut magiſterium ejuſdem,

dem, aut ſyrupus de eupatorio, de corticibus citri, & oxymel ſcilliticum cum aqua meliſſæ, fœniculi, agrimoniæ, apii, cinamomii dilutis. Item tabellæ ſequentes:

Tabellæ.

℞. *pulv. dialac.*
diacurc. an. ℈ *ij.*
ſachar. in aq. halicacabi ſolut. ℥ *iſ.*
tincturæ martis (ſupra in hæmorrhag. traditæ) ℈ *ij.*
ol. nucis moſchat. deſtillat. gr. iij.
f. l. a rotulæ, de quibus ſumat ʒ *ij. tribus horis ante & poſt paſtum.*

Item utatur electuario ſequente, quod

Electuarium.

℞. *rob ſambuci* ℥ *iij.*
mithridatii ℥ *ſ.*
ſpec. diarhod. Abbat.
ſolut. perlarum
oculor. cancr. pp. an. ℈ *j.*
ſyr. de eupator. q. ſ.
ſpirit. vitriol. ℈ *ſ.*
f. electuarium, de quo manè & veſperi tribus horis ante cibum ſumat ad quantitatem avellanæ.

Poteſt quoque venter foveri decocto, quod fit ex

Fomentum pro ventre.

herb. menthæ
origani an. m. ij.
flor. ſambuci
meliloti an. p. iij.
ſem. carvi ℥ *iſ.*
bacc. lauri ℥ *iij.*
Stercoris capræ ad pondus omnium, coque in lixivio aut ex aqua ſimplici, & cum decocto aut herbis ipſis calidis foveantur partes tumidæ poſt fomentum applicetur (b) *emplaſtrum de baccis lauri.*

(*b*) Alii parant emplaſtrum ex ſtercoribus videlicet vaccino, caprino & columbino, prius modicè ſiccatis, nec admodùm vetuſtis, addito cumino, ſulphure vivo, & modico aſaro, vel valeriana vel ſpicanardi, & cum ſapa componendo emplaſtrum.

Antiquitus etiam in uſu fuit cataplasma è cochleis prius per aliquot dies ab humore excrementitio repurgatis, & dein cum teſtis contuſis & lævigatis, aſperſo etiam pulvere calamenti & tantilli tutiæ, nec non flore aſii lapidis, cujus vicem ſubire poſſet ſcobs maxillarum lucii, vel muſci arborum. Præſtantiſſimum eſt hoc cataplaſma:

℞. radic. cucumeris agreſtis optimè contuſæ & in aceto florum ſambuci vel ſcillitico per 24. horas maceratæ probèque contuſæ ℔ j. mellis deſpumati ℔ ij. miſce & bulliant ad conſiſtentiam cerati, addendo ſub finem cumini ſubtiliſſimè pulverati ℥ iij. rad. ireos tritæ & cribratæ ℥ j. f. emplaſtrum alternis diebus renovandum. Cataplasma.

Hinc accedatur ad ea, quæ proprietate occulta ad quemlibet hydropem faciunt:

1. Eſt aqua lumbricorum terreſtrium rubrorum (c) *cujus deſcriptionem vide in notis meis Crollii.* Experimenta.

 (*c*) Lum-

(c) Lumbrici in vino decocti pro certo pellunt hydropem, ſi pro ordinario potu iſtud vinum inſerviat per aliquot ſeptimanas.

2. Aqua ſequens:

Liquor ſtillatitius.

℞. *vitrioli & tartari an* ℔j.
rad. vincetoxici ℔ſ.
ſpir. vini pintam unam.

Stent in infuſione per tres dies, poſtea deſtillentur in arena per alembicum, aquæ deſtillatæ adde guttas aliquot ſpiritus vitrioli ad gratam aciditatem, detur ſingulis diebus tribus vicibus in decocto vincetoxici cochl. j. urinam properanter movet, intemperiem corrigit, & obſtructionem tollit.

3. Pulvis bufonum: vide notas ad Crollium.

4. Stercus anſerinum, vide ibidem.

Pro potu utatur ſequente julepo.

Julepus pro potu.

℞. *aquæ petroſelini*
halicacabi an. ℥v.
florum ſambuci ℥iij.
ſpiritus vitrioli ℈ſ.
aut lap. prunell ʒſ.
ſyr. de quinque radic. ℥iiſ.

m. aut utatur vino abſynthiaco chalybeato.

Diſcutientia & roborantia.

Tandem tumore ſublato ad ea veniendum, quæ reliquias diſcutere, & partem affectam roborare valent, qualia ſunt aqua theriacalis, decoctum ligni guajaci, ſarzæparillæ, chinæ, balnea ſulphurea & aluminoſa. Aut

Electuarium ſudoriferum.

℞. *rob. ſambuci* ℥ij.
ſalis carduibenedicti ℈j.
mithridatii ʒj.
ſyr de card. bened. q. ſ.

ad conſiſtentiam electuarii, quod aſſumat duabus vicibus, & in lecto aut ſtupha duobus matutinis ſudet, aut:

Decoctum.

℞. *rad. ſarzæparillæ*
raſuræ guajaci an. ℥ſ.
ſaſſafras ʒij.

infunde in ſ. q. aquæ communis per horas 24. poſtea coque ad ℥vj. *colaturæ adde*

ſyrup. de card. bened.
ſcabioſ. an. ʒvj.
ſalis carduibened. ℈j.
aquæ cinamom. ʒij.

m. pro duabus doſibus ante introitum laconici.

Aut detur doſis bezoartici mineralis aut antimonii fixi diaphoretici cum gran. ij. lapidis bezoartici.

Epar roboratur electuario de ſcoriis ferri, electuario diambræ ad ejus ℥ij. *adde conſervæ roſar. rubr. antiquæ* ℥iſ. *croci martis* ʒj.

Ad tumorem pedum.

Quòd ſi tumor pedum, ut plerunque fit, ſimul adſit, tunc fiat lixivium ex cineribus quercus, & in lixivio dicto ſuperius pro fomentatione herbæ adjiciantur, & coquantur usque ad conſumptionem mediæ partis. In lixivio intingantur linea cruda, quæ expri-

exprimantur, & ita calidè applicentur cruribus.

Aut ſi tumor adhuc aliquis & tibiarum adſit, tunc panis niger in vino & modico aceto coquatur ad conſiſtentiam pultis ſeu cataplasmatis, & extendatur ſuper pannum lineum, atque ſuperimponatur ventri toti, relinquaturque per 24 horas.

Poſtquam detumuit, ponatur verſus genua ſemper deſcendendo usque ad pedes.

Quod ſi nec his tumor cedat, aut tanta adſit copia, ut reſolvi non poſſit, convenientiſſimum eſt tibiis applicare cauteria potentialia, 4 digitis ſupra malleolum, aut 4 digitis infra genua: quo ſolo remedio qui ab aliis incurabiles cenſebantur, tumores crurum & ventris ſanari vidimus.

Alii applicant folia bardanæ dictis partibus tumidis, ſæpiusq; mutant, & ſic aquam contrahi & conſumi dicunt.

Ad ſitim. *Sitis ſi adſit magna, ut tolerare nullo modo eam poſſit, tunc & ſpiritus ſalis in vino granatorum exhiberi poteſt, vel ſal abſynthii à gran. iij. ad VIII. cujus exhibitionem ſi continuaveris aliquandiu, amplius non ſitiet.*

ANASARCA.

Anaſarca. *In anaſarca, quia ſemper adjunctus eſt humor pituitoſus, viſcoſus & crudus ad evacuationem ineptus, ante evacuantia medicamenta præmiſſis tamen lenientibus, præparantia adhibenda ſunt, alterantia & concoquentia, qualia ſunt: imprimis ſyrupus de eupatorio, de abſynthio, oxymel compoſitum, quæ diſſolve in aqua agrimoniæ & abſynthii.* Præparantia.

Præparato humore evacuatio ſupradictis inſtituenda, interpoſita tamen præparatione & coctione humorum, ut & confortatione viſcerum, imprimis epatis & ventriculi: præcipuè vomitum excitare licet vitriolo præparato, aut aquâ benedicta, ut ventriculus crudis humoribus liberetur, hinc ad ea quæ urinam & ſudores movent, acedendum, ubi maximè commendatur aqua Jacobi Weckeri tantoperè in hydrope celebrata:

Aqua antihydropica Weckeri.

℞. *liquoris tartari deſtillati*
aquæ gentianæ (cum aqua ſimpl. per veſicam factæ)
theriacalis an. ℥j.
ſpiritus vitrioli,
ol. ſulphuris an. g. X.

capiat æger à ʒij. ad ℥j. cum aceto ante ingreſſum laconici.

Maximum quoque arcanum in hoc morbo eſt gratiola, quæ ſemper in copia tum purgantibus, tum aliis medicamentis admiſcenda: poteſt etiam ex eâ fieri extractum vel ſal, ex quibus componuntur pilulæ hydropicæ: Notanda de gratiola.

Pilulæ hydropicæ. ℞. *Extract. gratiolæ*
mechoacannæ an. ℈j.
ſalis gratiolæ gran. VI.
f. pilulæ, purgant per alvum & urinam, ſi non ſatis purgant, adde extracti trochiſcorum alhandal cum ſpiritu vini malvatici factum, quamdiu viſum fuerit.

Poſſunt etiam hîc nonnunquam adhiberi ſcarificationes in pedibus, femoribus & natibus.

Tympanites. *Tympanitidi, quæ ferè ſemper ſeroſam materiam habet adjunctam cum flatibus, eadem omnia, quæ in aſcite præſcripſimus, quoque proderunt, niſi quod carminativa ut cuminum, anethum, carvum, fœniculum, daucus &c. aſſumantur.*

Clyſteres in hoc affectu ab initio injiciantur ex decocto carminativo cum ol. anethi & rutæ.

Ad ventriculum frigidum *Ventriculus frigidus, qui ſemper adeſt, calidis appropriatis alterandus, ut ſpec. diacymini, dialaccæ, diarhodon abbatis, diacurcumæ in tabellis cum oleo caryophyllorum, aniſi, aut cum conſerva menthæ, pulegii, & theriaca ana: proſunt etiam ſyrupus de canella, oleum caryophyllorum, maſtichis, abſynthii, cumini & carvi deſtillata. Quorum guttæ aliquot cum ſudoriferis propinantur.*

Epar verò calidum refrigerandum extrinſecus appoſitis ſucco endiviæ, cichorii cum pauco aceti & ungventi roſati; aſſumptis intrinſecus nonnunquam appropriatis refrigerantibus.

Ventriculus externè muniendus oleo nardino, maſtichino, emplaſtro aliquo aut ſacculo: maximè ut in reliquis hîc prodeſt Cremor tartari, tinctura tartari, oleum ſulphuris & ſpiritus vitrioli.

Cucurbitæ magnæ cum multa flamma applicentur umbilico, incantamenti inſtar flatus diſcutiunt, teſte Galeno.

In reliquis progrediendum ut in aſcite.

Commendatur quoque pro inſigni hydragogo gummi guttæ à gr. iij. ad VIII. vel etiam ℈j. exhibitum, cum aliis commodè exhibetur, ut cum cremore tartari, ſtimulique loco reliquis purgantibus additur ſpeciebus diambræ & oleo macis (exhibetur etiam in podagra, cachexia, & aliis morbis ſeroſis) utilis eſt etiam ſuccus elaterii ſtimuli loco exhibitus in pilulis appropriatis: Gummi de Peru.

Prodeſt quoque gelapium, ut

℞. *gummi guttæ gr. VIII.* Pilulæ.
pulveris rad. gelapii ℈iiſ.
ſpec. diambræ gr. IV.
cum ol. cinamom. f. pilulæ.

Poterit etiam purgari cum turbith ſolo, aut fieri apozema, quod

Apozema. ℞. *fol. ſenæ ℥ij.*
turbith ℥ſ.
hermodactylorum ʒiij.
cinamomi
zingib. an. ℈j.
infunde & coque ut dictum in præcedentibus f. apozema.

Si vapores ex humoribus reſolutis diaphragma petant, & fiat anguſtia pectoris, injici poteſt clyſter

Clyſter. ℞. *florum chamomillæ*
ſoldanellæ
centaurii minor. an. m j.
ſem. carthami
baccar. lauri an. ℥ſ.
f. decoctum cujus ℞. ℔j.
mellis roſati
ol. chamomillæ an. ℥iij.
f. clyſter miſcendo.

Diæta. *Diæta in hydrope: panis fiat ex optima farina, quæ miſceatur cum radice ruſci, itidem in farinam redactâ, it. ſemine fœniculi, aniſi, carvi.*

Potus ſit vel vinum carduibenedicti, vel abſynthii cum ruſco chalybeatum, aqua florum ſambuci, ſpiritus ſambuci.

NB. *Potus aquarum dulcium nocent hydropicis, ſulphurea verò & nitroſa & terebinthinata proſunt.*

Balnea quoque plurimum conveniunt, quibus incocta fuerint abſynthium, flores ebuli, ſambuci, agrimoniæ, chamomillæ, item parum nitri. Vide obſervat. 25. Bartholomæi Cabrolii.

CAP. CXL.

DE VITIIS SEU AFFECTIBUS RENUM AC PRIMO DE EORUM INFLAMMATIONE.

Renes à Græco verbo ῥέω id eſt fluo denominatos eſſe quidam volunt, eò quod perpetuò fluxus excrementi ſeroſi ad eos derivetur; ſunt autem renes vaſa carnea, conſtantque ſubſtantiâ parenchymaticâ densâ & ſatis firma, quæ tamen forti attritu digitorum in ſangvinolentam pulpam friabilis eſt, inveſtiuntur duabus membranis, nimirum unâ externâ undique eos cingente, ſatisque craſsâ ac densâ, laxè tamen ipſis adhærente, quam renum faſciam appellitant. Alterâ verò internâ tenuiori, carnique firmisſimè agglutinatâ; Exterior dicta membrana à peritonæo viſceribus reliquis communis eſt, multâque adipe perluitur, ita ut etiam venæ & arteriæ quas huc porrectas habet, adipoſæ vocentur. Uterque renum incumbens ſibi glanduloſum corpuſculum habet, quod glandula renalis vel ren ſuccenturiatus, nec non capſula atræ bilis nominatur, eò quod levis ejus interna cavitas ſemper atrâ quadam fæculentiâ oblinita imò in ipſa cavitate collectanea deprehendatur, cujus tamen atque etiam ipſius capſulæ hujus genuinus uſus adhuc omnino incertus eſt, ſolemnem autem eum eſſe, notabilis ipſarum ſituatio

[Margin notes: Deſcriptio renum anatomica. — Glandula renalis. — Ren ſuccenturiatus. — Capſula atræ bilis.]

tuatio ſub diaphragmate ſupraque membranam adipoſam (ubi dextra renalis glandula venæ cavæ jungitur, ſiniſtra verò ventriculo parumper ſubjacet) indicat, magnitudoq; mediocris, quæ in adultis nucem vomicam majuſculam ferè æquat, conſideratis quoque conterminis ipſarum vaſis variis, nempe venis, arteriis, nervulis, nec non tenuiori eas ſuccingente tunica, non ultimam earum necesſitatem eſſe conjecturare licet.

Verorum autem renum uſum esſe recipiendi ad ſe ſeroſitatem chyli ſalſam, & à parte ſangvificabili ſegregandi, nemo eſt qui ambigit, verùm & ne hîc quidem certò conſtat, an ſolummodò renes inſerviant ad transcolationem dicti ſeri, an verò in coctione ulteriori ejusdem aliquid contribuant; porrò inſigni cavitate renes intus ſinuoſi ſunt, quæ pelvis vocatur, & à latere carne duriore papilliformi ſtipati, exhibente quasdam diſtinctas carunculas, quæ ob formæ ſimilitudinem papillares appellantur, acceduntque ferè ad piſi magnitudinem, numero plerunque denæ exiſtentes, certaque intervallari diſtinctione intra gibbam renum partem locatæ.

Pelvis.

Carunculæ papillares.

Ureteres.

Connectuntur renibus ureteres, qui canales ſunt teretes membranei, conſtantes membranâ duplici, quarum exterior peritonæo continuata habetur, interior propria eſt nervoſa & valida, fibrisque variis tam rectis quàm obliquis efficta, utriusque capacitas circiter calamum ſcriptorium æquat, ſcilicet in ſanis, in calculoſis autem tormentosè dilatati ampliores evadunt; incipiunt à pelvi ſeu infundibulo renum, cui ampliato ibi initio contigui ſunt, inſertas quoque exiles habent venulas & arteriolas à vaſis propinquis deſcendentibus deductas, minutulosque nervos à plexu nervorum coſtalium ſexti paris.

Cæterùm connectuntur renes mediante membrana adiposâ lumborum vertebris, incumbuntque muſculis lumborum pſoas dictis, locus autem ſitualis dextri renis ſub jecore eſt, ſiniſtri verò ſub liene, magnitudo eorum ferè quatuor vel quinque transverſos digitos in longitudine, duos in crasſitie, & tres in latitudine asſequitur, figura phaſeolo non multum abſimilis eſt. Adhæc vaſa ampla renes attingunt, venæ nimirum & arteriæ emulgentes, ac nervi à ramis ſexti paris interim ſuppeditati.

Doctrina Hermeticorum & Helmontii de renibus.

Præterea renes à tota antiquitate ac præcipuè Philoſophis Hermeticis dicantur Veneri, ſeminisq; prolifici productioni præeſſe creduntur, cui etiá ipſæ ſacræ adſtipulari videntur literæ, cum aſſerunt Heb. 7. quod Levi & fratres ejus ex lumbis Abrahami ſint egreſſi. Hanc tamen aſſertionem Helmontius in duumviratu explodit, atque erroris convinci ait a piſcibus & volucribus, ceu renibus & urinâ carentibus, & tamen aves eſſe ſalacisſimas, turpe igitur exiſtimat venerem in rene, lotii cloacâ ſtatuiſſe, aſtrum poſt ſolem maximum, ſed potius venerem eſſe animæ ſenſitivæ officium, adeòque in

parte

parte qua primi motus etiam dormientibus nobis fiant, collocandum, id eſt in ſplene, ut enim ſangvificatio incipiat in venis meſenterii, tanquam jecoris ſtomacho; ſic ſpermatis coctionem fieri in teſtibus à ſplene; reperiri enim calculoſos utroq; rene, & nihilominus ſalaces. Abſurdum autem eſſet ſanam & petulcam poteſtatem conſtare ſub morbo ſui radicalis organi. Cum jecinore malè affecto proba non emergat ſangvificatio, nec oculo arenis conſito apta ſit viſio.

Quod autem Abraham Meſſiam in lumbis geſſiſſe ſcribatur. Id ineptè à ſplene ad renes eſſe abductum, nimirum à viſcere maximè vitali ad officinam & cribrũ excrementoſum.

Verùm pace perilluſtris hujus viri renes aliquid auguſtius præſtare, quàm ut ſolummodò in putidam lotii olidi cloacam inſerviant, ex eo elucet, quod ubique in ſacris Deus ſcrutator cordium & renum vocari voluerit, procul dubio eam ob cauſam, quod in corde primordia omnium cogitationum, in renibus verò intima penetralia originis ſeminis excudantur, ita ut hujus textus mens ſit, Deum à primo ortu imò à mundi ævo has duas omnium diviniſſimas officinas perluſtrare, quid inde boni vel mali proventurum ſit. Tantum etiam abeſt, ut urina ullo pacto aliquid abominabile ſit, ut potius ipſe Helmontius ſalem urinæ in ſuis ſcriptis extollat ſuper omnia, quæ ſint in toto naturæ ſyſtemate, inter quæ non habeat ſibi ſimile.

Ne autem de hac re ſimus prolixiores, convertimus nos ad propoſitos ab Authore noſtro affectus renum, de quibus etiam Hippocrates loquitur in ſequentibus aphoriſmis:

Nephritis eſt ſenibus familiaris. lib. 3. aph. 31

Renum vitia in ſenibus difficulter ſanantur. 6. 6

Calculus renum eſt affectus puerorum grandiuſculorũ. 3. 26

Urina craſſa & exiguæ carunculæ, aut veluti pili exeuntes à renibus excernuntur. 4. 76

Mictio ſangvinis aut puris renum aut veſicæ exulcerationem ſignificat. 4. 75

Mictio ſangvinis ſpontanea venulam in renibus ruptam ſignificant. 4. 78

Bullæ in urina innatantes nephritim eamque longam ſignificat. 7. 34

Adipalis ſuperficies eaq́; conferta in urina nephriticum & acutum morbum ſignificat. 7. 35

Dolores circa ſpinæ muſculos cum prædictis ſignis morbum à renibus ſignificant. 7. 36

Si dolor talis ad loca exteriora ſentiatur, extrinſecè abſceſſus eſt expectandus. 7. 36

Si verò dolor ad interiora vergat, intrinſecè abſceſſus fiet. 7. 36

Renes purulenti efficiunt ſtranguriam. 5. 58

Nephriticis conferunt hæmorrhoides. 6. 11

Renum vitia in ſenioribus an-

nis quinquaginta non ſanantur. *6 popular. ſect. 8.*

Author autem noſter primò agit:

DE INFLAMMATIONE RENUM, Germ. Entzündung der Nieren.

Inflammatio renum. NOn ex ordine Author videtur procedere, quod primò de renum inflammatione agat, eſt enim affectus, qui alios prægreſſos ſequi ſolet, ut ſunt: nephritis, calculus, ruptio alicujus venulæ &c. Verùm hæc parvi ſunt momenti. Providentiâ quidem divinâ hic affectus frequens non eſt, eò quod renes ob ſolidam eorum ſubſtantiam denſamq; minus ad incenſionem apti ſint, uti plærique exiſtimant, quod tamen nobis potius hinc fieri veriſimilius videtur, nimirum quod ideò ren & veſica rarius inflammentur, quia perpetuò urinâ ſeu liquore ſalſiſſimo irrigentur, caro autem quævis ſalita non corrumpitur, ut quotidiana experientia evincit, quælibet enim inflammatio nihil aliud eſt, quàm incipiens corruptio, putrefactio & apoſtematio, ſin autem nihilominus ejuſmodi inflammatio contingat, id ex gravi cauſa fieri neceſſum eſt, nimirum à vehementi contuſione, lapſu vel alliſione, vel venulæ ruptione, quæ ferè ſemper inflammationem accendunt.

Inflammatio igitur renum eſt incenſio, quâ non modò ſubſtantia eorum, verùm etiam partes adjacentes inflammantur & incaleſcunt, calor autem ſangvinem & humores attrahit, quibus attractis & accurrentibus majus ſpacium requiritur, unde extenſio localis ſequitur, tumor & dolor vehemens, continuique ſolutio, ut practici loquuntur. Idque nunc in alterutro rene, nunc in utroque contingit.

Agnitionem & dignotionem hujus affectus hæc ſigna diagnoſtica præbent: dolor acerbus pulſatilis in lumbis percipitur, & ſi dexter ren afficitur, dolor iſte pulſatorius ſuperius ad nothas coſtas & jecoris regionem ſe extendit, inferius ad femur, veſicam, pectinem & pudendum, ac crus ejuſdem lateris ſtupore occupatur, ſiniſter verò ren inflammatus, eadem contingentia in ſiniſtro lumbari confinio patrat, ſin autem uterque ægrotet, amborum crurum ſtupor adeſt, & reliqua commemorata in utroque latere. Signa. Adhæc ægrum miſeria dubia divexat, ita ut neque jacere, neque erigi, neque in pedes ſtare poſſit, ſive enim ſternutatio ſive alia concuſſio vel ſubitanea commotio corporis ingruat, crudeli mox dolore lancinatur, frigentque extrema ſuræ ac pedes, urina emittenda hæret, & difficulter redditur, cum mictione aſſiduâ & laborioſâ, lotium quidem ſub initium morbi tenue & aquoſum & ſine ſubſidentia apparet: pergente verò in pejus inflammatione magis rutilat, ac poſtmodùm craſſum & mucoſum evadit. Febris admodùm vehemens & acuta flagrat cum vigiliis & nonnunquam delirio, & pro majori ſui incremento etiam hæc ſymptomata auget.

Adhæc nauſea & morſus ventriculi nec

nec non bilioſa vomitio ægrum torquent, ſummusque langvor. Alvus eſt adſtricta & inflatur, unde continui ructus excitantur,& ingens faſtidium affligit. Non tamen ſemper eandem vehementiam hæc febris renalis obtinet, ſed in nonnullis mitior eſt,& per intervalla ſe exaſperat, in aliis continuas exacerbationes producit.

Cauſæ

Cauſæ hujus affectus ſunt: vel nimia incaleſcentia corporis, vel violenta ejus commotio per repentinam rei alicujus gravis elevationem, ſaltum, equitationem, incurvationem, luctationem, divaricationem crurum coactam, aliosve motus ſubitaneæ violentiæ, quibus facilè pellicula quædam his in locis rumpi vel aliquid dislocari poteſt: item potulenta fortia ac calefactiva, potiones ſeu pharmaca nimium diuretica; palæſtra veneris ſupra vires exercitata; calida renum conſtitutio innata, quæ poſtmodùm facilè bilem attrahit ſeu bilioſas defluxiones; item violenta concuſſio verſus regionem lumbarem per lapſum, vel verbera. Communiſſima verò cauſa eſt calculoſa ſeu nephritica conſtitutio, quæ à juventute prona eſt & proclivis ad generandam tartaream collectionem in renibus, nimirum aranẹam & lithiaſin, iſtæ enim arenulæ ſæpenumerò diu ſine ullo illato incommodo latent, nec ullo pacto ſentiuntur, ex improviſo autem per ſubitaneam corporis comotionem vehementiorem immoventur,ita ut doloroſam attritionem faciant; dolor autem ſupradicta ſymptomata adducit.

Prognoſtica.

Prognoſin quod attinet, inflammatio renum ſemper admodùm periculoſa eſt,ſive enim à calculoſo attritu, ſive bilioſo influxu & quocunque modo contingat, facilè eryſipelas in renibus per ſe calidis accendit, doloremque & calorem parit, quibus ſangvis & humores attrahuntur, unde poſtmodùm neceſſariò ſuppuratio ſequitur, renibus autem ſuppuratione corruptis vita diu ſubſiſtere nequit, ſunt enim membra, queis œconomia corporis carere nullo modo doteſt. Imprimis autem inflammatio renum lethalis eſt omninò, ſi delirium, convulſiones, aliaque gravia ſymptomata eam comitantur, ut plerunque fit, magna enim renibus ſympathia cum cerebro intercedit, unde etiam, teſte Paracelſo, plerique dolores capitis & obſtinatæ hemicraniæ à renibus excitantur; interdum tamen rupto abſceſſu pus per urinam expurgatur, atque æger liberatur.

Curatio.

Curatio inflammationis renum in eo verſatur, ut quàm citiſſimè calor in ſui principio, priusquam pus concipiat,extingvatur,ſangvis affluens retrahatur, & qui jam affluxit, iterum diſſipetur; pro extinctione caloris practici confugiunt ad liberalem venæſectionem, præmiſſo clyſtere emolliente & refrigerante in parva tamen quantitate,ne ex nimia infarctione tumor comprimatur & exaſperetur, ejusmodi clyſter in hunc modum apparari poteſt:

Enema. ℞. malv.
althææ an. cum toto m. j.
portulac.
lactuc. an. m. ſ.
flor. nymphææ
violar. an. p. ij.
prunor. n. 7.
coquantur in aqua commun. ad ℥IX.
colaturæ adde caſſiæ extr. ℥j.
ol. viol.
nymphæ. an. ℥iſ.
vitell. n. ij.
m. f. clyſter.

Pro interno uſu parantur potiones refrigerantes, poteritque commodùm mox à venæſectione talis emulſio propinari per aliquot dies:

Emulſio. ℞. ſem. 4. frig. maj. an. ℥ſ.
portulac. ʒij.
abluta contunde optimè, & contendendo eis adde
ſach. cand. ℥ij. affundendo ſimul
aquar. portulac.
polygoni an. ℥X.
f. ſ. a. emulſio, cujus omni manè & veſperâ ℥V. ebibantur.

Exterius ſuperimponantur cataplasmata refrigerantia, vel lintea duplicata in aqua roſar. in qua portiuncula ſachari ſaturni ſoluta ſit, humectata, aliaque quæ habet:

TEXTUS.

INflammationem renum cautè oportet tractare; niſi nimirum omnia prudenter fiant, ſæpè graviſſimi morbi ſubſeqvuntur. Itaque nec purgantia acria, nec digeſtiva intempeſtiva proficiunt.

Paracelſus inflammationes renum vocat febres renum, quæ ſemper comitari ſolent.

Cura conſiſtit tum in externis tum internis medicamentis.

Interna talia ſunt, quæ proprietate quadam humiditatis connatæ inflammationes tales extingvunt; lapis prunellæ citiſſimè expedit hoc negotium, modò alvus ſit libera, alioquin leni extracto mechoacannæ aut infuſo rhabarbari expedienda. Solemus interdum in hoc caſu decoctum prunorum dulcium cum aqua tartari (in qua tartarus puriſſimus decoctus eſt; clyſteres etiam hîc non incommodi) feliciter exhibere.

Alvo itaq; expeditâ lapis prunellæ in aqua ſimplici ſolutus tantum, & ſacharo edulcoratus inflammationem aufert; venus noxia eſt.

Extrinſecus valent ungventa ex roſis, item liquor ex ſemine papaveris, hyoſcyami, ſolani vel ſimilibus. Camphora quoque in oleo amygdalarum amararum ſoluta, & loco dolenti illita valdè inflammationi reſiſtit. Externè etiam valet ungventum roſatum Meſues cum oleo amygdalarum amararum & ſcorpionum temperatum; venus omninò fugienda.

Secre-

Secretum eſt ſuccus cancrorum.

Secretum in inflammationibus renum eſt ſuccus aſtacorum ſeu cancrorum fluviatilium crudus, ex contuſis nimirum expreſſus, & cum alio juſculo vel decocto prunorum exhibitus ſemel vel bis cochl. j. (non tamen neglectis externis.)

CAP. CXLI.

DE OBSTRUCTIONE RENUM, Germ. Verſtopffung der Nieren.

Obſtructio renum fit à cauſis frigidis.

OBſtructio renum quidem ſæpius contingit, non tamen opus erat de eâ in peculiari capite agere, pertinet enim ſub paſſionem nephriticam, de qua Author pariter paulò poſt tractat. Obſtruuntur autem renes maximè ex materiâ viſcidâ & frigida. Hisque ferè contingit, qui victu utuntur frigido, craſſo & glutinoſo, ut ſunt piſces, caſeus, lac, cereviſia craſſa, augetur hæc diſpoſitio in regionibus humidis, lacuſtribus & paludoſis.

Signa obſtructionis renum.

Signa obſtructionis renum ſunt: dolor lumbos cruciat, urina nonnunquam ſupprimitur, reſerato autem ejus exitu, ſpiſſa ſeu craſſa, limoſa turbulenta redditur, quibusdam etiam veluti pili unà exeunt.

Curatio. Diæta.

Curatio inſtituitur permutatione victus in convenientiorem vitando piſces & imprimis non ſquamatos, aliaque commemorata, item aër auſtrinus, ventoſus, nimisque calidus vel frigidus, conducunt caro bovina, ovina, ova ſorbilia & oluſcula ex beta, aſparago, chærefolio, ſpinachia, hyſopo, ſalviâ, majoranâ, jus piſorum & caulium, omnia verò edulia probè condiantur ſale, ita ut uſus ſalis ſit ſemper largus, renes enim egregiè mundat, & concoctionem ventriculi confortat, ut ſtudioſè obſervavimus, eademque monentes Paracelſum & Helmontium vera locutos advertimus. Potus ſit vinum album clarum non meracum, vel cereviſia tenuis. Tempore paroxyſmi practici injiciunt clyſterem anodynum in hanc formam compoſitum:

Clyſter.

℞. fol. betæ
malvæ
parietar.
mercurial. an. m. j.
flor. verbaſci
melilot.
chamomill.
ſummitat. anethi an. m. ſ.
ſem. lini
fœnic.
malvæ
aniſ. an. ℥j.
coquantur in aq. com. ad ℥XII. adde
ol. amygd. dulc.
anethin.
chamomill. an. ℥ſ.
caſs. extrac. ℥j.
ſalis gemmæ ʒij.
m. f. clyſter.

Cataplasma.

Exterius poteſt remanentia dicti clyſteris in pultem contuſa calidè in modum cataplaſmatis applicari adjectis oleis chamæmelin. & anethin.

Extra paroxyſmum interdum æger his quæ incidunt & phlegma educunt, purgetur, quod opportunè

fit

fit tempore ſolſtitiorum, & deinde ad tempus decocto vel vino medicato ex diureticis utatur, cujusmodi ſunt:

Species pro vino diuretico.

℞. cortic. rad. apii
foenic.
aſparagi an. ℥ſ.
fol. chærefol.
ſaxifrag. an. m. j.
ſem. petroſelin.
chærefol. an. ʒij.
baccar. alkekeng. ℥j.

parentur cum vino vel aqua, ut dictum.

Plura longè convenientiſſima proponit:

TEXTUS.

DEoppilativum renum certius & evidentius nullum eſt, quàm quod ex vitriolo & tartaro conficitur. Tartarus itaque vitriolatus, item ſpecificum purgans Paracelſi hîc omnem abſolvunt paginam, præſertim ſi ſit obſtructio recens, nec ab impactis grandioribus calculis facta (alia eſt cura obſtructionis embryonatæ ſeu incipientis, alia confirmatæ) hæc nimirum curam aliam requirit, de quâ in nephritide propriè ſic dicta.

Cryſtallus tartari illis æquivalet, nam obſtructiones & tartarum ipſum ſolvit expellitque.

Quandoquidem autem obſtructiones venarum omnes fiant à tartaro, ſive illæ recentes ſive confirmatæ fuerint; præſtat ſpecificum in medium adducere, cujus vi & proprietate inſitâ tartarus in omnibus partibus corporis humani genitus mirabiliter expellitur, adeòque omnes obſtructiones maximoperè expelluntur, cum videatur imprimis ejus virtus in renum hac affectione accommodata eſſe.

Unicè valet ad obſtructionem antiquam etiam à calculo grandiori ortam, quem inſenſibiliter, & penè ſine omni dolore in mucilaginem quotidiè cum urina exeuntem ſolvit, & paulatim abſumit.

Paracelſus vocat præparationem ludi humani, quem paſſim commendat, nuſpiam tamen ejus præparationem genuinam reliquit, illa eſt talis:

Ludi Paracelſi præparatio.

℞. *ludum ſeu calculum ex corpore humano exſectum* (a) *vel etiam aliis modis deturbatum, hunc pulveriſatum leniter primum calcina igne rotæ, poſtea flammâ reverberii per gradus eò adige, ut videatur planè in ſalem abiiſſe.*

Notanda de calculo.

(*a*) Cum calculus humanus ex meris arenulis conglomeratis conſtet, non opus eſſe arbitramur hinc inde laborioſè & forſan etiam ſumptuoſè apud lithotomos exſectos conquirere calculos, ſed eorum in locum ſumi poſſe ſedimenta arenoſa matularum eâdem cum efficacia non dubitamus.

Secreta calcinatio.

Notetur ſecreta calcinatio alia (hæc nulli hactenus à me communicata) ℞. pulveris ludi part. 1. pulveris carbonum præſertim faginorum part. ij. miſce invicem: poſtea in tigillo tantum supernè tegulâ ſeu operculô tecto ure in furno figulino 24. horis, & ſpiritus carbonum duritiem lapidis omninò beneficio ignis emollit, ipſi verò carbones non abſumuntur. Huic mixturæ affunde aquam ferventem, vel coque in aqua fervente, & pulvis ludi ſolvitur in aquam citrinam, qui color eſt à fœtido ſulphure ipſius ludi. Si quid reſiduum fuerit ab hac ſolutione, denuò exſiccetur, & adjecto pulvere carbonum recenti viciſſim calcinetur ut antea. Solutiones omnes evaporando redige in ſalem. Secundò conjunge omnia cum pulvere carbonum & viciſſim calcina. Idem ſolve in communi aquâ ebulliendo, ut ſincerior pars poſt evaporationem repetitam tranſeat in ſalem candidum ſæpius in cryſtallos abeuntem, ſi in loco humido frigido aliquandiu repoſitus fuerit. Hunc elegantem ſalem conjunge cum ſpiritu vini optimo, & ex retorta per multa cohobia tamdiu deſtillando urge, donec penitus cum ſpiritu vini tranſierit: poſtea ſpiritum vini in leni balneo aufer, & relinquitur oleum ludi humani, cujus gutt. iij. VI. X. ad XII. exhibitæ in liquore convenienti aliquoties, ſingulis diebus tantùm ſemel, obſtructiones tartareas totius corporis (in cerebro, lingva) nominatim verò renum feliciter ſolvit, & tartarum expellit, valet etiam in tartaro confirmato.

Adjuvat obſtructionem renum ſolvendum (b) *externa inunctio ab ungventis communioribus. Item valent emplaſtra, inſeſſus, cataplaſmata & ſimilia.*

Memorabile eſt in hoc caſu oleum terebinthinæ cum oniſcis vivis mixtum & loco dolenti illitum. Item Terpentin auf blauem Papier *loco renum impoſita,* bis es dürre wird/ *bonum.*

(*b*) Author vult ut utens quis præparato hoc ludo etiam unà alia topica extrinſecus adhibeat.

Liquor oculorum cancrorum.

Simile fit ex oculis cancrorum eâdem virtute (licet paulo inferiore) pollens.

Atque hoc modo omnes lapides per alembicum in olea ſua redigi, & in uſus medicos converti poſſunt.

Hoc ſpecificum (ex ludo) unicè valet ad obſtructionem antiquam, & à calculo grandi cauſatam, quem inſenſibiliter, & penè ſine omni dolore in mucilaginem quotidiè cum urina excernendam ſolvit, & paulatim abſumit.

Huic

Huc refer ſalem contra calculum apud Crollium.

Spiritus glomorum cynosbati. *Paracelſus ex calloſis iſtis glomis in cynosbato (roſa canina) naſcentibus ſimile (quod ille vocat : expulſio calculi mei) ad calculum expellendum arcanum præparat, cujus tamen compoſitio nuſpiam extat. Ego ſic paravi: Ex copioſa quantitate ipſorum menſe Majo & Junio collectorum & inciſorum, remotis vermiculis, aut aliis inſectis in interioribus aliàs cavitatibus reperibilibus per fermentationem cum aqua & fermento communi ipſis putrefactis elicui ſpiritum & aquam per veſicam. Ex capite mortuo in cineres converſo extraxi ſal, quod purificatum cum ſpiritu conjunxi, & aliquandiu digerendo maceravi , tandem cum argilla miſcui, & igne nudo ſuper eosdem glomos in receptaculum majus ſpiritum unà cum ſale deſtillando prolicui, ut nempe totum ſal ſimul tranſiret : illa quæ in recipiente erant, expreſſi, & expreſſum per retortam igne arenæ in fine non usque quaque forti, ne empyreuma redoleret, deſtillavi in modum arcani ſimili ratione ex vegetabilibus eliciendi. Ejus gr. iij. usque ad XII. in convenientibus liquoribus exhibitæ & ſæpius datæ calculum inſenſibiliter expellunt. Aliàs ſi pulvis iſtorum globorum tantùm maceretur in vino, & illud exhibeatur (in forma infuſi per colaturam) per aliquod tempus, idem facere experientia docuit, ſed remiſſius.* Obſervatio.

In obſtructione renum, à calculo totali vel etiam, ubi ureteres (ut in iſchuria & nephritide) & veſica à calculis in eam regionem detruſis omninò fuerint obſtructi, ut ne gutta quidem urinæ prolabi poſſit, præſentiſſimum eſt, ſi urina hirci recentiſſima ex vivente adhuc hirco cum veſica extracta potanda detur (calidè cochl. j.) & omentum cum inteſtinis ſtatim ventri, pubi, & peritonæo fuerit applicatum. Sic nimirum calculus repentè conſumitur ſine læſione vaſorum, & patiens liberatur. Experimentum.

CAP. CXLII.

DE EXULCERATIONE RENUM; Germ. Erſchwerung der Nieren.

Exulceratio. Renes & ureteres non minus aliis partibus carnoſis exulcerationem quandoque patiuntur, quam Practici ἕλκωσιν vocant, nilque aliud eſſe ajunt, quam ſolutionem continui in ſubſtantia renum carnoſa ſeu parenchymate.

Signa. Signa diagnoſtica hujus affectus ejusmodi ſunt: dolor cum gravitate in lumbis percipitur, urina tamen liberè, & abſque impedimento pro-

fluit

fluit cum pure permixta, cui & particulæ carnoſæ innatant, ſeu ramentula carnea cum urina expulſa, & per eam inæqualiter diſperſa, pus autem medium commixtionis modum ſervat & eroſo jam ulcere etiam ſangvis una excernitur, quod indubium exulcerationis renum vel veſicæ ſignum eſt, ſi nimirum per plures dies urina puris & cruenti admixtionem oſtendat, in renibus autem hærere per dolorem in his partibus, nempe circa lumbos & in imâ ſpinæ ac coxendice intelligitur, nonnunquam etiam admodùm graviter & fœtoroſè talis urina olet, & mucoſa quæpiam & livida permixta habet, ſi nimirum exulceratio ſit maligna, ſi autem benigna, talia non eveniunt, ſed pus album, lene & æqualiter commixtum absque fœtore cernitur & in pauca quantitate.

Cauſæ. Cauſæ hujus affectus variæ eſſe poſſunt, nempe vel præcedens inflammatio & apoſtematio renum, quâ ſuppuratione & vomicâ rupta exulceratio relinquitur, aut attritio à ſcabro calculo vel ſabulo acutim angulato, vel ruptio alicujus venulæ, item abſceſſus jecoris, cujus effuſa purulentia renibus pari modo exulcerationem inducit. Quod idē quoque à morbo pleuritico ſed raró fieri obſervatum eſt; Similiter & venus ſalacitasque immodica, atque inde enata gonorrhæa, aliaque quæ ſupra cap. 140. enarrata ſunt, itemq; hæreditaria conſtitutio, huic paſſioni anſam dare poſſunt.

Prognoſtica. Prognoſis de hoc affectu hæc eſt: ſi ex prægreſſa inflamatione & abſceſſu renes exulcerentur, nec ſtatim ulcus repurgetur & ad cicatricem perducatur, difficilis eſt curationis, quin imò ex quacunque ſit cauſa, ægerrimè curatur, præſertim in ſenioribus, quamvis renum ulcera non adeò difficilia ſint, ac veſicæ, nervoſæ enim partes adhuc minus ſanationi auſcultant, quàm carnoſæ, attamen utræque non facilè curantur, eò quod ad receptacula excrementorum natura ſemper pravos ſuccos deponat, quibus ſanatio retardatur, morbusque prolongatur, ita ut hi affectus inter morbos longos numerentur, quibus ſenes juxta aphor. 39. lib. 2. correpti ferè commoriuntur. Solent autem hæc ulcera inveterata gravem odorem emittere, vehementerque cruciare, nonnunquam etiam fiſtulam efficiunt, per eamque perpetuò pus eructant. Comitatur purulentam cum urina excretionem ſtranguria ſeu ardor urinæ, demumque corpus macilentatur.

Curationis ſcopus in eo verſatur, ut ante omnia accurata victus ratio habeatur, vitando carnem ſuillam, anſerinam, anatinam, & omnia oleoſa, nec non acida ſeu acetoſa, amara, acria, cruda, inflativa, alvum perturbativa, diuretica & quæ venerē excitant, è contra conveniunt ptiſana & cremor hordei & avenæ, juſculaque & ſorbitiones ex farina hordei, amylo, & incoctionis gallinarum, nec non ova ſorbilia, aviculæ montanæ, pulli gallinacei, pedes quadrupedum. Aër procuretur ad ſiccum inclinans, vitetur autem impensè Curatio. Diæta.

calidus vel frigidus, quippe qui juxta Hippocrat. aphor. 22. lib. 5. ulceribus mordax, item humidus, loca paludoſa, venus, vectio in curru, & omnes repletiones. Pro potu inſervit decoctum malvæ & 4. ſem. frig. major. in ſero lactis cum portione mellis roſati pro ulceris deterſione.

Frequenter autem corpus evacuetur, ut vitioſi ſucci à parte affecta retrahantur, inſervit itaque in hunc finem ſequens:

Bolus. ℞. caſſ. recent. extr. ℥ſ.
mann. calab. ʒVI.
terebinthinæ ad duritiem coctæ vel ſuper ferro ignito parum toſtæ, ut pulveriſari poſſit hujus pulveris ℈j. optimè cum reliquis miſceatur, & cum aſperſione ſachari & pulveris glycyrrhizæ fiat bolus.

Vel dentur pilulæ mercuriales initio hujus libri inter cathartica mineralia à nobis edoctæ, quæ mirum in modum ad ſanationem ulcerum quorumcunque conducunt, uti magna cum laude experti ſumus:

His qui vomitioni aſveti ſunt, vomitus præ quavis evacuatione prodeſt, vitioſos enim ſuccos à parte infirma abducit, eamque à ſuo hoſte liberat, ſed debet crebrius inſtitui nempe bis vel ter intra quartam anni partem.

Singulis etiam ſeptimanis aſſumat ſemel ℈j. trochiſcor. alkekengi, qui laxativo miſceri poſſunt hoc modo:

Mixtura. ℞. caſſ. recent. extr. ℥ſ.
trochis. d. alkekeng. ℈j.
m. pro una doſi.

Vel cum ejusmodi mixtura,

Pilulæ. ℞. mumiæ
terebinth. exſiccat.
boli armen.
mercur. dulc. ſexies ſublimat.
trochiſc. alkekeng. an. ʒſ.
ſucci liquirit.
gumm. tragac. an. ℈j.
cum melle roſat. f. pilulæ, pro 4. doſibus.

Plura probati juvaminis docet

TEXTUS.

Exulcerationem renum recentem curari poſſe tum dogmatici, tum Hermetici profitentur.

Inveteratam incurabilem eſſe conclamatum eſt apud illos; ab his verò eandem ſanari poſſe, experientia docuit, ſic referente Gazia ab Horto: Indi in exulcerationibus renum & veſicæ aloën tuſam & cum lacte mixtam propinant iis, talia patientibus, non ſine magno ſucceſſu (aliquot dies continue) & ægrorum commodo: illicò nimirum curari Garcias affirmat.

Practici ſolent aliquoties pilulas aloëticas in hoc caſu exhibere non ſine patientis commodo (ex aloë cum pulvere lumbricorum terreſtrium & chalybe præparato) per aliquot ſeptimanas.

Nonnulli terebinthinam claram Venetam ʒj. pondere cum vitello ovi diſſolutam, & poſtea in brodio gallinarum diſcuſſam exhibent ſæpius.

In aliquot exemplis obſervatione

tione deprehendi, mercurium dulcem hîc multum poſſe, ſi primùm exhibeatur (juſtâ doſi aliquoties in ſeptimana, ut bis vel ter pro viribus ægrotantis) ut non tantùm impuritates totius corporis, ſed imprimis renum eluantur.

Huic ſi ſuccedit ſpiritus mercurii dulcis, nulla exulceratio refragatur.

Spiritus mercurii dulcis eſt talis:

Spiritus mercurii dulcis.

℞. *mercurii ſublimati cryſtallini* (a) (*non mercurii dulcis*) *quantum placet, tere in pulverem impalpabilem, ſuperfunde in cucurbita non nimis alta optimum ſpiritum vini, abſtrahe per alembicum ex cineribus, reaffunde deſtillatum liquorem, ac denuò deſtilla, perge per cohobia tamdiu, donec tandem deſtillatus ſpiritus vini in oleum quodammodo albicans videatur per alembicum tranſire, quod alio excipulo collige. Super caput mortuum reſiduum in cucurbita funde alium ſpiritum vini recentem, procede ſimili ratione, ut antea, donec nempe omnia in oleum ſeu ſpiritum albicantem prodierint. Hîc ſpiritus mercurii in exulcerationibus renum & veſicæ mirabiliter operatur, ſi ejus guttæ ij. vel iij. quotidiè ſemel atque iterum in aqua radicis nymphææ, equiſeti, plantaginis &c. exhibeantur.*

Mercurii ſublimatio.

(*a*) Mercurius ſublimatus ad hunc ſpiritum & ad quævis medicamenta ita optimè paratur: Capias mercurii à propriis corporibus mundati (prout in noſtro tractatu de panacæa minerali docuimus) libram unam, vitrioli cærulei naturalis non factitii, ad albedinem ſeu aliqualem flavedinem calcinati, & ſalis marini decrepitati ana libram unam, hæc proportio ſufficit, ſi vitriolum ſit bellè cœruleum, ſi verò vireſcens, major ejus quantitas requiratur, nimirum ſesquilibra ad minimum, commiſce vitriolum & ſalem probè inter ſe, tum accipe eorum commixtorum manipulum unum vel duos, impone ſeu ſtratifica eos in capacem quandam patinam, mercurium verò in pannum linteum ſpisſum liga, linteumque illud ſuper factum jam ſtratum vitrioli & ſalis comprime, ſic mercurius ſeu argentum vivum per poros lintei in minutis granis exſilit, atque undique in ſtraturam vitrioli ſpargitur, ceſſa tamen iterum ab illa compreſſione, ſi tibi videbitur, unum vel alterum lothonem mercurii exiiſſe, atque denuo alium manipulum dictæ mixturæ ſuper priorem ſtraturam & mercurium ſtratifica, expreſſionemque mercurii è panno ut antea reitera, & ſic alternatim procede in omnibus, donec omnia invicem ſtrato ſuper ſtrato, ut loquuntur, ſint commixta, ſicque brevi mercurius inter iſta ſalia diſtribui poteſt, ſi verò ea velles conterendo ſuper marmore commiſcere, admodùm diu conterendum foret, priusquam argen-

tum vivum à ſalibus comprehenderetur, & cum illis in particulas divideretur. Mixturam hanc etiamnum ſuper marmore contritam indas cucurbitæ vitreæ ſatis magnæ, atque poſtmodùm quoque eam deſuper aliquantiſper irrores aquâ forti vulgari, vel ſpiritu ſalis marini, talis enim modica alterutrius aſperſio mercurium eò celerius mortificat, ut niveâ albedine ſublimet, prætermiſſa verò ejusmodi irroratione, multæ etiamnum guttæ ejus vivæ, & in priori currente forma aſcendent, & per totam maſſam ſublimatione elevatam conſpicientur. Hinc cucurbitam in capellam ſeu ollam cum arena colloces, arenâ undique ita contectam, ut arena ad tres vel quatuor digitos transverſos altius aſcendat. quàm ſit ſuperficies materiæ in vitro. Tum ignem ſubſtruas primò admodùm lenem, donec omnis humiditas evaporaverit, & intra hoc ſpatium concurbitam relinquas apertam, quando autem tibi videbitur, nil amplius humidi evaporare, tum ſubinde terſum cultrum orificio cucurbitæ ſuperimponas, & obſerves, an etiamnum aliquis ſudor cultro adhæreat, quod quamdiu evenerit, cucurbita adhuc aperta maneat, ſin culter ſiccus conſpiciatur alboque pulviſculo afflatus, tunc orificium vitri obtures tantummodò papyro, ignemque parum augeas, ut mercurius ſublimare queat, atque in tali gradu per duodecim horas continues, tum verò inſigniter augeas, ut fundus vitri per quatuor vel plures horas candere queat, nam admodùm difficulter in fine ſublimat, ob fixativos ſpiritus, quæ in vitriolo cæruleo continentur, eſt enim nihil aliud quam puriſſimum cuprum, cui libenter pars mercurii adhæret. Sic ſtatim primâ vice legitimum mercurium ſublimatum obtinebis, melior tamen erit, ſi adhuc denuo ſublimationem à pauca ſaltem mixtura ſalis & vitrioli reiterabis. Poteris etiam argentum vivum in dupla quantitate aquæ fortis ſolvere, ac ſimul æquale cum mercurio pondus ſalis comunis adjicere, tum omnem humiditatem deſtillare, demumque ſublimare, ut modò doctum eſt:

Ex hoc mercurio ſublimato paratur mercurius dulcis hoc modo: ℞. mercurii ſublimati puriſſimi q. p. contere eum in pulverem, tum per vices conterendo ei admiſce ferè tantundem argenti vivi currentis, & tamdiu tritura, donec currens forma in pulverem ſit ſubacta, tum in vitro arenâ ad altitudinem materiæ obtecto & obturato ſublima, & elapſis horis decem vel duodecim ſublimatio erit peracta, & omnis corroſivitas priſtina mercurii ſublimato conſveta converſa in ſubdulcem ſeu potius inſipidum ſaporem; nigredinem & quicquid adhuc vivi ſupereſt, remove, & per ſe ſublimationem aliquot vicibus recapeſſe, & optimum habebis mercurium dulcem. *Mercurii dulcis paratio.*

Conſolidationem tempeſtivè abſolvit conſerva roſarum partibus duabus (ſimplex ſine admixtione ſpiritus vitrioli propter exulcera- *Conſolidativum.*

tione deprehendi, mercurium dulcem hîc multum poſſe, ſi primùm exhibeatur (juſtâ doſi aliquoties in ſeptimana, ut bis vel ter pro viribus ægrotantis) ut non tantùm impuritates totius corporis, ſed imprimis renum eluantur.

Huic ſi ſuccedit ſpiritus mercurii dulcis, nulla exulceratio refragatur.

Spiritus mercurii dulcis eſt talis:

Spiritus mercurii dulcis.

℞. *mercurii ſublimati cryſtallini* (a) (*non mercurii dulcis*) *quantum placet, tere in pulverem impalpabilem, ſuperfunde in cucurbita non nimis alta optimum ſpiritum vini, abſtrahe per alembicum ex cineribus, reaffunde deſtillatum liquorem, ac denuò deſtilla, perge per cohobia tamdiu, donec tandem deſtillatus ſpiritus vini in oleum quodammodo albicans videatur per alembicum tranſire, quod alio excipulo collige. Super caput mortuum reſiduum in cucurbita funde alium ſpiritum vini recentem, procede ſimili ratione, ut antea, donec nempe omnia in oleum ſeu ſpiritum albicantem prodierint. Hîc ſpiritus mercurii in exulcerationibus renum & veſicæ mirabiliter operatur, ſi ejus guttæ ij. vel iij. quotidiè ſemel atque iterum in aqua radicis nymphææ, equiſeti, plantaginis &c. exhibeantur.*

Mercurii ſublimatio.

(a) Mercurius ſublimatus ad hunc ſpiritum & ad quævis medicamenta ita optimè paratur: Capias mercurii à propriis corporibus mundati (prout in noſtro tractatu de panacæa minerali docuimus) libram unam, vitrioli cærulei naturalis non factitii, ad albedinem ſeu aliqualem flavedinem calcinati, & ſalis marini decrepitati ana libram unam, hæc proportio ſufficit, ſi vitriolum ſit bellè cœruleum, ſi verò vireſcens, major ejus quantitas requiratur, nimirum ſesquilibra ad minimum, commiſce vitriolum & ſalem probè inter ſe, tum accipe eorum commixtorum manipulum unum vel duos, impone ſeu ſtratifica eos in capacem quandam patinam, mercurium verò in pannum linteum ſpiſſum liga, linteumque illud ſuper factum jam ſtratum vitrioli & ſalis comprime, ſic mercurius ſeu argentum vivum per poros lintei in minutis granis exſilit, atque undique in ſtraturam vitrioli ſpargitur, ceſſa tamen iterum ab illa compreſſione, ſi tibi videbitur, unum vel alterum lothonem mercurii exiiſſe, atque denuo alium manipulum dictæ mixturæ ſuper priorem ſtraturam & mercurium ſtratifica, expreſſionemque mercurii è panno ut antea reitera, & ſic alternatim procede in omnibus, donec omnia invicem ſtrato ſuper ſtrato, ut loquuntur, ſint commixta, ſicque brevi mercurius inter iſta ſalia diſtribui poteſt, ſi verò ea velles conterendo ſuper marmore commiſcere, admodùm diu conterendum foret, priusquam argen-

calculoſa, quam Paracelſus & Helmontius *Lithiaſin & Duelech* vocant, ſive ea conſiſtat in tartarea feculentia & limoſitate, è quâ poſtea duelech coagulatur, ſive in ſabulo vel calculo actuali.

Cauſa verò calculi & arenæ eſt innata quædam diſpoſitio, vel craſſum & viſcoſum alimentum, cujus modi ſunt: caſei, lac, caro porcina, cereviſia craſſa & parùm defecata, muſtum vel vinum novellum turbidum, caro fumata, piſces, panis recentiſſimus à furno adhuc calens comeſtus, uſus aquæ in cibo & potu, quæ per loca calcea defluit, quemadmodum in hiſce regionibus, quarum fundus tali naturâ calceâ dives eſt, quam plurimi homines calculo laborant, morbisque arthriticis, quin imò vina talium regionum adeò manifeſtè ejusmodi calceam vel cretaceam tartareitatem in ſe vehunt, ut inter potandum, ſi eorum nonnihil in menſam effundatur, mox poſt reſiccationem loci maculæ albæ relinquantur, & ſicuti id ipſum vinis prope Danubium creſcentibus, ſolenne eſt, Rhenanis autem minimè, ita ſedulò obſervavimus, ſilices, qui in Danubio reperiuntur, ſi forti igne uruntur, abire in veram calcem vivam, quod ſilices ubivis in Rheno reperti etiam diutiſſimè cremati, nequaquam præſtant. Frequentiſſima etiam hujus affectus cauſa eſt nimium fortis digeſtio in homine, quæ ſal armoniacum in nimia abundantia progenerat, id eſt a rem ſalſedinem urinæ, quæ nil aliud eſt quàm ſal armoniacum, quod etiam vulgariter ex urina paratur, in bilioſis autem temperamentis & acutis febribus uberius generatur quàm reliquis, adeò ut eorum urina præ nimia ſalſedine rutilet, ruffus autem iſte color non eſt bilis, ut quidam exiſtimant, ſed copioſa ſalſedo, quemadmodum fortiora lixivia vulgaria etiam ob copioſum ſal alcali, quod tamen ad ſiccitatem evaporatum albet, colorem rufum præ ſe ferunt. Sicuti ergò ſal armoniacum quando in liquore aliquo reſolvitur, liquorem illum adeò acuit, ut ulterius alia corpora duriora ſolvat, exempli gratia: ſpiritus nitri per ſe aurum minimè ſolvit, at ſi quarta ejus pars ſalis armoniaci in eo prius reſolvatur, poſtmodùm facilè ſolvit aurum: ita etiam à dicta acri ſalſedine in liquore potulentorum reſolutâ idem intra hominem fieri autumandum eſt, ita ut alimenta mucilaginoſa, nimirum caſeum & ſimilia, item ſcorias excrementorum reſolvat, illa autem ſolutio, quamdiu calida eſt, in liquore ſuo extenſa manet, at mejendo emiſſa & frigefacta in virtute ſolvendi fit langvidior, & particulam ejusdem quod intra ſe in calore ſolutum tenebat, dimittit, quod ſe lateribus vel fundo matulæ agglutinat, & inſtar arenæ granuleſcit, arena vera tamen non eſt, ſed ſal urinæ, quod à ſcoriis excrementorum terreſtreitatem quandam à ſe reſolutam ſecum vehit, & cum ea in frigido concreſcit, non tamen denuo in urina vel aqua reſolvi poteſt, eò quod ſcoria reſoluta multum pingvedinis contineat,

neat, quæ difficulter ſolvitur, ut videre eſt in tartaro vini, qui pari modo ita concreſcit, & propter ſuam mucoſam pingvedinem difficillimæ eſt ſolutionis, donec illa pingvedo per ignem abſumatur, & tunc illicò in quovis liquore facilè reſolvitur. In urinali autem tartaro ſeu duelech talis concrematio pingvedinis inſtitui nequit, eò quod hoc ſolvens nempe ſal armoniacum omnino eſt volatile, atque in igne comburente avolat ac parum tantummodò terreſtritatis ſcoriarum ſolutarum poſt ſe relinquit; tartarus iſte urinalis quidem in unaquaque urinâ emiſſâ & refrigeratâ concreſcit, ſed non in quolibet homine, aſt ſaltim in diſpoſitis, qui nimirum nimis forti digeſtione ſunt præditi, alimentisque tartareis utuntur.

Modus autem generationis calculi à dogmaticis talis ſtatuitur: renes (ajunt) ad ſe ipſos trahunt ſeroſum, & quicquid tenue cum ſangvine in vaſis permixtum eſt, id verò dum meatibus in renum ventriculos percolatur etiam aliquid ex craſſioribus ſuccis latius jam patefactis meatibus ſimul illabi volunt, atque in renis cavo caleſcere, tophique conſiſtentiam nanciſci, & areneſcere, & cum lotio ſi virtus expulſiva ſatis vigeat, extrudi, & in matulis ſubſidere (quod tamen in pleriſque falſum, quorum urina exactiſſiimè filtrata ſeu percolata nil arenoſi exhibet, ſed demum poſt filtrationem concretionem arenularum in eadem fieri obſervatur) Si verò pertinacius renis cavo inhæreſcat, ac quidpiam aliud ejusdem materiæ ex vena cava ſuſcipiat, ſibi apponendo plus augeri, ita ut id quod recenter influat priori circumponatur. Sicq; coagulationem hanc in renum cavo ad tophi naturam accedere, exuſtoque & arefacto humore viſcido & craſſo conſtare, atque inſigni magnitudine grandeſcere. Cum verò in renum carnibus generentur calculi, eos tophis in morbis articulorum genitis correſpondere.

Helmontius verò in ſuo tractatu de lithiaſi hanc ſcholarum doctrinam planè reijcit tanquam falſam & erroneam, veræque philoſophiæ inconformem, juxta quam calculus increſcat iisdem cauſis, quibus oriatur & viciſſim; appoſitos autem noſtris matulis calculos confirmare, calculum naturaliter fieri, idque absque ullo actuali matulæ aut ambientis calore. Fieri enim & augeri calculum ex urina materialiter, non autem ex mucilagine vitali, nec ad ejus conſtitutionem, nec pro efficiente requiri calorem, multoque minus ejus exceſſum. Si enim quis per deorſum mejat linteum, neque in hoc reperiat mucilaginem, tamen poſt paucas inde horas urina transcolata vel filtrata in mundo vitro det tenue & rubens ſabulum æqualiter adhærens, ita ut nec copioſius ad fundum decidat, quam lateratim adhæreat; idque omnino in frigido, imò ſe obſervante etiam in Januario contingere, hocque ſabulum in qualibet ſanorum inculpata urina generari, & urinali, omni abſente mucilaginis materiâ locique calore

Dogma Helmontii de calculo.

appo-

apponi. Iisdem ergò cauſis ſabulum & calculum in nobis calculoſis provenire, quibus extra nos ſanos urina granuleſcat. Se autem ſperaſſe urinæ contenta inveſtigari per lotii analyſin. Propriam itaque urinam vaſe ligneo aſſervatam, donec tandem fermentum ſponte conceperit ebullieritque non ſecus atque vina deſtillaſſe, & parum aquæ ardentis ſtillaſſe. De reſiduo autem collegiſſe ſalem albiſſimum acuti & urinacei odoris fœtulenti, quo in tota rerum Natura vix ſit aliquid ſubtilius, nobile ad icterum, aliosque morbos remedium. Qui tamen ſal duelech ſive calculum in vitro non ſolvat. Iterum ſe novam urinam propriam in fimo equino putrefactam deſtillaſſe, & quater cohobaſſe, frequentesque cryſtallos flavas & acuminatas reperiſſe, ad veteres quidem excrementorum oppilationes conferentes, nihil tamen adverſus lithiaſin. Porrò ſpiritum urinæ ſe miſcuiſſe aquæ vitæ deplegmatæ, atque in momento ſimul ambo in offam albam coagulata eſſe, mirè tamen fugacem & ſubtilem. Ubi oculus imprimis ſe docuerit, quod ſpiritus urinæ impar & ingens eſſet coagulum, quippe quod aquam vitæ eſſet coagulando; quodque in coagulando ſeparaſſet partem ſegnem & aqueam, quæ ſupernataret præfatæ offæ albæ non ſecus fortè, atque in coagulatione duelech à reliquo lotii corpore, adeòque in mediis undis ſuam perficeret coagulationem. Quodque eo agulum ſive ſpiritus urinæ indiſſolubiliter ſe nexuiſſet ſpiritui vini. Spiritus tamen urinæ non ſe coagulaſſet cum altero, vini nempe ſpiritu. Si igitur obviaſſet ſpiritui terreſtri, etiam cum eodem conjugium contraxiſſet, ut ex ambobus ſpiritibus feciſſet corpus lapideum. Unde ſe dediciſſe quomodo ſpiritus urinæ coagularet alium ſpiritum intra urinam. Quodque ejusmodi aſſociatio non ſit nuda partium quædam commiſtio, ſed unitatis indiſſolubilis connubium, ſubſtantialis quædam transmutatio, entis novi productio ab agente & patiente in corpus neutrum. Hinc igitur concludi, quòd ſpiritus urinæ apprehendens terram volatilem, procreatam ſemine ac fermento fracido & putreſcente, ſuſcitet occultum adhuc in potentia, vini ſpiritum, urinæ incolam; quibus tanquam duobus ſexubus concurrentibus, terreus quidam præfatus ſpiritus imbibat prædictum unicum coagulatorem: cujus reciprocationis ergò oriatur in agendo amborum connexio penitiſſima, quia congrediantur ſpiritu tenus, per illorum minima. Adeòque coagulator coagulet unico inſtanti ſpiritum vini potentialiter excitum, in putreſcente fermento, cui cum fracida maſſa ſuam tribuat materiam, ſimul condenſentur in verum Duelech, monſtrum ſanè, novum hoc aliquid, coagulatum in media aqua, nec ideò in aquam reſolubile.

In lotio ergò humano etiam ſanorum ſemper eſſe materiam proximam inviſibilem & ſemen ad Duelech, ſive interim erumpat Duelech in actum, quantisper penes nos urina

na moretur, ſive poſtquam extra nos fluxerit, indigere autem iſtud ſemen ſaltem actuante & excitante fermento, quod ſemen germinare procuret, lotii igitur fermentum corruptivum eſſe excitativum ſeminis, noſtro autem balſamo innato benè habente corruptionem inhiberi, urinamque in nobis incontaminatam ſervari, quæ extra nos paucis horis etiam in frigido corruptioni auſcultet, ac ſabulo matulam conſpurcet. Renes ergò quoquo modo pollutos jam fermentum corruptivum urinæ concepiſſe. Quasdam etiam provincias, cibosque ad crebritatem calculi non ignavam ferre opem, fragilitatem quoque uni præ altero innaſci, ita ut ſæpè gemelli inveniantur, quorum unus calculo laboret, alter verò non, cujus rationem reddat aurum in æquale filum diductum, quod nihilominus in una parte citius frangatur quàm alterâ. Hæc Helmontius.

Progno-ſis. Prognoſin quod concernit, dolor nephriticus quemadmodum & aliæ renum paſſiones, nimirum arena, calculus, cruenta mictio & ſimilia in ſenioribus non facilè cedunt, in junioribus autem & pueris ejusmodi dolor, dummodo absque renum ſit exulceratione, facilius ſanari poteſt, in hoc autem affectu melius eſt, ſi urina eſt ſpiſſa quàm tenuis. Eſt autem dolor nephriticus renumque calculus malum admodum periculoſum, vehementia enim inducit ſymptomata, videlicet inflammationem, exulcerationem, dolores immanes, vigilias, virium proſtrationem, urinæ ſuppreſſionem, febrem, aliaque, & ſi per aliquot dies continuaverit, nec ullis medicamentis cedat, mors metuenda eſt, imprimis ſi cum extremorum perfrigeratione ſudor frigidus in facie erumpat. Si verò urina primò tenuis & poſtmodum ſpiſſior & liberaliori mictu emittatur, arenoſamque hypoſtaſin faciat, morbi ſolutio inſtat: quibus tamen malum eſt hæreditarium, his paroxysmus reverti ſolet, donec patiens eo intereat.

Curatio. Curatio doloris nephritici eandem requirit methodum, quæ ſupra cap. 141. propoſita eſt, primòque itaque clyſter anodynus injiciatur, atque etiam ad dolorem demulcendum bibat æger decoctum chamomillæ in vino vel cereviſia factum.

Omnibus etiam renum vitiis apprimè conducit terebinthina hoc modo:

Uſus terebinthinæ.

℞. terebinth. Venet. ℥iſ. vel ij.
vitell. ovi parum, diſſolve hæc ſenſim, affundendo aquæ ſaxifrag. & fragar. an. ℥iſ. ut redigantur in formam cremoris lactis, adde
ſyr. de althæa Fernel. compoſ. ℥j.
f. hauſtus, qui grati eſt ſaporis.

Dolore admodum infeſtante ſubinde injiciatur clyſter prædictus anodynus, aut ſequens qui optimus eſt in calculo:

Clyſter optimus.

℞. lactis recent. ℥xij.
butyri ſaliti ℥iij.
m. f. c.

Inſeſſus. Fiat etiam inſeſſus in decocto braſſicæ capitatæ, foliis & radicibus raparum,

 parum,

parum, malvæ, parietariæ, chamomillæ, & aliquot manipulis avenæ, quæ decoquantur in tribus vel quatuor ahenis aquâ plenis, atque in hoc decocto patiens quotidiè per integram horam moretur, egreſſus autem lumbis, pubi & peritonæo inungat ol. ſcorpionum, vel ſolum vel cum ol. chamæmelino & anethino mixtum. Poterit etiam regioni lumborum ſupergeſtare tale emplaſtrum:

Emplaſtrum nephriticum.

℞. aſell. præp.
ſangv. hirc. præp. an. ʒij.
ſemin. hyperic.
ſuccini alb. præp. an. ʒj.
oculor. cancr. ʒiij.
empl. d. ſperm. cet. ℥j.
terebinth. q. ſ. f. maſſa emplaſtr.

Spiritus ſalis communis vehementi igne expreſſus magnum nephriticis affectibus ſolatium affert, ſæpè ad guttas VIII. vel X. in aqua frag. vel alio convenienti vehiculo aſſumptus, imò etiam ipſius ſalis hujus liberalis internus uſus, quosdam teſte Helmontio penitus ab hoc morbo liberavit, proinde mirari licet, quosdam Authores uſum ſalis nephriticis interdicere, cum ſit noſter unicus vitæ balſamus à corruptione conſervans, imò etiam concretionem arenularum in matulis impediens, ſi in urina emiſſa ejus portio ſolvatur, eò quod putrefactionem valdè inhibeat, quod etiam contingit, ſi urina in vaſis cupreis aſſervetur, obſervavimus enim quod urina in matula è cupro flavo repoſita ne unicam quidem arenulam dederit, ſpecificum ergò è cupro medicamen contra calculum parari poſſe non dubitamus, prout etiam excellentiſſ. Archiater Waibelius nobis retulit, ſeipſum per quinquennium calculo veſicæ laboraſſe, ab eoque convaluiſſe medicamine è vitriolo cupri per multiplicem ſublimationem cum ſale armoniaco parato.

Sequens autem accepimus pro ſecreto cujusdam familiæ hæreditario adverſus calculum:

Secretum hæreditarium.

℞ duas nuces moſchatas maſculas, ſcinde in quatuor partes ſingulas, ac ipſo plenilunii die pone in macerationem hæc conſciſſa fruſtula in ℥ij. olei amygdalarum dulcium per octiduum, ultimo autem lunæ quadrante jam apparente cape per integram ſeptimanam ſingulis diebus particulam unam cum cochleari olei antedicti, jejunando deſuper duabus horis. Communicatum etiam nobis ſequens eſt pro ſecreto:

Accipe ſangvinem & totam pellem leporis (imprimis tempore Maji, cum herbas vorat diureticas) combure hæc in nondum cocta olla in cinerem, cujus cochlear plenum patiens in aqua calida jejuno aſſumat ſtomacho.

Denique etiam pro certa calculum curandi ratione traditum nobis eſt ſequens:

Primò collige bonam quantitatem reſtæ bovis, cujus dimidium deſtilla, ut omnis inde liquor egrediatur, caput mortuum ſive remanentem in fundo cumulum cum ſervato herbæ dimidio in cinerem combure, quem in duas partes divide, ex

quarum unâ cum anteſtillatâ aquâ ſalem extrahe & ſerva; ſuper alteram autem cineris partem funde vinum in ſufficienti quantitate, & relinque in loco tepido, ſæpè agitando, tum deſtilla ad ſiccitatem, quater cohobando, tumque hoc vinum deſtillatum cuſtodi cum ſale extracto.

Porrò pro calculoſo imple ſacculum, ſpithamam longum & latum hisce herbis:

℞. herb. rapar. m. IV.
malvæ m. iij.
flor. chamomill. m. iij.
furfuris triti m. ij.

conſcinde ſpecies, ſacculus eis repletus coquatur parumper, tum impone eum regioni lumborum vel veſicæ (utrique enim convenit) ibique per horas 6. relinque, quibus elapſis calefactionem & impoſitionem ſacculi repete, donec geſtatus ſit per horas 24. ſic ſatis calculus erit mollitus. Poſtea aſſumat ℈ſ. vel ℈j. dicti ſalis cum cochleari vini commemorati, quieſcatque per horam in lecto absque ſudoris expectatione, atque in hoc uſu perſiſte, donec non amplius ſedimen arenoſum in lotio conſpiciatur. Demum omni manè ſequens capiat:

℞. myrrhæ rub. elect. & groſſo modo contuſæ ℥j.
vini albi clari ℔j.

commixta digere in obturatò vaſe per novem dies, tum vinum decanta, & aliud ſuperfunde.

Proba hujus ſalis & vini:

Si eisdem conſpergatur fruſtulum lapidis molaris, & dimittatur per noctem, reperietur manè rotundius.

Optimè etiam valet oleum ſeminis dauci Cretici ad guttas VIII. cum calente brodio aſſumptum, atque etiam extrinſecus regioni lumbari inunctum.

Plura eximia docet Authoris

TEXTUS.

IN doloribus nephriticis ſiſtendis par eſt, ut cauſam removeamus; quòd ſi verò ea tam efficax & immanis fuerit, ut ceſſionem facere recuſet ſæpius per obliquationem quandam viæ tentandæ ſunt, & in ipſo paroxyſmo opera danda, ut dolor ſedetur, & calculus in viis, ureteribus in veſicam deſcendat.

Itaque & emollientia & reſolventia & mitigantia tam externa quàm interna maximo cum fructu accerſenda ſunt, ac interdum induciæ faciendæ (per anodyna) ne cruciatus nimis diuturni periculum creent, hæc igitur relinquuntur ſagacitati ipſius Medici.

Cum plerunque calculus impactus tantos cruciatus progignere ſolet, operæ pretium eſt, ut reſolventia calculum, ſi dolores non urſerint, prius ſæpius adhibeantur, antequam nempe calculus loco ſuo motus, & anguſtioribus meatibus intruſus ejusmodi dolores creat. Non nimirum omninò

tutum eſt, talia reſolventia (emollientia ſemper præmittantur) propinare, niſi & certus fueris de ureterum mollificatione & amplitudine.

Quòd ſi tamen extremo morbo extremum remedium adſciſcendum fuerit, utique ſuperiora ſpecifica locum hîc maximè habere poſſunt, præſertim illud, quod ab urina hirci laudabile eſt.

Mercurius dulcis præſervat.

Convenientius in hoc affectu nihil eſt, quàm ſi mercurius dulcis ſemel atque iterum juſtâ doſi exhibeatur; quinimò nephriticus dolor raró infeſtare ſolet eos, qui pilulis iſtis mercurialibus ſingulis menſibus utuntur. Hac nimirum ratione ductus amplificantur, & calculi deinceps ſpontè excernuntur.

Quod ſi interim, dum iſta fiunt, ſpecificum ludi humani, vel lapidum aſtacorum certâ ſuâ quantitate aſſumpta fuerint (quod nempe non tantùm calculum renum & veſicæ, ſed univerſi corporis tartarum exterminat) minus deinceps nephritici dolores extimeſcendi fuerint.

Externè applicetur ungventum roſatum Meſues &c.

Calculus Renum.

Curatio calculi.

In cura calculi ab initio clyſter injiciendus leniens & flatus diſcutiens, ne ſcilicet flatus & excrementa in inteſtinis contenta renes comprimant, & dolores augeant.

Flatus dico, quia calculoſi plerunque generant flatuum copiam, propter ventriculi imbecillitatem.

Fortes autem clyſteres & diuretica, ſolaque ſolutiva ab initio devitanda, quia humores agitant, qui agitati ad renes decumbunt, & dolorem augent.

Diuretica verò ſeroſos humores ad renes dirigunt, unde dolor quoque augetur.

Statim quoque regio renum inungatur oleo ſequenti:

Linimentum.

℞. ol. ſcorpionum part. j.
terebinth. part. ſemiſſ. m.

Superpoſito emplaſtro, quod

Emplaſtrum.

℞. cerati infrigidantis Galeni ℥iiſ.
ungventi roſati camphorati ℥ij.
laudani opiati ℥iſ.

extendatur ſuper alutam, qua regio renum tegatur.

Intra corpus aſſumat olei amygdalarum dulcium ℥ij. in juſculo aliquo cum eſſentiæ croci g. VI. vel croco ipſo ad ℈ſ. ut viæ laxentur.

His peractis ſi patiens plethoricus fuerit, vena ſecari poteſt, ne ſangvinis multitudo ob dolorem & tenſionem in partem dolentem ruat, ac dolorem augeat.

Offerri etiam poteſt doſis laudani opiati, imò ſi dolor ſit vehemens,

mens, ex eo fieri poteſt emplaſtrum renibus applicandum: detur etiam ſyrupus de mucilaginibus cum emulſione 4. ſeminum frig. majorum: hinc exhibeatur bolus ex caſſia recens extractus.

Et ſi dolor non remittat, fiat balneum, in quo æger ſedeat usq; ad brachia:

Balneum.

℞. *rad. malvæ*
althææ an. ℥ij.
flor. chamomillæ
melilothi an. m. IV.
reſtæ bovis m. VI.
ſem. fœniculi ℥VIII.
lini ℥IV.
baccar. junip. m. IV.

coque in ſ. q. aquæ pro balneo, in quo commoretur per horam 1. aut 2. poſt 2. horas ſi non remittat dolor, parum ſe moveat ambulando per cubiculum, & iterum ingrediatur balneum, in eo ſedens aſſumat gr. VI. olei oculorum cancrorum, quod præparatur ſequenti modo:

Oleum oculorum cancrorum.

℞. *pulveris oculorum canc. ℥V*
olei tartari per deliquium facti ℥VI.

miſta digerantur in balneo vel fimo equino per XV dies, poſtea coagula materiam in phiolâ in arenam locatâ, tandem pulveriſa, pulverem cum ſpiritu vini extrahe & in formam olei ſpiſſiſſimi, abſtrahendo inde ſpiritum vini redige, doſis à gutt. IV. ad VI. in aqua petroſelini vel ononidis; cum ſyrupi de mucilaginibus ℥iſ. aut ſi careas oleo iſto, tunc

Apozema.

℞. *oculor. cancr. præp.*
trochiſc. de alkekeng. opt.
pulveriſator. an. ℈ſ.

detur cum ſyrupo dicto: poteſt etiam cataplaſmatis loco applicari regioni renum naſturtium in lacte coctum.

Hinc ad ea, quæ proprietate quadam calculum pellunt, accedendum, quæ omnia dolore prius præſente in balneo offerenda, in quo æger, ut dictum, commoretur, præmiſſa tamen, ſi inducias patiatur dolor, purgatione leni, quæ fit apozemate, aut ſyrupo aliquo:

Aqua antinephritica.

℞. *fol. ſenæ Alexandr. ſ. ſ. ℥j.*
fruct. alkekeng. ʒſ.
rhab. elect.
trochiſc. d. agaric. an. ʒj.
nuc. moſchat. ʒſ.

decoque in ſ. q. aquæ commun. ad ℥VI. colaturæ adde
ſyrup. de quinque radicib.
cichor. cum rhabarb.
an. ℥iſ.

f. apozema pro duabus doſibus.

Medicamenta, quæ proprietate quadam contra hunc morbum faciunt, ſunt:

I. *Aqua antinephritica* (a) *quæ ſic fit:*

℞. *rad. reſtæ bovis ℔j.*

minutim conciſæ macerentur in vini generoſi ℔ij. per tres dies,

deinde exprimantur & colentur, in colatura macerentur:

rad. petroſelini
eryngii
parietar.
herb. herniar.
ſaxifrag. cum toto an. ℥IV.
fruct. alkekengi
gran. juniperi an. conquasſator. ℥iij.
ſem. fœniculi
urticæ
melonum
milii ſolis an. ℨij.

Omnia inciſa in dicta colatura macerentur per 4. dies, fortiterq; exprimantur, expreſſo adde ſuccum portulac. ad ℔ij. deſtillentur per alembicum, doſis cochl. 2. tum præſervationis tum curationis ratione.

Aqua ſaxifraga. (a) Pro efficaciſſima aqua ſaxifraga nobis commendata eſt ſequens:

℞. radic. ononidis & virgæ aureæ ana cum toto q. ſ. contunde & in M B. deſtilla, aliquoties cohobando, reſiduum calcina, & ſalem extrahe, cui ſuperfunde aquam deſtillatam, & aliquoties inde per retortam deſtilla. Eſt ſpecificum ad calculum: Hæc aqua melius ſolvit ſilices, quàm ſpiritus ſalis, nec tamen eſt corroſiva, propinatur in conſvetis vehiculis, & mirè operatur.

Ab alio pro efficaciſſimo remedio revelatus nobis eſt hic liquor contra calculum renum & veſicæ, urinæ ſuppreſſionem, obſtructionem hepatis & lienis:

Liquor contra calculum.

℞. oculor. cancr.
lapid. lyncis
teſtarum ovorum quorumlibet, ex quibus pulli excluſi ſunt
calculor. human. exſect. vel emiſſ.
conchar. oſtreorum, ana partes æquales calcis vivæ parum, pulveriſatis ſuperfunde ſpiritum ſalis, digere ut ſolvat quicquid poſſit, tum evaporando exſicca, ſiccatum rurſus in cella liquefiat in liquorem, quem filtra. Doſ. gutt. VIII. ad XV. in aqua fragor. vel ſimili in vel extra balneum; hunc liquorem quidem non experti ſumus ſed communicamus, ut accepimus.

II. *Commendatur ſequens, quam aquam Fuckerorum aliqui nominant:*

Aqua antinephritica Fuckerorum.

℞. *rad. liquiritiæ ℥ij.*
petroſelini
ononidis
pimpinellæ an. ℥iſ.
enulæ ℥j.
raſuræ ligni ſaſſafras ℥ij.
fol. hederæ terreſt. miiij.
ſem. fœniculi
urticæ an. ℥VI.
ſucci hederæ terreſtris ℥V.

Præmiſſa per tres dies infuſione deſtilla, aqua ſervetur, cui ſyrupus de caryophyllis vel de canella pro condimento admiſceri poteſt, doſis ut præcedentis. Huc ſpectat oculo-

oculorum cancrorum oleum ſupra deſcriptum.

Ut autem reliquiæ & mucus in renibus & veſica exiſtens expurgetur, & dictæ partes corroborentur, nodulum ſequentem in vino maceret, & ſingulis diebus matutinis hauſtum, nodulo tamen expreſſo, aſſumat:

Nodulus ſit talis:

Nodulus pro vino.

℞. *ligni ſaſſafras*
nephritici an. ℈iſ.
rad. polypodii
petroſelini an. ʒij.
reſtæ bovis
pimpinellæ
ſangviſorbæ an. ʒiiſ.
aſparagi
iridis noſtr. an ℈ij.
Florentinæ ʒſ.
turbith albiſſimi ℈ij.
herb. roris marini
fragariæ
ſaxifragiæ
pimpinellæ an. m. ſ.
flor. roſar.
borragin. an. p. j.
ſem. aniſi
fœniculi
ſileris montan. an. ʒſ.
fruct alkekengi n. VI.
cinamomi electi ℥ſ.
macis ℈ij.

contuſa ligentur in ſyndone rubra. fiat nodulus, in ℔iſ. *vini per tres dies macerandus.*

Alternis quoque diebus capiat ʒiſ. *terebinthinæ lotæ in aqua halicacabi, & interdum ſyr. aperitiv.* ℥j. *cum ſpiritus terebinthinæ* ℈ſ. *item ad libitum tempore matutino in uſu habeat morſulos imperatorios, quibus olei nucis moſchatæ deſtillatæ inſtillet gutt. j. ad iij.*

Syrupus dictus f. ex ſyr. de 2. radicib. ℥iij.
lupulo ℥ij.
aquæ petroſelini
halicacabi an. ℥iſ.
capiat cochl j. vel ij. cum ſpiritus terebinthinæ ℈ſ.

Si à potione (dicti jam noduli) alvus non ſit libera, aliquo ex ſuperius dictis ſyrupis aut alio ad placitum purgante leniter purgetur.

Ligni nephritici vis.

Si lignum nephriticum verum haberi poſſit, maceretur ℥ſ. *in vino per ſeptem dies, vinumque bibatur manè: ab eo aſſumpto ſe exerceat æger.*

Ad miraculum, ſi repetatur, renum calculoſam diſpoſitionem emendat, eos confortando, & materiam lapidis ſine moleſtia educendo.

Celebre nephriticum paratur ex capitulis illis calloſis in fructibus cynosbati ſive roſæ caninæ innaſci ſolitis, Germanis Schlaffäpffel/ Schlaffkuntz/ *capitella illa per medium diſſecta calloſa ſunt, ac in centro eorum plerunque reperiun-*

periuntur vermiculi vivi. Præparatio fit ex exſiccatis & pulveriſatis, exemptis tamen vermibus, in modum extracti cum ſpiritu vini præparatur. Vide prolixius notas meas ad Crollium.

CAP. CXLIV.

DE AFFECTIBUS VESICÆ, AC PRIMO DE EJUS CALCULO.

Deſcriptio anatomica veſicæ urinariæ.

VEſica urinaria eſt pars organica membranea, triplici conſtans membranarum tunicâ, nimirum externâ cum peritonæo communi, mediâque ac intimâ propriâ, media craſſior eſt & carnoſa penitus, omnisque generis maximè verò orbiculares fibras continet, ea tamen carnoſitas minus circa fundum, a plus circa cervicem conſpicua eſt, ibique muſculum conſtrictorem ex diffuſis in ambitum orbicularem fibris ſeu ſphincterem illum efformat, qui conſtrictione & laxatione ſua lotii retentioni & emiſſioni præeſt, nec involuntariè illud elabi ſinit. Intima autem dictarum tunicarum tenuior planèque nervea eſt, atque ob id ſenſu vegetiori prædita, ad hæc mucoſitate quadam intus lubricatur, ne ab acrimonia urinæ facilè lædatur, arenularumq; affixio in lubrico minus habilis reddatur. Nanciſcitur veſica venas & arterias ab hypogaſtricis, collum verò ejus nervos ab oſſis ſacri propaginibus, corpus autem ab infimis ſexti paris ramis internis plexum meſenterii non attingentibus. Dividitur veſica in partem ſuperiorem & latiorem, quæ fundus dicitur, & inferiorem, anguſtiorem & carnoſiorem, quæ cervix eſt, à fundo quoque ſurſum verſus umbilicum protenditur tubulus membraneus, qui urachus dicitur ac circa fundum amplior exiſtit, ſenſimque verſus umbilicum fit exilior. Solidatur is in ætate adulta juxtà cum propinquis arteriis umbilicalibus in validum veſicæ ligamentum illud ſuſpenſorium, quo nimirum dictus fundus ab incumbentibus inteſtinis ſuſpenſus continetur. Permeatur quoque veſica tribus in locis, binis enim meatibus admodùm obſcuris & velut conniventibus ureteres recipit, per quos liquor lotialis inſtillat, qui per tertium meatum majorem qui urethtra dicitur rurſus emittitur. Figura veſicæ ferè pyri ſimilitudinem refert, amplitudo ejus ſecundum ætatem, diverſamque potatorum diſtenſionem variat; Situs ipſius eſt ſub oſſe pubis in ventris infimi pelvi, fundoque ſui per dictum urachum umbilico jungitur, cervice autem in maribus inteſtino recto, ac proſtatis glandulis, in fœmellis verò anterius vaginæ uteri atque oſſibus pubis annexa eſt. Officium quidem veſicæ urinariæ notiſſimum eſt, quod nimirum defluum à renibus urinale lixivium recipiat, & per multas horas aſſervet, quò homo interim negotiis ſuis ſomnoque incumbere queat, nec adeò crebrâ urinæ emiſſione interturbetur. An tamen ſola renum excretrix decurſum urinæ ad veſicam faciat, vel etiam hujus attractrix concurrat,

currat, itemque ſitne jam deſcendens è rene urina abſoluta, an verò veſica ulterius in ea quid excoquat, non certo conſtat.

Cæterum veſica etiam diverſis ægritudinum affectibus obnoxia eſt, eisque ſæpiſſimè ægrotat, atque id duplici quidem ratione, nimirum ſympathicè & condolendo cum aliis membris, & idiopathicè ſeu in ſe ipſa afflicta, ubi viciſſim acerbiſſimè alias partes totumque corpus afficit; præcipua autem ejus accidentia ſunt: vitioſa conformatio, ſphincteris nimia aſtrictio urinæque ſuppreſſio, vel relaxatio lotiique involuntaria emiſſio ſeu incontinentia, arenoſa vel calculoſa appoſitio vel à renibus in veſicam deturbata, vel in ipſa generata, exindeque calculi anguloſi vel aſperi concretio, doloroſaque ab eo affrictio, attritio, & ſangvinolenta læſio, ſangvinis concreti collectio, & obſtructio, inflammatio, intumeſcentia, exulceratio, urinæ purulentia, fœtor abominabilis, veſicæ ſcabies, vulneratio, quæ in ejus capacitate juxta Hippocratem & experientiam ſemper lethifera eſt.

Morbi veſicæ.

De affectibus veſicæ Hippocrates etiam ſequentibus in locis loquitur:

Veſicâ laborante dolor eſt in imo ventre. lib. 4. aphor. 80
Nec non interfœmineo. 4. 80
Adeſt etiam urinæ ſtillicidium. 4. 80
Eadem accidunt mejentibus ſangvinem. 4. 80
Vel grumos. 4. 80
Sangvinis aut puris mictio ſignificat veſicæ aut renum exulcerationem. 4. 75
In veſicæ exulceratione mejuntur quoque ſquamulæ. 4. 81
Adeſtque ſimul gravis odor 4. 81
Urina craſſa & ſimul furfurea quadam emicta denotant veſicæ ſcabiem. 4. 77
Sedimentum verò ſabuloſum veſicæ calculum. 4. 79
Veſicæ & pudendo conducunt medicamina calida. 5. 22
Quæ nimirum conſiſtunt in gradu caloris ſuppuratorii. 5. 22
Frigidum ipſis lethaliter inimicum. 5. 22
Veſicæ vitia in ſenibus difficulter ſanantur. 6. 6
Dolores ventris non ſublimes ſublimibus fortiores. 6. 7
Vulnera veſicæ ſunt lethalia. 6. 18
Veſicæ durities & dolor grave & lethale periculum affert. lib 2 præſag. 71
Veſicæ dolores validam necandi vim habent. 2. 71
Imprimis febre accedente continuâ. 2. 71
Alvoque durâ exiſtente. 2. 71
Exeunte autem urinâ purulentâ, in qua album & læve reſidet, periculum minuitur. 2. 72
Manente tamen dolore, duritie & febre talis urina nihil juvat. 2. 73
Sed inſtantaneam mortem denunciat. 2. 73
Præcipuè in pueris à ſeptimo anno ad decimum quintum. 2. 74

Nunc inſtitutum Authoris proſequamur

DE CALCULO VESICÆ, *Germ.* der Blaſenſtein.

Quemadmodum in majori hoc mundo magna eſt regionum & locorum diverſitas, quædam enim loca ſunt uda & paluſtria, dantque piſcium, ranarum, vel herbarum aquaticarum proventum, alia inclinant ad generandas arbores, frutices, dumeta, vel ſylvas, alia petras, lapides ubertim diſſeminatos, ſabulum vel arenam proferunt, alia aliter, ita pari modo etiam comparatum eſt cum microcoſmo ſeu homine, vel potius humana natura, varia enim & diverſa procreat temperamenta & inclinationes multiplices, ceu tot hujus minoris mundi variantia loca, unius enim complexio ad generandam multam pituitam, defluxiones & catarrhos propendet, alterius inclinat ad flatuum & borborygmorum ventos proferendos, in aliis luxuria pilorum quaſi fruticeta & ericeta producit; nonnullis nodorum & tuberculorum monticuli exſurgunt; quidam vermium & inſectorum æmulam progeniem fovent; Non pauci calculorum & ſcirrhorum marmora & rupes, vel arenularum glaream concreant. Cujusque ergò morboſa inclinatio congenita vel per multum diætæ abuſum introducta non minima ægritudinis ipſius cauſa eſt, uti ubique in praxi medica atque etiam heic in deſcribendo calculo veſicæ pateſcit, quem Author renum lapidi proximè ſubjungit, eò quod utriusque eadem ſit natura & curandi methodus. Uterque enim calculus ex eadem conſtat materia, quæ craſſior & terreſtrior pars eſt urinæ, ita ut tam ſabulum quàm calculus renum & veſicæ nil aliud ſint quàm concretum lotii. Quanquam renalis calculus ferè ſemper ſit ſcabrior, inæqualior, ruffior & friabilior, veſicalis econtra durior, qui & plerunque albidus eſt, & more lentium rotundeſcit.

Calculus veſicæ.

Signa.

Diagnoſis hujus affectus hisce ſignis internoſcitur: patiens ſtrangurioſus eſt & cum ardore & ſtillicidio mejit eum in modum, ut in dyſuria fieri ſolet, à qua etiam difficulter diſcernitur in ſui principio, quin imò ſæpè omnes modi vitioſæ lotii emiſſionis in calculo veſicæ concurrunt, nempe ſtranguria, iſchuria & diſuria, ſemper etiam ferè cum dolore mingit, qui circa mictionis finem ſævior ſentitur, ſenſumque penè candentis ferri in collo veſicæ usque ad glandis extremum percipi facit, & quo grandior Duelech ſeu veſicæ calculus extiterit, eo impenſius ejusmodi dolor & ardor infeſtant, & crebertimè ad micturiendum ſtimulant, ipſo autem mictionis opere adeò acrem arſuram infligunt, tamque difficilem urinæ exſtillationem efficiunt, ut vix parturientis dolor & labor acutior eſſe poſſit, extra mictionis autem tempus ardor in tantum eſt benignior, ut ſaltem pruritus pudendi videatur, admodum tamen moleſtus, quem identidem æger ſcalpendo & contre-

contrectando demulcere ſatagit, perpetuò quoque inter mejendum ex improviſo effluxus urinæ interci pitur, ita ut in pleno ſuo curſu repentè ſubſiſtat, eò quod cum effluvio calculus unà ad orificium veſicæ rapiatur, illudque obturet, ut palam fit in corporis reſupinatione, calculo enim ſic ad fundum veſicæ magis relapſo urina liberius effluit, & non ita inter emittendum ſubſiſtit. Dolor quoque gravans ponderisque in univerſa pectinis regione perceptio perſentitur, imprimis ſi calculus ſit grandiuſculus, & quia urina in calculo veſicæ imò in quavis vehementiori ſtranguria ſemper acredinem ſecum vehit, quæ exeundo ardorem infert, ea extra tempus mejendi aliquantulum mitius lancinat, & tantummodò inſtar acris diuretici ſtimulat, unde phlogoſis quædam fit, quæ frequentem virgæ erectionem excitat, crebramque mingendi cupiditatem, quam & teneſmus ſeu crebra egerendi alvumque exonerandi incitatio ſequitur, ob conſenſum ſphincteris ani & veſicæ, qui ejusdem nervi ramos recipientes facilè uno eodemque ſtimulo irritantur. Urina calculoſi in pueris eſt craſſa & lacteſcens, vel vireſcens, adultorum verò aqueæ tenuitatis & ſubalbida, & ſi calculus ſit grandiuſculus, aſper & veſicam affrictione laceſſens, multa mucoſitas indies in fundo matulæ conſpicitur, adeò ut interdum dimidium urinæ appareat mucoſum, quod ſolius veſicæ calculi ſignum proprium exiſtit, quem mucum etiam Hippocrates (teſte Zechio) lib. 4. aphor. 79. intellectam vult, dicens: ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ ψαμμώδεα ὑφίσταται, τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ: i. e. Quibus in urina ſabuloſa (hoc eſt mucoſitas cum ſabulo craſſo mixta) reſident, his veſica calculo laborat. Verùm ſicut præſentia hujus muci calculum veſicæ indicat, ita econtra ejus abſentia non evincit, dictum calculum abeſſe, compertum enim eſt, mucum hunc ab his non excerni, quibus calculus in veſica levis aut perparvus eſt, & parietes veſicæ non vellicat.

Itaque cum triplex generatio calculi in veſica à dogmaticis ſtatuatur, nimirum vel à deturbatis è renibus ureteribusve calculis, vel eorum arenis & ſabulo deciduo. Vel ex ipſa lotii in veſica ſtagnantis fece, eoque magis ſi lapis etiam jam fecerit exulcerationem, vel cruoris ſanieive emictionem, exindeque ſigna diagnoſtica confundantur, ideò ſub incertitudine iſtorum ſignorum (quibus etiam accenſetur, ſi in ſuppreſſione urinæ corpus ſupinum concutiatur, atque urina inde prodeat, occluſionem meatus à prolapſo calculo fuiſſe factam deſignat) ad immisſionem digiti in anum, & explorationem per catheterem tandem confugiunt.

Cauſæ calculi veſicæ à practicis definiuntur eædem, queis & lapillus renis gignatur, quarum præcipua ſit urinæ craſſitudo, quæ facilè in veſica fæcem inſtar muſti vel cereviſiæ novellæ deponat, quæ ibi à tepore coëat, cum ſemel æquo diutius intus detineatur, coagmentetur & Cauſæ.

concreſcat, facta autem ſemel ejusmodi coalitionis initio, poſtmodum quicquid amplius craſſi in veſicam delabatur, priori agglutinari, atque ex ſuperaddita viſciditate & limoſitate craſſorum potulentorum veluti corticem quendam ſupra lapidem generari, ita ut calculus demum quaſi è pluribus tunicis ceu oſtrearum teſtis conglomeretur, eamque ob cauſam difficilis eſſe fractionis per ferrum vel pharmacum, hancque eſſe conflationem tophoſi veſicalis calculi, cujus etiam exemplar quotidiè extra & in calidis aquis ſponte naſcentibus concreſcere cernatur. In re autem hac non parum opus conferre veſicam ipſam, ceu frigidam, nervoſam, paucique ſangvinis, nec non ſpatioſa cavitate inferius vacuam. Hinc autem lapillum veſicæ pueris quàm ætate provectis frequentiorem eſſe, nimirum ob eorum voracitatem, motumque continuum, opplendo enim ſe cibis quibuslibet nocivis perpetuò eos occupari, & absque ullo ordine prioribus nondum concoctis crudos ſuper ſemicoctos ingerere, motuque vehementiori mox à cibo cuncta invicem quatere, unde cruda & cocta in venas diſtribui. Cum verò eorum corpora tenerâ mollitie conſtent, omnesque meatus ampliabiles ſint, ideò circa renes in eis non fieri obturationem, verùm etiam craſſiores mucaginis ciborum particulas unà cum ſero percolari, & lotium reddi craſſum, quod demum inſtar aquæ turbidæ vinive feculenti fundalem limum præcipitet, qui loci calidita-te lapilleſcat. Verumenimverò cum vix centeſimus puer licet pleriq; eidem voracitati, & omnifariæ ingeſtioni indulgeant, in veſica calculoſus ſit, ſuſpicabile inde fit, hæc non in omnibus ita ſe habere, aliàs neceſſariò in plurimis ex iisdem cauſis eadem cauſata ſequerentur. Proinde longè rariores cauſas calculoſitatis ſpecificas eſſe conjiciendum eſt, ob quas pauci ſaltem hoc malo corripiantur, concretio autem in matulis ſabuloſa hîc conſideranda eſt, eam ſolummodò contingere in frigido, lotioque jam omninò refrigerato, urina enim eſt liquor ſalinus, ſeu menſtruum in quo ſal communis cibalis, qui quotidiè in omnibus cibis comeditur, ſolutus eſt, non tamen amplius ſal communis eſt, ſed jam in ſalem armoniacum omninò volatilem transmutatus, omnia autem ſalia corporaque ſalina nempe nitrum, vitriolum, alumen & qualiacunque ſint, quæ in liquoribus ſolvuntur, iisdem evaporatis rurſus in cryſtallos concreſcunt, eaque concretio non in calore, niſi ferè omninò ad ſiccitatem evaporentur, ſed in frigido acceleratur, ideò quæ in concretionem cryſtallorum redigere volumus, prius in calore à ſuperflua humiditate aquea per evaporationem liberamus, cujus ſignum nobis eſt, quod ſatis evaporatus liquor ſalſus ſit ita ſaturatè ſpiſſus, ut ruffus vel ſpadiceus videatur, quod contingit à multitudine ſalis, & ſi tunc in frigidam cellam reponitur, prompte cryſtalli concreſcunt. Idem ergò etiam in urina fieri veriſimile eſt, nulla enim

enim urina eſt quæ non, etiam prius per ſpiſſiſſimum pannum vel filtrum colata, in frigido concretionem arenularum faciat, quamvis in pauca quantitate, nec enim in corpore noſtro tanquam apud ignem evaporatio ſuperfluæ aqueitatis locum habet, ut reliquum in copioſorem concretionem abire queat, nihilominus tamen ſatis copioſa ſalſedo in urina concentrata cernitur, adeò ut præ copia plerunque lotium colore tendat ad rubeſcentiam, & quo ruffior ſit urina, eo ditior concentratâ ſalſedine ſit neceſſe eſt; uti & vulgaria fortiſſima lixivia eo ſaturarius tincta ſunt, ſpiſſioraque evadunt, quò autem & quomodò aqueitas in urina ſecernatur, ut reliquum maneat ſalſedo tam meraca, ut prægreſſâ veluti evaporatione aliqualem concretionem in frigido dare poſſit, parum eſt perſpectum, id tamen fieri per peculiarem fermentationem à glandulis & vaſis lymphaticis, ratio dictitat. Satis quoque miratu dignum eſt, quod, licet homo continuò ſalſiſſima comedat, ſalque quilibet liquoribus adeò per minima miſceatur, ut cum eis per omnia filtra transfluat, nihilominus liquor quidam inſipidus, & omni pontica ſalſedine privus in tanta copia per univerſum corpus diffluens inveniatur, imò ipſum os continuò ipſo penitus inſipido ubertim madeat, quamvis identidem ſalſa comedat, per fermentationem ergò dictam lymphaticam procul dubio pars tenuiſſima à ſero ſanguinis ſegregatur, reliqua concentratâ ſalſedine ad renes & veſicam decurrente, ibiq; in plerisq; absque concretione calculoſa permanente, eò quod cōncretio in calore impediatur. Oſtenſum autem eſt præcedente capite, ſalſedinem hanc urinalē eſſe ſalem armoniacum ſolutum, is enim vulgò ex urina conficitur, eumque ſi in aliquo liquore ſolvatur, ulteriùs alia reſolvere, ita quidē, ut duriſſima metalla ſenſim corrodat, & in ſuam ſolutionem ſorbeat. In hisce ergò temperamentis, quę nimium forti coctione pollent, ſalſedo urinæ ſeu ſal armoniacum in juſto majori quantitate excoquitur, ut eorum rubicundius tincta urina oſtendit, iſta autem nimium acris ſalſedo poſtmodùm porrò ſolvit ſolvendo apta, occurrunt autem ipſi in corpore ſcoriæ ſeu ſquamæ ciborum, imprimis ſi in continuo uſu ſit victus craſſus, mucilaginoſus & feculoſus, horum itaque viſcum arrodit, & in ſuum liquamen combibit, ſolutumque ſecum devehit ad renes, qui ſi exuberanter ſint calidi, uti quàm plurimis vel alteruter vel ambo, teſte experientiâ, ſunt; vel diverſis cauſis occaſionalibus fiunt, ſcilicet duriori labore, venere & ſimilibus, tunc calor ejusmodi exceſſivus facilè partem aliquam aqueitatis evaporare facit, ita ut reliqua ſalſedo magis inſpiſſetur, particulasque terreſtres, quas mediante aqueitate ſolutas tenebat, non omnes amplius continere poſſit, ſed quasdam dimittere cogatur. Quamvis autem, ut antedictum, concretio non facilè fiat in calore, nihilominus tamen quilibet, ſi ſolutum aliquem

ſalem evaporet, advertere poteſt, inter evaporandum ſemper minutiſſimas particulas lateribus vaſis evaporantis apponi, nimium ergò æſtuantes renes idem operari poſſunt: accedit, quod exuperans calor mox debilitet, & corruptionem aliqualem in urina excitet, quâ præcipitatio & concretio ſabuli non aliter ac per corruptionem & putrefactionem fœtor & concretio in matulis, eò promptius ſuccedit. Aſt ſi renes in ſua legitima temperaturâ degant, ac integrâ valetudine fruantur, facilè ſuo innato balſamo talem concretionem impediunt, lotiumque cum toto ſuo contento ad veſicam propellunt, ubi denuò in multis concretio contingere ſolet, verum ex alio fundamento, nimirùm tantummodò in hisce, quorum veſicæ frigidioris ſunt conſtitutionis, quàm aliorum, ſalia autem ſoluta meraca, è calidiori loco in frigidiorem delata mox concretionem meditantur, par ergò etiam in his contingit, qui notabili frigiditate & debilitate veſicæ ab ortu defectuoſi ſunt, vel decidens à rene lapillus vel ſabuli ſcrupulus in eâ hæreat, minimâ autem concretione jam ibi factâ poſtea indies plura apponuntur, manente primariâ illâ in meditullio inſtar nuclei, aſt ſi etiam veſica decenti tepore & virtute expulſiva gaudeat, etiam in ipſa nihil concreſcit, ſed demum jam poſt emiſſionem in urinali, accedente externa aëris corruptiva qualitate, qua omnia mixta putrefactivam aciditatem concipiunt, atque ſe ab invicem ſeparant, uti etiam in urina emiſſa fit, pars enim aceſcit, pars verò manet lixivialis, ac operationem lixivii ſeu ſalis tartari præſtat, uti quilibet in ſua urina vel vulgari ſale armoniaco experiri poteſt. Ex hisce ergò cauſis pueri magis ad calculum veſicæ ob frigidam eorum conſtitutionem, adulti autem ad lithiaſin renum propter majorem eorum calorem in tali ætate apti ſunt, quod etiam intelligere videtur Divinus ſenex, dum in coacis affirmat, quod ab anno 14. usque ad 60. calculus veſicæ non facilè generetur, ex ea procul dubio ratione, quod renes ante & poſt hoc tempus à venereo incendio privelegiati minus calent, è converſo autem tum temporis veſica plus frigeſcit. Solum etiam ſalem armoniacum potiſſimam lithiaſis cauſam eſſe, ex eo liquet, quod tantummodò homo calculo laboret, reliqua animantia nequaquàm, isque ſolus ſale communi in victu utatur, qui per fermentationem intra hominem in ſalem armoniacum ſeu ſalſedinem urinæ volatilem convertitur, in hisce autem qui in largo uſu ſalem communem habent, non facilè calculus teſte Helmontio ſuccreſcit, eò quod hoc modo nimiam abundantiam ſalis fixi vulgaris natura hominis non poteſt in volatilitatem fermentare, ſed magna pars manet fixa, in quam volatilis ſalſedo rodendo agit, ſuamque nimiam acredinem attemperat, nec tantam copiam ſcorialis viſci in ſe ſorbet, adhæc copia illa ſalis communis in corpore impermutata manens neceſſariò eandem operationem

nem

nem intus præſtat, quæ aliàs in vulgari ſua ſubſtantiâ ſalsâ animadvertitur, quâ nimirum putredinem & corruptionem inhibet, & pro conſervante balſamo inſervit; imò etiam in matulis concretionem inhibet, ſi ejus portio emiſſæ urinæ addatur, & ſic quoque concretionem in corpore inhibebit; Quod etiam ſalis armoniaci acredo ſylveſtris per ſalem communem contemperetur, etiam omnes experti Chymici norunt, qui eum in finem ſalem armoniacum à ſale communi ſublimant, ut ad omnes operationes ipſumque uſum Medicum mitior reddatur; graviter ergò peccant inſulſi medicaſtri, qui calculo laborantibus ſalis communis uſum interdicunt, & adhuc gravius, qui in morbis acutis omni proſtrato appetitu ne quidem tantulo pollent judicio, ut cogitarent, hominem absque ſale vivere, aut diu incorruptum manere non poſſe, appetentiæ autem defectu etiam ægrum ſale carere debere, cum ex more communi ſal tantùm in cibis adminiſtretur, morbum tamen acutum impedire, quò minùs quicquam cibi comedatur, & per conſequens quamdiu appetitus langvet, etiam ſale æger omninò orbetur, atque ideò in potulentis ſal ipſi in ſufficientia propinari debeat.

Notabiliſſima de ſale communi.

Reliqua quæ cauſas concernunt, ſuperiori capite conſignata inveniuntur.

Prognoſis.

Prognoſin quod attinet, alia eſſe nequit, quàm quòd juxta omnes Practicos curationis ſpes tota ad chirurgiam tantummodò pertineat, pars enim remotiſſima eſt veſica, ad quam medicamina ore aſſumpta non perveniunt niſi penitus immutata, imò mera urina, quæ adeò compactum corpus ſolvendi nullam vim obtinere poteſt, ſed potius efficaciſſimum aliquod menſtruum ſolvens requireretur, cujus acri ſolutione liqueſceret, ad quod obtinendũ nullus alius datur introitus, quàm ut illud per ſyringam injiciatur, verùm cum omnia acria etiam per iſtam viam adeò intolerandum concitatura eſſent dolorem, ut nemo absque deliquii & mortis interventu eum perferre poſſet; pleriq; ſectionem ſeu lithotomiam præferunt. Alii tamen & hanc horrent, & potius omnia alia experiri volunt, prout etiam aliqui millepedibus præparatis, alii aliis curati ſunt, Archiater enim Waibelius nobis ſanctè affirmabat, quod per quinquennium laboraſſet veſicæ calculo, demumque incepiſſet quotidiè aſſumere auriſcalpium plenum medicinæ per plurimas ſublimationes è cupro mediante ſale armoniaco paratæ, qua integrè convaluiſſet. Communicatum tum etiam ſibi eſſe pro certo remedio, ſi bdellium ſubtiliter pulveriſatum ſalivâ jejuni impaſtaretur, & in modum cataplaſmatis ſeu emplaſtri ſub umbilico ventri imponeretur, at cum medicamen è cupro curam abſolverit, alterum non attentavit, nosque pariter communicationem hanc experti non ſumus, ſed ut accepimus, communicamus; plura docet

Notanda de bdellio.

TEX-

 De Calculo Veſicæ.

TEXTUS.

Lithontripticum famoſum ex millepedibus deſcribitur in notis ad Crollium, quo reſolvi calculum ovi magnitudinem excedentem.

Methodum medendi calculum tradit Mercatus Tom.3. l 4. c.10. præter iſta omnia maximè utile eſt, ut quolibet anno expurget humores crudos cum caſſia & terebinthina.

Poſt purgationem venæſectio & poſt urinæ provocationem evacuatio etiam ſingulis menſibus poteſt inſtitui.

Uſus ſpecifici ex millepedibus.

Hujus (ſupradicti) ſpecifici adminiſtratio eſt talis: primò purgatur patiens calculum veſicæ purgante conveniente. Præſtat in hoc caſu ſpecificum purgans Paracelſi, acres purgationes reliquæ hîc minus locum habere poſſunt.

Secundo: ℞. *pulveris oniſcorum à ʒj. ad ℈iiij. ſpiritus vini à ʒj. ad ℥ſ. (bilioſis medetur tantùm ſpiritus vini) juris cicerum rubeorum ℥j. m. hanc mixturam exhibe totam, & deinceps ſingulis diebus patienti manè jejuno ventriculo quinque nempe horis ante paſtum, ita tamen ut ſemper ante ſumptionem ſpecifici enema molliens & lene, ſine acrimonia purgantium capiat (niſi nimirum alvus libera, uſum hujus ſpecifici excipit febris) ac deinceps per totius curæ curſum utatur diætâ convenienti & molli, ne uſpiam alvus obſtruatur (ab initio ne detur vinum ante diem 16.)*

Nota:

Poſt aſſumptum ſpecificum ſequitur calor ferè totius corporis præter naturam, item ſitis moleſta & dolores circa pubem ſentiuntur.

Medicamentum hoc lapidem veſicæ vi quadam invadere ſolet, quapropter omnia calida diligenter evitentur, & nonnunquam lapidis prunellæ aliquid in aqua fragorum aut florum fabarum; item julapium ex iſtis aquis cum ſyrupo violaceo & guttis iij. vel IV. ſpiritus vitrioli exhibeatur.

Diebus primis urina imprimis progreditur admodùm craſſa & exiguâ, ſequentibus verò diebus utpote 9. 10. 11. &c. copioſius, calor remittit, dolores ſiſtuntur, & univerſa ſubſtantia calculi comminuta in minimas partes progreditur. Urina nimirum toto curſu curæ collecta, ſi ebulliendo exſiccetur, tandem prodit quantitatem calculi, denuò in lapidem convertibilem, ſi (a) *cum ſolutione tragacanthi vel ichthyocollæ conformetur.*

(a) Quælibet urina etiam ſaniſſimorum arenam & materiam calculoſam in ſe continet, & ſic neceſſariò cum ſolutione tragacanthi conglu-

conglutinari poterit, unde eluceſcit, hoc experimentum falſum quid redolere.

NB. *Interdum in hac cura opus eſt, ut aliquando dies unus atque alter vacuus ſit ab hac medicina, & quieſcat patiens propter vires colligendas, idque in tenerioribus locum habere poteſt.*

Hoc tamen hîc obſervandum, ut medicamenta interdum per catatherem in veſicam mittantur, ægerque ſtatim in balneum locetur, inungatur poſt balneum (b) *calidè pecten & perinæum oleo ſcorpionum, amygdalarum amararum, axungiæ cuniculi & gallinarum an. ℥iſ. ſucci parietariæ ℥iſ.*

(b) Aſſertum nobis fuit, oleum illud quod ſupra cap. 10. contra contracturam communicavimus, externâ inunctione poſt ejusmodi balneum inſigniter contra calculum veſicæ operari. Paracelſus autem unà cum internis medicaminibus etiam externâ adhibenda ſvadet, commendatq; in hunc finem ſuum acuativum hoc modo parandum:

℞. olei lini & terebinthinæ in ſubſtantia ana æquales partes, deſtilla binis vicibus, tum cohobetur cum ſequentibus: ℞. oculorum cancr. lapidum lyncis, ſpongiæ, ludi, judaici an. ℥iſ. ſaxifragiæ ℥ij. fiat externa inunctio.

Lapis veſicæ ſi confirmatus jam ſit, & ad aliquam magnitudinem pervenit, vix aliâ ratione curari poteſt, quam ſectione.

Poterit tamen tractari ſupradictis; præſertim in mulieribus, in quibus via latior & recta.

CAP. CXLV.

DE INFLAMMATIONE, ABSCESSU ET EXULCERATIONE VESICÆ; Germ. Entzündung / Geſchwür / und Erſchwerung der Blaſen.

VEſica urinaria quandoque inflammatione corripitur, idque non uno modo, tam enim ab internis caufis apoſtemata proferentibus quàm externis, quæ ad chirurgiam pertinent, ut ſunt plaga, ictus contuſio & ſimiles, inflammatur. Interna ſeu ſpontanea veſicæ inflammatio conjuncta eſt cum apoſtematione, ſive ea curſum apoſtematis abſolvat, ſive rurſus diſcutiatur. Multas enim veſica venas comprehendit & attingit, proinde non mirum eſt, ſi inflammetur & phlegmone in ea oriatur, quod juxta Authores tam in veſica quàm ejus collo contingere poteſt. Practici etiam duplicem ei apoſtemationem tribuunt, nempe calidam & frigidam, ſed parvi hæc eſſe momenti arbitramur, cum differentia potius conſiſtat in hominis complexione, bilioſi enim & ſangvinei ſemper graviores experiuntur inflammationes reliquis.

Signa inflammationis veſicæ hæc notantur: veſica graviter dolet & calet, & circa ſupraque pectinem intumeſcit, febris quoque continua exardeſcit, cum dolore capitis, reſpira- Signa inflammationis veſicæ.

ſpiratione difficili, faciei & oculorum rubore, vigiliis immodicis, bilis vomitu, mentis alienatione, lingvæ ariditate & ſuccedente nigritie, quæ ſymptomata præcipuè pueros & adoleſcentes comitantur, fit quoque ipſis pecten durus & pubes, unaque dolore vehementi cruciantur, concurrit & egerendi deſiderium teneſmi æmulum, urinaque difficulter redditur & deinde ſupprimitur, alvus eſt aſtricta, eò quod inteſtinum rectum ab inflammata veſica comprimatur & coardeſcat. Hæc autem ita contingere ſolent in junioribus ac bilioſis. At in frigidioribus, ea omnia ſunt remiſſiora, ſentiuntque dolorem tantummodò gravantem, vomunt quoque pituitam, & ſalivam ore ſtagnantem habent, vultu pallent, & ſomnolenti ſunt.

Cauſæ. Cauſæ poſſunt eſſe diverſæ, nempe vel affluxus humorum catarrhalis, qualis in aliis inflammationibus fieri ſolet, vel uſus vehementium diureticorum, item dolor à calculo, diutina retentio urinæ, plaga, ictus vel alliſio adverſus veſicam, violenta attritio vel concuſſio ab equitatione, & ſimiles.

Prognoſis. Prognoſin quod ſpectat, inflammatio veſicæ morbus omninò eſt lethalis, & ex maximè mortiferis, teſte enim Hippocrate: *Dolores veſicæ validam necandi vim habent.* Imprimis ſi febris admodum acuta, urinæque & alvi ſuppreſſio ſimul adſint, ajuntque ſi ſub ala bubo erumpat, mortem ad diem ſeptimum denunciari, actio enim membri hujus nobilis ad vitam inevitabilis eſt, ac proinde ejus interceptio dolorq; in parte hac nervoſa & acutè ſenſili vitam rapiunt. In frigidioribus tamen & mitiora ſymptomata patientibus periculum minus eſt, ac inflammatio legitimâ ſuppuratione terminatur, ruptoque abſceſſu, urina redditur purulenta cum odore gravi, tumor & dolor ceſſant, cum majori tamen periculo ruptio extrorſum in abdomen fit, tutius in cavum veſicæ.

Curatio. Curatio huic affectui ferè eadem competit ac inflammatis renibus, minus tamen refrigerantia & aſtringentia applicanda veniunt ad evitandam iſchuriam ſeu urinæ ſuppreſſionem, individuum fermè hujus mali comitem, lethaliſque periculi ac moleſtiæ plenum, magis autem adhibenda ſunt dolorem lenientia, emollientia & laxantia, idque potius per linimenta, inunctiones & epithemata quàm emplaſtra vel cataplasmata, quippe quæ locum triſti ſenſilitate affectum magis gravent, hæc tamen morbo inclinante tantoque dolore & tenſione non amplius affligente aptius applicantur. In principio igitur injiciatur clyſter emolliens & refrigerans, ut

Clyſter.

℞. fol. mercurial.
lactuc.
malvæ
fragariæ an. m. j.
cucumeris m. ſ. vel ejus loco ſedi major. p. j.
prunor. dulc.
ſebeſten an. n. VI.
ſemin. cydon.
lini an. ℥iſ.

malv.

malv. ℥j.
f. decoct. in aqua comm. ad ℥X. vel XII.
diſſolve in hoc decocto caſſiæ extr. ℥j.
mell. viol. ℥iſ.
ol. roſac. ℥iij.
ſalis ʒj.
m. f. clyſter ſtatim injiciendus.

Mox à clyſteris rejectione vena cubiti ad derivationem, & deinde tali ſecanda, reiterando etiam clyſterem, & ſi urina non ſatis benè fluat, fomentetur pecten & veſicæ locus decocto ſeminis lini & fœnugræci in lacte per irrigationem vel in veſicis eo ad dimidium repletis vel ſpongiis, æger quoque admonendus ut ipſe ſuaptis manibus pectinem ſvaviter premat, parcè tamen, ne inde dolor augeatur, inungatur etiam locus dolens tali linimento:

Linimẽtum. ℞. ol. anethini
chamomillæ an. ℥j.
lini ʒVI.
amygdalor. dulc. ℥iſ.
butyri recentis
pingvedinis porci an. ℥iij.
m. f. linimentum, vel

Aliud. ℞. mucaginis ſem. cydon. & pſyllii cum aqua malvæ extract. an. ℥j.
ol. chamomill.
anethin. an. ℥ij.
axungiæ ſuillæ
pingved. capon.
butyri recent. an. ℥j.
farinæ hordei q. ſ. ut incorporatione fiat linimentum mediocris conſiſtentiæ.

Optimum quoque anodynum & ſimul chalaſticum eſt decoctum medullæ panis triticei in lacte ovillo vel caprillo ad pultis conſiſtentiam, cujus ℔j. adde ol. roſac. ℥ij. chamomill. ℥j. vitell. ov. n. ij. miſce & lepide applica, poterit quoque ℈ſ. croci & in magno dolore gran. j. vel alterum laudani opiati adjici. Anodynum.

Quoad nutrimentum, cibus & potus in parca quantitate conveniunt, & dentur quæ refrigerant, ut cremor decorticatæ avenæ & hordei, lactuca, malva, pruna, ſebeſten, poma vitando aſtringentia, potus ſit decoctum hordei cum incoctione tantilli cinamomi, & declinante jam morbo emulſio ſem 4. frig. maj. cum detergentibus. Reſtat nunc ut etiam nonnulla addamus. Diæta.

DE EXULCERATIONE ET SCABIE VESICÆ.

PRædictâ inflamatione per mortem non interrruptâ neceſſariò ſequitur ulceratio, ſeu abſceſſus apertio, poteſt tamen veſicæ quoque ulceratio contingere abſceſſu non prægreſſo, nimirum ab attritu aſperi calculi, quæ etiam communiſſima exulcerationis hujus cauſa eſt, item ab acribus potionibus diureticis, ut exemplum habemus in cantharidibus, nec non ab erodentibus humoribus ad veſicam decumbentibus, vel violenta quadam diſruptione ab ictu, caſu, aut percuſſione; Scabies autem veſicæ eſt malum levius, & quaſi principium exulcerationis, in quam & demum tranſit, ſponte autem & per ſe à pravis incipit humo- Scabies veſicæ.

ribus uredinem quandam veſicæ imprimentibus, qua ſqamulæ & laminulæ furfuraceæ intus abraduntur, internusque perennis pruritus inducitur. Ambo autem affectus plerunque in collo veſicæ exoriuntur, interdum tamen ſed rarius in ejus cavo.

Signa exulcerationis. Signa exulcerationis ſunt hæc: dolor vehemens percipitur in pube, imoque ventre, adeſtque ad quamvis mictionem ingens urinæ ardor, unaque purulentum quid effluit, & in fundo urinalis ſubſidet, an verò ulceratio ſit in collo veſicæ vel interiori cavitate, hoc modo diſcernitur: ſi collum patitur, dolor eſt circa pubem inferiorem, isque non continuus, ſed ad emiſſionem lotii magis affligit, at ſi in capacitate veſicæ viget, totam pubem dolor premit ferè inceſſanter, & ramentula una cum urina prodeunt, utrobique tamen mictio purulenta & interdum cruenta accidit, & vehemens ſtranguria, cum dolore pectinis & pubis, & graveolentiâ urinæ emiſſæ concurrit & ſubinde appetentia quædam egerendi ſeu ſtimulus tenesmicus. Quoniam verò & ulcus urethræ urinam cruentam & purulentam efficere ſoleat, in eo dignoſcendo hæc ſingularia obſervantur. Quod ulcere in meatu urinario exiſtente pus urinam jamjam mittendam præcedit, atque inter mejendum dolor intus in urethrâ infeſtat, ſin autem collum veſicæ ulceratur, pus lotio eſt permixtum, ſimulque febricula quæpiam gliſcit cum vigiliarum crebritate, & doloris aſſiduitate, exulceratio quoque veſicæ modò inflammationem habet comitem, modò citra eam eſt.

Signa autem ſcabioſæ veſicæ ſunt: quòd pruritum tum in imo ventre tum pectine ſuſtinent, æger quoque aſſiduè mejit, & in urina graviter olente aſperam & furfuraceam hypoſtaſin, ſeu ſubſidentiam deprehendit, ſuccedit tandem ſcabie altiorem penetrationem moliente cruenta mictio, & veſicæ ulceratio, corpusque demum contabeſcit. Signa ſcabiei.

Cauſæ harum ægritudinum utplurimum ſunt: acuties calculi vel ſabuli, vel in ipſa veſica genitorum, vel à renibus delapſorum; item acria pharmaca urinam violenter expellentia, & veſicam hoc modo lædentia, venus quoque tam nimia, quàm omninò intermiſſa corruptionem in partibus genitalibus veſicam ſimul afficientibus excitare poſſunt, nimia enim venus parit gonorrhœam, quę continuo ſuo fluxu demum inſtar coryzæ meatum communem excoriat, qui dein facilè phlogoſin concipit, & altius legat. Diuturnæ verò veneris induciæ interdum in retento ſemine coagulum efficiunt inſtar indurati albuminis ovorum, ut probè obſervavimus, crebramque ſtranguriam & diſuriam excitant demumque hæc mala inducere poſſunt. Denique debilitas fellis obſtructi vel alio modo imminuti ſæpius in cauſa eſt, eò quod acorem deflui ſucci pancreatici non ſufficienter ſaturare, & in ſalſedinem urinæ fermentare queat, vel etiam nimia acredo dicti ſucci æquo abundantius Cauſæ.

dantius ab Archeo pancreatis confecti, vel à prægreſsâ obſtructione rurſum nimis copioſè fluentis à fermento fellis utut legitimè valentis ſatis ſubigi nequit, ſed acor quidem inſuperatus remanet, & ſtrangurioſè veſicæ partes oblædere poteſt.

Prognoſtica. Prognoſis horum affectuum hæc eſt: quod nimirum exulceratio veſicæ eâ, quæ renes torquet, inſanabilior eſt, & plerunque plerosque eâ decumbentes indeſinente dolore, febrili exaſperatione, inſomni fatigatione & colliquatione ad feretrum ducit, prout & noſter Digbæus magnum illud Anglorum decus eâdem quoque interemptus eſt, alios tamen citius, alios tardius extingvit, cauſa autem inſanabilitatis potiſſimum eſt, quod veſica urinaria pars frigida, & longiſſimè ſeu plus omnibus longinque diſſita exiſtat, ſanabilior tamen in cervice eſt, quàm in cavitate, cum non ſic nervoſa & exſangvis ſit ſed carnoſa, eòque ad ſanationem magis apta, attamen exulceratio ab eroſione orta ſemper exiguam reſtaurationis ſpem relinquit. Imprimis autem in exulceratione à calculo non modò non ſanatio, ſed & ne mitigatio quidem ſperari poteſt, donec ablatus ſit calculus, ſemper enim affrictu ſuo novam exulcerationem, dolorem & ardorem producit.

Quantillum autem ſpei, quod à Medicina dogmatica afferri poteſt, conſiſtit ferè in cura palliativa, & mitigatione doloris; ſolamen autem aliquod affert decoctum malvæ aut aqua ejus ſtillatitia cum ſacharo violac. dulcorata, nec non continuatus uſus lactis ovilli cum ſacharo, utiliter quoque unà parabitur conſerva florum & ſeminis malvæ. Reliqua peti poſſunt è ſupero cap. 140. eadem enim & hic conducunt, plura habet

TEXTUS.

Inflammatio veſicæ. *IN Inflammatione veſicæ valent eadem, quæ in inflammatione renum (cum ſale gemmæ miſce aliquid nitri in clyſtere in inflammatione veſicæ & ani.)*

Abſceſſus veſicæ. *Ab abſceſſu pauci evadunt.*

Exulceratio veſicæ. *De exulceratione veſicæ, ut & renum vide Platerum pagin. 86. part. 3. curar.*

Huc etiam commodè referuntur, quæ de exulceratione renum dicta ſunt, ut ſpiritus mercurii dulcis, quo nihil præſentius mundificat & conſolidat.

Exulcerationes ductus penis curat ſpiritus mercurii dulcis, per ſiphunculum injectus. Vide Paræum & Fabricium.

Pro mundificatione (mundificantia ſemper præcedant conſolidantia) adhibeatur vinum.

Pro conſolidatione ℞. ſtercoris gallinæ lutei q pl. in butyro recente vel oleo olivarum aſſatum injiciatur in frigidam, ſordibus fundum petentibus ſupernatat liquor oleiformis, per ſiphunculum in ductum penis injiciendus.

CAP. CXLVI.
DE PRIAPISMO ET SATYRIASI; Germ. die ſtetige Steiffigkeit der Ruten.

Deſcriptio genitalium anatomica.

SEquuntur nunc affectus genitalium, quos antequam deſcribamus, conveniens noſtro inſtituto erit, aliqualem harum partium delineationem præmittere. Genitalia cum duplicem uſum præſtent, emittendo nempe urinam & generationis opus efficiendo, varias annexas habent partes utrique uſui inſervientes, quæ omnes ad pudenda deſinunt; ſunt autem in maſculis præcipuè vaſa præparantia, pampiniformia, epididymides, paraſtatæ variciformes, teſticuli, vaſa deferentia, aſſervantia & ejaculantia. Præparantia ſunt duæ venæ, arteriæque totidem, dextra venarum frequentius at non ſemper ex venæ cavæ trunco, ramuſculo ſimplici geminóve exſurgit, ſiniſtra verò ut plurimum ex emulgente ſiniſtra vena; arteriæ ſæpius è trunco arteriæ magnæ deductæ, & cum venis affeclis deorſum profectæ peritonæi proceſſum intrant, inibique plexu multiplici implicatæ ac contortæ, corpora pyramidalia conſtituunt, ſic vocata quod ex anguſto initio in latiorem quaſi baſin ſe extendentes figuræ talis quid ſimile efforment. Appellantur quoque vaſa pampiniformia, quòd more pampinorum tortili criſpatione deorſum hinc inde contendant. Finiuntur circa epididymides, ita vocatas quod teſtibus incumbant, ſuntque corpora glandulosa ſeu plurimis glandulis per membranas mutuò connexis conſtantia, exigua, duriuſcula, albicantia, teretia, communique vaſis ſpermaticis tunicâ obtecta.

Vaſa præparantia.

Corpora pyramidalia.

Vaſa pampiniformia.

Epididymides.

Sinuoſa ſunt eâ parte quâ teſtibus committuntur, & oblongæ, tantæque quandoque magnitudinis, ut vel alterutro vel utroque in latere geminatum teſtem repræſentarint.

Teſtes.

Conjunguntur his ſubjecti teſtes ſeu teſticuli ita denominati, quod virilitatis teſtimonium primarium in ipſis conſiſtat, mediantibus quamplurimis fibris ac meatibus membranæ ipſorum propriæ, horum ſubſtantia mollis & alba eſt itidemque glanduloſa, mittuntur quoque ipſis venæ & arteriolæ à ſpermaticis, nervuli verò partim è paris ſexti ramo interno à plexu meſenterii declinante, partim à medulla ſpinali. Membranâ veſtiuntur propriâ denſa ac firma, ob coloris ſpeciem albuginea nominata. Communi facto eorum bini ſunt, rarò unus, inveniuntur quoque quibus tres ſunt, quemadmodùm & nobis talis notus fuit, ſed libidinoſiſſimus, qui & palam jactitabat, ſe plus rei venereæ exercere quàm alii duo, cæterùm teſticuli fermè ovalis ſunt figuræ, atq; etiam à quibusdam Germanicè ova vocantur, quemadmodùm & ova quælibet merum ſpermaticum quid exiſtunt.

Paraſtatæ variciformes.

Continuantur epididymidibus paraſtatæ variciformes ſic dictæ; quod more varicum flexuosè contorqueantur. Suntque vaſa nervoſa &

ſa & duriuſcula, ad exactiorem ſeminis elaborationem, ut creditur, inſervientia.

Ab his ſurſum verſus abdomen aſcendunt, indeque ad veſicam reflectuntur vaſa deferentia ſic appellitata, quòd ſemen jam præparatum deferant ad vaſa aſſervantia, prædicta enim vaſa deferentia verſus veſicæ poſteriora reflexa denuò ſenſim in capſulas quasdam ampliantur veſiculis racematim diſpoſitis adſitas, quæ veſiculæ ſeminales appellantur, intra quas intus in modum cellularum mali punici cavatas ſemen confectum affatim colligitur, aſſervatumque completur.

Vaſa deferentia.

Veſiculæ ſeminales.

Contermina ſunt capſulis ſemen aſſervantibus vaſa ejaculantia, quæ & proſtatæ glandulosi dicuntur, ab aliis glandoſum corpus & teſtes minores, ſuntque corpora duo duriuſculæ carnoſitatis, in anteriore â veſicæ orâ ad penis radicem ſita firmiterque juncta, ac membrana valida velata, ad nucis ferè juglandis magnitudinem accedentia. Hæ parte una ab adſitis capſulis ſemen aſſervantibus ſemen recipiunt: alterâ collo veſicæ lotialis ſeu radici penis affixa ſemen elaboratum per plurimos minutosque meatus ſeu poros motu venereo laxatiores, in modum argenti vivi, compreſſione poros corii perſudantis in urethram effundunt, cooperantibus vicinis muſculis forſan ſub confrictum libidinoſum inſtar anthliæ trahentibus, exit tamen ſemper legitima ſpermoſitate abſolutum in quamplurimis ea ætate degentibus, qua illud quotidiè novum generatur, omninò ſpontè & ferè absque perceptione, ſingulis fermè diebus in ſatis larga quantitate, quando nimirum fortiori conatu alvum deponunt, tunc enim ſemen unà cùm urina effluit, nimirum in his qui ſeminoſi ſunt, concubitus tamen abſtemii. Vaſcula hæc tam ſeminis quàm urinæ unico congaudent communi epiſtomio ſcilicet pene, quem & priapum, mentulam, colem & virgam vocant, ideò producto, ut ſemen genitale in intimum uteri thalamum ejaculatione porrigere poſſet.

Vaſa ejaculantia. Proſtatæ glandulosi.

Penis.

Integitur cute & membranâ carnoſa, absque ulla pingvedine interjecta, ſubſtantia ejus conflata cernitur è duobus corporibus arundineis teretibus, albicantibus, nervoſis & denſis, molli inſuper quâdam veluti medullâ infarcta, inferto ſimul minuto venarum arteriarumque plexu copioſo. Adſunt utrinque duo muſculi breves, at robuſti craſſique, unus erector virgam erigens, alter ejaculator, urethram dilatans & ſeminis excretionem promovens. Hæc canalis eſt virgæ medius, è duabus membranis conſtructus, quarum interior tenuior eſt exquiſitique ſenſus, exterior denſior & fibroſior.

Urethra.

Extima penis pars glans eſt, tota carnoſa, mollis & ſpongioſa, tenuique & tenerrimi ſenſus membranulâ obvelata, atque inſuper ampliabili tegumento, quod præputium appellatur, cum ſuo in inferiori parte glandis frenulo, præputium affixum tenente.

Glans.

Præputium.

Pendu-

Pendulum quoque penis geſtat ſacculum teſtium domicilium, nempe ſcrotum in medio lineâ quâdam velut ſuturatum. Conſtat cute cum cuticulâ ſuâ & membranâ carnoſâ, unà cum cute promptè corrugabili, quæ dartum dicitur, ob ejus facilem excoriabilitatem, ſuccedit his elytroides ſeu membrana vaginalis, propior ille teſtium amictus, peritonæique proceſſus expanſioque quædam exiſtens, itidemque ut illud gemina. Hæc parte ſeu ſuperficie externa exiguos ſuſcipit muſculos, qui teſtes ſuſpendunt, ideoque cremaſteres ſeu ſuſpenſorii nominantur; cum autem exterior dicta pars rubedinem quandam objiciat, erythroides ſeu rubea vocitatur, Interior verò albicans ac inſtar nervi ſplendeſcens nervea.

Scrotum. Dartum. Elytroides. Cremaſteres. Erythroides.

Atque hæc ſunt, quæ præmonenda erant, nunc pergamus ad exequendum inſtitutum

DE PRIAPISMO ET SATYRIASI; Germ. hefftige Erſtarrung der Ruten.

VIrgæ mirabilis ab opifice indita eſt ad generationem neceſſaria ac naturalis hæc qualitas, ut per certa intervalla intendatur, rigidaque fiat, quo ſemen in ſinum uteri longa porrectione deferri queat, hacque operatione peractâ à ſuâ rigiditate iterum remittat, mollis & pendula fiat, ne continua erectio inceſſui negotiisque faciat impedimentum.

Accidit tamen quandoque, quamvis rariſſimè, ut continua virgæ fiat erectio, idque duplici modo, in uno virgam continua rigiditas præter voluntatem appetitumque venereum moleſtat non ſine dolore, vocaturque hic affectus priapiſmus. In altero qui ſatyriaſis eſt, penis pariter continuò rigidè erectus turget, cum ingenti ſalacitate, veneriſque furibundo deſiderio, per coitum interdum non exſatiabili, ut nomen indicat, capripedes enim ſatyri ob inexplebilem ſalacitatem apud Poëtas celeberrimi ſunt, atque etiam herba ſatyrion propterea hoc nomen invenit, quod libidinem proritet. Quæ etiam proritata laſcivia ſi omnem modum excedit, quandoque in ſatyriaſin quandam terminatur, ita ut nonnunquam exempla occurrant, ubi per nimium venerem excitantium uſum, qualia ſunt: borax veneta, ſcinci marini, boleti cervini & ſimilia, tantus concitatur ſalacitatis pruritus, ut concubitu nõ reſtingvatur, ſed tamdiu ſtimulet, donec exhauſtis breviſſimo ſpacio omnibus viribus unà cum ſemine vita profundatur.

Priapiſmus. Satyriaſis.

Cæterùm tentigo ſeu ſatyriaſis non modò maribus accidit, ſed nonnunquam quoque fœminis, quamvis pene careant, qui tantummodò erectioni aptus eſt, ingens enim muliebrium pruritus cum dolore eas invadit, ita ut continuò manus ad pudendum admoveant, atque immodico veneris deſiderio exardeſcant, exſtillante ſimul humore ſalſo acri & mordaci, locaque utero vicina inflammationem patiuntur, atq; obſtructionem, adeò ut ſemen excerni

Tentigo.

cerni nequeat, hinc ergò partes diſtenduntur, atque appetitus coëundi increſcit, morbumq; magis exaſperat, quanquam hic affectus in fœminis admodùm raró contingat.

Cauſæ. Cauſas horum affectuum Authores volunt eſſe flatus, cavum nervi diſtendentes, vel virgæ arterias calefacientes, & orificia nimis dilatata, contingere quoque interdum his, qui à coitu incaluerint, in aliis à penis ulceribus, vel inflammatione in glandulis paraſtatis exiſtente, vel à ſangvinis & ſpermatis multitudine; Verùm potiſſima cauſa eſt quædam acredo à cibis vel medicamentis iſtuc delata, videmus enim à multo eſu caſei acriter ſaliti mirum veneris ſtimulum oriri, item ab uſu eorum, à quibus aliàs calculus ſuccreſcit, ac ſtranguriam inferre ſolent, ab ipſaque calculoſitate jam factâ, frequentem enim virgæ erectionem ſecum afferunt, proinde ſuſpicabile quoque eſt pari modo talem acredinem tartaream ad loca ſeminalia ab ejusmodi nutritione deferri, talemque ſtimulantem uredinem excitare poſſe.

Prognoſis. Prognoſis eſt, quod tantummodò juniores & ſeminoſi hisce affectibus obnoxii ſint, eò quod multitudo ſeminis apta eſt fermentationem excitare, concurrente copioſo corporis calore, ad quod ſenes ob exiguum calidum minus apti ſunt. Quanquam & hi validis ſtimulativis interdum pari modo auſcultent ad internecionem usque vitæ. Nil autem aliud videtur eſſe quàm venerea convulſio, eundem denique exitum efficiens, cum aliis convulſionum modis, nempe virium exolutionem, tetanum & mortem.

Curatio. Pro curatione convenit vomitus per aquam benedictam ad divertendam materiam; purgantia enim per inferiora ut & diuretica facilè malum augent, nos quidem talem patientem nondum vidimus, ſed ab alio fide digniſſimo accepimus, quod oleum & ſpiritus Saturni, quæ nimirum è ſale plumbi per acetum deſtillatum parato, transſtillatione proliciuntur, præſentiſſimum dent remedium, quin imò ſe tali libidinoſo cuidam, ſaltem aliquot guttas ipſo inſcio inſtillaſſe ejus potui, & ad miraculum ſalacitatem ſidiſſe, cum verò non ubique talia haberi vel parari queant, imploranda ſunt vulgaria refrigerantia pro intrinſeco & extrinſeco uſu, ut ſunt, nymphæa, lactuca, portulaca, ut & calida, ſpecificè tamen in hisce operantia, nempe ruta, agnus caſtus, mentha, camphora, imprimis magnum adjumentum affert radix nymphææ decocta & pota, adhæc lumbis itidem ejusmodi frigefactiva adhibeantur, nempe ſolanum, hyoſcyamus, ſedum majus recens contuſa, item

℞. ungvent. è minio camphorat.
ſantalin. an. ℥iſ.

m. f. inunctio lumborum locique inter anum & pudendum.

TEXTUS.

IN priapiſmo (a) *præſentiſſimum eſt oleum rutæ deſtillatum inunctum, & intro ſumptum guttulis aliquot.*

 (a) Ea-

 De Impotentia.

(a) Eadem in ſatyriaſi, & ſalacitate quavis conducunt.

CAP. CXLVII.

DE VIRILITATE EXTINCTA; Germ. Mangel oder Verluſt der ehelichen Wercke.

SÆpius in morbis concurrere jurati & æviterni noſtri hoſtis Diaboli maleficam operationem, dubium non eſt, eumque omnifariam ſatagere, ut hominibus illudat & noceat, præſertim in his, quæ ad generationem pertinent, ubi procul dubio in cœlibatu ſalacitatem, in matrimonio verò odium & frigiditatem omni modo inſufflat, ut nimirum hîc adulterium ibique ſcortationem compromoveat, atque utrobique gehennæ reos faciat, probè ſciens, omninò eventurum, quod Dei verbum in diverſis ſcripturæ locis prædixit: *Nullos ſcortatores & adulteros intraturos in Regnum Cœlorum.*

Virilitas extincta quid?

Per extinctam ergò virilitatem hîc intelligitur morboſa impotentia erigendæ virgæ, in ætate florida extra morbum contingens, ægrotantibus enim & decrepitis hoc naturale eſt, quod exhauſtis ſpiritibus mentula flacceſcat, nec ullo pacto erigatur, reliquis verò aliàs in ſanitate degentibus, talique ætate, quâ aliis coætaneis vigere venus ſolet, talis impotentia ſi accidat imprimis matrimonio junctis, & brevi antea contrario modo alacribus, inconſvetum & morboſum quid eſt.

Cauſæ impotentiæ.

Cauſæ impotentiæ diverſæ eſſe poſſunt: nempe debilitas virium, cordisque imbecillitas & palpitatio; ſangvinis amiſſio copioſa, ejusque & ſeminis penuria & frigiditas, item nervorum virgæ reſolutio ex refrigeratione nimia per immorationem in aquis, locisve frigidis, vel adhibita intus vel extra remedia refrigerantia, obſtructiones nervorum vaſorumque ſpermaticorum, per humores frigidos diætamque craſſam & infrigidantem, frequentius autem impotentia procuratur per diabolicas & veneficas operationes artesque magicas, à Satana per inſtrumenta ſua ad noxam corporis & animæ ſuggeſtas. Nonnunquam etiam diſtractio imaginationis in cauſa eſt, ſicut his evenit, qui totâ ſuâ intentione ad ſtudia & curioſas occupationes feruntur, vel rebus negotiatoriis impensè occupantur. Vel omni cogitatione & imaginatione ad res Divinas & religioſas amoroſè rapiuntur. Quidam etiam in omnibus ad venerem quidem apti & ſeminoſi ſunt, ſed ita verecundi erga fœminas, ut appropinquantibus veluti incantamento impotentes reddantur, & talis quidem impotentia aliam non habet medicinam, niſi ut prius cum fœmina intercedat frequens conſverudo & familiaritas. Diuturna quoque abſtinentia virilia contrahit, ſemen craſſat, ac ſemè congelat eiq; tardum & lentum ad genitalia motum conciliat, & deſvetudinem coitus parit, non aliter ac diutina intermiſſa lactatio lac in mammis exſiccat & aufert.

Deni-

Denique debilitas ſtomacho & hepati introducta non ultima hujus affectus cauſa exiſtit, atque etiam mox ex aliis ſignis eluceſcit, fieri enim nequit, quod extenuati cruribus ſurisque, nec non carne muſculosâ exterius inter indicem & pollicem abſumptâ, uti phthiſicis ſolemne eſt, ad venerem validi ſint. Prout etiam crura à nimia ſalacitate venerisque continuato uſu brevi extenuantur, & oculi interius reſident, libido enim præ omnibus animantibus hominem & equum exſolvit, quia plurimum ſeminis excernunt, quædam etiam paſſiones in ſpecie coitum minuunt, nempe iſchiatica, varicea ſeu ægritudo varicum, & exciſio nupera mariſcarum, item profluvium urinæ, eò quod pingvedinem renum ac robur abſumat; adhæc mares æſtate, ſicut fœminæ hyeme minus ad venerem habiles ſunt, pluraque alia, quæ hunc affectum parere poſſunt.

Curatio. Curationis ſcopus eſt, ut victus calefaciens & ſimul humectans inſtituatur, remediaque calida non exſiccantia, ſed flatuoſum ſpiritum ſemenque augentia adhibeantur:

Diæta. In victu conveniunt, quæ eximiè nutriunt, & laudabilem ſangvinem procreant, ut ſunt carnes gallinarum, caponum, porcorumque non caſtratorum recenter mactatorum, item paſſerum, perdicum, phaſianorum, turdorum, pullorum columbinorum, omniumque avium montanarum & earum cerebra, & teſticuli, ovaque recentia & dura, item fabæ, cicera, piſa, rapæ quæ napi vocantur, paſtinacæ tam albæ, flavæ quàm rubræ earumque ſemina, radices ari decoctæ & dracunculi, ſemen aniſi, fœniculi & erucæ, cæpæ & porrum, amygdalæ, nuces pineæ, avellanæ, ficus, & uvæ paſſæ, ſatyrium cum lacte coctum, ſeſamum, horminum, eryngii radix inſtar petroſelini cocta, conchæ omnes, & cancri, ea aromatiſentur pipere, cinamomo, zingibere, croco & cardamomo, reliqua aromata ceu nimis exſiccantia vitentur.

Iturus cubitum capiat circiter ℥j. electuarii diaſatyrii vel cochlear plenum ſequentis electuarii cum vino dulci generoſo:

℞. radicum majorum turgidarum ſatyrii recentiſſimè contuſarum — Electuarium.
eryngii recentium vel recenter conditar.
paſtinacæ conditæ
zingib. condit. an. ℥j.
ſemin. erucæ
paſtinac.
napi
fœniculi an. ʒiſ.
urtic.
lini an. ʒj.
piperis longi ʒj.
ſcincorum abjectis capitibus & pedib. n. iij.
raſuræ priapi cervin. ℥ij.
cum ſyrupi conſerv. cortic. citr. q. ſ. f. electuarium; plura præſcribit

TEXTUS.

EXtinctam virilitatem vel ſaltem imbecillem reſtituit

Eſſentia ſatyrionis.

I. eſſentia ſatyrionis apud Crollium, cujus mirabiles virtutes ii deprædicant, qui egentes ejusmodi confortativis aliquando uſi ſunt.

II. Paracelſo tribuitur ſequens:

Tabulæ.

℞. caſtorei
galangæ
macis
caryophyllorum
aniſi
piperis longi
Boracis Venet. an. ʒij.
fol. ſaturejæ
rad. ſatyrionis
valerianæ an. ʒj.
boleti cervin. ʒiſ.
carnis ſcincorum marinorum
radic aronis
cardamomi an. ʒſ.

m. & redige in pulverem, quem cum ſacharo in aqua roris marin. ſoluto m. & f. tabulæ, doſ. a ʒiij. ad ʒVI. fortius operatur, ſi aliquoties in laconico umbilicus & partes vicinæ inungantur cum oleo maceris deſtillato. Mirabile nimirum eſt oleum maceris.

Eſſentia ambræ.

III. Valet eſſentia ambræ cum ſpiritu roſarum extracta, & pilularum formâ exhibita. Hoc verò in ſenibus præcipuè operatur doſ. gr. iij. IV. V.

Mixtura confortans.

IV. ℞. Confectionis alkermes ʒſ.
ambræ griſeæ ʒij.
zibethi non ſophiſticati ʒj.
aquæ magnanimitatis ℈ij.

m. recondantur diligenter (ne evaporet) hujus miſturæ à ℈ſ. ad ℈j. exhibe alternis veſperis, cum aqua cinamomi.

Ad impotentiam magicam.

V. Pudenda (cujusque ſexus) decocto aquilegiæ ſimplicis diligenter laventur, & dente demortui pulveriſato ſuper carbones fumigentur; in ſterilitate & impotentia per incantationom (a) factâ hoc valet. Vide etiam infra de ſterilitate & de impotentia.

(a) Hisce qui per magicam deluſionem ligati ſunt, hoc modo ſuccurrendum: ut nimirum ante omnia Sacri conjugii inſtitutor ardentiſſimè invocetur, ut ſequentibus vel aliis probatis remediis clementer benedicat, quæ talia ſunt: imprimis omnium ore nec vano rumore circumfertur, veneficis & hujusmodi Diaboli ſquamis uſitatum eſſe, veneficia ſua ſub limine januarum, vel certis in locis, ubi crebris vicibus is homo, cui nocere percupiunt, transit, ſuffoſſa occultare, ſedulò igitur ubivis in ædibus impotentis perveſtigandum, an fortè ſub liminibus, in vel ſub lecto, ejusve ſtramine, cervicalibus, &c. vel ſub ipſo pavimento quic-

quicquam abſconditum vel defoſſum jaceat, & ſi quid reperiatur, igni idipſum concremetur, lectus autem ipſiusque ſtratum cum aliis permutentur, nec etiam abs re foret grana aliquot, nempe à IV. ad VI præcipitati aurei noſtri, in tractatu de panacæa minerali edocti naturâ ſuâ veneficiis adverſantis cum ℈ſ. vel ℈j. extracti rhabarbari in pilulas efformare, & pro vice deglutire, præter enim commemoratam virtutem antimagicam etiam totum corpus mundificat. Tum verò in uſum vocentur ſpecifica, quorum non infimum eſt, ſi incantatus accipiat teneros ſurculos betulinos vel alterius arboris calidæ qualitatis, nimirum lauri, buxi, hederæ arboreæ &c. veneficæ enim inſtituunt ſua veneficia per ligna frigida, ut ſunt quercus, rami & ſpinæ acaciæ ſeu pruni ſylveſtris, è quibus clavum ſeu paxillum ſectione conformatum in jam jam emictam ad terram urinam adhuc tepentem configunt, pedibusq; penitus intra terram calcitrando propellunt, & protinus vir ille, cujus urina ita maleficè tractata eſt, virilitatem amittit, nec amplius virga ipſius erigitur, donec clavus extrahatur, vel ligno priori contrario, nimirum calido operatio frigida annihiletur, quod fit dictis ſurculis in faſciculum ſeu ſcopas ligatis, quarum ramuſculi ſurſum, caudices verò ſeu manubrium dicti faſciculi deorſum recto modo teneantur, tum afflictus emittat ſuam urinam in ſuperiores ramuſculos, ut à ſuperiori parte ad inferiorem defluat, & à faſcino liberatur; ambo autem conjuges unà omni veſpera per aliquot dies quantitatem nucis juglandis electuarii paulo ante deſcripti cum vino generoſo intrò accipiant.

CAP. CXLVIII.

DE GONORRHOEA, Germ. Verflieſſung deß Samens.

Γόνη vel γόνος Græcis ſemen genitale eſt, ῥεῖν autem idem eſt ac fluere, vocabulum ergò gonorrhœa ſeminis genitalis profluvium ſignificat. *Ratio nominis.* In hoc affectu ſemen ſeu ſperma ſponte ſineque voluptate & præter voluntatem aſſiduè profluit, ac citra ullam virgæ tentiginem excernitur, idque ex retentricis naturæ imbecillitate, eſtque morbus inſtrumentorum ſeminis, non autem ipſorum pudendorum, quæ tamen demum unà corripiuntur, eſt enim nil aliud quàm coryza ſeminalis procedente tempore tramitem ſui transcurſus per pudenda acredine aſſumptâ mordicans, & ſenſim exulcerans. *Gonorrhœa quid?*

Agnitionis & dignotionis ſigna in hoc affectu hunc in modum ſe offerunt: patienti continuò tenuis viſciditatis humor ſenſim effluit inſtar crudi albuminis ovi invitâ voluntate, absque venereo confrictu, ſineque nocturna imaginatione aut virilium extenſione, voluptuoſaque perceptione, quæ aliàs excretionem ſeminis ordinariam conſequitur, quanquam in quibusdam titillatio & per vices veretri erectio, venereaque imaginatio concurrat, adhæc fluxus iſte in exigua quidem fit *Signa.*

quantitate in modum fiſtularum, ſed continua duratione materia guttulatim exſudans in ſatis magnam cumulatur quantitatem, atque in induſiis colligitur & indureſcit, adeò ut induſium ea parte obrigeat, ac ſi ſolutione tragacanthi imbutum ac reſiccatum eſſet, is affectus utrique ſexui eſt communis, hisque maximè contingens, qui ſemine ſtimulante pruriunt, & nimium æſtuanter venereis imaginationibus indulgent ſcortatorioque modo aſſiduè incaleſcunt, ita enim partes ſeminales continuo calentes ſemen propellunt, aliudque mox attrahunt, ita ut fluxus fiat continuus, adoleſcentibus ſcortatoribus, virginibusque adultis, & junioribus viduis prurientibus familiaris, diverſo tamen modo, interdum enim fit à renum caliditate, ſomniisque venereis ac ſeminis ubertate, & pollutio dicitur; in aliis adeò nimis facilis ad excretionem ſeminis propenſio eſt, ut cum quavis clyſteris infuſione fortiorique ad egerendam alvum conatu ſemen unà emittant. Pollutio.

In aliis & quidem fœminis humorum phlegmaticorum à capite, ſpinali medulla & hepate fit concurrens collapſus ad matricem, & vaſa ſpermatica, & cum ſemine albumen putidum emanat. In aliis virulentum contagium partes has apprehendit, & continuò titillans, & ſimul putrefaciens gonorrœam fœdam, morbi Gallici conſobrinam & prodromum concitat; quælibet autem gonorrhœa ad aliquod temporis ſpacium protracta fit putida, ac corporis gracilitatem præſertim circa lumbos, vultus pallorem & oculorum cavationem inducit.

Cauſæ hujus affectus poſſunt eſſe variæ, modò enim retentricis imbecillitas in vaſis ſeminariis aut reſolutio ejusdem in cauſa eſt; modò nimis copioſa ſeminis abundantia, dicta vaſa gravans & ad excernendum proritans, ut his fieri ſolet, qui veneris uſui aſveti ſunt, & poſtmodùm aliquandiu eâ carere coguntur, præſertim in temperamentis melancholico ſangvineis, quibus ſemen abundantius & acrius eſt ob ſalſedinem; delicata quoque & ocioſa victitatio non rarò hunc affectum parit, ideòque prælatis, monachis & monialibus non rarus eſt. Converſatio item cum pulchrioribus, eorumque amplexus, & contrectatio præcipuè in verendis poſtea fortem imaginationem & deſiderium rei venereæ poſt ſe relinquunt, quibus ſemen attrahitur copioſum, quod etiam fit obſcœnis picturis, & lecturis. Alimenta denique calida & humida, quin imò quoque impensè frigida, frigusq; externum per inſeſſionem ſuper lapide vel marmore frigido, vel immorationem in aquis locisve humidis, ictus quoque ſeu alliſio verſus iſta loca vel originem nervorum aliaque diverſo modo in cauſa eſſe poſſunt; de cauſis verò virulentæ capite de morbo Gallico dicetur. Cauſæ.

Prognoſin quod concernit, gonorrhœa impurus & turpis morbus eſt, eumque patientes etiam olim à lege Divina impuri pronunciati ſunt, Prognoſtica.

ſunt, quem etiam ſum ipſa conſcientia adeò obſcœnum & infamem declarat, ut nonnulli ob pudorem eo intereant, non audentes medico rem detegere. Inveteraſcens enim fœdum pallorem, macilentiam & tabem infert, hisque imprimis exitialis habetur, qui ſtomachum habent invalidum & refrigeratum, hepar verò exceſſivè calidum. In fœminis quoque quàm viris difficilioris eſt eradicationis.

Curatio. Curatio ſecundùm indagatam cauſam inſtituitur diverſo modo, tam victu quàm pharmacis; cum autem plerunque à nimia caliditate & tenuitate ſeminis proveniat, practici refrigerationi & ſiccationi ſtudent imperantes quietem, cibi parcitatem & aquæ potum, nec non aëris ſiccioris procurationem, ſomnum moderatum in cubili frigidiori, decubitum in alterutrum latus, vitando ſupinum, cum ſubſtratione in lecto herbarum frigidarum, nempe ſolani, portulacæ & ſimilium, & abſtinentia ab his quæ ſemen proferunt, ut ſunt fabæ, cicera, aliaque præcedente capite indicata, item vinum, cui ſuccedat aqua ferrata, vel cereviſia tenuis. Quoad medicamina pro evacuatione corporis tale quid præſcribunt.

Bolus evacuans. ℞. flor. caſſiæ recent. ℥VI.
terebinth. in aq. plantag. lotæ. ʒj.
rhabarb. pulveriſat. ℈j.
pulv. liquirit. & ſachar. q. ſ.
m. f. bolus pro una vice.

Pilulæ. Vel ℞. mercurii dulc. quinquies ſublimat. ℈j.
maſſæ pilular. de fumar. ℈ij.
m. f. pilulæ.

Poſtmodùm omni manè & ſub noctem accipiatur ℈j. vel ʒſ. pulveris ſequentis cum aqua rutæ:

℞. ſem. lactuc. Pulvis.
agni caſti
papav. alb.
rutæ an. ʒſ.
corallor. rubicundiſſimor. præpar. ℈ij.
hæmatit. præp. ℈j.
camphor. ℈ſ.
ſuccini albi præp.
m. f. pulvis.

Spina quoque dorſi tota inungatur tali ungvento:

℞. ungv. comitiſſ. Ungventum.
ſantalin. an. ℥ſ.
ſucci folior. hyoſcyami ℥ij.
ol. nymphææ ʒſ.
coquantur ad conſumptionem ſucci, adde
camphoræ ℈j.
m. f. ungventum.

Cæterùm communicavimus ſuperius nobile quoddam oleum, quo incipientem gonorrhœam unica aſſumptione protinus evaneſcere vidimus, verùm cum ejusmodi longè optima remedia tantummodò in abuſum trahantur, citòque curati ſcortationem repetere ſoleant, nolumus locum, ubi extet, cuique digito commonſtrare, ſed emunctioribus relinquimus ſeligendum.

Ad gonorrhœam autem veneream fœdam vix dabitur præſtantius aureo noſtro præcipitato, etiam à nobis alibi clarè edocto, ſufficiant ergo hæc cum his quæ docet

TEX-

TEXTUS.

Pulvis.

IN gonorrhœa commendatur pulvis ſequens:

℞. fol. menthæ
mumiæ
corallorum rubror.
agni caſti
carabes an. ℥j.

m. f. pulvis, de quo accipiat æger aliquid manè jejuno ventriculo cum ovo tremulo.

Vehementius ſiſtit profluvium ſeminis pulveris oſſis ſepiæ ℈j. cum conſervæ roſarum ℥ij. bis vel ter ſumptus.

Excellentiſſimum eſt magiſterium ejusdem cum conſervá roſarum antiquâ à gran VI. ad ℈ſ ſumptum.

Gonorrhœam tam inveteratam quàm recentem, itemque malignam ſiſtit antimonium album fixum aliquoties cum aqua plantaginis ſumptum.

Tinctura corallorum mirabiliter prodeſt.

Gonorrhœa virulenta.

De Gonorrhœa virulenta tractabimus infra de lue venereâ, ubi imprimis de ſpiritu mercurii rubro erit dicendum.

Evenit ſæpè, ut gonorrhœa virulenta ſine aliquo teſtimonio infectionis ſe prodat, h.e. ut nullæ aliæ corporis partes extrinſecus videantur affectæ, ſed habitus integer & ſine aliqua notabili indicatione hoc malum occultet.

Concubitus itaque ſolus cum ſcortis publicis hanc ipſam infectionem ſuſpcione contagii auget. Itaque licet hac ratione medici ſæpè falli poſſint, confeſſio tamen ſpontanea vel extorta ipſius patientis hic litem dirimere poteſt.

In hoc itaque caſu, ubi infectionis nulla ſunt ſigna externa (h.e. totius luis venereæ) ſi univerſali cura haud procedendum fuerit, hujus alexipharmacum petendum eſt ex gummate guajaci, cujus extractum cum ſpiritu vini tartariſato factum doſi granorum trium vel quatuor in aqua plantaginis, nymphææ, equiſeti &c. ſæpius exhibitum juvat. Vide practicos.

Interdum in gonorrhœa virulenta inflammantur teſtes cum maximo tumore. In eo caſu præſentiſſimum eſt cataplaſma ex foliis rutæ & ebuli aceto coctum & applicatum.

CAP. CXLIX.

DE ULCERIBUS ET CARUNCULA PENIS; Germ. Geſchwer und Schäden am Gemecht.

PEni ſæpius exulceratio jam interna nunc externa accidit: interna eſt, quæ interiores occultasq; partes obſidet, nempe ſub cute, interna parte præputii & in meatu urinario, externa in exteriori cute, vel præputio vel glande exoritur; Sicuti

Exulceratio penis duplex.

uti autem exulcerationes præcedentem inflammationem arguunt, ita hoc quoque in peno locum habet, incenditur enim in tali caſu virga, & inflatur, abſceſſumque patitur, manente demum ulcere.

Cauſæ. Cauſæ diverſæ eſſe poſſunt, quibusdam enim impuritas humorum iſtuc à natura proſcribitur, eoque procumbens in temperamentis fervidis febrem continuam, tumorem, ruborem & ardorem ſuſcitat, ac deinde ſuppuratione facta, ulceroſam apertionem. Ut plurimum tamen ejusmodi ulceratio oritur à concubitu cum impuris fœminis ſanioſam virulentiam ex utero virgæ adſpurcantibus, idem tamen contagium etiam innocẽter trahi poteſt à maſculis, lue Gallica infectis converſando cum illis vel in eodem lecto condormiendo. Denique etiam caſus vel pertuſio verſus penem in cauſa eſſe poſſunt.

Prognoſtica. Prognoſis hujus affectus in hunc modum ſe habet: apertio virgæ qualiscunque ſit ſive à puſtulis vel apoſtemate, vel contagio ortum trahens, vel ab attritione equitationis, vel ſcalptione pedicularis pruritus, mala ſit, ſi accedat ſanies ulcerans, imprimis in impuris corporibus, ſeu malis humoribus ſcatentibus, genitalia enim ſunt calidæ partes & humidæ ad putrefactionem proclives, pravorumque ſuccorum ſeu humorum ſuſceptivæ, ceu in maximè decliviori loco poſitæ, niſi itaque peritè tractentur, brevique conſaneſcant, diuturnitate depaſcentiam contrahunt, & cancroſam ulcerationem, qua facilè vel integra virga vel pars ejus amittitur.

Puſtulæ autem, quæ tumuſculi vel extuberantiolæ ſunt in exteriori cute vel pellicula glandis exortæ partim illis quæ in ſcabie ſolennes ſunt, partim iis, quæ ab aduſtione excitantur perſimiles modòq; molliores & albidæ, modò verò duriores, inæquales, rubeſcentes vel liveſcentes & verrucales, ſoboles ſolent eſſe morbi Gallici, in malignam degenerantes ulcerationem.

Imprimis autem ulcera interna penis ob frequentem irritationem ab urina fientem tardæ & difficilis ſunt curationis, quia perpetuò madent, & attactu manuali tractari nequeunt, ſi verò in inferiori penis parte ſedem fixerint, urinæ incontinentiam faciunt, vel ad mimimum laborioſam ejus redditionem, interdum etiam ſpincter ani ſimul dolet per conſenſum, ac hæmorrhoides inflantur.

Ganglion penis. Nonnunquam etiam durities ſcirrhoſa in glande oritur, quæ ganglion penis nominatur; eſt autem ganglion coactio ac tumor nervalis, in aliquo loco nervoſo à ſuperfluitate alimenti nervi cujusdam vel frigefactione ejus, vel vi externa ipſi illata per delaſſationem, ictum, alliſionemve vel nimis violentâ rigiditate ut fit in priapiſmo, ubi nervus dorſum priapi perreptans à vi illa distorquente interdum disrumpitur. Vel etiam à nimia ſalacitate incaleſcendo materiam attrahente, quæ deinde perfrigeratione coactionem induit, nervus enim ſibi ſimile allicit,

cit, nempe ſuccum pituitoſum, tenacem & ſuapte natura frigidum, inque naturam nerveam indurabilem, prout talis induratio ſeu ganglii generatio ſæpius manuum radices & palmas plantasque pedum invadit ob loci nervoſitatem, caput autem & cubitum rarius, talis quoque imò & oſſea induratio ſæpè fit à temperamento atrabiliario, datque ganglion cancroſum, qualis etiam in morbo Gallico crebrò occurrit, ubicunque autem ganglion accidat, incurabile exiſtit, exciſionem enim non patitur ob periculum mutilationis iſtius partis, idque eò magis in pudendo, indies enim ibi magis ſcirrheſcit, tandemque cancroſam facit exulcerationem fiſtulasve, miſeramque aliquatenus protractam vitam extingvit.

Caruncula in ductu urinario. Nec infrequens eſt in ductu urinario increſcens caruncula ſeu excreſcentia carnea in urethra latens, atque à fœda gonorrhœa proficiſcens, modò ſtranguriam, nunc diſuriam, jam iſchuriam inferens, ac medicaminibus depaſcentibus candelulâ cereâ eis imbutâ iſtuc porrectis extirpanda.

Curatio. Pro curatione ejusmodi exulcerationis nihil melius præcipitato noſtro aureo intrò accepto, aliisque quæ ad curam morbi Gallici faciunt, conveniunt quoque eadem quæ ſupra cap. 145. indicata ſunt. Imprimis autem hic valet aqua divina Fernelii quæ ita paratur: ℞. mercurii ſublimati per vitriolum & ſalem ℥ſ. aquæ plantaginis ℔iij. coque ad conſumptionem circiter octavæ aquæ partis, vel ſi fortiorem in mundificatione ulcerum liquorem deſideras, continua coctionem usque ad caſum quartæ partis, tumque adde camphoræ ſubtiliſſimè pulveriſatæ ʒij. & relinque decoctum etiamnum apud ignem, donec camphora probè diſſoluta ſit, tunc frigefactum colabis & ſervatum hisce & mammarum ulceribus adhibebis; nec non ad puſtulas, impetigines & quosvis cutis affectus, adhæc ſi miſceatur ei aqua quædam ophthalmica, ut ſunt: aqua roſarum, euphraſiæ, fœniculi &c. mirè conducit in ophthalmia, rubedine oculorum, epiphora &c. ſi oculi madefactis in hoc liquore linteolis crebrius in die humectentur & abſtergantur. In gutta roſacea adde ſeptimanam vel octavam partem ſulphuris vivi, nimirum ad ℥j. prædicti liquoris ʒj. vel ℈IV. ſulphuris, relinque per aliquot dies in digeſtione ac deinde calidè filtra & ſerva. In reliquis ſequendus eſt

TEXTUS.

IN ulceribus penis ratio eadem curandi, quæ veſicæ exulceratæ. Ulcera penis.

De caruncula penis vide Paræum. Caruncula penis.

In hoc caſu laudabilis eſt pulvis ſequens:

Pulvis.

℞. *mercurii dulcis* ℥ſ.
antimonii crudi ℥j.
tutiæ præparatæ ʒij.
m. f. pulvis ſubtiliſſimus.

Uſus hujus pulveris eſt cum candelis cereis (das gelbichte

Wachs

Wachs iſt das beſte) *ex cerâ virginea factis, 6. vel 4. lineis filis cerâ obductis. Cereæ verò præparatæ tenuiſſimis obvolvendæ ſunt faſciis ex lineo panno carbaſino* (Kammertuch) *ne nempe frape fractæ candelæ relinquant ceram, & ut commodius recipiant unguentum. Pulvis itaque ille prius cum oleo amygdalarum diſtemperatus ſit, eoque ſuperiori parte illinatur candela cerea, & immittatur in ductum penis, eò usque ubi caruncula viget. Si volet mingere æger, dematur, & poſt mictionem nova indatur, idque fiat integro quatriduo. Poſtea immittatur per ſiphunculum injectio ſequens:*

Decoctum.

℞. *ſeri lactis caprini ℥VI.*
aq. plantaginis
roſar. an. ℥iij.
ceruſſæ ʒVI.
marmoris candidiſſimi
ſpodii pulveriſati
cryſtalli
aluminis rochæ an. ʒſ.
camphoræ ℈ſ.

pulveriſata omnia ebulliant cum ſero lactis & ſerventur ad uſum.

CAP. CL.
DE DIABETE, Germ. die Harnruhr.

Ratio nominis.

Diabetes à διαβαίνω i. e pertranſeo, traduco, trajicio, derivatur, ob celerem urinæ tranſitum, diabetes enim vaſis urinariis idem eſt ac lienteria inteſtinis, unde etiam à quibusdam diarrhœa nephritica vocatur, quoniam affectus eſt renum & non veſicæ, in qua potus ut aſſumitur, rurſus ſine ullla alteratione per renes ad veſicam labitur, unà cum ſiti acerrimâ & continuò affligente, neque à potu quantocunq; ſedabili, ubi tamen hauſta potulenta mox ad renes rapiuntur, atque ad emictionem feſtinant. Rariſſimus hic affectus eſt, & plerisque practicis vix ſemel aut bis per totam eorum praxin occurrit, uti & nos eam ſemel tantummodò vidimus. In hac affectione Authores omnes tres renum facultates laborare volunt, videlicet attractricem eſſe depravatam, recentricem verò adeò imbecillem, ut vix quicquam ejus ſuperſit, alteratricem autem penitus ablatam. Adhæc calore renes æſtuant, cujus vi tam inexplebilis ſitis quàm feſtinata decurſio liquidorum cauſantur, imò & reliqua viſcera uri videntur, ægrique anxii redduntur, & proſtratarum virium, adeò ut ægra noſtra diabetica quam vidimus, non poſſet paucis greſſibus ire, niſi ſemper parietes tenendo. Lumbi ipſis intumeſcunt, coxæ verò & teſtes gracileſcunt, & toto corpore contabeſcunt, ac ferè incurati moriuntur, principium quidem & incrementum morbi paulatim increſcunt, ita ut vix percipiantur, poſtea ſubitò ad ſtatum devenitur, corpusque ad liquefactionem deducitur.

Diarrhœa nephritica.

Cauſæ.

Cauſæ hujus affectus ſunt: cali-

ditas & ſiccitas renum, diverſo autem modo renes incaleſcere poſſunt, nimirum vel potione aliquâ nimium diureticâ & calefactivâ aſſumptâ, vel decumbentibus eò pravis ſuccis ac phlogoſi catarrhali, quali ſemper eryſipelas accenditur. Vel ex febre acutâ renes demum accendente; poteſt quoque percuſſio vel plaga verſus renes venerisque ingens abuſus in cauſa eſſe.

Prognoſis. Prognoſis eſt, quod juniores haud difficulter curari poſſint, modò mox in principio convenientia adhibeantur, ſeniores autem hoc morbo correpti ferè intereunt, quemadmodum etiam in acuta febre superveniens plerunque exitialis eſt, ubi tamen à critica urinæ expulſione diſtingvi debet, quæ etiam in maximâ copiâ non modò non lædit, ſed potius ſalutaris exiſtit. In quibuscunque autem in confirmationem abierit, immenſa ſiti cruciat, omnem humiditatem corporis ad renes rapit, tabemque & mortem inducit.

Curatio. Curationem practici aggrediuntur bona victus ratione, ordinantq; quietem & ſomnum longiſſimum, vitando tamen decubitum ſupinum, motumque corporis, & quicquid calefacit, cibos præſcribunt duriores & diutius in ventriculo morantes, ut ſunt pedes quadrupedum, caro ſuilla macrior fumata, oryza & milium cum lacte cocta & ſimilia.

Probant quoque potum aquæ frigidæ chalybeatæ affatim bibitæ, & rurſus per vomitum rejectæ, quia viſcera plurimum refrigeret, non tamen eo modo gravare poſſit. Tum quoque corpus leniter evacuant propinatâ caſſiâ vel rhabarbaro, ac deinde ſuccos & ſyrupos refrigerantes, atque exterius linimenta frigefacientia renibus adhibent ex ol. papav. nymphææ, ungvento popul. &c. quæ & Paracelſus aliàs cum dogmaticis discors ſvadet, atque anodyna renibus applicanda unicè commendat hunc in modum:

Linimentum ſedans. ℞. herbar. hyoſcyami & papaveris ana cum toto, contunde eas probè, & cum ſuccorum earum expreſſorum portione ollæ vel cantharo inde, eamque optimè lutatam in balnei bullientis fervore detine per dies duos vel plures, hinc omnem ſucculentiam exprime, & colatam per pannum leni calore evapora ad ſpiſſitudinem mellis, & ſic quoque cum lolio, ſolano & plantagine procede: facto hoc

℞. inſpiſſatæ mellaginis hyoſcyam. & papav. ℥j.
lolii ʒj.
plantagin.
ſolani
roſar. an. ℈ſ.
camphoræ ʒiſ. m. f. linimentum.

Vel ℞. ſpermatis ranar. ʒiij.
ol. de camphora ʒiſ.
m. f. linimentum.

Alterutro hoc linimento inungere jubet imam dorſi partem manè & ſerò per dies V. vel VI. donec ſitis ceſſet, & ſi tumor in pedibus jam adſit, purgandum ſiti jam ceſſante purgatione quâdam hydragogâ ſeu in hydrope conveniente.

Noſtrâ

Noſtrâ tamen opinione è ſpermate ranarum tempore martii triduo ante novilunium collecto & in aquam deſtillato etiam efficaciſſimum medicamen parari poſſet, ſi in dicta aqua ſal ſaturni ſolveretur, eaque mixtura intinctis linteis applicaretur. Egregia etiam communicat

TEXTUS.

Specificum. *Diabetis ſpecificum poſitum eſt in marte; eſſentia croci martis à Crollio deſcripta multum hîc prodeſt. Felicius operatur tinctura ſmaragdi, de qua ſupra in dyſenteria.*

Cæterùm mars non tantùm intrinſecus, ſed etiam foris prodeſt (purgantia hîc non commoda neque diaphoretica) itaque balneum ex aqua ferrariorum præparatum, & fomentatio ex aqua plantaginis cum aqua chalybeata decocta, & regionibus renum ac veſicæ à ſingulis balneis quotidiè bis vel ter adhibita profluvium urinæ diabeticum multum juvant.

Diæta. *Diæta porrò ex cibis ſiccantibus & ſemper cum aqua chalybeata coctis unicè laudatur.*

Potus ne nimium ingeratur, providendum eſt; ad ſitim tantùm explendam ſufficit aqua chalybeata vel decoctum cornu cervi uſti (vehementiùs, ſic nimirum calidè aſtringit, nec ſudores niſi fortè pauciſſimi erumpunt) aut aqua plantaginis tamen nec ſola, nec ſemper, ſed cum aliis miſcenda fuerit.

Tinctura corallorum, item ſal corallorum mirabiles in diabete habent poteſtates.

CAP. CLI.

DE URINÆ INCONTINENTIA; Germ. die Unbehaltligkeit deß Harns / *item* wenn einer ſein Waſſer nicht halten kan.

Urinæ incontinentia ſive involuntaria effluxio his accidit, qui urinam nullo modo, uti aliàs naturaliter fit, per aliquot horarum ſpacium retinere, & in veſica generali illo & ultimo ſeri humanæ nutritionis receptaculo aſſervare poſſunt, ſed inviti ejus continuum effluvium tolerare coguntur, differt hic affectus à præcedente, quod in illo fiat tantus urinæ crudæ accurſus, ut veſica, quamvis arbitrium emiſſionis & retentionis ipſi ſit integrum, tamen urinam quoque diu ob copiam, niſi rumpi velit, ſervare nequeat, ſed pari modo crebrò mingere opus habeat, in hoc verò lotium à renibus debitè maturatum, in veſicam deſcendens culpâ janitoris remorari nequeat, ſed tanquam per januam apertam ſub ipſa ſua è pelvibus renalibus demanatione per urethram foras pergat, & contra voluntatem patientis, hoc quidem ſentientis, ſed ob retentricem læſam id impedire impotentis ſponte exſtillet. Urinæ incontinentia.

Quidam practici duplicem hujus affectus ſortem faciunt, unam ſcilicet, in qua, ut dictum eſt, urina per ſe tam inter vigilandum quàm dormiendum emanat, alteram verò, quæ non niſi in ſomno per falſam imaginationem committitur, quæ conſimiliter quidem vitium eſt, at nequaquam vera urinæ incontinentia, quando quis vigilans nihil tale patitur, ſed retentrice facultate inſtar omnium aliorum ſanorum pollet, & procul dubio etiam in ſomno ejus incolumitatem retinet, nec ipſi nocturna mictio imputari poteſt, ſed errori imaginationis, cujus imperio tanquam regi per vices deliranti ſemper æqualiter auſcultat, ejusque juſſa tam opportuno quàm importuno tempore exequitur. Mictio hæc indebito tempore obtingens omnibus infantulis naturalis eſt, retinent enim per aliquod ſpacium urinam, donec aliqualis ejus quantitas coacervata ſit, deinde retentrix ad emittendum à gravante pondere ſtimulata fores aperit, idque defectu rationis absque cura honeſti more pecorum. Poſtea aliquantulum emicante ratione, etiam vitium imminuitur, puerisque tantummodò in ſomno rationem ſepeliente accidit, interventu per ſomnium falſa imaginatione, crebra autem objurgatione & caſtigatione tanquam fræno moderante in plærisque alia conſvetudo ceu altera natura introducitur, quâ etiam quædam bruta in quibusdam ad alia duci & inſtitui poſſunt, ita ut iisdem ſomniis non amplius decipiantur, imò quamvis interdum veram urinæ emiſſionem ſomnient, atque etiam omni conatu mingere laborent, tamen ob immutatam conſvetudinem planè in ſomno non poſſint.

Vera itaque urinæ incontinentia eſt, quæ vigilanti invito contingit, nimirum ex reſolutione muſculi cervicem veſicæ ambiente. Eſtque ſympathica ſive aliunde ſphincteri communicata, ut fit in magna debilitate & virium amiſſione, calorisq; naturalis exolutione in confinio mortis, item in paralyſi, partuque difficili, lacerationem aliquam in his partibus cauſante. Vel idiopathica, ubi in ipſo muſculo defectus hæret, quando nimirum per vulnerationem, exulcerationem, perfrigerationem aliisve modis impotens redditur.

Cauſæ. Cauſæ ergò diverſæ eſſe poſſunt, nimirum vehemens læſio per lapſum, concuſſionem, alliſionem, luxationem vertebrarum lumborum oſſisque ſacri, è quibus veſicæ nervi prodeunt, vel etiam eorundem perfrigerationem ab immoratione in aquis frigidis, vel frigidorum applicatione, item per vulnerationem à lithotomis, lacerationemque violentam in partu laborioſo, & quæ ab internis cauſis proficiſcuntur, ut ſunt obſtructio dictorum nervorum à phlegmate viſcido ſpiritibus animalibus tranſitum denegante, deficiente calido nativo à morbis vel ſenio & ſimilibus.

Prognoſis. Prognoſin quod ſpectat, affectus hic in ſenectute provecta plerumque immedicabilis eſt, ob defectum caloris,

loris, ipſamque eo magis exoſam reddit conjugi, hæredibus, liberis & famulitio ob continuam conſpurcationem & fœdum odorem. Neq; etiam in his medicina quicquam proficit, quibus ex caſu vel vulnere aut vertebrarum luxatione morbus accidit, in reliquis ſæpè manus medica vel tempus auxilium affert, ſi verò in febre acutâ urina profluat, malum admodùm eſt ſignum, indicatque vel dilirium, vel exolutionem cunctarum facultatum, calidique nativi extinctionem.

Curatio. Curatio juxta cauſæ diverſitatem inſtituenda eſt, & primò quod concernit permictionem in ſomno, ea ſæpè induſtriâ & certis quibusdam ſpecificis aufertur, aſueſcat igitur ſic affectus ante ſomnum urinam emittere, tantoque ſpacio elapſo, quo rurſus aliqualis collectio in veſica facta eſſe poſſit, alius eum iterum excitet, idque aliquandiu continuetur, donec natura ad aliam immutetur conſvetudinem, eoque magis voti compos reddetur, ſi ipſo inſcio tale paretur remedium ſpecificum, quo & alii omninò ab hoc affectu convaluerunt: eum in finem mactetur porcus pro mare maſculus, ſus autem, ſi patiens ſit fœmina, atque inde ejus pudenda capias, ex eisque à lanione conficiendam cures lucanicam (Bratwurſt) ac patienti ejus rei neſcio eam comedendam adhibeas, ac ſi empta eſſet recens è macello, & auxiliante Deo liberabitur. Commendatur quoque caro erinacei, adeps perdicis & alia. Si verò malum ſit ab ictu, percuſſione vel caſu, eveſtigiò ſangvis mittatur ac purgans exhibeatur, ac in potu vulneraria uſurpentur; ſi à refrigeratione vel obſtructione nervorum, calefacientia conveniunt, eaque quæ capite de paralyſi edocta ſunt. Si fortè malum medicamentis non cedat, geſtanda eſt coxis alligata veſica bovina, cui inſertus ſit penis, ut in ea urina effluens excipiatur; ſunt tamen multæ experientiæ hæc & quæ tradit

TEXTUS.

INcontinentia urinæ à paralyſi curatur per ea, quibus alioquin paralyſes particulares curantur, reſtitutis nempe tum principio nervorum, tum nervis è lumbis in muſculos cervicis veſicæ derivatis, de quibus in ſuperioribus egimus.

Pueri itemque adultiores ſeſe in ſomno permejentes, ubi nempe laxitas & mollities ſphincteris, curantur diæta aſtringente.

Specifica ſunt guttur galli crematum (a) *& in vino ſtiptico exhibitum (repentitâ doſi) item veſica capræ (hac multos curavi eſtque gutture galli fermè præſtantior) in clibano exſiccata & pulveriſata pondere ℨj in vino ſtiptico exhibita, ac ſæpius repetita doſi.* Specifica.

Item piſcis in ventre lucii inventus, & in clibano exſiccatus, ac eâdem doſi ſæpius exhibitus ſpecifica proprietate ἐνέρησιν *puerorum tollit.*

His

His opitulantur etiam externa balnea, & inunctiones ex adſtringentibus parata.

(a) Non crematur, ſed fortiter exſiccatur, ut pulverari poſſit.

Balneum poteſt eſſe tale:

Balneum. ℞. *balauſtiarum*
cortic. granatorum
gallarum
gran. myrthi
hypocyſtid.
acaciæ an. m. j.
ſpodii ℨiij.
roſar. rubrarum
coriand. præparati an. m. ſ.
capitis mortui ex vitriolo ℔ſ.

ebulliant in ſ. q. aquæ ferrariorum usque ad conſumptionem tertiæ partis; balneet bis quotidiè manè & veſperi.

Ungventum poteſt eſſe tale vel ſimile:

Ungventum. ℞. *ol. myrtini*
cydoniorum
roſarum an. ℨj.
pulv. ſantali rub. & alb. an. ℨj.
ſucci ſempervivi majoris
plantaginis an. ℥ſ.

pulveriſata cum exigua quantitate ceræ conjungantur cum reliquis, & f. ungventum à balneo inungendum regionibus epatis & renum.

Diuretca in initio ne exhibeantur.

CAP. CLII.
DE ISCHURIA SEU URINÆ SUPPRESSIONE;
Germ. Verhaltung deß Harns.

PRæcedenti contrarius eſt hic, de quo nunc agitur, affectus, in quo nimirum urina penitus ſubſiſtit & ſupprimitur, langvente videlicet facultate expultrice, vel meatu urinario obturato, ita ut planè nihil, & ne quidem guttula emanare poſſit, ſed in veſica omnis à renibus deſcendens ſtagnet, eamque valdè diſtendat, ac cum toto hypogaſtrio in tumorem elevet, & niſi exitus reſeretur, ipſam vel rumpat vel ad ſuperiora regurgitet. Urinæ ſuppreſſio quid?

Eſt autem duplex iſchuria, una vera ſeu legitima, vitioque veſicæ ac intra eam contingens, altera verò extra eam, nimirum in renibus, quæ iſchuria notha ſeu ſpuria eſt, ubi veſica vacua remanet, ac nil in eam è renibus delabitur. Iſchuria duplex.

Signa diagnoſtica hujus paſſionis manifeſta ſunt; an autem vera vel ſpuria ſit, hoc modo dignoſcitur, quod nimirum in vera gravitas & diſtenſio in hypogaſtrio ſentiatur cum tumore veſicæ figuram repræſentante, in ſpuria autem nil horum, ſed inanitas iſtarum partium adeſt absque ullo mingendi deſiderio, immiſſo quoque cathetere nullum in urethra impedimentum deprehenditur, ſed penitus aperta via, nihilominus tamen nullus effluxus ſequitur. Signa.

Cauſæ diverſæ eſſe poſſunt, quarum Cauſæ.

rum præcipuè tres in legitima occurrunt; prima eſt ſenſus abolitio in veſica ab obſtructione vel paralyſi nervi illius, qui ad veſicam pertingit, aut à defectu ſpirituum veſicæ ſenſum elargientium, atque ad expulſionem ſtimulantium, qui defectus in deliriis & comatoſis affectibus ſe offert.

Altera eſt perfrigeratio veſicæ ab internis vel externis cauſis ipſi conciliata, ut ferè fixa intemperies frigida ſeu habitus remaneat ſenſum veſicæ obtundens, eaque ratione expultricem ſuſpendens.

Tertia fit per obſtructionem, occluſionem vel coanguſtationem meatus ſeu ordinariæ viæ urinariæ, per tumorem, callum, calculum exitum in collo veſicæ præcludentem, item tuberculum in urethra enaſcens, vel caruncula ſuccreſcens, vel grumus ſangvinis inhærens, craſſumve pus vel viſcida pituita. Nimis quoque diuturna urinæ retentio eandem occluſionem efficere poteſt, quando nimirum quis in celebribus conviviis non audet ob pudorem ad exonerandam veſicam aſſurgere, ſed retinendo urinam naturæ vim facit per multas horas, interim tamen affatim potare cogitur, potatoribus autem citius potus vix ſemiconfectus ad vaſa urinaria defluit, & crebriorem emictionem poſtulat, & niſi hoc fiat, veſica adeò oppletur, ut ex illa turgidiſſima diſtenſione laterali meatus urethræ omninò coarctetur, neque etiam in tali paſſu diſtenſa veſica ſe contrahere poteſt ad urinam reddendam, & ſic periculoſa iſchuria ſequitur, quo genere etiam Ticho Brahe interiit aliique, idemque in itineribus, nave, comitiis, feſtinandis gravibus negotiis, atque aliis modis contingere poteſt, differendo nimirum urinæ emiſſionem, donec neceſſariiſſima prius ſint expedita.

Nothæ verò iſchuriæ cauſæ in confinio renum indagandæ ſunt, quorum obſtructio à ſabulo, calculo, pure craſſo, vel viſcido muco, vel ejus facultatum, nempe attractricis, expultricisve læſio urinæ transfluxum impedire poſſunt, item caſus, percuſſio, aliaque. Denique alimenta craſſa, limoſa, tartarea, frigida utrobique obſtructionem parere non nequeunt.

De urinæ quoque defectibus Hippocrates in ſequentibus veriloquiis loquitur:

Urinæ difficultates ſenibus ſunt familiares. lib. 3. aphor. 31
Fiuntque ab auſtrina conſtitutione. 3. 5
Nec non ſiccitatibus dominium obtinentibus. 3. 16
Solvit eas vini meraci potus. 7. 48
Nec non ſectio venæ. 7. 48
Secandæ autem ſunt venæ interiores. 7. 48
Ileo ſuperveniente necat in ſeptem diebus. 6. 44
Niſi febre accedente urina copioſè prorumpat. 6. 44

Prognoſin quod attinet iſchuria affectus eſt lethalis periculi plenus, initio tamen non adeò difficulter curabilis, ſi rectè tractetur, neglecta verò & ad diem usque ſeptimum Prognoſis.

perdurans plerunque interimit, veſicâ enim oppletâ ſerum urinarium in ſuperioribus, ſtagnat, jecur & ſangvinem corrumpit, ad altiora refluit, & vel ſuffocat, vel nonnunquam ſoporoſos affectus producit, vel etiam loca circa veſicam mortificat, putredinem inducit, quâ brevi obeunt; nam ſi cum oris vel narium halitu odor urinoſus ſimul prodeat, mortiferum omninò eſt; incurabilis quoque eſt à luxatione vertebræ, vel ictu lapſuque ortum trahit, lethalem quoque corruptionem inducit, ſi à grumo ſangvinis provenit, niſi concretus ſangvis confeſtim diſſolvatur, & ſi in morbo acuto urina detineatur, mortem utplurimum etiam indicat, in iſchuria teneſmus ſimul accidens mortem ad diem ſeptimum præfinit, at ſi etiam ſingultus accedat, inſtantaneam mortem prænunciat.

Curatio. Curatio juxta cauſæ diverſitatem variat, ſi urina ex obſtructione meatus urinarii à calculo vel limoſa quadam materia ſubſiſtat, ut ſæpè contingit, ſtylo argenteo ſvaviter immiſſo materia dimovenda eſt, in hoc conatu patiens ſupinus decumbat, cruribusque elatis prius concutiendo multumque quatiendo tentandum, an calculus vel impacta materia relabi in veſicam velit, ſin minus, etiam fotus ſeu ſemicupium ex emollientibus ſeu talibus quæ ſupra cap. 143. ad inſeſſum propoſita ſunt, adhibeantur, propinando etiam interna ſimul remedia convenientia, quemadmodùm quidam tantummodò convaluere decocto callitrichi & ſalviæ in vino albo manè & à meridie hauſto, alii aſſumptis aquis vel decocto florum conſolidæ regalis & cyani (Kornblum) in vini albi & aquæ pluviæ æqualibus partibus, inſtillando in quamlibet doſin aliquot guttas ſolutionis corallorum vel martis, præmiſſo etiam clyſtere emolliente.

A fotu vel ſine eo inungatur etiam pecten & perinæum tali mixtura:

Mixtura.

℞. ol. ſcorpion. ℥ſ.
chamæmelin.
de melilot.
philoſophor. an. ʒij. m.

Ungventum.

Vel ℞. ol. ſcorpion.
amygdalar. dulc.
lumbricor.
butyri recent. an. ℥ſ. m.

Ab inunctione etiam ſimile cataplaſma pectini applicetur ſequenti modo paratum:

Cataplasma.

℞. ſaxifrag.
puleg.
origani
majoran. an. pij.

conciſa coquantur in vinō ad molliтiem, vino conſumpto adde axungiæ canis q. ſ. f. cataplaſma.

Experimenta. Inter plebejos varia verſantur ad hunc affectum experimenta, quidam dant adulto novem ſtercoriola murium ſeu muſcerdas in vehiculo competenti, puero tria vel quinque.

Alii j. florum exſiccatorum urticæ tempore majali collectorum in vino.

Nonnulli in cauſa frigida parant ejusmodi pilulas:

Pilulæ.

℞. gumm. opopan. ʒj.
ſtyrac.

ſtyrac. liquid.
avellanar. enucleat. an. gr. XV.
piper. nigr. gran. ij.

contuſis contundendis miſce omnia f. inde pil. inſtar piſorum, quorum V. vel plures pro vice accipiantur.

In iſchuria notha adhibeantur ea remedia, quæ ad paſſionem nephriticam propoſita ſunt, utrinque conducit balſamus ſalis ſeu ſpiritus è ſale communi ignis torturâ validiſſimâ expreſſus. Hæc ſufficiant cum his quæ docet

TEXTUS.

IN iſchuria compendioſius curanda (ab initio diuretica ne exhibeantur) nec nimis properè nec nimis lentè urinæ provocatio inſtituenda eſt. Externa ergò ab inſeſſibus & fomentationibus præmittenda.

Inſeſſiones (alvo tamen ſemper liberá vel ſponte ſuâ, vel clyſteribus emollientibus provocatâ) ſint è mollificantibus, qualia ſunt malva, bis malva, parietaria, melilotus.

Fomenta. *Fomentationes ſunt decoctum parietariæ vel gallii in vino: præſtat decoctum cæparum in vino extrinſecus ad peritonæum, & regionem veſicæ ſæpius applicatum calidè: hoc modo ſuppreſſio urinæ ſolvitur.*

Quod ſi verò nec hoc modo aliquid profeceris, etiam interna accerſenda ſunt. Sic nuclei perſicorum 4. vel 5. pulveriſati, & in aqua radicis urticæ vel raphani exhibiti urinam provocant. Sal radicis lupinorum à ℈ſ. ad ℈j. cum vino albo exhibitū potenter provocat. Item ſuccus unius cancri fluviatilis piſtati & per ſetaceum miſſi cum vino albo propînatus urinam ſubitò provocat. Succi item limomum ℥ij. (a) & ſacchari candi ℥IV. vel cum aqua parietariæ & fœniculi an. q. ſ. pro potu identidem data urinam cient.

Specifica.

(a) Alii accipiunt ſucci limonum ℥j.
ſpiritus terebinthinæ ℈ij.
vini albi generoſi ℥IV.
m. pro uno hauſtu.

Si omnia deſperata fuerint, urina hirci calidè epota cum toto omento & inteſtinis, ad ventrem applicato ſubitò urinam retentam propellit, & calculum ſimul, ſi ille obſtructiones facit, foras mittit. Experimentum ultimum.

CAP. CLIII.

DE STRANGURIA ET DISURIA; Germ. die Harnwinde / *item* die kalte Piſſe und das tröpfflende Harnen.

STranguria ſeu urinæ ſtillicidium eſt, quando quis ſæpè ad mictionem ſtimulatur, parum tamen & guttatim ſaltem mingit, idque qualibet vice cum mordicatione acerbâ & uſtulatoriâ inter mingendum in Stranguria quid?

meatu urinario perceptâ, imprimis autem circa finem mictionis, ubi mordaciſſimus ardor usque ad extremitatem glandis ſentitur.

Diſuria quid? Diſuria autem ſeu urinæ difficultas eſt, quando urina cum laborioſo conatu diuturniorique quàm aliàs fieri ſolebat, occupatione, & quandoque cum hypogaſtrii dolore vix tandem omnis ea quantitas, quæ pro vice in veſica collecta eſt, emittitur, interrupto ſubinde mictionis filo, atque in guttationem converſo, imò integram ſubſiſtentiam minante, ut proinde patiens opus habeat ducto prius integris pulmonibus ſpiritu fortius conari, atque unà nonnunquam manibus hypogaſtrium comprehenſare, quò omnis urina foras propelli queat, videtur enim ſibi corpuſcula quædá ſimul per urethram fluentia inter urinandum perſentiſcere, quæ ægrè admodum, & non niſi vehementi ſpiritus retentione propelli poſſint, partemque majorem ſpacii fiſtulæ urinariæ impleant, ita ut per reliqvum urinæ effluxus ſaltem guttatim præterlabi valeat.

Cauſæ. Affectus hi nominetenus diverſi, at re ipſa parum à ſe invicem diſtantes, in quibusdam easdem cauſas agnoſcunt, atque etiam iisdem remediis efficacibus auſcultant. Præcipua autem cauſa ſtranguriæ eſt aciditas tantilla plerunque à potulentis nondum ſatis defecatis deveniens, atque à fermento felleo non ſatis ſubacta, & in ſalſedinem lotialem quæ lixivialis eſt, immutata, ſed aliqualem adhuc aciditatem licet vix imaginabilem etiamnum in veſicam deferens, quæ poſtmodum inter emittendum in collo veſicæ & urethra ineffabilem ardoris dolorem concitat, eò quod hæ partes longè acutioris ſenſus ſunt quàm lingva, quæ guſtando talem urinam ſtrangurificam præ alia haud diſtingvere noſſet, uti facilè probari poſſet, ſi quis in optima ſanitate degens propria & inculpatæ jamjam emiſſæ ſuæ urinæ paucas ſaltem guttulas vini ſaltim aliquantulum acidiuſculi admiſceret, eamque per ſyringam tepidè iterum injiceret, mox enim veram ſenſurus eſſet ſtranguriam, lingvæ tamen ejusmodi paucilla aciditate adventaneâ leviſſimâ nequaquam guſtabili exiſtente, ſin autem talis ſtranguria factitia ſuſpicionem motura eſſet, injectionem ſenſum adeò dolorificum effeciſſe, id mox conſtare poſſet per repetitam urinæ non acificatæ injectionem, aſcititiam duntaxat aciditatem extitiſſe ſtrangurioſam. Sola ergò aciditas in urina relicta ſtranguriæ tantoperè mordicantis cauſa eſt, & plerunque potum cereviſiæ novellæ, ac quorundam vini generum ſequi ſolet ob eorum turbiditatem, qua adhuc fermentant, atque aliqualem aciditatem usque in veſicam retinent, quæ ſæpius quoque à prædominante ſucco pancreatico contingit, cujus acidiuſcula ubertas à debiliori vel pauciori è felle deflua bile ſufficienter ſaturari, & in totalé ſalſedinem urinalem converti nequit, ſed ejus particula, quantulacunque demum ſit, inſaturata &

inſub-

inſubacta remanet, acida verò & auſtera mordicanter conſtringunt, ut quilibet aluminis, vitrioli, acaciæ, vini auſteri &c. guſtatione experiri poterit, collum autem veſicæ, & canalis penis, ut ſupra demonſtratum eſt, acutiſſimo ſenſu lingvam longè ſuperant, atque hinc à tantillâ aciditate ſtranguriali tam acerbè dolent, econtra autem voluptuoſus ſenſus ab ejaculatione æſtuantis ſeminis proveniens, conjecturam dat dulcem ipſi ineſſe ſaporem; potius ergò vox ſtranguria à verbo ϛραγγαλέω i.e. conſtringo derivari videtur quàm à ϛράγξ i.e. gutta, quia auſterâ conſtrictione acerbè lancinat, eòq; partibus hiſce ſenſiliſſimis dolorifica eſt. Exinde itaque ratio patet, cur pueri & ſenes adeò obnoxii ſint ſtranguriæ, nimirum ob minorem in illis bilis proventum, defectumque fermenti fellei, ex quo ſæpius ipſorum ſucci pancreatici recrementum non in omnibus particulis ſaturari poteſt. Porrò eandem etiam ob rationem in purulenta mictione ſtranguria ſimul adeſt, quoniam omnis corruptio & putrefactio per acorem contingit, putrefactivus ergò acor eſt in omni ſuppuratione & exulceratione, ideoque unumquodque pus cum urina prodiens acidulæ qualitatis particeps, & ſtranguriferum eſt.

Ratio nominis.

Defectus quoque caloris naturalis tam ſtranguriam quàm diſuriam & quamlibet urinæ difficultatem parere ſolet, uti in omni ſenio palam eſt, cui ſemper lotium ob debileſcens calidum innatum minus prompte exit, nec ullatenus, uti in junioribus cum vi quadam inſtar fontis ſalientis proſilit, ſed admodùm ſegniter effluit, & mox exiens ad pedes ruit. Quælibet igitur refrigeratio uſusque frigefactivorum in cibo, potu & medicaminibus difficultatem urinæ parere poteſt, item diæta victusque craſſus, viſcidus, tartareus, qualem præbent lacticinia aliaque de quibus cap. de calculo ſufficienter actum eſt, iisdem enim parentibus tam is quàm hæc progenerantur. Diutina quoque retentio urinæ ob pudorem poſtea difficilem ejus redditionem parit, item lapſus, percuſſio, plaga & ſimilia.

De hiſce affectibus loquitur etiam Hippocrates in ſequentibus veriloquiis:

Stranguria ſenibus eſt familiaris. lib. 3. aphor. 31
Ut & diſuria. 3. 31
Stranguria eſt morbus autumnalis. 3. 22
Comesque recti inteſtini inflammati 5. 58
Adeſt quoque in inflammatione uteri. 5. 58
Renumque exulceratione. 5. 58
Ac quibuslibet morbis veſicæ. 4. 80
Partiumque ad veſicam pertinentium. 7. 39
Si ſtranguria excitat ileum, necat in ſeptem diebus. 6. 44
Niſi calor febrilis ſuperveniens urinam copioſè fluere faciat. 6. 44
Difficultatem urinæ ſolvit potus vini generoſi 7. 48

Ut & venæſectio. 6. 36
7. 48
Secandæ autem venæ interiores 6. 36
7. 48
Veſica quoquo modo affecta urinam alterat, ut ex eâ non de univerſo corpore, ſed ad veſicam judicium tantùm referri debeat. lib.2 præſag.37

Progno-ſis. Prognoſin quod ſpectat, difficultas urinæ, quæ abſque dolore eſt, minoris eſt momenti, quàm quæ doloroſa eſt, neutra tamen extra febrem diuturnamque durationem periculoſa, at valdè tædioſa & moleſta eſt, in acuta autem febre non procul à delirio eſſe ſolet, calorisq; nativi imminutionem deſignat, uti & in ſenio, cui ſe aſſociat, ubi etiam vix amplius abigi poteſt, ſed plerunque ad ſepulchrum usque comitatur; in quacunque etiam ætate adveniat, ſi diuturna ſit, veſicæ collum demum exulcerat, vel jam exulcerationem ibidem vel in renibus hærere teſtatur, ſi dictæ partes unà doleant, vel purulentum cruentumvè quid in lotio conſpiciatur.

Curatio. Curatio juxta cauſæ diverſitatem inſtituenda eſt, ſi enim ab exulceratione renum vel veſicæ, calculove, uterique vel inteſtini recti inflammatione dependeat, etiam ſub dictarum partium curatione comprehenditur, de quibus ſuis in locis ſufficienter in hoc libro tractatur, hic verò huic urinæ difficultati remedia deſtinamus, quæ à perfrigeratione, vulgaribusque diætæ cauſis proficiſcitur, convenientior itaque, quantum fieri poſſit, diæta inſtituenda, utendo cibis moderatè calefacientibus, ut ſunt: beta, paſtinacæ genera omnia, & eorum ſemina, napi, caricæ radices petroſelini, braſſica rubra, pruna damaſcena, juſcula carnium, ipſæque carnes vitulinæ, caponum, gallinarum conditæ raphano majori, majoranâ, ſalviâ, mace croco, zingibere, cinamomo, ſeminibus carvi, fœniculi, aniſi petroſelini, dauci, aliaque ſimilia juſculis incoquenda, fugienda autem lacticinia, caro porcina & porcellina, anatina, anſerina, in potu convenit vinum album, ſtranguriferâ qualitate non infame, qualia ſunt Hungarica, aliaque albas maculas in menſis relinquentia, item cerevíſia tenuis probè lupulata, ſalis marini uſus ſit largus, poſthabitâ omni medicaſtrorum ejus interdictione, cum & ipſas cereviſias aliàs ſtrangurificas injectione jam jam bibendas corrigat, ut earum potus ſit innoxius.

Quoad medicamina ſpiritus ſalis marini validiſſimo igne extortus ferè ab omnibus aliis excuſat, ſi ejus aliquot guttæ in convenienti vehiculo, ut decocto cicerum, vel vino albo per ſe mictifero impotentur, Spiritus ſalis præſtat. præſentaneum quoq; remedium in ſtranguria afferunt cortices aurantiorum pulveriſati, & intrò accepti. Experimentum Imprimis verò vomitus ab aqua benedicta mirum in modum in omni urinæ difficultate convenit, revellit enim à parte affectâ, & naturam deſarcinat, ut poſtea eò melius contra morbum vires intendat, nec prætereundus in quavis urinæ difficili remora

Inſeſſus. mora inſeſſus decoctionis chamæmeli, parietariæ, malvæ, pulegii, origani, ſegmentorum raparum, avenæ & ejus ſtraminis, imprimis ſi ante ingreſſum ejus pulvis teſtarum ovorum in vehiculo diuretico accipiatur, ſed de his plura verba facere non eſt neceſſe, cum omnia quæ ſupra cap. 141. & 143. etiam heîc conducant, atque etiam quamplurima longè optima ad hos affectus proponat

TEXTUS.

Specifica. *STranguriam facilè tollit axungia hirci in umbilicum immiſſa; ſubitò eam ſolvit oleum maſtichis guttis aliquot in umbilicum calidè intromiſſis (à laudano hîc abſtine) ſal glandium, item ſtipitum fabarum & melonum, mirabiliter ſtranguriam ſolvunt. doſis ℈ſ. olei ceræ gutt. iij. vel IV. in decocto cicerum rubrorum exhibitæ ſtranguriam ſolvunt.*

Ardor urinæ. *Urinæ ardor in principio fit à ſola caliditate urinæ ob bilem cum ea permiſtam, quare ei ſtatim occurrendum; abſtinendum principio ab omnibus acidis, & acribus ac diureticis: purgetur itaq; ſtatim extracto rhabarbari, aut panchymagogo aut alio cholagogo: corpore purgato exhibeatur ſequens mucilago per biduum:*

Mucilago. *℞. ſeminis althææ*
malvæ
cydoniorum an. ʒj.
gum. tragacant. ʒj.
macerentur in decocto radicis althææ, ſeminis papaveris albi, halicacabi. f. mucilago, de qua capiat partem mediam cum ℥iij. decocti. Hinc exhibeatur ℥ſ. vel ʒVI. caſſiæ extractæ cum ſacharo in bolum formatæ additis ſi lubet, baccis oxyacanthi, diapruni ʒij. poſt meridiem bibat emulſionem ſeminum 4. frigidorum cum aqua oxalydis aut nymphææ factam, manè aut ſequenti die deglutiat terebinthinam in oblata (a) ad ʒiſ. Bolus.

(a) Terebinthina in pluribus affectibus atque etiam in hiſce mirè confert, ſed obſtat acceptioni internæ nauſeoſa ejus glutinoſitas, facilè autem hoc modo aſſumi poteſt, ſi in recenrem ovi teſtam ab albumine & vitello jamjam evacuatam, atque etiamnum intus madore lubricam infundatur ſyrupi violarum vel alterius grati portiuncula quædam, tumq; etiam particula terebinthinæ lotæ, deſuperque iterum aliquid dicti ſyrupi, ut terebinthina eo tegatur, tunc mixtura hæc ex teſta in os fundatur, & ſtatim deglutiatur, faciliìmè enim è lubrica teſta labitur, nulloq; negotio interventu grati ſyrupi deglutitur, tumque cum reliqua terebinthina partitis vicibus eâdem methodo procedi poterit, donec integra doſis ſit aſſumpta, & movebit aliquot ſedes, eaſque & urinam alio odore imbuet, multumque conducet, uti hac methodo in nobis ipſis experti ſumus; poteſt etiam una vel altera drachma ejus in mortariolo diſſolvi Modus gratus intro aſſumendi terebinthinam. Alius modus.

diſſolvi piſtillo, adjecto momento vitelli admiſcendo diſtinctis vicibus aquæ petroſelini vel alkekengi ℥ij. eaque ſubigendo, dum omnia coaleſcant, & in modum cremoris lactis candeſcant, talisque potiuncula pro vice hauriatur.

A meridie bibat iterum emulſionem, hinc iterum purgetur ſequente bolo:

Bolus purgans.

℞. caſſiæ recenter extractæ ʒVI
terebinthinæ in aqua parietariæ lotæ ʒij.
cum ſacharo f. bolus, cui addi poſſunt ſpec. diaturbith cum rhabarbaro, aut tantùm pulvis rhabarbari; hinc fiat julapium:

Julepus.

℞. aquæ portulacæ
oxalydis
nymphææ an. ℥IV.
cichorii ℥V.
ſyrup. violarum ℥iiſ.
ſpirit. vitrioli ℈ſ.
ſumat per XII. dies manè jejunus, & tribus horis à prandio aut ſaltem aſſumat ſpiritus vitrioli in aqua fontana ſingulis vicibus guttas V. iterum purgetur caſſiâ & terebinthinâ. Si tamen malum diuturnum ſit, oportet nonnunquam purgare cum rhabarbaro in ſubſtantia, additis myrobalanis citrinis, verbi gratia:

Potio purgans.

℞. myrobalan. citrin. ℥ij.
macerentur in decocti paſſularum & aquæ deſtillatæ cichorii
ſalviæ &
oxalydis ana ℥iſ.
facto horis 12. colaturæ ℥IV.
adde rhabarbari pulveriſati ʒiſ.
ſyrup. roſar. ſolutiv. ℥j.
m. f. potio.

Ne quandoque adſtringatur alvus, opera diligenter danda, quod ſi fiat, clyſteribus utere emollientibus, & refrigerantibus cum electuarii catholici ℥j. ol. violarum ℥iij.

Poſſunt etiam, ſi calor epatis adſit, exterius adhiberi epithemate & ſacculus, ungventum & ſequens decoctum:

Decoctũ diureticum.

℞ raſuræ guajaci ℥ij.
coque in aquæ ſimplicis ſ. q. ad ℥VI.
adde trochiſc. alkekeng. ſubtiliſſimè pulveriſator. ʒſ.
capiat matutinis tribus.

Poſt meridiem utatur ſpiritu vitrioli, ut dictum.

Si dolor veſicæ urgeat, lac tepidum per catheterem infundatur, aut mucilago ſeminis pſyllii cum aquæ portulacæ & plantaginis an. ℥ij. facta.

Pudendo quoque in vas lacte tepido plenum immiſſo ardor & dolor magnus mitigabitur, ut & ſi applicetur cataplaſma ex parietaria & oleo ſcorpionum paratum. Perinæum & venter inferior inungantur oleo nymphææ & roſarum, perſeverante dolore fiat cataplaſma ex decocto mal-

Cataplasma.

væ,

væ, althææ, melilothi; poteſt quoque interdum offerri ſpiritus terebinthinæ, ſed rarius, ne caliditate ſuâ noceat, aut quod melius, fiant pilulæ ex pulvere rhabarbari cum ſpiritus terebinthinæ ſ. q. de quibus ſumat ℥ſ. pro doſi.

CAP. CLIV.

DE CRUENTA MICTIONE; Germ. blutiger Harn.

QUamvis urina cruenta à veſicæ partibus ac præcipuè ejus collo ortum ducere poſſit, eamque ob cauſam affectum hunc nonnulli & cum ipſis etiam Author noſter inter affectus veſicæ referat, attamen à plerisque aliis morbis renum accenſetur, quoniam utplurimum ſangvinis mictio ab ipſis renibus contingit, ideò etiam à multo tempore vocatur αἱμοῤῥαγία τῶν νεφρῶν i. e. ſangvinis renum profluvium, verùm & hoc nomen inconveniens eſt, cum certum ſit, etiam ab aliis partibus urinam cruentari poſſe, nempe ut dictum eſt à collo veſicæ, item pudendo, ureteribus, imò ab ipſo laborante hepate, venis uteri & ſimiliter, proinde ſimpliciter ſangvinis vel ſangvinolenta mictio nominari debet.

Urina cruenta quid? Per urinam autem cruentam propriè talis intelligitur, quæ ſangvineo rubore apparet, ac ſi ſangvis eſſet dilutus. Signa. At non ſemper eâdem facie cruenta urina conſpicitur, aliquando enim dilutus & ſeroſus quaſi ſangvis mejitur, nonnunquam ſincerus, in aliis lotio ſangvis & purulentia admixta cernuntur. Ubi ergò ſangvis dilutus apparet, is propriè è renibus eſt, illique reſpondet, qui in fluxu hepatico per alvum in ejusmodi diluitione prodit, utrobique enim ſerum cruore dilutum, & exactiſſimè mixtum videtur, loturamque recens mactatarum victimarum refert, quæ per ſeceſſum prodiens debilitatem hepatis, in urina autem ipſiſſimorum renum denunciat, niſi enim emictum liquamen mixtionem lotii & cruoris adeò per omnia exactam oſtendat, ut ſerum cruentum vel cruor ſeroſus appareat, ſed cruor concretus ſeorſim ſidat, non ab ipſis renibus, ſed aliundè venit. Ubi verò ſangvis ſincerus repentè & ſine dolore promeat, eum venula quædam in renibus rupta mittit, ubi autem dolor & purulentia concurrunt, exulcerationem alicubi in partibus ad transmiſſionem urinæ pertinentibus indicat.

Excretio autem ſangvinis per viam urinariam ſemper iisdem modis contingit, ac quælibet alia, undecunque ea veniat, nempe vel per anaſtomoſin ſive apertionem oſculorum venarum, vel per diapedeſin ſeu transſudationem rarefacti ſangvinis per poros tunicarum inſtar argenti vivi per corium compreſſi; vel diabroſin ſeu perroſionem, vel perrixin ſeu disruptionem, & quilibet iſtorum modorum poteſt contingere vel in venis emulgentibus, venulisque renum & ureterum, vel in collo veſicæ, pudendove. Quamvis autem quidam Authores ſcribant, ſangvinem à renibus prodeuntem

tem non inferre dolorem, quod quidem verum eſt, ſi recens per anaſtomoſin vel diapedeſin emittatur, attamen in rixi violentâ & diabroſi fieri nequit, quin dolor concurrat, imò etiam temporis protractu in reliquis, ubicunque enim ſangvis extra propria feratur vaſa, diuturnitate temporis putredinem accerſit, quæ loca vicina ſimul accendit, per ardorem autem adjacentes arteriæ mox duriori vibratione dolorem pulſatilem pariunt, & ſuppurationem, demumque exulcerationem in certo quodam loco, ubicunque ergò dolor ſe prodit, ibi exulcerationis jam factæ vel futuræ ſtabulum eſſe arguit, nempe lumborum dolor, in renibus, ilium ſeu circa ilia, in ureteribus, pectinis in collo veſicæ, pudendi in ipſa virga.

Quoniam verò Author noſter hîc generaliter quamcunque ſangvinis in urina apparitionem comprehendat, etiam pluribus de varia ſangvinis emictione hic differendum venit:

Hippocrates quidem duorum ſaltem generum in Divinis ſuis aphoriſmis facere mentionem videtur, dum lib. 4. aphor. 75. 78. 80. & 81. ita ſcribat: *Quicunque ſpontè* (ut plærique hoc vocabulum ἀπὸ ταυτομάτε vertunt, at cum ſubindè ab externa vi oriatur, & tunc ſpontè non fiat, intelligendum potius ſubitò & confertim) *ſangvinem mingunt, his à renibus venam eſſe ruptam ſignificatur.*

Si quis ſangvinem aut grumos mejat, ſtranguriamque habeat, ac dolor in imum ventrem & perinæum ſeu interfœmineum incidat, ea quæ circa veſicam ſunt, laborant.

Sangvis aut pus emicta ulcerationem renum vel veſicæ ſignificant.

Si quis ſangvinem vel pus mingat, aut ſquamulas, & gravis odor adſit, ulcerationem veſicæ denotat.

Verum enim verò Hippocrates hîc ſaltem de communiori contingentia loquitur, ſunt tamen plura genera quamvis rariora. Præter enim jam narrata quidam etiam ob plenitudinem per certa intervalla ſangvinem mingunt, alii occaſione membri alicujus mutilati, alii ex devolutione ab alto; Nonnulli ob ſuppreſſionem hæmorrhoidum antea conſvetarum, vel menſium in fœminis; Quidam à debilitate ſeminalium viarum, vel nimio uſu venereo, ubi in nonnullis loco ſeminis ſangvis demum emittitur. Adhæc quorundam & imprimis Cælii Aureliani eſt ſententia, in veſica interdum hæmorrhoides generari, fluoreque ſangvinis periodico hæmorrhoides ani, vel ſinus fœminarum in utero æmulari.

Diagnoſis partis mittentis.

Signa hujus morbi manifeſta ſunt, at ex quanam parte mittatur, ſcrupuloſius dignoſcendum venit, ſi itaque cruentus fluor fit à renibus, affatim is prorumpit, & repentè, atque urinæ exquiſitæ permiſcetur, adeò ut tota urinæ ſubſtantia nil aliud eſſe quam tenuis ſangvis dilutus videatur, fundum tamen urinalis mox occupat liquidus absq; concre-

concretione & rubicundus, at qui à muſculo veſicæ proficiſcitur, talem cum urina permixtionem non ſubit exactam ſed in ea ſidit & grumeſcit, atque etiam pars ejus grumulatim cum urina prodit, ac ſubinde diſuriam & ſtranguriam excitat, dolorque quispiam circa muſculum veſicæ inter mejendum percipitur, præterea ſi à veſica venit, id dolorificè contingit per cauſam exulcerantem, ac unà pus & laminulas ſecum foras rapit, ſed parum ſangvinis veſica atque etiam ureteres, ſi fluor ab illis eſt, fundunt, renes verò prodigè, & repentè, idque ſi per rixin ſeu ruptionem venæ ſangvis egrediatur, ſi verò per diapedeſin, urina in tenui cruentatione apparet inſtar loturæ recentium carnium, anaſtomaſis dabit ſaturatiorem & paulatim, diabroſis purulentam cum dolore.

Cauſæ. Cauſæ poſſunt eſſe variæ, nimirum vel facultatis renum retentricis debilitas, vel laxitas venarum emulgentium, plethora ſeu plenitudo ſangvinis, ſuppreſſio menſium vel hæmorrhoidum antea familiarium; lapſus vel plaga adverſus renes; ſuccuſſio ab equitatu; arena, ſabulum vel calculus, ab eisvè attritio & exulceratio; pharmaca violenter diuretica vel acria, ut ſunt canthari- des, quæ vi peculiari in renibus vel veſica aliquam apertionem producere poſſunt; labores immodici & imprimis rerum gravium elevatio; affectus animi præcipuè autem iracundia; venus & ſalacitas exceſſiva; potulenta fortia; uſus aromatum calefactivorum immodicus, & conſimiles aliæ plures.

Prognoſis. Prognoſin quod concernit, mictio cruoris prodiga & diuturna, aliis corporis hæmorrhagiis qualibuscunque nocendo nil cedit, ſed eadem mala inferre apta nata eſt, nempe cachexiam, hydropem, tabem, eaque quâ ſangvis meracus, copioſus emingitur, notabilis venæ rupturam denunciat, & niſi quantocius occludetur, inanitionem & perfrigerationem corporis procurat, ex qua lipothymia, ſyncope ac mors timenda, vel etiam ſangvinis in veſica grumefactio, atque exinde iſchuria lethifera, pallor, deliquium ac reliqua prava ſympomata in urinæ ſuppreſſione ſolemnia. Nil quoque boni deſignat mictus cruentus in febre acuta vel variolis, ſed lethalem plerunque in ſangvine ſarcinam. Nec multo tutior eſt tenuis cruenta colatura imbecillitatis renum pediſſequa, tales enim, niſi diligenter curentur, demum omnes marcor excipit. Et quamvis per intervalla emictus ſangvis è renibus nil doloris inferat in principio, ægroque neutiquam formidabilis videatur, tamen diuturnitate fit habitualis, atque eo ipſo quod talis excretio jam ſit aſvefacta, ſui poſtmodùm curatione nocet, ac cohibita parit gravitatem, materialemque diverſorum malorum fomitem, ut ſunt arthritis, inſania, vertigo, cæcitas, aqua intercus; periodica tamen hæc per urinam ſangvinis excluſio, quæ fit cum alleviatione morbi, & in obſtinata menſium & hæmorrhoidum ſuppreſſione, atque

in his qui in ocio degentes plethorici ſunt, reſtringi non debet, niſi copia peccet. Omnis autem continua quantum fieri poterit, ſiſtatur, protracta enim fit ſanioſa & exulcerans, cujus medela adhuc difficilior quàm ſangvinis.

Curatio. Curatio hujus affectus pro cauſarum diverſitate variat, & ſecundum earum indicationem medicamina interna & externa applicanda, in omni tamen proba victus ratio habeatur, talis nimirum quæ renibus cedat ad corroborationem, & conſolidationem, eaque omnia quæ affectum iſtum cauſare poſſunt, ac paulò ante in enumeratione cauſarum recitata ſunt, fugiantur, ac imprimis omnia vehementer calida, ut ſunt: fortis exercitatio corporis, venus, ira, aromata, diuretica &c. inter edulia ea conveniunt, quæ temperata ſunt & moderatè refrigerant: ut hordeum & avena decorticata, oryza cum lacte cocta, amygdalæ dulces, portulaca, ſpinachia, blitum, carnes caponum, gallinarum, pullorum, anſerum, leporum, potus ſit cerevíſia tenuis vel vinum rubrum, præcipuè ſi ſegmenta & cortices ligni fraxini in eo macerentur, probè etiam conducit lac ebutyratum, ſeu quod in confectione butyri remanet (Buttermilch) ſi ſubindè largus de eo hauſtus potetur, effervefcentiam enim ſangvinis potenter reprimit. Venæſectio non niſi in plethora & in principio convenit, ubi autem liberalis cruenta emictio aliquandiu duravit, ea jam pridem nimia eſt venæſectio, nec etiamnum aliâ vires debilitandæ. Cæterùm præcipui Practici rectè ſvadent corporis evacuationem, maximè autem in omnibus profluviis ſangvineis convenit rhabarbarum, eò quod purgat & unà adſtringit, utiliſſimè itaque ſic propinari poterit:

Potio purgans.

℞. rhabarb. pulv. ℈ij.
ſucci portulac. (qui ſpecificè in cruore à renibus & ureteribus valet) ℥iij.
hæmatit. præp. ℈j. m. pro uno hauſtu.

Notatu digna. Uſus autem rhabarbari aliquandiu cum fructu continuari poterit, ſi per unam vel alteram horam prius infundatur, ut vis purgans aliquantulum auferatur, ac reſiduum cum ſucco vel aqua portulacæ aſſumatur, primâ autem vice non extrahatur, ſed cum integris viribus accipiatur, ut colluviem corporis educere poſſit.

Facta evacuatione, vel etiam ante eam in caſu neceſſitatis ad ea deveniendum quæ ſangvinis cohibitioni, venarumque glutinationi dicata ſunt, paulatim tamen, ne ſubitanea adſtrictio grumefactionem ſangvinis aliaque incommoda producat.

Præclariores Authores Hippocratem ſeqvuti lac ovillum ad ℥IV. pro hauſtu cum ℈ij. vel tutò & cum ſalute propinant, interdicto poſt aſſumptionem ſomno & exercitio.

Longè itidem efficaciſſimum eſt medicamen in quacunque hæmorrhagia, quod ſupra cap. 103. ex marte & ſaturno edoctum eſt, ſi cum ſucco portulacæ vel plantaginis accipiatur.

Tro-

Trochiſci. Trochiſci quoque Gordonii cum dictis ſuccis expertiſſimi ſunt.

Horum trochiſcorum compoſitio hæc eſt:

℞. Semin. 4. frigidor. maj. mundat.
Papaveris albi,
Malvæ,
Bombacis,
Portulacæ,
Cydoniorum,
Baccar. myrtillorum,
Tragacanthi,
Gummi Arabici,
Pinearum mundatarum,
Piſtachiorum
Sachari candi,
Penidii,
Liquiritiæ mundæ,
Hordei mundi,
Mucilaginis pſyllii,
Amygdalarum dulcium ana ℥j.
Boli Armenæ,
Sangvinis draconis,
Spodii,
Roſarum,
Myrrhæ ana ℥ſ.

Ex his cum hydromelite fiunt vulgò trochiſci, quod tamen neceſſe non eſt, cum in forma trochiſcorum non poſſunt aſſumi, ſed rurſus pulveriſari debeant, relinquantur ergò in ſui prima compoſitione in forma pulveris, adhæc ſacharum penidiatum nihil peculiaris compoſitioni infert, aptiusque merum ſacharum cand. in duplo pondere ſive ℥ij. accipitur.

Linimentum. Exterius regio lumborum tali linimento inungatur:

℞. ol. roſar.
cydonior.
myrthin. an. ʒVI.
nucis moſchat. expr.
boli armen.
ſangv. dracon. an. ʒj.

pulveriſentur hæc ſubtiliſſ. & cum oleis miſceantur in linimentum.

In ſangvinis mictione ab acribus & malignis diureticis, ut ſunt cantharides, convenit vomitio ab aqua benedicta vel ſale vitrioli, deinde lac ovillum chalybeatum affatim bibatur, taliaque quæ malignæ qualitati adverſantur, ut bolus armen. terra ſigillata.

In cæteris caſibus eorum propria capita nempe de exulceratione renum & veſicæ &c. evolvenda, cum his quæ tradit

TEXTUS:

Mictionem cruentam à venulis vel in renibus, vel orificio veſicæ ruptis & exeſis productam curant illa, quæ aliàs hæmorrhagiis internis deſtinata ſunt, de quibus egimus ſupra.

Specificum in hoc caſu, præſertim ſi cruenta mictio eſt à calculo, eſt arcanum agrimoniæ & quinquefolii (a) *gran. IV. V. VIII. &c. his maximè adjungenda ſunt illa, quæ ſi exulcerationes partium ſimul vigent, de exulcerationum curis hactenus dicta ſunt, præſertim ſi tabulæ à Platero in iſtis caſibus laudatæ in ſubſidium veniant.* Specificum.

(a) Harum herbarum arcana ita parantur: primò dictæ herbæ in ſ.q. Arcana.

collectæ in fermentationem modo vulgari ponuntur, fermentatione peractâ deſtillatur ex illis ſpiritus ardens cum phlegmate, ſpirituque per rectificationem ſeparato, herbæ in fundo deſtillatorii reſiduæ cremantur in cinerem, & cum proprio phlegmate (cujus locum quævis aqua deſtillata ſubire poteſt) ſal earum elixiviatur, illudque lixivium ad ſpiſſitudinem olei cujusdam evaporatur, tumque abſtractus antea ſpiritus ardens pariter liquori ſalſo jam ſpiſſefacto rurſus additur, totaq; mixtura tribus vel quatuor partibus argillæ exſiccatæ impaſtatur, ac rurſus ex retorta gradatim aucto igne usque ad vehementiſſimum ejus candorem in capaciſſimum vas recipiens, (cui impoſitæ prius ſint ejusdem ſpeciei herbæ paululum ſaltem exſiccatæ pro ſuperfluo earum phlegmate demendo) deſtillatur, ſic ſpiritus & ſal rurſus in ſpirituoſa volatilitate prodeunt, atque etiam virtutem ex herbis in receptaculo ſimul in ſe combibunt, ex qua rubor ipſis quidam conciliatur; totum itaque iterum quod in receptaculo eſt, per retortam ex reverberio clauſo deſtillatur, tranſitque liquor rubicundus cum fœtore aliquo ſeu empyreumate ab herbarum ſuperadditarum oleoſitate aduſta. In hoc liquore integra facultas totius mixti continetur, poteſtque exhiberi per ſe vel in appropriatis vehiculis à ℈j. ad plures.

Interdum ipſa chirurgia aliquid opis confert, quæ tamen ita moderanda, ne plus obſit quàm proſit.

In mictione porrò cruenta, manifeſtâ cauſâ præcedente (præſertim in fœminis, quibus hic affectus familiaris) tinctura corallorum unicè prodeſt, quâ etiam inveteratiſſimæ tandem curatæ ſunt. Tinctura ſmaragdi hîc etiam multum prodeſt.

In capillamentis (b) *urinarum excretis, ut vitium tollatur, & renes purgentur, ſpiritus terebinthinæ recens facti gutt. IV. V. VIII. in aqua vel ſyrupo de althæa aliquando exhibitæ optimè ſanant.* Capillamentorum excretio.

(b) Capillamenta ſubindè emingi ſolent, quæ veri tamen capilli non ſunt, ſed corpuſcula è viſcida materia prælongam cohærentiam in modum filorum vel pilorum facientia, quorum etiam Hippocrates lib. 4. aphoriſ. 78. meminit his verbis: *Quibus cum urina craſſa exiguæ carunculæ, aut veluti pili unâ exeunt, his à renibus excernuntur.* Experientia autem docuit, tales ægrotantes antea uſos fuiſſe victu craſſo, & præcipuè multum caſei comediſſe vetuſti, ac diureticis & incidentibus fuiſſe adjutos: cujusmodi etiam eſt commendatus hic ſpiritus terebinthinæ, longè item eximium eſt in hoc affectu oleum illud balſamicum ſupra cap. 8. edoctum; hoc vitium autem pertinet ad nephriticam paſſionem.

CAP.

CAP. CLV.
DE SCROTI ET TESTIUM MORBIS, AC PRIMO DE INFLAMMATIONE EORUNDEM; Germ. Entzündung deß Säckleins und der Gromen.

Dydimi, teſtes vel teſticuli nobiliſſimæ ſunt partes, queis ad generandum careri nequit, conſtantes ſubſtantia glanduloſa, albicante & cavernoſa, ut ſupra cap. 146. paulò dilucidius eorum deſcriptionem dedimus, quemadmodùm autem maximè ſunt neceſſarii & plurimi uſus abuſusque, ita etiam fragilitati & morboſitati pariter obnoxii, imprimis autem frequenter occurrit teſtium inflammatio & intumeſcentia diverſa, nempe calida & frigida, aquoſa & ſicca. Hîc autem agitur de inflammatione, quæ modò in ſolo ſcroto ſeu capſula teſtium, nunc in ipſa teſticulorum ſubſtantia obtingere ſolet. Inflammatio quæ tantummodò in ſcroto accidit, levioris cauſæ eſt, & exteriorem pelliculam cum ſubjecta membrana carnoſa comprehendit, eique quoad externam apparentiam ruborem inuſtulat, cum tumore conjunctum, ſolet que una leviuſcula febricula adeſſe. At ſi vehementior inflammationis cauſa ſubeſt, tunc inflāmatio ſimul teſtes incendit, cum ingenti dolore febrisque incendio, ſolo tamen teſticulo inflammatione laborante, exterior ſcroti color naturalis eſt, ſeu conſvetus, teſtis verò durior, tumidior, & ex levi ſeu ſuperficiario attactu dolere ſeu graviori duritie affici non videtur, aſt validius impalpando digitis rubor, dolor & durities magis ſe produnt, febris quoque in graviori caſu ſemper unà flagrat, cum dolore pulſatorio ad renum usque loca ſe extendente, atque hæc cuncta teſte utroque inflammato duplicantur, dolorque magis acutus per totum corpus lancinat, at ſi unicus inflammatione ſaltem laboret, dicta ſymptomata minus, ac velut in profundo ſentiuntur, ac melius tactui quàm viſui obvia ſunt.

Cauſæ ſunt eædem, quæ aliàs eryſipelas accendere ſolent, nempe confluxio catarrhalis, ad ea loca procumbens, ubi aliquis ſtimulus vel caloris vel frigoris, vel ſucci nutritii turgens ſuperfluitas occurrit, nam ſicuti in externa cute; ſi quid mordicantis vel acris per moram aliquam adhibeatur, mox confluxus & collectio ſucci lymphatici adeſt, nempe in puncto exterioris mordicationis, ſive ea ab igne, vel aqua fervente, vel veſicatorio excitata ſit, ibique ſub cuticula in veſicas lympha plenas colligitur. Ita quoque interius intra cutem vel cavitates partium idem, conſimili acritudine ſtimulante, ſæpius contingit, nec ſcrotum vel teſticuli ab hac labe eximuntur, cum frequens ſtimulatio ejusmodi occaſionalis ibi occurrat, nimirum vel per nimiam ſalacitatem, ſeminisve nimiam & turgentem collectionem, ex qua juxta noſtram accuratam obſervationem alteruter teſtis & imprimis dexter altero fit turgidior & durior, ac nonnunquam Cauſæ.

nunquam dolet, ubi facilè poſtmodùm tumoroſa attractio & inflammatio ſequi poteſt, quod quidem nō ita crebrò contingit, eò quod ſagaces in tempore ſibi rebus juvantibus proſpiciant, crebrius autem eadem procurantur per externam violentam injuriam à lapſu, percuſſione, equitationis ſuccuſſione, contuſione, compreſſione & ſimiliter.

Prognoſis. Prognoſis hujus affectus hunc in modum ſe habet: Si inflammatio in ſcroto duntaxat & exteriori pellicula hæreat, viſu facilè deprehenditur, & haud difficulter curatur, ſi verò in teſtium ſubſtantiâ, affectus eſt admodùm periculoſus, curari tamen in principio poteſt, ſi illicò convenientia medicamina adhibeantur, & nullus error neque à patiente nec medico committatur, ſed per reſolutionem collectio terminetur.

At paulò diutius neglecta inflammatio in ſuppurationem & ſaniei conceptionem tranſit, intolerabilem teſtium dolorem efficit, atque eorundem corruptionem, ac lapideam indureſcentiam, vel etiam gangrænam ipſamque mortem afferre poteſt.

Curatio. Curatio à Practicis inſtituitur accelerata venæſectione pro extingvenda inflammatione, præſcribendo ſimul convenientem victus rationem, uti in omnibus affectibus calidis conducit, loco verò inflammato confeſtim epithemata & cataplaſmata refrigerantia adhibeantur ex ſuccis ſolani, plantaginis, ſemper vivi, perſicariæ maculatæ, farina hordei, roſis ſiccis & ſimilibus, ex. gr.

Cataplaſma.

℞. ſucci ſolani ℔ſ.
perſicar. maculat.
plantag. an. ℥iij.
farinæ hordei ℔ſ.
flor. malvæ arbor. exſiccat.
roſar. rubr. an. ℥j.
ol. roſar. ℥iiij. f. cataplaſma.

Si dolor valdè urgeat:

℞. micæ panis ſimilagin. in lacte fervido maceratæ & expreſſæ ℔ſ.
vitell. ovor. crud. conquaſſat. n. iij.
farin. hord. ℥j.
ol. roſar. ℥iij.

Conquaſſando cuncta miſceantur in cataplaſma bis vel ter in die recens imponendum.

Si verò per procraſtinationem jam tendat ad ſuppurationem, tunc humidiora conveniunt, ex. gr.

Cataplaſma.

℞. althææ cum toto
malvæ an. m. j.
farin. tritic. ℥iij.
ſemin. lini
fœnugræc. an. ℥iſ.
flor. chamæm.
melilot. an. p. ij.

decoquantur in jure pingvi ad mollitiem, tum contuſa per cribrum transmittantur, adde
axungiæ porcin. ℥iij.
ol. violac. q. ſ. f. cataplaſma.

Si ſufficienter maturata ſuppuratio per ſe rumpi nolit, ſcalpello incidatur, ulcusque empl. Apoſtolico, vel alio perſanetur.

Præterea extra rationem inflammationis ſcrotum etiam nonnunquam in tumorem inflatur, modò œdemetoſum, qui tumor eſt laxus & frigidus,

frigidus, nunc in ſcirrhoſum ſeu durum, irrepreſſivum ſeu digitorum impreſſioni non cedentem.

Oedematoſus. Oedematicus tumor locum habet in temperamento pituitoſo & frigido, à diæta frigida, craſſisque & pituitoſis alimentis, multa ingurgitatione potulentorum, ſimilibusque cauſis, quibus demum pituitoſa materia copioſè in corpore genita interdum ad crura, nonnunquam in ſcrotum prolabitur, illudque in ejusmodi laxum, indolentem, repreſſivum ſeu preſſioni cedentem tumorem extendit, eſtque duplicis generis, nimirum jam dictus & etiamnum alius merè ſeroſus ſeu aquaticus, qui apoſtema hydatodes apellatur, qualis tumor in hydrope, ac imprimis in aſcite colligi ſolet.

Scirrhoſus. Scirrhifera intumeſcentia eſt tumor ſiccus, & durus non tantum in aliis corporis partibus, verùm quoq; in ſcroto & teſtibus ſubinde enaſcens, ubi interdum ferè in lapideam duritiem indureſcit, nec digitorum repreſſioni cedit, eſtque in nonnullis planè inſenſilis, in aliis obſcuriuſculè adhuc ſentit, hic tumor in melancholicis provenire ſolet atque à craſſo frigido & melancholico victu.

Curationis ſcopus. In omnibus hisce caſibus convenit diæta calefaciens, atque interna medicamina obſtructiones in hypochondriis reſerantia & diuretica, quæ tam melancholicis quàm pituitoſis conveniunt, præmiſſâ tamen in pituitoſis corporis evacuatione per ſeceſſum.

Topica. Exterius locus affectus fomentetur acri lixivio, in quo decoctæ ſint ſulphuris communis, nitri & ſalis an. ʒj. addendo in fine decoctionis partem aceti vini, ac denuò coquendo, ut non nihil ſulphuris, quod ab infuſione aceti præcipitatum eſt, iterum ſolvatur, ac deinde à fotu imponatur emplaſtrum Avicennæ contra tumorem ſcroti, quod ita paratur: Fomentum.

Emplaſtrum.

℞. gummi ammoniac. in acet. ſoluti bdellii an. ℥j.
ſpumæ maris, cujus locum ſubire poteſt nitri & ſtercoris columbin.
ſulphuris flavi an. ℥ſ.
Ariſtoloch. rotund. ʒV.
ſem. ſtaphis agriæ
urticæ
ſinapi an. ℥ij.
ol. veteris vel laurin. ℥ij.
pulveriſatis pulveriſandis cum ceræ q. ſ. f. emplaſtrum.

Tumor aquoſus etiam optimo cum ſucceſſu fomentatur fotu ex cortibus quercus, quibus coriarii utuntur, ventoſus vino decoctionis cumini, rutæ, aniſi, coriandri &c.

Scirrhoſus autem tumor vix amplius emolliri poterit, tentanda tamen duritiei digeſtio per emplaſtrum de ammoniaco, ceroneum & ſimilia; efficaciora tamen vix dabuntur his quæ in ſequentibus proponit

TEXTUS.

INflammationem ſcroti & teſtium tollunt ea, quæ aliis inflammationibus inſerviunt.

Specifica. I. *Peculiare eſt decoctum agri-*

moniæ cum vino & aceto, loco dolenti ſæpius in forma cataplaſmatis adhibitum. Item radix cucumeris aſinini in aceto & vino cocta.

II. *Herba paridis viridis contuſa & applicata ſubitò ſiſtit.*

III. ℞. *Nymphææ & naſturtii aquatici an. m. ij. coque in aceto roſaceo cum vino, in fine adde aliquid olei roſacei, & applicetur tepidiuſculè.*

Huc pertinet illud cataplaſma, de quo paulò ante monuimus in gonorrhœa virulenta. (a)

Tumor ſcroti.

Similiter hæc (jam dicta) omnes tumores ſcroti diſcutiunt, & feliciter curant, modò omnia tempeſtivè fiant. Alvus ſit aperta & perpetuò libera; ſi febris adeſt, eidem proſpiciatur. Diæta ſit tenuis refrigerans, humectans, abſtineat à vino.

Cataplasma expertum.

Tumorem inveteratum, prædurum ex malè curatâ inflammatione ſæpè ſuſtuli cum cataplaſmate radicis lactucæ ex mulſo coctæ, cui interdum adjeci farinam hordei, fœnugræci, lini &c. Sæpè etiam cæpas fruſtulatim inciſas decoctis addidi (hoc modo curavi Timplerum Philoſophum) Poſt ſæpius iteratum hoc decoctum, locum affectum illinivi balſamo ſulphuris, & tandem emplaſtrum diaſulphuris per aliquot dies ſuperaddidi.

Quod ſi de tumore aliquid reſiduum fuerit, hac iteratâ curâ & continuatâ tandem omnis tumor evanuit.

(a) Inflammationi huic cognatus eſt pruritus & excoriatio ſcroti, cui affectui hoc apprimè convenit.

Linimentum.

℞. ungventi de minio camphorat. ℥ ſ.
ceruſſæ ſubtiliſſimè tritæ ʒj.
ol. roſac. q. ſ. ut f. linimentum mediocre, quo imbutum linteolum frequenter loco prurienti & excoriato ſuperponatur.

CAP. CLVI.

DE HERNIIS; *Germ.* Brüche.

QUum frequentiſſimum malum ſit ramex inteſtinalis delapſusque inteſtini in ſcrotum, opportunum erit, etiam de aliis herniarum generibus hoc loco agere, & quicquid materiam hanc concernit, brevibus pertractare

Hernia quid?

Ramex itaque ſeu hernia affectus ille eſt, qui Græcis Cele, noſtris etiam ruptura & quibusdam crepatura dicitur, cuncta hæc nomina generalia ſunt, quoniam diverſis partibus herniæ accidunt, quarum nomina ſemper adjicienda ſunt, ſi in ſpecie de una vel altera tractetur. Cele autem eſt communis appellatio quondam inflammationibus arteriæ, umbilici, ingvinis & ſcroti attributa, uſus ergò invaluit, ut per adjectum ſpecialis partis affectæ nomen appropriatam herniæ denominationem

Cele.

nem conſtituat, ut bubonocele, enterocele &c.

Entero-cele. Inter hernias autem primò occurrunt, quæ ſcroto familiares ſunt ut enterocele, ſeu hernia inteſtinalis, quæ ruptura eſt peritonæi continentis zirbum ſeu omentum & inteſtina, & epiplocele ſeu omenti ramex barbaris hernia zirboſa dicta; Epiplo-cele. in hisce duabus herniis peritonæum circa ingvina vel relaxatur, vel rumpitur, & rimulam acquirit, per relaxationem ergò vel ruptionem peritonæi & dilatationem didymi omenti particula, vel inteſtinum ilion, quod ſolum deorſum labi poteſt, in ſcrotum labitur, & alterutrum ex hisce ramicibus efficit, at quando omentum & inteſtinum ſimul delabuntur, vocatur iſte ramex epiploonterocele, id eſt omenti & inteſtini ramex, quando autem tendo membranoſus utrinque ab ingvinibus proficiſcens, atque in peritonæum productus, ſuoque rebore peritonæum ſuſtinens cum eoque omentum & inteſtinum, relaxatur, tunc iſtam relaxationem peritonæum ſequitur, ac omentum cum inteſtino plus minusve nunc in ingvina, jam in ſcrotum deſcendit, ſi in ingvina, tum ibi excitatur tumor, qui bubonocele nominatur ſeu hernia ingvinalis vel bubonica, quoniam ilion vel omentum rupto vel relaxato peritonæo in ingvine exit. Ubi verò umbilici ligatura relaxatur, atque umbilicus procidit, vel etiam à rupto ibi peritonæo propellitur, omphalocele eſt, ſeu ramex umbilici, vel exomphalos, quæ ruptura in pueris frequens eſt. Si tumor in aſpera arteria fiat, hernia gutturis appellatur, quæ in hisce regionibus popularis eſt, ubi potus aquæ ex colliquatis nivibus in uſu eſt. Oſcheocele autem ſeu ramex ſcroti nonniſi in maribus fieri poteſt, ſunt tamen diverſæ ſpecies ſcroti hernioſi: nam ſi in temperamento phlegmatico collectio aquoſa in ſcrotum procumbat, ac tumore aquoſo turgidum reddat, hydrocele ſeu hernia aquoſa dicitur, cujus & aliam ſortem barbari recenſent, nempe humoroſam vel humoralem, quaſi verò quis unquam diverſos humores in ejusmodi hernia nudo intuitu diſtinxerit. Aſt ſi flatu ſcrotum diſtendatur, pneumatocele, ſeu ramex ventoſus, herniaque flatuoſa generatur, at ſi excreſcentia carnea ſacculum occupet, ſarcocele ſeu hernia carnoſa audit, cujus & alia ſpecies eſt, nempe cirſocele, ſeu varicoſa, ob venulas multas craſſas circa oſcheum involutas, quæ varices nuncupantur.

Epiplo-ontero-cele. Bubono-cele. Ompha-locele. Exom-phalos. Hernia gutturis. Oſcheo-cele. Hydro-cele. Pneu-mato-cele. Sarco-cele. Cirſoce-le.

Præter has fœminis adhuc peculiaris ruptura infeſta eſt, ipſisque ſolis propria, & à virili ſexu planè aliena, quæ ipſis in ligamentis uteri contingit, adeò ut uterus deorſum ad pudendum propendeat, verùm de ea, infra inter affectus uteri plenior commemoratio fiet.

Signa herniarum. Signa herniarum manifeſta ſunt, ad dignoſcendum tamen eas hæc notanda veniunt, cum plurimùm inter ſe differant, primò enim magna eſt differentia inter laxationem & rupturam, ſciendum itaque, relaxationem

tionem ferè evenire tantùm circa foramen, per quod vaſa ac muſculi cremaſteres deſcendunt ad teſtes, ac ultrò in his contingere ſolere, qui otio & victu pituitoſo utuntur, ruptura verò cauſam violentam agnoſcit, fieri enim ſolet in lateribus oſſis ilium, prægreſſo ſubitaneo ſaltu vehementi, vel ictu, vel alio corporis contorquente motu, quo ex improviſo peritonæum crepat, ac rimulam acquirit, quæ quum exigua ſit, per eam multi perlabi nequit, ideoque tumor initio parvus ſequitur, procedente autem tempore rima peritonæi magis finditur, ac tumor magis magisque augetur, donec in immenſam magnitudinem accreſcat, ac in ſumma cute emineat, eò, quod inteſtina extra peritonæum prolabantur atque tantummodò à cute ſola ſuſtineantur, cum dolore punctorio ac veluti lacerativo, nec absq; dolore prolapſa reducuntur, in relaxatione autem reductio fit ſine dolore, quantocunque etiam modo contrectatio fiat. In ſpecie autem enterocele hæc ſigna habet propria quod ægro in quiete manente, vel ſupino decubitu inteſtinum vel ſponte in locum ſuum retrocedat, vel manuum juvamine cum flatulento murmure facilè retrudatur, ramex augetur vel minuitur ratione materiæ collectæ, & à clamore, ambulatione, ponderis ſublatione, cibique repletione creſcit, frigore contrahitur, ſcrotum ſubinde magis in una quàm altera parte nunc in univerſum diſtenditur, nunc inteſtini pars in reſupinatione rurſum retrahitur, ac altera in ſcroto reſidet, ac nonnunquam excrementa indurata tactui diſcernenda præbet. Interdiu tumor motu exercitationis increſcit cum dolore, per quietem verò intermittit, ita ut manè detumuiſſe advertatur, nec doleat. Signa autem bubonoceles ſunt, quod affectus in ipſo ingvine hæreat, ibiq; tumor remaneat, nec delapſus inteſtini vel omenti fiat in ſcrotū. Hernia iſta utrique ſexui communis eſt, ac in fœminis à laborioſo partu, vel nimis grandi fœtu ruptionem peritonæi cauſante contingit, rarior tamen ipſis hernia eſt, eò quod firmiori peritonæo præditæ ſunt. In epiplocele tumor magis in oſſe pubis eſt, quàm in ſcroto, & æqualiter perſeverat continuò abſque diminutione, utcunque & quomodocunque corpus moveatur vel in ſitu alteretur, retinendo autem ſpiritum non admodùm increſcit, eſtque mollis, lubricus & inæqualis ad tactum.

Signa enteroceles. *Signa bubonoceles.* *Signa epiploceles.*

Sarcoceles autem dignotio eſt, quod tumorem objiciat durum, æqualiter ubique coloratum, rotundum, oblongumque, qui ſenſim incrementum ſumit, & teſticuli formam refert, cum econtra enterocele repentinum in ſcroto tumorem efficiat, hoc molliorem, & ab eo hoc modo differt. In Cirſocele venæ teſtem nutrientes tumidæ fiunt, & veluti conglomeratæ ſentiuntur. Hydrocele exploratur in loco obſcuro, objecta ardente candelâ vel lampade an pelluceat, cum facilè tactum fallat, & duritie ac plenitudine vel carnoſam vel inteſtinalem mentiatur,

Sarcoceles. *Cirſoceles.* *Hydroceles.*

tur, pellucidate non item, quamvis etiam flatuoſo ramici aliqualis pelluciditas conveniat, at non adeò obſcura ac gravis: Pneumatocele autem levior eſt, tumor non admodùm increſcit, eſtque mollis, repreſſivus, inæqualis, priorique ferè ſimilis exceptâ pelluciditate leviori.

Pneumatoceles.

Hernia verò umbilicalis dignoſcitur, quod umbilicus nimium promineat, decumbenteque eò inteſtino tumor & dolor ſocientur, dumque tumor manu premitur, inteſtinum cum murmure retrocedit, aut ſi collectio aquoſæ vel flatuoſæ materiæ tuberantiam cauſarit, tactu vel admotâ candelâ id diſcernitur.

Herniæ umbilicalis.

Cauſæ.

Cauſæ rupturæ variæ eſſe poſſunt, nimirum omnia quæ ad fortem propulſionem ſeu expulſionem peritonæi, omenti & inteſtini faciunt, ut ſunt magnus & vehemens conatus efflandi ſpiritum, clamandi, vel vociferandi: hinc tubicines, cantores, concionatores & conſimiles facilè rupturas contrahunt, item ſaltus, nimia crurum divaricatio, luctatio, gravis ponderis ſublatio, curſus, impetuoſa vibratio haſtarum ac lancearum, jactus lapidum, equitatio in equo pernici, ſubitaneaque in eum inſultio, tuſſis fortis & laborioſa, caſus, ictus, percuſſio, alliſio, nimis expulſoria ſpiritus compreſſio, ut fit in difficili alvi excretione, nec non laborioſo partu, coitus exceſſivus & inordinatus, imprimis mox à repletione ſtomachi, quo ſpiritus maximè diſſipantur, omnesque partes fragiliores redduntur, omnes hæ cauſæ ſi pervehementes ac fortes ſint, rupturæ anſam dare poſſunt, ſi debiliores, relaxationi, hæc tamen frequentius à diæta nimium humectante alimentisque phlegmaticis, otio, deſidia, ſomni prolongatione, immoratione in aquis, perfrigeratione & ſimilibus oriri ſolet, hisque qui tali victitationi dediti ſunt, ut monachis & conſimilibus frequens eſt. Aquoſa autem, ventoſaque collectio ac carnoſa coagmentatio in ſcroto cauſas habent temperamentum phlegmaticum, frigidamque corporis conſtitutionem, diætam exceſſivè humectantem & refrigerantem & flatulentam, teſtis frigidi & debiles, ac veluti ſolſtitium calefactivæ ſuæ influentiæ paſſi; ſicuti enim in majori mundo decrementum caloris ſolis triſtem autumnum, procellas, imbres, putresque fungos ordinariè parit, ita quoque tales autumnales teſticuli ætate vel exceſſu venereo exhauſti & frigefacti pluvioſitati hydroceles, ventoſitati pneumatoceles, fungoſitativè ſarcoceles obnoxii ſunt.

Prognoſin quod attinet, ramices ac imprimis enterocele peritonæiq; ruptura in pueris haud difficulter ſanari poteſt, in adultis difficilius, in ſenioribus verò neutiquàm vel admodùm difficilè, facilis quoque curationis eſt ruptura recens, exigua, & in qua nulla in ſcrotum fit delapſio, ſed in ingvinibus ſaltem jam jam tumor emerſit, at inveterata, grandis, atque illapſum in ſcrotum teſticulorumque inflationem inferens, difficulter curationem recipit. Ruptura familiaris eſt juvenibus ex

Prognoſis.

varia violenta tenſione, relaxatio pueris ob teneram mollitiem, ſenibusque ex cruditatibus & pituitoſa frigiditate, obnoxii quoque ſunt laxationi, qui multum in aquis occupantur, ut piſcatores & nautæ, ſuntque facilè curabiles, ſi mox in principio curationi ſe ſubjiciant, exiguus enim tumor inſtar nucis tum in ingvine apparere ſolet, ac proinde quod ferè nullam inferat moleſtiam, plerunque negligitur, nec tanti æſtimatur, ut Medici alicujus inſpectio vel conſilium requireretur, & ſic neglecta ejusmodi eminentia paulatim increſcit, donec grandis ramex exinde oriatur; negligentia itaque ejusmodi ſæpius perniciei cauſa exiſtit, relaxatione enim vel rupturâ demum invaleſcente inteſtinũ in oſcheum deſcendit, & ſi fæces ſimul in eo induratæ devolvantur, vix unquam amplius reduci poterit, ſed miſeram inferet mortem. Inter omnes enim herniarum ſpecies enterocele maximè periculoſa eſt, imprimis ſi inteſtinum reduci nequeat, vel enim gangrænam concipit, vel lethalem febrem accendit, & utroque modo, ſive tum vi reponatur, ſive non, mortem accerſit. In genere autem ruptura in pueris, fœminis, ſangvineis, & humidiori temperatura, nec non carnoſitate præditis junioribus facilè curatur, provectioribus autem, & ſiccioris conſtitutionis contrario modo; una quoque hernia alterâ curatu difficilior eſt; nam epiplocele difficilis eſt curationis, omentum enim ob ſui tenuitatem & mollitiem reperiri non poteſt, nec reduci, ſed impellenti cedit. Pariter ſarcocele grandior exſtirpationi tantùm per ſectionem & caſtrationem teſtis auſcultat; prout & cirſocele curari renuit, parum tamen moleſtat. Hydrocele legem hydropis ſequitur, atque aſcitem prænuntiat, ac interdum curatur, quandoque minimè. Pneumatocele tympaniticæ proſapiæ eſt, ac nonnunquam præcurrit tympanitem. De hernia aquoſa notandum, quod, ſi tanta ſit, ut teſticuli perpetuò madeant, facilè eos ſtagnans diu aquâ citrina putrefactivam qualitatem nacta corrumpere poſſit, ſcroti quidem apertione atque aquæ extractione mox juvantur, brevi tamen aqua redit, niſi per efficacia remedia interna cachochymia ac malus habitus corrigatur, ac ſerum expurgetur. Quin imò nulla herniarum inciſio in vero cacochymo, debili, ſene, intemperante, vel guloſo ſuccedet, ſed potius infamiam pariet.

Curationis ſcopus in eo conſiſtit, ut ante omnia accurata diætæ ratio inſtituatur, pars elapſa celeriter reponatur, præmiſſa alvi emollitione & evacuatione, ne excrementa repoſitionem remorentur, ac emplaſtro convenienti & colligatione, nec non quiete in ſuo loco retineatur, & cooperantibus internis pharmacis ſanativis perſanetur. Curationis ſcopus.

Diætæ ratio omninò neceſſaria eſt, ut in quibuslibet herniæ ſpeciebus victus ſit tenuis & admodùm parcus, ne ventriculus & inteſtina cibo turgeant, aliàs pars prolapſa nec reponi, Diæta.

poni, nec intra corpus retineri poſſet, parum ergò ad tempus nutrimenti liquidi probè nutrientis exhibeatur, ut ſunt cremor hordei & avenæ, juſcula caponum & pullorum, atque ex vino rubeo cereviſiaque confecta, cum incoctione herbarum vulnerariarum, vitando flatulenta & materioſa multum excrementi proferentia, ut ſunt omnia craſſa, lentes, piſa, olera, piſces, caro ſuilla, ſalita, fumata, item coitum poſt repletionem, exercitia validiora, omnesque cibos emollientes tam rupti quàm relaxati ſtudioſè evitent; ante elapſæ partis reductionem fæces ventris educantur leni clyſtere in hunc modum compoſito:

Clyſter. ℞. rad. althææ
lil. alb. an. ℥ſ.
fol. malv.
mercurial.
althææ an. m. j.
flor. melilot.
chamomill. an. p. ij.
ſem. lini.
fœnugræc.
aniſi
fœnic. an. ʒij.
decoquantur in aqua commun. colat. ℔j. diſſolve caſſiæ extr. ℥j.
ol. chamomill.
anethin
amygd. dulc. an. ℥j.
vitell. ovi n. j.
ſalis gemmæ ʒiſ.
f. clyſter mox injiciendus.

Fomentum. Remanentiæ dicti clyſteris affunde iterum circiter ℥XX. aquæ, fiatq; decoctio, qua deinde pars elapſa fomentetur tepidè intinctis ſpongiis, ac dein blandè reducatur, pro læſionis exigentia, diſcernendo relaxationem à ruptione, & cuique ſuum regimen deſtinando.

Si itaque bubonocele ſit jam jam incipiens, in qua ruptura ferè ad magnitudinem nucis juglandis in inguine ſe viſui objicere ſolet, inteſtinum manu reducitur, quo facto locus inungitur oleo myrthino & lumbricorum, ac poſtmodum vulgare emplaſtrum ex pelle arietina, vel aliud contra rupturam efficax imponitur, ac conveniens ligatura adhibetur, ægro per totum curationis tempus ſupino jacente & quietè, & bis vel ter in die hauſtum aſſumente ex ejusmodi potione:

Potus. ℞. radic. conſolidæ major.
valerian.
ſigilli Mariæ
glycyrrhiz. an. ℥ſ.
herb. piloſellæ
agrimon.
millefol.
burſæ paſtor.
plantag.
tanacet. an. m. j.
flor. roſar. rub. p. ij.
ſem. aniſ.
fœnic. an. ʒij.
f. decoctio in ℔ij. vini rubei ad emollitionem herbarum, tum frigefiant, adde adhuc ℔iij. vini rubei, vinumque probè obturatum aſſervetur. Pro potu ordinario utatur vino rubeo, pro cibo inſerviant paulò ante commemorata, abſtinendo à cæpis, allio, rapis, leguminibus, frictis in ſartagine, pane azymo, carne porcina, bubala, caſeo & lacte.

In

In enterocele, ubi inteſtinum in ſcrotum eſt prolapſum, exacerbantibus unà torminibus, reductio inteſtini pari modo protinus molienda eſt, eductis prius impedimentoſis per injectum clyſterem fecibus, collocando ægrum in lecto ſupinum ita ut venter paulo altius capite recubet, ſubſtratis ipſius lumbis culcitris, & ſic inteſtina prolapſa, atque ex peritonæo propendentia lentè ac leniter manibus in corpus reducantur, impellanturque, & ſi ob ventoſitatem vel dolorem reduci non poſſint, aut feces inteſtino inhærentes immiſſionem impediant, obſtacula hæc prius removenda ſunt; fæces quod attinet, emolliendæ ſunt oleo communi cum calefactis peciis, at non medicaminibus per os aſſumptis, nam & ne cibi quidem conceduntur, ne nova ſanationis impedimenta fiant. Si verò durities vel ventoſitas obſtent, eis occurratur tali fotu:

Fotus.

℞. flor. verbaſc.
melilot.
chamomill. an. p. ij.
ſummitat. aneth. m. j.
ſem lini
fœnugræc.
malv. an. ℥ſ.
decoquantur in aqua comm.
f. fotus cum ſpongiis.

Poſt fotum inungatur ol. lilior. alb. & anethin. tepidè, & intromittatur ſenſim & per intervalla.

Interdum ſcrotum & ingvina locaque adjacentia inflammatione, doloribus, torminibus & flatibus infeſtantur, quibus reductio minus obtemperans redditur, tunc ergò prædicto fotui pro neceſſitatis exigentia alia atque alia incoquenda, nempe carvum, aniſum, cuminum pro flatibus & torminibus, item malva, chamæmelum &c. dolorque lanâ ſuccida vino & oleo imbutâ tepidâ demulcendus.

Reductione inteſtini jam factâ imponatur ceratum vel emplaſtrum conſtringens & glutinans, ex. gr.

Emplaſtrum ad Hernias.

℞. picis navalis ℥j.
colophon.
maſticis an. ʒij.
acaciæ
ſarcocollæ
ſangvin. dracon.
thuris an. ʒiſ.

liqueſcant pix & colophon. tumque reliqua pulveriſata ſenſim liquefactis immiſceantur, jamque mixturâ ferè refrigeratâ adhuc ſubagitando commiſce terebinthinæ & ceræ an. q.ſ. inſpergendo ſimul ſubtiliſſimum pulverem ex

hæmatit. præp.
boli armen.
aloes
rad. ſymphyt.
gallar. an. ʒiſ.

m.f. emplaſtri maſſa alutæ ſuperinducenda, emplaſtrum impoſitum & debitè alligatum ante diem ſeptimum vel decimum non removendum, quo tempore præterlapſo novum admovetur. Interim æger maiorem partem ſupinas jaceat, à motu valido, clamore, ira, & cibis nocivis ſibi caveat & per dies triginta potum ſuperius indicatum vel

alium

alium vulnerarium adſtringentem continuet.

Eâdem ferè methodo procedendum in recenti ramice umbilicali.

Cæterum hernia carnoſa quidem ad ſolam chirurgicam manum relegatur, initio tamen abſumi poteſt per ejusmodi emplaſtr.

Emplaſtrum ad herniam carnoſã.

℞. gum. ammoniac.
galban.
opopan.
ſagapen. an. ℥j.

reſolvantur per macerationem & lenem coctionem in aceto ſcillitico, exprimendo tum ſolutionem per pannum, ut impurum remaneat, colatum rurſum leniter coquendo evaporatur ad ſpiſſitudinem gummeam, poſtmodùm etiamnum calenti admiſcetur olei Philoſophorum ſeu laterini rectificati tantum, ut fiat mixtura emplaſtica, quæ in modum tenuioris cataplaſmatis vel cerati toti herniæ tamdiu ſuperimponitur, donec in ſuppurationem trahatur.

Vel ℞. olei hujus bis diſtillati ℥VI.
oponac.
galbani
bdellii repurgatorum an. ℥ſ.

liqueſcant invicem, tum ſubterendo adde

farinæ fabarum ℥ſ.
ficuum recentium in pulticulam contuſ. n. IV.

coque hæc continuâ ſubagitatione in maſſam mollem emplaſtralem, ſub finem interendo camphoræ ʒj. utere hoc emplaſtro per tres vel quatuor ſeptimanas, vel donec hernioſa caro ſuppuretur, ac in ſaniem convertatur, quæ demum effluit, ulcusque ut alia ſanandum relinquit. In reliquis ſequendus

TEXTUS.

IN bubonele, enterocele & epiplocele valet balſamus ſalis gemmæ, arcanum ſummum in rupturis, qui hoc modo fit. ℞. *ſalis gemmæ* ℔ij. *fluat in igne (in tigillo) & poſtea ſolvatur in aqua pluviali deſtillata, filtretur & viciſſim coaguletur. Has operationes liquefactionis, ſolutionis, filtrationis & coagulationis tantiſper repete, donec ſal gemmæ ad ſummam ſubtilitatem fuerit perductum, quod inde cognoſcitur, quando ejus particula ad candelam admota ſtatim liqueſcit. Serva in vitro benè clauſo: cura ſic fit:*

Balſamus ſalis gemmæ.

I. *Repoſitis, ſi opus eſt (ut in enterocele & epiplocele) partibus prominentibus, locus affectus lavetur cum aceto deſtillato acerrimo, vel cum ſpiritu vini quotidiè bis. Poſt fomentationes ſtatim inungatur locus cum arcano* (a) *ſalis gemmæ.*

(a) Author non docet quo pacto hoc ſal fuſibile redigatur in arcanum liquidum, quod hoc modo obtinetur, ℞. hujus ſalis dimidium, ſolve illud in ſpiritu vini, ut ſaltem reſolvatur, impaſta eo argillam exſiccatam, vel cum ejus triplo pulveretenus miſce, & fac inde globulos,

 quos

quos igne aperto gradatim inſtar ſpiritus ſalis deſtilla, inditâ vaſi recipienti alterâ medietate reſervati ſalis fuſibilis, ut transſtillans ſpirituoſus liquor hoc ſal in reptaculo ſolvat, atque ex ambobus arcanum fluidum conſiat.

II. *Adintrà exhibe ſingulis diebus manè jejuno ventriculo eſſentiæ conſolidæ majoris* (b) *cochlear. j. cum guttis ij. balſami ſalis gemmæ.*

(*b*) Paretur per fermentationem ex ſ. q. conſolidæ majoris ſpiritus ardens, quicum rectificato extrahatur radix exſiccata cum parte herbæ conſolidæ majoris, & habebis veram ejus eſſentiam.

III. *Ligaturam adhibebis ab initio decentem, aut imperabis patienti, ut primis octo diebus quieſcat omninò in lecto ſupra dorſum (intra 14 dies convaleſcet æger aut ad ſummum tribus ſeptimanis)*

Nota: *Si in rupturis inteſtina & reliqua prominentia difficulter reponi poſſint, etiamſi emollientia per inſeſſiones & fomentationes fuerint adhibita, ut felicius abſolvatur cura, cæteris non neglectis ſic procede.*

Specificum. *Poſt adhibitas fomentationes quotidianas patienti exhibe per tres vel quatuor dies cor talpæ exſiccatum & pulveriſatum (quotidiè cor unum) menſe majo collectum cum aqua cinamomi, & felicem videbis operationem.*

Aliud: ℞. *molliuſculam ſubſtantiam de fungis nucum menſe Septembri collectis (fungi ſi juſto tempore collecti, multos annos durant) eamque in pulverem tenuiſſimum redige: pulverem miſce cum ana butyri majalis inſulſi, & media quantitate farinæ lupinorum, ut fiat ungventum (fungi nucis habent ſignaturam rupturæ; reperiuntur fungi illi in antiquis arboribus nucum.)* Aliud.

Nota: *Si poſſet haberi axungia erinacei, hôc nihil felicius eſt (in defectu utriusque præſtat balſamus ſulphuris) fiat primò repoſitio internorum, ſi opus eſt. poſtea formetur ligatura decens, ſupra tuberculum ligaturæ applicetur membranula, quæ circundat omentum porci, ita ut membranula illa tantùm iſtud tuberculum, quo præcisè locus foraminatus aliàs in applicatione tangitur, contegatur. Locus ille calloſus cum membranula tectus deſuper inungatur quotidiè ungventi particulâ in quantitate trium piſorum, & applicetur dextrè ligatura.* Aliud.

Intrinſecus, ſi velis iſtam curam abſolvere, quotidiè, vel alternis diebus manè propina farinæ viciorum cochl. ſemiſ. cum aqua fumariæ, & cura citius abſolvetur. Interim patiens ambu-

let,

let, & faciat quicquid velit, modò exercitia corporis ab omni violentia abſint.

Exomphalos. *Exomphalos, ſæpius in pueris, rarius in adultis eveniens, facilè curatur, ſi primum locus foveatur cum decocto usneæ prunellæ* (c) *in vino ſtyptico rubeo: poſtea cataplasma ex plantagine & lentibus, ſeu potius earum farinâ aliquoties applicetur.*

(c) Intelligit muſcum prunorum ſylveſtrium ſeu acaclæ Germanicæ, qui mirum in modum aſtringit. Vidimus enim in menſium profluvio omnia alia reſtrictiva fruſtra fuiſſe applicata, aſt cum ſaltem tibialibus hic muſcus inderetur, ut nudis pedum plantis continuò in inceſſu inhæreret, profluvium ſangvineum brevi fuit cohibitum.

Si ruptura eſt vetus & in adultis, poſt ejusmodi fomentationes, ſi ungventum ex fungis nucum cum decenti ligatura forinſecus & eſſentia conſolidæ majoris cum arcano ſalis gemmæ intrinſecus adhibitum fuerit, perfectè ſanatur.

CAP. CLVII.

DE AFFECTIBUS UTERI, ET PRIMO DE EJUS INFLAMMATIONE.

GEnitalibus virilibus perluſtratis, etiam de verendis differendum venit muliebribus, eorumque partibus & morboſis accidentibus, aſt hîc magis obſtupeſcimus quàm uſpiam alibi præ rei gravitate, nedum noſtros ſed omnes humanos conatus exſuperante; vah quantillo ſpacii continetur reſpublica rerum publicarum, productrix omnium populorum, armatrix innumerabilium exercituum ab ævo cæſorum, quorum effuſus ſangvis magnum mare conſtituere poſſet, abyſſus miſeriæ, chaos calamitatum, morbus morborum, officina officinarum, uno verbo: omne malum & bonum humanum, ſcilicet *uterus muliebris*. Dicitur antiquè etiam uter & uterum, & practicis matrix, eademque hæc pars in brutis vulva eſt. Nomen ejus ab utre derivari volunt, quia contineat & tanquam uter ſit ad fœtum continendum, matricis verò; quod fœtui alendo ſe matrem præſtet, atque etiam per imprægnationem matres efficiat; locorum denique vel locellorum; quòd locus initialis ſit hominis, ac præ omnibus aliis jucundis locis juvenibus placeat. Ratio nominis.

Situs eſt uterus in inferiore ventris regione in pelvi quaſi oſſea, quam concurſus oſſis pubis, ſacri, ilium, coxendicisque efformant, eamque ideò in fœminis quàm maribus ſpacioſiorem. Deſcriptio uteri anatomica.

Conſtat membranâ triplici diſtenſili & ampliabili, ut totus cum increſcente fœtu ampliari uterus poſſit; extima hujus membranæ tunica à peritonæo prorogatur, eſtque robuſta ſatis, ut non facilè crepet; intima nervoſa eſt, fibroſa & poroſa; media omnimodè carnoſa, extra

prægnantiæ rationem denſa ac admodum compacta eſt. Poſt fœtum autem conceptum humorem appoſititium in modum ſpongiæ tam largiter combibit, ut eo paulatim laxata ſtupendam gravidæ utero craſſitiem adducat. Quinimò per omnes ſubſtantiam uteri dimenſiones à conceptione ad partum usque augeri, exinde conjecturabile fit, quod per ultimos geſtationis tempus craſſitudinem transverſi pollicis craſſitie excedere deprehendatur. Dividitur in fundum, cervicem & collum, ſeu vaginam, cujus extremum pudendum muliebre eſt. Fundus eſt pars uteri ſumma, in his quæ non gravidæ ſunt, craſſior & durior, exiguamque tum intus cavitatem actualiter exhibens, ob corrugatam contractionem, adeò ut manus ejus magnitudinem facilè complecti queat, potentialiter autem ſufficienter expanſilis exiſtit, interius prominulam quandam veluti linearem diſtinctionem tametſi ſubobſcuram in dextram & ſiniſtram oſtendens.

Fundus.

Cervix ea pars eſt, quæ paulatim à latiori ambitu anguſtatur, orificiumque uteri internum perexile complectitur, quod ſuâ exilitate foramini glandis virgæ reſpondet, at longè exactius connivens, ne attractum ſemen relabatur, aut nocivi quid inferatur, ad confrictum autem venereum introrſum hiſcere pro ſemine ſuſcipiendo & deglutiendo, fœtumque maturum jamjam veluti vomituriens modo ſtupendo diduci, rationi conſonum eſt; abhinc in omnibus partum expertis rotundius fit, in cæteris latiusculum exiſtens.

Cervix. Orificium uteri interius.

Ab hoc usque ad pudendum locus colli eſt, quod parvo cum damno vel errore non pauci Authores cum cervice confundunt, alii accuratiores diſtingvunt, colli nomine tantum donantes canalem illum ſeu vaginam uteri mollem, laxioremque ac orbicantibus rugis commeantibus pro congreſſus virilis uſu, partusque excluſione inæqualem.

Collum.

Inſeritur huic anterius circa finem ſuum veſicæ cervix urinariæ, poſterius ipſi firmiter connectitur inteſtini recti muſculus conſtrictor.

Cervix veſicæ urinariæ.

Extremitas ſeu terminus vaginæ verendum eſt fœmineum, margine ſuo externo duo labia conſtituens cum intermedio orificio exteriori ob conniventiam inter coarctantia femora inſtar rimæ apparente, quo diducto molles ac carnoſæ productiones occurrunt, nimirum nymphæ & carunculæ myrtiformes, quæ quatuor ſunt glanduloſa corpuscula, cum clitoride ſeu mentulâ illâ muliebri, quam & nympham, tentiginemque & œſtrum veneris appellitant, propendet enim quibusdam inſtar penis puerilis ex frequenti & laſciviori contrectatione, aliàs ordinariè corpus eſt exiguum è duabus conſtans nervoſis ac intus ſpongioſis corpusculis, principiaque à margine oſſium coxendicis diſtincta ducens, duobus utrinque muſculis exiguis tenſorum virgæ virilis æmulis dotatur, ob copioſa ejus omnis generis vaſa, ſenſusque acutiam,

Labia. Nymphæ. Carunculæ myrtiformes. Clitoris.

am, nec non tentiginis promptitudinem membro virili reſpondere creditur, videtur tamen potius convenire cum glande virilis virgæ, in qua tantummodò ſenſus voluptatis ex coitu percipitur, ac non in reliqua parte oblonga, ſed longitudo ſolùm inſervit ad porrectionem ſeminis in uterum, ita quoque clitoris procul dubio munere glandis muliebris fungitur. Sub ea foramen eſt pro emittendo lotio, cujus effluxum alæ ſeu nymphæ moderantes ſunt duæ glandulæ membranaceæ triangulares ſolidiuſculè molles, criſtis ſub gutture galli pendulis æquabiles.

Cæterum magnitudinis uteri mira eſt inæqualitas pro diverſa ætate, veneris uſu ac fœtus geſtatione.

Vaſa quoque numeroſa obtinet, deferuntur enim à vaſis ſemen præparantibus ad ejus regionem ſuperiorem venæ & arteriæ, ab hypogaſtricis autem ad partes ipſius intermedias, nec non inferiores mittuntur, quæ ſurſum pergentes dictis vaſis inoſculantur, eodem modo nervi ad ſupremas uteri partes à propaginibus extremis ſexti paris nervorum coſtalium, ad medias autem & infimas ab oſſis ſacri ſurculis communicantur.

Anterius uterus mediante peritonæo connectitur cum veſica, oſſibusque pubis, poſterius cum recto inteſtino.

Superius ipſi ancillantur duo ligamenta robuſta, ſed laxa, ut incremento augeſcentis ſenſim fœtus ſucceſſivâ expanſione ſpacium relinquatur, quorum primum in lateribus obſervabile pro expanſione quadam peritonæi habetur, eſtque membranoſum penitus, tamque latum, ut cum tubis ac teſtibus nec non fundo confibulatum, uterum oſſibus ilium annectat, vocatur hoc aliforme, ob ſimilitudinem alarum veſpertilionum, quam refert. Hoc ipſum ſubindè à pituita laxatur, vel etiam violenter disrumpitur, ex quo mox uteri fundus ſuo fulcro privus ſupra vaginam decidit, ac nonnunquam inverſo modo foras ruit, vel lateraliter ad ingvina recidens peritonæo anſam ad herniam præbet. Ligamentum aliforme.

Alterum teres ac nervoſum ab utroque fundi latere profectum antrorſum pergit, peritonæumque ac muſculorum abdominis muſculos permeans atque ad oſſa pubis deveniens bipartitur, unâque medietate clitoridi jungitur, alterâ autem in membranam dilatatum, per muſculos femoris ſpargitur.

Annectuntur latis uteri ligamentis teſtes muliebres glandulosâ ſubſtantiâ præditi, ſeu ex plurimis conſtantes glandulis, virilibus ſubinde ferè majores, præterquam in admodum provectis, quibus ſunt minores, durioresque ac plus exſucci, ac in pubeſcentibus ampliores ſuccoque turgidiores, adeò ut vel ſecantis improvidi in faciem erumpere ſæpè ſoleat. Teſtes.

Veſtiti ſunt tunicâ ſaltem ſimplici, at validâ, non autem ut viriles diverſâ, quâ dictis ligamentis affixi, fundo uteri cohærent, ad quem du-

ctus ab eis evidens utut brevis, atq; etiamnum minutior alter frequentiusque deliteſcens ad uteri cervicem porrigitur. Carent autem teſtes fœminini epididymidibus, paraſtatisque variciformibus. Vaſa verò præparantia non ſecus atque in maſculis venæ ſunt duæ, totidemque arteriæ, dextra venarum ex trunco venæ cavæ producitur, læva è ſiniſtra emulgente. Arteriæ econtra ortum ducunt ab arteria magna, variante tamen naturâ in harum initiis ducendis eodem modo ut in maribus.

Vaſa præparantia.

Vaſa hæc in progreſſu copulantur, non tamen per adeò varias anaſtomoſes, uti fit in virili corpore. Neque etiam eodem modo pampiniformem plexum configurant. Permanent autem intra abdomen, partimque ad teſtes commigrant, partim ad uteri tubas, ejusque fundum & cervicem, ubi vaſis hypogaſtricis ſurſum porrectis per anaſtomoſes uniuntur; hincque tam ad fœtus generationem materiam, quàm ad nutriendas partes alimentum affatim ſuppeditari, Authoribus pluribus perſvaſum eſt, quod tamen in omnibus rationi non eſt conſonum, ſuccus enim hic à teſtibus fœmineis elaboratus, verum eſt ſperma fœmininum, ad primam fœtus conformationem neceſſariò concurrens, nutritio autem, appoſitio & augmentum ejus poſtea à generali ſucco nutritivo attrahitur, qui triplex eſt, nempe arterialis, venalis & nervalis.

Teſtes itaque materiam à vaſis præparantibus ſuſceptam in albumen quaſi ſeu liquorem lacti aquoſo aſſimilabilem convertunt, qui quò vegetior floridiorque ætas fuerit, eò copioſior per diſſectionem in iis reperitur.

Succus hic ſpermaticus à teſtibus partim ad tubas defertur per tenues, venisque lacteis ſimiles meatus, partim verò ad fundum ac vaginam. Tubæ hæ ſeu vaſa ſemen aſſervantia & excernentia ſunt corpora duo teretia, utrinque à fundo uteri recurvâ protenſione prodeuntia, à quo flexu nomen impetrarunt. Conſtantque ex membranis duabus, utero pariter communibus.

Tubæ.

Venas & arterias ſuas à deſcendentibus ſpermaticis obtinent in minutulos ramusculos diſperſas, nervi ab iisdem deducti, fundum uteri perreptitant; hinc & tubulus nervoſus fundo uteri inſertus conſpicitur, rarò ultra mediam tubæ longitudinem exporrectus.

Porrò quanta morborum cohors muliebrem ſexum ex ſolius uteri ſtipendio oppugnent, omnes Medici agnoſcunt, & cum Democrito fatentur, eum ſexcentarum ærumnarum, & innumerabilium calamitatum authorem eſſe; cujus rationem eſſe volunt, quod uterus ſentina ſit, & receptaculum omnium totius corporis humorum pravorum & malignorum, & nihilominus ſympathiam, nec non commercium cum nobilioribus principalioribusq; partibus, nimirum corde, cerebro, nervis, diaphragmate, ventriculo, inteſtinis, dorſali medulla, veſica &c. habeat.

beat. Malè itaque habens per ſympathiam has partes ſimul graviter afficiat, & viciſſim. Hinc proinde mulierculas facilè invadi ab epilepſia, animi deliquio, cordis palpitatione, ſuffocatione, aſthmate, inappetentia, nauſea, vonitu, colico vel dorſi dolore, aliiſque; adhæc morbos uterinos etiam per accidens ultra ſui jam antea curationis difficultatem, adhuc magis ingraveſcere, quod hoc genus natura verecundioſum præ pudore non audeat ſuos morbos opportunè medico indicare.

Dogma Helmontii de affectibus uteri.

Helmontius verò alias adducit rationes numeroſæ morboſitatis muliebris, ubique enim duumviratum ventriculi & ſplenis urgens, animæ ſenſitivæ thorum in ventriculo ſtatuit, ex quo omnibus vitæ actionibus præſit, ſplenem autem inſpirare ventriculo fermentum acidum, eoque veluti ipſius rectorem exiſtere, ac intra innumerabilem ſuam arteriarum tortuoſitatem poteſtatem imaginativam primorum conceptuum gerere, eamque inde ad ſtomachũ Duumviratus ſocium, etiam & hinc facilè ac primordialiter (in altero ſexu) ad uterum diſtendi. Splenem ergò tam fontem eſſe idearum conceptarum in imaginativa hominis quàm ipſius Archei. Archeum ſuas habere & peculiares imaginationes ſibi proprias, quarum ergo antipathias & philautias continuò ſentiat, atque inde deductos motus ſuſcitet, conceptaque Archei extemplò præfatis locis potentiſſimas aſſequi determinationes; quia locum natalem oleant, hypochondriacæ ſint, primorum, & indiſcretorum motuum monumenta ferant. Et quanquam imaginatio animantata, quæ absque fortitudine impreſſionis, vel alicujus præjudicati inclinatione, ibidem cunctetur, tandem velut ſomnialis, indiſtincta & penè confuſa fiat, quapropter nimirum raró tempora caneſcant incuriis; attamen quæ in ipſis primorum motuum officinis ſuſcipiant alicujus paſſionis deliberationem, etiam ſpiritus in cerebro antiquatos ad ſe alliciant, contagium loci ſubeant, fiantque ac cudantur judicio orbatæ ideæ, ſeminaliterque pariant affectus ſuis cauſis conformes, amentiæ nimirum hypochondriacæ, confuſionis ac perturbationis ſuſpectos. Ideò nempe ſingulos ſuos pati manes. Archealis tamen jam dicta imaginatio, uti conſenſum animæ nec optet, ita nec expectet. Contingatque ideò inſenſibiliter, ac nobis inſciis.

Idcircò nimirum peſtem, ſive ex terrore in anima concepto fiat, ſive demum proprio Archei vitio, ſemper tamen circa orificium ſtomachi prima tenere conciliabula. Potentiſſimas namque eſſe Archeales ideas, morborum quoque feraciſſimas, quia irrationales, nobis inſciis atque invitis contingant, ideòque & incorrigibiles atque exleges plerunque eſſe, noſque ideo inauſpicato modo invadere. Concepta autem animantata diſtinctiora ac ſenſibilia quidem eſſe, iiſdem tamen cauſis debitam pariter ſubire aleam, proinde

de quamplurimos primorum motuum perturbationibus, harumque conceptis ideis, ſeipſis velut infirmare, infatuare, ac ſubinde incantare. Ac licet hoc vitii genus etiam viros doctos & judicioſos ſubinde invadat, moroſitates atque tetricitates pariat; attamen mulieri eſſe magis ſociale, ob uteri conſonantiam & propinquitatem. Uterum nimirum (licet meram membranam) lienem tamen eſſe alterum. Ideoque velut proprio ſeminis inſtinctu ſtatim ſecundinis fœtus, velut alterum lienem exterius obducere. Mulierem quidem hoc naturæ vitio ideas hypochondriacas non cudere more ſagarum in aliorum perniciem; ſibi verò eſſe duntaxat nocuas, ſeſeque tanquam incantare, infatuare, ac infirmare, cudere nempe ſibi ideas, quibus ſæpè non ſecus atque deſperationis maligno ſpiritu circumactæ ſagæ gubernentur, abripianturve ad ea, quæ aliàs nollent, propriamque & invitam nobis plangant dementiam. Sic namque teſte Plutarcho juvenculas omnes abripuiſſe deſiderium mortis per ſuſpendium in inſula Chio: nec niſi per verecundiam poſt mortem minitando ſiſti potuiſſe. Cum ergò conceptorum vitium etiam viros tangat, ſe diutius in hisce morari debuiſſe, qui primus hunc tonum in medendo tangat. Itaque ſi mortales impegerint in præſumptionem fidei, abſcedant à verbo Dei & ad proprii placiti explicationes velut in ſpeculo complacentię ſui ipſius ſe contueantur; jam inde ſibi cudere ideas vacillantes, & incuriæ religionis, ex uno primum puncto dubii disputare incertos de pluribus, ad atheiſmum vadere per apiſticam irreligionem. Sin verò in ſuperſtitiones ceciderint, ideas nigromantiæ conformes cudere, unde in ſtygias vanitates animam pronam parent. Quibus perfacilè (ut jam dementatis) jam ſe aſſociet hoſtis mortalium. Præſertim ſi ſuperſtitio pertinax, fortique deſiderio odii, vel alterius peccati ſit ſtipata. Cudere nempe ſibi ideas voluntariæ cæcitatis ſecundas. Ubi imprimis hoc memorandum: imagines ideales omnes eſſe ſeminales ex parte entis realis per imaginàtionem parti. Dein ex parte ſpirituum (quatenus vitalium, & concepto ſemini nuptorum) cujus aſſumant materiam ſive tabulam, in quam depingantur, fieri organum exſequendis idearum finibus aptum. Hæc igitur prærogativa utraque penetrare Archeum, eumq; alienare ad peregrinos ſuarum perturbatiouum ſcopos. Si ergò fides, confidensque ſuperſtitio peccent ſola credulitate, jam cudere ideas, per quas ſe exiſtiment incantatos, incurabiles, & deſperatæ amentiæ ſervi fiant. Proſtratis enim viribus emacientur, palleſcantque dementes. Sin verò ſcrupuloſitas indiſcreta atque inordinata angat, ipſa ſibi fabricet ideam anxiam timore inferni turbidam, unde ipſis vita horrida, omnium converſatio formidoloſa, penè atque ſi diabolica eſſet. Fatuitatem enim generare, quam agnoſcant, fateantur, plangant; quia

non

non ſe ab illa liberare valeant, ac tandem ita ſuccumbant impotentes, ut ideam tanquam animam arripiant. Sin autem ſcrupuloſitas ante totalem victoriam pro deliberatione recurrat ad mentem, & nihilominus interim novas inordinatasque cudat ideas; migret inſtabilis facilè in oppoſitum, quaſi jam prioris ſcrupuli horrens, libertatem ſpiritualem cum præſumptione meriti & aliorum deſpectu aſſumat, quoq; enim ſurgere nitatur altius, mergatur eò profundius. Eſſe namque præſumptionem nil niſi vanam dementiam, alienis ſemper ſuſpenſam arbitriis, attamen plerisque mortalium velut genuinam. Nam propter virtutes, ingenium, doctrinam, genus, divitias, formam, robur, audaciam, artes, loquacitatem, aut, vocem cudere quemque ideas ſibi applaudentes, quæ totum penè mundum dementent. De quibus dicatur: ſtultorum infinitus eſt numerus. Nocentiſſima autem præſumptionum dementia ſit in Politicis, ſitque audaciæ, quippe quæ ſuos non rarò ſubſternat tortori. Raram ſanè inſaniam absque præſumptione eſſe, ſi non cognata ſit ſtupiditas. Enimverò ideas fidei, deſperationis, ſcrupuli, irreligionis, arrogantiæ, æſtimationis &c. quia potentias magis abſtractas & intellectuales reſpiciant, gratiamque infuſam magis oppugnent, dementiam plerunque tam occultam patrare, quod à viris ſpiritualibus multumque exercitatis nonniſi tardè deprehendatur. Quas dementantes ideas ſubſequantur ex ordine, quæ turbationum ſint magis corporearum. Duram enim imprimis inſtar inferni eſſe æmulationem zelotypiæ, quæ hominem in ærumnas quamplures præcipitet. Tum dein libidinis atque fornicationis ideas præter dementias etiam complures excitare ægritudines. Omnes autem exorbitationes perturbationum, ſi ſubitæ, fortes, crebræ, aut diuturnæ, cudere ideas & infirmitates ſibi pares, etiam in vitam ideò durabiles. Sint nimirum qui rectè ſapiant, in materiam autem, cujus idea illos dementavit, ſi inciderint, confeſtim occultatam prodere amentiam. Repentinum enim terrorem & mœrorem ſæpè aliquos morte improvisâ extinxiſſe, aliis quoque ſaltem ſyncopem feciſſe; plerisque mulieribus profluvium ſuſcitaſſe in vitam durabile. Sin autem vis ideæ non ferocierit in cruorem, huncque ideò non ut exoſum proſcripſerit, ſed penes ſe in hypochondrio cuſtodiverit, ſigillet ibidem morbum comitialem. Mœrorem lentum verò, quique per intervalla ſolatio tantillo interruptus, ideam cudere, unde melancholia hypochondriaca in mulieribus, in viris autem icterus, ſi in cruore ſigillentur ideæ, ſin autem in viſcere lienis ipſo, aſthma & præfocationem moliri. Sin mœror cum idea deſperationis connectatur, paralyſin aut contracturam parare, præſertim virginibus. Sin mœror lentus cum præmeditata ira vel odio jungatur, ſingultum, cordis tremorem, vel menſtrui ſuppreſſionem contumacem

macem edere. Imò ſi ejuſmodi paſſiones fortes fuerint, caducum facere aut abortum, vel præfocare geſtantes uterum. Si ira ſubita ſit, quæque tamen coërceri aut diſſimulari debuerit, Ideam cudere, unde uteri decubitus, vagantiæ ad latera, cum dolore intolerabili; viris autem aſthma, apnœam atque febrim, quæ demum in icterum vel hydropem tranſeat. Si violentus terror vel timor irruat, cudi ideas epilepticas, quæ in vitam perennent. Odium autem & avaritia maciem ſive atrophiam generare; cudere nempe ideas ſuis deſideriis reſpondentes, eòque fatuitatis declinare, quod propriam vitam atque ſuorum fortunas parvipendant, credentes turpi vindictæ ſatietate, nihil obvenire in vita jucundius. Emaciare enim ejuſmodi ideas, & quia lentis naſcantur reſolutisque perturbationibus, increſcere indies, & in vitam plerunque perſeverare. Nec etiam ſemen corruptum, detentave menſtrua morbos uterinos ſuſcitare, ſed hæc eſſe producta poſteriora & defectus ſupervenientes ideis alterationum. Uterus namque ut particularem habeat monarchiam; ita & morbos. Quippe omnem exorbitantem uteri affectum eſſe inſaniam quandam ſive dementiam Archealem in utero. Perinde enim atque ſalivæ canis rabidi inſit fermentum furoris dementantis, idea nempe, quæ demorſum paulò poſt dementet: ita nonnullis ſimplicibus inſit facultas ſigillifera dementiæ, ſigillataque, quibusdam excrementis detentis, aut utero furente genitis amentia furoris inſit, quæ conceptam maniam vel in proles propaget, vel cum ſterilitate perſeveret in radicalis furoris conſummationem. In utero nimirum contemplari lubeat poteſtatem phantaſticæ primorum motuum parem, Blas velut ſtellarum potentiſſimum, vertens, evertens ſusque deque omnia. Uterum enim ſuum regimen usque habuiſſe & ſervaſſe in totum integralem, imò exercuiſſe crudeliter in miſerandi ſemper ſexus conſternationem. Ad inſtructionem autem monarchiæ cujuslibet ſemper primariò requiri rectricem quandam facultatem (qualis in malacia & uterinis affectibus eluceat prodigioſa) & iraſcibilem alteram, quæ per varias affectionum thymoſes ſub vita muliebri explicetur. Quarum facultatum perturbationes, indeque natæ exundationes certè nil minus quàm uteri furorem præſupponant. Quid enim dementius fieri poſſit, quàm quod uterus collum mulieris ſtringat, & ſuum ſubjectum miſerè perdat? poros pulmonis contrahat? totum cruorem præcipitanter profundat? ſiquidem ad ſuæ mulieris internecionem neceſſariò ſubſequatur propria uteri mors? ergò hoc ipſum ſit ſui excidium per conſequens vi deliberata cauſare. Unde ſpectetur ſaltem duplicis monarchiæ argumentum in fœmina. Ex dualitate nempe uteri cum corpore mulieris, hoſte unitatis, fomite diſcordiæ. Quanquam autem plerunque ex animi perturbationibus & inde

inde ſuſcitatis ideis initia ſumat ejusmodi ſuffocatio, quæque funeſta totius ornatum, decus, vitamque crabronum inſtar excitatorum deleat; ſupervivat tamen uterus mulieri, adeò ut defunctâ parturiente uterus poſt multas quandoque horas ſuum fœtum expulerit. Thymoſin itaque quendamque furorem utero eſſe à conceptis ideis, ab ente quodam vicariatum mentis exercente, eſſeque utero pro vita ejus ſingulari. Morbum ergò omnem uteri eſſe poteſtativum ab uteri regimine directum, vel in ſe ipſum vel in corpus mulieris. Undè non ineptè integras à corruptis diſcerni poſſe. Etenim cum gubernet ſeipſum uterus, vivatque è cruore alieno, proprio orbe; ideò vix malè valeat, niſi infirmatus ab ente conceptorum: imò ſemper quodammodo inſaniat, quoties malè valeat. Nam ſive ſteterint menſes, ſive immoderatè fluxerint, decolores ſint, aquoſi, nigri, grumoſi, paucitate peccent, gonorrhϾ promanent, vel uterus ipſe loco motus doleat immenſum excentricus, ſive demum immotus Blas pariat alterativum, producatve effectus incantamento conſangvineos, ſive tandem ſuſcitet ens apoplecticum, epilepticum, paralyticum, vertiginoſum, hemicranicum, cardialgicum, ictericum, hydropicum, ſyncopticum, aſthmaticum, ſpasmodes, cardiacum &c. perinde eſſe. Quoniam non niſi per ſcenas furor ſuas variet, quibus ſuâ abutatur poteſtate, ludatque uterus libertate monarchali in totum integrale; ſiquidem absque aporrhæis materialibus claves gerat, quibus pandat venas, hæmorrhagias incredibiles ſuſcitet, citraque ſui motum ullum poros pulmonis ex voto claudat, imò totius corporis diapnœam tollat ſuo nutu. Etenim lunæ inſtar præſideat in corpore, ætatem, naturam, maturitatem, præcocitatemque ſpernat. Itemque abortus faciat, & fœcunditatem tollat, atque interim ſuum furorem voluptuarium compleat tyrannide deſpoticâ. Jectigationes artuum, loquelæ privationes, exarthroſes condylomatum pro furoris luxu perficiat; & licet mulier tantis ſub malis non dementet, inſaniat tamen uterus in præfatis omnibus exorbitationibus. Miſeram ergò quæ tali ſubjaceat imperio; ſubeſſe nempe tot morbis, quatenus homo; & iiſdem parere iterum ex ente uteri. Duplex enim & hodie luere piaculum, quaſi in Eva duplicis peccati ream. Non eſſe tamen uterum partem hominis, ut homo eſt. Inſit quidem homini vivatque ex ejus cruore, non ſecus ac viſcus ex arbore, totique pars illa ſexualis imperet multo potentius quàm teſtes in gallo taurove, qui in ſuis caſtratis inſignes varietates exprimant. Siquidem nedum quælibet pars auſcultet utero: ſed inſani uteri violenta imperia corpus muliebre una cum vita luant. Paſſiones ſcilicet animæ duntaxat uterum velut dormientem canem excitare, & uterum inde ſævitiam ſumere, ſuæque inſaniæ mox inſontem mulierem pœnitere cogere.

Quinimò & non raró in ipſas poteſtates mentales, à quibus pridem fuerit irritatus, ſuum reflectere furorem, ut abſolutum in omnia ſibi imperium jactitet. Ideas namque paſſionum animæ, quoties utero importunæ, ſi in vim iraſcibilem uteri introducantur, eamque penetrent, confeſtim ut peregrinas & exoſas illam turbare. Unde impatiens in varios furores ſeipſum concitet. Quod & Platonem vel inde non latuerit, dum uterum animal furioſum nuncupaverit. Denique quamvis ab uteri furore propria tam ejus coquina laboret, quàm aliarum partium à ſe apprehenſarum, atque inde varia ſuſcitentur excrementa ſeminalibus furiarum ideis inſignita; iſthæç tamen duntaxat eſſe producta. Id eſt quanquam amentiæ à conceptis ortæ pariant ſtultas ſuas ideas, easque depingant in alienis excrementorum tabulis, ſui inordinatione partis (prout rabies canum tranſeat in ſalivam) attamen per ablationem producti occaſionalis, licet morbi allevientur, furorem uteri non ſanari; quia iſtud productum ablatum poſterius fuerit, nec priorem in radice inſaniam cauſans, ita nec attingens, ſed tantum aggravans. Singulari itaque uterum monarchia potiri, quam dualitas explicet, nec corpori obedire, cui tum leges præſcribat; quocirca præter ſenſationes odoratus, guſtus & tactus ſingulares polleat & quodam brutali intellectu, unde furat, frematque, ſi cuncta ſuis non reſponderint arbitriis; furat nempe ſurſum, deorſum, antè, poſt vel ad latera ſe torquendo indicibili doloris cruciatu. Quamdiu autem is furor ſuo coërceatur hoſpitio, dolores locales quidem excitet. Partes enim quas eminus arripiat vel aſpiciat, velut crampo ſtringat & ſtranguleṫ, non aliàs quàm furore in illas concitatus; ſtrangulata enim ab utero corpora ſubinde livere, nigricantia iis partibus, quibus doluerint ante mortem. Non ergò à nocuis vaporibus, catarrhis, retentis hæc patrari, ſed à ſublimiori monarchatu originem trahere, rectoremque harum actionum in utero ſedere, qui concuſſus, vel orbita ſua turbatus morbos univerſum omnes ſit producendo. Etenim non raró unicum in pede, guttureve tendinem ſtringat uterus, vel gulam totam planè comprimat, tanquam ſi morbus topicus eſſet, cum interim nulla exhalatio ad iſtum nervum vel locum mittatur, dirigatur, vel recipiatur; ſolo enim aſpectu pulmonem contrahat, ut anhelitu in totum privet. Alibi quoque guttur ad menti altitudinem ſurgat, ſidatque iterum, nec ſit vaporum iſta merces: ſed dominium, regimen, aſpectus, influxusque & præceptum uteri hæc habeat. Partem enim quam velit, afficiat, & totum quandoque perimat, quia ſubſit. Quamdiu enim à perturbationibus animæ non quatiatur, recto ſtet pede, imò dormitet uterus. At ſemel perturbationibus impetitus, de cætero ſuas pariat exundationes per totum corpus, & ſubinde in mortem durabiles. Quoniam ſi uterus ſuâ monarchia

narchia totam mulierem à viro diſtingvat, ſitque illius diſtinctionis promiſcuus parens, non mirum quoque eodem regimine omnes, etiam remotiſſimas partes, non ſecus atque propinquas, exagitare, ubi velit, poſſit; hæc Helmontius.

De uteri affectibus loquitur etiam Hippocrates in ſequentibus aphoriſmis:

Menſibus ſuppreſſis morbi ab utero veniunt. *lib.5.aphor.57*
Utero conveniunt medicamenta calida. *5. 22*
Nempe gradum caloris ſuppuratorii habentia. *5. 22*
Frigefacientia autem ipſi ſunt pernicioſa. *5. 22*
Uterus eâ parte, qua coxæ adjacet ſuppurans linteamentis concerptis curandus. *5. 47*
Os uteri durum neceſſariò connivet. *5. 54*
Inflammatio uteri ſtranguriam affert. *5. 58*
In frigido & denſo utero non fit conceptio. *5. 62*
Nec non in nimis humido. *5. 62*
In hiſce genitura extingvitur. *5. 62*
In nimium autem ſicco & adurente ſemen corrumpitur. *5. 62*
Idque ex alimenti defectu. *5. 62*
Moderatè autem temperatus uterus fœcundus eſt. *5. 62*
Uterus ducitur ſuffitu aromatum. *5. 28*
In uterina ſuffocatione ſternutatio confert. *5. 35*
Uteri eryſipelas in gravida lethiferum. *5. 43*

Nunc juxta inſtitutum Authoris in propoſito pergamus.

DE UTERI INFLAMMATIONE; Germ. Entzündung der Mutter.

INflamatio cum nil aliud ſit quam corruptionis initium, uterus autē omnis impuritatis fœminei corporis conceptaculum exiſtat, ac pars præhumida, facilè ex impuritatum colluvie putrefactionem concipit, ac alicubi inflammatur. Inflammatio quid?

Signa ſunt: febris acuta ſimul cum inflammatione incipit, concurritque ſicut in aliis inflammationibus internis, cum ardente dolore pubis, lumborum & muliebrium, os uteri immiſſione digiti deprehenditur clauſum, durum, æſtuans & retractum, ſi in ipſo vel collo ejus inflammatio hæreat, adeſt dolor capitis, unà ventriculum afficiens, pulſus eſt frequens & parvus, qua parte autem uterus inflammatione laboret, diſcernendum venit ex diverſo doloris ſitu, quod tamen non omnis incertitudinis expers eſt, vix enim ulla vehemens inflammatio aliquo parvo circumſcribitur puncto, ſed ferè ſemper integrum membrum, imò & adjacentes partes comprehendit, ideòque totum corpus febre continuâ accenditur, ſi tamen inflammatio ſit in collo veſicæ, dolor & ardor magis circa lumbos ſentitur, alvusque difficulter excernit, ac urinæ ſtillicidium divexat. Fundi autem uteri inflammatio doloris & ardoris perceptionem paulò infra umbi-

umbilicum efficit cum tumore, adeò, ut ne contactum quidem exterius ferat, unà cum difficili reſpiratione, & aliquando uteri ſuffocatione, dolorisque ad jugulum usque extenſione, ob uteri connexionem cum diaphragmate, atque hæc omnia pro vehementia affectus magis vel minus affligunt, ſi enim magna ſit ac totum uterum comprehendens inflammatio, dolor fortis & pulſatilis cum febre æſtuante continuâ inquietant, ſynciput dolet, basisque oculorum, magisque aucto ardore ſequitur dentium frenſio, animi deliquium, exolutio, ſingultus, ſuppreſſio fecum ventris & urinæ, torpor pedum, genuum perfrigeratio, extremorumque, & exſudatio, uterus enim ob majores & plurimas venas quas habet, promptitudinemque ad corruptionem, fortem febrem incendere ſolet.

Cauſæ. Cauſæ hujus inflammationis posſunt eſſe variæ, nempe vel ſuppreſſio vel retentio menſium, vel abortus infelixque partus, nimis diu continuata & delaſſatoria deambulatio, frigus, acrium rerum applicatio, venus immoderata, vel conſvetæ coacta intermiſſio, ex eaque ſeminis corruptio, lapſus, ictus, percuſſio, peſſus acer, improportionatæ virgæ admiſſio, obſtetrix inepta, affluxus colluviei exulcerantis, contagium ex morbo Gallico, compreſſio iſtarum partium per duram ſeſſionem, plethora ac diæta nimis ſangvificans, efferveſcentia ſangvinis à variis cauſis & ſimiliter.

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, inflãmatio uteri, quę in collo ejus accidit, minus periculi habet, quàm totum uterum comprehendens, quæ ſemper periculoſum eryſipelas conjunctum habet, & febrem acutam malignitatisq; non omninò expertem, in qua urina alba & tenuis perniciem minatur, præſertim prædictis accidentibus ſimul præſentibus, cum inflatione ventris, ac animi defectu, nec non loquelâ ſilente, ita enim ſpes omnis præciditur.

Curatio. Curationis autem ſcopus methodicus eſt, ut in flagrante ejusmodi inflammatione mox ſangvis mittatur, victusque refrigerans præſcribatur & humectans, prout in aliis inflammationibus nimirum renum, cæterisque uſitatum eſt, proritando etiam ſubinde ventris ſubſiſtentes feces clyſtere leniente, in his tamen qui abortu aut alio cruento profluvio ſangvinis jam ante jacturam fecere, venæſectio arceatur, victus ſit tenuiſſimus, potus decoctum cornu cervi, quod ſuo ſale volatili eryſipelatis aciditatem corruptivam extingvit, poterit itaque ſic parari:

Decoctũ cornu c.

℞. raſur. corn. cerv. crud. ℥iſ.
aceti roſar. ℥VI.
aq. fontan. ℔VI.
decoquantur ad ℔IV. colaturæ adde
ſyr. acetoſitat. citr. ℥VI.
rubi idæi ℥IV.
aq. card. bened. ℥VIII. f. potus affatim bibendus.

Experimentum. Contra omnem internam inflammationem cujuscunque partis eximium eſt experimentum, ſi herba perſicaria acris, & non inſipida illa quæ maculata dicitur, bulliat in aqua

qua ſolani vel ſempervivi, ac decoctionis hujus colatura bibatur, herba autem in fundo reſidua in terram ſub dio humidam defodiatur, ut putreſcere poſſit, ita enim putrens materiam eryſipelatis defluxionumque abſumit, & dolores ſanat.

Topicum.

Inter topica magno cum fructu practicis in uſu eſt radix & folia hyoſcyami lentè ſub calentibus cineribus aſſata, & cum aceto roſaceo in mollem pulticulam contuſa, imòq; ventri forinſecus in modum cataplaſmatis applicata, vel ubi inflammatio ſe magis percipiendam exhibet.

Peſſus.

Injicitur etiam per mentrenchytas lac recens multùm ad doloris ſedationem, ſique dolor non ceſſet, verùm vehementiâ ſuâ omnem ſomnum adimat, ſumatur ℈ſ. vel ℈j. laudani opiati. Mucaginis ſeminis cydoniorum cum apuâ ſolani extractæ ʒiij. terantur & ſubigantur invicem exactè, tum hac mixtura oblinatur peſſus, uteroque indatur, diutius tamen ſtupefacientibus non eſt

Scirrhus

immorandum, ne ſcirrhus utero inducatur, ad quem alioqui ob carnis ſuæ denſitatem, atque hinc defluxionum pertinaciſſimam retentionem pronus eſt, ſcirrhificatio autem

Ejus ſigna.

uteri hiſce ſignis ſe prodit: quod febris cum dolore ac ſymptomatum vehementiâ quidem remittit, renitens tamen tumor permanet, gravitasque crurum ac totius corporis pigrities; cautè itaque in curatione

Fotus.

procedendum, ac ſaltem initio adſtringentibus & repercutientibus utendum, qualia ſunt: rhus ſumach, flores malvæ hortenſis ſeu arboreæ, & roſarum rubrarum bolus Armen. balauſt. quæ vel ſimilia bulliant in aqua, fiatqua ex eis fotus, reſiduum contundatur in pultem, additoque oleo myrtin. & roſac. an. ℥ſ. vel q. ſ. & modico ceræ. fiat ungventum.

Ungventum.

Deinde uno vel altero die elapſo addantur quoq; reſolventia in minori tamen quantitate, ita ut adſtringentia etiamnum prævaleant, nimirum flores meliloti, chamomillæ, verbaſci ſummitates anethi & ſimilia, ad diem autem tertium vel quartum adſtringentia omittantur & mera reſolventia ſuccedant, ut ſunt: jam jam narrata, farina ſem. lin. fœnugræci, fol. artemiſ. meliſſæ, matricariæ, horum partes æquales decoquantur in aqua ad fotum. Ac deinde ex ſimilibus quoque fiat ungventum ex. gr.

Ungventum.

℞. pulv. artemiſ.
matricar. an. ʒj.
ol. anethin.
chamæmelin
lin. alb. an. ℥ſ.
medullæ cervin.
axungiæ porcin.
anſerin. an. ʒij.
ceræ parum f. ungv.

Dolore jam ſedato corpus leni purgatione evacuetur ac deinde roboretur.

TEXTUS:

Specificum.

INflammationem uteri innata quadam proprietate ſiſtit decoctum ſerpilli cum aqua chalybeata paratum & forinſecus, vel ſaltem fomentis cum ſpongiis applicatum.

catum. Eadem aliis quoque ad inflammationes externas facientibus tollitur, modò omnia tempeſtivè fiant ſecus facilè in abſceſſum & ulcus tandem deſinit.

CAP. CLVIII.

DE ABSCESSU ET EXULCERATIONE UTERI;

Germ. Geſchwür und Erſchwerung der Mutter.

REmediis præcedente capite indicatis aliquando inflammatio reſolvitur abſque ſuppuratione, interdum verò diſcuti nequit, ſed ad ſuppurationem convertitur, certoque in loco pus collectum vel ſpontè, vel malacticis adjuvantibus e-
Exulceratio uteri diverſa. rumpit, ulcusque relinquit. Occurrit prætereà & alia uteri exulceratio, ubi abſceſſus ſeu apoſtema indicato jam modo non præcedit, verùm ex aliis cauſis acribus ſolutioneve continui læſio exulcerans contingit, ac dein incrementum capiens, ro[illegible]o pergit, ulcusque ſuffodiens, nomas, cancroſitatem vel aliam cacoëthicam exulcerationem conſtituit.

Cancroſitas. Cancroſitas autem in utero exoriens, eundem ſervat ordinem, ut in mammillis aliisve locis, videlicet quod nunc ulceretur, [illegible] citra ulcus perſiſtat, quæ non ulceratur, ſed tumor cancroſus permanet, ut plurimum in corpore uteri ſedem figit, ulcus verò cancroſum magis in collo ſeu orificio ejus.

Scirrhoſitas. Finitima eſt tumori cancroſo ſcirrhoitas uteri, quæ calloſa durities eſt, quamvis alii diſtinctionem faciant, inter callum, & ſcirrhum uteri, callumque vocant, in quo nil omninò ſentiatur, ſcirrhum verò eam duritiem, ubi aliqualis licet obſcurus & perexiguus ſenſus ſuperſit, quæ ab aliis etiam ſcleroma & ſcirrhoma appellatur, eſtque tumor tactui renitens, ſed moderatè & ſine dolore moleſtans, ac plerunque in collo uteri obtingens, ubi immiſſis digitis percipitur, interdum tamen etiam fundum matricis invadit, datque ibi tumorem gravem, tactuique refragantem, cum oneroſitate, motusque difficultate tam crurum quam univerſi corporis, ſegnitiemq; ad omnia vitæ munia.

Signa exulcerati uteri ſunt: dolor mordax & punctorius eâ parte, ubi ulcus reſidet; ſanies & pus per intervalla vel per ſe, vel cum lotio unà exeunt, illudque mordicans reddunt, ſynciput dolet, initio quidem ubi unà inflammatio adeſt, paucior ſanies dolorificè exit, ubi autem ulcus jam ſuffodiens evaſit, plus ſaniei cum mitiori dolore effundit. Signa ſcirrhi ſunt: tumor durus & tactui renitens occurrit ſine febre, ulloque dolore, inter ſtandum ponderoſitas quædam velut prolapſura in pudenda, inter ſedendum verò vel decumbendum tanquam gravans inteſtinum rectum premensque ſentitur, motui crurum nonnulla difficultas inter incedendum procuratur, cum totius corporis pigritie. Signa tumoris cancroſi non exulcerati ſunt: durities tumens circa uteri os tactui reluctans deprehenditur, inæqualis, obſcurè

Signa exulcerationis. *Signa ſcirrhi.* *Signa cancroſitatis.*

obſcurè rubens vel ſubiivida, immanem dolorem inferens, ad ingvina, pectinem & lumbos ſemet extendentem, & ad manuum attrectationem, vel medicaminis fervidi applicationem augeſcentem. Exulceratum verò cum eodem dolore ulcus erodens & inæquale comitatur, ſpurcum, labrisque prætumidis, ſaniem tenuem, aquoſam, nigricantem, & urentem eructans, quod medicaminibus repurgantibus & mundificativis adhibitis, fæculentiam rubram & ſangvinolentam emittit.

Cauſæ. Cauſæ exulcerationis ſunt: vel prægreſſa inflammatio & apoſtematio, ruptione ſuâ ulcus efficiens, quod neglectum vel pravo victu deterioratum ulterius exulcerativum redditur; item humores acres defluxu ſuo instar diuturnæ coryzæ excoriantes, demumque profundius rodentes; partus difficilis læſionem utero inferens, vel per laborioſum conatum, vel violentam fœtus vel ſecundinæ ex utero evulſionem; venus immodica præſertim per improportionatum concubitum, vel Gallici morbi contagioſam uredinem, medicaminum acrium applicatio &c. Cauſa ſcirrhi utplurimum eſt imperitia medici medicamina repercuſſiva intempeſtivè inflammationi adhibentis, item temperamentum melancholicum: Cancri verò nomoſarumq; & cacoëthicorum uteri ulcerum cauſa potiori parte eſt ſtagnans menſtruum: niſi enim ejus obſtructio referetur, demum cancrum in utero, vel mamillis parit, vel alia inſanabilia ulcera.

Prognoſis. Prognoſin quod attinet exulceratio quælibet uteri acceleratâ ſanatione opus habet, aliàs mox deterioratur, eſt enim uterus receptorium & derivatorium proſcripti ſangvinis impuri, menſtrualisque colluviei, ſponteque ad corruptionem pronus; quoties autem pus ab eo prodiens album, paucum, æquale, craſſumque nec fœtidum apparet, minus periculi & difficultatis ſanandi habet. Nigrum verò fœtoroſumque ulcerationem cacoëthicam & eroſivam denotat, ac medelæ inobedientem. Scirrhus quoque ſenſilitatis cujuspiam adhuc particeps curationem non omninò recuſat. Multi tamen negotii eſt, at planè inſenſilis, etiam penitus eſt incurabilis. Denique ulcus cancroſum in utero duplo pravius eſt alio quovis, utpote deterrimâ quisquiliarum menſtrualium, ac loci putidi fæce continuò conſpurcatum.

Curatio. Curatio abſceſſus & exulcerationis uteri conſiſtit præcipuè in hisce, ut victus tenuis & parcus adminiſtretur, corpusque à prava colluvie repurgetur, pro purgatione vix quicquam præſtantius dabitur, pilulis mercurialibus ſupra inter Authoris cathartica à nobis edoctis:

Si itaque prægreſſa inflammatione uteri abſceſſus discuti non potuit, ſed ad ſuppurationem vergat, tunc ſuppurationi maturativis ſuccurrendum, ut ſunt: ſemen lini, fœnugræci, ficus, farina hordei, radix althææ & ſimilia in emplaſtrum vel cataplasma parata, ac imo ventri lumbisque impoſita, ex. gr.

Cataplasma.

℞. rad. althææ
lilior. alb. an. ℥ij.
ficuum pingv.
paſſular. enucleat. an. ℥j.
farinæ tritici ℥iij.
ſeminis lini
fœnugræc. an. ʒj.

decoquantur & contundantur in pultem, adde ol. liliaç. & anethin. an. q. ſ. f. cataplasma.

Inſeſſus. Confert ex ſimilibus in magna quantitate aquæ decoctis etiam inſeſſum parare, ac ſimul decocto per ſpongiam ſinum pudendi repetitim fovere, promovent quoque ruptionem frequentes inſeſſiones in decoctionis brodio eorum, quæ attractiva ſunt uterina, nempe meliſſa, pulegium, dictamnus, marrubium, artemiſia, ſalvia, centaurium, calamentha.

Rupto abſceſſu, ſanieque exeunte inſtar loturæ recentis carnis cum gravi odore, tunc trochiſci de carabe in potu ſumuntur, in uterum verò decocta adſtringentia injiciuntur, atque collutiones ex ſero caprino & melle deſpumato, demumque quæ ulcus ſanant, de quibus nunc dicemus.

Utero igitur exulcerationem patiente ægra ſaniem emittit, atque in affecta parte dolorem punctorium perſentiſcit, ac febricula ſubinde gliſcit ex inflammatione & ardore exulcerati uteri, ex quo & liquamen diverſum excernitur, nunc parcè nunc largiter, jam feculentum, modò cruentum, aliave coloris facie.

In hoc caſu univerſalia præmittantur, nempe corporis evacuatio aliquoties repetita, & ſangvinis miſſio ſi opus ſit, pro purgativo etiamnum commendamus pilulas mercuriales paulo ante laudatas, mirandum enim in modum ſangvinem mundificant ſanationemque ulcerum quorumcunque promovent, imprimis ſi aliquot grana Panacææ Anwaldinæ adjiciantur, quamvis etiam ſine ea ex voto operentur; nos tamen ſemper ſimul per totum ſanationis tempus potum ſanativum ordinamus in hunc modum paratum:

Potus ſanativus.

℞. radic. ireos ℥j.
dictamni
vincetox. cum flor. alb.
enulæ
betæ cum flor. rub. an. ℥ß.
beton. cum fol. & flor. ℥iß.
zedoar. ʒij.
herb. veronic.
piloſell.
agrimon.
prunell.
ophiogloſſ.
card. bened.
artemiſ.
matricar.
conſolid. ſaracen. an m. j.
ligni ſancti
ſarzæparill. an. ℥iij.
ſtœch. citrin. ℥iß.
polypod. quercin.
ſem. fœnic. an. ℥ß.

concidantur omnia in particulas, & exactè miſceantur, tum ℞. hujus mixturæ plenum ſeu largum manipulum, ſuperfunde tres vel quatuor libras aquæ comm. coquantur in obtecto vaſe ad caſum transverſi

pollicis,

pollicis, colatura in cella probè obturata aſſervetur, admiſce tertiam vel quartam partem vini, ut patiens pro potu ordinario bibere poſſit, quò copioſius eò melius, quò minus etiam vini admiſcet, eo celerius ſanat, ſed continuari debet ejusmodi potus per multos menſes, ac crebrò corpus evacuari, commemoratis pilulis, vel aliis purgantibus ex. gr.

Potio purgans.

℞. fol. ſenæ ſ. ſ. ℥ſ.
bryon. exſiccat.
rhabarb. an. ʒj.
epithym. ʒiſ.
ſem. aniſ. ʒiij.
fœnic. ʒj.
ſchœnant. ℈ſ.

conciſa & conquaſſata infunde in aq. artemiſ. ℥IV. per noctem, manè parum bulliant, tum colentur & fortiter exprimantur, adde

ſyr. roſar. ſolut. ℥ſ.
m. f. potio.

Porro utero exulcerato lotiones ex decocto ſiccantium, cum valdè phlegmatica pars ſit, infundi debent in hunc modum:

Decoctum injiciendum.

℞. herb. piloſell.
plantag.
perſicar. maculat.
equiſet. an. m. j.
flor. roſar. rub.
malv. arbor. an. p. ij.
balauſt. p. j.

f. decoct. in aq. q. ſ. colatura tepidè injiciatur, vel ejus loco ſerum lactis parum ſacharatum. Vel aqua hordei cum melle roſato.

Hiſce ulcus abſtergitur, poſtea in decocto equiſeti, millefolii & roſar. rubr. diſſolvatur ungv. diapompholygos, & injiciatur.

Melius ſanatio ſuccedet, ſi præcipitato aureo vel alio ſalivatio unâ vel altera vice excitetur.

In ſcirrho uteri nondum confirmato etiam valent prædicta purgantia, & diæta accurata, abſtinendo à pravis craſſique & melancholici ſucci alimentis. Extrinſecus paretur inſeſſus mollificans ex decocto malvæ, althææ, & ſimilium.

Poſtea fiat linimentum tale:

Linimentum.

℞. ol. anethin. & chamæmelin. an. ℥ſ.
ſucci juvenis ſeu recenter pullulantis porri ℥ij.
ireos ℥j.
pingvedin. caponis
anſeris an. ℥j.
medullæ bovinæ ℥ſ.

decoquantur ad ſuccorum conſumptionem, adde

mucagin. ſem. pſyll.
fœnugræc.
lini an. ℥VI.

m. f. linimentum, vel coquatur ulterius & cum ceræ q. ſ. f. ungventum.

Deinde imponatur emplaſtrum de ammoniaco.

In cancro uteri remedia ferè fruſtra adhibentur, niſi quod quædam dolorem leniant, cujusmodi ſunt oculi cancrorum, qui convenienti vehiculo aſſumpti, immanes cancri dolores efficaciter leniunt. Sufficiant ergò hæc cum his, quæ proponit

TEXTUS.

Abſceſſus uteri. *AD abſceſſum uteri repetantur ea quæ hactenus ſæpius de abſceſſibus dicta ſunt.*

Apoſtema & ulcus. *In apoſtemate & ulcere uteri ſordido eleganter curando (mora hîc periculoſa) vide curationem ultimam centuriæ 4. Rulandi, quam ſimilem penè curam abſolvi aliquando in quadam muliere Kirchamenſi, in qua tamen veſica afficiebatur.*

Notanda, Nota: *Exulcerationem uteri nuſpiam ad exulcerationis renum & veſicæ modum cum mercurio nempe dulci vel ſpiritu mercurii dulci curari. Ejus nimirum affectus ad uterum non pertingit, quemadmodum facit in exulcerationibus renum & veſicæ.*

Itaque hîc cautè procedendum, & ea tantùm adhibenda, quæ ad orificium uteri forinſecus pertingere poſſunt, mundificato (per aquam) primò ulcere, ſi turundæ vel peſſi cum balſamo ſulphuris illiti, & intromiſſi fuerint, & reliqua quoque dextrè fiant, facilis conſolidatio ſubſequitur.

Nomæ. *In nomis uteri nihil præſtantius decocto ſummitatum rubi idæi cum aqua plantaginis. Vide obſervationes Plateri; cum balſamo ſulphuris cura felicior erit.*

Scirrhus *Scirrhus uteri rariſſimus eſt, aut ſi aliquando uſu venit; difficilimè aut nunquam curatur.*

Reſolventia nimirum medicamenta tutò applicari non poſſunt, aut ſi applicantur, per totam tamen regionem uteri non pertingunt; poſſunt quidem nonnulla fieri, ſed quâ felicitate & profectu, tandem res ipſa eloquitur.

CAP. CLIX.
DE MOLA, EJUSQUE EXTERMINATIONE;
Germ. ein Mohnkind.

QUemadmodum in communibus hortis agriſque ferè ſemper zizania creſcunt, ac plantata & ſeminata in eis interdum ſterileſcunt, vel optato modo non proveniunt; ita quoque evenit in hortulo ſeu agro humanæ propagationis nimirum utero; interdum enim planè ſterilis eſt, nonnunquam defectuoſas plantas profert; aliquando lolium & zizania producit. Præcipuum antem ejus zizanium, ſeu fœtus zephyrius mola eſt, in utero loco legitimi fœtus exoriens, falſamq; imprægnationem efficiens. Eſt itaque mola illegitima conceptio matricis, ex ejus fracido fundo loco veri fœtus fungum carneum efformans: nomen ipſi inditum eſſe volunt à mola frumentaria, ſimilitudine ſumptâ à gravitate motusque difficultate, ſicuti enim mola gravis ac difficulter mobilis eſt, ita & hic affectus gravat, ac difficulter movetur; Quamvis autem ab aliis Authoribus antiquis nomen molæ in diverſo ſignificatu uſurpatum fuerit, ita ut Mola quid?

quidam

quidam omne, quicquid præter naturam in utero generatur, nempe tumor ventoſus, aquoſus, ſcirrhus &c. molam nominarint, attamen hodie per molam ab omnibus intelligitur caro illa informis ſæpius in quarundam utero concreſcens, ſenſimque increſcens & incrementum ſumens, ac ſi vera imprægnatio facta ſit. Quanquam nonnulli ſub nomine molæ etiam comprehenſum velint monſtroſum quoddam animal vivum, quibusdam in locis ac præcipuè in Italia nonnunquam in utero muliebri unà cum fœtu innaſcens, quod ideò à barbaris Scriptoribus modò pecus; nunc harpyia, jam frater Lombardorum appellatur.

Mola itaque eſt conceptus fatuus, ſeu fungus uterinus in forma carnis cujusdam conglobatæ, inanimæ & informis duriuſculæ & intunicatæ ſeu pellicula obductæ, intus ſangvineæ rubentisque, forinſecus verò ſubalbidâ rubeſcentiâ conſpicuus, cujus figura ex rotundo oblonga eſt, & diverſæ magnitudinis, interdum enim tantummodò ad nucis juglandis vel ovi gallinacei magnitudinem accedens brevi nempe ferè tertio geſtationis menſe excluditur, in aliis granditatem ventriculi ovini aſſecuta, pariter utplurimum intra menſem quartum, quintumve proſcribitur. In nonnullis ad magnitudinem embryonis maturi vel majorem increſcit, imò interdum tantam ut miſera ejus portatrix oneri ferendo impar ſuccumbat, talisque mola ſæpe per integrum vel plures annos, ac non raró omni vitâ in utero geſtatur.

Signa molaris conceptus hæc plerunque ſe offerunt; menſes ſubſiſtunt, appetitus depravatur, nauſeaque & vomitio adſunt, aliaque imprægnationis legitimæ ſigna, intumeſcentibus etiam mammis, concurrunt tamen quoque heterogenia ſigna fatuam hanc conceptionem à vera diſtingventia, in mola enim naturalis motus, ut à fœtu fieri ſolet, non percipitur, ſed in converſione corporis inſtar lapidis ab uno ad alterum latus devolvitur, & progreſſu temporis dolorem punctorium ſeu punctionis ſenſum infert, venterque ita intumeſcit ut hydropem aſciticum mentiatur, dignoſcitur tamen ab eo, quod in mola tumor crurum & pedum non concurrit ut in hydrope, ſed potius gracileſcunt, venter verò duro tumore turget, qui digitorum impreſſioni non cedit nec fluctuat, ut hydropicus, neq; etiam digito percuſſus reſonat ut tympaniticus, licet interdũ alteruter dictorum hydropicorum tumorum ſubſequatur ob hepatis refrigerationem & debilitatem ſangvificationemque à ſarcinâ molæ impeditam, adhæc in mola per manuum compreſſionem pondus ex latere uno in alterum protrudi propellique poteſt, in verâ autem fœtus geſtatione nullatenus, atque etiam fœtus ante menſem quartum nunquam movetur, at in molæ ante tertium menſem vehemens commotio tremula in ventre ſe ſentiendam præbet, inceſſus quoque in mola Signa.

gravior redditur, facies palleſcit, oculi & labia tumeſcunt, ſtomachus ſubvertitur, lumbi gravantur, mammæ quoque turgeſcunt, nil autem lactis ut in vera graviditate exprimi poteſt; interdum tamen molæ geſtatio tam exactè veram prægnatiouem mentitur, ut & peritiſſimos Medicos & obſtetrices decipiat, uti Gradus ſibi ipſi in propria uxore contigiſſe ad longum fatetur.

Cauſæ. Cauſas molæ easdem eſſe putamus, quæ & zizaniorum in hortis, nempe peculiarem malignam influentiam, intemperiemque aëris, nimiam luxuriam vel macritudinem fundi, quibus interdum verum ſemen ſuffocatur vel corrumpitur, ejusque loco zizanium vel fungus putris progeneratur, adde & inhibitam, ob peccatum, Dei benedictionem, quâ tardante etiam in optimis agris non rarò ſpinæ & tribuli proveniunt; de cauſis molæ etiam Hippocrates lib. de ſterilibus ita judicat: *Molæ porrò conceptus cauſa hæc eſt; cum multi menſes modicum & morboſum ſemen conceperint, neq; conceptus rectè fit, & venter plenus eſt velut prægnantis.* Ariſtoteles cauſas agnoſcit debilitatem ſeminis, multitudinem menſtrui & affectus uteri (ſubintelligens fortè animi) ut ejus verba habent: *Mola (*inquit *eſt inchoata fœtus formatio, ſed nunquam abſoluta, ut carnis genere deficiat generatio, ad genus verò animalis pervenire nequeat. Hæc ergò aut brevi paritur, aut toto vitæ tempore retinetur, atque interim dureſcit adeò, ut nec ferro diſcindi poſſit: Quod verò poſſit diu durare cauſa eſt, quoniam non prorſus præter naturam, ut corrupta; eſt enim inchoata actio; quod verò dureſcat, materia cruda eſt in cauſa. Cauſa autem cur ad perfectionem non ducatur, eſt debilitas agentis, quâ materia generationis non benè concoquitur, ſed ſemicocta remanet, unde & opus imperfectum facit, rerum inſtar, quæ ob debilitatem perfici nequeunt. Cur verò hoc in aliorum animalium fœminis non accidat, in cauſa eſt, quod mulier plurimum abundat menſtruis, & afficitur utero, id eſt patitur affectus, à quibus impeditur actio concoquendi, unde maſſa ſemicruda permanet;* hæc ille. Aëtius autem de mola ſcribit: *Plinthum ſeu molã aliquando prægreſſam inflammationem ſuccedere, & aliquando poſt locale ulcus, cui caro ſupercrevit, velut ea quæ tumor uteri induratus appellatur; nec non ex ſeminis muliebris, copioſique ſangvinis menſtrui confluxu, ac in utero retentione, quam calor exceſſivus cogat, ac in carnis formam transmutet.* Adſtipulatur huic Rondeletius & Fernelius dicentes: *Informem hanc carnem in actu quaſi eſſe callum ſeu durum tumorem, fierique primum ex ſemine veluti duram tunicam, & è ſangvine craſſo ſpiſſoque, calore concreto, quæ nullam formam habeat ac velut quodpiam parenchyma utero annectatur.*

Quantum autem nos obſervare potuimus, advertimus in hisce quæ

molas

molas conceperunt, præcipuè cauſas haſce adfuiſſe, nimirum vel nimiam uteri impuritatem circundati ventre obeſo; vel continuam imaginationem laſciviæ appetentiamq; coëundi, à marito autem provectiori non expletam, vel affectus animi frigefacientes, ut ſunt: luctus (ex quo etiam uxori Gradi molaris conceptus obtigit) mœror, terror, timor, avaritia & triſtitia; vel fractio calidi nativi virtutisque conceptivæ à prægreſſis partubus. Hisce autem cauſis ſingulis facilè molam fieri poſſe arbitramur, in laſciviosa quidem fame, quod continua prurientis venereæ imaginationis intentio cum tardo & frigidiori congreſſu conjuncta plurimum ſeminis fœminei attrahat, at non in ſufficienti quantitate excernat, retentum autem fit vitioſum, & ſi deinde virile ſemen etiam frigidius advenit, tunc in majori copia fœminina colluvies ſpermatica ei permiſcetur, quàm ut ſufficeret omnes tantæ copiæ particulas fœcundare, & ſpirituoſa reddere, quemadmodum ergò muſtum, cui pauciſſima materia ſpiritus ardentis ineſt, in bonum fermentari vinum nequit, ſed brevi admodùm à fermentatione ceſſat, & in vappam lentam, tartarum vini, & matrem aceti convertirur, ita etiam hæc ſpermatica mixtura ex inopia ſpiritus fermentantis in legitimum fœtum non formatur, ſed quando que in ſtipitem & fecem carneam ſidit, & in maſſam informem congelatur; in impura autem & pituitoſa matrice plurimum heterogeneæ humiditatis vim genituræ inundatione extingvit, relinquens tantummodò materiam fungo inerti aptam; In calido verò nativo jam debileſcente, atque etiam in affectibus frigefacientibus idem fit ac in ſero autumno, ubi ob calorem ſolis declinantem, vel pruinam aliquam decidentem viriditas naturæ ceſſat, & tantummodò vis creſcitiva fungina & boletina remanet; hæc autem in brutis neutiquam contingunt, eò quod in eis animi pathemata non dominentur, ex quo etiam omninò concludendum eſt, præcipuam molæ cauſam prædictos eſſe animi affectus, nam ſi unquam à menſtruo cauſaretur, debebat vel ſaltem in ſimiis aliquando vel minimum tale quippiam deprehendi, utpote quæ menſtruali ſangvine non carere dicuntur.

Prognoſin quod concernit, ex mola plus vel minus periculi pro majori vel minori materiæ hujus fungoſæ copia impendet, & prout matrix magis vel minus robuſta eſt ad eam exturbandam, in quibus enim copioſitas ejusmodi præcellit, expulſivaque uteri facultas langvet, in his nonnunquam tantoperè accreſcit, ut demum ſpatium ulterius non ſuperſit, nec miſeræ ſat roboris ad portandum, ubi & meatus menſtruales ita coanguſtantur, ut menſes amplius fluere nequeant, atque etiamnum ex hac ſuppreſſione ſeorſim patienti mortis cauſa exſurgat. Quarum autem matrix expultrice viget, in hisce circiter ſeptimanâ decimâ quartâ vel vigeſimâ elimina- Prognoſtica.

minatur. Ubi autem ſemel pedem figit, iſtibi reverti ſolet, vel uterum debilitando inhabilem efficit ad ulteriorem impraegnationem, aut ſi rurſus praegnetur, facilè abortit. Nonnullæ verò ſemel duntaxat molam experiuntur id eſt per omnem vitam ad mortem usque; ſi à natura ipſa expellitur, eadem ſymptomata, nempe dolor & ſangvinis fluxus excitantur ac in naturali partu.

Curationis ſpes. Curandæ molæ negotium non temerè quis aggrediatur, niſi ſponte natura eam expellat, cum certum ſit, veram prægnationem interdum eadem ſigna inferre poſſe, proinde in tali caſu, licet ſuſpicio molæ adſit, tamen plerunque practici ad menſem usque undecimum, vel pauló diutius expectare ſolent, antequam ad expulſionem vel extractionem ſe accingant, deinde verò eandem curandi hunc affectum rationem adminiſtrant, ac ſi ſecundina à partu relicta vel fœtus mortuus medicaminibus extrahi deberet. Quinimò Hippocrates ab omni curatione abſtinere ſvadet, libro. de morb. muliebr. inquiens: *Hanc igitur maximè quidem ne curato, aut certè cum prædictione.* Melius tamen foret, ſi de mola certò conſtaret, mox initio medicam manum porrigere, quo grandior enim evadit, eo majorem anguſtiam doloresque exeundo excitabit; In curatione autem hanc methodum ſervant, quod patiens decumbat in cubiculo minus lucido, lectoque immobili intermittendo exercitium infernarũ partium, quo fluxus ſangvinis concitari poſſet, animique affectus temperando; tum verò præmiſſis univerſalibus nempe corporis evacuatione &c. ſi opus videatur, ſtudent uterum ejusque anguſtiam emollire inſeſſionibus emollientibus, laxantibus & aperientibus, ex althæa, ficubus, malva, fœnugræco & ſimilibus paratis, emplaſtriſque & cataplaſmatibus ex iisdem confectis, additis adipibus, medullis & mucilaginibus, locos etiam ſuffumigant ſub ſella perforata vaporibus decoctorum calefactivorum ex ſalvia, marrubio, dictamno, pulegio, ſabina &c. Quæ tamen cuncta ſuperantur ſulphure antimonii per alcalia extracto, & ſub ejusmodi ſella candentibus ſilicibus inſperſo; ventrem quoque pectine & ingvina inungunt ungvento ex oleis liliorum, chamæmeli, anethi, ovorum, additis mucaginibus ſeminis lini, fœnugræci, butyro inſulſo recenti, adipe anſeris & ſimilibus. Ad extremum propinant ea, quæ validè menſes cient, fœtumque mortuum propellunt, non negligenter ergò nobis commendandum videtur in hoc caſu remedium Helmontii è felle & hepate angvillæ exſiccatis, de quo nobis Archiater quidam retulit, ſe eo fœtum, qui per novem dies in utero mortuus exiſtens hæſiſſet, propulſaſſe. Adhibitis etiam ſternutatoriis, & peſſis ex trochiſcis de myrrha &c. Qui etiam intrò aſſumpti in hoc caſu valdè conducunt menſes ciendo, poſſuntque propinari in cyatho vini generoſi cum pulegio, ſabina, & ſimilibus infuſi, plura proponit

TEX-

TEXTUS.

Secretum. *IN mola exterminanda (item expellendo fœtu) ſecretum non datur felicius, quàm pulvis ſecundinarum, de quo ſupra de philtris, doſes ſunt unius modi* (NB. *pulvis hic datur per ſe ſine theriaca) ſæpius tamen ſunt repetendæ, ſi ab initio non præceſſerit, exhibetur in aqua gentianæ, artemiſiæ, rubiæ tinctorum, radicis urticæ, pulegii &c. quandoque in vino, præſertim malvatico.*

Semper tamen memineris aliquid eſſe addendum de aqua cinamomi.

Hanc curam in multis fœminis generoſis abſolvi, ubi multi eruditi Medici deſperarunt.

CAP. CLX.

DE VENTOSITATE UTERI; Germ. die Windſucht der Mutter.

Inflatio uteri quid? PNeumatoſis hyſterica ſeu inflatio uteri eſt intumeſcentia abdominis ab utero flatulentiâ confertiſſimâ diſtento, colligitur autem ejusmodi flatuoſitas vel intra cavum matri is, vel in ejus convexâ parte in interſtitio, quod eſt inter membranam uteri, & eam quam annexam fert à peritonæo, ubi ſi aura auſtera colligatur, turget & inflatur ſubinde cum magno cruciatu, ac ſecum totum ventrem forti diſtenſione in tumorem attollit.

Signa. Agnitio hujus affectus facilis eſt, dignotio verò ubi collectus ſit ſpiritus, difficilior, animadvertitur autem per hæc ſigna: venter renitente tumore expanſiſſimè diſtenditur, ac ſi tympanites eſſet, atque etiam digitorum appulſu ſimilem ſonum edit, ſi nimirum ſpiritus in uteri cavitate collectus fuerit, qui etiam in flexu corporis murmurante gurgulatione manifeſtè audibili crepat, uti inteſtinis aliàs torminibus vexatis contingere ſolet, pube quoque & imo ventre unà tumidis, dolor pulſatilis ac punctorius atque intolerabilis cruciatus ægrum miſerè affligunt à pectine ac imo ventre ad diaphragma & ingvina excurrentes, & nunc alterutrum nunc utraque ingvina ſeu latera ingvinalia, cum umbilico, ſtomacho, lumbisque torquentes, quibus & caput in aſſenſum trahitur, adeò quidem ut tantùm non dolor ægram enecet, quæ tamen immota manere cogitur, & ne crus quidem vel ullam corporis partem movere audet, niſi longè immanius cruciari velit, mitior tamen dolor vel vix notabilis eſt, ſi flatus interius ſpatium uteri cavum obſederit, ex quo etiam nonnunquam crepitus per uteri cervicem prorumpit non ſecus ac ex podiceo gutture. Aſt ubi ventoſitas per cæcos meatus intermembraneum uteri inflaverit, punctiones illas dolorificas commemoratas ſimul introducit.

Cauſa præcipua ventoſitatis uteri eſt perfrigeratio matricis, quocunque modo contingens, ex qua uterus auram auſteram concipit, nam Cauſæ.

 ſicuti

ſicuti calor vehemens ſemper amarus eſt, prout omnia, quæ in fundis ollarum aduſtionem quandam inter coquendum paſſa ſunt, mox saporem amarum acquirunt, ita viciſſim ipſa frigiditas auſtera eſt & adſtringens, uti quilibet in ſeipſo experiri poterit, quod flante borea alvus ſibi adſtricta fiat, ac ſupereminente frigiditate aquæ conſtringantur in glaciem, auræ igitur ejusmodi auſteræ uterus tanquam ſibi maximè adverſæ cedit, & introrſum fugit, verùm eo plus auræ expanſum vacuum ſequentis attrahit, & ab ea diſtenditur, frigidum autem juxta Hippocratem utero eſt peremptoriè inimicum, ergò & dolorificum, nam quodlibet inimicum ſuum attingens dolore & dolorifica antipathia afficitur, ac impetuosè movetur, ut patet in igne ab attactu aquæ mirum in modum ſtridente, hinc tantus dolor & inflatio uteri ab ejus perfrigeratione, imò frigus ipſum omnibus partibus ſenſiliſſimis mordax eſt, prout in ulceribus ſentitur, uterus autem acutiſſimo ſenſu eſt præditus, & ſemiulcus quaſi perpetuum, nam menſtruatim cruorem & putidam ſaniei proximam materiam emittit, & ſic duplici jure à frigido dolorificè mordetur. Variis autem modis uterus jam antea debilis exiſtens perfrigeratur, nempe potando largum hauſtum frigidiſſimum tempore menſium fluentium, vel lochiorum paulò poſt partum, vel exponendo tum temporis ventrem & pedes nudos aëri frigido, vel ambulando per pavimentum frigidum eodem modo & tempore, quod & ab alimentis crudis & frigefacientibus, item inclinante jam ætate calidoque nativo jam gradum autumnalem tempeſtuoſum acquirente contingere poteſt, aliisque frigefactionum modis.

Prognoſis hunc in modum inſtituitur: ventoſitas uteri interſtitium prædictum occupans dolorificentior eſt, & curatu difficilor, in cavo verò uteri collecta facilius digeri & discuti poteſt; ea quæ à partu & paulò poſt eum incidit, ſi nimirum edito partu ventrem non comprimant ſeu conſtringant, aëremque arceant omnemque perfrigerationem, facilè curari poteſt, ſi illicò ab ejus inceptione remedia adhibeantur, at ſi per negligentiam confirmetur, poſtea non facilè, imò rariſſimè eradicatur, atque etiam deformitatem affert, absque tamen dolore, corporisque notabili læſione, præter inclinationem ad facilè abortiendum. Prognoſis.

Curatio inſtituenda eſt ex iis, quæ juxta Hippocraté utero decretoriè amica ſunt, id eſt quæ calida ſunt in gradu caloris ſuppuratorii, qualia ſunt althæa, chamomilla, melilot. & ſimilia. Initio ergò cruditates evacuandæ, quæ & multos flatus gignere ſolent, ventriculusque & calidum nativum roboranda: pro evacuatione convenit hoc: Curatio.

Pilulæ evacuantes.

℞. extract. ſagapen.
rhabarb.
reſin. jalapp. an. gr. VI.
ol. menth. gij.
m. f. pil. VII. pro una doſi.

Vel ℞. Agar. troch.

pulv.

pulv. jalap. an. ℈j.
diagrid. ſulphurat. gr. iij.
ol. fœnic. gut. iiij.

m. f. pilulæ, poſt mediam noctem aſſumendæ.

Vel poterit etiam mox injici ejusmodi clyſter :

Enema.

℞. ſummitat. aneth.
artemiſ.
matricar.
parietar.
malv. an. mj.
flor. melilot. mſ.
chamomill.
verbaſci an. p. ij.
ſem. aniſi
dauci
carvi
fœnugræc. an. ʒj.
baccar. laur. ℥ſ.

fiat decoctio in aqua pluviali pro ℔j. colaturæ adde caſſiæ extr. ℥iſ. ol. rutæ,& anethin. an. ℥j. ſalis ʒj. f. enema.

Reſiduum probè contuſum in pultem mollem rurſus decoquatur in ℔ij. aquæ recentis, brodioque regio pectinis & ingvinum calidè fomentetur, ac deinde inungatur tali linimento calefacto :

Linimentum.

℞. ol. nucis moſchat. expr. ℥ſ.
diſſolvatur ſuper calore oleo laterin. rectificat. q. ſ. adde
ol. laurin.
rutac.
anethin. an. ʒij.
ceræ, q. ſ. f. linimentum.

Sacculus.

Subinde quoque imponatur ſacculus in decocto matricariæ & artemiſiæ fervefactus imo ventri ex artemiſia, pulegio, matricaria, floribus chamomillæ, verbaſci, baccis juniperi &c. Vel impleantur duo ſacculi linei avena, unusque poſt alterum alternatim in ſartagine fervidiſſimè calefiat, ventrique imponatur, dumque ejus fervor remittit, alter refervefactus ſuccedat. Ac deinde emplaſtrum de baccis lauri, oleo Philoſophorum ſubactum ſupergeſtetur.

Per os accipiat ſubinde quantitatem caſtaneæ hujus vel ſimilis electuarii:

Electuarium.

℞. elect. de bacc. laur.
cortic. arant. condit. vel ſaltem pulveriſat. an. ℥j.
theriac. Androm. ℥ſ.
conſerv. meliſſ. ʒVI.
ſpec. diacimin. ʒij.

ſubigantur omnia in mortario vitreo mundo, inſtillando elixir. uterin. Croll. ʒſ. & cum ſ. q. ſyr. condit. zing. f. elect.

In cauſa à partu purgatio per ſeceſſum omittatur, & ejus loco ea exhibeantur, quæ purgationem per lochia & menſes promovent, omnes autem puerperæ mox à partu ventrem conſtringant, aliàs uterus plenitudini exgeſtatione infantis aſvetus, nunc verò inanitus turbas ciet, quod arctatione conſtrictionis plerunque præcavetur, fugâque omnis frigidi, quoad cætera, iisdem eadem remedia paulò ante enarrata conveniunt, ex eptis purgantibus tam in oralibus medicamentis, quàm clyſteribus. Utiliter tamen prædicto emplaſtro ſtercora capræ, ovina vel vaccina pro efficaciori flatuum diſcuſſione admiſcentur, de quibus plura in regimine puerperarum dicentur.

Si à balneo vel alia corporis calefactione, ac ſubitaneâ dein frigidi aëris ſucceſſione hic affectus proveniat, aromata in juſculis conducunt, & confectiones diagalang. aromatic. roſat. &c. ventrique affigantur cucurbitulæ vel una magna umbilico cum multa flamma, niſi adſit ſuffocatio uterina. In omnibus cauſis utiliſſimum eſt conficere inſtrumentum ligneum teres, ea longitudine, ut in uterum pertingat, in cujus apice ſit cavitas cum operculo foraminulato adfirmato, remobili tamen, in hanc cavitatem ponatur nodulus linteus cum æquali parte clarificati ſalis tartari & armoniaci cum unâ vel alterâ gutta aquæ artemiſiæ ſaltem irroratorum, illicòque operculatum, calefiat inſtrumentum paululum ſuper thuribulo, & in locellos defigatur, ibique beneficio teporis hæc duo ſalia in ſe mutuò agunt, vaporemque ſpirituoſiſſimum in uterum efflant, gratè calefacientem, & omnem acorem corruptitium extingventem; in reliquis ſequendus

TEXTUS.

Ventoſitati uteri ab allatis ex Fernelio ſignis rectè dijudicatis dignoſcendæ mirabiliter prodeſt experimentum, quod eſt à nuce moſchata:

Experimentum ℞. *nucem moſchatam integram non vitioſam, ſeca in quatuor partes, applica ad orificium uteri tritorium vel infundibulum qualecunque, aut per retortam vitream capitetenus detruncatam, & colliô rectà ad cervicem uteri applicatô & directô, imò quantum fieri poteſt, intromiſſô, mulierem ita colloca, ac ſi in ſella partui accommodaretur, divaricatis nempe femoribus, & inſtrumento rectè applicato particulam nucis ſuper carbones projice ardentes, ut fumus rectà per canalem in ipſum uteri fundum quodammodò ferri poſſit. Id ſemel atque iterum, imò tertiâ vice experire, ſi non proceſſerit ab initio, & tandem ventus interclusſus cum bombo & motu totius corporis penitus cum impetu proſilit, & mulier ſanatur (hoc modo Bennæ mulierem juvenem curavi, aliis omnia fruſtrà tentantibus.)*

CAP. CLXI.

DE HYDROPE MATRICIS; Germ. die Waſſerſucht der Mutter.

Hydrops uteri quid? PRæcedenti affectui contrarius eſt hydrops uteri, eſtque aquoſa collectio iisdem in locis, in quibus recitato antea modo aliàs ventoſitas in utero coacervatur, eundemque in modum abdomen ſecum diſtendit, non tamen ita ſtrictè ut ventoſitas, ſed magis vel minus laxè pro majori vel minori aquoſitatis copiâ, atque ita aſcitem ſeu hydropem hyſtericum conſtituit, cujus etiam Divinus ſenex lib. de nat. mulierum mentio-

mentionem facit his verbis: *Aqua intercus in utero oboritur, menſes pauciores & deteriores fiunt, id eſt aquoſiores, deinde repentè deficiunt, & venter intumeſcit, & mammæ ſiccæ fiunt, ita ut fœtũ utero gerere ſuſpicentur. - - - Succeſſu dolor imum ventriculum, lumbos & ilia occupat.* Similiter Aëtius hunc affectum vocat hydropem uterinum, in quo humor aqueus à ſuppreſſione menſium in uterum confluens in quaſdam veſicas in utero genitas colligatur, & imprægnationem impediat, Hippocrates tamen etiam aqueam collectionem gravidis ſupervenientem innuere videtur. Prout etiam uterque modus etiamnum quandoque occurrit, teſtante quoque Dodonæo: *Utrumque* (inquit) *nobis obſervare contigit, memini enim nonnullis una cum fœtu copioſum aquoſum humorem ex utero proceſſiſſe, fœtu debili ac non vitali.* Idem aquæ collectionem etiam in vidua quadam obſervavit, quæ marito defuncto, cum ſe gravidam eſſe relictam autumaret, transactis novem menſibus, doloribus partus ſupervenientibus nonniſi humores aquoſos enixa eſt, à quibus libera facta, lacte ubera repleta habuit, pari modo ac ſi fœtum peperiſſet. Alii tamen hunc & præcedentem affectum inter molas referunt, hancque molam aquoſam, illam ventoſam appellant, quicquid enim pondere uterum gravat, & mole extendit, nomine molæ donant, ut videre eſt in Rhaſe cap. de falſa conceptione.

Colligitur autem in hoc affectu lympha hydropica vel in ipſa uteri capacitate, vel inter ejus ſubſtantiam & externam tunicam, quam à peritonæo habet, vel ſub interna ejus tunica. Dignoſciturque hiſce ſignis: ſi inter externam à peritonæo deductam membranam collectio ſtagnat, tunc facilè in peritonæum per poros aqua transſudat, totumque ventrem tumore aſcitico turgefacit. Signa.

Aſt ſi ſub tunica interiori matricis aqua colligatur, tunc nullum tumorem notabilem excitat, niſi fortaſsè circa ventris pectinem, in converſione autem corporis ſonitus quidam inſtar aquæ fluitantis conſtrepit.

Si verò in capacitate uteri confluxus aquæ obtingat, id ſaltem fit à multa cruditate & obſtructione menſium, quorum fluxu reſerato aqua ſimul effluit, ſoloque iſto effluxu curationem affert, nec non epatis ac uteri corroboratione.

Cauſæ ſunt: temperamentum frigidum & humidum, imprimis frigiditas uteri imbecillitasque à nativitate contracta, vel diætæ errore introducta; obſtructio venarum uteri, menſiumque ſuppreſſio, imprimis poſt uberiorem eorum fluxionem; diæta perfrigerans & phlegmaticum proventum aſciſcens, eaque omnia quæ verum hydropem generare poſſunt, eſt enim nil aliud quam hydrops particularis. Cauſæ.

Prognoſis eſt: quod ſi diætæ errore obſtructio menſium uterique aquoſitas contrahitur, facilius curatur, Prognoſis.

tur, reſeratisque menſibus & decenti victu inſtituto ceſſat, at ſi ex nativa intemperie frigida & humida, hepatisque debilitate originali obveniat, parum emolumenti curatoria ars afferet, ſed potius impedire non poterit, quin vel tum, vel recidivans hic affectus in univerſalem hydropem & mortem terminetur.

Curatio. Curationis ſcopus eſt, ut iisdem medicamentis, quæ aliàs ad aſcitem uſualia ſunt, huic affectui occurratur, admixtis tamen hic ſemper uterinis ſpecificis, uterumque calefacientibus & corroborantibus, reliqua capite de hydrope evolvi poſſunt, obſecundando ſimul his quæ docet Authoris

TEXTUS.

Matricis hydrops purgantibus aquam difficulter cedit, niſi ubi vitium eſt à jecore & ſplene, imprimis autem pilulæ antimoniales (per ſuperiora hæ non purgant) emeticæ hîc locum habent etiam in aſcite.

Ab iis ergò poteſt initium curæ fieri, ſi præſertim quoque vitiatorum viſcerum ſigna in promptu fuerint. Quod ſi verò cauſa eſt à ſtillicidio ſeri ex vena cava, neq; hoc auxilium ſatisfacit.

In priori cauſa vitiatorum viſcerum pulvis cachecticus poſt præmiſſa catapotia antimonialia ſcopum omnem abſolvit, ita tamen, ut diligens conſideratio nunquam non reliqua neceſſaria & perpendat & faciat.

Quod ſi ergò eſt à latente ſtillicidio ſeri ex vena cava, hoc imprimis age, ut ſpecifico appropriato inſtructus eſſe poſſis (quo nemo Medicorum carere poteſt & debet) quod ſolum eſt vitriolum martis (hermaphroditicum Baſilii Valentini) aliàs ſummum ſecretum in omnibus uterinis affectibus (imprimis in fluxu menſium inordinato) ſi quotidiè etiam per menſem integrum continuando ejus datur gj cum gr. ij. ſachari albiſſimi; aſſumuntur nimirum ad partem unam vitrioli partes duæ ſachari, in aqua appropriata, verbi gratiâ meliſſæ ante ſomnum, vel etiam fiant rotulæ cum magiſterio corallorum, hoc modo illuſtrem comitiſſam curavi feliciter. Specificum.

CAP. CLXII.

DE MARISCIS, SYCOSI, FICUBUS, RHAGADIBUS VERRUCIS SEU CLAVIS, MORIS, THYMIS, FORMICIS, PRURITUQUE UTERI.

Cuncta hæc vitia, aliæque excreſcentiæ ut condylomata, item ſatyriaſis ſeu inſatiabilis venerea prurigo, hæmorrhoides &c. concurrere ferè ſolent in morbo Gallico, quamvis non in una ſimul ægrâ, at in unicâ morbi naturâ & qualitate, ita ut in una mariſcas in alia rhagades, & ſic conſequenter in aliis morbus Gallicus producere ſoleat, non

non tamen ſemper unà talium quidpiam patiens lue venereâ afficitur, nam ferè ſingula iſtorum etiam extra hanc luem uterum affligere poſſunt, eorumque ab antiquis Medicis facta mentio eſt, antequam morbus Gallicus incepiſſe conſtet.

Mariſcæ ergò uteri, ſycoſisque ſeu ficus, mora, thymi & hœmorrhoides uteri ferè ejusdem generis ſunt, nimirum excreſcentiæ & tubercula ex ſangvine feculento & melancholico enaſcentia, idque tam in ano quam utero muliebri, ubi hæmorrhoidales, & menſtruales venæ terminantur, quæ ſub nomine mariſcarum ab Authore hîc comprehenduntur; mariſcæ ejusmodi ſeu ficus & mora diſtingvuntur in verrucales, veſicales & uvales, talesque excreſcentiæ modò in profundo, nunc in collo uteri exſurgunt, profundæ cum attingi non poſſint, curationi non ſubjiciuntur, apparentes autem pro earum tactu vel viſu, vel potius honeſtâ relatione infirmæ deprehenſâ conditione dijudicantur, verrucæ enim vix aut nunquam ſanantur, reliquæ ſanabiles ſunt, imprimis ubi ſuppreſſi menſes potior cauſa ſunt. Ficus ſeu caricæ communes cum huic morboſo affectui dederint nomen, etiam remedium in ipſis quæritur hoc modo:

Mariſcæ triplices.

Pulvis pro ficubus.

℞. foliorum arboris ficus
vitis viniferæ
ficuum immaturarum an. m. j.
viridis æris ℥j.

indantur ollulæ, eaque ponatur in furnum, ut inde fiat pulvis, qui ficubus olei lini prius perunctis inſpergatur.

Aliis in uſu eſt hoc: præmiſſa corporis evacuatione picem in tenuem pulverem comminuunt, tumque in vaſe terreo recens lardum inflammatum & ignitum ſupra pulverem picis ſtillare guttatim faciunt, ut ſic pix liquefacta redigatur in formam ungventi, illinendi ficubus & hæmorrhoidibus, quibus dolorem ſedat, ſi inflammatio doloroſa ſimul adſit, hoc utuntur ungvento:

Ungventum.

Aliud ad dolorem

℞. Ungvent. popul. ℥j.
croci ℈ij.
laudani opiat. ℈j.
vitellum unius ovi
m. ſimul & utere.

Verrucæ à quibusdam conſtringuntur filo ſerico, relinquendo filum ita conſtrictum, ut verrucis omne nutrimentum intercipiatur, & decidunt. Ad ejusmodi excreſcentiam verrucalem pertinent etiam condylomata, quæ ab Aëtio vocantur excreſcentiæ rugarum inflammationem patientium, ex qua incurventur, altius protuberent, tumque indurentur, ac everſionem quandam & craſſitudinem in locellis efficiant, præcipuè in menſium excretionibus; noſtris autem ſunt genus verrucarum ſeu ficuum, excreſcentiæque duplicatæ & complicatæ in vulvæ labiis verſus collum uteri, eodemque modo hi funguli ſeu noduli carnis fungoſæ à quibusdam conſtringuntur filo ſerico ut verrucæ, alii adhibent fomenta aſtringentia ex decocto gallarum, cupularum glandium, malicorii, aluminis,

Verrucæ.

Specifica. ni, vel ungventum Ægyptiacum & Apoſtolorum; optimè convenit aqua Divina Fernelii ſupra cap. 149. deſcripta, ſi eâ ſæpè illinantur, donec arrodantur & detergantur; quod etiam preſtat emplaſtrum diachalcitidis in oleo roſaceo diſſolutum, aucto chalcitidis pondere, ut arrodere poſſit, at longè efficacius operatur oleum deſtillatum chalcitidis ſeu vitrioli levi attactu ſaltem applicatum, admiſcendo parum laudani opiati ob valdè irritabilem ſenſilitatem harum partium ab omnibus acrioribus; raró autem condylomata ſine rhagadium interventu occurrunt, quæ fiſſuræ, rimæque ſunt oblongæ tenerioris membranulæ in orificio uteri hiſcendo laceratæ, prout etiam in labiis, papilliſque contingere ſolet. Hæc curantur, inſeſſu vel fomento decocti mollificantium & humectantium, ut ſunt althæa, malva, ſemen lini, fœnugræc. & poſtea vaporatione ſuſcitata à candentibus ſcoriis ferri, aſperſis decocto plantaginis in vino rubeo aſtringente; præter hæc & alia tubercula ab Authoribus recenſentur, ut ſcirrhomata miliacea uteri à veneris confrictu exaſperationem inferentia, menſesque & conceptum impedientia, ac tactu vel ſpeculo deprehendenda; item ſcabioſæ puſtulæ in ore pudendi provenientes, ac furfuraceas ſquamulas pruritumq; cauſantes, ad hæc eadem remedia ſalutaria ſunt, illinendo ſimul balſamum ſulphuris prolè confectum.

Condylomata. Rhagades.

Scirrhomata miliacea.

Empl. oppoteldoch mire juvat. Sed inſtar omnium eſt emplaſtrum oppoteldoch Paracelſi legitimè paratum, quod omnes ejuſmodi excreſcentias fungoſas, conſtantes carne luxuriante ſylveſtri, qualis etiam in ulceribus malè tractatis ſupercreſcere ſolet, emollit, ſuppurat, aperit & ſanat. Huc pertinet etiam pruritus & excoriatio vulvæ, quibus fomentatio convenit ex decocto plantaginis, ſcabioſæ, lapathi acuti, burſæ paſtoris, caudæ equinæ &c. ac dein illitio lythargyrii in aceto acerrimo ad dulcedinem macerati, & cum oleo violarum permixti in linimentum; vel etiam ſuperius in hoc capite enarrata, in cunctis tamen corpus ſimul ſemel atque iterum à vitioſis collectionibus eſt evacuandum, & ſi graviores ſunt hi affectus, applicanda ſunt remedia ad morbum Gallicum in proprio capite inferius conſignata, quibus & cuncta exſtirpari poſſunt, licet ab hujus luis contagio immunia ſciantur.

Pruritus. Excoriatio. Fomentum. Linimentum.

TEXTUS.

Mariſcæ uteri & reliquæ appendices ſimiles, eandem habent curam cum ani appendicibus, quæ itaque de illis ſupra (a) dicta ſunt, accerſantur quoque hiſce affectibus.

(a) Supra cap. 118. etiam plura de hiſce affectibus locuti ſumus, quæ huc etiam valent.

CAP. CLXIII.

DE MENSIUM SUPPRESSIONE; Germ. Verhaltung der Monatzeit.

Neceſſitas ſangvinis menſtrui. Quum in fœmina officina generationis exiſtat humanæ, materiaque, ex qua corpus homi-

hominis conſtat, præcipua ſangvis ſit, plurimo ſanè ſangvine mulier abundare debuit, ut ſemper primarium ad nutriendum & augmentandum homunculi corpuſculum elementum adſit, cum autem non ſemper generatio in hac officina fiat, ſed poſtea extra eam per tempus longum educatio duret, ubi interim tanta ſangvinis copia non opus eſt, ſed fœmina eâdem gravaretur, ideò ſacroſanctus Creator ſuperfluitatis ſegregationem ordinavit, quæ eo tempore, quo fœmella ad prægnationem matura eſt, incipit, tum enim natura focum ſtruit cum omnibus neceſſariis requiſitis, ubi genitura in fœtum excoqui poſſit, ac ſufficientem ſangvinis copiam ad hanc rem neceſſariam præſtò eſſe jubet, ſique non inſumatur (liberrimum enim Deo terreſtri arbitrium indultum eſt in omnibus) per curſum lunæ ſuccos rerum moderante ſuperfluitas educitur, aliaque recens adducitur, in utriſque enim, nempe tam in mare quam fœmina quotidiè multæ unciæ recentis ſangvinis ex alimentis conficiuntur, ut quilibet in ſe ipſo advertere poſſet, ſi exactiſſimè, quæcunque cibi & potus aſſumeret, lancibus ponderaret, eaq; quæ viciſſim per emunctoria excerneret, pari modo libraret, plurimum enim in pondere deeſſe deprehenſurus eſſet, cujus defectus notabilis pars in ſangvinem & ſuccum migravit, non tamen ideò alteruter majori mole turgeſcit, ſed quantum viro novi ſangvinis accedit, tantum prioris reſolvitur in ſudorem, cutisque ſordes & inſenſilem transſpirationem, non enim tantùm mas calidioris temperamenti eſt, verùm quoque laboribus motuque ex domeſtico calorem ſuum multis modis auget, eoque ſucculentiæ corporis ſui quotidiè bonam partem evaporare facit, quæ ſingulis vicibus reſarciri debuit. At fœmina ferè ſemper domi manens longèque frigidior, parum ſucci & ſangvinis diſſlat, ſique ad propagationis opus non impenditur, nempe ad incrementum fœtus vel lactationem, mox ob quotidianum acceſſum recentis exuberanter ſtagnat, & ſic ſtatis periodis per motum naturæ à curſu lunæ directum excludi debet. Sicque cuilibet neceſſitas copioſi ſangvinis crudi & excrementoſi in fœminis conſtare poteſt ejusque exonerationis menſtruæ; quam ideò vocant menſtruum & menſes, Germanicè die Roſen oder Monat-Zeit / oder weibliche Blume; id eſt: roſa, vel flos muliebris, quemadmodum enim arbor non florens fructum ferre nequit, ita fœmina hoc flore ſangvineo deſtituta pari modo ſterilis eſt. Aſt non propterea hic fluor ſemper deeſt, quando non fluit, ſed ſæpè copioſè quidem adeſt, at per obſtructionem emanare non poteſt, de quo affectu hic agitur, quòd autem interim dum fluxus hic feriatur, in utero tanquam ejus & omnis impuritatis conceptaculo coacervetur, ut plerique volunt, veriſimile non eſt, ſed unus idemque ſangvis in venis ferri videtur, eâdem valetudine gaudens, donec moderamine lunæ tur-

 geſcen-

geſcentia & effervescentia fiat, & ita ſuperfluum per venas uteri emittatur. Si verò ſuperfluitatis hujus effluvium impediatur, graviſſimi morbi inde excitantur, imò tam à retentione quàm immoderatâ profuſione vel vitiosâ excretione menſium, pernicies impendet. In quibusdam enim planè menſes ſupprimuntur, totumque inde corpus ſangvine obruitur & corrumpitur. In aliis tam exuberanter ſangvis tam vitioſus quàm laudabilis per venas uteri profluit, ut exinde vires & vitæ pabulum deficiant; in nonnullis quidem fluunt, at non ſufficienter; in aliquibus inordinatè & intempeſtivè nec ad conſvetas lunæ leges & periodos prorivantur. In quibuslibet itaque hisce defectibus auxiliandum eſt naturæ, aliàs nil niſi morbi & mors expectari poſſunt.

Quibus menſes innoxiè non fluant.

Dantur tamen etiam hic exceptiones quarundam, quibus menſes nec fluere poſſunt nec debent, quæ ſunt:

I. Puellæ infra annum decimum quartum, nam licet in calidioribus regionibus etiam poſſent incipere citius, attamen ejusmodi anticipatio rara non evinceret, ut ſimile quippiam in aliis quoque eſſet expectandum vel moliendum, quin imò in frigidioribus regionibus per curſum naturæ vix ante annum decimum ſextum menſes ordiuntur: ergò ante hoc tempus Medica ars nihil juris habet in hunc fluxum provocandum. Spontaneo autem naturæ curſu jamjam menſibus primâ vice erupturis ubera incipiunt intumeſcere, papillæque prurire, cum dolore capitis, quibus legitima ad matrimonium maturitas deſignatur, ad conceptionem verò tempus aptiſſimum eſt, quando jam fluxus menſtrualis ceſſat, qui in quibusdam per tres dies, in aliis plures durat, intra quos coitum concubitumve cum tali fœmina menſtruali Deus Lev. 18. v. 19. & Lev. 20. v. 18. ſub pœna mortis prohibuit.

Signa inſtantis menſium proruptionis primæ.

II. Vetulæ ætatis quinquageſimum annum transgreſſæ, quamvis enim dentur, quæ diutius fluxum hunc patiantur, ab eis tamen nulla eſt conſequentia ad alias, imò in plurimis multò citius menſium fluor deſinit, in quibus non eſt revocandus.

III. Omnes gravidæ & lactentes, in hisce enim ejusmodi ſuperfluitas ſangvinis non moleſtat, ſed in lac pro nutriendo infante mutatur.

IV. Viragines, fœminæque calidioris conſtitutionis, & quæ laboribus & motu ferè virilibus exercentur, pari modo enim ut in maſculis temperamentum calidum & labores omnem ſangvinis ubertatem abſumunt, & difflabilem faciunt. Similiter quæ diu gravi aliquo morbo decubuere, vel magna profluvia, & evacuationes paſſæ ſunt, vel fame diutina maceratæ, non enim tales ſangvine exundant, ſed potius deficiunt.

In reliquis fluxus earum harmonizare naturaliter debet cum curſu lunæ, ita ut ſingulis noviluniis virgines & juvenculæ, quibusvis quadraturis primis mulierculæ inferiores

annis

annis 28. quibuslibet pleniluniis ætas media, ultimis quadrantibus eæ quæ ſunt circa annum 40. per tot fortaſſe annos, quot dies luna curſu ſuo abſolvit; in quantitate autem hic fluxus admodum variat, nec ulla certa menſura indicari poteſt, quamvis communiori modo circiter tantum excerni velint, ut ſpacium ovi anſerini eo compleri poſſit. Durante hoc fluxu arceri debet menſtrualis à cadis vinariis, acetariis, ollisque conditariis, quamvis enim florente ſanitate fruentes adeò venenata effluvia & corruptiva myasmata non exhalent, ut vulgatus rumor fert, attamen cum ſciri ex aſpectu vix poſſit, quænam præ altera plus ſit innoxia, ſatius eſt cum cujuslibet menſtruoſæ acceſſu attactuque prædictorum æquales tamdiu inducias paciſci, donec hoſtilis cruor ſit ejectus.

Doctrina methodica de uſu cruoris menſtrui. Uſum hujus cruoris Authores volunt eſſe, ut formandus in utero fœtus ex eo materiam corpusculi accipiat, & augmenti ejusdem, natoque jam infante in lac mutetur, & in ubera derivetur pro conſimili materia appoſitionis & nutritionis omnium infantis membrorum.

Helmontii dogma. Illuſtris tamen Helmontius cum hac methodica doctrina non conconſentit, ſed eidem in tract. lunare tributum, ſuam opponit ſequentem: Imprimis lunam non accumulare vel expellere hunc cruorem, licet uteri purgatio coincidat cum curſu lunæ. Nam iſtud coincidere utrique termino eſſe per accidens. Etenim alioqui ſi iſta muliebris purgatio à luna ipſa eſſet, ſaltem quæ in eodem habitaret climate eſſent menſtruæ, vel ſaltem juvenculæ omnes cum novilunio idem pariter paterentur, quod falſum ſit, etenim ſi aliquot naves Prætoriam aut Tribunitiam unam ſequantur, obſcurâ nocte laternam pro finali habentem, laternam quidem ſignum duntaxat ſequelæ præbere, ſed ventum, clavum clavique rectores fore cauſam immediatam efficientem inſecutionis. Sic lunam inſtar facis ſeptimanis quatuor & horis ſex abſolvere penſum circuli; ſic etiam mulierem ob rationes mox addendas. Mulierem enim conceptam genituram de ſuo augere, atque alere debuiſſe in juſtam fœtus proceritatem, editumque infantem ſuo cruore in lac verſo paſcere; ergò neceſſe habuerit copioſiore cruore, ideòque dum in in ejusmodi fines non abſorberetur, ſuperfluus quoq; fieret, & per conſequens excerni. Imò quanquam mulier multò minus edat bibatq; quàm vir, pluri tamen cruore ſcateat, id eſt officina cruoris plus ſangvinis efficiat in muliere quàm in viris etiam è parciori edulio atque potu. Unde neceſſariò demum conſequatur, plus in muliere in alimentum utile verti; & plus in viro in excrementa mutari. At ut conſtet quis qualisve ſit cruor ille ſuperfluus, ſciant omnes, quod cruor humanus renovari debeat dierum ſpatio, quo luna per zodiacum ſingulos metiatur curſus. Iſtud nempe eſſe ſpatium, quo cruor ſuo cuſtodiatur balſamo, & diutius reſervatus corrumpatur.

 Siqui-

Siquidem qui cruore abundet, neceſſe ſit, ut in vitæ familiam eundem alendo abſumat, vel in pingvedinem, phlegmata laticis, ſcoriasve alias, ſudorem vel excrementa morboſa transmutet. Mulier enim poros habeat exiguos, carnoſa membrana ſubter epidermide ipſi multo adipe dives ſit, neque ideò poſſit in alimoniam abſumi, quantum ſuperabundantis in ſe cruoris indies conficiat. Nacta ergò meta curſus cruoris effœtus fiat omnis ſuperfluus, quem proinde ejicere ſatagat natura, eumpue ad venas uteri tanquam deſtinata emunctoria ſequeſtret. Ad loca quippe illa propria, nec item aliena cruor recedat, eò quod ob fines jam narratos menſtruum ſolius ſit muliebris cruoris ſuperfluitas. Fiatque oneroſus ipſo titulo, quo ſuperfluus, eòque adhuc magis, quod tum exuat ſpiritum vitalem, non ſecus atque vina quædam exacto anno vappa fiant. His igitur finibus & modis cruor fiat excrementum, dein virus, viresque in pejus acquirat eundo. Tandem autem recentis cadaveris proprietates horridas aſſumat. Propterea nempe menſtruum primorum dierum magis eſſe infectum, quàm quod ſubſecutivis diebus effluat. Nam tametſi expulſio menſtrui ſit venarum propriarum munus, attamen ejusdem collectio prout & renovatio ac ſequeſtratio pertineant ad monarchialem uteri Archeum. Ideò nempe exoſum maximè celerius foras ejiciatur, quo prius à bono cruore ſecreverit, & hactenus diutius circa uteri venas detentus, atque ob id virulentior magis.

Denique etſi hoc virùs ſpecie cruoris ludat, depoſito tamen vitalis balſami favore per gradus ad liquaminis cadaveroſi malignitatem adſcendens aſſumat veneni indolem, & à priſtinis cruoris natura & proprietatibus degenerarit, quod probet mechanica. Siquidem linteum menſtruo tinctum ſi demergatur in aquam bullientem, maculam contrahat imposterum indelibilem, quæque tertia ſaltem elotione excidat è linteo foraminato, non ſecus ac ſi ſpiritu ſulphuris acido corroſum foret. Id quod cruori humano aliàs ſit exoticum, ſive per nares, vulnera, hæmorrhoides vel dyſenteriam profluxerit, vel demum ſi lividioris grumi inſtar ab ulceribus exciderit; unde quoque conſtet, menſtruum habere proprietatem aluminoſam tinctoriam, ac præterea cadaveroſum virus acutum eroſioni aptum. Quatenus autem ſemel ſigillo vitalis Archei potiretur, quo dein privatum, vim fermentalem, potenti contagio plenam, hoſtilesq; acerbitates nanciſcatur. Cruor enim iſte diverſis malitiæ gradibus varia intus miſeræ mulieri pathemata concitet, nam ubi ſemel ad venarum uteri hoſpotia, à cætero cruore ſequeſtratus malignitatis præfatam acrimoniam ſuſceperit, atque inde retrogrado revulſionis motu (qui fiat vel per largas venæſectiones, vel uteri ſymptomaticas excandeſcentias profluviorum concitatrices) intra venæ cavæ caudices reſorbeatur, ſynco-

Proprietas aluminoſa in menſtruo ſangvine.

ſyncopes, palpitationes, convulſiones & non rarò ſtrangulationes horribiles efficiat.. At ſi cruor menſtruus nondum ad uteri venas deductus, aut planè à reliquo ſecretus, adeòque nec dum ultimam perniciem habuerit, inordinatione quapiam detineatur, variaque ſymptomata paſſim conſpicua excitet. Ex præfatis igitur liqueat, prægnantes, nutrices, infirmas, exſangves emaciatas, impuberes & vetulas carere menſtruis, quia & ſuperfluis. Falſum quoque eſſe, omnem cruorem menſtruum, absque diſtinctione eſſe venenoſum, vel innocuum, itemq; quod in utero nutriamur, grandeſcamusque ex menſtruo. Siquidem cruor muliebris non ante conditionem habeat menſtrui, quàm dum nutritioni ineptus, vitâ effœtus, vinctusque ducatur ad cloacam. Neq; enim qui vinum potet, bibat acetum, licet hoc ex illo fiat: ut neque excrementis veſcatur, qui cibos edat. Imò quod amplius ſit, cruor qui in vel mox à partu excernatut, non ſit menſtruus, defectu conditionis, eò quod non ſit à præcedenti lunæ curſu ſuperfluus. Dein etiam quia non coacervatus, carnoſus, non aluminoſus, non tingens lintea, nec à toto ſegregatus, nec ad loca uteri proſcriptus ad expulſionem. Ille enim qui copioſus ſub & poſt partum excernatur, quoque retento mox dein febris delira interitum minetur, cruor quidem ſit, non tamen matris menſtruum; relictus enim ſit à fœtu, qui cum ab empſychoſi proprio victitaret orbe, culinam habuerit extra ſe in vaſis uteri. Quapropter aliam ſibi adſciverit proprietatem quàm matris & quàm menſtrui. Hoſpes enim ille cruoris menſtrui quidem habeat ſpeciem; alienæ tamen familiæ adoptivus & matri factus exoticus ſeriò ſit expellendus, non aliàs ſanè quàm ipſæmet ſecundinæ. Omiſſus verò atque derelictus corrumpatur & mortem inferat.

Cæterùm cum in prægnante nullum prorſus ſit menſtruum, per conſequens nec fœtus illo alatur, ſed puro ſangvine matris, putoque cruore dein, prius adhuc ſuis culinis depurato. Falli ergò ſcholas docentes exanthemata, morbillos ſeu variolas unicuique propemodùm mortalium deberi propter tributum alimenti menſtrui. Etenim obſervaſſe, rarò aliquem bis feriri iſto morbo, rariusque fortè ab illo excuſari; quapropter communem indagantes cauſam, effectum, unde fœtus nutriretur initio, in menſtruum retuliſſe.

Aſt in omnibus citra rerum cognitionem ſibi mutuò ſubſcripſiſſe in fabulas & conjecturas lapſas eſſe. Imprimis namque non conſideraſſe, impoſſibile fore, iſto morbo immunem fieri quempiam, ſi pariter menſtruo nutriantur indifferenter omnes. Deinde quod certo, uno, ac ſtatuto velut criſeos termino affligerentur.

Fatendum quidem variolas è veneno ſcaturire, virusque ſecum ducere, ſuo fermento cruorem inficere, alioſque aſtantes (præcipuè verò pueros) contaminare, quodque venenorum eſſentia non ſit demon-

ſtrabilis à priori; adeòque per effectas proprietatem veneni metiamur. Prout à fructibus arborem. 1. Ergò venenum variolarum eſſe duntaxat humanæ ſpeciei proprium. 2. Naturam facilè pronam ad fabricandum illud. 3. Accendi autem circa ſtomachum, adeòque in centro corporis. 4. Partes ſemel hoc veneno obſeſſas, illud à ſe repellere ociſſimè verſus ſuperficiem. 5. Officinas illius veneni poſtquam ſemel ejus tyrannidem ſenſerint, hoſtili deinde averſione & horrore edoctus magna præcautione illius generationem vel ab ipſo initio præpedire, ne, uti prius, incautè in illud incidant. Ergò venenum fiat in homine, non autem illi connatum ex menſtruo. Quale autem iſtud ſit, deſcribi nomine nequeat, quia proprium nomen extra effectus non habeat. Sufficere hoc loco, non poſſe menſtruum in cauſam trahi ob antedicta. Peccare ergò primum menſtruum in materia propter ſolam abundantiam, dein gradum ſubire, ut primus ſit, quo cruor ille à præcedenti lunæ curſu ſit ſuperfluus, alter autem ſimulatque ſeparetur à reliquo, tertius verò dum circa uteri vaſa deputatus reſederit. Quartus qui aliquantiſper ibidem hæſerit, & viam mortis intraverit, ultimus tandem, dum jam ut cadaver & in auras elapſus ſit. Peccari ergò à ſcholis per venæſectiones, dum virgines ex parte menſtrui palpitationem ſentientes ſuccurrere ſatagant ſine diſtinctione. Nam quanquam menſtruum primi gradus per phlebotomiam revulſum palpitationes ſedet, in tertio tamen menſtrui gradu exitiale remedium ſe prædixiſſe Archiatris. Eò quod inanitis brachii aut poplitum venis retrotractum menſtruum à viciniis uteri in venas ſe obſervaſſe. Siquidem quæ inaniantur, non maneant inanitæ, ſed communione continuitatis repleantur iterum; ſicque poſt ingentes palpitationes pulſuumque intermiſſorum pauſas, vel poſt ſubſequentes laterum dolores acutiſſimos ex utero (propter nimirum virus aluminoſum tertii gradus) virgines repentè extinctas propter phlebotomiam ſe invito inſtitutam. In primo quidem gradu dematur abundantia cruoris.

At minus malum licet pars effœti cruoris ſuperſtes relinquatur. Malle ſe equidem naturam in ſequeſtratione & expulſione juvare, quàm indiſtinctum cruorem hauriendo naturam debilitaſſe. Iſtud adhuc notabile, quod licet (ipſus Helmontius) morbos per digeſtionum claſſes diſtinxerit, menſtrui tamen mentionem vix feciſſet, eò quod menſtruum nec digeratur, neque digeſtionis ſit recrementum, adeòque alterius ſit conditionis. Nam primò peccet abundantia bona, dein ſuperfluitate oneroſâ, mox privetur vitâ & virus evadat; porcos tamen ſanet in lepram vergentes, prout & confeſtim equos ex potu intempeſtivo contractos, ſi tantillum menſtrui potitent. Itemque menſtruum alterius mulieris virulentum atque verum paucis guttis exhibitum confeſtim

Menſtruum ſanat inſtantem lepram porcorum.

ſtran-

ſtrangularit mulierem profluvio laborantem. Cruor autem qui tantùm in profluviis copioſus excernatur, paucis guttis potus profluvia ſiſtat. Porrò quod ſola mulier (demtâ fortè ſimiâ) menſtrua patiatur, ac licet menſtrua ſolam accuſent abundantiam; vacca tamen ubere arefacto non patiatur menſtruum, aliàs plurimo diffluat lacte; denotans quod cruoris abundantia ſit quidem cauſa materialis, at non proinde finalis, quamque ideò inter naturales non redegerit eò; quod ſolus Omnipotens omnes omnium fines cauſales intra ſe claudat, qui cuncta ſvaviter disponat pro inſcrutabili judiciorum ſuorum abyſſo. At ſi lubeat cauſam hujus inquirere, certum ſit, Evam poſt eſum vetiti pomi prurigini libidinis ſe ſubnoxiam feciſſe, virum in congreſſus excitaſſe & admiſiſſe, hincque conceptam naturam humanam corruptam atque degenerem deinceps perſeverantem. Cujus corruptionis ergò poſteri incomparabili puritate orbi ſint. Unde conjecturæ locus, quod Eva per membrum, quo multis ærumnis ſubnoxia evaſerit, teſtari debeat apud poſteros lapſus ſui ſucceſſivam culpam, & cruentam deturpationem in natura. Etenim pars, qua imago Dei ex ſancto ſpiritu concipi deberet, cloaca ſordium evaſerit, teſteturque abuſum & culpam peccati indelebilis, ideòque & toleret. Quia in dolore paries filios brutorum inſtar, quia deinceps brutorum more concipies. Namque iſtam maledictionem introiviſſe in naturam & permanſurum. Atque eadem lege etiam menſtrui neceſſitatem. Ante peccatum enim clauſo utero egreſſus fœtus dolorem non cauſaſſet. Quocirca ex præmiſſis argumentari liceat, incomparabilem Dei Genitricem virginem Arcam fœderis corruptionem nullam in ſe unquam admiſiſſe, & per conſequens nunquam menſtruo obnoxiam, ut neque muliebres incommoditates paſſam, quippe quæ meritò lunam, lunæque proprietates Divino nutu pedibus ſubſtratam habeat. Hæc Helmontius.

Menſtruorum quoque mentionem facit Divinus ſenex ſequentibus locis:

Menſtruis abundantibus morbi eveniunt. lib. 5. aphor. 57

Iisdemque ſubſiſtentibus morbi accidunt ab utero. 5. 57

Menſtruis prima vice erumpentibus prægreſſi morbi terminari ſolent. 3. 28

Vel conſeneſcere. 3. 28

Menſibus decoloribus & inordinatè fluentibus purgatio eſt neceſſaria. 5. 36

Podagra in fœminis fit à defectu menſtruorum. 6. 29

Educuntur ſuffitu aromatum. 5. 28

Siſtuntur cucurbitulâ quam maximâ ad mammas appoſitâ. 5. 50

In defectu menſium lac poteſt in mammis eſſe extra prægnationem vel lactationem. 5. 39

In defectu menſtruorum hæmorrhagia narium confert. 5. 33

Vomi-

Vomitus ſangvinis menſibus erumpentibus ceſſat. 5. 32

Menſibus in prægnante ordinatè fluentibus fœtus integra valetudo impoſſibilis eſt. 5. 60

In menſium profluvio convulſio & animi defectus, malum. 5. 56

Menſibus ceſſantibus absque horrore ac febre, cum cibi faſtidio prægnationem denotat. 5. 61

Sanæ mulieri ſangvis menſtruus exit victimæ jugulatæ ſangvini ſimilis rubens. *lib. de morb. muli.*

Effluit autem duarum heminarum Atthicarum menſurâ. *ibid.*

Aquoſis mulieribus diu menſes durant, & ni crebrò fluant intumeſcunt quam celerrimè. *6. epid. 1. aph. 7.*

Jam ad inſtitutum properemus dicturi.

DE MENSIUM SUPPRESSIONE PRÆTERNATURALI.

EPræmiſſis patet, quibusnam virginibus & fœminis menſes fluere vel vacare debeant, & quonam tempore, nimirum utplurimum ab anno decimo quarto ad annum usque circiter quadrageſimum quintum vel paulo diutius juxta vulgarem curſum, ſub primam autem eorum collectionem virgines pubeſcunt, & mammæ ipſis intumeſcunt, ita ut ad duos digitos ubera ipſis promineant, vox quoque fit aliquantulum aſperior & gravior, ſtimuloque veneris deſiderioque experimenti matrimonialis maximoperè incitantur, maxima tamen in quamplurimis occurrit diverſitas, patientibus quibusdam fluxum copioſum, aliis parcum, aliis velociorem, aliis tardiorem, aquoſiorem, meraciorem, pluribusque differentiis interſtinctum pro variâ temperamentorum diverſitate; abundantes enim ſangvine multo & fervido citius & crebrius cruentationem menſtruam emittunt, craſſo autem modico ac lento ſangvine ditatæ tardiorem & parciorem repurgationem experiuntur, quædam menſibus ſingulis, aliæ alternis, vel majori ſpatio interjecto, redeunte poſtmodum fluxu adeò confertim, ut valdè debilitentur, diverſa quoque vitæ ratio multum parit diſcrimen, quæ ſi plenior ſit, otioſa, temperamenti frigidioris, item tenuitas ſangvinis vel acrimonia, vaſorum amplitudo, hæc & ſimilia copioſius effluvium parant, adhæc in quantitate, & tempore menſtrua multum variant, quædam enim per duos ſaltem tresve dies fluorem habent, aliis ad quintum, imo ſextum & ſeptimum diem usque durat, ſcilicet quibus copioſus eſt ſangvis, cunctæ tamen utplurimum initio & fine tenuiorem & pauciorem emittunt purgationem, intermedio autem ſpatio abundantiorem & craſſiorem; Cruor quoque in fluore ſuo paulatim usque ad ætatis vigorem augeſcit, tum verò aliquandiu æqualitatem ſervat, ita ut neque creſcat

ſcat vel minuatur, poſtmodum iterum inclinat ad finem vergendo, paulatimque rurſum minuitur, donec omninò ceſſet & deſinat. Quibus etiam nimis præmaturè incipit, in hisce plerunque quoque eò citerius ceſſare,& brevioris vitæ ſignum eſſe ſolet, in tardiori eruptione contrario modo.

Quædam omninò non,vel admodum paucos menſes eliminant, nimirum cantatrices, ſaltatrices,equitatrices, agreſtes vehementibusque exercitiis & laboribus deditæ, quoniam ſuperfluitates in iſtis per labores abſumuntur; hic autem ſermo eſt de hisce quæ purgationis legi omnino obnoxiæ ſunt, purgatione tamen menſtruâ vel penitus deſtituuntur, vel non ſufficienter repurgantur,quod inde cognoſcitur,quod manifeſtè ob retentos menſes læduntur, variisq; ſymptomatis morboſis afficiuntur.

Signa ſuppreſſionis menſium.

Innoteſcit autem præcipuè ejusmodi læſio hisce ſignis: primò vultus facieique color fœdus eſt, nempe luridus, pallidus, innaturaliter albus, lividds, vel vireſcens, appetitus langvet, ac in faſtidium ciborum convertitur, totum corpus graveſcit, ſynciput, lumbi, ac crura doloribus vexantur, imus venter torminibus lancinatur, pedes intumeſcunt, urina nigricante rubore conſpicitur inſtar lixivii ſpiſſi, accedente ſubinde febricula ardente, ſi caliditatis cauſa ſtagnantium menſium ſublateat, crebrius tamen pituita viſcida obſtructioni anſam dedit, & tunc albens cruditatis color lotium inficit, concurrente cum ſignis cruditatum plerunque pedum tumore, corporis & imprimis faciei laxitate & palliditate; quibusdam inſtante menſtruationis periodo exiguum admodum exeuntis albi vel rubei ſignum interdum apparet, at non cum condigno ſucceſſu exonerationis, ideò incipiente at non legitimè ſuccedente motu magis gravatæ partes exaſperantur, ita ut poſt duos vel tres dies ægrotantes de capite, pectore, lumbis, ventre & artubus dolentibus & gravitate tenſioneque obſeſſis conquerantur, vellicato quoque pectine & ingvine, hypochondria ſubinde vagabundis vaporibus & dolorifica perreptatione, vexantur, conturbato unà capite, cervice, ſpina, pulmonibusque frequentius compreſſis & difficili reſpiratione affectis, hinc à crudis flatibus non infrequentes ſonitus aurium, tenebricoſa obfumatio oculorum, vertigo, rubor, fervor vel pallor vultus, inflatio uberum, anorexia, muliebrium ſiccitas, imprimis inſtante tempore purgationis, eâ tamen non ſequente, ſed in diutinam ſuppreſſionem abeunte, quibusdam tumor accidit in ilibus, phymaque ſeu panus in extrema eorum parte exoritur in ſuppurationem abiens, diutinumque & difficulter ſanabilem abſceſſum efficiens, horror inæqualis cum febrili interdum paroxysmo totum corpus invadit, cum dolore & gravitate regionis uteri & coxæ, fitque ſubinde febris tam ardens, ut obſcurè urina rubeat, faciemque præ ſe gerat, ac ſi

lotura recentis carnis fuligine contemperata eſſet, quæ in nonnullis cum ſtranguria vel dyſuria prodit, vel omninò ſupprimitur.

Cauſæ. Cauſæ obſtructionis & ſuppreſſionis menſium variæ eſſe poſſunt, quarum vulgariores plerunque ſunt: vel guloſitas, quâ tales ægræ communiter affectæ varias delicatas offulas abligurire percupiunt, & quodcunque edulenti aſpiciunt, mox ſalivante appetitu ad illud deguſtandum feruntur, ſæpèque per totum diem multifaria devoratione occupantur, jam vorantes poma, nunc fraga, lac, caſeum, farcimina, artocreata, cucumeres, pyra, ficus, condyta, olera, lactucam, fungos, carnes, petaſiones. rapa, raphanum, nuces, mel, ſacharum, innumeraque alia nunc cruda nunc cocta, ac in maxima quantitate, adeò ut venter ſæpè inſtar prægnantis turgeat, bibentes deſuper nunc cereviſiam, nunc vinum, nunc crudam aquam, nunc ſerum vel lac ebutyratum, imò non raro deſtillata ut aquam cinamomi, ſpiritum vini, lilii convallii, aquas vitæ, pluraque alia, unde à tanta farragine plerunq; ventriculus debilitatur, vel omnino corrumpitur, officioque concoquendi rectè amplius fungi non poteſt, gignuntur ergò cruditates, muci, viſciditates, amurcæ, mucagines, coagula, variæque indigeſtibilitates limoſæ, ſebaceæ alteriusve indolis, quibus meatus viſcerum obſtruuntur. Vel etiam animi affectus, quibus pleræque fœminæ ſibi nocentiſſimæ ſunt, imprimis iracundiâ bilioſiſſimâ, zelotypiâ, mœrore, curisve aſſiduis, quædam etiam ex terrore repentino, immodico timore à tyrannicis maritis in hunc affectum incidunt. Aliæ ex avaritia & parſimonia ſeipſas defraudantes, & nunquam ferè ad ſatietatem comedentes, non enim tantùm ſupra ſed & infra modum ingeſta alimenta viſcera pervertunt, continuatâ enim nimiâ modicitate ſpacia fiunt contractiora, donec demum in minutis vaſculis penitus conniveant, tranſitumque denegent: item cibi craſſi & frigidi, potusque aquæ frigidæ ſangvinem incraſſant, conſtringunt & calidum nativum infringunt, quod & fit deſidiâ, otio, & exercitiorum intermiſſione, quemadmodum enim rivi continuò fluentes clari & lympidi manent, torrentium verò ſtagnantes aquæ inſpiſſantur, & undique villoſum muſcum, viridem cuticulam, nec non lenticuloſam ſuperficiem acquirunt, ita quoque vita penitus otioſa & deſidioſa ſangvinem incraſſat, caloremque extingvit, & corpus obeſat, ubi ſangvis non modò minuitur, ſed in pingvedinem quoque tranſit, ceſſantque non modò menſes, ſed & omnis conceptio.

Similiter & plurima evacuatio imprimis ſangvinis per venæſectionem immodicè largam, hæmorrhagiam, dyſenteriam, venæ ruptionem, fluxum lochiorum in partu exceſſivũ, quales plerunq; poſtmodum aliquot terminos purgationis menſtruæ vacuos prætermittunt: itẽ alimenta vel pharmaca peculiari qualitate

litate menſes ſtringentia incogitanter ingeſta, vel talia quædam foris in balneis vel aliter adhibita, quod & quęvis externa perfrigeratio efficere poteſt, unde lotrices, taleſq;, quibus pedibus multum in aquâ frigidâ immorandum venit, ſæpius hoc malum incurrunt. Denique quibus magnus labor, fortisque corporis motio & exercitatio incumbit, per tranſpirationem, multamque ſudationem ſuperfluitatem ſangvinis inſtar marium difflabilem reddunt, & partim parcè, partim omninò non menſtruas periodos experiuntur.

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, talium exempla indies obvia ſunt, quæ ex ſuppreſſione menſtruorum cachexiam & hydropem incurrunt, idque paulatim per gradus à Divino ſene lib. de morbis mulierum deſcriptos verbis hisce: *Tertio* (inquit) *menſe poſt ſuppreſſa menſtrua incipiunt ſentire ſuffocationes & horrores, lumborum gravitatem & quandoque febrem. Quod ſi ſuppreſſio diutius perſeveret, jam illis obdureſcit venter, urina copioſior mingitur, cibi faſtidium & vigiliæ ingraveſcunt, ita ut inter dormiendum dentibus ſtrideat, & ſi adhuc retineantur, quinto menſe his omnibus, & maximè doloribus urgebitur gravius, ſed ſexto menſe inſanabilis morbus redditur, qui antea curari poterat; & cum hoc anxia fit, & animo linquitur, pituitam vomit, ſiti magnâ vexabitur, dolebunt partes ventris & pectinis, febris accedet, ſupprimenturque alvi excrementa, atque veſicæ, ſpina dorſi dolore vexabitur, & quaſi balbutiet. Poſthac autem intumeſcunt crura, pedes, venter, & urina mingitur rubra, ſangvineaque, & dolor totum occupat corpus, maximè collum, ſpinam & ingvina, atque ſic moriuntur ſcilicet ex hydrope.* Quamvis autem hæc non perpetuò ita eveniant, imprimis quod poſt ſextum menſem inſanabilis fiat, cum nos ipſi ſuppreſſionem menſium triennalem ſanaverimus, ſciendum tamen eſt, Hippocratem loqui de communiori contingentia, quod nimirum communiter & plerunque ita ſoleat contingere, nullatenus ſubintellectis omnibus, non enim omnes confirmatâ ſuppreſſione oppreſſæ fiunt hydropicæ, ſed aliæ aliis malis ſuccumbunt, ut ſunt: apoplexia, vomitus ſangvinis, melancholica inſania, mania, epilepſia, ſterilitas, uteri ſuffocatio, inflammatio, corruptio, exulceratio, cancer, dolores & cruciatus vehementes, aſthma, cephalalgia, ophthalmia, ſuppreſſio urinæ & fæcum ventris, triſtitia, colica, podagra, arthritis, icterus uterinus, ſeu color univerſæ cutis fœdus, febris, furunculi, impetigo, cordis palpitatio, deliquium, appetitus & concoctionis ſubverſio, uno verbo: morbus ex morbo, morboſæque ſarcinæ gravis ad mortem portatio.

Curationis indicatio eſt, ut in his quæ ex multa voratione affectus cauſam ſibi fabricarunt, corporis evacuatio inſtituatur, eaque in pituitoſis fortior, præmiſſa corporis præparatione, in hunc modum ordinata: Curatio.

 ℞. rad.

Vinum medicatum.

℞. rad. bryon.
dictamn. alb.
imperator. an. ℥ſ.
fol. matricar.
artemiſ.
puleg.
ſabin. an. m. ß
ſem. fœnic.
dauci
petroſelin. an. ʒj.
macis ʒſ.
croci ℈ſ.

Inciſa & craſſo modo contuſa inſuantur ſacculo, ac ſuperfundatur vini albi menſ. 1. ſeu circiter lib. III. vel IV. factaque per horas 24. maceratione in obturato cantharo, de hoc vino omni mane circiter ℥IV. bibantur, deinde die tertio vel quarto à bibitionis hujus vini inceptione accipiat ægra circiter gran. XV. pilular. mercurialium initio hujus libri inter cathartica edoctarum, quibus ſuppreſſionem trium annorum curavimus, vel ſequentes:

Pilulæ.

℞. maſſ. pil. fœtid. maj.
aloëphangin. an. gr. XV.
reſin. jalapp. gran. VI.
tartari vitriolat. gr. V.
ol. menth. ſtillatit. vel macis gr. ij.
m. f. pil. XV.

Poſtmodum exhibeatur ſequens mixtura probata:

Mixtura probata.

℞. eſſent. caſtor. gutt. iij.
ol. aneth. gutt. V.
meliſſ. g. IV.
ſuccin.
roriſmarin. an. g. iij.

m. aſſumantur omni manè aliquot guttæ in aq. meliſſ. corpuſque ambulatione exerceatur. Vel detur ſolummodò oleum deſtillatum ſabinæ, fortiſſimè enim ciet, modò ne ſuſpectis tradatur.

Succi quoque calendulæ ℥j. cum ʒſ. vel ʒj. pulv. lumbricor. terreſtr. experimentum eſt.

Quum verò ipſe Author propoſitis remediis ad hunc affectum expertis uberrimus ſit, plura heic ſubjicere neceſſarium non eſt, ſed convertimus nos ad ea, quæ ſvadet

TEXTUS:

Menſtrua ſuppreſſa multorum malorum cauſæ, quemadmodùm ipſorum excretio naturalis à multis morbis mulieres præſervat, quare huic malo citò occurrendum, ne natura aſveta deſveſcat ab excretione.

Suppreſſorum menſium cauſæ diligenter ſunt inveſtigandæ. Sic nimirum facilius per communia auxilia malum tollitur.

Plerunque totum corpus ſcatet pravis humoribus: ante omnia igitur illud ab ejuſmodi impuritatibus liberandum eſt.

Utilia ſunt: mercurius dulcis, panchymagogon vegetabile, extractum ſenæ, mechoacannæ, rhabarbari, imprimis verò ſpecificum purgans Paracelſi, & extractum ellebori nigri multum quoque prodeſt præſertim agreſtioribus. Purgantia.

Quod ſi verò obſtructiones fuerint evidentes, tartarus vitriolatus, item cremor tartari præmitten-

mittenda ſunt, & tandem ad purgationes deveniendum.

Specifica. *Hinc ſpecifica accerſenda ſunt ut:*

1. Eſſentia croci martis, de qua notas ad Crollium vide.

2. Malvaticum martiale, de quo ſupra de imbecillitate epatis.

3. Pulvis cachecticus ex chalybe præparatus, de quo ſupra de obſtructione epatis.

4. Extractum epatis bovini, de quo infra, decoctum ſplenis bovis, vide in Quercetani Pharmacopœa reſtituta cap. 9. de decoctis.

5. Aqua deſtillata ex allio, item ex ſabina, quæ vel per ſe exhibetur doſi cochlearis unius vel alterius, vel poſſunt eſſe vehicula, quibus reliqua ſpecifica intrò ſumi debent.

6. Olei ſabinæ gutt. IV. vel V. in vehiculo præallegato datum menſes movet. Huc faciunt (a) *decocta alia uſitata, item fomentationes, infuſiones, pedilavia, phlebotomia &c.*

(a) Quæcunque efficacia ſunt ad obſtructiones hepatis & ſplenis reſerandas, etiam potenter ſuppresſum hunc fluxum reducunt, depravatumque ſangvinem corrigunt, ad ea ergò in dictis locis recurrendum.

Nota: *Hæc omnia infeliciter ſucceſſerint, niſi præſtitutum tempus optimè obſervetur; hinc verſiculus:*

Luna vetus veteres; juvenes nova luna repurgat.

Quin imò natura ipſa ſæpiſſimè ſtato tempore nonnulla ſigna edit fluendorum menſium, quos tamen niſi adjuta promovere nequit; illa ſunt: dolor lumborum, ventris, pectinis, item crurum & pedum gravitates & laſſitudo, difficultas anhelitus, hypochondriorum tenſio, capitis dolor & gravedo, quæ omnia dextrè obſervanda ſunt, alioquin rarò, imò nunquam expectatum effectum adipiſcemur.

Quod ſi omnia concurrant quidem, nec tamen obſtructio ſolvitur, plerumque vitium in ipſo utero eſt, quod impedit. Id quod certiſſimè deprehenditur, ſi poſteaquam omnia facta fuerint ſine effectu ſubſequente, ut tandem ad tale ſuffumigium perveniamus.

℞. ſcorias reguli antimonii, coque in lixivio cinerum fagi, ut extrahatur rubedo. Hujus partibus quatuor admiſce vini malvatici partem unam. Hujus mixturæ cochleare unum atque alterum vel plura funde ſuper ſilices vel recrementa ferri candentia, & patiens excipiat fumum ad lochia. Id quod tamen juſto tempore, ut cætera faciendum fuerit, & menſes proſiliunt proſpero cum ſucceſſu. Suffumigium ultimum.

Plura menſes moventia vide ſupra de cachexia.

Quod ſi verò etiam poſt reiteratam hanc ſuffumigationem menſes nunquam fluent, & natura aliter atque aliter conformata, tandem ſuo tempore meliorabitur.

Suppreſſorum menſium cura non tentanda eſt in fœminis, quæ aut ſteriles, aut nullum inde incommodum ſentiunt, aut in gravidis, & quibus nunquam fluxerunt, nec in iis, quæ cachexiâ aliquâ laborant, ſiquidem ob ſangvinis inopiam morbo tentatæ ſunt, aut quibus per nares hæmorrhoidesve multum ſangvinis evacuatum eſt: in quibus aut cachexia emendanda, aut vires reſtaurandæ, aut fluxus dicti ſupprimendi, niſi fortè tales accidant ob ſuppreſſos menſes: quod ſi fiat, medicamentis hæmagogis malum omninò tollendum: quod ſi verò ob vaſorum obſtructionem fiat ſangvinis ſuppreſſio in iis, quibus fluere convenit, aut per naturam debet, cura aggredienda eo tempore, aut paulò ante, quo menſes fluere conſvevere.

Curatio autem à pharmaco materiam in primis viis exiſtentem minuente ſtatim inchoanda, & hinc quæ deobſtruant, præſcribenda:

Apozema.

℞. *rad. fœniculi*
petroſelini
aſparagi an. ℥ſ.
ſarſæparillæ ʒiij.
herb. agrimoniæ
linguæ cervinæ
ceterach
cuſcutæ an. m. ſ.
ſem. aniſi ʒij.
coriandri præparati ʒj.
flor. bugloſſæ
borraginis
betonicæ an. p. j.
paſſularum minorum ℥j.
coque in ſ. q. aquæ ad ℥XII.
colaturæ adde ſyrupi de quinque radic. ℥iij.
de cichor. c. rhab. ℥ij.
m. f. apozema pro 4. doſibus.

In ſecunda doſi, ſi prima non ſatis deturbat alvum, exhibe ſpecierum diaturb. cum rhabarbaro à ℈ſ. *ad* ℈j. *aut* ℞. *pil. aurear.* (b) *cum diagrid. gran IV. f. pilulæ parvæ tres cum apozemate degluttiendæ.*

(b) Author non vult ſeorſim addendum eſſe maſſæ pilularum aurear. diagridium, quippe quod jam pridem compoſitionem iſtarum pilular. ingrediatur, ſed integræ maſſæ cum diagridio 4. gran. recipienda aſſe. ſed qualis purgatio à tantilla doſi cieri poterit, cum una doſis apozematis ſaltem ℥ſ. ſyr. de cichor. c. rhabarb. contineat, cujus vix triplum ad purgandum pro doſi ſufficeret, utriusque ergò doſis vel triplo augenda

genda eſt, ſi legitimam velis evacuationem inſtituere.

In ultima doſi diſſolve oxymellitis helleborati majoris ℥j. aut utatur dicto apozemate loco digeſtivi tantùm, & purgetur diacarthamo, extracto panchymagogo, mercurio eſſentificato, aut ſimili medicamento, aut fiat ſyrupus magiſtralis:

Syrupus magiſtralis.

℞. rad. polypodii ℥ſ.
ellebori nigri præparat. ʒiiſ.
fol. ſenæ ℥iſ.
ſem. aniſi ʒj.
flor. bugloſſ. ʒiij.
calami aromatici ʒſ.
zingiberis ℈j.

Infunde in ſ.q. decocti aperitivi in loco tepido per noctem. Manè coque ad ℥VI. exprimantur; colaturæ adde ſyr. de quinque radic. oxymellitis helleborati majoris an. ℥iſ.
ſyrup. de ſucco bugloſſæ ℥ij.
ſach. q.ſ.f. ſyrupus liquidus pro 4. doſibus.

Hinc prodeſt per tres dies exhibere ℥ſ. tartari vitriolati in ſyrupo artemiſiæ cum aqua pulegii diſſoluti, appoſito ſubinde & ſæpius in die cataplaſmate ex hedera terreſtri cum vino facto regione lienis, & pedes laventur decocto artemiſiæ, origani, ſerpilli, aſari.

Utatur hinc ſingulis matutinis croco martis ad ʒj. in tabulis v.g.

℞. croci martis aperitivi, aut limaturæ chalybis præparatæ ſequente modo: ℞. lymaturæ chalybis q.v. irrigetur aquâ ſimplici purâ, in qua parum ſalis abſynthii diſſolutum ſit, relinquatur in loco frigido ſicco: ubi exſiccata fuerit, teratur & denuò imbibatur, idq; tamdiu, donec ſponte ſua poſtea leni attritu in pulverem ſubflavum fuerit redacta. Hujus ℞. ℥j. ſachari in aqua bugloſſ. ſoluti ℔ſ. ol. cinamomi aut charyophyllorum aut ſuccini ℈ſ f. tabulæ, quarum ſingulæ ponderent ʒVI. capiat ſingulo mane unam & incipiat VIII. diebus ante menſium egreſſionem ſolitam. Aut fiat electuarium de ſcoria ferri, quod

Croci martis præparatio.

Tabulæ.

Electuarium de ſcoria ferri.

℞. limaturæ chalybis præparatæ aut croci martis ℥ſ.
pulv. cinamomi
ſabinæ an. ʒſ.
cortic. tamariſc. ʒj.
ſpec. aromat. roſat. ʒiſ.
nuc. moſchat. condit. ʒiij.
mellis roſati aut anthoſati ℥iſ
ſachari ℥ij.

m. ſuper lentum ignem & f. electuarium, de quo capiat ad magnitudinem nucis juglandis manè tribus horis ante prandium.

Inſtante jam tempore fluxus balneum fiat:

Balneum.

℞. herb. meliſſ.
origani

roris-

roſmarini an. m. ſ.
artemiſ. m. ij.
ſabinæ m. ſ.
malvæ
althææ
ſerpilli an. m. ij.
flor. chamomillæ
hyperici
centaur. min. an. p. iiij.
coque in ſ. q. aqua pro ſtupha, quam matutino tempore ingrediatur, & commoretur ad horam in ea, herbæ duobus ſacculis includantur, quorum uni ſuperſedeat, altero foveatur venter inferior.

Aperiatur ſaphena pedis utriusque die ſecundo poſt egreſſum è balneo unâ & alterâ die ſequente poſt egreſſum ex eadem.

Efficaciſſimè quoque trahunt inſtante jam jam purgationis tempore peſſi (c) *à practicis hinc inde deſcripti, ut & fumus ſive vapor dictarum herbarum per infundibulum in vulvam exceptus.*

(c) Ejusmodi peſſi plurimum valentes fiunt ex radice hellebori nigri, excipiendo ejus parum in nodulo ſerico, & indendo, ſæpiusque renovando, non tamen diu relinquatur, ne exulceratio excitetur, tutior eſt myrrha ſaltem pulveretenus ſacculo indita & vice peſſarii ſubdita. Imprimis ſi unà intrò ſumatur, in quem finem longè optimè operatur in ſequenti mixtura: Mixtura experta.

℞. flor. ſulphuris
myrrh. rub.
croci oriental. an. ʒj.
pulv. liquirit.
hyſopi an. ʒj.
ſachari ad pondus omnium, m. f. pulv. detur ejus omni manè & ſub noctem ʒſ. vel ℈ij. plus minus in vino vel competenti decocto.

Nos quoque cum ſucceſſu ordinamus pulverem fumigatorium in hunc modum: Pulvis fumigatorius.

℞. myrrh. rub.
gumm. aſphalt.
ſuccin.
caryophyllor. an. q. v.
m. f. pulvis, de quo injiciatur prunis, fumusque ab infra excipiatur.

Proſunt & cucurbitæ perinæo applicatæ.

Potus ſit vinum, in quo cinamomum & chalybis limatura macerata, aut in quo flores borraginis, violarum bugloſſæ, & ſabinæ herbæ macerati.

Prodeſt quoque ſæpè infuſio, quæ ℞. limaturæ chalyb. acet. non deſtillat. an. ℔j. coque in ſartagine ferrea, donec acetum abſumatur: poſtea teratur in marmore, & adde pulveris caryophyllorum ʒj. affunde deſuper in matracio vini malvatici aut Falerni ℔IV. pone ad ſolem vel fornacem dies XVIII. ſingulis diebus bis vel ter agitando. Vel fiat Hippocras ex infuſione illa. Hujus vini exhibe Infuſio chalybis.

menſium

menſium defectu aut inordinato fluxu laborantibus ℥ſ. ad ℥ij. ad libitum, obſervato, quod ſæpius dictum, ſemper tempore, quo menſes fluere conſvevere, præſcriptâ quoque ſemper diæta exquiſitâ.

Tandem & hîc ſummoperè prodeſt extractum ſplenis bovis, de quo & ejus exhibendi modo vide in obſtructione lienis.

Extractum ſplenis bovis:

Extractum ſplenis bovis.

℞. *Splenem bovis caſtrati, ſcinde in laminas tenues, macerentur per aliquot dies in ſpiritu vini cum myrrha eſſentificato, poſtea exſicca in aëre: poſtea cum ſpiritu vini eſſentiam extrahe, & ſapidioris efficaciæ ergò adde aliquot guttas olei angelicæ. Doſ. ℈j. in aqua appropriata eo tempore, quo menſes in ægra fluere conſveverunt, tunc nimirum renum & lumborum dolores adeſſe ſolent.*

Cum menſes apparere incipiunt, dari poteſt ℈j. borrac. Venet. cum gutt. IV. aut V. eſſent. croci in aqua puleg. aut cinamom. aut in vino Hippocratico, aut ſucci ſabinæ ℥ſ. aut ſolum ſabina in vino cocta.

Si è conformationis vitio fiat ſuppreſſio, varia ſunt quidem medicamenta, ſed hic præſtat ſingulis annis quater aut bis pro conſtitutione corporis aperire venam brachii, & ſæpius applicare cucurbitulas ſcarificatas. Spiritus pulegii cum ſale ſuo quoq; valet.

CAP. CLXIV.

DE FLUXU MENSIUM NIMIO; Germ. die allzu heffig flieſſende Monatzeit.

PRæcedenti capite ſufficienter demonſtratum eſt muliebrem ſexum neceſſariò per fluxum menſtrualem repurgari debere, & ni hoc fiat, cumulari in eo ſarcinam lethiferam, fluxus tamen iſte ſuum habet modum, juxta cujusvis temperamentum & naturam, quem ſi excedit, non jam ſervat ſuæ deſtinationis leges, ſcilicet ut tantummodò ſuperfluum & inutile educatur, ſed ſimul neceſſarium vitæ pabulum effundit, eoque vires minuit, debilitat, & ſi obſtinatè pergat, demum interimit.

Moderati fluxus in ſana & florida ætate temperatoque climate communiter ordinarii quantitatem Hippocrates circiter duarum heminarum Atticarum menſuram eſſe vult, id eſt quantum hujus menſuræ cavitas ſangvinis, non autem ponderis olei, vel alterius rei liquidæ capit; ſed magna in diverſis regionibus eſt differentia, commodiſſimum fluxionis ſpacium eſt, quod biduum vel triduum durat, ac poſtmodùm ceſſat, indicatque plerumque ſecundam valetudinnm & fœcunditatem, longior vel brevior terminus contrarium; diuturnior fluxus utplurimum fit in fœminis mollibus & al-

bis, brevior in gracilibus, duriuſculis & nigris, hæ enim ut calidiores, ita etiam agiliorem habent ſangvinem citiusque dilabentem, illæ verò gelidiores, ſangvinem tardiorem & pituitoſiorem, atque in elabendo minus promptum. At quomodocunque fluxus naturalis fiat, ſi modò inde allevientur, & benè habeant, bonum eſt, ſi verò debilitentur & infirmentur, nimius eſt & medicandus. In nimiâ ergò menſium purgatione menſes ſunt ſolito plures ac copioſiores, fluuntque diutius, quàm par ſit, vel etiam tempore non competente, vel competente quidem, ſpatioque conſveto, ſed adeò confertim & impetuoſè, ut metuendum ſit periculum, diverſus tamen hic fluxus ſub uno nomine menſium comprehenditur, quamvis modum excedens, verumque & inculpabilem ſangvinem profundens, non amplius menſtruum, ſed ſangvinis profluvium ex utero dici debebat. Poſt partum quoque ſangvinis purgatio aliud nomen acquirit, nimirum lochiorum, quorum non minus ac menſium inevitabilis eſt neceſſitas, exceſſu tamen ejusdem periculi profluvium faciunt ſangvineum. Atque hi duo fluxionis modi ſub narratis jam diverſis nominibus ordinariaque quantitate ſemper naturales neceſſariique ſunt. Præter tamen eos adhuc alius frequentiſſimus datur, aſt nequaquam legitimus, ſed morboſus, ubi humor crudus, nunc albus, nunc viridis, ſanioſus, pituitoſus, ſeroſusve prodit, atque iterum aliud nomen nempe fluoris uterini aſſumit, de quo infra.

Hic autem de eo ſangvinis profluvio ſermo eſt, quod tempore menſium contingit, idque dupliciter, vel enim ipſi menſes adeò copioſè prorumpunt, ut ſummoperè debilitent, ſiſtendique neceſſitatem faciant, vel menſes ſeu ſangvis menſtruus excretivus primò excernitur, ac dein etiam ſangvis laudabilis extruditur, naturâ jam impuro excremento finem expulſionis facere neſciâ, unoque filo etiam cruorem purum excludente; remedia quidem, quæ hic docebuntur, etiam ad ſangvinis ſinceri profuſionem ex utero, poſt partum, vel abortum, ſæpius contingentem valent, iſta tamen propriè hunc affectum non conſtituit, ſed de ea ſeorſim tractabitur. *Duplex menſium fluxus.*

Menſes ergò immoderati & redundantes ſunt, qui evidenter, licet pauciores eſſent, fœminam debilitant, & intempeſtivi ſunt, quamdiu autem nullam inferant læſionem, licet plus juſto & ſolito excernatur, pro immoderatis non habendi ſunt, victus enim liberalior, longave deſidia ſubinde copiam purgandam efficit majorem.

Signa menſium immodicorum ſunt: mutatio coloris faciei conſveti in fœdum, palleſcentem vel luridum. Proſtratio virium & appetentiæ, corporis laſſitudo, gravitasque coxæ & crurum, concoctio depravata, laxus tumor pedum, nonnunquam & pectinis dolor ſuccedit, imò in his, quæ ab exorſu talem hæmorrhagiam incurſuræ ſunt, vehemens pectinis dolor antecedit, nec non *Signa immodici fluxus.*

urina

urina nigrigantior cum ſedimine nigriori.

Cauſæ. Cauſæ poſſunt eſſe diverſæ; nempe vehemens corporis motus, ſaltatio chorearumque ductio tempore menſium, aliave corporis calefactio, per validam exercitationem, laborem, vini meracioris plenariam & copioſam ingurgitationem, curſum, laſſativam deambulationem, balnea, aromata, affectus animi calefacientes, ut ſunt laſcivia, iracundia, amor, gaudium exceſſivum, riſus & lætitia ingens, deſiderium ardens, hæc enim cuncta ſangvinem attenuant, & in effervefcentiam redigunt, medicamenta verò acria & diuretica expellunt, & ad uterum calefactione attrahunt, præſertim exterius applicata, ut acriores peſſi, vaporesve excepti, confrictus ex venere violenta, & quicquid dolorem infert, ut caſus, percuſſio, alliſio, ſpontaneaque uteri inflammatio: quicquid etiam alios ſangvinis fluxus per nares, hæmoptiſin, vomitionemve, mictionem cruentam, dyſenteriam inteſtinalem & hepaticam cauſat, etiam hæmorrhagiam ex utero producere poteſt, quæ omnes fieri ſolent vel per anaſtomoſin, diapedeſin, diæreſin, rixin & diabroſin. Per anaſtomaſin quidem, quando vis expultrix nimium irritatur à quantitate & qualitate ſangvinis indecenti, vel à cauſa procatarctica, ut à pharmaco venarum oſcula reſerante, quamvis exinde tantus excitari fluxus non facilè queat, attamen extra ſolitum naturæ tempus & ordinem fiens eam ad profluvium irritat, indigetque correctione apertionis. Diapedeſis verò contingit per apertionem minorum vaſorum, per quam dein fit ſangvinis reſudatio ſeu transſudans ploratio, quæ ſenſim ſtillat, non autem confertim ut in anaſtomaſi. Diæreſis ſeu ſolutio continui fit per cauſam primam procatarcticam, ut venas disrumpentem ſeu dilacerantem, quod in abortu & laborioſo partu evenire ſolet. Item à re quacunque excedente, nempe exulceratione, arroſione, eroſione, ſive intus ſponte naſcatur, ſive per applicationem topicorum acrium, excoriativorum, cauſticorumve, ut ſunt peſſaria acria & ſimilia excitetur. Ruptio fit vel per obſtractam quaſi ſangvinis copiam, vi quadam ſeu cum forti effervefcentia vaſa diſtendentem, vel gravioris oneris ſublationem, portationemve, grandiorem fœtum, partum ſeu abortum, molæve excuſſionem difficilem, imperitam tractationem violentamve ab obſtetrice vel chirurgo; item per contuſionem à caſu, plaga, percuſſione, reive duræ obviatione violenta; Internæ cauſæ ſunt: facultas expultrix nimis fortis, retentrix verò debilis, locorum calor prævalens, ſangvineum temperamentum, ſangvinis nimiam redundantiam parans, vaſa uteri vaſtiora, ejusque intemperies ſangvinea, humorum vitioſorum decubitus in uterum, molaris vel ſiniſtra conceptio, fœtus grandior, vel perverſum ſitum obtinens & ſimilia.

(Margin notes: Anaſtomaſis. — Diapedeſis. — Diæreſis. — Rixis.)

De hoc affectu loquitur etiam Hippocr. in ſequent. veriloquiis:

Vaſorum inanitio ſi talis fiat qualis fieri debet, confert. *lib.1.aphor.2*
Ut & ſi benè toleratur. 1. 2
Sin minus, contrario modo. 1. 2
Eductiones non multitudine ſunt æſtimandæ, ſed quod tales ſint, quales oportet, & facile tolerentur. 1. 23
Si talia purgantur, ut oportet, confert & facile ferunt. 1. 25
Contrario modo difficulter. 1. 25
Nil quicquam modum naturæ excedens bonum. 2. 4
Plurimum repente evacuare periculoſum. 2. 51
Omne nimium eſt naturæ inimicum. 2. 51
Si menſtrua plura fiunt, accidunt morbi. 5. 57
In fluxu muliebri convulſio & animi defectus, malum. 5. 56
Menſtrua cohibentur cucurbitulâ quam maximâ ad mammas appoſitâ. 5. 50
Ad fluxum nimium confert vomitus. 2.de morb.mul.

Progno-ſis. Prognoſin quod ſpectat, quemadmodum ſangvis eſt vitæ & virium paſtus, ita ejus amiſſio, quomodocunque ea eveniat, non poteſt non juxta proportionem deperditionis debilitare, integralisque omninò interimere, & ſic etiam hæmorrhagia uterina exceſſiva eandem naturam ſervat. unus tamen effuſionis modus præ altero celerius vel tardius, magis vel minus nocet, diapedeſis enim, cujus ſigna ſunt rarus corporis mollisque habitus, tenuis & ſeroſus ſangvis ſenſim effluens, omnium minimè periculoſa eſt, quia fit paulatim, concoctionique ſic aliquid ſpatium relinquit, alium interim conficiendi cruorem, eſt tamen aliis diuturnior;, ob cruditatem defectuoſamque concoctionis apparentiam.

Anaſtomaſis & rixis, quæ cognoſcuntur ex multo confertim prodeunte ſangvine, cauſisque calefacientibus ſupraſcriptis prægreſſis, majus minantur periculum, ob ſimultaneam & celerem ſangvinis amiſſionem, efficacibus tamen medicamentis ſanabiliores aliis eſſe ſolent, quia plerunque in corporibus vegetis & plethoricis accidunt. Diabroſis, cujus ſigna ſunt, ſangvis ſenſim cum doloris perceptione, colorumque differentia profluens, cum certa admixtione quadam, nempe ſanici, ichoris, ramentorum &c. omnium maximè difficilis eſt & immedicabilis, quia fit cum organorum deſtructione. In genere autem quodlibet menſium profluvium enorme & irreſtingvibile vires exhaurit, corpus refrigerat, decolorat, emaciat, ſenificat ſeu morboſo ſenio opplet, ſterilitat, pedes tumefacit ſeu inflat, in hecticam, cachexiã, hydropem præcipitat, vel ſi affatim & celeri effluxu fiat, lipothymiam, ſyncopen & mortem ſine dilatione accerſit. Si etiam ſole vel lunâ eclipſin patiente tale profluvium contingat, planè immedicabile dicitur, ſimiliter inveteratum, ſeu quod jam diu duravit, quia vaſorum oſcula occalluerunt, in tali tamen ſatis diuturna reſtitutionem vidimus per muſcum prunellorum ſylveſtrium, ut poſtea dicetur. In febribus

bribus ſubinde fluxus largus confert, præſertim criticus non diu durans. In fœminis autem jam ſeneſcentibus profluvium ut plurimum inſanabile eſt & lethiferum.

Curatio. Curatio juxta cauſæ diverſitatem aliter atque aliter inſtituenda eſt, in genere tamen omninò neceſſe eſt purgare ventriculum à ſua colluvie, plerunque dein uterum inquinante, & varios affectus uterinos producente, pro purgativo convenit vel vomitorium juxta Hipp. vel dejectivum ſeu purgans per ſeceſſum, ubi imprimis rhabarbarum benefacit, eò quod qualitatem purgantem vehat & aſtringentem, poteritque ejus ʒj. in ſubſtantia aſſumi

Purgans. Vel ℞. rhab. ʒj.
paſſular. enucleat. ℥ſ.
conſerv. roſar. ʒj.
minutim concidantur, & maſticando deglutiantur.

Factâ evacuatione idem rhabarbarum continuari poterit ad aſtringendum, purgante qualitate ſuâ prius exutum, ſi nimirum infundatur per noctem in aqua plantaginis, vel aliâ, & paululum exprimatur, deinde abjectâ hac aquâ iterum cum aſtringentibus ut radic. tormentill. fol. millefol. quercus, cynogloſſ. &c. infundatur in vino rubeo adſtringente cum forti expreſſione, illud vinum poſtmodùm affatim bibendo. Sequentia etiam experimento probata ſunt:

Pulvis expertus. ℞. pulv. radic. filipend. ʒſ. vel ʒj.
ſolùm vel adde
corallor. rubicundiſſ. ʒj.
ſem. tanacet.
plantag. an. ʒſ.
piper. long.
nucis moſchat. an. ℈ſ.
m.f. pulvis, cujus ℈j. pro vice in ovo tremulo cum modico ſalis menſarii ſorbeatur, ſervando exactè hunc utendi modum, aliàs parum juvat.

Efficax quoque eſt ſequens electuarium: Electuarium.

℞. mivæ cydonior. ſimp.
conſerv. roſar. antiq. an. ℥iſ.
ſangvin. dracon.
boli Armen.
myrobalan. citrin. parum toſt.
ſem. acetoſ. an. ʒſ.
hæmatit. ſubtiliſſ. trit. ℈ij.
pulveriſanda in ſubtiſſ. pulv. terantur & cum ſyr. de roſ. ſicc. & rob. de rib. ſimp. an. q.ſ.f. ſpiſſum electuar.
capiat quantitatem caſtaneæ pro una vice.

Lumbi & pecten inungantur quoque ejuſmodi linimento: Linimētum.

℞. ſucci ſolan.
plantag. an. ℥iij.
laud. opiat. vel opii crudi ℈j.
ol. myrtin.
cydonior. an. ℥j.
ſem. tanacet.
plantag. an. conquaſſat. ʒj.
aceti roſac. ℥j.
coquantur ad ſuccorum conſumptionem, adde ceræ q.ſ.f. ungventum, quo ſolo vel dimidio ungventi comitiſſæ addito inungatur.

Pro ultimo refugio habetur uſnea ſeu muſcus cranii humani internè & externè uſurpatus, vidimus tamen, quod cum aliis omnibus fruſtra adhiberetur, ſolusque tandem Refugium ultimum. Obſervatio.

muſcus prunellorum ſylveſtrium ſeu acaciæ noſtratis ligno ejus adnaſcens & ſub frutice hac in terra creſcens recens collectus, inſtar incantamenti juvaret, imponebatur autem ſoccis recentiſſimus, ut continuò nudis pedum plantis incumberet, dieque ac nocte geſtabatur ſtando, ambulando vel jacendo; Cum autem Author copioſa remedia ſcribat, plura de hac re verba non addimus, contenti verbis

TEXTUS.

Fluxum menſium nimium à qualibet cauſa ortum, exceptâ plethorâ (quæ non niſi convenienti phlebotomia corrigitur, ut nimirum ex ſuperioribus venis brachii per revulſionem ſangvinis ad inferiora prorumpentis effluxus cohibeatur) illa tollunt & corrigunt, quæ alioquin ſiſtendis hæmorrhagiis narium neceſſaria ſunt & utilia.

Specifica. *Sic laudanum opiatum eſſentia croci martis, magiſterium corallorum & perlarum, item ſal corallorum, ſpermiola compoſita Crollii, oſſa hominis fortiter calcinata & nonnulla alia intrinſecus.*

Extrinſecus ſtipites melanthii, buſo exſiccatus multum prodeſt.

Fluxus igitur hic licet multis à cauſis oriri poſſit, nullus tamen frequentior, quàm qui fit ob ſangvinis pallidioris ad partem iſtam fluxum, aut oſculorum venarum apertionem, qui per diapedeſin rarò aut vix accidit, qui per eroſionem à medicamentis in uterum immiſſis erodentibus, aut ob ulcera in eodem exiſtentia, curatur à Practicis ad hos affectus præſcriptis medicamentis.

Quod verò fluxus priores attinet, ii quoniam vires valdè dejiciunt, ſi vocetur Medicus, non incommodè revulſionis gratiâ venam brachii aperiet, indeque per intervalla ſangvinem extrahet, aut ſi eam (ſcilicet venæſectionē) contraindicantia prohibeant, cucurbitulas frequentes regioni epatis & ſplenis imponat.

Interius detur ſyrupus de roſis vel papavere cum aqua plantaginis dilutus, aut fiat ſyrupus è ſucco burſæ paſtoris, aut ſyrupo corallorum cum ſucco berberum, bolus Armen. præparatus ſæpius ad ℈j. cum ſucco vel aqua plantaginis aut burſæ paſtoris offeratur.

Aut fiat opiata:

℞. conſerv. roſar. veteris ℥ſ. Opiata.
ſymphyti major. aut rad biſtortæ ℥j.
trochiſc de carabe ʒij.
boli Armen. præparat. ʒiij.
ſalis corallor. ʒſ.
cum ſyrup. de roſis ſiccis q. ſ.
f. opiata

Ad ſangvinem ſiſtendum etiam fieri

fieri poſſunt decocta ex radice tormentillæ, coriandro, balauſtiis, gallis & ſimilibus.

Quæ ſi nihil proſint, fiat peſſus è ſtercore ſuillo, aut aſinino cum ſucco plantaginis, & mucilagine ſeminis cydoniorum, aut tragacanthæ, aut è laudano opiato cum linteolo.

Interius offerantur, quæ ſangvinem incraſſandi & refrigerandi potentiam habent.

Exterius inungatur peritonæum ungvento Comitiſſæ vel ſequente:

Ungventum.

℞. ol. myrtillorum
cydoniorum an. ℥iſ.
ſucci burſæ paſtoris aut plantaginis.
ſempervivi maj. an. ℥j.
coque ad ſuccorum conſumptionem, hinc adde
pulv. boli Armeni
ſeminis berberorum
myrtillorum an. ℈ij.
roſar. ʒſ.
ceræ q. ſ. f. ungventum.

Aut fiat cataplaſma ex aſtringentibus cum aqua communi & pauxillo aceti coctis, ut de dyſenteria dictum, aut fiat ex ſuccis adſtringentibus & refrigerantibus addito bolo aut farina orobi aut lupinorum.

Renibus & jecori refrigerantia medicamenta applicentur, ut ceratum infrigidans ſantalinum; ungventum roſatum camphoratum.

Si biliosſus ſangvis in corpore redundet & morbum foveat poſt impetum ſangvinis retenti purgetur corpus leniter cum infuſo rhabarbari, aut myrobalanis, aut ſyrupo roſarum ſolutivo, electuario ex ſucco roſarum, extracto panchymagogo, aut ſolo extracto rhabari.

Idem fiat, ſi adſit ſeroſi humoris copia ſangvini permiſta, ſi verò adſit fluxus albus, tunc temporis totius corporis imprimis habenda eſt ratio, ut habitus ejus melius emendetur iis, quæ ſeroſorum & pituitoſorum copiam generantium partium vitium emendant, præmiſſis tamen univerſalibus purgantibus. Hinc quæ uterum reſpiciunt, tum confortando, tum adſtringendo adhibenda, quale imprimis exterius adhibitum eſt emplaſtrum pro matrice (a) Textoris.

(*a*) Cum lectori conſtare non poſſit, quale emplaſtrum Author hîc velit, aliud non minus efficax ſubſtituendum duximus hoc modo componendum:

Emplaſtrum pro matrice.

℞. ungvent. comitiſſ.
maſſæ empl. contra rupt. an. ℥j.
pulv. roſar. rub. exſiccat.
ſang. dracon. an. ʒij.
balauſt.
hæmatit. præp.
corall. rubicundiſſ. an. ʒj.
maſtic.

maſtic.
thuris maſc. an. ℥ſ.

Diſſolvantur in leni calore unguentum & emplaſtrum, tum ſenſim inſperge mixturæ ſubfrigidæ reliquos pulveres cum continua agitatione, addendo therebintinæ q. ſ. & parum ceræ f. ſ. a. ceratum, infimo ventri & lumbis ſimul imponendum, vel hujus loco maſſa emplaſtri Vigonis alutæ ſuperinducatur, ad hanc rem efficaciſſima & præſtantiſſima.

Specifica tamen hoc loco non nulla ſunt, quæ quemlibet inordinatum fluxum menſium utiliter ſiſtunt, ſic vitellus ovi crudus in vino rubello diſſolutus, & per aliquot dies ſingulis diebus propinatus fluores ſiſtit. Tinctura corallorum (b) *inter cætera unicè præſtat.*

(b) Imò ſimplices coralli rubicundiſſimi pulveretenus accepti continuato aliquandiu eorum uſu, etiam juvant.

Pulvis turturis eum in modum paratus, quem docet Foreſtus (c) *obſervatione 10. lib. 28. mirabilis eſt in reſtringendis menſibus. Sal verò ex turturis cineribus collectus & factus à gran. IV. ad VI. felicior eſt in aqua plantaginis vel aliâ compoſitâ cochl. 1. etiam in dyſenteria, aliisque alvi fluxibus.*

Medicamentum ex turture.

(c) Medicamentum hoc ex turture ita paratur: cape turturem moderatè pingvem, deplumatum, & exenteratum, lava illum in vino rubro ſtiptico & aquâ roſarum. Tum in ventrem ipſius aſſuendo conclude ℥j. maſticis, aſſaque in veru, irrorando ipſum loco butyri aceto roſaceo, ac omnem pingvedinem collige, & uſui reſerva, pro inunctione imi ventris, ingvinum, pectinis & lumborum quotidianâ. Aſſatus verò turtur lutetur in ollam operculatam devitreatam intus, & in furno calido una cum oſſibus & carne exſiccetur, ut omnia poſſint in pollinem redigi tenuiſſimum, cujus cochleare unum omni manè cum aqua plantaginis vel alio aſtringente vehiculo aſſumitur tam in hoc quàm aliis quibuscunque profluviis tam albis quàm rubris; idem etiam præſtant attagenes eodem modo parati, pluraque alia ita in pulverem aduſta, narrabat enim nobis quiſpiam quod ſemetipſum à deplorata dyſenteria pulvere è lucio per vivicomburium incinerato curaſſet, idque à ſene ruſtico didiciſſet. Ex quo etiam diſcitur, cuncta ejusmodi profluvia ab aciditate contingere, rebusque alcalioſis, quales & hi aduſti pulveres ſunt, eorum corroſivitatem acidam extingvi, & ſanari.

Experimenta.

Sic cuticula pedum anſeris exſiccata, & doſi à ʒſ. ad ℈ij. exhibita ſubito ſiſtit.

Externè in hoc caſu mirabiliter & ſingulariter prodeſt cingulum ex foliis ellebori veri conſutum ita præparatum, ut folia ellebori recentia aſſuantur faſciæ,

& circa

& circa lumbos nudo corpori applicentur.

A partu laborioſo nimis profluentem ſangvinem ſiſtit idem ſangvis, ſtatim in cochleari ferreo exſiccatus (ad ignem) & V. vel VI granorum pondere cum vitello crudo ovi unius mixtus ſubitò reſtingvit. In eodem caſu ſperniolæ compoſitum mirificè opitulatur.

Sangvis ſangvinē ſiſtit.

CAP. CLXV.

DE UTERI STILLICIDIO, FLUORE ALBO UTERINO ET GONORRHOEA MULIEBRI; Germ. der weiſſe Fluß der Mutter/ und Verflieſſung deß weiblichen Samens.

STillicidium uterinum quibusdam eſt verum menſtruum cruentum, ſed non in debita proportione, aſt ferè ſtillatim exiens, at noſter Author per illud intelligit ſpurcum illud profluvium, quod vulgo fluor albus, fluxio muliebris, ſuperfluitas alba, albumque menſtruum appellatur, nec non uteri deſtillatio diuturna; eſtque recrementi totius corporis per uterum expurgatio, his fœminis maximè familiaris, quæ temperamento pituitoſo, habituq; molli & laxo præditæ ſunt, non tamen uno eodemque modo temporisque intervallo contingens, ſed pro diverſa cujusque ſic affectæ conſtitutione & redundante in ipſius corpore humoris colluvie, ita ut modo pituitoſa & alba, nunc flaveſcentia, nunc fuſca cinerea & livida promanent, idque in forma mucaginis craſſæ albumini ovorum aſſimilabilis, vel ſeri lactis, profluitque quibusdam fœminis quotidiè, in aliis poſt ſingulas menſium verorum eductiones, in nonnullis inter duas menſtruationes legitimas intercedit hoc menſtruum ſpurium, ſeu ut vocare libet, cuncta enim hactenus enarrata nomina ipſi non omninò exactè competere videntur, cum ſummi Practici ingenuè fateantur, quod nullius determinatæ corporis partis affectio dici poſſit, ſed modò ab utero ſolo dependeat, nunc per conſenſum membrorum aliorum confiat, corpore ſeſe per hanc partem à ſuis excrementis variis expurgare nitente.

Stillicidium uteri quid?

Signa profluvii muliebris albi hæc notantur: lubricans mador continuò ex utero ſudat, qui linteolo exceptus ſub diverſitate coloris comparet, atque etiam à reſiccatione retinet, jam albicans, nunc flavens vel liveſcens, facies quoque in diuturniori & prodigo hoc fluxu fœdo pallore deformatur, & quandoque ferè omnino luridatur, dolor in ſpina dorſi, & nonnunquam in aliis quoque artubus & lumbis percipitur, cum dejecta appetentia, intumeſcentiâ oculorum, pedumque tumore & gravitate, cujus gratia obambulando fatigatur & anguſto premitur ſpiritu, & indicibili triſtitiâ; eluvies locellorum proſudans acris eſt & erodens inſtar diutinæ ſtillæ coryzalis narium, atque eodem modo protractu temporis excoriat, eſtque nunc inodora ſeu halitum odorabilem

Signa.

rabilem non exſpirans, nunc grave olens ſeu tetro fœtore moleſta. Differt autem fluor muliebris à gonorrhœa fœminea, ſeu ſpontanea ſeminis exſtillatione, quod in gonorrhœa humor effluens paucior ſit, ſemperque candicans, ac nunquam graveolens, breviorique longè tempore totum corpus emacians & deſtruens, perpetuò quoque à laſciviosâ & venereâ conſtitutione incipiens. fluxus autem muliebris ſemper copioſiorem dat emanationem, non ſemper albicantis coloris, genitale inceſſanter madet fluore hoc rheumatico, graveolensque & turbida urina ſeu craſſo humore permixta emittitur; Diſtingvitur præterea hic fluxus ab exulceratione uteri ex diſſimili conſiſtentia prodeuntis humoris, nam is quem ulceratio emittit, ſanies ſeu purulentia eſt albidior, fœtidior, & craſſior, in fluxu autem muliebri tenuior ichor ſeu ſerum exit, in majori quoque copia quàm pus illud ſolet, & quæ fluore hoc laborant à coitu non læduntur, ulceratione autem in utero & præſertim collo ejus laborantes, congreſſum viri non ſuſtinent absque irritatione ulceris. Dubium tamen non eſt, quin ichor albi menſtrui demum acrimoniam exulcerantem aſſumat, & ex utroque affectu unum efficiat.

Cauſæ. Cauſæ præcipuæ muliebris profluvii eſſe ſolent: temperamentum frigidius & pituitoſius, imminutioque caloris naturalis, undè ferè fœminæ provectiores, ætatisque conſiſtentis hisce albis, juniores autem & vigoroſæ magis menſibus rubris infeſtantur; frequens quoque fluor albus eſt his, quæ vitam deſidem, otioſam pigramque ducunt, ac habitu molli, laxo & phlegmatico donatæ ſunt, ac corporis exercitationem refugiunt, unde non facilè reperibilis eſt hic affectus inter fœminas agreſtes & laborioſas, at ſolummodò urbanis ac vitæ ſedentariæ deditis familiaris eſt, imprimis autem utentibus frequentius alimentis frigidis & humidis, vel eximiam in ſpina dorſi, lumbisve vel utero refrigerationem paſſis, ſive id factum ſit ex afflatu aëris frigidiſſimi, ſive ab alluvio frequentiori aquæ frigidæ, ut lotricibus, & quæ multum in aqua verſantur, contingere ſolet. Fit etiam ab imbecillitate ventriculi ejusq; concoctione debilitatâ, nec non ab affectibus animi frigefacientibus, ut ſunt triſtitia, mœror, ſollicitudo, timor, terror, avaritia & tenacitas ſibi ipſi multum detrahens, & ex parſimonia vili victu ſe macerans, unde ob defectum neceſſariæ apparationis, uſualiumque ordinatum & ſimilium deinde mala nutritio ſequitur, obſtructiones pariens, intermiſſio verò omnis laborioſæ exercitationis, etiam habitum frigidum inducit, ſicque duplici modo cruditates & ſangvis imperfectus gignuntur, labores è contra ea omnia corrigunt, corpus calefaciunt, ſuperfluitates conſumunt, ita ut victus pauperior agreſtibus nil noceat. Quibusdam etiam cauſa ab intemperie uteri frigida provenit, vel imbecillitate ejus in prægnatione. partu, vel ab externa injuria proficiſcente.

Progno-

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, profluvium muliebre familiare eſt declinanti ætati, ab eaque cui obveniat, ægrè remobilis, quamdiu autem utero immoratur, continua eum lubricitate madentem, os ejus ſemper hiantem, & ad impraægnationem inhabilem reddit, infeſtatque utplurimum uteros plurimo partu vel coitu exercitatos, hæc enim in humidioribus attractionis lymphæ conſvetudinem faciunt, quæ poſtmodùm attrahere pergit, donec planè in alteram naturam abeat, quemadmodùm & his contingit, qui acrem tabaci fumum per tubulum in buccam attrahunt, huicque continuato aliquandiu uſui aſveſiunt, poſtmodùm enim hæc conſvetudo in naturam quaſi congenitam abit, ita ut ſemper os ſalivâ madeat, vera tamen ſaliva non eſt, ſed lympha corporis à depravatâ conſvetudine continuò attracta, ita etiam fit in tali utero, multam affrictionem paſſo, ut deinde naturam quaſi ex conſvetudine induat continuò lympham corporis alliciendi, virgines enim rariſſimè tale quid experiuntur. Fluxus in aliquibus continuò & indeſinenter durat, in aliis per intervalla redit, ac admodum difficulter remediis cedit, invaleſcens autem os uteri relaxat, ut ſemen retinere vel concipere impotens fiat, putidum etiam demum reddit uterum, & exulcerationis periculo expoſitum, cujus uſus viris fit ingratus, & virgæ nocivus, totum inſuper ægræ corpus refrigerat, & intumeſcens reddit, ob ceſſantem in frigore transpirationem, ſuperfluæ humiditatis per poros, quæ in corpore manens tumiditatem affert, imprimis faciei & oculorum, procedente autem tempore patiens fœdè pallet, gracileſcit, mœret, faſtidit, immenſum pigreſcit, dolet & lumbis gravatur, tandem autem fit cachectica & hydropica, vel etiam in utero immedicabiliter exulceratur, natura enim penitus aſveſcit huic effluxui, ut fiat inſtar alicujus fiſtulæ. Occurri ergò debet huic fœdo affectui mox in principio, non tamen ſtatim fluxus ſiſtendus eſt, donec prius vitioſa colluvies ſit educta, ventriculus repurgatus, & epar confortatum, aliàs facilè atrox capitis dolor, convulſio, cardialgia vel hydrops intempeſtivâ fluoris reſtrictione excitatur.

Gonorrhœam quod attinet, ea ab hac, qui viris contingit, in cauſis & modo curandi non differt, ſufficiat ergò ejus deſcriptio ſupra cap. 148. facta.

Curatio. Curatio fluoris uterini juxta cauſæ diverſitatem variat, in genere autem corpus à ſuperflua pituitoſitate purgetur per ea quæ aliàs cachexiæ & hydropi conveniunt, factâque ventris purgatione ea propinentur, quæ per urinam educunt, ac dein iterum phlegma per ſeceſſum purgetur, rurſusque diuretica uſurpentur, ut ſic natura ad aliam conſvetudinem pertrahatur, aſveſiat humorem, quem antea ad uterum mittebat, impoſterum cum excrementis ventris, & veſicæ expellere, pro purgativo optimè conveniunt pilulæ merculiales inter cathartica edoctę.

Purgans. Vel ℞. pulv. jalapp. cremoris tartari an. ʒſ. cinamom. macis an. gr. VI. m. dentur in juſculo caponis.

A corporis purgatione conveniunt urinam moventia, ut ſunt rad. ebuli, aſari & apii, bacc. alkekeng. in vino decocta, ac per aliquot dies manè vinum hoc bibitum.

Sudorifera. Proderit quoque propinare ſudorifica, nimirum decoctum ſarſæparillæ, cujus tamen locum cum eadem efficacia ſubire poteſt radix ebuli in locis petroſis collecta, item electuarium è baccis ipſius, vel theriaca cum pulvere corallorum mixta in hunc modum:

℞. rob. ebulini ℥ſ. vel ejus loco
theriac. ʒij.
pulv. rubicundiſſ. corallor.
hæmatit. præp. an. ℈ſ.
m. pro una vice manè 6. horis ante paſtum aſſumenda.

Hisce alternatim uſurpatis in uſum vocanda ſunt corroborantia ex. gr.

Opiata corroborans. ℞. conſerv. ſalviæ
balauſt.
roſar. antiq. an. ℥j.
betonic.
acori condit. an. ʒVI.
pulv. corallor. rubicundiſſ. ʒij.
hæmatit. præp.
ſuccin. alb. an. ʒj.
cum ſyrup. conditurae zingib. f. opiata ſeu electuarium ſpiſſum, cujus pro vice quantitas nucis moſchatæ aſſumatur.

Pluribus tamen heic addendis non eſt opus, cum efficaciſſima ſint quæ docet

TEXTUS.

Stillicidium uteri diuturnum ſine ulcere pulvis cachecticus feliciter ſanat; idem præſtat ſpecificum martis, de quo ſupra de hydrope uteri, quod diuturniori fluxui, præſertim in vetulis alioquin ejusmodi enormibus fluxionibus obnoxiis unicè opitulatur, ſi quotidiè euntibus cubitum gr. j. in aqua plantaginis aut vino rubello detur.

Ulceri, ſi quod fuerit, proſpici poteſt eo modo, quem ante in ulceribus matricis innuimus.

Uteri fluorem qualemcunque tandem ſanat, uterumque reſtituit ſpecificum martis (vitriolum martis) ſimili modo ſemper exhibitum, ut antea de hydrope uteri dictum eſt. Aliàs in quolibet fluore uterino, perpurgato prius corpore, imprimis cum ſpecifico purgante, item panchymagogo vegetabili, extracto mechoacannæ, rhabarbari, ſenæ &c. ſemper cum bono ſucceſſu ujus ſum pulvere & decocto ſequente:

℞. magiſt. corallor. alborum Pulvis
matris perl. an. ʒij.
c. c. uſti ʒiſ.
eboris uſti
terræ ſigillatæ
ſem. papav. albi an. ʒj.
gummi Arabici
maſtich. an. ʒſ.

ſuccini

ſuccini citrini ℈ſ.
laudani opiati gran. VIII.
m. f. pulvis tenuiſſimus, hujus exhibeatur quotidiè manè & veſperi tantum, quantum cultri mucrone capi poteſt in decocto ſequente:

Decoctum.

℞. plantaginis majoris
centumnodii
tormentillæ an. ʒiij.
rad. nymphææ ʒij.
f. cum q. ſ. vini decoctum.

Gonorrhœa muliebris.

In gonorrhœa muliebri ſimplici eadem proſunt, quæ ſimiliter in virorum profuere.

De lue venerea peracturi hæc omnia dilucidiora explicabuntur, hoc modo ſanatæ ſex mulierculæ ruſticæ duabus ſeptimanis.

CAP. CLXVI.
DE STRANGULATU UTERI, *Germ.* das Aufſteigen der Mutter.

Suffocationis uterinæ diverſa nomina.

SUffocatio ſeu præfocatio uterina, privatio ſpirationis ob uterum, ſtrangulatus uteri, paſſio hyſterica unum & eundem affectum denotant miſero ſexui fœmineo frequentiſſimum, ac adeò multiplici affectuum larva eundem torquentem, ut meritò commiſereſcens Hippocrates lib. de morbis virginum exclamet: *Multis & incomprehenſibilibus ferè affectionibus premi miſerrimas mulieres.*

Aſcenſus uteri.

Vocatur hic affectus etiam aſcenſus uteri, eò quod à plurimis Authoribus credatur uterus ſurſum aſcendere, ac ventriculum nec non diaphragma comprimere, cujus ſententiæ etiam Hippocrates fuiſſe videtur lib. de natura muliebri inquiens: *Converſi uteri impetunt hepar, & ad præcordia irruunt; ſurſum enim ad humiditatem feruntur à labore nimium reſiccati, hepar autem gratioſi humoris fons eſt.* Quibus etiam Rudius & Fernelius aſſentiuntur diſertè teſtati, ſe proprio manuum tactu talem uteri aſcenſum frequenter deprehendiſſe, inſtar enim globi alicujus in ventriculum fuiſſe elatum, eumque graviter oppreſſiſſe, ſeque eum inveniſſe aliquando usque ad umbilicum, & nonnunquam ſupra ipſum elevatum, quem ibi manibus ſuaptis contrectatum paulatim in propriam ſedem propellendo reduxiſſent. Alii econtra hoc explodunt appellantes anatomiam, quâ ejusmodi aſcenſus uteri, quatuor firmiſſimis ligamentis alligati, & in ſuo ſede firmati impoſſibilis deprehendatur, alii verò inter hos cum Sennerto mediatores eſſe volunt, ſtatuentes, globatum iſtud corpus tactu deprehenſum non ipſum eſſe uterum, ſed teſtes, vasque illud cœcum à Falloppio Inventore tuba Falloppiana dictum, quod ſubinde ceu laxum, fiſtuloſumque & vagum cum teſtibus uteri pendulis ſemine corrupto vitioſisque humorum ſuccis, vel flatibus repleatur & turgeſcat, ac per hypogaſtrium hinc inde moveatur ad umbilicum usque ſcandens, imprimis cum exempla per diſſectionem inventa ſint, quod teſtes in hy-

 ſtericis

ſtericis magnitudinem majuſculæ pilæ pugnoque grandiorem oſtenderint, ſemine ſeroſo, fœtoroſoque liquamine croceo turgeſcentes.

Quin & inter hos mediam ſententiam tuentes concors opinio non eſt pars enim commemoratum jam teſtium vaſisque tubici motum aſcenſorium concedunt, uterum autem immotum manere volunt, nonnulli extenſionem & contractionem ligamentotum uteri, ob conditionem membranaceam eorum facilè extenſilem ſtatuunt, totumq; ſic uterum aliqualiter hinc inde moveri poſſe, ac rurſus eadem contractilitate in firmitatem priſtinam redire contendunt, ſicque utroque modo, ſive appendices ſeu inſignis pars uteri, ſive totum ipſius corpus ſurſum moveantur, veracitatem Hippocratis nihil minui, ſed aſcenſum uteri rei veritate evinci. Nec deſunt qui his cunctis contradicunt, fundamentalemq; antiquorum hujus affectus deſcriptionem adeò rejiciunt, ut cum Paulo Barbette ipſum ſuffocationis uterinæ nomen pro falſo habeant, ac potius hypochondriacam nominari debere audacter affirment à loco nimirum primario affecto, quem hypochondria ac non uterum eſſe, atque antiſcorbuticis oppugnari pugnant.

Nos tamen Divini ſenis antiquorumque doctrinæ inhærere pergemus, donec novi negatores contrariam ſuam ſententiam non modò in omnibus evincant, ſed & ocularIis demonſtrationibus dilucidâque deſcriptione rem adeò planam faciant, ut à quolibet tyrone haut difficulter capi queant.

Suffocatio igitur uterina eſt affectus verè ſuffocatorius & ſtrangulatorius, cujus agnitio & dignotio difficiles non ſunt, ſed hisce ſignis mox cuilibet plebeio innoteſcunt: Signa. Ægra nimirum ſubitò & ex improviſo cadit inſtar epilepticæ vel ſyncopticæ, non tamen omninò ſenſus deficiunt, ſed plerunque exteriores ſaltem; reſpiratio vel penitus vel potiorem partem intercipitur, pectusque & gula conſtringuntur, genua reflexa cernuntur, manus compreſſorio modo ventri incumbunt tanquam ſuppetias allaturæ contra turbulentum uterum, ejusque aſcenſum inhibituræ, evidenti argumento, cauſam mali uterum eſſe, & non hypochondria, juxta tritum: *Ubi manus ibi dolor;* hypochondria tamen pariter inflantur, in eisque dolor lancinans & murmura percipiuntur, ſtrangulans quippiam fauces & gulam obſidet, venter diſtenditur, & non nunquam etiam crura & brachia quaſi diſtenſione comitiali afficiuntur, pulſus in quibusdam fit debilis & exiguus, in aliis planè non percipitur, neque ulla reſpiratio vel calor actualis, ſed ferè rigidæ & frigidæ jacent inſtar mortuæ, adeò ut quandoque ſepulturæ deſtinentur, quædam ſenſu quidem, voce & motu, nec non reſpiratione privantur, non tamen omni intellectu & memoriâ, ſed omnium recordantur penes ſe factorum ad ſeſe redeuntes, in paroxyſmo tamen reſpondere nequeunt nomine proprio inclamatæ,

tæ,

tæ, quamvis intelligant, neque ſe movere, aliæ etiam manifeſtè in paroxyſmo ſentiunt, intelligunt & moventur, quædam functiones potiori parte integras retinent, & magnam ex affectu hoc reſpirationem obtinent, quædam vomunt, nauſeant, genis rubent vel funeroſè pallent, ructant, ex bolo ſeu buccella quadam grandiori gulæ inhærere viſa vomituriunt, vel ſuffocationis metu anhelant, capite lancinanter dolent, aurium ſonitu, vertigine, oculorum caligine, faſtidio, cardialgia ſalivæ vomitu, & dejectâ appetentiâ afficiuntur; ad extremum inclinante paroxyſmo deliquioſæ & pallentis malæ rubeſcunt, corpus refirmari incipit, oculi ex multa gravitate attolluntur, paroxyſmusque exſudatione humoris cujuspiam ex locis muliebribus tactu perceptibilis, nec non inteſtinorum murmuratione ſolvitur, uterus paulatim (ut plebecula ex relatione obſtetricum medicaſtrarumque, cervicem nempe uteri inclinatam videri, totumque quaſi uterum nunc ſurſum nunc lateraliter retractum, perſvaſa eſt) paulatim laxatur, ac redintegrato ſenſu intellectuque ægra exſurgit.

Signa imminentis paroxyſmi.

Signa verò imminentis hujus paroxyſmi ferè hæc ſunt: ſopor gravis ſeu cataphora præcedit ſeu comitatur, cum torpore mentis, ſenſuumque hebetudine, faciei pallore, corporis ac crurum gravitate, ſummaq; pigritia, defixo obtutu, mœſtitia indicibili irrationabili tamen, ſeu præter cognitam cauſam voce muſſitante, & aſpectu oleoſo. Paroxyſmus autem jam jam inchoaturus paulatim ſymptomata paulò ante declarata inducit, ſed initio leviora, nimirum reſpirationem difficiliorem, boli cujusdam in gula quaſi inhæſionem, pulſus inæqualitatem, cordis palpitationem, capitis dolorem, faciei ruborem ut & oculorum, vertiginem ſcotomaticam, mentis perturbationem, univerſi corporis præſertim verò crurum imbecillitatem, dolorem ab umbilico usque ad muliebria pertingentem.

Habet autem hic morbus convenientiam quandam cum epilepſia & ſyncope, ab eisque his ſignis diſtingvitur, nempe à ſyncope, quod in hoc affectu ſudor frigidus non prorumpat, nec facies tanto pallore & collapſione obruatur, ſed potius ſubtumida, & ſæpius rubidula ſit, odorataque hic non proſint, ſed obſint, pulſus quoque in plerisque non omninò intercidat. Ab epilepſia autem, quod ore non ſpument, actorumq; ut plurimũ à paroxyſmo recordentur, non ſemper etiam motibus convulſivis concutiantur. Ab apoplexia, quod punctæ ſentiant: à lethargo, quod febre careant.

Cauſæ hujus affectus præcipuæ à majori Practicorum parte ad retentum ſemen vel menſtruum referuntur, intemperiemque uteri connatam, unde varia retenta impura coacerventur, ab eisque vapores maligni emittantur, quæ more ſpaſmico uterum & totum corpus variè afficiant, convellant, torqueant, diſtendant turbentve, petendo enim cerebrum efficere ſcotomiam, & quandoque Cauſæ.

doque

doque epilepſiam, vel halando ad pulmones, ſpiritum ſtringant, cor coanguſtent; in ſtomacho efficere nauſeam, & ſtimulum vomituriendi, absque tamen vomitu, ſi per ructus ſylveſtres iſti halitus emittantur,& ſic conſequenter in aliis partibus; Quamvis autem in quam plurimis fœminis hæc ita eveniant, attamen non in omnibus, ſed his tantùm, quæ a nativitate ita diſpoſitum habeant uterum, adeò intemperatum & imbecillem, ut à quovis odore moveatur,quod ſanè ingentis imbecillitatis indicium eſt, ut idem in graviter vulneratis, aliisque gravibus affectibus inſigniter debilitatis elucescit, quod inſtantes aëris mutationes & tempeſtates in parte quondam læſa doloroſè præſentiant, quod in aliis robuſtis non contingit, & ſic etiam debilis uterus cujusvis odorati auram mox percipit, à qua tanquam afflatu auſtri tepido ſtatim nubes & procellæ excitantur, quòd autem primariò uterus afficiatur, ac non hypochondria, uti quidam incogitanter affirmant, vel hinc patet, quod fœminæ ſaltem talia experiantur, nec unquam vir reperiatur,quem odores moſchi, zibethæ aliorumve ſvaveolentium confeſtim ita ſyderent. Imprimis autem in hunc affectum propendent ſangvineæ & ſeminoſæ, quibus ſangvis per menſes ſemenque per coitum non excernitur,unde frequens eſt junioribus viduis, antea coitui aſvetis, poſteaque marito orbatis, & ad continentiam compulſis, item uxoribus vividis nobilium in bella profectorum,puellisque otioſis adultioribus delicatè & otiosè viventibus, & quandoque in choreis ab adoleſcentibus contrectatis, ac dein diu eorum converſatione deſtitutis. Itemque puerperis paulò poſt partum ex debilitatione à multo ſangvine amiſſo, vel aëre in uterum ingreſſo, eumque diſtendente; promptè etiam ſequitur hic affectus vehementes animi commotiones ex zelotypia, terrore, amore, mœrore, irato furore & ſimilibus.

Prognoſin quod concernit, ſuffocatio in venereis & laſcivis pro graviori & periculoſiori habetur, quàm in his quæ obſtructione menſium laborant, quamvis facilè utraque cauſa concurrere poſſit, quo graviora habet ſymptomata, eo pejor eſt, ideòque omnium maximè periculoſa eſt præfocatio, quæ reſpirationem & arteriarum pulſationem ſiſtit, interdum enim nunquam ad ſe redeunt, quædam verò revocantur, & poſt multas horas ſe recolligunt, antea pro funerandis habitæ, proinde quæ ex hoc morbo extinctæ jam videantur, non niſi elapſis horis 72. tumulandæ ſunt, inveniuntur enim quandoque in refoſſis monumentis cadavera fœminarum capite erecto talique figura,ut facilè appareat, earum ex hoc morbo fuiſſe interceptum ſpiritum & pulſationem, ex eoque pro verè extinctis fuiſſe habitas & ſepultas, in ſepulchro autem ſpiritum reverſum, ac ſe ad exſurgendum accinxiſſe, at denegato exitu demum verè ſuffocatas. Secundum communiorem contingentiam morbus Prognoſis.

morbus hic rariſſimè lethalis eſt, at valde diuturnus, & difficilis radicalis curationis ob antea probatam uteri imbecillitatem connatam, vehementibus autem ſtipatus ſymptomatis, nimirum convulſione, virium immani jacturâ & ſimilibus interdum pheretralis fit. Si quoque originem debet retentis menſtruis & ſeminoſitati, difficilius curabilis eſt eo,quem animi pathemata cudêre. Itemque in annoſioribus & multis impuritatum recrementis ſcatentibus magis eſt difficilis, quàm in junioribus,quibus plerunque ceſſat,quando imprægnantur,ſin in tali pergat, quod tamen rariſſimè fit,periculum abortiendi creat,& in puerperis defetiſcendi ex deliquio,quum jam pridem labore & amiſſo cruore debilitatæ ſint; omni quidem tempore hic morbus obtingere poteſt, at autumno & hyeme magis fit & exacerbatur. In paroxyſmo confert ſternutatio,teſte Hippocr.lib.5.aph. 35. affectus hic plerunque ſignum eſt fœcunditatis, eoque affectæ juvenculæ nubentes quampromptiſſimè concipiunt, & copioſam prolem gignunt. Juvenculis autem ſolet contingere ex voracitate imprimis crudorum fructunm, ac ciborum pravi ſucci, ſuperhanſtâ multâ aquâ potuque frigidiſſimo, ſenioribus autem à plurima pituitoſitate putri, colluvieque ſeminis & menſium non amplius exeuntium, ut fit poſt annnm quinquageſimum, talibus enim & ſexagenariis grandævioribusve familiaris eſt; ac in ſæviſſimum capitis dolorem dierum trium vel quatuor, vel peripneumoniam, vel ſpinæ tumorem terminatur. Pituitoſæ & melancholicæ hoc morbo perrentatæ minus periclitantur, ſangvineæ autem & calidiores magis ipſi obnoxiæ, quas ſi vehemens invadat, in majori verſantur periculo, citiusque eo læduntur, quoniam majori indigent eventatione,eâque ne quidem per parvam moram carere poſſunt. In quibus ſæpius paroxyſmus revertitur, diuque durat ac vehemens eſt, his demum præceps periculum irruit, pulſu primo ab ordinaria ſua vibratione ad frequentiam converſo, ac deinde inordinatè trepidante, ubi ad extremum frigidula ſudatio cutem conſpergit, præcurſante nonnunquam oris ſpumatione.

Curationis indicatio duplex requiritur, una in paroxyſmo, altera extra eum, in paroxyſmo à cunctis graveolentia naribus adhibentur,ut caſtorium, fumus ex pennis imprimis perdicũ incenſis,capillisve & corio vetuſto, cornibus & ungulis adustis, flamma ſulphuris, aſa fœtida & ſimilia, inferius autem ſvaveolentia, ut moſchus zibetha, ambra, caryophylli, alipta moſchata, lignum aloës, olea roſarum, aromatum &c. uſuales quoque in caſu neceſſitatis ſunt ſternutatorii pulveres naribus inflati, punctiones & ligationes dolorificæ, inclamationes, frictiones, vellicationes,ſuppoſitoria,clyſteres, cucurbitularum appoſitiones,illinitiones calidorum in temporibus, & naribus, umbilico autem imponunt galbanum cum aceto diſſolutum ac *Curatio.*

alutæ extenſum; verrucæ verò in cruribus equorum naſcentes jam ſvaſu Paracelſi multis aliis præferuntur, ac mox à paroxyſmo liberant, ſi ex eis carbonibus injectis ſuffumigatio fiat, & inferius per tritoriū ad loca mittatur, debent autem dictæ verrucæ juſto tempore comparari ab his qui ex profeſſo equis negotiantur, à quibus ſponte decidentes colliguntur, violenter enim equis abſtractæ ſeu decerptæ hæ verrucæ ipſis cauſare claudicationem dicuntur. Has verrucas Paracelſus vel ſolas ad ſuffumigium accepit, vel cum hac additione:

Suffumigium.

℞. verrucar. cruralium equor. ℥j.
aſæ fœtidæ ʒj.
cornuum ungular. capræ ℥ij.
comminuta miſce & ℈j. pro vice incende.

Super ventrem impoſuit hunc ſacculum prius bullitum:

Sacculus.

℞. herb. artemiſ.
camomill.
cinerum fagi an. m. V.

Per os dedit diverſa, nempe vel laudanum opiatum, vel eſſentiam ſtercoris equi, vel ſolutionem corallorum ſingulis 6 horis exhibitionem repetendo, at cum hæc raro ad manus ſint, etiam ruſtico modo extrahi poteſt eveſtigio ſtercus equi hoc modo, probato cum ſucceſſu:

Experimentum.

℞. recentiſſimi ſtercoris equini, vel potius equæ ſi habetur, avenam vorantis m. ij. vel iij.
vini albi q.ſ. bulliant parum, dein colaturam calentem propina.

Extra paroxyſmum corpus evacuandum eſt ab impura colluvie, quod optimè fieri poteſt pilulis mercurialibus initio hujus libri inter cathartica conſcriptis: vel hoc modo:

Purgans nodulus.

℞. radic. bryon. exiccat. ℥j.
pulv. jalap.
agar. troch. an. ʒij.
leviſtic. ʒj.
ſem. fœnic. ʒij.
dauc. ʒj.
ſalis tartari ʒiſ.

conciſa & parum contuſa ligentur in nodulo ſuperfundendo vini albi ℥XXV macerentur per hor. 24. ac deinde ſemel atque iterum hauſtus bibatur, donec ſufficiens evacuatio ſit facta.

Uſus caſtorei in & extra paroxyſmum mirè hic, & in omnibus affectibus uteri convenit, in paroxyſmo detur cum laudano opiato, ſedabitque brevi hoc modo:

Pilulæ.

℞. caſtor. ℈ſ.
vitriol. martis parum calcinat. gran. j.
aſæ fœtid. gr. VII.
laudani opiat. gr. iij.
m.f. pil. iij. vel IV.
exhibeantur una vice.

Extra paroxyſmum laudanum omittatur, poſſuntque alia calefacientia addi, imprimis quæ contra colicam paſſionem inſerviunt, omnia enin & hic proſunt, ſed de his nolumus eſſe prolixiores, cum ipſe Author copioſus ſit eximiis & probatis remediis, ut habet

TEX-

TEXTUS:

STrangulatus ab utero ſecundum gradus cauſarumque evidentiam à Fernelio benè deſcritus, requirit quoque diligentem conſiderationem morbique cognitionem Levia nimirum iſthæc difficulter cognoſcuntur, & ſæpè cum melancholia hypochondriaca, aut cum paſſione Iliaca, vel cardiaca confunduntur.

Cura omnium horum ſymptomatum conſiſtit vel in omnimoda cauſarum ablatione, vel etiam in paroxyſmi remotione.

Quia igitur vapores venenati & pernicioſi in utero à cauſis quaſi antecedentibus generati ſolam proximam cauſam ſuſtinent, uterus eſt corrigendus, impuritates excernendæ, & ne deinceps talibus offendatur, providendum.

Hoc itaque loco maximè proſunt purgationes hyſtericæ, quæ ſunt à fæcula bryoniæ vel ejus extracto (vide Quercetanum in pharmacopœa reſtituta) ℈j. vel ℈ij. ad ſummum in aqua cinamomi, artemiſiæ, matricariæ. Item extractum mechoacannæ, ſpecificum purgans, panchymagogon vegetabile:

Multum faciunt in ejusmodi mundificationibus infuſiones, qualis hæc eſt: Infuſio purgans.

℞ fol. ſenæ ℥j.
rad. mechoac. non carioſæ ℥ſ.
bryoniæ ʒij.
fol. artemiſ.
matricar.
chamædr. an. mſ.
flor. cordial. an. pj.

Hæc omnia inciſa & mixta infunde in nodulo in vini ℔ij. ita ut prius fervefactú vinum ſuperfundatur nodulo, & relinquatur in loco frigido per diem. Hujus infuſi porrigitur cyathus unus (℥ VI.) vel alter per aliquot dies manè jejuno ventriculo, & veſperi circa tertiam, donec aſſumptum ſit totum. Deinde ne ejusmodi ſymptomata ſæpius recurrant, exploratum planè & experientiâ confirmatum, iſtis omnibus certiſſimè mederi ſpecificum ex vitriolo martis, quotidiè tandem à præmiſſa purgatione veſperi ante cibum in vino vel cum aqua artemiſ. matricar. &c. vel ſine iisdem exhibitum per ſeptimanas 2. 3. 4. vel 6. donec ceſſat malum, vide ſupra de hydrope & ſtillicidio uteri. Specificum certum.

Paroxyſmum multa ſunt quæ tollunt, de quibus videantur Practici.

Sic ſuffumigia fœtida vel etiam odores rerum fœtidarum, quales ſunt fumus ex pennis perdicum, capillorum humanorum, ungulæ alcis, aſini, item carbonum foſſilium, aſæ fœtidæ, oleum ſucci-

 ni,

ni, tartari, guajaci &c. naribus admotum.

Sal Jovis juvat.

Sal Jovis à Crollio deſcriptum umbilico calidè inunctum ſuffocationem ſubitò ſiſtit.

Zibethi ℈ſ. cum ℈j. ol. nucis moſchatæ expreſſi temperatus, & poſtea in linteolo intra pudenda intruſus maximè prodeſt.

Fumus è callis equorum per tritorium vel retortam detruncatam immiſſus (mirum eſt uterum hunc ſuſtinere fœtorem, cum aliàs ejus ſit impatientiſſimus) ſubitò ſiſtit.

Internè cum fructu exhiberi poſſunt ſeq.

I. *Sal Jovis in aqua ſingulari hyſterica.*

II. *Eſſentia granorum chamæactes i.e. ebuli, cujus cochl. ſ. usq; ad j. intro ſumptum paulatim erumpentibus ſudoribus, & quieſcente corpore paroxyſmum ſiſtit, & vapores ex ipſo corpore per diaphæreſin reſolutos expellit. Præparatur autem hæc eſſentia ſequente modo: ℞. magnam copiam granorum actes, exſiccentur in umbra, ponantur in matracio colli longi usque ad medium, ſuperinfunde aquam vitæ, ut per quatuor digitos ſupernatet, adde aliquot guttulas ſpiritus vitrioli & vaſe benè obturato fiat digeſtio in B. M. per V. aut VI. dies, quousque aqua acquirat tincturam*

Eſſentiæ granorū chamæactes præparatio.

rubini inſtar, ſepara illam per inclinationem, hujus dabis ſemicochlear in acceſſione, & illico excitabitur.

His omnibus præfertur laudanum ſuffocationum ſpecificum (poſteaquam quoque indita fuerint in uterum peſſaria trahentia, ut ſi ſemen corruptum ſit, extrahatur, aut ſi vapor incluſus, abſumatur.)

Specifica ad odorandum.

Mulieri ſuffocatæ ſtatim præſtat adhibere ad nares fumum è galbano, aſâ fœtidâ, pennarum perdicis; aut inungantur nares oleo gagatis per retortum in modum olei ſuccini, ſed igne paululum vehementiori deſtillato, verbi gratia ℞. gagatis q. v ſalis communis tantundem, & in cineribus igne primum lento, poſtmodùm fortiori in ſubjectum recipiens deſtilla oleum, quod ſi lubet, addita aqua ſimplici rectificari poteſt per alembicum. Aut ℞. loco olei gagatis oleum rutæ aut ſuccini. Quidam dicto oleo ex oleo ſuccini umbilicum & ventrem totum quoque inungunt.

Umbilicus inungatur balſamo apoplectico, aut applicetur emplaſtrum rotundum (a) *ex emplaſtro pro matrice, in cujus medio aliquot grana zibethi ponantur.*

Notanda de emplaſtris.

(a) Modus talium emplaſtrorum apud Practicos diverſus eſt, quidam enim emplaſtrum pro matrice rotun-

tundum in circuitu galbano obducunt, & in medio aliquid moſchi vel zibethæ ponunt, alii cū Rondeletio emplaſtrum pro matrice improbant, eò quod quædam adſtringentia intrent (quod nihilominus ſæpius juvit) maſſamque emplaſtri ceronei ei præferunt, quod digerat, calefaciat & materiam abſumat, ſi conficiatur in modum ſcuti, cujus pars acuta grato odore imbuta apponatur parti inferiori, ut gratum odorem inſpiret in ipſum uterum, eumque retrahat & retineat; Alii hoc emplaſtro utuntur:

Emplaſtrum.

℞. empl. ceronei.
pro matrice an. ℥j.
galliæ moſchatæ
aliptæ moſchatæ
ladani an. ʒj.

impaſtentur & ſubigantur oleo nardino, formeturque emplaſtrum rotundum, inter umbilicum imponendum.

Aliter.

Alii ita procedunt:

℞. emplaſtr. contra matricem ℥ſ. ducatur ſuper alutam rotundam inſtar daleri, & in circuitu obducatur galbano, & umbilico apponatur; obſtetrix quoque digitum intingat in hoc oleum:

℞. olei lilior. ℥ſ. zibethæ, moſchi an. gran. IV. m. digitus hoc modo intinctus clam vulvæ indatur.

Umbilico imponendæ ligaturæ ſimul dolorificæ, & applicentur cucurbitæ ingvinibus circa pubem cum multa flamma.

Conficiatur peſſus ex linteo, qui inungatur balſamo apoplectico, & genitalibus mulieris indatur, quo tempore fœtida naribus adhibeantur.

Laudanum ad ſuffocationes matricis.

Intra corpus exhiberi poteſt doſis laudani ad matricis ſuffocationes, quod fit ſequente modo: ℞. laudani noſtri ſine opio ʒij. adde extracti lichenum (b) *ſeu callorum equarum ʒij. m. diligenter, illicò ſuffocationes matricis ſedat ad ℈ſ. exhibitum.*

(b) Per lichenes intelligit ſupradictas verrucas equorum crurales, quæ in furno exiccatæ & pulveriſatæ etiam prunis injiciuntur, illicò enim fumus exceptus paroxyſmum abigit.

Extractum lichenum.

Extractum lichenum ſic fit:

℞. *aquæ meliſſæ cum vini ℔ VI. deſtillatæ ſuper ſuccinum & gagatem an. ℥ij. deſtilla* (c) *per retortam ex cineribus igne in fine forti. Aqua deſtillata ab oleo, quod hac via ſimul elicitur, ſeparetur. Cum hac aqua collectos lichenes ante exſiccatos in B. digere, & extrahe ad extracti formam. Idem extractum etiam ſolum exhiberi poteſt à gran. V. ad VIII.*

(c) Senſus eſt, ut herbæ meliſſæ manipuli aliquot nempe VI. vel VIII. minutim concidantur, viniq; optimi libræ 6. ſuperfundantur, ac per ſufficiens temporis ſpacium, ſcilicet dierum octo vel plurium macerentur, ac deinde deſtillatio ſpiritus ardentis inſtituatur, ponendo

prius ſuccinum & gagatem pulveriſata in vas recipiens, & ſic ſuppoſito igne ſtillabit ſpiritus vini meliſſatus ſuper dictum pulverem, ſimul ergò poſtmodùm evacuentur in retortam vitream, eaque in capellam cum cineribus locetur, ac igne leni prius circiter ℔ſ. ſpiritus ardentis ſeorſim excipiatur, dui ſatis quaſi rectificatus erit & pro extractione inſerviet, reliquum in retorta pariter in peculiari vitro appoſito excipiatur, deſtillando omne quod ſtillare vult, & augendo in fine calorem, qualis nimirum ad deſtillationem olei ſuccini requiritur, & ita per aliquot horas continuando, ſic prodibit oleum aquæ in receptorio innatans, à qua communi more ſeparari, & inſtar olei ſuccini ad ſuffocationem hyſtericam uſurpari poterit.

Aut aqua theriacalis offeratur in qua ℈ſ extracti caſtorei, aut pulveriſati caſtorei ℈j. aut tantùm exhibeatur theriacæ antiquæ ʒij. aut caſtorei pulveriſati in aqua artemiſiæ, Aut

Mixtura.

℞. extract. caſtor. cum ſpir. vini facti
eſſentiæ croci an. ℈ſ.
ſalis perlar. gran. VI.
ol. ſuccini gutt. ij.
m. & cum aqua artemiſiæ & meliſſæ exhibe.

Commendatur quoque vel maximè oleum Jovis, cujus præparationem vide in ſcholiis ad Crollium.

Liquor iſte umbilico hyſtericæ immiſſus ſtatim ſuffocationem ſiſtit, internè à guttâ una ad duas vel ad ſummum tres repetitis vicibus exhibeatur in adultis, alvem largiter ciet. Experimentum.

Aſcenſus uteri parum differt à leni ſtrangulatione primi gradus. Fiunt nimirum præcordiorum compreſſiones, dolores & ſpirandi difficultates, interdum deliquia animi ſubſequuntur. Aſcenſus uteri.

Huic ſymptomati tollendo æquè neceſſaria & utilia ſunt, quæ antea de ſuffotationibus ſunt allata.

Imprimis eſſentia granorum chamæactes multum præſtat, ſi cauſam velis auferre, utere iisdem, quæ ſuffocationibus tollendis utilia fuerunt.

Convulſioni uteri alioquin me*dicamenta convulſiva inſerviunt; vide tamen easdem convulſiones ſuffocationum modo curandas eſſe.* Convulſio uteri.

Specificum in hoc caſu eſt eſſentia granorum chamæactes h e. ebuli (tinctura granorum actes) cum IV. vel VIII. guttis ſpiritus vitrioli antepileptici. Item tinctura corallorum. Item inſeſſiones, fomentationes. Specificum convulſionis uteri.

CAP.

CAP. CLXVII.
DE PROLAPSU UTERI;
Germ. das Ausfallen der Mutter / oder ein Mutterbruch.

Procidentia uteri quid?

AFfectus procidentiæ ſeu prolapſus uteri dicitur, quando aliquid rugoſi & membranei ab interiori colli uterini parte verſus pudendum propendet, iſta pars propendens ſeu prolapſa ab omnibus ferè tam antiquis quàm neotericis pro inverſo vel collo vel fundo uteri habetur, quemadmodùm Paulus Ægineta de hac procidentia lib. 72. ita ſcribit: *Quidam totum prolabi uterum memoriæ produnt, quod à vero longè abeſt. Uterus enim parte inferiore duobus ligatur fortiſſimis ligamentis, quæ illum retinent, ne ſuperiores partes comprimat, & neque in dextram vel ſiniſtram contorqueatur, & meatum vel cornu vel os interius dilatans; quod ſi alterum ligamentorum relaxetur aut contrahatur, trahitur ad partem dextram vel ſiniſtram. Parte ſuperiore uterus firmatur & ligatur vaſis ſpermaticis, & venis in ſuperiorem uteri partem pervenientibus. Et quia venæ & arteriæ facilè rumperentur, niſi firmarentur firmiſſimo aliquo vinculo, natura peritonæo munivit & venas & arterias, & totum uterum. Si peritonæum relaxetur, devolvitur & decidit in partem inferiorem, aliquibus magis, aliquibus minus. Nam quibusdam extra apparet, aliis in collo ſentitur, quod verò procidit, ovo ſtruthiocameli ſimile eſt, majoris tantùm aut minoris ratione differens, prout everſionis violentia coëgerit.* Hunc Paulum omnes poſteriores in ſuis ſcriptis imitati ſunt, procidentiam nimirum uteri contingere ſcribentes, quando vel fundus ejus invertatur, & deorſum in cervicem uteri prolabatur, vel quando ſola ejus cervix per rimam vulvæ extra corpus procedat: ſicuti enim quandoque muſculi ani ſphinctères dicti, & inteſtina, & omentum è ſuo loco deorſum delabantur, ut in ramice contingat; ita & matricem ſæpè deorſum ruere, & è corpore propendere, idque vel per relaxationem vel ruptionem ligamentorum membranarumque, quibus uterus cum peritonæo & inteſtinis, oſſibusque ſacro & ilii colligatus ſit, prout in humidioribus naturis, externamve refrigerationem, vel madidationem per immorationem in aquis vel diutinum muliebrem fluxum paſſis frequenter relaxatio, ruptio autem à violentis cauſis ex partu, caſu, ſaltu & ſimilibus eveniat. Agnoſci quoque & dignoſci an membranæ ac ligamenta relaxata ſaltim aut rupta ſint, ex materia cum prolapſo utero profluente. In relaxatione enim ligamentorum uterum eſſe albâ & mucoſâ materiâ defecatum; In ruptione verò ſangvinem & deinde pus profluere, urinamque cruentam apparere. An autem cervicis vel fundi prolapſio facta ſit, ſciri exinde, quod cervice prolapſa caro rubens virili glandi cum ſuo foramine ſimilis extra corpus ante pudendum

propen-

propendeat; fundo è contra everſo & prolapsâ carnem propendulam ſcroto virili eſſe perſimilem, ovumque anſerinum magnitudine ęquantem. In omni quoque matricis prolapſione lumborum & pectinis ſentiri dolorem, rectique inteſtini & veſicæ fieri compreſſionem nec non egerendi difficultatem. De hac uteri procidentia ſcribit quoque Aëtius lib. 16. cap. 78. *Procidit uterus, quando ita evertitur, ut exterius emineat; neque enim ut imperiti ſuspicantur à ſuis ſolutus propaginibus totus decumbit; nam ſi ita procideret, reſtaurari minimè poſſet. Ab alto enim mulier ſi in coxarum vertebras deciderit, disruptis membranis quibusdam, quæ vulvam cum vicinis membris connectunt, eo morbo corripitur. Nec minus corripietur ob violentam loculi expulſionem, quod præcipuè in aborſibus accidit. Nimia præterea ſpiritus detentio, aut immenſi ponderis elevatio, aut percuſſio uteri procidentiam inferre ſolent. Sæpè & ob humoris plurimi ac tenacis defluxum, partuumque frequentias, laxantur ſolvunturque appendices profundo utero ſuperius inhærentes. Ob vehementes etiam animi affectus, ut ſi filiorum interitus, vel hoſtium incurſus nuntietur, vel in maximam pelagi tempeſtatem inciderint, toto corpore mulieres exſolvi ſolent, ita ut vulva quoque elabatur & procidat Nonnunquam & ſine ullâ iſtarum cauſarum debilitantur corpora, ut membranis, muſculisque vulvam ſuſtinentibus exſolutis affectus contingat, quod decidente ætate fieri ſolet.*

Verùm citati jam Pauli aliorumque antiquorum doctrina de hernia uteri clariſſimo Paulo moderno nimirum Barbettio minimè probatur, ſed graviter eos in ſua praxi cap. 10. libri quarti reprehendit his verbis: *Hernia uterina falſiſſimè ab antiquis eſt deſcripta, quod non lubens ſcribo; Interim bono publico eſt conſulendum. Hoc errore illos notare cogor invitus, quod herniam uteri judicaverint, quod hernia uteri nunquam fuit: hoc enim ferè nunquam, rariſſimè certè accidit, quod antehac in chirurgia mea monui. Hernia vulgò vocata uterina nihil aliud eſt quàm relaxatio anterioris vulvæ tunicæ. Rugoſa eſt hæc tunica, non ſolùm ut penem amplectatur, & melius ſemen deferat ad uterum, ſed etiam ut partus tempore onere ſuo citius liberet infantem, quod apprimè notandum. Facilè ab initio curatur adſtringentibus, & gangræna ſi metuatur, exſcindi poteſt ſine vitæ periculo, metuve hæmorrhagiæ, en paucis totam ejus curam.* Idem in chirurgiæ ſuæ prima parte cap. 8. de uteri procidentia ſic loquitur: *Uterus haud facilè procidit ob laxitatem, multo minus ob rupturam ligamentorum latorum, quale quid Authores ſibi imaginantur. Ex partu laborioſo aut violenta extractione ſecundinæ nobiſcum obſervarunt alii fundum uteri omninò inverſum circa pudenda, ita ut interiora ut externa ſe exhiberent. Imò annotare etiam nobis contigit*

tigit (in iis præſertim, quæ vel alvi ſuppreſſioni, vel doloribus ventris obnoxiæ) pudendi membranas eo usque extendi poſſe, ut imperitis pro utero ipſo habitæ fuerint, & adhuc quotidiè habeantur.

Curatio. Idem clariſſ. Barbette ſuam curationis methodum dicto loco ſubjicit hanc: *Ægra ſupina collocetur, genubus ſurſum protenſis, & à ſe invicem paulùm diſtantibus, hinc candela cerea, craſſitiei juſtæ, aſſæ fœtidæ aut caſtorei aliquâ quantitate admixtâ ſenſim in uterum immittatur, ibique vinculi commodi beneficio detineatur, non neglecto emplaſtro barbaro ventri imponendo aut ſequenti:*

Emplaſtrum.
℞. *rad. cyperi*
biſtort. an. ℥j.
gallar.
acaciæ an. ℥ſ.
nuc. cupreſſi
oſſium dactyl.
ſem. myrtill. an. ℥j.
picis
colophon. an. q. ſ.
m. f. emplaſtrum.

Quies hic ſeriò injungenda, caveat ideò ſibi ægra à vociferatione, jurgiis omnibusque illis quæ tusſim aut ſternutationem cauſare valent, pedes quoque cruciatim collocentur.

Proſpiciendum hîc ſedulò, ne ſiquidem candela dicta major debitò fuerit, ex continuo attritu fluor albus cauſetur, naturaque ad ſeminis ejaculationem irritetur, unde debilitas ſumma, & quandoquidem difficillimum, ne talia eveniant, prævidere, quæcunque etiam adhibeatur cura, benè illos facere judicamus, qui ſecundum longitudinem perforatâ candelâ utuntur, quo ſic humoribus affluentibus exitus conveniens concedatur. Hæc ille. Curatio hæc cum chirurgica potiori parte ſit, nolumus de ea eſſe verboſiores, ſed ſufficiat Authoris

TEXTUS.

PRolapſum uteri eadem curant, quæ prolapſum ani. huc itaque repetenda ſunt. Curatio autem operatione chirurgicâ potiſſimum efficitur. *Ægram nimirum ſuper dorſum reſupinam coxis altioribus dilatatis & reflexis poplitibus* collocando. *Hinc uterum prolapſum* oleo tepido, *aut butyro inſulſo vel etiam decocto malvæ, chamomillæ & aliis* emollientibus *fomentatum, aſperſo poſt pulvere aſtringente ex acacia, hypocyſtide, pulvere oſſium dactylorum combuſtorum, aut mumia vel gallis ſubtiliſſimè pulveriſatis in proprium locum reponendo, intrudendo inſuper lanam in ſe convolutam, forma & craſſitudine muliebri ſinui reſpondentem, linteoloque exceptam, ac vino rubro ſtiptico imbutam. ſicque absque dolore & violentia in proprium locum devolvendo. Quod ſi uterus prolapſus putredine jam infectus ſit, quod corruptum putridumque eſt, reſcindatur,*

tur,

tur, idque citra periculi formidinem, cum etiam univerſo utero ablato nonnullæ mulieres plures annos ſupervixerint.

CAP. CLXVIII.
DE STERILITATE, Germ. Unfruchtbarkeit.

STerilitatem infœcunditatemve longo verborum ſyrmate deſcribere quid ſit, opus non eſt, quum quilibet eam quotidiè obſervet, idque plerunque apud ditiores ſat opum habentes etiam ad numeroſam prolem ſuſtentandam, liberis tamen carentes, ideòque ſe infelices arbitrantes, quod non habeant, quibus ſuam uberrimam hæreditatem ac ſplendens nomen hæreditariè relinquant; tales non raro ingenti pecuniâ fœcunditatem emerent, ſi fieri poſſet, ac ſæpius etiam optatus convenienter adhibita remedia ſucceſſus ſequitur, quatenus ex naturalibus cauſis ac impedimentis impedita fœcunditas fuit, interdum enim ex ſingulari & inſcrutabili Dei nutu liberi denegantur, ſicuti per totam ſcripturam ſacram exempla occurrunt, talique à Deo peculiariter immiſſæ ſterilitati mederi velle fruſtraneum arbitramur. In aliis verò ſterilibus ſpem non eſſe abjiciendam, quotidiana teſtatur experientia earum quæ diutinam infœcunditatem conqueſtæ partim ex uſu thermarum, partim aliorum remediorum prolificæ evadunt.

Sterilitas quid? Sterilitas igitur nihil aliud eſt quàm impedimentum & privatio benedictionis & mandati illius Divini, quod ſuis creatis hoc verbo: *creſcite & multiplicamini*, injunxit, tempore nimirum opportuno jam præſente, quo impleri deberet.

Cauſæ. Cauſæ ſterilitatis poſſunt eſſe variæ, nunc à viro, modò à muliere provenientes, interdum ab utroque, imò quod mirum eſt, inveniuntur quandoque conjuges ambo fœcundi, nec tamen ulla ratione generare poſſunt, eò quod eorum temperamenta ad invicem non ſint analoga, exempla enim ſunt talium ſterilium, ubi maritus curioſulus experturus, an ſterilitatis cauſa in ſe ſit, cum ancilla conſueverit, eamque imprægnarit, ſimiliter uxor poſt obitum prioris conjugis alteri nupta pariter conceperit. Diſcraſia itaque & inconvenientia temperamentorum quandoque in cauſa eſt, ita ut uterque ſit nimium humidus, vel ſiccus, calidus vel frigidus, frigidum enim & calidum, humidum & ſiccum convenire debent, talia namque contraria ſpermata invicem mox fermentationem ineunt, pugnandoque cauſa ſunt conceptionis & commembrationis fœtus. Interdum etiam ejusmodi diſcraſia ad certum tempus tantummodò intercedit, ac poſtmodùm ſponte ceſſat, quemadmodùm interdum reperiuntur, qui ultra decem vel plures annos ſteriles in matrimonio cohabitant, ac deinde absque ullis remediis fœcundeſcunt; ſæpius tota cauſa in fœmina manifeſtè latet, & corrigibilis eſt, quando nimirum menſibus caret, vel redundat, vel inordinatos habet,

habet, vel vitioſos, quemadmodùm enim arbor tam non florens quàm tempore florum ſuorum pruinam patiens, vel vitioſum vel intempeſtivum florem edens, qui nimirum ſibi ipſi depaſcentes erucas vel bruchos cantharidesve progignat, vel præcociter pruinoſoque cœlo erumpat, fructum vel planè nullum vel pauciſſimum fert, ita quoque menſtruus flos muliebris penitus abſens, vel intempeſtivè, vel vitiosè præſens, vel imbribus profluvii ſubmerſus, ſemper uterum ſterilem vel abortivum arguit. Sicuti etiam in agro nimium humido vel arido extremè itidem pingvi vel macro ſeminatio fit incaſſum, ita ſimiliter matrix præhumida vel exſucca, vel pingvedine lubrica, vel macritudine ſqualida ad fœtationem inhabilis eſt; Denique vitioſitas inſtrumentorum ut clauſura uteri, nimia virgæ brevitas, indecens ſeminis ejaculatio ſæpius in cauſa eſt, aliaque multa ex parte viri impedimenta, quando videlicet nimia ventricoſitas, vel herniæ legitimum congreſſum impediunt, vel vir ſemiſpado eſt, vel decrepitus ſemen tenue, langvidum, aquoſum, modicum, frigidumve contribuit, vel penem improportionatum habet, nimis enim breves ſemen non poſſunt ad uterum deferre, exceſſivè longi infœcundiores procreare dicuntur, nimium pingves viri duplici modo ad generationem minus habiles ſunt, ſcilicet vaſtâ ventris turgentiâ, mutuam genitalium copulationem debitam impediente, & ſeminis perpaucâ emiſſione, extenuati verò conſimiliter fœcundo ſemine deſtituuntur, ut & luxurioſi, venerisque frequentiâ enervati, valetudinarii, ebrioſi, frigidi, ſemenque crudum, tenue, aquoſum & gonorrhœicum generantes, quod in matrice ſeroſa labilitate citò diffluit & elabitur, ſterilitant quoque teſtes contuſi, frigidi, abſceſſum vel ulcus experti, extractio calculi renum vel veſicæ, indeque ulcus enaſcens, urethralis foraminis obliquitas, virgæ inerigibilitas, ſectio ramicis, ulcus vel convulſio penis, veſicula Gallica, verruca & caruncula in urethra enaſcens & ejaculationem præpediens, potus quoque creber camphoræ, anethi, ruthæ, menthæ & medicaminum è plumbo factorum ut communis rumor fert, item teſtium illinitio ex opio, hyoſcyamo, cicutâ, mandragorâ, ſimilisq; farinæ ſtupefactivis crebrius applicatis. Tandem infirmitas officinarum ſpiritus animalis, vitalis & naturalis, ſeu cerebri, cordis, pulmonis, jecoris renumque facultatem generativam peſſundant, ut & grandæva ſenectus, quæ poſt annum ſexageſimum luxuriare & generare communiter deſinit, quamvis etiam reperiantur qui etiamnum in tali ætate prole beentur, ii tamen rariores ſunt, nec ſemper certo conſtat, neminis alterius interventu id fieri. Ex parte mulieris etiam quam plurima ſunt, quæ conceptionem remorantur, videlicet caliditas & fervor, frigiditas & ſtupor uteri, mador, ſqualor, ariditas, carnoſitas, obeſitas, excarnatio, gracilitas, debilitas, flatuoſitas, anguſtia,

parvitas, obſtructio, cicatrix, cervicis quoque obliquatio, anguſtatio vel ampliatio; ſterilitatio etiam fit à concubitu coacto, deformitate horribili, odioſo conjugio, phthiſi, marcore, hecticâ, macie, pingvedine, craſſitudine, iracundiâ furiosâ, meretriciâ calloſitate, ab attritu multo, uterinis morbis, ut ſunt absceſſus, procidentia, exulceratio, & quilibet deſcripti ſuperius, item habitu ad virilitatem accedente, ut fit in viraginibus, barbeſcentibus, audacibus, virilibus, voce graveſcentibus, ſemineque fervidis, adeò ut feſtinanter ante virilis admixtionem excernatur. Deniq; quantum diæta inconveniens pharmacaque præpoſtera nocere, atque ad inferendam ſterilitatem conferre poſſint, ſatis notum eſt.

Interdum tamen omnia recto & debito modo ſe habere videntur, & nihilominus conſtans ſterilitas conjuges prolis cupidos contriſtat, cujus cauſam ſcire avent, an nimirum vir vel mulier in culpa ſit; id quod perdiſci poſſe hoc modo ajunt: ſi nimirum uterque ſeorſim manipulum hordei integri non exoleti propria urina per noctem maceret, ac deinde hoc maceratum hordeum in terram ſerat, ſique germinet, eum cujus urinâ maduit à ſuſpicione infœcunditatis vindicat. Præcipuè autem in mare fœcunditatem arguit habitus carnoſus non immodicè pingveſcens, nec ullo ſupradictorum vitiorum affectus, cui venulæ rubræ in albo oculorum ſunt conſpicuæ. In fœmina verò ſtatura corporis moderata, latitudo lumborum & ſuminis, natium eminentia, mediocris ventris protuberantia, pectoris anguſtia, mammillarum amplitudo, menſtruorum ſtata periodus, ſangvineusque inſtar cruoris jugulati pecoris rubor.

Signa ſterilitatis manifeſta quidem ſunt, quando nempe in vigore ætatis nulla fit conceprio, ex quibus autem cauſis id fiat, certis quibusdam indiciis cognoſcitur, quæ enim admodùm onerosè, curvè, claudicanter, gibbosè, vel ventricosè incedunt, cogitandi anſam dant, tales in ſitu & decubitu ad coitum apto impediri, ſeminumque debitum concurſum fieri non poſſe; quæ verò faciem oſtendunt morbosè pallentem, inflatam, laxam, vireſcentem, luridam, fœdèque coloratam, defectum in menſtruis indicant, vel cachexiam, leucophlegmatiam aliumve gravem affectum, & ſic hoc morbo durante non concipiunt, vel alio quovis gravi, nempe gonorrhœâ, lue Gallicâ, leprâ, cancro, hecticâ, calculo veſicæ, ulcere veſicæ vel uteri, ejusque affectu quovis morboſô, quorum indicia partim ex inſpectione lotii, partim exploratione obſtetricis habentur, partim etiam ex moribus & vitæ actionibus fœminæ, continuò enim ſedens, pigra & ſomnolenta, pallida, flaccida, ac carnis laxitate, menſtruisque aquoſis prædita, nec non catarrhis & defluxionibus obnoxia frigidum & humidum habet uterum, parumque coitus appetens eſt, ſive ea talem habitum connatum habeat, vel pravâ diætâ eſu

Signa cauſarum.

eſu nimirum crudorum fructuum, hauſtuque multæ aquæ frigidæ aliorumque refrigerantium uſu ſibi acquiſiverit. E contra macra, ſiticuloſa, rubens vultu, nigricans capillis & ſuperciliis, in actionibus prompta, iracunda, aſperâ & gravi voce loquens, verruculam unam vel alteram in mento pilis obſitam geſtans, vel etiam aliquantulum in circuitu oris pileſcere velle viſa ſeu lanugineſcens, uti fit in adoleſcentulis prima circa os lanuginis veſtigia oſtendentibus, item parcum & obſcurè ſeu ex atro rubentem menſium fluxum patiens, coitusque deſiderio flagrans calidum & ſiccum habet uterum. Signa autem ſterilitatis ex faſcinatione & diabolicis veneficiis certa parum nota ſunt, niſi quod plerunque tales conjuges ſe invicem implacabili odio proſequantur, neuter tamen ejusce odii cauſam indicare vel rationem reddere poteſt. Signa verò ex defectu ſangvinis ſunt vel nimia obeſitas, vel macilentia, utraque enim ſangvinis defectum & inopiam arguunt, obeſitas quidem quod ſangvis in pingvedinem coagulatur, parumque ſangvinis in venis remanet, macritudo verò, quod exhauſtio & inanitio corporis præceſſit, vel per jejunium caſtigationemve ſeveram, vel prægreſſi morbi depaſcentiam, vel hæmorrhagiam, vel profluvia, vel improbos & ſudoroſos labores, vel vigilias vel ulcera fortiter manantia, cauteriaq; ſeu vulgò fonticulos multum effluentes, ſingula enim hæc corpus exhauriunt, cruoremque imminuunt, quem niſi redintegratum ordinarius menſium fluxus indicet, prægnationi locus non eſt.

Loquitur verò etiam Hippocrates de ſterilitate & conceptione in ſequentibus locis:

Præter naturam craſſæ non concipiunt. *lib. 5. aphor. 46*
Idque à compreſſione oris uteri ab omento. *5. 46*
Et ſterileſcunt donec extenuentur. *5. 46*
Pertenues verò abortiunt, *5. 44*
Frigidos & denſos uteros habentes non concipiunt. *5. 62*
Nec non prahumidos. *5. 62*
In talibus uteris extingvitur genitura. *5. 62*
In nimium autem ſiccis & adurentibus ſemen alimenti defectu corrumpitur. *5. 62*
Utriusque verò temperies fœcundat. *5. 62*
Mulier circum tecta veſtibus ſi ſubtus ſuffita odor per corpus ad os & nares pertingit, ſterilis non eſt. *5. 59*
Mulieribus autumnus aquilonius & ſiccus commodus eſt. *3. 14*
Mulier menſibus omninò non prodeuntibus non concipit *lib. de ſterilib.*
Vel paucioribus, quam debent. *ib.*
Vel pluribus quàm oportet. *ibid.*
Vel ulcerata in utero. *ibid.*

Prognoſin quod attinet, frigiditas & ſterilitas connata tam in viris quàm fœminis per medicamenta non mutatur, ſuntque tales viri timidi, muliebrique voce & actionibus plurimis, nec non imberbes & *Prognoſis.*

glabri circa teſtes, coitum non appetentes, quibus ſemen frigidum à fœmina in utero ſentitur, tardique exitus cum exigua voluptate, colis vix erigitur, ſed flaccet, pili pubis ſunt exiles, fugiunt converſationem mulierum, eisque compellatis pudore & vultus rubore pleni ſunt ſubductionem meditantes, hi ferè ſteriles eſſe ſolent, ut & nimium calidi, piloſi nigris pilis in partibus genitalibus abundantes, circumcirca, petulci quidem & libidinoſi, ac ſtatim ſatiabiles. Etiam tales piloſæ fœminæ pilos multos, duriores & rigidos circum pubem habentes, & in circuitu oris paucos vel multos, item plurium virorum amplexus paſſæ, nec tamen imprægnatæ, audaces, ſalaces, ſiccæ, ſitibundæ, ad iram frequentis ferociæ, celeris pulſus, menſtruorum paucorum, & ex aduſtione nigricantium. Steriles quoque ad totam vitam fiunt, quibus medicamenta ſterilitatem inducentia, vel fœtum in earum imprægnatione ejicientia propinantur; item quæ in tenerâ ætate violenter deflorantur, habentesque hæmorrhoides & excreſcentias in utero, vel cicatricem à vulnere uteri, vel ſi talis conciperet, metuenda ipſi mors eſſet, ob impeditam in collo dilatationem pro exitu fœtus; Impedit quoque conceptionem os uteri durum, compreſſum calloſumve eò, quod exactè claudi nequeat, vel ſi conceptione factâ clauderetur, fœtum ſuppri meret, quod non ſit libera dilatatio. Tempus autem ad fœcunditatem & conceptionem maximè opportunum eſt annus ætatis vigeſimus octavus pro maſculis, decimusque octavus pro virginibus, ſi tum matrimonium ineatur; quanquam autem fœcunditas tamdiu duret, quamdiu menſes ordinatè fluant, eæ tamen virgines quæ nimium annoſæ elocantur, plerunque poſtea non concipiunt, etiamſi menſes earum in curſu ordinario pergant, aut ſi concipiunt, ut plurimum laborioſiſſimè pariunt, in cæteris prolem antea expertis ſpes conceptionis ſupereſt ad finem usque menſium, circa annum quadrageſimum quintum & nonnullis quinquageſimum deſinentium. Terminus verò conceptionis aptiſſimus eſt dies ſecundus vel tertius à menſtruâ purgatione. Sterilitas autem nimis inveterata, vel ab innato vitio, ut ſi ægra ſit gibba, hermaphroditica &c. omnino immedicabilis eſt, ab aliis autem accidentibus profecta nempe ſuppreſſione menſium, uteri procidentia, profluvio, lue Gallica &c. ea pro accidentis leviori vel graviori magnitudine magis vel minus curationis induit difficultatem.

Curationis ſpes ex cauſæ conditione metienda eſt, & juxta eam aggredienda, cum autem utplurimum impedimentum conceptionis in medicabilibus à ſuperflua pituitoſitate dependeat, ea eſt evacuanda, intemperiesque uteri corrigenda hoc vel ſimili modo: ut primò præcedat præparatio humoris pituitoſi, quod præſtabit hæc potio; Curatio.

Potio præparans.

℞. rad. ireos
angelic.

ſcrophu-

ſcrophular.
rubiæ tinct. an. ℥ſ.
fol. artemiſ.
meliſſ.
matricar.
tanacet. an. m. j.
cortic. aurant. ℥ſ. ʒij.
ſem. fœnic.
dauci an. ʒij.
zingib.
macis an. ʒj.

concidantur omnia minutim, & ſuperfuſis vini albi non fortis, vel ſi forte ſit, quarta parte aquæ diluti libris quatuor, in cantharo lapideo vel ſtanneo paſtâ frumentali oblito coquantur in bulliente balneo per horas tres, quibus elapſis, expreſſioni colatæ adde ſachari candi pulveriſati ℥VI. & probè obduratum aſſervabis, cujus ℥V. vel VI. ſingulo mane, merendali & ſerotino tẽpore ebibes, jejunando deſuper per tres horas.

Inſumpta hac potione purgativum ſuccedat, quod tale eſſe poterit.

℞. maſſæ pilular. de hiera.
agar. trochiſc. an. ʒj.
caſtor. ʒſ.
vitriol. martis parum calcinat. gran. V.

m. & cum ſyr. roſ. ſolutiv. q.ſ.f. pilulæ, quarum ʒſ. vel ʒj. bis vel ter in ſeptimana aſſumatur, prout magis vel minus evacuant, temperamenta enim phlegmatica promptè purgantibus auſcultant, ideòq; minori doſi prima vice ſollicitanda ſunt.

Conducunt etiam thermæ naturales, vel ſi deſint, arte paretur talis inſeſſus:

℞. herb. matricar. artemiſ. beton. ſalv. majoran. meliſſ. hyperici, an. m. iij. ſalis commun. manip. ij. ſulphuris ℥IV. alum. ℥ij. concidantur & contundantur omnia quæ oportet, & dividantur in duo vel tria ahena aquæ plena, atque coquantur in ſemicupium, in quo indies recalefacto ægra per horam moretur, die autem quinto recens dictarum ſimplicium paretur, ut ad minimum per octiduum inſeſſus continuari poſſit, parando etiam vinum medicatum ex conſimilibus herbis uterinis.

His & ſimilibus remediis utero præparato accedendum ad ſpecifica contra ſterilitatem, quorum non infimum eſt Elixir Crollii uterinum, cujus ℈j. in omnibus uteri defectibus in aqua meliſſæ pro vice aſſumitur, ſcimus enim diverſa exempla ſterilium, ab uſu hujus elixiris ad fœcunditatem immutatarum. *Elixir uterinum Crollii eſt certum ſpecificum.*

Præterea non reticendum nobis eſt ſecretum quoddam hæreditarium à Superintendente quodam, cujus avis & abavis ad hunc uſum ſacratum fuit, revelatum, quamvis experti nondum ſimus, communicamus tamen fideliter uti accepimus:

℞. herbæ roris ſolis maturi & benè rubentis, (quod in canicularibus diebus ſeu intra feſtum B. Virginis viſitationis & aſſumptionis contingit, nam diligenter ejus collectioni inſudandum, aliàs inopinatè diſperit) benè ab omnibus ſordibus, muſco & extraneis mundati q. v. deſtilla in B.M. & aquam prodeuntem citrino colore (quod admodùm miratu dignum, cum herbæ aliæ cryſtallinâ albedine coloratas aquas deſtillatione *Secretum hæreditarium.*

latione præbeant) novæ herbæ affunde, & pariter deſtilla, hocque quoties volueris, repete (nota: capita omnia mortua poſſe in cinerem tenuiſſimum redigi, liquoremque præfatum deſuper adhuc ſemel deſtillari, ſic enim ſale ſpecifico impræ- gnabitur) deſtillatum liquorem aureum vaſe benè clauſo ſerva.

Uſus: dentur uxori jam jam menſtruum paſſæ, & ab eo liberæ, cubitum ituræ tria cochlearia ejus, idq; ter vel quater repetatur, vir verò ſobriè vivat, cibos boni ſucci edat, & ſimili modo ejusdem liquoris bibat. Poſſet etiam, ſi abundans herbæ copia ſuppeteret, per fermentationem ſpiritus ardens ex ea deſtillari, eoque ex herba contuſa tinctura ad ſolem vel furnum extrahi, foretque prolificum, cordiale & phthiſicum medicamen.

Alias cauſas indeque profectam ſterilitatem quod concernit, eæ pariter reſecandæ ſunt, ut ſi qua à nimia voratione, potuque aquæ frigidæ ſterilis facta eſſet, diæta calefaciens probique ſucci inchoanda, in calida autem cauſa, quæ tamen rarior eſt, præfatum regimen in contrarium eſt mutandum, præparato autem corpore ſpecifica in omnibus caſibus & temperamentis conveniunt, ſuntque plura talia in uſu, nempe pulvis ſecundinæ impotus. Item farina priapi cervini ad ℨſ item olei majoranæ ſtillatitii & moſchi an. gr. j. vel ij cum coagulo leporis exhibita. Contra faſcinationem verò Cardanus priapum lupi fœminæ collo geſtandum ſvadet. Plura docet

Specifica.

TEXTUS.

Sterilitas in viris ab occulta cauſa, ſita nempe in partibus generationi dicatis, præſertim ſi fuerit morbus conformationis, pharmacia haud tollitur. Vide ſupra de extincta virilitate.

Reliqua vitia quandoque partim legitimâ obſervatâ diætâ, partim medicamentis auferuntur, de quibus Authores Medici in praxi. Vide Bayrum l. 15.

Si ſterilitas ex veneficio eſt, rarò illa removeri poteſt, niſi ſimul removeantur veneficiorum inſtrumenta, quorum nempe beneficio talia parata ſunt.

Supra de impotentia tollenda nonnulla diximus, ſæpè verò evenit, ut impreſſiones ejusmodi diabolicæ tam validæ ſint, ut neque bonâ neque malâ arte tolli poſſint (i.e. repoſitione ſimili) vidi tamen ſemel atque iterum hauſtum aquæ frigidæ ex ore equi maſculi (eines Hengſtes der nicht verſchnitten) *in præterfluente potantis elapſæ & ſubitò vaſculo collectæ multum profuiſſe in hoc caſu.*

Eadem potatio aquæ multum facit in ariduris particularibus membrorum, ſæpius iterata jejuno ventriculo per aliquot ſeptimanas: alioquin in fœminis ſterilibus inſeſſus ex formicis & acervo formicarum, cum aqua fluvi-

atili

atili paratus, & aliquoties recens vel de novo factus multum juvat.

Conceptionem juvantia petuntur ex Practicis. Sal ſatyrionis imprimis utilis eſt in fœminis (ut citò concipiant, ſi ejus ℈ſ. poſt menſtruorum fluxum in vino malvatico, vel aqua vitæ mulierum ſæpius exhibeatur.

Curavi hoc ſecreto multas fœminas breviſſimè, & eſſentiâ formicarum viros.

Impotentia. *In impotentibus nobilis eſt eſſentia ſatyrionis Crollii, imprimis ſi illi addatur ambra eſſentificata, & aurum potabile Anglicum, verbi gratia:*

℞. *liquoris ſatyrionis ℥j.*
ambræ eſſentificatæ ʒij.
auri potabilis ℈j.
m. detur à ℈ſ. ad ℈j. pro una doſi.

Hæc & ſimilia interdum materiam tam fortem reddunt, ut ſimul anima cum vita expulſa fuerit, omne nimirum nimium naturæ inimicum.

Valet quoque diatrion piperœon tabulatum, ſi illi admiſceantur aliquot grana ambræ & olei cinamomi. Vide ſupra de extincta virilitate.

CAP. CLXIX.
DE CONCEPTIONE, ABORTU, ET REGIMINE GRAVIDARUM; Germ. Empfängnüß und Mißbürtigung.

CApite præcedente actum eſt de ſterilitate, proximè igitur ſubſequi debebat conceptio, & gravidarum tractatio, quæ Author comprehendit ſub nomine Abortus, id eſt quomodò concepta jam ſemina ſeu facta fœtatio regimine medico gubernari debeat, ne rurſus annihiletur, ſed ordinatum à Deo finem conſequatur, ſcilicet ut omnibus requiſitis partibus & membris à ſpiritu inhabitante efformetur, & increſcat, donec vivus & abſolutus homunculus in lucem hujus Mundi ordinario partu naſcatur, quod fit menſe nono, ſin autem à primo conceptionis puncto usque ad menſem ſeptimum rurſus ex utero elabatur, vel ejiciatur, tunc ea ex utero excluſio non eſt partus ſed abortus vel abor- Abortus quid? ſus, ita enim dicitur in primis menſibus, quando conceptui jam exordium factum eſt, ſi rurſus excutiatur ante impetratam vitam, poſtea verò ſi excludatur factus jam fœtus vita & motu præditus, vocatur abortus q. d. intempeſtivè ortus vel ab ortu ſciſſus ſeu ſucciſus vel ſublatus. Solent autem mulierculæ aborſum, quando primo aut ſecundo menſe contingit, antequam genuina fœtatio ſeu fœtus conformatio facta ſit, ad primam molæ ſpeciem referre, deinde verò apud omnes nomen

abortus retinet, eſtque nihil aliud quàm fœtus vitam & modum conſecuti, immaturi tamen adhuc embryonis præmatura excuſſio ex infortunio contingens, non autem culpâ ceu certâ intentione alienâ, quæ ſi ſceleratè interveniat, ejectio appellatur. Ad abortum ergò præcavendum notanda ſunt ſigna conceptionis, quæ ſecundum Practicos ita ſe habent: Quando viri & mulieris ſemina ambo fœcunda ſunt, tunc injaculato in uterum ſemine virili etiam eodem momento accurrit ſperma fœmininum, fitque utriusque ſpermatis indiviſibilis commixtio adeò uterum recreans, ut exultet quaſi, & à peritioribus fœminis moveri ſentiatur, protinus quoque orificium firmiter & exactè claudit, quo ſvavis ſibi mixtura intus maneat, ab iſto exultatorio matricis motu reliquæ etiam partes unà afficiuntur, ita ut non rarò cordi dolorculus cum voluptuoſa exolutione ſuperveniat, totique corpori ob ſubitaneam alterationem, fitque dorſum ſubfrigidum, collum verò ad tactum plus ſolito calet, idque totum fit in fine coitus, atque os uteri ſiccatur, fœmina quoque aliquo urinæ ſtillicidio per unum vel alterum diem laborare incipit, imprimis ſub primam conceptionem, & quibus menſes nondum integrè purgati ſunt, cunctis tamen etiam reliquis jam jam imprægnatis ejusmodi ardor accidit aliqualiter usque ad diem ſeptimum, deinde etiam alia ſigna conceptionis ſe produnt, nam circa diem à conceptione nonum mucor quidam albus ex utero profluit, ac deinde caput dolet, nauſea adeſt, & vertigo, vomitio, longiſſimi ſomni, pallor, vultus, pica ſeu depravatio appetitus, deſideriumque variorum, crudornm, acidorum, ſalſorumque & abſurdorum anteaque non conſvetorum eduliorum, oculi profundantur, ac albugo in ipſis dilatatur cum venulis ſangvine oppletis, color faciei floridus & antea conſvetus plerunque oppalleſcit, venuſtatemque amittit, rubeasque maculas & papulas hinc inde acquirit, paulò poſt etiam mammillæ intumeſcunt, fiuntque ſ. lito duriores cum intercurrentibus venulis liveſcentibus, & coronâ ſubnigricante papulas jam magis rubentes cingente, venæ quoque ſub lingva virideſcunt & turgeſcunt. Imprimis autem ſenſim venter inſolitè intumeſcit, & in protuberantiam elevatur. urina menſibus primo & ſecundo pallida eſt, deinde colore aureo & ſubrubro citrineſcit, cum hypoſtaſi alba lanuginea, inſtar lanæ minutiſſimè carptæ vel farinæ tenuis, quæ ſub commotionem urinæ reſolvitur, & per omnem lotii ſubſtantiam diſpergitur.

Signa conceptionis.

Diverſam hæc in membris fieri mutationem, arguunt tam à ſpiritu, virili ſemini inhabitante ſpecifico plaſtico, quam altero illo potenter ſemper ſeorſim in utero dominante, & cum luna cœleſti ſymbolizante, ſtatisque periodis menſtrui impurum ſangvinem à laudabili ſecernente & proſcribente, in imprægnatione autem oſculum uteri claudente,

te, mixturamque ſeminalem diverſis tunicis circumveſtiente. Intra quas mirabilis illa ſpiritualis poteſtas primo totius corporis epitomen perexiguam, formicæ forſan majoris granditatem vix excedentem efformat, ac mox ſtupenda minutie cor cum arteriis & venis, diſtinctim cum vitali ſuo motu effingit, aliaque mox viſcera, queis uſus formativus & nutritivus carere nequit, uti quidem exercitatiſſimis Anatomicis placet, & rationi conſonum eſt, quamvis hæc ſoli Deo nota ſint, cujus incomprehenſibilis potentia imprimis in minutiſſimis rebus elucet, dum quotidiè per naturam creet vermiculos adeò puſillos, ut interdum viſum noſtrum planè effugiant, nec niſi microſcopio diſtingvi valeant, quo tamen repere & videre cernuntur, bone Deus quàm imperveſtigabilis minutiei demum eorum erunt ocelli, & pedunculorum nervuli, meatusque ſuccum nutritivum per totum corpuſculum deferentes! Ita pari modo originem cordis omnium primariam in embryo valdè exiguam ſtatuunt, id eſt quod cor prius omnibus formari incipiat, initio valdè minutulum, totumque albicans, transparentem tamen rubedinem ſangvinis contenti in utroque ſuo ventriculo oſtendens ab aliis partibus facilè diſtingvibilem, motuque oculis obſervabilem, ita ut ſimulac in venis fœtuli ulla ſe ſangvinis indicia prodant, ipſum etiam cor ſangvine plenum concitatiori quidem, ordinatâ tamen cum auriculis ſuis pulſatione motitetur, ſangvine, quotiescunque cor dilatetur, ventriculos ingrediente, quoties verò conſtringatur, egregiente, quæ & evidentius appareant, corculo jam aliquantulum aucto, etiamnum tamen albeſcente. Initium materiale corpuſculi ſemen maternum eſt, è tubis ad fundum uteri allectum à calido formali virilis ſeminis, quam ſic fundatam fœtationem ſucculentia ſangvinis materni ſangvinea affuſta ſuccenturiata ſuſtentat augetque, & procul dubio ſubſtantiam totius ſuppeditat, cujus rei ſuccus terræ ex aqua pluviali potiori parte conſtans luculentum eſt teſtimonium, admodùm enim exiguum punctum ſeu corculum in quolibet ſemine vegetabili in terram projecto exiſtit, quod, madefacto & humefacto à præfata ſucculentia ſemine mox ſuccum in ſe combibit, exinde turget, in longum culmum extenditur, totumque ſui incrementum tam radicis quàm herbæ ex ſola illa ſucculentia acquirit. Naſcuntur & increſcunt ex hac ſucculentia ſangvinea partes duplices, ſcilicet eæ quæ corpuſculum infantis conſtituunt, & in eo concluduntur, atque alteræ illæ deciduæ, quæ ipſi pro involucro & petiolo inſerviunt, non ſecus ac tegumenta caſtanearum & nucum, quamdiu petiolis ſuis arbori adhærent, umbilicus enim ejusque vaſa & membranæ fœtum in utero involventes, eisque impoſita placenta, infantulo in lucem edito, à priori ſuo uſu deſinunt ac ſponte ſequeſtrantur. Eſt autem umbilicus ductus membranoſus, venam

unicam ampliorem & arterias duas, nervum autem nullum intra ſe vehens, atque à medio abdominis exoriens elongationem mox ab initio conformationis inſignem, fœtuque jam ad exitum perfecto longitudinem ſpithamarum trium ac digiti craſſitiem attingit, variam tortuoſitatem ſeu varicoſitatem oſtendens, eum in finem, ut Harvejo placet, ut per iſtas quaſi veſiculationes ſangvine repletas ſangvis in fœtum moratim & non confertim refluat, copioſior tamen varicoſitas iſta in una quàm altera eſt, ideòque obſtetrices perſvaſæ ſunt, tot proles quot varices numerantur, etiamnum ſecuturas, cujus, ſi vera ſunt, ratio eſſe poteſt, quod major nodoſitatum copia, copioſum & fœcundum ſangvinem indicet, tam ubertim accurrere volentem, ut per catarractas quaſi affluxus moderandus fuerit. Vena prædicta infra à venæ portæ fundamento initium facit per fiſſuram jecoris ad umbilicum deſcendens, medium inter arterias tenet, & per umbilicum girato flexu aſſurgit, ac demum ſupra membranam chorion ramuſculis & ſurculis quamplurimis diſperſa utero inſeritur pro hauriendo ſangvine ad fœtus alimentum. Binæ autem arteriæ ex internis arteriæ magnæ ramis iliacis exorſæ, atq; ad latera urachi ſurſum delatæ umbilicum intrant, cumque vena pergentes itidem ſupra chorion multiplicem diſperſionem patiuntur, inſtar fibrarum radicum ſucculentiam ſangvineam aſſugendo partibus extra fœtum adducunt.

Urachus conſors umbilicalium vaſorum corpuſculum eſt membraneum geminâ conſtans tunicâ, interiori nempe nervosâ, & ab interiori veſicæ tunica mutuatâ, exteriori verò magis membranosâ ab exteriori ejusdem depromtâ, teres, atque intus poroſum, à veſica tanquam baſi ſenſim verſus umbilicum attenuatur, inſervitque pro transcolatorio ſeri in veſica in amnion tunicam, at poſt infantis nativitatem in ligamentum ſolidatur.

Membranarum fœtum in utero involventium à quibusdam duæ nempe amnios & chorio, ab aliis tres numerantur, nempe hæ duæ præfatæ & allantoides, quos tamen à veteribus deceptos Harvejus putat, à quibus hæc membrana modò à venarum copia chorion, modò à figura allantoides nominetur, Amnios proximius fœtum amiciens tunica eſt permollis lævisque & pellucida, nec non chorio, qua parte placentam ſuſtinet, reliquoque inſuper ambitu ſvaviter nexa. Complectitur hæc liquorem ab initio conformationis ſeorſum, procul dubio ejusdem uſus ac liquor pericardii, rigatura lachrymalis oculorum, ſinovia articulorum &c. Ubicunque enim continuus motus eſt, ibi quoque ſuccus lubricativus adeſſe debet, quo partes invicem motum conficientes intermediis ſpaciis lubricarentur, & continuò madeant, in reſiccatione enim non modò motus impediretur, verùm quoque detritio partium fieret, uti palam fit in axibus rotarum, verſuris horologiorum, pinnis ſerarum,

rum, quæ niſi ungventis lubricentur, motum vel nullum vel difficilem præbent, ita etiam hæc lympha extra dubium ob lubricationem neceſſariam ſvavemque irrigationem tanquam à rore microcoſmico huc rorare debuit, eâdem etiam utilitate exituro jam fœtu anguſtam viam lubricat, pro facilitando exitu.

Chorion ſeu altera fœtum circumveſtiens tunica, eundem pariter totum interveniente amnio circundat. Eſtque præcedente craſſior, forinſecus inæqualis, interius lævior plurimis venis & arteriis umbilicalibus ſubdita, quo loco & placenta ſeu jecur uteri innaſcitur, eſtque rotunda maſſa cum circumferentia inæquali quinque communiter prominentiis juſto ordine diſtantibus notatâ, qua parte uterum aſpicit, aſpera eſt & undoſa, infinitisq; fibris in ſubſtantia perreptata, ob quas Helmontius hanc placentam magis pro ſplene quodam uteri habet. Semper unica eſt, etiam ſi gemelli vel plures fœtus ſimul geſtentur, tum enim uni huic placentæ tot funiculi, quot embriones ſint, diverſis in locis inſerti cernuntur.

Tertia tunica quam allantoiden appellant ſeu farciminalem, non in humano ſed brutorum partu occurrit.

Præfatæ autem partes deciduæ ſunt, & in partu ſecundinas conſtituunt.

Partes verò corporificæ ſeu ipſum embryi corpus conſtituentes eæ ſunt omnes, quæ & in adultorum corporibus occurrunt, pauca tamen ſibi paululum à grandioribus diſcrepantia ſervant.

Caput enim omnia majora habet, & quo magis fœtus ortus appropinquat, & grandius eſt, & aliquot diſtinctum amplis bullis, cerebrum præ mollitie & humiditate tantùm non diffluit, ingenti cranio at in plures partes diviſo obtectum.

Corculum ſatis eſt magnum, auriculasque ampliores poſſidet præcipuè dextram, & pallidiores.

Pulmones ex flavo rubent, parenchymatisque raritatem non adeò oſtendunt, ob tranquillitatem, nondum enim reſpirationis munus exſequuntur.

Ventriculus ad magnitudinem nucis juglandis accedens nunquam eſt vacuus, ſed mucagine quadam albicante ſemper refertus, ac jecore totus obtectus.

Inteſtina quidem ut adultorum proprii corporis longitudinem aliquoties ſuperant, anguſta tamen cavitate gaudent, in tenuibus excrementa pituitoſa citrina reperiuntur, in craſſioribus nigricantia duriora, in cœco, quod amplius eſt, modòque craſſum, modò oblongum, fæces largæ adſunt.

Jecur mole inſigniter diducta utrunque implet hypochondrium, venasque ſuas ſangvine repletas habet, ſubjacentemque cyſtim felleam bile flava turgidulam.

Lien perparvus eſt, magisque quàm adultorum rutilat.

Renes multipliciter glandulati grandioresque ſunt, ſuccenturiati renes mirè grandeſcunt, aliterque

que ſituati, quàm in adultis, magiſque excavati.

Vaſa tria umbilicalia pervia ſunt, tranſitum materno ſangvini concedentia, atque poſt nativitatem in ligamenta transeuntia.

Omenti vix ullum adhuc veſtigium, quia nondum ventriculo ex inteſtinis fotu ejus opus eſt.

Oſſa totius corpuſculi mollicula ſunt, præcipuè in primis menſibus, dein paulatim unum citius, alterum tardius ſolidantur.

Loquitur verò etiam Hippocrates de imprægnatione & abortu in ſequentibus:

Signa imprægnationis ſunt menſes ceſſantes, ſine horrore & febris inſecutione. lib. 5. aphor. 61

Acciditque cibi faſtidium. 5. 61

Imprægnata ex potu aquæ mulſæ ſub noctem tormina patitur. 5. 41

Quæ non concepit, ei ex hoc potu talia non accidunt. 5. 41

In imprægnatis os uteri connivet. 5. 51

Gravida marem geſtans benè colorata eſt. 5. 42

Fæmellam verò decolor. 5. 42

Fœtus maſculi potiſſimum in dextra uteri parte geſtantur. 5. 48

Fœmelli verò in ſiniſtra. 5. 48

Mammæ firmæ & ſolidæ fœtum benè valere ſignificant. 5. 52

Sin lac copioſè fluat, imbecillitatem fœtus deſignat. 5. 52

Extenuatæ concipientes abortiunt, donec fiant habitiores. 5. 44

Abortientibus ſecundo aut tertio menſe ſine occaſione manifeſtâ, acetabula uteri plena ſunt mucore. 5. 45

Ejusmodi acetabula præ fœtus pondere abrumpuntur. 5. 45

Ver ſiccum & aquilonium poſt hyemem auſtralem, pluvioſam & clementem, pro partu in ver incidente abortivum eſt. 3. 12

Abortus cauſatur à venæſectione. 5. 31

Ut & ab enormi alvi profluvio. 5. 34

Nec non à teneſmo. 7. 27

Itemque à febribus corpus extenuantibus. 5. 55.

Subitanea mammarum extenuatio abortum denunciat. 5. 37

Et quidem dextræ mammæ extenuatio in ferente gemellos abortionem maris ſignificat. 5. 38

Siniſtræ verò, fæmellæ. 5. 38

Abortum præcedit mammarum extenuatio. 5. 53

Quæ ſi redureſcunt, abortus non ſequitur. 5. 53

Sed dolor mammarum. 5. 53

Vel coxarum. 5. 53

Vel genuum. 5. 53

Vel oculorum. 5. 53

Gravidæ ante omnia debitè tractari debent, ne abortus vel alius gravis caſus procuretur, conſiſtit autem

REGI-

REGIMEN GRAVIDARUM

IN hiſce obſervationibus & vivendi ratione: quando ex ſupradictis ſignis cognoſcitur, fœminam eſſe imprægnatam, ſedulò cavendum eſt, ne vel manibus vel pedibus ulla ipſi vis inferatur, per contuſionem, percuſſionem, protruſionem, conjectionem, vel etiam injurioſis & maledicis verbis lædatur, & ad iram, triſtitiam, aliave animi graviora pathemata concitetur, ſic enim facilè fœtus graviter lædi vel corrumpi poſſet: Ex quo corruptionis ejusmodi Authori idem conſcientiæ ſtigma inureretur, ac ſi reipſâ homicidium commiſiſſet. Imprimis autem gravida quælibet affectibus animi, ut ſunt: iracundia, terror, mœror, timor, conceptaque imaginatio, mirum in modum alteratur, & quocunque tunc in forti ejusmodi imaginatione & animi abreptione exiſtens manum in proprio corpore adhibeat, vel ſe contingat, in eadem fœtus parte imprimitur ſimilitudo rei imaginatæ. Annitendum ergò, ut gravidæ animus ſemper in tranquillitate & hilaritate conſervetur, ejusque aſpectui amœna, pulchra, & delectabilia objiciantur, auditus ipſius jucundis & exhilarantibus ſermonibus, & muſices ſvavitate, & ſic reliqui ſenſus, nempe olfactus, guſtus, tactusque oblectantibus rebus recreentur, ingrata autem quælibet, odioſa & adverſaria procul amoveantur. Imprimis autem inter colloquia evitanda ſunt quæ contriſtare vel percellere ipſam poſſunt, neu res vel picturæ aſpectu deteſtabiles, monſtroſæ, horribiles & inſvetæ ipſi offerantur, ipſave ad talia loca deducatur, ubi ex improviſo horrifici quid viſui occurrat, nempe jugulatio, incendia, decollatio, monſtroſa animalia & ſimilia, fieri enim vix poſſet, quin vel in periculoſum abortum præcipitaretur, vel ad minimum rei viſæ imago fœtui imprimeretur. Pari modo etiam libri de rebus triſtibus, portentoſis & peregrinis vel talibus rebus tractantes, quæ mentem & imaginationem ad horrorem vel inuſitatam phantaſiam abripere poſſent, omnesque conſimiles diſcurſus vitandi ſunt & fugiendi. Nec non ea omnia, quæ odores penetrantes graves, uterumque valdè afficientes exſpirant, ut ſunt moſchus, zibetha, ambra, camphora, benzoinum, olea fragrantioſa deſtillata & præcipuè ſabinæ, fumus cinabrii, extinctarum candelarum & quicquid odorē fortem aromaticum exhalat, nam juxta Hippocratem ſuffitus aromatum muliebria ducit. Talia itaque ſuffimenta in cubiculis gravidarum ne excitentur, aër tamen in eis purus conſervetur & temperatus, aut ſi frigidior ſit aëris conſtitutio, calefactio per fornacem & veſtes hyemales omni corporis prægnantis ac præcipuè ventris refrigerationi occurrat.

Cibum & potum quod attinet, conveniunt quidem gravidis carnes vitulinæ, agninæ, gallinarum, caponum, ex eiisque parata juſcula aliaque boni ſucci & vinum album mediocre, ſeu cerevifia tenuis clara

pro potu, verùm ſi quis eas ad regulas diætæ aſtringere vellet, procul dubio majoris damni quàm utilitatis cauſam ſe fuiſſe animadverſurus eſſet, ad varia enim earum appetitus fertur, quæ ſi denegentur, inevitabilis nævus fœtui imprimitur rei deſideratæ, iſta autem vitioſa prægnantium appetentia citta ſeu malacia vocatur, de qua actum eſt inter affectus ventriculi cap. 97. quam dictam volunt ab hederâ, quæ fortiſſimè amplectatur quod attingat, & ſic etiam hic affectus pari modo tenaciter gravidis inhæreat; incipit autem ipſis plerumque menſe ſecundo nunc citius nunc tardius, duratque in ipſis utplurimum integrum menſem, ac deinde ſponte ceſſat, ſpacio hoc quædam appetunt haleces, fructus, piſces. Nonnullæ cretam, carnes & angvillas crudas, picem liquidam, carbones & ſimilia, & plerunque ſine ullo damno comedunt, niſique ſui deſiderii compotes fiant, abortiunt vel appetitus ſui ſignum infanti inurunt, per totam ipſius vitam retinendum. Occurri huic affectui per medicamina nequit, prægnantibus enim purgantia, quibus materia peccans è ventriculo educi debebat, exhibere non licet, Practici autem acida cibis miſcent, & ventriculum roborantia, ac poſt cibum ingerenda cydonia, pyra tam cocta quàm condita jubent, convenit quoque acorus conditus, & ſubinde pulpa tamarindorum & rob ceraſorum acidulorum, prunaque ſylveſtria condita, rob uvarum & de ribibus, Fxterius inungatur regio oris ventriculi oleo cydoniorum & maſtichino, ſuperpoſito deinde emplaſtro de cruſta panis, vel cerato ex pulvere menthæ, corallor. rubror. præparatorum, charyophyll. pulpa cydonior. & ſimilium cum cera confecto. Infeſtant etiam gravidas alii affectus ut faſtidium eo, ut volunt, tempore contingens, quando infantis capilli ſuccreſcant, item flatus ex eisque ventriculi dolor, rejectio ciborum, palpitatio cordis ſeu ſaltus, ſyncope, urinæ difficultas, ſuppresſio alvi, intumeſcentia pedum, & capillorum defluvium. Ad cibi faſtidium valent eadem, quæ & cittæ nempe acidula ſtiptica, ut cydonia, pruna, ſorba, cappares & olivæ conditæ cum aceto & ſimilia; ad flatulentiam ſemina aniſi, fœniculi, cumini, inungendo quoque ventrem & ilia oleo lilino. Ad vomitionem ſyrupus de acetoſit. citr. eademque prædicta acidula præſtant, cum vino parata. Ad cordis palpationem aqua & conſerva meliſſæ; in ſyncope aliquid ſalis communis & theriacæ in os indatur. Ad urinæ difficultatem & diſuriam, à fœtu veſicam comprimente cauſatam, convenit fomentatio ex decocto althææ. Ad alvi ſuppreſſionem in uſu ſint juſcula pingvia, prunaque ungarica jejuno ventriculo comeſta, nec non manna in juſculis diſſoluta. Ad intumeſcentiam pedum ℞. ol. chamæmeli, anethini, lumbricorum, hyperici an. ℥iij. ol. ſulphuris per campan. ℥j. m. f. linimentum, inunge poſt confrictionem cum ſale, aceto & oleo roſaceo. Defluvio capillorum conducit

Faſtidium. Flatulentia. Vomitio. Cordis ſaltus. Diſuria. Alvi ſuppreſſio. Tumor pedum. Capillor. caſus.

ducit

ducit oleum ovorum inunctum. Tuſſis. Vehementi tuſſi tantam commotionem interdum cauſanti, ut fœtus ejiciatur, convenit oxymel ſcilliticum. Ventris profluvium. Ad diarrhœam, dyſenteriam, aliumve ventris fluxum, ſi ſuperveniret, aſſumatur pulvis rad. tormentillæ vel ſolus vel additis corallis præparatis, & lapide hæmatit.

Febres. Interdum gravidæ etiam febribus corripiuntur cauſatis vel ab impuritate corporis, vel externis accidentibus matri vel fœtui illatis per contuſionem, caſum & ſimilia, vel ab affectibus animi ut ira, terrore &c. vel nonnunquam per infectionem à graſſantibus morbis epidemicis. In tali caſu ſemper exacta diæta inſtituenda eſt, pro febris exigentia; conveniunt itaque quæ refrigerant & humectant in cibo & potu, ut hordei & avenæ decorticatorum, ptiſana & cremor, acificando ea ſucco limonum, item ceraſa acidula pro more exſiccata & cocta, prunaque & pomatam dulcia quam acidula cum fœniculo cocta, caro & juſcula caponum & ſimilia. Pro potu inſervit decoctum hordei hujus vel ſimilis parationis: Decoctum hordei. ℞. hordei puri m. j. rad. cichor. ſem. fœnic. an. ℥j. paſſul. minor. rob de rib. an. ℥iſ. conquaſſatis præter hordeum ſuperfunde aq. fontan. ℔VI. coquantur ad caſum unius vel alterius transverſi digiti, in fine adde pulv. cinamomi ℥ſ. parumque etiamnum bulliant, tumque colatura refrigerata affatim bibatur, præterquam in paroxyſmo, ubi à largiori potu abſtinendum, prolongat enim febrem, teneantur autem tunc in ore tamarindæ, vel aqua frigida aceto parum acificata in os ſumatur, & iterum exſpuatur, ut ſemper lingva humecta maneat; Alvus ſupradictis juſculis mannatis ſemper teneatur aperta, aſſumat etiam ſubinde ℈j. corallorum rubicundiſſimorum in ſubtiliſſimum pulverem tritorum. Si dolor capitis ſæviat, tunc ℞. aq. roſar. ℥iij aq. verben. ℥ij. aceti flor. ſamb. ℥iſ. album ovor. duorum prius ſeorſim probè concuſſi, commiſceantur, & cum fruſto aluminis digitis prehenſo optimè invicem concutiantur, ac ſtupâ vel linteis hic liquor exceptus ſæpius capiti applicetur. Dolor capitis æſtuans. Sin verò febris ardens vel endemica gravidam prehenderet, tunc in magno verſatur periculo, febres enim ardentes inflammationes, fortia purgantia, & quælibet admodùm calida humorem in corpore diſſipant, vel liquant, unde fœtus ſucculentiâ privatus inſtar graminis humore privati flacceſcit, vel tanquam fructus in arbore valido vento ſuccuſſus à ſua adhærentia decidit, quod etiam Divinus ſenex innuere voluit ſequentibus veriloquiis:

Gravidam morbo quodam acuto corripi, lethale. *lib. 5. aph. 30*

Prægnanti fiens in utero eryſipelas lethale. *5. 44*

Prægnantes febribus correptæ abortiunt. *5. 55*

Vel periculosè & difficulter pariunt. *5. 55*

Præſertim quæ à febre ſine evidente cauſa extenuantur. *5. 55*

Prægnantes materiâ turgente à menſe quarto usque ad ſeptimum purgari poſſunt. 5. 29

Septimo tamen appropinquantes minus & cautius. 5. 29

Poſt ſeptimum autem & ante quartum à purgantibus abſtinendum. 5. 29

Prædicto itaque in tali caſu periculo, mox à febris malignæ correptione ipſi ejusmodi potio exhibeatur:

Potio ſudorifera.

℞. ſyrup. de limon. ℥j.
de corall. ʒV.
aq. card. bened.
angelic.
fœnic. an. ℥j.
aceti cum herba & radic. chelidon. major. ad tertiæ partis conſumptionem decocti ℥ſ.
ſpec. diamargarit. frig. ʒj.
man. Chriſti perlat. ʒij.
m. f. potio pro unâ doſi.

Hanc potionem ebibat, & in lecto ſudorem expectet, applicato prius umbilico balſamo embryonum cum medulla panis ſimilaginei, quem & durante ſudatione retineat. Abhinc tribus horis elapſis pro corroboratione aſſumat quantitatem caſtaneæ hujus opiatæ:

Opiata roborans.

℞. conſerv. flor. tunic.
roſar. vitriolat.
borag. an. ℥iij.
cortic. citr. condit. ℥ſ.
corallor. rubicundiſſ. ſubtiliſſ. trit. ʒiij.
terræ ſigillat. ℥ſ.
ſpec. diarrhod. Abbat. ʒij.
theriac. Androm. recent. ℥j.
cum ſyr. acetoſ. citr. q. ſ. f. opiata.

Hoc electuarium ſpiſſum ſeu opiata conducit quoque prægnantibus loco præſervativi morbis ejusmodi epidemicis graſſantibus.

Altero manè rurſus accipiat præfatam potionem, ac deinde opiatam.

Quo autem omni ſtudio abortus præcaveatur, vitandæ ſunt omnes ipſius cauſæ, quæ ſunt: Omnia nimia animi pathemata & perturbationes, nempe vehemens excandeſcentia, terror panicus, ingens metus, expaveſcentia ex infortunio & triſti nuncio de morte mariti, liberorum & agnatorum, vel diſploſione tormentorum, bombardarum, fragore vehementium tonitruum & fulgurum, ſonitu campanarum convocantium turbam tempore incendiorum, vel incurſantium hoſtium, item ex attactu vel appropinquatione rerum à natura fœminis terrificarum ut ſunt mures, glires, bufones, majores araneæ, ſerpentes: Odores quoque graves, fœdi, & eximiè fragrantes, omnisque corporis violenta & concuſſiva commotio nempe ſaltatio, ſuccuſſio fortis in curribus, caſus, ictus, alliſio, delapſio, percuſſio, crebra ſternutatio, tuſſis ferina, balnea percalida vel frigida, venæſectio larga imprimis ex venis talaribus, imò quæcunque ſangvinis vel ſucculentiæ corporis profuſio per fluxum menſium, diarrhœam, dyſenteriamve, ſive ſponte veniant vel purgantibus menſesve moventibus excitentur, item quicquid teneſmum vel ſtranguriam obſtinatam inducit, ut fit à cauſis anum vel vulvam pruritu vel excoriatione lancinantes

Abortus cauſæ.

nantes & mordentes, nempe aſcarides, ſcabies, pus &c. Denique internæ defluxiones, catarrhi, fœtus imbecillitas, malaque in utero conformatio, rei deſideratæ denegatio, inſveta etiam temporis mutatio, maligna conſtellatio, eclipſis, pluraque alia in cauſa eſſe poſſunt, nec reticendum illud muliebre venenum, ex quo totum genus humanum miſerè langvet, nempe guloſitas, in plurimis tam immanis, ut per totum ferè diem voratione varia occupentur, ſæpè adeò in continua infarctione ventris verſantes, ut vix ſufficiens ſpatium pro extenſione uteri remanere queat, ſed cedere fœtus ex compreſſione vel ob cacochymiam vitioſumque ex voracitate paratum ſagvinem cogatur, interdum uterus ipſe ex callo vel alia cauſa ſatis extenſibilis non eſt, vel vitioſa ſecundina fœtum ſuffocat, vel gemini duplex ſpatium requirunt, & non inveniunt, vel unus alterum enecat, ubi poſtmodum facilè etiam alter excitato menſtruali profluvio unà exturbatur. Tempore quoque annonæ caritatis, vel depopulationis ab hoſtibus, vel inappetentiæ ſtomachi, quædam ex inedia abortiunt; quædam ab immodicâ venereâ compreſſione, vel attritionis calefactione & attractione.

Cum etiam fœtationis deſtructio diverſo tempore fieri ſoleat, quidam Practici diverſa nominatione rei diſcrimen melius intelligibile reddere volunt, nimirum quando primis ſeptem diebus accidat, vocari debere effluxionem, corruptionemve, deinde autem aborſum, abortum & ejectionem, ut ſupra pluribus indicatum eſt.

Signa futuri vel inſtantis abortus ſunt: prægreſſio dictarum cauſarum in ſummo vigore ut ſunt clamor, iracundia, ſaltatio &c. item flaccescentia uberum repentina, extenuatioque corporis ac imprimis ventris, repentina quoque dolorum in utero invaſio, & quandoque horror, rigor & horripilatio, dolorque capitis & in radice oculorum, hæc & ſimilia ſi mitiora ſunt, precedunt per aliquod ſpacium, ſi verò admodùm intenſa, celeriter ſaltem præcurrunt, moxque copioſum menſtruum inſequitur, quod in quibusdam incipit profluere aqueum. Deinde ſanioſum & cruentum velut lotura recentium ſangvinolentarum carnium, tum verò omnimoda cotyledonum fit ruptio, ſincerusque effluit ſangvis paulatim grumeſcens, & grumos ſimul proferens, demumque fœtus ſeu fœtatum ipſum formatum vel informe adhuc exiſtens exturbatur. Atque hæc plerunque contingunt, ſi cauſa violenta, nempe hauſta medicamenta fortiter expulſiva præceſſerit, ubi verò ſenſim & lentè cauſa in corpore ſuccreſcit, ibi paulatim præter rationem mammæ gracileſcunt, his quoque femorum lumborumque gravitas & refrigeratio ſimul accidunt. Signa futuri abortus.

Prognoſin quod attinet, abortus his ſecundum Hippocratem minus infeſtus eſt, quæ ſaniores, & naturâ alvo laxiores ſunt, uterique partes humidiores habent, frequenter Prognoſis.

quoque ſine moleſtia magnos parere infantes conſveverunt. Verùm ſi (inquit idem lib. de ſuperfœtat.) quæ *concipiat quidem & frequenter, ſed fœtus bimeſtres, trimeſtres aut quadrimeſtres, & vetuſtiores ſtato tempore ſemper & certo excutit, illud eſt referendum ad uteri anguſtiam, quæ augeſcentem fœtum amplius continere non poteſt.* Si quoque (eodem Hippoc. 2. epid. text. 71. teſte) à cauſis nempe externis valentioribus, caſu ſcilicet, ictu & ſimilibus vehemens dolor & perturbatio in gravida excitetur, ſtatim & eodem die ſequitur aborſus, ſi verò ob minorem cauſæ vim aborſum ad tertium differri diem contingat, eo elapſo aborſus periculum ceſſat, eò quod die ad ſummum quarto vulnera ejusmodi recoaleſcant, magis autem abortientes periclitantur, quàm verè parientes, quia non ſolum ex aborſu ſed & violenta ejus cauſa corpus injuriosè debilitatur, quemadmodùm enim fructus arborum ante ſtatum ſuum terminum non niſi violenter & valida concusſione, petiolorumque ſuorum confractione, maturitatem autem conſequuti ſponte & ferè nullo negotio decidunt, ita idem quoque fœtui fieri ſolet, magis autem aborſu periclitantur fœminæ admodùm craſſæ, propter vaſorum nimiam conſtrictionem, nec non valdè graciles, & extenuatæ ob infirmitatem; Item primiparæ, præſertim tardius elocatæ, quia doloribus ſunt inaſvetæ, anguſtioresque vias habentes atrocius & diutius torquentur, difficilior quoque & periculoſior eſt abortus menſibus ultimis, quàm prioribus, quo grandior enim fœtus jam eſt factus, & tamen præmaturè avulſus, eò laborioſior & periculoſior ejus eſt excluſio. Magnam enim hæmorrhagiam excitare ſolet, quam facilè animi deliquium, delirium & convulſio ſequi poteſt, quâ ſuperveniente vix ulla unquam ab aborſu evadet. Vel etiam deinde inflammationem utplurimum lethalem excitat, vel violenta disruptione & laceratione uterum ita evertit, ut alterius ad conceptionem inhabilis fiat; In his tamen fœminis, quæ laxiorem & humidiorem habent uterum, aborſus ſæpius primis menſibus & ſine damno contingit. Sunt etiam quædam ſimplicia, quæ non ſolùm odore, vel aſſumptione, ſed & ſua propinquitate, licet non perceptâ vel attactâ uterum antipathicè afficiunt, ſicuti fama eſt de vipera, quod abortum cauſet, ſi prægnans eam transcendat, ut & ovum corvinum eodem modo. Semen verò dracunculi odoratu abortivum ſit, filixque aſſumta non fœtus tantùm ejectiva ſed & ſterilitativa penitus exiſtat, quæ etiam proinde apud nos Hurenwurtz i.e. radix meretricia vocatur.

Curatio. Curationis ſcopus contra abortum tantummodò in præſervatione remediisque eam declinantibus conſiſtit, cauſarumque ſupra conſignatarum amotione. Ne itaque tempore gravidationis tantoperè abortus periculum impendeat, corpus fœminæ, antequam imprægnetur,

tur, à colluvie impura ſuperfluisque ſuccis repurgari, & à ſupervacua pituitoſitate reſiccari, ſiccius verò quàm par ſit, diœtâ humectante & laudabilem ſuccum generante refici debet, quorſum ea remedia faciunt, quæ ſuperius de ſterilitate conſignata ſunt; ſin autem in ipſa graviditate, multa materia cacochymica adſit, quæ abortum procurare poſſit, non timendum leniſſimis laxativis ſæpius repetitis ſenſim eam educere, qualia ſunt: rhabarbarum, manna, pruna, tamarindi, à caſſia autem abſtinendum, quia etiam ad renes trahit.

Tormina.

Si verò ſymptomata quædam ingruant, nimirum tormina à ventoſitate, doloresque ventris & lumborum, tunc præp. ſem. coriandr. cymini & aniſi ana æquales partes ſubinde aſſumantur, vel ſpec. diacymini vel diagalang. in rotulis, exterius intingatur pannus laneus cœruleus in mel calens, & ventri imponatur, tunc dolores ſpurii ſedantur, veri autem partusque prodromi eo remedio augentur.

Vomitus.

In gravi vomitione ſyrupus de ribes, & de agreſta, mivaque cydoniorum ac alia aſtringentia ſtomachica propinentur. In fluxu ventris pyra immatura comedat, panemque è frumento Saracenico cum butyro frixum, item jecur gallinaceum aſſatum, nec non alicam in lacte coctam.

Ad vehementem expaveſcentiã.

In vehementi expaveſcentia terroreque unum vel alterum cochlear plenum roris majalis deſtillati ſorbeat, vel decocti fœniculi in vino facti, reiterando ſæpius ejusmodi ſorbitionem, comedat quoque eum in finem ſæpius parum ſeminis fœniculi, imprimis appropinquantibus ultimis menſibus, ubi ſemen dictum cum amygdalis dulcibus omni manè comedere in parva quantitate conducit, aceti verò crebrum uſum ſtudioſè evitet, nec non corporis incurvationem ad tollendum aliquid è terra, vel ſurſum protenſam erectionem ad aliquid deorſum trahendum.

Specifica contra abortum.

Quod ad remedia ſpecifica contra abortum attinet, coralla rutila in pollinem trita non ultimum ſunt, aſſumpta, atque etiam integra extrinſecus geſtata, ſunt & plura ſpecifica in hoc caſu in uſu, nempe grana chermes, radix tormentillæ, ſemen plantaginis. At hæc ſufficere poſſunt quæ docet heîc

TEXTUS.

Abortum impediunt magiſterium corallorum & perlarum, ſi ſæpius cum aqua vitæ mulierum, vel aqua liliorum convallium detur. Tinctura corallorum ritè rectèque parata abortum prohibet, ſi geſtationis tempore prægnantes ejus accipiant gutt. iij. vel IV. ſingulis menſibus bis.

Remedium appropriatum.

A proprtetate ſuccus aſtaci unius contuſi, & expreſſi in vino bono datus ſingulis menſiibus ſemel vel bis, fœtum nunquam abortivum naſci ſinit, niſi externa vi (a) *impellatur. Sic ſal aſtaco-*

rum fluviatilium dextrè paratus, & ſingulis ſeptimanis cum amygdalarum dulcium decocto in vino malvatico maceratus, ſumptus mirabiliter fœtum conſervat, doſ. gran. iij. IV. V. &c. (vinum ne bibant, pellit nimirum fœtum.)

(a) In externis cauſis violentis non ſtatim deſpondeant animum, ſed decoctum tormentillæ cum lapid. hæmat. bibant, & in lecto per aliquot dies quieſcant, utendo ſimul his, quæ contra abortum valent.

CAP. CLXX.

DE PARTU DIFFICILI, *Germ.* ſchwere Geburt.

OMnem partum fore difficilem & doloroſum à prima Eva usque ad ultimam fœminam, importat immutabile Dei decretum Gen. 3, 16. omni ſexui muliebri promulgatum his verbis: *Admodum multiplico dolorem tuum etiam conceptus tui; in dolore paries liberos,* Quod etiam unigenitus Dei repetit Joh. 16, 21. *Mulier* (inquiens) *cum parit, dolorem habet, quoniam advenit hora ejus, poſtquam autem peperit puerulum, jam non meminit afflictionis propter gaudium, quod homo ſit natus in Mundum.* Contra hanc ergò difficultatem nemo Medentum quicquam remedii afferre præſumit, ſed in hisce caſibus, ubi partus communi parientium modo & temporis ſpatio non abſolvitur, ſed alio infantis egreſſu, longiorique tempore & puerperæ labore, anguſtiâ, gravioribus ſymptomatis, & majori periculo contingit.

Differt autem partus ab abortu, quod in partu fœtus jam maturatus & perfectus ſponte ſine concurrente alienâ cauſâ vel impulſu ad lucem vivus feſtinet, & cum utriusque nempe fœtus & matricis conamine pariatur, abortus verò immaturè & violenter exturbetur, adeò ut vivus ob ſui incompletionem manere nequeat, ſed neceſſariò intereat, ut etiam Jobus lib. 3, 15. ejus mentionem facit his verbis: *Sicut abortus abditus non* amplius *eſſem; ut infantes qui non viderunt lucem.* A fœtu autem mortuo & molâ grandiore diſcriminatur, quod iſti non pariantur nec ſponte exeant, ſed manu chirurgica extrahi vel evelli debeant.

Vult autem Hippocrates lib. de natura pueri quod legitimus partus hoc modo contingat: Aucto videlicet jam infante tantoperè, ut alimentum & augmentum, quod à matre deſcendat, ulterius ipſi ſufficiens non ſit, copioſiorius alimentum appetens calcitret, & membranas disrumpens initium partus matri afferat, ex tali enim motu vehementi, ac pondere gravante uterum amplius diſtendi neſcium commoveri ad molem hanc mediante facultate expultrice à ſe propellendam. Quod in quibusdam fiat menſe ſeptimo, aliis octavo, in quo tamen nullus partus naſci poſſit vitalis, aliis nono vel decimo, tuncque pro diverſo fœtus

tus ſitu, vel magnitudine partum aliter atque aliter contingere, nunc cum majori vel minori difficultate tantam autem fœtuum diverſitatem quidam tribuunt diverſæ in matricibus ſpatioſitati, quemadmodùm enim cucumeres, arbores, aliaque quædam germina anguſtis locis increſcentia ex compreſſione evadant tortuoſa, vel mutila, vel irregularia, ita etiam infans modò amplum nunc non ſatis capacem locum habens diverſam acquirat in habitu craſſitudinem, macritudinem, proceritatem, vel pumilitatem, pro locorum nimirum capedine, ſeminalium recrementorum quantitate, alimentariæ materiæ copiâ vel inopiâ, quæ quidem rationes in quibusdam ſatisfacere poſſunt, at non in omnibus. Sæpius enim ex eo dem utero & parentali ſemine liberi in ſtatura, & corpulentia admodùm discrepantes prodeunt, ubi tamen loci & ſeminis quantitas qualitasve valdè parum ſine dubio variarunt, manifeſtum ergò eſt, etiam alias diverſitatum naturales cauſas concurrere, nempe variam matris imaginationem, quæ quantum mutare fœtum valeat, innati nævi demonſtrant, item diverſa regimina, influentias & con ſtellationes planetarum, ut taceamus diſtinctas qualitates ventorum, regionum & aliorum, ut probari poteſt ſeminatione piſorum & lentium, ſub diverſo ventorum flatu, auſtro enim flante ſi ſatio fiat, vermiculoſa ipſa producit, facilè tamen coctione molleſcentia, contrarium fit ſub flamine boreæ; in quibusdam regionibns homines fiunt ſtrumoſi, gibbi, vaſti, in aliis non item.

Commoratus igitur à prima conceptione tot ſeptimanis in utero fœtus, quot annis populus Dei in deſerto, atque itidem absque corporali cibo ſaltem mannæ materni lactis rorali ſtillatione tam diu ſuſtentatus ex ſuo tenebroſo carcere liberatur, ſtupendâque & ſummè admirabili Divinâ providentia & auxilio per viam inter duo oſſa pubis ceu ſcopulos arctiſſimè ſitam in hujus Mundi lucem deducitur, at non ſine planctu & lamentabili ingeminatione O. A. ſi puer ſit, quaſi diceret: O Adam, vel O. E. ſi puella ſit, ac ſi clamitet: O Eva, vagiendo noſtrorum parentum lapſum omnis noſtræ miſeriæ cauſam deplorans.

Naſcitur autem proditque ex utero infans juxta communem nativitatem naturalem primò caput ſupinus exerens, ac poſtmodùm cervicem & humeros, ac conſequenter thoracem, ventrem, femora & pedes, brachiis & manibus deorſum ad genua protenſis, & ad latera arctè adactis. Sin autem ab hoc naſcendi modo & ſitu diſcedat, ullumque aliud membrum vel partem, ſive pes ſit ſive manus, humerus, dorſum, nates vel genua, primò ad exitum porrigat, tunc partus eſt præternaturalis, puerperæ ut plurimum magnum laborem, cruciatum vitæque periculum faceſcens, ibique maximè peritâ & induſtriâ obſtetrice opus eſt, quæ norit manibus molliſſimis, oleoque liliaceo tepido inunctis, ac ſvaviter inſer-

inſertis perverſum infantis ſitum redigere in communem naturalem, atque ad legitimum exitum compromovere.

Singulariter itaque omnis Magiſtratus obligatur nullam niſi peritiſſimam, & ab egregiis Medicis examinatam ad obſtetricandum matronam admittere, ob varios caſus, quæ in parturientibus, gravidisq;, imò etiam aliis fœminis quotidiè accidunt, & ob pudorem ſæpiſſimè Viris Medicis non revelantur, imprimis in partu, ubi peculiariter virorum inſpectionem mulieres pudoroſæ horrent, ſi ergò obſtetrix nulla adſit, quæ plurimorum, atque etiam Anatomiæ ſit perita, facilè ex imperitia damnum fit, quod poſtea corrigi nequit, cujus aliquando magiſtratus rationem eſt redditurus, cum loco parentum, patrumque patriæ imò ipſius Dei ſint, ac in omnibus ſuorum liberorum curam habere obſtricti, imò magis quam parentes, nam vulgares parentes ſemper ſuos liberos ſuſtentant, & vix unquam ab eis niſi in ſumma neceſſitate ſuſtentationem accipiunt, magiſtratus verò à ſuis ſubditis ditiſſimè ſuſtentantur.

Selectio obſtetricis. In ſelectione igitur obſtetricis requiritur, ut ante omnia ſit perita, nec temulentiæ dedita, imò etiam ſatis literata, & in libris anatomicis, chirurgicis, ac re herbariâ exercitata, ingenio & memoria valens, munditiei ſtudioſa, ſanitate & vegetâ ætate gaudens, pia, impigra, non fraudulenta, moroſa, vel avara, ſed mitis, compatiens, pudica, prudens, proba, & ab iracundiæ & excandeſcentiæ furore aliena, non timida quoque ſed animoſa, ut puerperas præſertim primiparas in conatu parturitionis excitare, & animare, & in difficultate & variâ neceſſitate expeditè & opportunè ſubvenire norit. Officium ejus in partu eſt ingenioſè infantem excipere præternaturaliter prodeuntem in ſitum naturalem reducere, aptèque ad partum deducere ac dirigere, in præcidendo ac deligando umbilico infantis gnaram eſſe. Adhæc indiget ſellâ ſeu cathedrâ obſtetricali ſellæ tonſoriæ non multum abſimili, præterquam, quod in anteriori ſedis parte inſtar ſemilunæ præciſa ſit, ut decidere ibi infans poſſit, adjunctas præterea habeat tres alias miniſtras, quarum una ad dextram, altera ad ſiniſtram, tertia verò à tergo locentur, ut parturiens lateralibus incumbat, à dorſali autem teneatur, poterit tamen pariens etiam loco ſellæ in ſinu robuſtæ fœminæ ſedere, & nunc tertia ad tenendum dorſum non eſt neceſſaria, in promtu quoque ſit liliaceum oleum, ſpongia mollis, lana munda, faſciæ, panni lintei, cervicalia, odoramenta et medicamenta roborativa. Obſtetrix verò pro ſe priori humiliorem ſellam etiam præſtò habeat, ut paulò inferius ſedere, & ptomptè manus dirigere poſſit, ſive enim in ſella, ſive in femoribus alterius fœminæ ſedeat, obſtetrix humilius ſedere debet facie ſuâ averſâ, & non ad faciem parturientis directâ, ne præ verecundia ſe concludat, ſi verò in lecto partus fiat, eodem modo

modo depreſſius obſtetrix ante eam ſedeat.

Signa partus inſtantis.

Signa autem inſtantis partus ordinaria hæc ſunt. Dolores totum corpus maximè verò lumbos, coxendices ac imum ventrem prehendunt, idque atrocius in primiparis ceu inexpertis, mitius verò in his, quæ multoties pepererunt, dolentq; ingvina, pectinis oſſa & crura; Iidem tamen non ſolùm dolores in partu, ſed & abortu molâ & fœtu mortuo percipiuntur, legitimi autem partus ſigna ſunt, quod juſto à conceptione tempore, nempe menſe nono vel decimo dolores ingruunt, cum gravedine uteri, fervore & dolore in natibus, lumbis & ingvinibus, uterique pondus & tumor deorſum vergunt ad partes inferiores, totaque moles ad pudenda decumbit, ſuperiores autem partes graciliores & contractiores fiunt, loca verò ſuper pectinem & ingvina extenduntur, cum apertione & humectatione orificii uterini, cervicisque uteri dilatatione & inflammatione, frequens quoque mejendi cupiditas laceſſit, & immiſſo digito in orificium uteri quidpiam ad magnitudinem ovi in eo perſentitur, & alba quædam colluvies aliquibus primò ex utero profluit lenta & parcè, deinde verò copiosè, & ad ſangvineum roborem accedens, ruptis nimirum tunicis fœtum includentibus, tum enim liquor ſeroſus ſangvine mixtus ſatis largè effluit, effluxuque ſuo vias lubricat, ubi deinde fœtus erumpendo ſequitur, & ſi is non ſtatim dictum liquamen ſequatur, ſed tamdiu tardet, donec omnis liquor effluxerit, difficilis deinde partus ſequitur ob reſiccationem viarum.

His itaque incipientibus parturientium doloribus obſtetrix præſens omnibus ipſius ligamentis nec non capillis ſolutis, ut laxamentum ubique liberrimum habeat, in inferiori ante eam ſellâ ſedens blandis & ſolatoriis verbis eam hortetur, & precetur, ut omni clamore intermiſſo totum ſuum ſpiritum ſuperius compreſſum ad inferiores partes convertat, hoc tamen ne citius quàm par ſit, fiat, aliàs in vanum parturiens laboraret, & ſe debilitaret, ut poſtmodùm, quando opus eſſet, ſufficientibus viribus deſtitueretur, accuratè igitur obſtetrix noſſe debet, quando infans in procinctu exeundi eſt, tunc enim totum parturientis imum ventrem, verendaque optimè oleo liliaceo calido perungat, perunctâ etiam propriâ manu, orificiumque matricis circumagendo aperire & diducere ſtudeat, ut chorion præcidere queat, ſique folliculus iſte ſeu involucrum infantis ob tenacitatem rumpi tardaret, ungvibus vel inſtrumento, ſummâ tamen cum cautione, ne infans lædatur, ruptionem illius adjuvet, immiſſisque digitis totam viam ſufficienter adhuc magis aperire & lubricare debet, ut infans exire queat, cautelâ tamen adhibitâ, ne fortè ſubitò & præproperè prolabatur, ipſiusque caput vel cervix quaſſatione lædatur, opportuniſſimum autem tempus adjuvandi infantis eſt, quando liquor animalis profluit, eo ipſo enim tempore

pore matrix ſe omnimmodè aperit, tuncque obſtetrix optimè manibus ſuccurrere poteſt, liquore autem penitus elapſo, iterum ſe concludit, & tunc manualis diductio importuna eſt, & facilè ſangvinis fluxum concitat. Quum verò infans exire incipit, obſtetrix eum ſvaviter panno ſuſcipiat, procidentibus unà ſecundis, & quando paululum in terra quieverit, umbilicus quatuor à ventre ejus digitis novaculâ vel alio cultello acutiſſimo præcidatnr, ligato prius funiculo propè abdomen filo forti aliquoties circumacto, duorum vel trium digitorum diſtantiâ ab abdomine, ubi deinde tribus circiter digitis à ligatura funiculus reſecetur, exſiccando ſangvinem in eo remanentem coagulatum, obligandoque ne ſubſequente ſangvinis fluxu infanti periculum cauſetur, exiccatus autem ſponte decidit, citius vel tardius pro conſtitutione nati, ſangvinisque affluentis copia, ex decidentia tamen citeriori à quarto die breviorem vitam, ulteriori ſeu quinto à reſectione die longæviorem obſtetrices hariolantur.

Notandum autem, labore partus jam inſtante parturienti non multum alimentum eſſe obtrudendum, ſed pauco probè tamen nutriente cibo eam eſſe reficiendam, plurimo enim cibo infarcta ſpiritus & calorem distrahit & occupat, quo minus laborem partus ſuſtinere queant, omnes quoque lapides precioſi ab ejus digitis ſemoveantur, quidam enim fœtum geſtationis tempore in loco continent, & ſic neceſſariò etiam jam ipſum retracturi eſſent, partumque remoraturi, item omnis perflatio & acceſſus aëris frigidi antè, in & poſt partum arceatur, quodlibet enim frigus adſtringit, & genitalibus partibus inimicum eſt.

Si verò nihilominus partus præternaturalis & difficilis incideret, quod inde cognoſcitur, ſi conatus pariendi ultra viginti quatuor horas duraverit, ſummoque cum cruciatu & vitæ periculo matris & infantis vel alterutrinis labor partus in ſuſpenſo tenetur, tunc præter ordinaria media etiam ad alia, & non rarò inſtrumenta chirurgica confugiendum eſt.

Cauſæ partis difficilis.

Cauſæ partus difficilis & præternaturalis diverſæ ſunt, partim ab utero, partim à fœtu, & partim ab externis provenientes, ab utero poſſunt eſſe, ſi naturali conſtitutione admodùm intemperatus ſit in frigiditate, caliditate, hnmiditate & ſimilibus, vel nimium amplus vel anguſtus, flatulentus, inflammatus, ullove affectu valetudinario afflictus, vel facultate expultrice langvidus, aut retentrice tenax ſit; à fœtu verò, ſi juſto ſit grandior, capitoſiorve, vel platonicus ſeu amplis humeris, cujus gratia quædam filias ſuas ejusmodi humeratis deſponſare noluere, ne nimirum infantes patribus ſimiles in partu matribus eſſent calamitoſi, vel ſi fœtus ſit debilis, vel omninò extinctus, ab eoque ad exeundum exigua vel nulla fiat cooperatio, vel etiam ſitu præternaturali ad os uteri provolvatur, nempe pedibus, vel manibus, aliâve ullâ parte

præter

præter caput, vel etiam fœtus involucrum ſit adeò ſpiſſum vel tenue, ut ejus ruptio ſpontanea planè non, vel juſto citius contingat, vel idem involucrum ſeu ſecundina præternaturaliter utero adnaſcatur, intusque detineatur, tum enim licet infans legitimè pariatur, attamen niſi eadem felicitate ſecundina quoque tota excluſa ſit, idem periculum & difficultas in partu remanet; ad defectuoſum quoque uterum pariter referri poteſt, ſi partrix ſit adhuc nimium juvencula, vel primipara, imprimis ſerò elocata, tum enim omnia ita firmeſcunt & occalleſcunt, ut non niſi perdifficilè, & multo cum negotio neceſſaria pro excludendo fœtu diductio dispanſioque fieri queat, vel etiam prægreſſo aliquo profluvio, vel morbo, aliove exhauſtionis modo ita infirmata & viribus orba, ut ſatis laborioſè ad parturiendum fœtumque excludendum niti nequeat. Causæ externæ. Ab extremis verò cauſari poteſt partus difficilis, ſi ſit inclementia aëris, vel maligna cometarum impreſſio; vel injurioſa tractatio, unde ira, excandeſcentia, zelotypia, triſtitia, terror, & ſimilia animi pathemata incutiantur, vel inconveniens diæta, uſusque refrigerantium & conſtringentium tam internè, quàm extrinſecè per balnea vel topica adhibitorum; item infelix caſus per contuſionem, ictum, occurſum, lapſum, dislocationem & ſimilia.

De difficili partu loquitur etiam Hippocrates in ſequentibus:

Quæcunque utero gerentes febribus corripiuntur, & vehementer ſine evidenti cauſa extenuantur, eæ difficulter & cum periculo pariunt. lib. 5. aphor. 55.

Mulieri difficulter parienti ſternutatio ſuperveniens, bonum. 5. 35

Ad ſecundas deturbandas ſternutatorio immiſſo os & nares comprimito. 5. 49

Primiparæ difficulter pariunt. de natur. pueri.

Et ubi obliquus aut in pedes fœtus prodit. ibid.

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, partus fœmellæ difficilior eſt puello, difficilius quoque concipit & parit pingvior graciliori, maximè verò laborāt juxta Hippocratē primiparæ & ſeniores annis 25. quę nunquam pepererunt, dolentq; totum corpus, maximè verò lumbos & coxendices, nam coxendices earum disparantur, fœtum quoque obliquum vel in pedes prodeuntem juxta eundem Hipp. mulier nedum difficulter parit, ſed multæ vel ipſæ perierunt, vel puer, aut ſimul matres unà cum fœtibus; ſemper etiam difficilis partus cauſatur, ſi vel fœtus, vel mater imbecillis ſit, nec utriusque vigor, & ad enitendum conniſus concurrat: labor parturalis, ſi ad diem usque quartum protrahatur, interitum plerunque vel fœtui vel matri, vel utrique affert. Extinctio autem fœtus ſigna habet dolores ceſſantes, vel ad multas horas deſinentes, ſuperveniente oſcitatione, pandiculatione & horripilatione. Si partrix poſt longum

conatum debileſcat, vel ſoporoſa fiat, frigidum ſudet, convulſione corripiatur, pulſus celeriores habeat, morti eſt propinqua.

Curatio. Curatio difficilis partus inſtituitur per eadem media paulò ante ſpecificata, præcipuum autem ab ardentiſſimis ad Deum fuſis precibus eſt, obſtetrix perita, & in variis caſibus exercitata, quæ norit fœtum irregulari ſitu prodeuntem molliter ſuis manibus retroagere, & ad ordinariam poſitionem convertere, perunctis prius circumcirca intus & foris genitalibus, propriis quoque undique manibus oleis calidis dulcibus & lubricoſis, ut ſunt ol. amygdal. dulc. recenter expreſſum, ol. lil. albor. per infuſionem paratum, ol. cheirinum, recensque anethinum, chamæmelin. &c. ex. gr.

Mixtura lubricativa.

℞. ol. lilior. alb.
amygdalar. dulc. an. ℥ij.
cheirin.
anethin. an. ℥j.
m. ſitque præſtò in fictili.

Specificum expertum. In omni laborioſo partu ſtatim propinetur aliquod ſpecificum, quorum plura ſunt, inter quæ pro expertiſſimo commendamus hoc: capias duo vel tria ova recentia gallinacea cruda, coque ea in nova ollula, ſuperfu. â aquâ pluviali vel fontana, donec probè bulliant, hujus aquæ largum hauſtum parturiens ebibat, & brevi juxta noſtram experientiam liberabitur. Retulit etiam nobis eximius quidam Archiater, ſe fœminam quandam feliciter liberaſſe à fœtu per novem dies jam in utero mortuo, propinato ipſi remedio partifero Helmontiano ex jecore & felle angvillæ parato, quod ipſe decantat in tract. *Jus Duumviratus;* his verbis: *Mulieres quoque obſervavi in partu difficili aliquot dies periculoſo, oblato poculo mox ad ſummum ante ſemihoræ ſpatium enixas. Idque ducenties & amplius probatum, pharmaco nimirum adhuc in ſtomacho exiſtente apertum ſit os pubis, & valvæ oſſis ſacri in lumbis, fœtusque ſtatim propulſus. Notavi ſcilicet ſtomachum claves uteri gerere. Hocque medicamen lubens in bonum proximi evulgavi, ne deinceps parturiens periculum vitæ ſubeat. Eſt enim jecur ſimul cum felle angvillæ ſiccatum, pulveratumque in vino potum ad magnitudinem avellanæ. Donum Dei in hoc ſimplici, ut cum mulier jam parere debuerit in dolore, propter ſerpentis invidiam, Deus, cujus ſpiritus ſuper aquas latus, eas benedictione replevit. Angvillam ſive aquæ ſerpentem, viſceribus poteſtatis ſangvificandi.*

Partiferum expertiſſimum Helmontii.

Fidum quoque experimentum habetur in mercurio vel vino vel in pulverem præparato, teſte etiam Matthiolo, ſe nempe vidiſſe argenti vivi ℈j. vel ʒſ. ab obſtetricibus nullo incommodo, ſed ſemper proſpero cum ſucceſſu ægrè parturientibus, prout & nos medicamento mercuriali menſes per triennium ſuppresſos in ordinem redegimus, alioſque per eundem præcipitatum idem & ejusdem diuturnitatis obtinuiſſe novimus.

Experimentum aliud. Experimentum quoque eſt, ſi unus

nus vel alter ſcrupulus radicis liliorum alborum à parturiente commandatur, ſeu unus & alter ab hac radice reſectus orbiculus devoretur per ſe vel cum ſacharo, item olea deſtillata nempe macis, nucis moſchatæ, cinamomi, caryophyllorum, ſuccini &c.

Nimis tamen fortia ut ſabina, filix, niſi in ſumma neceſſitate, in uſum ne veniant, ſterilitatem enim inducunt.

Si dolores ceſſarent, regignendi ſunt fervente lacte cum melle, quibus tormina excitantur expultricem ſtimulantia.

Nec obliviſcendum juxta conſilium Hippocratis inſufflare naribus ſternutatorium, ex. gr.

Sternutatorium.

℞. fol. majoran. exſiccat.
flor. lil. convall. an. ʒß.
rad. helleb. alb. ℈ß.
pyrethr.
ſem. nigell. an. ℈j.
m. f. pulvis ſubtiliſſ.

Excluſo partu bonum eſſet, ſi fieri poſſet, funiculum ante non reſecare, donec prius etiam tota ſecundina ſit extracta, cautè tamen, ne quid disruptum intus maneat, ſi verò infans ob debilitatem tamdiu expectare nequeat, præcidatur funiculus, ut ſuperius dictum, extremitasque fem ribus parturientis interim alligetur, ne introrſum retrahi poſſit.

Propellitur autem ſecunda iisdem mediis, ut fœtus, fitque arefacta præſertim ex primipara expertiſſimus pulvis ad facilitandum partum: plura docet

TEXTUS.

In partu difficili item ſecundinarum eductione inter reliqua præſtat ſpecificum ex ſecundina, de quo ſupra. Item oculi leporis in martio capti (valent etiam in molâ, modò de ea conſtet) qui ſtudioſè eximendi, ne comprimantur nimis, cumque pipere in orbe exſiccandi. Horum unus vertici ita alligetur, ut vertex à pupilla tangatur, & fœtum ſive mortuum ſive vivum educet, quo facto mox amoveatur, ne uterum planè propellat. Specificum efficaciſſimum.

Si oleorum ſucci & carvi ana gutt. iij. IV. V. VI. VII. VIII. in vino exhibita fuerint, partum accelerant. Alia.

Apud pauperes vidi partum ſæpè difficilem ſolvi hauſtu urinæ mariti.

Sic ſtercus equinum in vino expreſſum & percolatum ſubitò fœtum & ſecundinam expellit.

DE FOETU IN UTERO MORTUO.

Difficilis partus etiam infantulum in utero extinctum comprehendit; quamvis Author ejus heic non expreſſè faciat mentionem. Signa fœtus mortui Hippocrates breviter hiſce recenſet: *Mortuo vel moribundo fœtu venter & mammæ concidunt, frigeſcit pubes, ſinusque pudoris; ore & pudendo* Signa fœtus mortui.

redditur gravis halitus; cavantur oculi; arteriarum motus langveſcit; facies, crura, totumque corpus intumeſcunt; nullus motus infantis, ſed pondus ſentitur, & devolvitur cum ſe mulier convertit; livent labra; ſummæ nares & auriculæ albicant; gravitas lumborum & femorum adeſt; ſanies cruenta ex utero manat. Certum autem indicium præter hæc comemorata habetur ex plurium dierum prægreſſo labore parturiali inani, ſi etiam ſecundina ante fœtum excludatur, indubium fœtus extincti eſt ſignum.

Cauſæ. Cauſæ extinctionis fœtus ſunt eædem, quæ & difficilis partus, ſi admodùm exceſſivæ fuerint, præcipua & communiſſima eſſe ſolet, ſi difficillimus partus incidat, fœtusque in via hærens per plures dies nullo modo excludi poteſt, unde demum extingvitur; id quod etiam ab inepta & imperitâ obſtetricis manipulatione non raró contingit, extrahere fœtum conantis, vel violentis potionibus ante & inter parturiendum eum propellere ſatagentis, repentinus quoque caſus ſeu lapſus ex alto, conſternatio & terror panicus vehementiſſimus & repentinus, contuſio quoque, alliſio, item conculcatio pedibus & pugnis facta ab ebrioſis & iratis maritis ut quotidiè fit, vapores venenati & maligni, calorque præternaturaliter æſtuans in febribus acutis, fœtus nutrimentum exurens & diſſipans; interdum etiam fœtus ſeipſum motu inordinato implicans in ductum umbilicalem ſuffocatur.

Prognoſis. Prognoſin quod concernit, fœtus mortuus & ſecundina in utero retenta periculoſa ſunt, ſæpiusque lethalem excitant putredinem, indeque naſcentem febrem, lipothymiam, convulſionemque, ſi partrix in crebra incidat deliquia, ſoporesve, acclamataque non excitetur, vel oculos aperiat, ſæpiusque convellatur, ea extra ſpem eſt, interdum tamen tam fortis eſt uterus, ut licet contenta hæc in putrilaginem abeant, ea tamen demum fruſtulatim ejiciat, excitatoque menſtruali fluxu eluat, & fœminam reſtituat.

Curatio. Curatio fœtus mortui & ſecundinæ inſtituitur per expulſionem, vel chirurgicam extractionem, expulſio obtinetur per præfata ad partum difficilem conſcripta ſpecifica, aliaque fortiter expellentia, imprimis ſi vires etiamnum tantoperè conſtent, ut poſſit collocari in efficax lavacrum ſeu ſemicuplum hujuscimodi:

Semicupium.

℞. fol. ſabinæ
matricar.
ſalv.
leviſtic. an. m. IV.
mercurial. m. V.
flor. cheir.
calendul.
hyperic.
camomill. an. m. ij.
rad. gentian.
imperator. an. ℥ij.
concidantur & coquantur in
ſ. q. aquæ pro inſeſſu.

Fotus. Sin inſeſſum præ debilitate ferre nequeat, fiat ex prædictis decoctis fotus, ſæpius repetitus, & ſi fieri poſſit,

ſit, fumum à ſulphure antimonii ſeu rubedine è ſcoriis reguli antimonii extractâ, ut ſupra cap. 163. doctum eſt, ab infra excipiat, vel ſuffitus excitetur ex ungula vel fimo equi vel aſini, & admittatur.

Per os quoque varia medicamenta à Practicis exhibentur ex. gr.

Pulvis. ℞. rad. lil. alb. exſiccat.
dictamn. alb. an. ʒſ.
cinamom. acut. ℈ij.
ſem. viol. ʒſ.
raſur. dactylor. nucl. gr. VI.
m. f. pulv. ſubtiliſſ. dividendus in duas partes, quarum unam mox accipiat, & poſt horam, alteram.

Alius. Alii accipiunt myrrh. ſabin. rut. aſæ fœt. an. ʒſ. dividuntq; in duas partes ſubtiliter tritas atque in vino decoctionis ſabinæ, unam exhibent, ac deinde & alteram. Supraſcripta tamen tutiora eſſe putamus.

Adhæc etiam totus venter ab umbilico ad pubem usque, & ingvina inungendus eſt ſupraſcriptis oleis calidis, vel hac mixtura:

Ungventum. ℞. pingved. capon.
anſeris an. ℥ſ.
butyr. recent.
ol. ſeſamin.
cheirin.
liliac. an. ℥j. m.

Si his nihil efficitur, ad inſtrumenta chirurgica transeundum eſt.

DE FLUXU LOCHIORUM SEU SANGVINIS POST PARTUM IMMODICO; Germ. überflüſſige Reinigung nach der Geburt.

Lochia quid? EXcluſis ſecundinis & hepate uterino acetabulis uteri tempore geſtationis affixo, acetabula dicta ſeu oſcula venarum crudeſcunt, unde ſangvis poſt quemlibet partum effluit, quem fluxum vulgato nomine lochia appellant, qui omnibus puerperis ſtatim à partu ſolemnis & neceſſarius eſt, per eum enim ſangvinis maſſa per totum corpus, purgationem menſtruam jam per novem vel decem menſes non experta repurgatur, non eſt tamen ſangvis menſtrualis, & ut ille venenatus, ſed talis qualem infans in utero pro nutrimento habuit, atque etiam in venis fluitat, & quaſi vulnerarius, abruptio enim dictarum partium à cotyledonibus nil aliud eſt, quàm vulneratio, cruorisque ex vulnusculis profuſio, quæ ſuperfluo ſangvine elapſo rurſus ſponte conſolidantur. Non autem æqualis per hunc fluxum ſangvinis copia cunctis puerperis emanat, ſed in una plus minus pro cujusvis naturâ, ætate ac vitæ genere; itaque non ex multitudine vel paucitate fluentia lochia æſtimanda vel metienda ſunt, ſed ex facili vel difficili eorum tolerantiâ.

Quibusdam enim in ſatis larga quantitate profluunt, at nihilominus cum earum alleviatione, & facili tolerantia, in aliis non adeò ſuperfluum effluvium videtur, ſummè tamen debilitari incipiunt, & animi deliquio periclitantur.

Signa igitur fluxus lochiorum immodici ſunt: proſtratio virium, effluxus ſangvinis grumoſi, accedente dein cibi faſtidio, tenſione ventris & dolore hypochondriorum, debilitate & frequentiâ pulſus, demumque Signa fluxus lochiorum immodici.

que viſus obtenebratio ſuccedit, cũ aurium tinnitu, ac defectu animi.

Cauſæ hujus abundantis fluxus ſunt, vel ſangvinis nimia copia, diu jam non repurgati, vel nimis vehemens disrupta acetabulorum apertio à violenta in difficili partu facta laceratione; Vel ſangvinis tenuitas & efferveſcentia à calore dolorum cauſata, unius enim Archeus ſeu natura dolorum impatientior eſt quàm alterius, ac contra eos furiosè inſurgit, quò magis autem furit, eò plus ſeipſum accendit, & igneſcit, qua æſtuatione ſangvis attenuatur, & efferveſcit, donec præ extenſione priori anguſto ſpatio amplius ſe continere nequeat, ſed per oſcula venarum aperta impetuosè prorumpat, quibusdam etiam ad facilitandum partum calefacientia propinantur, quæ etiam expulſo fœtu calefactivâ ſua operatione ſangvinem ad uterum movere pergunt, donec eorum vis expultrix ceſſet, & ſangvis iterum ſubſiſtat; Interdum etiam particula manet ſecundinæ in utero, quam natura fluxu concitato eluere ſtudet.

Progno-ſis. Prognoſis in hoc affectu eadem eſt, quæ de profluvio menſium prolata eſt.

Curatio. Curatio circumſpectionem poſcit, ne fluxus iſte citius vel tardius quàm par ſit cohibeatur, omninò enim opus eſt, ut poſt partum ſangvis per lochia repurgetur, & ſi quis talem fluorem intempeſtivè cohibeat, ſine dubio naturam reddet morboſam, & è contra ſi profluvium fiat nimium, corpus refrigeratur, amittitque calorem nativum & vires. Attentus ergò ſit curationem aggrediens, ut tempeſtivè remedia adhibeat, eaque initiò, niſi neceſſitas urgeat, leviora, nempe per cibos incraſſantes, ut ſunt cydonia cocta & eorum miva ſimplex, pyra, ceraſa acidula ſiccata & cocta, oryza, pultes ex amylo & flore frumenti Saracenici cum lacte ebutyrato parata, potus ſit vinum rubrum ſtipticum, in quo chalybs candens aliquoties ſit reſtinctus, vel decoct. ſantali rub. roſar. rubrar. ſicc. & ſimilium; intrò quoque accipiant crocum martis.

Fricentur etiam & ligentur partes ſuperiores, ac cucurbitulæ mammis apponantur, & ſi ex fluxu debilitatio adſit, ſæpius aſſumat quantitatem avellanæ de hac opiata.

℞. conſerv. roſar. Opiata.
miva cydonior. ſ. an. ℥j.
hæmatit. præp.
corall. rubicundiſſ. an. ſubtiliſſ. trit. ʒj.
trochiſc. de carabe ℈ij.
theriac. recent. ℥ſ.
manus Chriſt. perlat. ʒiij.
cum ſyr. de roſis ſicc. q. ſ. f. opiata.

Exterius ungvent. comitiſſæ inſtar cerati inferiori ventre applicetur & geſtetur; plura videantur ſupra cap. 164.

DE LOCHIIS SUPPRESSIS; Germ. Verhaltung der Reinigung nach der Geburt.

QUibusdam contrario modo præfatus ſangvinis poſt partum

tum fluxus parcè vel non excernitur, quod morboſum quid eſt, quemadmodùm enim vulnera recenter cæſa ordinariè ſangvinem ſtillant, ita etiam meritò ex hisce recenti laceratura & oſculorum vulneratione cruenta emanatio expectatur, experientia teſtante, talem ſangvinem in utero retentum magnum inferre nocumentum, grumeſcit enim, putreſcit, ac ulcerationem in utero excitat, vel ventris intumeſcentiam, febres, ſtrangulatum uteri, lipothymiā & ſimiles affectus.

Lochiorum ſuppreſſorum damnum.

Cauſæ.

Cauſa plerunque eſt refrigeratio pedum inter pariendum, aërisque frigidi ad locellos afflatus, frigus enim aſtringit & incraſſat ſangvinem, ne liberè poſtea fluere poſſit, ſed craſſeſcens ſubſiſtat; item debilitatio virtutis expulſivæ; terror, expaveſcentia, aliaque quæ ſangvinem torpidum reddunt, & ab utero retrahunt

Curationis ſcopus eſt, ut, ſi à qua frigiditate admiſſâ ſit, per moderata recalefactiva ſangvis ad fluxum revocetur, circumſpectè tamen, ne fluxus nimius excitetur, initium itaque fiat â lenioribus exhibendo ℈ij. vel ʒj. trochiſc. de myrrha, quibus etiam ab infra ſuffitus fieri poterit, & ſi ne ſic quidem fluxus procedat, viresque ſatis conſtent, vena talaris aperiatur. Plura huc quoque conveniunt ſupra cap. 163. indicata.

DE DOLORIBUS ET TORMINIBUS A PARTU; Germ. die Nachwehen.

Tormina poſt partum.

Dolores & tormina mox à partu ferè plæraſque puerperas affligunt, antequam nimirum fluxu lochiorum purgentur, acciduntque eis torſiones enormes in ventre intervallatæ, nimirum ad quamvis ſangvinis excretionem ab utero convectam, & eliminare molientem; diu quoque hi dolores non durant, ſed intra biduum vel triduum ferè evaneſcunt, aliquando tamen diutius infeſtant, easque cogunt acceſſere Medicum.

Cauſæ.

Cauſa horum torminum à ſubitanea venit uteri evacuatione, fœtus enim moli aſvetus eſt, eoque per partum amiſſo deſiderio ejus tenetur, & huc atque illuc, introrſum & extrorſum ſe contrahendo & validè torquendo inſignem dolorem concitat, concitatur etiam à cruore, quem antea hepar uterinum indeſinenter attrahebat pro alimento fœtus, & quamprimum iſta attractio ceſſat, & conſvetus curſus, vel in minimo puncto alteratur, alteratio iſta in ſangvine, qui poteſtate imaginativâ non caret, horrorem quendam concitat, qui ſemper conſtringit & grumificat, ut in omni vehementi terrore apparet, quòd nimirum ſemper cor duris ictibus vehementer pulſet ob rigentem ex terrore ſangvinem, valida pulſatione rurſus attenuandum, grumificatio itaque iſta naturæ eſt hoſtilis, feſtinatque eum proſcribere, unde ex motu iſto contractivo & criſpativo dolores ſentiuntur.

Interdum etiam ab afflatu auræ frigidæ ab evacuato utero in locum priſtini contenti aſſuctæ dolor & torſio cauſatur.

Progno-ſis. Periculo quidem plerunque hæc tormina vacant, at non ſummo tædio & moleſtia, facilè autem cedunt temperatè calefacientibus, & dulci pingvedine lubricantibus.

Curatio. Curandi igitur ratio eſt mox à partu ventrem faſciâ fortiter conſtringere, ut uterus coarctetur, nec ſe hinc inde movere queat, contra dolorem bibat largum hauſtum calidum decoctionis camomillæ, vel cumini, in vino vel clara cereviſia factæ; vel decoctum artemiſiæ cum ℥ij. vel iij. olei amygd. dulc. recenter expreſſi, adjecta portione ſachari, ſi lubet; melius adhuc proderit, ſi reſidua decoctionis chamomilla fervida ſuper ventrem ponatur, expertum etiam eſt hoc: ℞. ol. amygd. dulc. ℥iij. ſyr. violaci ℥j. detur una vice. (Experimentum)

Præſervetur autem præcipuè quælibet puerpera ſtatim à partu, & per integrum puerperium ab aëre frigido, & quacunque refrigeratione, imprimis venter & pedes, maneatque in cubiculo tepido clauſo ſubobſcuro ſine clamore & ſtrepitu, rebusque graviter olentibus, elevato capite quieſcens bene obtecta, modicè diſtantibus pedibus, ut ſine remora purgamentum ex locis proficiſci queat, pannique loca probè tegentes ſæpius mutentur, obtegendo quoque ventrem lanis mundis.

Inunctio. Si verò venter intumeſcat, inungatur oleo expreſſo ſeminis anethi inſtillatis ſimul aliquot guttis olei cumini, idque quotidiè bis vel ter. Poſt inunctionem imponatur ſacculus cum parte cinerum fagi, foliis ebuli, & pulvere baccar. lauri & ſimilibus. Intra corpus verò aſſumat ſubinde aliquot guttas olei cumini, vel

Pulvis.

℞. rad. zedoar.
galang. an. ʒj.
caſtor. ʒß.
croci ℈j.
fœniculi
cumin. præp.
oculor. cancr. an. ℈ij.
m. f. pulvis doſ. ʒß. vel ℈ij.

DE FEBRE PUERPERALI; Germ. das Kindbetterinfieber.

Febres puerperarum duæ. Foeminæ crebrius ante & poſt partum febre quadam acutâ invaduntur, de qua tamen hic ſermo non eſt, ſed de duabus ſpecialibus febribus puerperarum, admodùm ipſis à partu familiaribus, quarum unam vulgò febrem lactis appellant; quæ plerunque oriri ſolet circa diem à partu tertium vel quartum, idque à majori tuberatione & turgentia uberum, crurorisque recurſu ad ea. Quemadmodum enim quilibet exoriens bubo ſeu tumor adænarum calorem febrilem in corpore ciet, ita etiam uberum protenſio cum alteratione cruoris conjuncta ephemeram hanc lactis producit; Altera eſt febris quædam putrida ab impura matrice, vel corrupto ſangvine lochiali proveniens.

Signa febris lactis. Signa febris lactis ſunt: mammæ lacte repleri incipientes duriusculè turgent, duritieque calore ac dolore afficiuntur, gravitas quoque in dorſo & ſcapulis cum rigore ejusque pediſequo calore, & quodam dolore perci-

percipitur, fluentibus adhæc plerunque legitimo modo puerperalibus, quod & ſignum eſt, febrem eam non eſſe putridam, nec magni momenti, nullis enim medicamentis indiget, ſed intra quatriduum ſponte per ſudorem terminatur.

Signa febris putridæ.

Signa verò putridæ ſunt: calor & anxietas, quam in præcedente major, & præternaturalis, pulſus celer & vehemens, urina crocea vel rubea, ſitis & lingvæ ſiccitas continua, capitis dolor, debilitas virium, aliaque ſymptomata febrilia.

Cauſæ.

Cauſæ febris putridæ ſunt: defectus ſeu uon ſufficiens purgatio à partu per fluxum lochiorum, vel remanentia quædam in utero cruoris concreti & putreſcentis, ex eaque ſuſcitatur calor putredinalis totum corpus afficiens; vel inflammatio vulneraria ab inſigni quadam laceratione in difficili partus labore proficiſcens, vel ex diætæ peccato, nimirum hauſtu frigidiſſimo vel craſſæ cerevifiæ, lactis vel aquæ, vel alimentis malæ concoctionis, ut ſunt carnes ſuillæ, piſces, lardum, olera & ſimilia. Graviſſimam etiam ejusmodi febrem excitare ſolent fœtus in utero mortuus vel ſecundina, imò vel particula ejus relicta, ut ſæpius ab hepate uterino matrici adnato contingit, ita ut non integrè excludatur, ſed non nihil abrupti intus remaneat, & computreſcat.

Prognoſis.

Prognoſis juxta vehementiam ſymptomatum inſtituitur pro more conſimilium febrium, ab alia enim febre putrida non differt, niſi quod heic prægreſſo partus labore vires jam ante debilitatæ eò magis à febre dejiciantur.

Curatio

Curationem Practici aggrediuntur ſecundum cauſæ exigentiam; ſi enim ab errore diætæ proveniat, viresque ferant, lenem evacuationem inſtituunt, ut concoctioni inſuperabilis ſarcina educatur, quod fieri poteſt propinato ℥ſ. flor. caſſ. cum ℥j. ſyr. roſ. ſolutiv. vel pulv. jalapp. cum cremor. tartari an. ℈ſ. in calido juſculo. Et ſi ex defectu lochiorum ſit, etiam venam talarem ſecant, & ad febrem decoctum hordei potandum injungunt hoc modo paratum.

Decoctum hordei.

℞. hordei mundi integri miſ.
glycyrrhizæ raſ. ℥j.
ſchœnanthi ℈ij. vel. iij.

coquantur in aq. com. q. ſ. ad ℔ij. colatura bibatur, poteſt etiam addi ſalis prunell. ʒiſ.

Inſervit hoc decoctum contra calorem febris & ad educendum purgationem lochialem in robuſtioribus, in debilioribus autem ſchœnanthi ℥ſ. in ℔j. juris caponis coquunt, & potandum præbent; Pro victu dant cremorem hordei, pro more febrium victum tenuem ſervando, ſpina dorſi cum regione lumborum, ſimul inungatur oleo ſcorpionum. Plura habebuntur infra de febribus.

DE TRACTATIONE PUERPERÆ ET RECENS NATI INFANTIS; Germ. gebürende Wartung der Kindbetterin und deß Kindleins.

PUerpera quælibet ante, in & poſt partum ab omnibus tam actu quàm potentia frigidis, tam intra

quàm extra corpus omni ſtudio cuſtodiatur, nullique frigidæ auræ perflationi, vel ulli gelidæ aſperſioni exponatur, ſed mox à partu in molli lecto quaſi ſedens jaceat, ſcilicet tantoperè exaltatis cervicalibus capite & dorſo incumbens, ut ferè ſesſionis figuram referat, femoribus paulùm diſtantibus, ut purgatio liberè procedat, ad ſpontaneam usque ejus ceſſationem; ſi verò nimius ſangvinis fluxus acciderit, magnaque virium debilitatio inde cauſaretur, tunc ligentur digiti auriculares utriusque manus ligamentis ex ſerico rubro, rurſusque relaxentur, & iterum fortiter ſtringantur, & ſic conſequenter per aliquot vices, ſi tamen ſiſti nollet, tum coquantur duo vel tria ova cruda recentia in aqua pluviali vel fontana, donec aliquandiu optimè bullierint, aſſetur etiam integra nux moſchata ſuper flammam candelæ accenſæ cereæ, cujus dimidium commanſum devoret, ſuperbibito largo hauſtu dictæ calentis, conducit præterea hæc aqua decoctionis ovorum adverſus quodlibet ſangvinis profluvium.

NUTRIMENTUM PUERPERÆ.

COnſtet ex his quæ probè nutriunt, & facilis ſint concoctionis, ut ſunt avena & hordeum decorticata, pruna, juſcula ex jure pullorum, caponumque, ipſaque caro eorum, ut & vitulina, agnina & hœdina, ſuilla verò, & quævis fumo vel ſale condita ut & piſces, olera, ova dura, caſeus & lacticinia fugiantur, potus extra febrem vinum ſit tenue vel cereviſia clara, ſemper tamen absque actuali frigiditate aſſumpta; per novem dies à partu continuos conducit ipſi, ſi accipiatur pingvedo caponis ad ℥iij liquefiatque ſuper leni prunarum calore, injiciantur tum ʒiij. macis minutim conciſæ, maneant ſimul per ſemihoram in calore bulliente, deinde pingvedo per linteum exprimatur, ut macis remaneat, hujus colatæ pingvedinis omni mane quantitas nucis moſchatæ, ac veſperi tantundem in jure pulli asſumat. De cætero tractetur ferè ut vulnerati ſolent.

Sin autem in partibus verendis aliqua vulneratio, ruptio, laceratio vel læſio contigiſſet, tunc inſpergunt pulverem rad. conſolidæ majoris, ac deinde peſſos adhibent ex ſuccis arnogloſſæ, & portulacæ, & albumine paratos, applicando etiam ſubinde hoc linimentum: ℞. cortic. granator. ℥j. lythargyr. ſubtiliſſ. trit. ℥ſ. cum ol. roſac. q. ſ. f. linimentum mediocre, cum linteolis imponendum.

Infans autem ut ſupradictum eſt, mox poſt partum à ſuo funiculo umbilicali ſeparandus, ligando & conſtringendo prius dictum funiculum trium digitorum intervallo ab abdomine infantis vinculo lineo vel ſericeo, ſpacioque duorum digitorum exterius à vinculatione funiculum reſecando, ubi reſecto umbilico cruento ſubtiliſſimus pulvis cretæ, vel boli Armeni, vel croci martis inſpergitur, butyrumque recens inſulſum linteolo exceptum imponitur, ad ejus conſolidationem;

Progno-

Prognoſis obſtetricum de umbilico infantis talis circumfertur: ſi ea ejus pars quæ ventrem proximè reſpicit, rugoſa vel nodoſa conſpiciatur, quamlibet rugam vel nodulum matri portendere infantem etiamnum ex ea pronaſcendum, nimirum tot pueros quot rugæ rubentes adſint, puellas autem, ſi ejusmodi rugæ albeſcant, quoties autem explanatus cõpareat dictus umbilicalis proceſſus, & absque ulla rugoſitate, toties matrem impoſterum ſterilem permanſurum.

Porrò umbilico obligato (ex cujus retentione etiam magnitndo major vel minor virgæ virilis prædicitur) infantulus balneolo ex aqua dulci moderatè calenti (antiqui tamen Græci aquam ſalſam ad ejusmodi balneum inſumpſerunt ad firmationem meliorem cutis infantis) infertur, ita ut corpuſculum aquâ mergatur, caput verò emineat, ac optimè abluitur eâ cautione, ne quicquam aquæ auribus illabatur, ſiniſtrâ manu tenetur caput, dextrâ verò figurantur oculorum cavernæ,ac capitis decens figura comprimendo diſponitur, & ab omni immunditie optimè mundatur, gingivæ quoque ſvaviter ac molliter fricantur,brachiola & cruſcula itidem decenter configurantur, adhæc digito auriculari præcipuæ excretionum viæ, nempe foramina narium & ani leviter ampliantur & dilatantur, & quantum fieri poteſt, ad excernendum excrementa disponuntur ſeu incitantur,immiſſo etiam ori digito ad tollendam omnem ſalivam, inditoque in anum minimo digito primum ſtercus, quod meconium appellatur, removetur, nec minus aurium meatus ac palpebræ probè aperiuntur & exterguntur, antiquis verò Græcorum Medicis uſitatum fuit guttulam olei oculis infantis inſtillare eum in finem, ut tunicæ, quibus conſtent, emolliantur,extergâtur, & pueruli integrum viſum recipiant; ne autem tenelli oculi à luce lædantur, lavacrum in loco obſcuriori mediocriter tepente inſtituatur, manibus quoque pecten leviter comprimatur, ut natura inſtigetur ad reddendam urinam, & quando ſic ubique omni ſtudio lotus & mundatus eſt infans, tunc ad lenem ignem mediocriter calefactis linteis abſtergitur & reſiccatur, linteisque pannis involvitur corpus,ac inſuper aliud linteolum capiti circumtegitur, ſupperadditisque demum aliis tegumentis pro cujusvis regionis conſvetudine infaſciatur, longâque faſciâ ſeu tænia aliquoties circumactâ colligatur, omnibus membris in rectum ſitum poſitis, ne aliquod irregulari poſitione & colligatione figuram curvam vel intortam acquirat, faſciatus debitè in cunas reponitur,ac tanto interveniente ſpacio obtegitur, ut ſine impedimento reſpirare queat, muſcisque nullus relinquatur acceſſus ad infantem turbandum; Quando autem rurſus à ſomno evigilat, obſtetrix nonnihil ſachari pulveriſati vel mellis cocti & non crudi cum pulpa pomi aſſati deglutiendum præbeat, hoc enim remedii genere laxabitur,

ac omnis ſuperfluitas per ſeceſſum excludetur.

Unâ autem atque alterâ horâ elapsâ, rurſus faſciatione ſolvitur, ab excrementis extergitur, ac denuo omnibus corporis partibus ac coarticulationibus in rectum ſitum repoſitis iterum infaſciatur, lactatur, ac in cunas reponitur, altero die rurſus eodem modo balneatur, artuumque configuratio reiteratur, idque ſingulis diebus ad minimum ſemel vel bis, exterſio autem ſæpius, ne diutius in excrementis & urinæ madidatione jacens exulceretur. Balneatio itaque & membrorũ ſedula diſpoſitio omni die per unum vel alterum menſem repetitur, talique configuratione impeditur, ne ulla corporis pars deformis & diſtorta evadat, qualibet etiam balneatione prius in dorſo ac deinde in pectore & anterioribus partibus fomentari, omniaque concava loca nempe ſub axillis, ad collum, & in ingvinibus benè mundari, & extergi debent; Adhæc oculi & aures ſæpius linteolis tepente aqua vel lacte humectatis extergantur & mundificentur, ingvina quoque ab urinæ aſperſione detergenda & ad ignem ſiccanda crebrius veniunt, ne ab acredine lotii excorientur, quod ſi fiat, inſpergatur pollen hordei, vel farina aſſerum à vermibus exeſorum, vel quod melius eſt, flores cinci (cincum autem ſpecies calaminaris eſt in igne liqueſcens, datque in ollis ſublimatoriis flores velut antimonium) & brevi iterum exeſa cuticula conſolidatur. A qualibet autem balneatione uberibus adhibetur, & lactatur, nullum quoque lac ipſi convenientius eſt materno, quod tamen ante tertium diem nato non detur, ſed ab alia interim ſugat, donec matris propriæ lac in mammis concretum prius ſit emulctum, vel per certum ad hanc rem inſtrumentum exſuctum, quod ita paratur, ut ipſa puerpera ſibi hoc lac vitioſum per illud exſugere valeat. A lactatione cunabulis redditur, eorumque conſvetâ agitatione, & cantilenarum modulatione in ſomnum conſopitur.

Lactatio ſæpius in die fieri debet, modò ex unâ, nunc ex alterâ mammâ, nutrix verò manu papillam oſculo infantis inſertam quaſi exprimendo teneat, ne infans opus habeat operoſâ ſuctione primam lactis ſtillam extrahere, at ſemel ſtillans facilè inſtar filtri pergit ſuctionem levem ſequi, ſed nunquam in lavacro lac ſugendum ipſi præbeatur, prout & adulti in balneis non impunè bibituri eſſent, ut in nobis ipſis in juventute experti ſumus, ita etiam infans in ſuo balneo ſine gravi noxâ non lacteret. Quando autem plorat, aſpiciatur faſciæ ligatura, an forſan ex diſtorſione ejus infans malè habeat, vel aliquid pungitivi adſit, & ipſi moleſtiam inferat, vel rurſus ſitiat, vel in nimio æſtu jaceat, quod ex rubedine vultus amimadvertitur. Quamvis autem maternum lac infanti præ omni alio optimè conducat, ſæpè tamen ob vitium mammarum matres coguntur nutrices ſubſtituere, quod ſi ita eveniat, eligenda eſt integræ valetudinis, ampli pecto-

pectoris, grandioris ſtaturæ, mediæ ætatis ſeu inter vigeſimum ſeptimum & quadrageſimum ætatis annum, quæ mediocriter ſit mammata (nam neque nimis parva nec nimis vaſta ubera lac optimum habent) & ad minimum ter pepererit, non ſalax, potatrix, munditiei negligens, ſordida, triſtis, vel melancholica, cujus etiam lac prius examinari deber, an inculpati vices gerat: ſicuti enim vinum COS tantumodò bonum eſt ſeu colore, odore & ſapore præſtans, ita etiam itidem lac bonum excellere debet colore, nimirum albiſſimo, odore, nempe ſvavi, & ſapore videlicet dulci, & conſiſtentiam habere mediocrem, id eſt non nimis ſpiſſam vel aquoſè tenuem, cujus proba eſt, ſi ejus gutta ſtilletur ſuper ungvem pollicis, vel terſum ſpeculum, in rotunditate perſiſtat nec defluat. Ab hac qualitate ſi lac deflectat, colorisque ſit flaveſcentis, lividiuſculi, odoris injucundi vel ſubfœtidi, ſaporis nauſeoſi, inſveti, ſubamari, vel ſalſi, & facilè aceſcat, conſiſtentia promptiſſimè diffluat, vel caſeſcat, tale lac eandem, ex qua deſumptum eſt, minus proſperè valere arguit, ac infanti noxam parit, nempe caſeoſum lac aſtrictam alvum, inappetentiam & vomitiones, aquoſum verò tormina & flatus, flaveſcens fluxum ventris & puſtulas ardentes, ſalſum autem ſcabiem & pruritum.

Diæta nutricis. Non rarò tamen lac inculpatum vitiatur, ſi nimirum nutrix pravo utitur victu, & inconvenienti diætâ, conveniens enim requirit, ut moderato exercitio corpus moveatur, aliàs inſtar ſtagnantium paludum fraceſcit, & putredinem concipit, item ordinem in cibo, potu & ſomno ſervet, talibusque alimentis nutriatur, quæ facilis ſint concoctionis, & laudabilem cruorem generent, à contrariis autem, & è ſtomacho ſurſum vaporantibus abſtineat, præcipuè à cæpis, allio, porro, caſeo putrido vetuſto, braſſicâ doliis conditâ, carne ſuillâ, fumatâ, ſalitâ, ſuccidiis, & ab his quæ ſalacitatem ſtimulant, quibus mirum in modum infans lactens læditur, imprimis ſi nutrix iterum concepit, nequaquam ergò talis ulterius lactet, ſed vel infantem ablactet, vel alia nutrix ſubſtituatur, donec infans ſesquiannum vel ad ſummum biennium ætatis agat, tuncque lacti deſveſcat, & alimento ſolidiori aſveſiat.

Interim ſi alii defectus lactis ingruerent, remedia convenientia adhibeantur, pro exemplo: ſi lac imminuatur, indaganda eſt cauſa, & ſi ab indebito aliquo cibo vel potu dependeat, abdicandi ſunt, ſi ex parciori alimento, liberaliori detur locus, fovendo ſimul mammas calidis veſtibus, quas & ſæpius confricare convenit, ac oleo quodam temperatæ calefactionis inungere, nempe oleo irino, anethino vel fœniculi, præmiſſo fotu ex decoctione ficuum, fœniculi, althææ, malvæ & ſimilium. Intrò aſſumat ejusmodi pulverem:

Pulvis ad defectum lactis.

℞. ſem. fœnic.
aniſi
ſeſeli.
apii an. ʒij.
rad. cardui Mar. ℥ß.

pip.

pip. long. ʒj.
ſachari albiſſ. ℥iij.
m.f. pulv. ſubtiliſſimus.

Alius. Vel ℞.ſem. napi
paſtinac.
fœnic.
ſeſeli an. ʒiij.
lini ʒiſ.
cinamom. acut. ʒij.
ſachari ℥ij.
m.f. pulvis, cujus ʒij. vel largum pugillum in vino generoſo, horâ unâ ante paſtum accipiat.

Si verò lac nimiâ copiâ abundet, minuendus eſt non nihil cibus ac potus, imprimis in hisce, quæ multum nutrimenti dant, ut ſunt ova ſorbilia, carnes & vinum, vena quoque eſt ſecanda (præterquam mox à partu) antequam verò remedia ad exſiccandum lac in uberibus applicentur, emulgendum prius eſt lac illud jam in mammis exiſtens, ne à remediis in maſſam duram coaguletur, ſeu congeletur, tum verò ſequens convenit: ℞. pulv. gallar. & cumini an. q. p. coquantur in aceto vini, & intinctis ſpongiis vel linteis hic decoctionis liquor calens fomentando mammis applicetur, idem poteſt fieri decoctione lapidis arenoſi albi in aceto, vel herbæ & radicis hyoſcyami ita in aceto bullitæ, vel decoquantur lentes in pultem, & ex eis cataplasma mammis ſuperponatur.

Fomentum ad lac exſiccandum.

Cataplaſma.

Reliqui lactis defectus diætâ corriguntur, ſi nimium nutrix alimentis, potuque & aliis rebus convenienter regatur, vitando omnia nimis acria, auſtera, copioſa aromata, potum inebriativum, piſces, carnem ferinam, & ſimilia, cavendo quoque ab iracundia, laſcivia, forti corporis exercitatione, vel labore, balneatione, multa ingurgitatione, imprimis autem ab ebrietate.

Porrò etiam modus in lactatione infantis ſervetur, nimium enim lac, quo ventriculus ejus obruitur, corrumpitur, gravat, & variam ut intemperantia in adultis morboſitatem parit, quia omne nimium etiam rerum optimarum vertitur in vitium.

Ad alvum aſtrictum.

Interdum etiam iufans alvo aſtrictâ laborat, tumque ſuppoſitorium conveniens parari poteſt è muſcerda ſeu ſtercore murino, ſi temperetur oleo oliv. & ano indatur. Vel ℞. hujus muſcerdæ ℈j. miſce cum ſevo hircino, & fac inde ſuppoſitorium. Talia ſuppoſitoria formantur etiam ex radice betæ, vel althææ, vel ſapone albo, oleo chamæmelino inunctis. Inungi quoque infantis venter poterit oleo chamæmeli, quocum colocynthis cocta eſt, nutrix verò modicum ſenæ cum prunis coquat, & intrò accipiat. Adhæc ſi admodùm inquietus eſt infans, torminibus affictari deno:at, tumque venter ipſius calente oleo anethino inungatur, ſacculusque avenâ integrâ repletus in ſartagine calefactus ventri imponatur.

Nutrimentum infantis quod attinet, in hoc lac maternum palmam reliquis omnibus, menſibus prioribus mox à partu præripit, verùm partibus corporis circa menſem quartum augmentum in extenſione capien-

capientibus, etiam capitas ventriculi ampliatur, ideò cibus quoque aliquantulum materialia ſenſim ventriculo porrigatur neceſſe eſt, quem in finem pulticulæ è polline triticeo & lacte vaccino addito modico ſachari, vel medullâ ſimilagineâ contritâ cum lacte coctâ parantur.

Tandem juxta præcipuorum Methodicorum veram doctrinam cuilibet infanti propriæ matris lac præ ullo alio convenientiſſimum quidem eſt, verum enim verò ſi mater connatam habeat vitioſitatem, ita ut ſit furtiva, mœchatoria, ſtolida, morbida, vel pravo victu confirmatum habitum morboſum introduxerit, tunc ipſius lacti pariter vitioſo utique aliud ex nutrice optimè conſtituta neceſſario longè præferendum eſt. Imò maritus ipſius id cognoſcens benè facit, ſi in truncum ſylveſtrem, ſi fieri poteſt, ſurculum hortenſem optimæ qualitatis inſerat, id eſt vitioſæ matris infanti ingenitam indolem & morboſitatem, per lactis melioris notæ transplantationem corrigat quantum corrigi poſſit, cæteraDeo optimo maximo commendans.

Cæterum omnibus infantibus dentes intra maxillarum alveolos ad menſem usque ſeptimum deliteſcunt, idque Omniſapientis fideli ordinatione, ne ſcilicet, ut Authorum eſt ſententia, inter ſugendum papillæ mordicus præhenſæ dolore afficiantur, ſuntque eorum radices initio molles & mucoſæ, quæ impoſterum magis induratæ menſe ſeptimo, raro quarto, dentes primores protrudunt, prius fere ſuperius, & conſequenter inferius, jamque propupturis dentibus infantes admodùm malè habent, cujus etiam Hippocrates meminit his verbis: *Cum dentire cœperint, gingivarum moleſti pruritus, febres, convulſiones, diarrhœæ, maximèque cum dentes edunt caninos, & qui inter pueros craſſiſſimi ſunt, alvoque adſtrictâ.* Non tamen omnes his omnibus tempore dentitionis afficiuntur, ſed quilibet infans modò uno modò altero, nullusque ab eis omnibus immunis dentit, niſi fortè Marcus Curtius (quem ideò dentatum appellarunt) & Cn. Papyrius Carbo, uterque dentibus exſtantibus nati, talia non paſſi ſint.

Ad levanda hæc mala illiniuntur tum temporis gingivæ melle cum butyro ac cerebro leporino commixto, vel adipe caponum; Probatum etiam medicamen exiſtit, ſi criſta galli gallinacei incidatur, ac profluentis ſangvinis tantillum gingivis affricetur. *Ad facilitandam dentitionem.*

Hi dentes primores ſingulis radicibus, maxillares binis, aliquando etiam ternis vel quaternis affixi deprehenduntur, à quibus circa annum ſeptimum priores dentes eliduntur, aliique ſuccreſcunt. Primus qui excidit, ſi terram non attingat, armillæ inſitus, ac continuò in brachio geſtatus, muliebrium locorum dolores efficaciter inhibere, alligatusque difficulter dentienti, multum juvare dicitur.

Facilitatur etiam dentitio, ſi circa menſem quintum initium fiat inun-

ctionis gingivarum ex pingvedine gallinacea, vel oleo dulci, aliisque gingivas emollientibus. Si verò infans aphthis ſeu ulcuſculis oris vexetur, tunc illiniatur oris ulceratio melle roſato, ſimplici vel unâ & alterâ guttâ olei vitrioli fortiorato.

CAP. CLXXI.
DE MORBIS ARTHRITICIS; Germ. Gicht und Zipperlein.

O admirandam ſacroſanctiſſimi Numinis omnipræſentiam, & omnes creatarum rerum atomos juſtiſſimo judicio implentem! cujus etiam irrefutabilis & palpabilis teſtis eſt morbus articularis plerunque flagellans ignavos, luxurioſos & voluptuoſos, talesque, qui ſe à verè catholico Dei præcepto: *In ſudore vultus tui comedes panem tuum*, id eſt in manuali laboratione ſudorem exprimente vitam tranſiges; ſubducunt, ingreſſos ſe ideò tantum in hunc Mundum arbitrantes, ut ſine moleſtia, delicatè, molliter & volupè vivant, alienumque à ſe & ſuæ exiſtimationi probroſum & dedecoroſum eſſe putantes juxta reverendum hoc Dei præceptum ſuaptis manibus labores tractare mechanicos, & ad communem vitæ uſum neceſſarios, vel etiam plebejorum more pedibus ire per plateas, ſed ſuum aliis præferendum nomen & ſtatum poſtulare ſibi imaginantur, ut non niſi magnificis equis & carpentis ad loca quæ petunt, licet paucis greſſibus diſtent, vehantur, vectique aliquot equis, pomposè trahantur, ut evidenter appareat, eos in conſpectu Dei tam graves eſſe peccatorum truncos, ut ad virum unum protrahendum equi duo, vel quatuor vel ſex requirantur, quin imò ne quidem in conſpectu Dei compărituri ſe tantoperè humiliant, ut ad minimum ad templa pedibus proficiſcerentur, ſeriò penſitantes, ejusmodi pompam forſan Deo diſpliciturам, cujus unigenitus, quamvis ſit Rex Regum ac Princeps Principum, nihilominus in hac terra ſemper pedes ivit, talemque ejus vilem ſervum, qui comparatione ad Dominum Chriſtum ne quidem viliſſimi calonis vel lixæ dignitatem aſſequi poſſet, non erubeſcere adeò ſuperbire, uſumque pedum, manuumqne eo modo ut Deus inſtituit, ſibi contumelioſum reputare.

Verùm lepidiſſimè Deus ſuperbos hos ſuos ſervos caſtigat, tradens plerosque eorum ſuo inviſibili carnifici ſeu tortori, nimirum Podagræ, cujus tormento etiam in molliſſimis lectis ſubjiciuntur, ſæpiusque adeò diſtenduntur, ut vix à corporeo carnifice pejus torqueri poſſent, ipſi tamen tam ſtupidi ſunt, ut neque advertant, neque delicta ſua, uti aliàs in tortura convenit, confiteantur, ſed veluti inficiantur, atque ab equuleo dimiſſi in priſtino vitæ inſtituto pergunt, proptereaque identidem ad tormentum rurſus ludibrioſè rapiuntur, donec tandem in iisdem intereant; quanquam hæc parvi ſint momenti, collata cum his quæ aliquando cum divite epulone plurimis illorum poſt mortem

Podagra eſt carnifex inviſibilis.

tem

tem demum perferenda erunt.

Plerunque autem podagra divites otioſos invadit, ac proinde apud nos die Herren⸗Kranckheit / id eſt morbus dominorum appellatur, prout etiam ex antiquiſſima illa fabula de peregrinatione & colloquio podagræ cum aranea apparet, eodem modo antiquitus podagram divitibus fuiſſe familiarem, præcipuè autem his frequens eſt, qui multæ vini meracioris potationi dediti ſunt, vel crebrò iracundiâ exardeſcunt, vel toti in venerem & ſalacitatem feruntur, & ubi ſemel pedem figit, ibi deinceps ad liberos transferturin quibus latere ſolet, donec prius ad venerem maturuerint, ubi demum in paroxyſmos erumpit; quamvis autem podagra ſpecies ſaltem morbi articularis ſit, in qua articuli pedum affliguntur, idemque morbus alias coarticulationes occupans alia nomina habeat, nempe in manibus chiragræ, in genubus gonagræ, attamen jam uſus invaluit, ut in aliis articulationibus etiam in ipſis vertebris cervicis ab omnibus podagra vocetur, at ſi per totius corporis articulationes ſimul diſperſus ſit, & ſic homo decumbat, arthritis nuncupatur.

Nominis ratio. Dicitur autem arthritis ab ἄρθρον id eſt articulus, eò quod ſemper in articulis & juncturis accidat. Eſt autem articulus nihil aliud quam cohærentia duorum oſſium mobilium, & evidentem motum conſtituentium, quæ ſi dolore & defluxione obſidentur, nomen articularis morbi ſeu arthritidis conficiunt, ſin autem in commiſſura immobilium oſſium fiat, ut ſunt ſuturæ cranei, dentes in maxillis, tunc ejusmodi dolor ſaltem catarrhus, vel defluxio, & nequaquam arthritis nominatur, de mobilibus ergò ſaltem oſſibus & eorum cohærentiis hic ſermo eſt, quæ articuli nominantur, taliſque oſſium compoſitio quæ manifeſtum motum habent, vocatur dearticulatio, quæ verò obſcurum & difficilem, coarticulatio, eorumque defluxiones & articulorum motum gravantes vel impedientes, arthritis, à barbaris autem gutta & arthetica, quando nimirum articuli ab internis & ſpontaneis defluxionibus cruciantur, at ſi ab externa violentia per caſum vel ictum, articulis distorſio & dolor inferatur, tunc luxatio, ſubluxatio, & dislocatio vocitatur, ab interna cauſa autem neutiquam, licet tantus adeſſet arthritidis vehementia, ut à creta podagrica pari modo articuli violenter è locis ſuis distorquerentur.

Triplex autem oſſium connexio occurrit, vel enim invicem coaleſcunt per ſymphyſin nunc ſine alicujus materiæ interſtructione, ut fit in mollioribus & fungoſis, jam cum interventu materiæ, ut in durioribus & ſiccis: vel per ſynarthroſin ſcilicet quando obſcurum & difficilem habent motum, vel per diarthroſin, videlicet quum evidentem & manifeſtum præſtant motum; prima conſtructio dolorum arthriticorum non eſt ſusceptiva; ſecunda raro; tertia proprius eorum nidus & ſedes eſt, nimirum inter ligamenta, &

membranas, quæ membranâ veſtiuntur à perioſtio exortâ, ac exquiſitiſſima ſenſilitate præditâ, unde ſi defluxio in has partes incidat, ob exquiſitum ſenſum tantus dolor ibi excitatur.

Talis autem connexio articulorum & exquiſitus ſenſus præcipuè in mobilibus oſſibus pedum, genuum, manuum, coxarum, vertebrarum dorſi & ſcapularum ſe offert, atque etiam frequentiſſimè in hisce partibus morbus arthriticus aboritur, & quamvis in ſingulis diverſam appellationem, nempe podagræ in pedibus, gonagræ in genibus, iſchiadis ſeu coxendicæ paſſionis in coxis, chiragræ in manibus, doloris ſcapularium, & ſpinæ dorſi in iſtis locis nanciſcatur, tamen ſemper unus & idem morbus eſt.

Signa. Signa diagnoſtica hujus morbi tam manifeſta ſunt, ut quivis laicus mox eum agnoſcat, vehementer enim articulus cruciatur, & plerunque intumeſcit & rubeſcit, isque dolor omnium frequentius in pedibus & præcipuè ſiniſtri pedis pollice ſævit, & plerunque cum febricula incipit, præceditque ut plurimum magna animi turbulentia, & ex quavis levi cauſa ad iram irritabilitas, incepturo autem jam paroxyſmo vermiculatio cum torpore & fervore quodam in morboſo articulo ſentitur.

Cauſæ. Cauſæ hujus morbi ſunt imprimis: multa & crebra potatio vinorum meraciorum; nimia ſalacitas, & exercitatio in veneris palæſtra; exceſſiva promtas ad iram & excandeſcentiam; voracitas, guloſitas crapula & abundantia variorum ferculorum quotidiè comeſtorum; otium & abſtinentia ab omni labore; item fundus regionum cretaceus & tophaceus, adeò quidem, ut & ab aqua ejusmodi calcoſitas combibatur, & à creſcentibus ſimul attrahatur, quæ etiam ex vino in iſtis regionibus creſcente obſervabilis eſt, nam ſi ejus parum in menſam effundatur, & ſponte ſicceſſere ſinatur, maculam albam cretaceam relinquit, ut vinis Auſtriacis & Hungaricis ſolemne eſt, quanta etiam diverſitas ſit fundorum, ad oculum mox demonſtrari poteſt, ſi nimirum ſilices ad apparentiam omninò æquales & concolores ex Rheno & Danubio colligantur, & in forti igne calcario urantur: Danubiani enim ſilices in veram calcem vivam uſtione abeunt, Rhenani verò nullatenus, uti tales oculari quidem obſervatione ſimillimos in igne autem diverſos ſilices ipſi probavimus, & aliquos propriis manibus conſtructo igne in calcem vivam peruſſimus, in aliis verò nulla peruſtio obtineri potuit, licet eos in pulverem tuſos magiſtro furni vitrarii miſerimus, isque illum per plures dies in ardentiſſima furni ignitione detinuerit, talesque fundi calcoſi dant arthritidem endemiam. Deſes verò guloſitas plurimum ſucci pingvis & pituitoſi alimentarii generat, ut in porcis apparet, qui in tranquillitate & multa voratione detenti adeò pingveſcunt & axungeſcunt, ut lardum duos vel tres digitos ſpiſſum adipiſcantur, quod pituito-

tuitoſum eſt totum, adeò ut vix incendi poſſit, flammæ enim candelæ ſi lardum etiam fumatum adhibeatur, pingvedo quidem juxta naturam ejus flammam vult concipere, copioſa verò pituita admixta ſecundum aquæ naturam extingvere flammam ſatagit, & ſic ingens ſtrepitus in iſta pituitoſa pingvedine ab allambente flamma animadvertitur, idem quoque quamvis non in omnibus ſaltem ex parte in deſidioſo homine delicatè & opiparè vivente contingere veriſimile eſt, in ipſo tamen cum longè calidior ſit porcis, atque etiam meris coctis & aromatiſatis vivat, ſuperfluitas ſucci pituitoſi ejusmodi rurſus per omnia emunctoria expellitur, in articulis autem ceu naturæ frigidæ talis expulſio tam promtè non fit, ſcilicet in his qui neque laborant, nec multâ ambulatione moventur, diuturnitate itaque temporis in ipſis alicubi collectio quædam fit ob defectum motus paulatim magis ſpiſſeſcens, & ſic motui articulorum impedimentoſa.

Omnia enim inſtrumenta in continuo motu verſantia inceſſanter tenui liquore lubrico lubricari debent, ut eò promptius moveri posſint; ut apparet in axibus rotarum, verſuris horologiorum, pinnis ſerarum, quæ ſemper oleo mucagineo vel ungvento tenui lubricantur, aliàs eorum motus impeditur, tempore enim frigido cum olea etiam obrigeant, horologia difficilius moventur, cum ergò etiam articuli ſemper hinc inde moventur, ſimili humore lubrico opus habent, qui etiam continuò copioſè ipſis adducitur, motuque in laborioſis abſumitur, ſemper alio ſubſtituto, in deſidibus autem cumulatur indies magis lenteſcens, donec Archeus gravatæ partis inſurgat, contra gravamen excandeſcat, illudque expellere laboret, unde inflammatio, dolor & tumor loci, idque ferè tantum in his, qui copioſo alimento uſi nimis abundantem ſuccum alimentarium generant, at qui admodùm parcè & frugaliter vivunt, licet etiam parum moveantur, non multum à paroxyſmo podagrico torquentur, uti in magnatibus obſervavimus, qui jam reipſa podagrici erant, multum autem ſibi detrahentes, & ferè non amplius cœnantes paroxyſmos penè omninò detruncabant, in hisce autem, qui in otioſa & delicata vita plurimum iraſcibilitati vel veneris œſtro dediti ſunt, valdè promptè paroxyſmi podagrici accelerantur, eò quod tales ſæpius toti æſtuant, ubi in tanto æſtu ſulphureo aliquid acidi in articulos rapi videtur, imò ipſa pingvedo incenſa fit acida, ut incenſum ſulphur indicat, cujus fumus in acidiſſimum liquorem, quem oleum ſulphuris per campanam vocant, colligitur, quilibetque alius incenſorum lignorum & cujuscunque ardentis pingvedinis fumus ob ſuam aciditatem oculos mordet, cum ergò in tanto ardore iræ vel veneris incenſio quædam pingvedinis fiat, & exinde fuligo acida vaporetur, & ad articulos rapiatur, acor ibi prælaudatum humorem articulorum lubrica-

bricativum, qui vulgò ſinovia appellatur, vitiat & in qualitate lubricativa alterat, ut quilibet experiri poterit, ſi vulgare aliquod oleum mucaginoſum, ut ſunt oleum olivarum, vel aliud expreſſum, coquat cum liquore valdè acido, nempe aquâ forti, ſpiritu nitri & ſimilibus, videbit enim iſtud oleum omninò mutari in ſpiſſum ungventum, aciditas ergò in ſinoviam delata eam conſimili modo alterat & coagulat, ita ut ſiccius quid ex ea fiat, & deinceps ſeparetur, unde creta podagrica & nodoſa durities. Ergò tam à venere quàm furente ira fortis aciditas producitur, atque etiam in lue venereâ manifeſtè apparet, cujus rodentibus ulceribus acorem ineſſe neceſſe eſt, nodique ejus oſſei non aliunde extant quàm à ſucco corporis pingvi ab aciditate alterato & indurato. Denique cum contagio podagra non careat, & ſæpius tibialibus, qui bus podagricus indutus fuit, ad alium, qui eadem nudis pedibus induat, transferatur, per fermentum id fieri neceſſe eſt, ſuo odore ad eundem affectum fermentans, omnis autem corruptiva fermentatio acida eſt, ut multis modis demonſtrari poteſt.

Modum autem fiendi morbi articularis Authores volunt eſſe defluxionem vitioſi humoris, per triplicem concurrentiam ſcilicet partis mandantis ſeu à qua oriatur fluxio, partisque recipientis ſeu affectæ, quæ humores vitioſos recipiat. nec non viæ ſeu canalis per quam fluxio ad articulos fiat.

Partem mandantem eſſe cerebrum aut hepar, à qua fluxio tanquam à fonte oriatur. Partem recipientem ſemper ob imbecillitatem talem fieri, aliàs discuſſuram & abſumpturam eſſe humorem noxium affluentem, viam autem defluxus ex capite eſſe tunicas nervorum, ex quibus tandem, ubi defluxerint ad imbecilles articulos excrementa pituitoſa, in articulos exudent, quæ per nares & palatum fluere debeant, atque etiam ſecundum Fernelium per ſubcutaneas membranas ad articulos defluere poſſint. Ex epate verò per venas & eisdem ſubjectas arterias humores vitioſi cum impuro ſangvine deferuntur.

Helmontius è contra nullam in cauſis arthritici morbi defluxionem admittit, ſed de ejus fiendi modo & cauſis in tract. *volupe viventium morbus antiquitus putatus;* ſequentem in modum philoſophatur. In principio poſtquàm character podagricus ſeminalis ſit conſtitutus (quod perinde ſit, ſive à ſemine parentum inoleverit, ſeu demum vivendi ametriâ ſit comparatus) neceſſe eſſe, eum juxta legem fati rerumque viciſſitudini parentium habere præſcriptos durationis ſuæ limites, tam in emergendo, quàm in contiuando, dum itaque inſtet initium hujus motus podagrici, confeſtim ſpiritum vitalem corruptivo characteri obtemperantem clientem, induere aciditatem fermentalem prorſus ſibi hoſtilem atque nobis exoticam. Denique prout aciditas omnis tam in cruore quàm carne putrefactionis initi-

Doctrina Helmontii de generatione podagræ

initium inditiumque contineat, hinc fieri, quod natura præſentiens illam aciditatem in ſpiritu, quam conceperit ex ſemine ſive charactere podagrico, confeſtim excitet febrim ephemeram ante podagræ acceſſum. Mox quoque loco, ſive utero proprio (ſcilicet ubi duo ſe ſimul oſſa contingant) perſentiri dolorem primùm leviuſculum, deinde verò quaſi ardentis ſtillæ, qui auctus deinceps dolores, ardores, ac tandem ſæpè tumores excitet. Tum nempe conceptum in ſpiritu acorem ſpirituali fermentatione, activâ nimirum alteratione inquinare gluten ſpermaticum, quod inter ligamenta & oſſium congreſſum ſit. Characterem autem podagricum indole ſua natum inficere & transferri cum ſemine (prout nimirum mercurius inficiat os atque dentes, ſaliva autem canis rabidi, cerebrum) tanquam hoſpitio, in quo per longam ſæpè annorum ſeriem latitet, quapropter vi ſymboli conſonum eſſe, characterem podagricum primordialiter reſpicere ſpermata. Veruntamen cum natura tota ſit ſexu anxia, & conſervandarum ſpecierum ſedula conſervatrix, atque ſalvatrix, peculiariter, quantum poſſit, proſpiciat, ne character ille ſpeciem inficiat, neve in teſtes procumbat. Quocirca non potuiſſe ſaltem præcavere, ne pro ſuâ indole infectet liquorem ſpermatici finitimum, quem Paracelſus ſynoviam appellarit, ubertim inter ligamentorum capſulas, oſſiumque contactus effuſum. At ſub illo momento concubitus podagræ character alioquin obdormiens in ſpiritu Archeo ſub tanta libidinis agitatione excitatus, cum ſpiritu unà ſemini contemperetur anomalo planè modo, quòd natura, tum regendis habenis impotens, non potuerit cohibere, quin venenum characteris libidinoſum ſemen fermentaliter inficiat. Itaque cum regulariter ſemen, ſive character podagræ ſpermatica contaminet; Ideò quampromptiſſimè ſynoviam, quæ nusquam ſolitaria occurrat, quàm ubi duo oſſa ſe mutuò tangant, hinc locus ſive nidus podagræ in articulis, quæ cum jam conſtitutis cauſis ſuccedere debeant, ſaltem natura ſuæ conſervationis indiga, non ſinat characterizatum ſpiritum inficere ſinoviam, niſi procul diſſitis à corde oris, hinc namque podagræ atque chiragræ nomen mutuatum. Sed tandem ubi morbus vires acquiſiverit eundo, & natura ſuas amiſerit; etiam propinquiora loca infeſtet podagra. Conceptum itaque podagræ acorem in ſpiritu eſſe potentialiter atque in ſemine absque actuali acore. Prout nempe ſemen pyri guſtum fructus non exhibeat. Dum verò tempus maturitatis inſtet, actuetur aciditas in ſpiritu, huncque contaminet, qui parvo ſpatio dein contaminet ſuo fermento ſynoviam non ſecus atque odor teſtæ acidæ paulò poſt recens lac infuſum coagulet, interim autem dum hæc intus contingant, totus corporis Archeus in ſe alteretur. Noſſe namque podagricos plures ſibi inſtantem acceſſum prædicere ex mutato excremento intra

pedis

pedis digitos naſcente, quod ſanè non defluxum tam humoris, quam ipſiſſimam ſudoris laticisque alterationem prodat. Sinoviam ergò ex quo ſemel acida devenerit, non poſſe non dolores ciere. Quapropter majoris atque minoris aciditatis ergò tantum diſtare podagræ dolores, calores, immanitates, proprietatesque.

Sinovia quid? Eſſe autem ſinoviam mucilaginem quandam pellucidam, qualis vitulo mactato amputatis pedibus è tibiis ſtillet. At mox conceptâ aciditate ſinoviam grumeſcere, caſeiformem & opacam fieri. Adeòque & inde ineptum reddi, ut juxta ſolitum tenorem ſanitatis tota exhalet abſque capitis mortui reſidentia, fierique hinc degenerem morboſum partum, infelicem nodorum matrem; ſufferre enim tum aquoſarum partium difflationem, retentis ex opaca & indurata ſinovia reſiduis. Hinc illa monſtra calx & creta. Eſſe igitur acorem illum doloris cauſam, dolorem verò, cauſam effluxus cruoris vicini boni & inſontis. Non eſſe autem affluxum cruoris defluxum è capite, aut jecinore, eò miſſum per ambages viarum intellectui impoſſibiles. Ac licet incautos ſenſus decipiat, videanturque ſentire defluxum supernè; ſenſuum tamen duntaxat eſſe fallacia judicia, prout dolente dente in totum capitis latus depluere videatur augmentum cauſæ dolenti, non ſecus atque ad dolorem paneritii glans ſub axilla appareat. Topico enim remedio odontalgiam abire vel eradicato dente ceſſare, & glandem evaneſcere, ubi digitus dolore levetur. Hanc eſſe originem & radicem podagræ, huncque fiendi modum, qui ſanè per juvantia & nocentia confirmetur, non ſanè quod iſtud axioma in ſe pudendum approbandum aut inde indicationes curativæ deſumendæ ſint, ſed quia quandoque admiſſi errores errantes inſtruant judicioſos in charitate ſapere volentes, ſicut bona remedia benè operantes confirment. Ideòque quicquid ſubtilem aciditatem in ſpiritu principiet, maturet, augeat, aut promoveat; illud etiam podagræ acceſſus ſtimulare; cujusmodi ſint vina alba, acidula, parum vini, multum aceti continentia largius hauſta, itemque quæcunque ſint corruptiva laticis, ut aſparagus &c. pariter quoque quæcunque acorem è ſpiritu vitæ ac latice ante acceſſum demant introſumpta, vel foris appoſita, acceſſum amoveant, antevertant, vel præſervent, ſaltem mitigent dolores nodosque inhibeant. Aſt in ſanando podagram non eſſe ſpectandam aciditatem productum (quæ fructus & poſterioris vices habeat) ſed meditandum eſſe, quomodò è ſpiritu vitæ character ſeminalis podagræ ſit abolendus, quo aliàs perſtite nil actum eſſe electo Medico dignum. Neque enim ad intima ſpiritus vitalis ſcrinia quemvis tabellarium accedere, niſi legatum amicum. Ideòque purgationem per arcanum corallinum, podagram in ſui ſemine interimere. Non eſſe autem arcanum iſtud colorem ſive tincturam coralli (ut rerum chymi-

chymicarum ignara turba irridendo interpretetur) quia appoſita verba Paracelſi (quod de eſſentia auri ſit) aliud ſonent. Non etiam auri colorem, ſulphur aut tincturam alvum ſubducere; ſed arcanum hoc eſſe materiâ metallicum, colore corallinum, ſapore melleum, & eſſentiâ aureum; Non quidem quod unquam fuerit corpus malleabile, ſed eſſe auri horizon, inconcluſum corpus & fixum, cujus ſulphur dulce ſit, & noſtris conſtitutivis commiſtibile. In hoc enim ſulphure omnes vires ſolis congregaſſe omnipotentem, cui ſoli omnis honor & gloria.

Queri autem imprimis podagricos, ſe perſentire humoris ardentis defluxum. At ſat ſuperque à ſe eſſe doctum, nullum in natura unquam fuiſſe humorem noſtrum præter cruorem laticem & ſecundarium ſive nutritium alimentum; ac præterea degener excrementum; nullumque horum defluere, multoque minus defluxum ſentiri poſſe; humorem nusquam niſi in Galenicis libris exiſtentem, ergò in ſuppoſito ſenſationis neceſſarium eſſe errorem. Podagram itaque eſſe characterem morbidum, ſeminaliter in ſpiritum vitæ inſertum, qui ſuæ maturitatis terminis fructum acidum fermentalem gignat, ſpermaticis partibus confermentabilem. Non ergò exiſtere podagram in cruore, multoque minus in excrementis. Verùm podagricos primum agitari in præcordiis, & tam internas potuum atque ciborum, quàm externas aëris viciſſitudines ſentire, imò & ſæpè has futuras præſagire. Quare patiantur febriles motus primùm circa officinam ſpiritus vitalis, ac quidem paroxyſmi initiis. Etenim primos motus è præcordiis aſcendere, ſedem animæ ſenſitivæ adoriri. Conceptum namque in præcordiis characterem lunæ atque mercurii typos explicare, atque deinde in corde perfici. Formatum autem ſive maturatum characterem ſpirituum ibidem febrilem induere, quatenus inficiat, qui ſimul atque acorem ſymboli vitæ ſive fermentalem conceperit, motu febrili abigatur ſquallens, & ad loca deſtinata (crudi videlicet ſpermatis in ſinovia articulorum) febriliter deferatur. Spiritum hunc ſic infectum & non humorem (quod notandum) ſinoviam in ſe transparentem aciditate fermenti coagulare in grumum opacum, adeò ut prę ponticitatis conceptæ gradu calores, dolores tumoresque podagræ diſtingvantur. Laticem verò advocari doloris buccinâ, & per venas dimitti, ad eluendum certum eſſe, hinc verò in ſcholis confirmatos eſſe defluxionum errores, jecur accuſatum, caputque immeritam luiſſe culpam, & ſuſtuliſſe fruſtraneas mille medelas. Itaque non quod doleat, quodque tumeat, vel ardeat, podagram eſſe, ſed ejus producta. Neque enim per pilam bombardæ ablato pede ablatam eſſe podagram ſive arthritidem, ſiquidem in ſenſatione per organum ſenſus fiat tantùm conſenſus partium. Quod fefellerit ægros & medentes illis credentes. Nec interim deſcen-

ſum humor arguat, qui enim dolorem ſequatur, illum præcedere debere, ſi humoris deſcenſus ſive tumor doloris cauſa foret; etiam ardentiſſimam podagram absque tumore eſſe. Id enim in odontalgia, in ſpina parti infixa ſpectari ſolere, quod localis dolor mentiatur ſupernarum partium defluxiones. Hæc Helmontius.

Porrò de morbo articulari & podagra loquitur etiam Hippocrates in ſequentibus:

Articulorum dolor eſt morbus vernalis. lib.3.aphor.21

Dolores podagrici ferè moventur vere & autumno. 6. 55

Dolores articulorum fiunt in ſiccitatibus. 3. 16

Ut & à longis febribus. 4. 44

Suntque ſenibus familiares. 3. 31

Nec non his, qui cibariis pluribus utuntur. 4. 45

Eunuchi podagrâ non laborant. 6. 28

Nec mulieres niſi ex defectu menſium. 6. 29

Nec pueri ante uſum venereorum. 6. 30

Morbi podagrici ſedatâ inflammatione intra dies quadraginta conquieſcunt. 6. 49

Articulorum tumores & dolores absque ulcere magnâ ex parte frigidâ largè affusâ levantur & extenuantur. 5. 25

Eodemque modo podagrici. 5. 25

Sentientibus per febres laſſitudinem potiſſimum abſceſſus fiunt ad articulos & maxillas. 4. 31

Imminentes ad articulos abſceſſus aufert urina multa craſſa & alba reddita. 5. 74

Idque eò citius, ſi etiam ſanvis ex naribus profluit. 5. 74

Prognoſin quod attinet, eam idem Hippocr. breviter ac eleganter comprehendit 2. prorrhet. inquiens: *De podagra hoc dico: quicunque aut ſenes ſunt, aut circa articulos callos tophaceos habent, aut ærumnosè vivunt, ſiccum alvum habentes, hi omnes ſani fieri non poſſunt humanâ arte, quantum ego novi. Sanat quidem hos optimè dyſenteria, ſi ſupervenerit; ſed & aliæ eliquationes valde proſunt, quæ ad infernos locos repunt. Qui verò juvenis eſt, & circa articulos nondum callos habet concretos, & accuratè vivit, & laboris amans eſt, & alvum bonam habet ad obediendum pro ſtudiorum ratione, hic ſanè medicum intelligentem nactus ſanari poterit.* In his e & antecedentibus Hippocraticis ferè omnia continentur quæ de podagra prædici poſſunt, ſi adjiciatur, quod etiam in juvenibus, licet, ut ſvadet Hipp. prudenti Medico obedire vellent, ſanatio integra ſperari nequeat, quatenus alteruter ægri parens jam ante podagrâ laborarit, atque æger jam pridem paroxyſmum podagricum ſit expertus. Si tamen prognatus à podagrico parente nunquam antea hunc morbum paſſus ſit, tunc bonis remediis interdum effici poſſe putamus, ut de futuro morbus avertatur, non enim neceſſariò per hæreditatem transfertur, vidimus enim

Prognoſis.

nim diverſos fratres Germanos, quorum patres fuerant podagriciſſimi, filii tamen non item, ſed majores natu pariter erant podagrici, minores verò nequaquam, licet annum ætatis trigeſimum ſuperaſſent. At ſi innata podagra non ſit, ſanabilem eam eſſe, ſæpius curationes ſuccedentes eorum qui ſecretam eam curandi methodum norunt, evincunt, quamvis vulgaribus remediis ſeu viâ methodicâ fieri minimè poſſit; ſæpius podagrici à gravioribus morbis aliis tuti ſunt, ipsâ autem podagrâ vix quisquam interimitur, niſi ad extremum, quando multis à ſui initio elapſis annis paulatim cordi viciniora loca occupat, tum enim vertebras cervicis invadens diu ſupervivere non permittit, natura enim demum debilitatur, ut non amplius materiam podagricam ad extremitates nempe pedes & manus propellere poſſit, ſed in viſceribus relinquere cogatur, quidam enim brevi ante finem vitæ conqueruntur, ſe fluxum podagricum in ipſo ſtomacho perſentiſcere, quo & enecantur.

Qui in provectiori demum ætate podagrici fiunt, plerunque robuſtæ ſunt conſtitutionis, & longævi fiunt; ut plurimum autem podagrici mancipia ſunt vel veneris, vel bilioſiſſimæ iraſcibilitatis, vel crapuloſitatis, ſibique temperare neſciunt, ſed podagram retinere malunt, quàm latum ungvem à vitiosâ ſuâ conſvetudine diſcedere, qui verò prudenti Medico morem gerunt, licet non omninò liberentur, ſæpius tamen podagrica materia adeò debellatur, ut per multos annos ab ea immunes ſint.

Quantum autem ad curationem ſpei ſit, & qua methodo in eâ procedendum, perbenè Hippocrates in paulò ante citatis indicavit, quod nimirum ad præſervationem opus ſit probâ diætâ, labore & perenni alvi laxitate, ad curationem verò evacuatione, ſub quâ intelligit omnem largam eductionem tam rubram quam albam, ſive inſtinctu Naturæ per hæmorrhagiam narium, hæmorrhoides, menſes, dyſenteriam vel diarrhœam, ſive moderamine artis naturam imitantis per purgationem pituitæ, venæſectionem, ſudorificam expulſionem & ſangviſugarum applicationem inſtituatur, debetque artificialis evacuatio ex obſervatione naturalis ſatis copioſa eſſe, dyſenteria enim nihil aliud eſt quàm copioſa purgatio, uti etiam in validis purgantibus exhibitis apparet, quod initio ſuccos albos ſeu dilutos, deinde verò flavos ex admixtione particulæ veri cruoris, ac tandem ipſum cruorem per ſeceſſum expurgent, non tamen eousque eductio vicaria ſeu pro una vice intenta ſe extendere debet, ut etiam mox dyſenteria ſequatur, dyſenteria enim ſpontanea ideò fluxum album inſequitur, quia fluxus fit continuò, & ſic albo ſucco exhauſto, rubeus ſequitur, at in artificiali purgatione poteſt pro lubitu reiteratio fieri per interpoſita ſpatia, donec ſuperfluitas podagrica ab extremis partibus ſufficienter ſit attracta, & Curatio.

 per

per ſeceſſum educta, idque per ſatis fortia purgativa, lenia enim tenacem pituitam per totum corpus ex ignavia & alimentorum ubertate cumulatam à diſſitis extremis articulorum cavitatibus attrahere nequeunt, talis autem expurgatio anticipativa in his qui ex connata propenſione ſuperfluitatem in articulis cumulant, opportunè inſtituitur tempore æquinoctiorum, vel etiam ſingulis quadrantibus anni per phlegmagoga, imprimis autem hermodactylum, cui ſingularis eſt proprietas ad trahendum ex articulis, ligamentis ac nervis, quam ob cauſam etiam anima partium nervoſarum appellatur, proſtantque in officinis ad talem purgationem arthriticam pilulæ artheticæ Nicolai, item pil. de hermodactylis, & electuarium caryocoſtinum Bayeri, quod ad ℥ſ. quantitatem hunc in finem propinavit, qui & præcipuè hermodactylum commendat hunc in modum:

Pulvis. ℞. rad. recent. albiſſ. hermodactyl. ab exteriori cortic. mundat.
fol. ſenæ
turbith.
acori
oſſium vetuſtorum
lentium excorticat. an. ʒij.
ſachari ℥ij. m. f. pulvis, doſis ʒiij. omni die cum aq. betonicæ, eſt enim (inquit) mirabile contra podagram, dolorem juncturarum, & ventoſitatē.

Alii hoc modo hermodactylum exhibent:

℞. hermodact. prædict. Alius.
mechoacann.
jalapp. an. ʒij.
ſarzaparill. vel ejus loco rad. ebuli ℥ſ.
fol. ſenæ ʒiij
agar. ʒj.
diagrid. cinamom. an. ℈j. f. pulvis, cujus ʒj. infunditur vino albo per noctem, ac mane cum dicto vino aſſumitur.

Paracelſus verò hanc hermodactyli compoſitionem maximè laudat:

℞. hermodact. Alius.
turbid. diagrid.
ſenæ, oſſium human.
ſachari optimi ana f. pulvis.
doſis ʒj. & tantundem veſperi, oſſa (inquit) à proprietate mira operantur, reliqua tanquam ſpecifica materiam reſolvunt.

Nos verò ex communicatione accepimus deſcriptionem ſequentium pilularum podagricarum:

℞. mercur. dulc. aliquoties ſublimati ℥ſ. Pilulæ podagricæ.
maſſæ pilul. de ſuccino Craton.
extract pilular. cochiar. an. ʒiij.
panchymag. Croll. ʒiſ.
trochiſc. alhand. ℈ij.
ol. aniſ. gutt. XVIII.
ſuccini gutt. XV.

m. f. maſſa pilular. doſ. è ℈j. f. pil. XV. capiantur ſingulis menſibus tribus diebus ante novilunium, in ipſo paroxyſmo ſedant intra 24. horas dolorem.

Quidam etiam convaluerunt uſu aquæ benedictæ Rulandi, atque etiam

iam inſigniter ad præſervationem conducit aliquoties elapſo uno vel altero menſe reiterata hæc vomitio.

Factâ evacuatione non omittenda ſunt ſudorifera & diuretica, quem in finem mirè conveniunt radix ebuli & bardanæ ſeu lappæ majoris in vino vel cereviſia cocta, & calidè decoctum in lecto aſſumptum.

Tum demum etiam pro ſedando dolore topica applicari poſſunt, quibus cum dives ſit Authoris textus, nolumus eſſe de hac re prolixiores, ſed afferemus verba

TEXTUS:

Arthritis ſeu articulorum dolor eſt inſtar matris plures ex ſe generans natas, in ſpecie podagram, chiragram & iſchiaticam.

In arthritide interdum eſt univerſalis omnium articulorum dolor cum ſumma inquietudine, in cæteris particulares dolores externarum partium, manuum in chiragra, pedum in podagra, coxendicis in iſchiade.

Horum omnium univerſalis cura conſiſtit in conſumptione vel etiam expulſione tartari in toto corpore humano ſtabulātis. Cujus curæ mentionem fecimus ſupra in ludi humani præparatione, cujus facultates mirabiles ſunt in tartaro expellendo, vel conſumendo.

Hæc itaque cura unicè inſtituenda eſt, nec tamen quovis tempore aut promiſcuè in ſingulis ſubjectis, niſi prius omnia probè fuerint conſiderata. Itaque hæc cura univerſalis paroxyſmos non tollit, nec leviter etiam affectos extra alia medicamenta curat: oportet igitur, ut ante inſultus, aut poſt eoſdem (non in paroxyſmo) quieſcentibus ſcilicet, & in ſuis matricibus quaſi dormientibus ex allatis antea principiis cura inſtituatur, & tartarus reſolvatur. Sic nimirum felicius ſucceſſerint omnia.

Ejuſdem curæ prophylacticæ ſimili modo cum lapidibus aſtacorum in eam formam medicamenti præparatis inſtituendæ, maximoperè pro corroboratione naturæ ſuccenturiari poteſt magiſterium perlarum, à Riverio Medico Regio olim plurimo cum fructu præparatum & exhibitum hoc modo: perlas reduc in pulverem impalpabilem, quemadmodùm aliàs redigi ſolent (vulgariter margaritæ præparatæ) his in vitro ſuperfunde de ſucco citri vel de pomis aurantiis recentibus q. ſ. ut fiant inſtar paſtæ. Relinque aliquandiu, poſtea ſolve cum aceto, & remoto aceto per inclinationem à fæcibus aliud affunde, donec nempe perlæ ex toto fuerint ſolutæ.

Magiſterium perlarum.

Collectum acetum miſce cum tertia parte aquæ fluviatilis, de-

ſtilla per retortam ex igne arenæ primum calore lento poſt fortiori. Deſtillatum reaffunde capiti mortuo reſtitanti, & viciſſim ſolve, poſtea cola per filtrum, evapora admodùm lentè, & reſtabit perlarum magiſterium.

Hujus ſcrupulus unus ad ſummum aliquoties jejuno ſtomacho in vino datus potenter naturam recreat, eamque ut medicamenta antecedentia (*arcanum ludi humani & aſtacorum*) *felicius operentur, excitat.*

Multum ad præcautionem facit cruditates fugere, & ſi adſint, caſtigare vomitionibus manè ſi facilè, à prandio ſi ægrè vomat.

Quod ſi verò paroxyſmi podagrici vel arthritici ſoleant recurrere, id quod ſæpius fit, præcipuè ubi vita non usque quaque conformis fuerit; requiſitis tales inſultus vel impedientibus vel prorſus rejicientibus hoc unico providendum fuerit, ut quotannis ſtato tempore æquinoctiorum & ſolſtitiorum (*circa eadem nimirum fluxiones podagricæ plerunque vigent*) *corpus benè mundificetur, & imprimis* (a) *ratio victus, quæ alioquin nuſpiam negligenda eſt, ſolers & recta inſtituatur, auferendo tum plethoram, ſi qua adſit, tum cacochymiam quamcunque ſuis idoneis medicamentis.*

(*a*) In victu imprimis noxiam podagricis obſervavimus carnem porcinam, aſſatosque porcellos, quos aliqui in deliciis habent, at gratiam oris citerioribus paroxyſmis luunt, ut & à potu vini albi gratæ acidulcitatis, quod tamen corrigi poteſt immaceratione herbæ chamædr. in Majo collectæ.

Hæc etiam evacuatio inſtitui debet in principio morbi, & ubi quædam ſigna imminentis præſenſerit æger.

Potus ſit vinum meliſſæ cum radice caryophyllatæ infuſum in menſa pro hauſtu primo, aut vinum antipodagricum hoc Paracelſi:

Vinum antipodagricum Paracelſi.

℞. rad. caryophyllatæ
acori an. ℔ ſ.
fol. majoran. m. iiij.
flor. ſambuc. p. iiij.

Infunde in vini menſ. iij. ſtent in infuſione per dies VIII. ſumatur ex hoc manè & veſperi hauſtus.

Cum ſale humano (b) *miſceri poſſunt oſſa humana calcinata in cibo, galreda ex iisdem* (c) *in modum galredæ cranii facta.*

(*b*) Intelligit ſalem menſarium, ſeu communem.

(*c*) Galredam ſeu excoctionem ſucci viſcidi oſſium non convenire putamus, ideò enim oſſa ſicciſſima ſeu à ſuo ſucco privata humana alii ſagaces accipere ſvadent, ut nimirum perditam ſuam humiditatem reſarcire conantia humorem illum ſuper-

fluum extremitatum oſſium ſeu articulorum alliciant, quodlibet enim ſui ſimile attrahit, & ſic etiam oſſa humana arefacta conſimilem humorem, quali in calcinatione arefactivâ, at non penitus combuſtivâ ſpoliata ſunt, ab articulis, ubi talis ſuccus merè ſuperfluus ſinovialis, & partim à medulla oſſium transſudatus ſtagnat, ad ſe reſorbent.

Poſt mundificatum corpus corroborantia & diaphoretica uſurpentur, diaphoretica ſcilicet peculiaria, auri transparentis extractio, de qua in notis ad Crollium, & pilulæ antipodagricæ meæ, quæ deſcriptæ à Rhenano in tractatu Solis è puteo emergentis cum arcano aſari aliquot diebus aſſumptæ.

His omnibus podagra modò non ſit nodoſa, curari poteſt. Hoc nimirum modo paroxyſmi rarò vel nunquam recurrent: aut ſi inſultus à levi errore externo aliquando coincidunt, tam graves nunquam ſunt, nec dolores excitant continuos, aut inſolentes, quin externis balſamis facilè cedant.

Ex numero mundificantium ſeu purgantium eſt pulvis arthriticus Paracelſi à Crollio deſcriptus, ubi imprimis notandum, in ejus deſcriptione pro raſura Cranii humani ſubſtituenda eſſe oſſa hominis calcinata juvenis modò violentâ morte perempti, & non humati, manuum ad chiragram, pedum verò ad podagram. Ex hoc pulvere natus eſt pulvis caryocoſtinus quem vocant, etiam vulgaribus Medicis uſitatus. Ille verò pulvis ſecurè & leniter omnes defluxiones podagricas purgat; Felicius id præſtat eſſentia radicis ellebori nigri vulgari modo cum ſpiritu vini non ad ſummum correcto extracta. Cujus ſi quotidiè cochl. j. manè & veſperi ſumatur, donec alvus ſponte ſua quater vel ſexies tandem fuerit ſoluta quotidiè. Hac nimirum facili lenique purgatione impuritates fluxionesque podagricæ ſatis commodè repurgantur. Fortificatur eſſentia ellebori cum arcano filicis totius (NB. *arcana hæc nobilia) vel cum arcano aſari debita proportione, nempe ſi admiſceatur alterutra cum eſſentia ellebori.*

Præſtat alioquin hanc eandem eſſentiam ante conſvetum tempus paroxyſmorum podagricorum asſumere, quemadmodùm & pulverem arthriticum, ſic nimirum facilius ante invaſionem corpus integritate adhuc dum conſtans ab inſequentibus influxionibus liberatur. Idque eò magis, ſi ad hanc evacuationem temperata victus ratio acceſſerit, & vinum majoranatum cum radice caryophyllatæ & floribus ſambuci infuſum

ſuſum ad victum pro primo potu hauſtum fuerit.

Quidam convenientius utuntur decocto ligni ſaſſafras. Præmiſſis his purgationibus impuritates craſſiores, quæ adhuc reſtare ſolent, finaliter exterminandæ ſunt cum mercurio laxativo, aut cum auro, aut cum pulvere arthritico ſequente:

Pulvis arthriticus.

℞. hermodactylorum,
turbith,
diagridii,
fol ſenæ
oſſium hominis violentâ morte perempti calcinatorum, ſi chiragra, manuum, ſi podagra, pedum,
ſachari candi an. ℥j.

m. f. pulvis doſ. à ℥ſ: ad ℥j. manè ex aqua ivæ arthericæ per tres aut quatuor dies. Hinc demum ad confortantia, quod eſt magiſterium perlarum Riverii, & ad diaphoretica accedendum, quale eſt extractum auri transparentis, cujus modum vide in notis bezoartici mineralis.

Proſunt & maximè in his affectibus cauteria.

Nota: *qui vomitus ferre poſſunt, & ſtatis temporibus veris & autumni ante imminentes paroxyſmos podagricos aquâ benedictâ utuntur, doſi legitimâ, rariſſimè vel etiam nunquam, modò reliqua correſpondeant, inſultibus podagricis corripiuntur.*

Hoc itaque modo, cuicunque ſua ſanitas curæ eſt, quilibet à podagricis inſultibus tutiſſimè ſe præſervare poteſt.

In paroxyſmis vigentibus & graviter articulos occupantibus ſæpius mitigantibus opus eſt, ea ſunt interna & externa.

Inter interna omnibus modis ſuperat & excellit laudanum opiatum ſuis proprietatibus maximè vigens (vide Quercetanum in reſponſo ad Aubertum) dolores nimirum ſiſtit, placidum ſomnum inducit, fluxionibus frænum injicit, fervores conſumit, & delasſatos ſpiritus roborat.

In aliis qualibuscunque vulgaribus medicinis haud iisdem viribus pollentibus fruſtra ſperandum eſt aliquid.

Externa ſunt I. *Balſamus podagricus primus & ſecundus apud Crollium, quibus ſuccenturiari poteſt ungventum anodynum, quod eſt apud eundem.*

II. *Eſt ſpiritus ſalis armoniaci, qui fit hoc modo:* ℞. *ſalem armoniacum, miſce pulveriſatum cum 4 partibus cinerum* (d) *& deſtilla per alembicum ex arena. Prodit ſpiritus ſalis armoniaci, qui cum æqualibus partibus ſpiritus vini mixtus, & plumaceolis loco dolenti (aliquoties, bis terve) illitus, confeſtim dolores reſtingvit.* Spiritus ſalis armoniaci.

gvit. Nonnulli aliquid camphoræ adjiciunt, ut prius ſolvatur in iisdem, poſtea ad illinendum utuntur. Hujus mirabilem uſum ſæpè deprehendi.

(d) Si pulveriſatus ſal Armoniacus cum æquali parte calcinati tartari miſceatur, & confeſtim deſtilletur hoc compoſitum, prius urinâ vel aquâ aſperſum, nobilem dat ſpiritum talem, ut Author hic poſtulat, qui etiam ſolus loco dolenti linteolis applicari poteſt, quamvis etiam veſiculas excitaret, non nocet, ſed materiam eò citius diſcutit, & acorem extingvit.

III. *Eſt aqua antipodagrica Rulandi:*

Aqua antipodagrica Rulandi.

℞. *florum chamomillæ*
melioti an. m. j.
mercurii ſublimati ℈ij.
coque in aqua ſimplici.

hujus aquæ colatæ æqualem portionem miſce cum ℔ IV. aquæ mortuæ, quæ eſt aqua fortis, qua uſi ſunt aurifabri in ſeparationibus, aquæ fortis recentis ℥ij. ſucci ſeu decocti myrtillorum (℥ij.) q. ſ. ad colorationem. Utere ceu patet ex curationibus Rulandi (durat aliquot annos aqua mortua, iſt gebraucht Scheidwaſſer.)

IV. *Aqua antipodagrica quæ ita fit:*

Aqua antipodagrica excellens.

℞. *ſpermatis ranarum menſe Martio collecti circa novilunium ℔ iij. adde ſtercoris bubuli recentis ℔. totidem, m. diligenter, & relinque per diem unum, poſtea deſtilla & ſerva. Calidiuſculè membris affectis applica, confeſtim ſedat dolores: felicius operabitur, ſi addatur aliquid ſpiritus vitrioli, aut ſtercus vaccæ cum mellis ℥ij. cataplaſmatis loco imponatur, præſertim in podagra frigida.*

Oleum petrolei.

V. *Oleum petrolei, in quo radices ellebori incoxerint, præſentiſſimum eſt in doloribus podagricis ſine rubore, & vehementi tumore (alii vocant podagram à cauſa frigida) ſubitò ſiſtendis.*

Ubi induciæ factæ ſunt cum morbo, ſi ita neceſſitas exigit, purgantia tandem commodius (vomitus hic non eſt neceſſarius) locum habere poſſunt, qualia propoſita fuerunt ſupra; præſertim ſi pulvere ſpecifico arthritico utendum ſit, is per aliquot dies juſtâ doſi (℥ſ) in brodio vel etiam aqua ivæ ſumptus impuritates tartareas mobiles, cauſantesque nempe paroxyſmos è corpore educit. Sæpè in hoc caſu vidi pilulas antimoniales per ſeceſſum ſolum purgantes ſemel duntaxat ſumptas multum profuiſſe. Ejusdem facultatis eſt arcanum corallinum per Crollium deſcriptum. Omnibus his præſtat ſpecificum purgans Paracelſi ſæpius urgente neceſſitate datum. His omnibus peractis, ſi quæ impuritates craſſio-

res adhuc in corporis habitu reſiduæ fuerint, eæ deinceps mundificantibus, ſi vires & facultates patiuntur, expellendæ ſunt.

Inſuper etiam ad diaphoretica deſcendendum, (diaphoretica ſupra proprio titulo propoſuimus) ſunt nimirum in eo genere ſpecifica tum tinctura antimonii tum pilulæ antimoniales podagricæ; deſcriptionem vide in libello Rhenani Solis è puteo emergentis tractatu poſtremo p. 18. & 19.

Tinctura antimonii.

Tincturæ præparatio hæc eſt: ℞. mineræ antimoni ℔ iij. IV. V (minera Ungarica præſtat) in defectu mineræ antimonium crudum locum ſupplere poteſt, tere minutiſſimè, ſuperfunde aquam calcis vivæ per ſimplicem infuſionem (aquæ ℔ XV. calcis ℔ VI.) à calce viva colando (aliquoties aqua infundatur calci, donec ſubſidet) defæcatam (in alembicum lati fundi) relinque in loco tepido inſolando, & aliquoties quotidiè movendo, donec nempe ſpondilia & ſuperficies aquæ rubere incipiat; & quanquàm rubedo nulla appareat, tamen ſatis tincturæ extractum eſt, ſi per 8. vel 7. dies infuſio fiat. Habebis autem ſignum extractionis (extractio tantiſper fiat, donec nihil ſit reſiduum) ſi in particulam iſtius infuſi ſeorſim in vitrum peculiare transfuſam guttas aliquot aceti injeceris, repentè nimirum immutabitur aqua (nihil aliud eſt quam antimonii in colorem corticum mali aurantii præcipitabitur (in mixturam ſimplicem infuſum præcipitabitur in colorem albicantem propter ſpiritum vitrioli) extractionem trajice per filtrum, & leniter ebulliendo in catillo reduc in pulverem rubeum, quem extrahe cum ſpiritu vini non usquequaque forti (alcohol non extrabit) ad flavedinem (inſtar extracti ſolis) & filtrando decanta. Ante uſum move, (pulviſculus nimirum ſemper ad fundum præcipitabitur) doſ. gutt. V. VI. VIII. X. ad ſummum. Spiritus vini hac tinctura antimonii imprægnatus aliquoties (ſepties) per cohobia ex alembico deſtillatur, deinde ex retorta vitrea in arena datis ignis gradibus, vel etiam igne ſuppresſionis pellitur, & prodibit in forma rubicundiſſima oleum antimonii dulce cum ſtriis ſplendidisſimis & pulcherrimis. Poſtea verò ſpiritus vini leni B. evocatur, remanet in fundo tinctura antimonii rubicundiſſima (confortativum ſummum) doſ. gr. j. ij. iij. ad ſummum. Vide Rogerium Baconem de oleo antimonii dulci.

Tinctura porrò antimonii (appoſitâ candela lucet noctu inſtar carbunculi) vel dicto modo ſaltem leniter extracta, vel deinceps

per multa cohobia cum ſpiritu vini in nobiliſſimam eſſentiam exaltata, contracturam ex podagra in articulis externis cauſatam feliciter curat, ſi obſervatis obſervandis ad legitimam nempe diætam pertinentibus, & corpus mundificantibus (NB. *in hoc caſu pilulæ antimoniales per ſeceſſum tantùm purgantes maximè commendabiles ſunt*) *quotidiè vel alternis diebus gutt. VI. vel VIII. de tincturâ exaltatâ in diaphoretico in peracutis vel mixturâ ſimplici in aurora exhibeantur, & ſudor vel in lecto vel in laconico provocetur* (*id quod in declinatione contracturæ cum ſpiritu vini tandem feciſſe expedit*) *& contracturâ nulla reſiſtit arthritica.*

Ad externam curam podagræ tophaceæ ſed non admodùm inveteratæ præmiſſis præmittendis alioquin ad podagræ tum diæteticam tum therapeuticam pertinentibus, de quibus hactenus, externa auxilia accerſenda ſunt, quæ nempe duros iſtos nodos tanquam morbos compoſitionis ab internis medicamentis difficulter reſolubiles penetratione ſuâ reſolvant, & quod in articulis heterogeneum eſt, eliminent.

Ubi igitur nodoſitates admodùm inveteratæ non fuerint, unicè hoc emplaſtrum commendatur, quod præter ſedationem dolorum etiam ex articulis tophaceam materiam ſeu tartarum coagulatum cute leniter aperta reſolvendo extrahit, emplaſtrum tale eſt:

℞. *Vitrioli Romani ſeu Ungarici* — Emplaſtrum.
Aluminis rochæ an. ℔ſ.
Nitri ℥IV.

Hæc omnia conjunctim calcina in catino terreo evaporando ſaltem, donec ſpiritus etiam exhalare inceperint, quibus odore perceptis ſtatim ſubſiſte à calcinatione, & refrigeſcant, omniaque pulveriſentur. Hujus pulveris & farinæ hordei ℞. *ana q. pl. miſce cum fecibus vini ad inſtar pultis, quam ſuper laciniam more ſolito ad ſpiſſitudinem cultri extenſam applica ad locum affectum & relinque. Exſiccatum denuò cum fecibus vini distempera, & apponendo ſic perge, donec primum dolor omnis conſumptus, poſtea etiam ex articulis ipſis contortis omnes tophi abſumpti fuerint. Interim fit ſæpè ut ſimul cutis, præſertim ubi verrucæ & ſcrophulæ in articulis apparuerint, hoc modo aperiatur, id quod formidandum haud fuerit. Vel nimirum ſponte ſua poſtea ulcera coëunt, vel cera ſaltem emplaſtri loco ſuperimpoſitâ viciſſim conſolidantur, ipſis articulis denuo mobilibus & agilibus redditis.*

Quòd ſi denique nimis invete-

rata podagra ſeu prorſus nodoſa & tophacea fuerit, ab illa quidem externa cura dolorum mitigatio ſperanda eſt, ſed tamen ipſi tophi vix cedunt, niſi chirurgia accedat potentior. Tunc igitur hoc modo procedendum fuerit:

Cauterium. ℞. *mercurii ſublimati* (e) *arſenici albi ana q. pl. m. cum aqua forti, & fiat in modum pultis, deinde appoſito prius emplaſtro Baſiliconis majoris (vel alio defenſivo, aut etiam ſparadrappa) ad locum affectum foraminato, foramini de pulte præſcriptâ inſtar lentis impone, & ſtatim illam particulam emplaſtri prædicti deſuper, ac relinque aliquandiu, donec cutis benè aperta ſit, ac nonnihil tumoris ac exinde eſchara acceſſerit. Hanc cum butyro vel oleo roſaceo emolliendo remove, & attractivum appone ſpecificum, quod omnes tophos coagulatos in aquas reſolvit & extrahit, etiam aliquando ſponte caſuras inſtar calcis ad parietas incruſtatos; ceſſantibus poſtea fluxibus locus viciſſim eſt conſolidandus cum conſolidantibus & epuloticis vulgaribus.*

Attractivum emplaſtrum tale eſt:

Emplaſtrum attractivum. ℞. *lithargyrii*
lapidis calaminaris
ſuccini
magnetis an. ℥ij.

pulveriſata omnia tenuiter coque in olei lini ℔iſ.
ceræ ℔j.
terebinthinæ ℔ſ.
vernicis ℥iiij.

coque inquam aliquandiu, donec inſpiſſentur, adde poſtea gummata ſequentia vulgari modo in aceto ſoluta & colata, viciſſimque coquendo reinſpiſſata nimirum
Opopanacis
Serapini
Galbani
Bdellii
Ammoniaci an ℥iſ.

ebulliant leniter, in fine adde de pulveribus
Maſtiches
Thuris
Myrrhæ
Aloës epaticæ an. ℥j.

diligenter move ſpatula, & tandem malaxando in magdaleones redige, prædictoque uſui ſerva.

(e) Hæc eſt curandi ratio nodoſam podagram Paracelſi, ex quo totum jam commemoratum proceſſum mutatâ ſaltem doſi deſumpſit, doloroſa ſine dubio valdè eſt impoſitio pulticulæ ex pulvere mercurii vulgaris ſublimati corroſivi & arſenici, at brevi nodum perrodet, qui poſtmodum ſuperpoſito hoc emplaſtro materiam illam podagricam coagulatam ex ſe emittit, de ſucceſſu hujus operationis non eſt dubitandum, modò patiens aliquem dolorem perferre velit, imò mediante

dolo-

dolore etiam prima podagræ invaſio ita abſcindi poſſet, ut vix unquam revertatur, uti à familiari quodam accepimus, eum aliquando dolorem ingentem in pedibus ſenſiſſe, ita ut aliter conjicere nequierit, quin ejusmodi dolor vera inceptio eſſet paroxysmi podagrici, deinceps per periodos reverſuri, tantæ ergò incommoditatis illationem pedibus ſuis concedere noluit, ſed violenter dolentibus pedibus ſaltavit, & magno cum impetu eis contra terram calcavit, attuditque, licet dolor exinde fremuiſſet, ut cerebrum terebrari ſit viſum, mordicus tamen dolorem ſuſtinere perrexit, donec probè pedes concuſſi fuiſſent, & ſic nunquam amplius quicquam dolorifici in pedibus perceptum eſt.

His modis infelix podagra proſperè & facilè curari poteſt, modò omnia prudenter & legitimè fiant.

In externa cura tophorum ſæpius mundificantia doloresque mitigantia ſunt uſurpanda, inſuper ſudores à ſuperioribus diaphoreticis provocandi; & hæc eſt gemina illa cura, qua 24. ægros nobiles & ignobiles nullo alio remedio adhibito me curaſſe, affirmare certo certius poſſum.

Articulorum dolorum ſpecies:

Articulorum dolor varias in ſe ſpecies includit, podagram, gonagram, chiragram, homoplatæ dolorem, & iſchiadicum, arthritidem item propriè dictam, quæ omnes ſimplicem ſcopum habent, ſymptomatis ſcilicet mitigationem & cauſæ ablationem.

Uſitatiſſima ſunt podagra & chiragra, in quarum curatione unicè providendum, ut corpus ſemper mundum ſit, & victus ratio obſervetur exacta, quotannis ſtato tempore æquinoctiorum & ſolſtitiorum, ubi fluxiones arthriticæ plerunpue fiunt, corpus benè mundificetur, auferendo tum plethoram, ſi quæ adſit, tum cacochymiam quamcunque ſuis medicamentis idoneis. Imo hæc ipſa evacuatio inſtitui poteſt & debet quoque in principio mali, & ubi ſigna quædam imminentis præſenſerit æger. Podagra & chiragra.

Imprimis extractum aſari & eſſentia ellebori nigri facta ſecundum artem, atque ad conſiſtentiam mellis ſeu maſſæ pilularum redacta. Electuarium item caryocoſtinum apud Bauderonium, quæ ſemper ante conſvetum podagricorum tempus, ac imprimis circa dicta æquinoctia aſſumi debent aliquot vicibus quater aut quinquies, ſemper obſervata victus ratione.

Pro potu ſit vinum meliſſæ cum rad. caryophyllatæ infuſum in menſa pro hauſtu primo parcè tantùm ſumptum. Aut vinum

Paracelſi antipodagricum, de quo ſupra de arthritide.

Cum ſale menſali miſceri poſſunt oſſa humana calcinata in cibis.

Hinc ſtatim ad confortantia & diuretica accedendum.

Inter confortantia principale eſt magiſterium perlarum Riverii Regis Galliæ Medici, de quo ſupra. Maximè quoque in his affectibus proſunt cauteria ſeu fontanellæ.

Ad præcautionem prodeſt fugere cruditates, quæ ſi fiant, caſtigandæ vomitionibus, manè, ſi facilè vomat, ſin minus longè à prandio.

Nodoſa modò non fuerit podagra, his medicamentis curari poteſt.

Nodoſa verò præter hæc requirit etiam curam externam, de qua poſtea.

Dolor ſeu paroxyſmus ſi adſit, dictis medicamentis non eſt fatigandus æger, ſed quies imperanda, dolor mitigandus, & ne ad partem affectam affluat materia, præcavendum.

Dolor igitur intra corpus exhibito laudano ſedetur, præmiſſo tamen clyſtere.

Si adſit magna plethora, vena ſecetur:

Aſtringentia paulò altius à loco affecto verſus partem internam adhibeantur, ut pulvis adſtrictivus aceto & albumine ovorum exceptus, vel aqua aſtringente, ut myrtillorum, centinodii, glandularum quercus, vel cataplaſmata ex fructibus acerbis, cotoneis, herbis, pyris, prunis, imprimis ſylveſtribus, ſorbis, quibus addi poteſt farina lentium, cum pulvere balauſtiæ, gallarum, roſarum, biſtortæ, aut tantùm applicetur bolus Armenus cum lacte & pulvere radicis biſtortæ ad formam cataplaſmatis.

Supra partem affectam refrænantia & dolorem ſedantia imponenda. Communiter nec ſine fructu fit cataplaſma è mica panis albi, verbi gratia ℔j. temperetur lacte ſuper ignem lentum, ne bulliat, contunditur & reducitur ad formam cataplaſmatis addendo vitellorum ovorum n. ij. croci parum, calidè applicetur. (f) Alii tantùm in lacte tepido panem macerant pauliſper, & applicant, de quinta in quintam horam renovando.

(f) Ad ſedandum dolorem ſupradictum Authoris cataplasma ſufficit ſi paretur è 4. partibus vitrioli, tribus aluminis, duabus nitri, & una ſalis tartari, hæc debent calcinari, donec naribus admotis odor aquæ fortis percipiatur, in reliquis procede ut Author docet.

Nos hactenus habuimus in uſu car-

carnem bubulam cujus fruſtum crudum ſine pingvedine parti dolenti ſuperligavimus, idque manè & veſperi mutavimus, atque ita feliciter dolorem ſedavimus.

Balſamus podagricus:

Balſamus podagricus

℞. *vitrioli ad flavedinem calcinati* ℔ *ij.*
mellis ℔ *j.*
ſilicum calcinatorum ℔ *ſ.*

deſtilletur ſpiritus igne ab initio lento per alembicum in cineribus (nam facilè ebulliunt) poſtea fortiori. Ab hoc ſpiritu auferatur phlegma, eum deſtillando ad tertias usque, quæ in cucurbita reſtitant, miſce cum

maſtiches
olibani
myrrhæ
axungiæ humanæ
gummi ammoniaci
opopanacis
bdellii an. ℥*ij.*

deſtillentur adhuc ſemel per retortam, cum deſtillato miſce æquales partes ſpiritus vini, atque ad uſus ſerva.

Non quoque inutile erit in hoc affectu vel totum ſpiritum ſalis cum aqua fontana temperatum (g) *tepidè adhibere cum laciniis duplicatis, ut & oleum tartari per deliquium ex ſale tartari factum.* .

(g) Quidam inungunt ſpiritum vitrioli, omnemque eo auferri dolorem ſibi perſuadent.

Nota: *Tophaceam podagram præter ordinariam curam requirere externa; vide annotata mea in Crollium, quæ huc transfer.*

DE ARTHRITIDE UNIVERSALI, RHEUMATISMO ET ARTHRITIDE VAGA;

Germ. die allgemeine wie auch die lauffende Gicht.

QUandoquidem dolores arthritici non uno modo corpus affligunt, ſed nunc in certâ tantummodo quadam articulari ſede ſcilicet, pedibus, manibus &c. & ſic quaſi particulariter, nunc per omnes quaſi corporis artus diſperſi penitus univerſaliter cruciant, atq; etiam in curatione quadantenus variant, neceſſariò nominetenus diſtingvendi ſunt, ne confundendo remedia plus damni quàm auxilii afferatur.

Arthritis univerſalis ejusque ſigna.

De particulari arthritica curatione ſatis ſuperque jam dictum eſt, nunc etiam adhuc quædam de univerſali arthritide & ejus curatione heic ſubnectemus. Incipit hæc utplurimum in collo, pergitque in humeros, manusque & conſequenter omnes articulos & vertebras cum non mediocri ſed ingenti dolore, & vehementi cordis anxietate per intervalla ſe exaſperante: calor nonnunquam incenditur febrilis cum ſiti immani, vigiliisque pertinacibus appetentiæ defectione, ac triſti ſenſi-

ſenſione in omnibus ferè membris. Hæc autem univerſalis arthritis fixam ferè ſolet inferre doloroſitatem, ſeu diu in omnibus artubus pertinaciter permanentem: datur tamen adhuc alia ſpecies valdè vagos & hinc inde errantes dolores producens, quam itidem quidam arthritidem univerſalem, alii rheumatismum appellant, eò quod non tantùm in eâ articuli doleant, verùm etiam media inter articulos ſpatia totius corporis, ut ſunt muſculi eorumque membranæ, imprimis autem perioſtia, ac totus corporis habitus, adeò ut nonnunquam & interiora viſcera nempe ventriculus, inteſtina, pulmo, hypochondria, uterus unà doloribus afflictentur. Diverſificatur hic affectus à vulgari arthritide, quod in eo dolores ſint ſemper admodum mobiles, & jam hanc nunc illam partem lancinent, & quaſi ſubitò ab uno loco ad alium transſiliant, priori omnino tranquillato, in vulgari autem dolores in iſtis locis, ubi incipiunt, quaſi fixi manent, licet etiam ulterius ſerpant, id tamen non fit cum derelictione prioris loci, ſed in modum incendii, quod in uno ligno incipit, & demum totum rogum æqualiter occupat; in utroque autem continuus eſt cruciatus, die ac nocte torquens, ac lecto affigens, præſertim in rheumatismo, ubi patiens vix præ doloroſitate ſe movere poteſt, neque etiam à miniſtrantibus ſine dolorum exacerbatione & moleſtiâ commove tur. Quando autem dolor remittit & penitus ceſſat, nulla partium imbecillitas remanet, ut aliàs in arthritide fieri ſolet.

Rheumatiſmus.

De cauſis veræ arthritidis in antecedentibus dictum eſt, rheumatismi verò cauſas quod attinet, aliæ non ſunt, quàm quæ & vulgaris, nimirum otioſa & deſidioſa vita, ſuperfluaque nutritio tam cibo quàm potu, item prægreſſa exhauſtio virtutis ſeminalis, connata diſpoſitio ſeu hæreditaria ſeminalisque impreſſio ad hunc morbum adipiſcendum, cur autem arthritis vulgaris in certo quodam loco ſedem figat, vaga verò in corpore paſſim oberret, rationem hanc eſſe putamus, quod veri arthritici & podagrici aut ſint ſangvinei vel cholerici, vagarthritici verò phlegmatici vel melancholici, ſicuti ergò temperamentum cholericum & ſangvineum ſemper calidius eſt reliquis duobus, ita ſi corripiatur illâ ſuperius deſcriptâ aceſcente cruoris ſeu ſucci alimentarii qualitate, caliditate ſuâ eam expellit ad corporis exteriora, ita ut plerisque in locis difflatione conſumatur, in articulis verò & ſinoviâ, cum etiam frigidæ ſint qualitatis, tam cito difflari nequit, ſed diu ibi & quidem in maximè diſſitis & debiliſſimi caloris partibus nempe pedibus, imprimis ſiniſtro, qui etiam adhuc paululum minus calet dextro, plerunque hæret, ac ſuâ aciditate dolorem excitat, donec procedente tempore acor miteſcat; tunc enim paroxyſmus pro tempore ſedatur, ad aliam usque ſucci alimentarii ſuperflui aceſcentiam. At complexio phlegmatica & melancholica non ſolùm longè frigidior

Cauſæ.

gidior

gidior eſt prioribus, verùm quoque ex ſua natura ad aciditatem prona, ſicuti enim omnes fructus arborum, antequam maturuerint, ob ſuam frigiditatem auſteri & acidi ſunt, majori autem æſtatis caliditate advenrante dulceſcunt, vinumque frigidioribus annis ſemper fit acidum & ferè vappa, ita temperamenta hæc ex ſua natura quaſi aceſcunt ob frigiditatem, & circa annum quadrageſimum adhuc magis frigeſcunt, facilè ergò errore diætæ & propriâ cooperante naturâ tunc aceſcentia in ſucco alimentario generatur, quàm Archeus ſua conſervandi ſtudioſus quidem ad expellendum movet, at ob bebilitatem caloris ſuccique pituitoſi vel melancholici tenacitatem & craſſionem transſpiratione per poros cutis non poteſt expellere, quemadmodùm enim vinum valdè auſterum & vappoſum vix inebriat, ob defectum ſpiritus ardentis, ita etiam defectu calidi fortis innati Archeus ſuo munere ritè fungi nequit. Aciditas ergò non expulſa, & tamen commota à debili calore intus manet, & vagabundè in corpore oberrat, maximosque dolores & moleſtiam omnibus partibus affert, & per diuturnum tempus vix demum attenuatur & expellitur: ſic etiam iisdem cauſis in diverſis temperamentis unus idemque morbus variè larvatur, in biloſis enim ita generari podagram & chiragram, in ſangvineis verò bile & phlegmatetemperatis arthritidem univerſalem fixam, in pituitoſis verò rheumatismum, in melancholicis arthritidem vagam ſcorbuticam rationabile eſt.

Interdum etiam utraque ſpecies nempe podagra & arthritis vaga conjunctim corpus affligit, ut probè obſervavimus: ubi verò hic morbus endemicus eſt, ibi etiam alia temperamenta per fermentationem putrefactivam & corruptivam inficere, & in ſuam naturam convertere poteſt, quemadmodum enim odor cadi valdè fracidi quodlibet vinum, etiam generoſiſſimum in cadum illum infuſum mox corrumpit, fermentumque panificii integram paſtam etiam ſacharatam fermentat & acificat, ita pariter tale ens endemicum facilè corpus etiam integra ſanitate fruens, ac non præſervatum malignitate ſua fermentare poteſt; uti in his locis, quibus hic affectus ſolemnis eſt, fieri conſveſcit; quàm enim corruptivus & putrefactivus talibus in locis ſit, videre eſt ex epiſtola Cl. D. Henrici à Bra d. 20. Aprilis Anno 1594. ad Foreſtum conſcripta, in qua inter alia hæc affert: *Morbus nobis viciniſque Weſtphalis ac Geldris quaſi endemius, pluribus quoque familiis hæreditarius populari lingva* Die Varen *dictus, ſe prodit cum vagis doloribus valdè excruciantibus, in omnibus corporis membris, potiſſimùm dorſo & lumbis, primumque unam aliquam ſolet invadere particulam, deinde celeri motu & diſcurſu vicinas quoq; partes occupare. Siquidem videre eſt, ut in hac lue ſopitis doloribus pedum, ilicò ſcapulæ afficiantur; illis tranquillis e veſtigio* Signa morbi.

manus crucientur; ac ita per omnes artus malum ipſum diſſiliat. Unde etiam cum epitheto **die loopende Varenn** nominant. Plerunque tamen unum aliquod membrum, quod per intervalla excruciat, obſidere comperitur. Doloris ſpeciem ſtatuunt ipſi ægri exedentem, corrodentemque, qui vermiculum muſculos & alias partes ſubitò, ac nonnunquam momento, variis ſimul locis permeantem depaſcentemque arguere videtur, ab inſeparabili proprietate ipſius morbi etymologiam deducentes: ſiquidem **Varenn** patria lingva ſingulare quoddam lumbricorum genus denotat. Morbi hujus duæ ſtatuuntur differentiæ, quarum prima cum tumore circa dearticulationes copulatur, qui ubi diu perſeverat, profert tandem plerunque maculas & lituras, ſcorbuti notis non valde diſſimiles, quæ interdum ſuppuratæ in ulcus convertuntur, malignum, imprimis circa pedes, ex quo vermiculi inſtar aſcaridum educi videntur. Interdum quoque tota materia unam in partem aliquam decumbit: unde corpore toto æger doloribus liberatur, abſceſſusque excitatur, qui in fiſtulæ malitiam deſinit. Altera differentia eſt absque tumore, ſed cum priore participat dolore. Hæc interdum peculiarem habet corporis maciem, & quaſi maraſmodem, cum aliquali articulorum impotentia conjunctam. Utrique commune eſt, quod dolores noctu magis exacerbantur. Febris aut lenta aut nulla comitatur. Alvus in pluribus aſtrictior eſt. Urina non admodùm diſcrepat ab urinis ſanorum, niſi quod interdum vermiculi inſtar illorum, qui è putridis caſeis prorepunt, in fundo matulæ innatare, ſicut & alvi excrementis miſceri videantur; eſtque hoc illis certiſſimum indicium hujus morbi; cibum alii ſemper benè appetunt, alii eum omninò reſpuunt. Hæc variant juxta humoris peccantis & corporis affecti diverſitatem.

Cauſæ. Cauſam hujus morbi ſtatuunt in omnium humorum ichoribus, non quidem uno in ſubjecto conjunctim, ſed pro cujusque temperamenti varietare. Quicquid ſit, id quod hanc luem cauſare poſſit, certum eſt materiam eſſe tenuem & turgidam, non eam quidem ſimplicem, ſed alicujus virulentiæ malignitatisque participem; mineram morbi ſtatuunt nervoſum genus, per quod humor ille ſubtilis & malignus diffunditur. Idque his potiſſimùm initiis confirmant: tum quia in dorſo ac lumbis propter ſubſtratam medullam valdè luxuriat dolor, tum quod facultatis motricis actio læditur; denique quòd à confirmantibus reſpicientibusque nervos juvantur hac lue infecti.

Curatio. Ad curationem quod attinet, ſimul ac aliquem hac lue affici contigerit, protinus ad certa quædam alexipharmaca ſeu bezoartica medicamenta, nullâ corporis vel humorum præmiſſâ præparatione, ſine ulla methodo vel ratione præſcritâ, pro regionum diverſitate, incolarum obſervatione & experientia decur-

decurrunt. Inter alia commendant tanquam præſentiſſimum remedium lumbricos terreſtres, maximè quorum collum annulis & cingulis cingitur, quos diverſimode cum ſuperſtitione etiam numeri obſervatione præparant. Alii talpam vivam in ollula comburunt, donec in cinerem convertatur; de hoc pulvere exhibent cum cereviſia aut vino, diebus aliquot, creſcente luna; & itidem in ejus defectu. Alii ſpem totius curationis ponunt in exhibitione venenoſi cujuſdam vermis, quem patriâ linguâ Meywurm *vocant, Itali cantarello nominant. Alii alia hujuſmodi vehementia & virulentia remedia propinant, quibus curationem pollicentur, ut ſunt ova pavonis, ſolanum ſomniferum, oſſa ſturionis dicti piſcis. Novi qui extractis eſulæ & ellebori uterentur. Sunt qui ex ſalvia, ruta, betonica, & aliis hujuſmodi herbis nervos reſpicientibus potiones conficiunt; quibus lumbricos terreſtres vino prius ablutos, dein contuſos, & per ſetaceum trajectos admiſcent; aut etiam citra eorum admixtionem exhibent ſeptimanas aliquot ſemper operam dantes, ut ab aſſumptâ potione ſudor provocetur, quod cumprimis in hoc morbo utile prædicant. Rectius faciunt, qui vacuato primum corpore ſequenti hauſtu vel apozemate laxativo potionem infra ſriptum propinant.* Hauſtus laxativus. *Hauſtus talis eſto: ℞. pulv. ſenæ ſolut. ʒij. infunde horis 12. in aquæ beton. ℥ IV. à forti expreſſione adde diacartham. ℥ſ. ut fiat hauſtus.* Apozema. *Apozema tale eſto: ℞. radic. polypod. querc. ℥j. ſalviæ beton. an. mj. ſcabioſ. rutæ, abrotani an. p.j. ſem. aniſi, citr. an ʒij. paſſul. inundat. ℥ſ. coque in aquæ lb ij. ad remanentiam medietatis; admiſcendo in fine coctionis folior. ſenæ Alexand. ℥ X. ſtent in infuſione per noctem, hinc liquor à forti expreſſione clarificetur, cumque eo per colum transmittantur lumbrici vino abluti numero novem; ſachari quantum placet ad conſervationem: ter in die ſumat ægrotus.* Potio. *Potionis forma talis eſto: ℞. rad. ſucciſæ ℥j. ariſtoloch. rot. ʒiij. ſalviæ nobilis, beton, an. m.j. abrotan. rutæ, vincæ pervincæ, ſabinæ an p.j. coque in aq. flum. ad conſumptionem medietatis: cum hujus decocti expreſſi ℥ iiij. pro vice trajiciantur lumbrici terreſtres, circulis in collo inſigniti, vino prius abluti & triti num. V. deinde miſce theriacæ electæ ʒſ. pulv. cinam. ℈j ſachari q.pl. exhibeatur manè calidè, & corpus contegatur ad ſudorem. Repetatur potio hæc diebus aliquot continuis. Cura hujus morbi aliquando in ſeptimanas plures extenditur. Quod ſi unam aliquam in partem virus procumbat, & abſceſſum excitet: is ut aperiatur, plantaginem cum ſale in mortario contuſam applicant, abſceſſu aperto, unguentum ex radicibus cicutæ aquaticæ conficiunt, quas lino vel ſtuppa madidæ involutas ſub cineribus coquunt, & contuſas cum melle miſcent in formam unguenti (putantque vermes dulcedine mellis Attici & cicutæ viru-*

virulentia interfici) indeque applicant. Alii cataplaſma ex radicibus ſigilli Salomonis cum aqua vel cerviſia componunt; cui quandoque radicem filicis quercinæ miſcent. Novi nobilem matronam, quæ inſpergebat pulverem de talpa combuſta, ut ſupra. Hæc illa.

Prognoſis. Prognoſin quod concernit, arthritis vulgaris univerſalis ejusdem eſt naturæ & diuturnitatis ac podagra aliæque ſpecies, de quibus in antecedentibus dictum eſt, arthritis autem vaga ſive ſit phlegmatica ſive melancholica etiamnum diuturnior eſt antedictâ ratione frigidioris temperamenti, ita ut ad duos vel tres menſes paroyſmus ejus continuò durare ſoleat, non tamen cum vitæ periculo, ſed ſemper magno tædio ob cruciatum & diuturnitatem; initio quoque purgantibus vel ſudorem moventibus nihil minuitur ſed potius exaſperatur, at in declinatione impensè utraque hac evacuationis ſpecie levatur, ut & diureticis, prout & juxta Hipppocratem mictio urinæ ſpiſſæ copiosè paroxyſmos arthriticos qualescunque ſolvit.

Curatio arthritidis vulgaris propoſita eſt in antecedentibus, hîc tamen adhuc topica quædam ſecretiora, nobis communicata in medium afferemus, & primò quidem:

Ungventum præſtantiſſimum ad arthritidem, paralyſin & defluxiones durabile per 20. vel 30. annos in pyxide argentea aſſervatum:

Ungventum. ℞. ſerpentes majales, reſectis capitibus & caudis, eisque abjectis, imple reliquis partibus ſeu truncis intermediis ollam novam vitreatam, ita ut tertia ollæ pars maneat vacua, adde axungiæ caninæ, urſi & cati, medullæ cervinæ & equinæ ab equo violenter & non ſponte mortuo, item pingvedinis hircinæ, anſerinæ, anatinæ, gallinaceæ, ſevique taurini ana ſeu partes æquales, dimidiumque ponderis præcedentium butyri majalis aquam nondum experti purè eliquati. ℞. quoque herb. rorismarini manip. ij. ſalviæ m. j. rutæ m. iij. florum lavendul. & matriſylvæ ſeu periclymeni an. m. iij. hæc duo ultima ingredientia macerentur prius per noctem in ſpiritu vini integra, poſtea cum reliquis minutim concidantur, carnique ſerpentum & pingvedinibus addantur, adde quoque manip. j. baccarum juniperi contuſarum, omnibusque ollæ inditis ſuperlutabis operculum paſtâ ex calce, cinere cribrato & albumine ovorum, & prius lutum ſicceſcere ſines, tum ſuppoſito igne prunarum prius modico ac dein fortiori per duas horas materiam in olla coques, ſæpius ollam circumagitando, ne ejus contenta adurantur, & ſi lutum dehiſcat, illud rurſus oblinendo, ne evaporare poſſit, tum ſenſim refrigerentur, aperi ollam, & effunde materiam in colum, ut pingvedo fluida ſecernatur, reliquum totum probè confunde in pultem, & fortiter per pannum vel ſetaceum cribrum pelle, expreſſo rurſus adde colatam pingvedinem, totumque ungven-

ungventum inde pyxidi argenteæ, ac dein optimè obtura ſeu ab attactu aëris communi vindica; uſus eſt ut in dictis affectibus locus eo calefacto absque ulla alia humectatione inungatur.

Aliud:

Aliud. ℞. baccarum juniperi ſeminis ſynapi albi ana ℔iij. raſuræ ſaponis optimi ℥VI. contundantur omnia invicem optimè, ſuperfunde eis in vitro ſpiritum vini, ſtent in digeſtione per dies quatuordecim, tum fortiter totum exprime, eoque totam ſpinam dorſi locusque dolens calidè inungatur; Experimentum quoque eſt, ſi medulla ex oſſibus pernarum cum oleis ovorum & chamomillæ invicem coquantur in ungventum, eoque ut dictum eſt inunctio fiat.

Experimentum

Oleum ex oſſibus equorum. Vel ℞. duas ollas ſupernè æqualiter reſpondentes, imple unam oſſibus contuſæ calvariæ equinæ, tum ſuperpone orbem è lamina ferreâ plenum foraminibus, ac ſuperluta alteram ollam inverſam, & ſicceſcere ſine, poſtea fode foveam in terram tanta profunditate, ut ad commiſſuram marginum usque lutatæ ollæ imponi poſſint, impone ollam vacuam in terram, altera verò in qua ſunt oſſa, emineat, inferiorem probè terrâ undique usque ad dictam marginalem commiſſuram contegito, quo facto ollæ ſuperiori inverſæ ignem circularem primò eminus, & poſtea paulatim propius adſtrue, donec demum omnino carbonibus ardentibus operiatur, & ſic per horam candeat, ſtillabitque ex oſſibus oleum in ollam inferiorem, tempore hoc finito omnem remove ignem, ollisque refrigeratis invenies in inferiori liquorem oleoſum empyreuma ſpirans ob ſalem volatilem pingvedinis aduſtum, qui mox magno emolumento articulis inungi poteſt, vel etiam per retortam addita aqua rectificari, ut eò melius aſcendat.

Arthritidis verò vagæ indicationem curativam omnium optimè innuit Galenus I. de diff. febr. cap. 6. ita inquiens: *meritò his curandis ſcopus eſt non evacuatio, ſed totius corporis roboratio;* ſignificaturus curationem ejusmodi non eſſe ſitam in vulgari purgatione per ſeceſſum, ſed in talibus, quæ laudabilem ſangvinem generant, vitiumque prioris per urinam educunt, id quod præſtant ea ſimplicia, quæ ſub triplicitatem ſangvinis pertinent, ut ſunt ſimplicia diuretica ſigni geminorum, nimirum lappa major, cornua cervina juvencula, macis, lumbrici terreſtres, radices valerianæ, ari, iridis correctæ, myrrha, chamædris, ſcorzonera &c. Ordiuntur autem Practici curationem injectione clyſteris, ac deinde in plethoricis venæſectionem aliquoties repetendam inſtituunt, ſibi perſvadentes, Hippocratem id innuere voluiſſe 2. prorrhet. ſcribentem: *Quibus circa articulos dolores fiunt & tumores, & ſedantur non podagrico modo, in iis comperies viſcera magna, & in urina ſubſidentiam albam*, ubi Hippocr. per viſcera magna intelligit ampla vaſa ſangvinea, ſangvinisque ubertatem, cui rei etiam ipſa aſtipu-

puletur experientia, eò quod rheumatiſmo decumbentes à crebra ſangvinis miſſione non debilitentur, ſed longè citius morbus ſolvatur, quàm ſi ſangvis non mittatur, imprimis cum etiam Hipp. dicto loco adjiciat: *fit autem hic morbus iis, quibus in pueritia & juventute ſangvis ex naribus fluere ſolitus deſiit.* Item lib. 4. aphor. 74. *Ab abſceſſu ad articulos liberat urina multa craſſa & alba, ſi verò etiam ex naribus fluxerit ſangvis, brevi admodùm ſolutio fit.* Unum ergò & idem eſſet ſi ſangvis, qui aliàs per nares effluxerit, ingenioſo artis moderamine è vena emittatur, quibus etiam contradici nequit, ſi modo non aberretur judicio, tutius tamen proceditur, ſi mox ex præfatis ſangvineis ſimplicibus decocta diuretica propinentur, ſemper enim poſtea venæ ſectio ſuccedere poteſt, ſi à diureticis levamen haud ſequitur; tale igitur poteſt parari decoctum:

℞. ſeri caprini vel cerviſiæ tenuis ℔ij.
rad. lappæ maj.
ſcorzoneræ an. ℥j.

Concidantur radices, & decoquantur per ſemihoram, tum adde macis ℥j. bulliant adhuc parùm, tum de colatura affatim bibatur.

Admodùm etiam conducit ſpiritus ſalis communis tàm ſimplex quàm cum ſpiritu vini per ſimultaneam deſtillationem repetitam dulcificatus, & guttis aliquot in præfato decocto aſſumptus.

Imprimis autem lumbrici terreſtres genuinum ſpecificum contra arthritidem vagam ſcorbuticam præbent quoquo modo uſurpati: paratur autem præcipuè ex eis pulvis hoc modo: imponuntur lumbrici muſco ſicco, in quo ſorditiem à ſe rejiciunt & mundantur, tum rurſus abluuntur, additoque ſucco iridis in optime lutata nova ollula redigunturin calido clibano ſeu furno piſtorio in materiam ſiccatá pulverabilem, cujus ℈ſ. vel ℈j. pro vice intrò cum vehiculo competenti ſumitur.

Iidem etiam in ſero caprino vel cereviſia decoqvuntur, atque hoc decoctum bibitur, vel in vitrum ſtricti orificii mittuntur, tumq; vitrum illud paſtâ panificiariâ ſpiſſitudine digiti circundata in furnum calidum ponitur, quamdiu panis in furno excoquitur, deinde verò impoſiti lumbrici in liquorem verſi inveniuntur, quem à ℈ij. ad ℥ſ. propinant, vel ulterius per alembicum deſtillant, & quod in fundo remanet, incinerant, cineremque in dicto liquore vel alio vehiculo exhibent.

In frequenti etiam uſu eſt elixir frequens decantatum:

Elixir.

℞. radic. ari
ariſtoloch. rotund.
pœoniæ
caryophyllat.
enulæ camp.
zedoar.
vincetox. an. ℈ij.
ſummitat. ſalviæ
chamædr.
chamepit.
ſerpill.
abrotan.
roriſmarin.

rutæ

rutæ
beton. an. ℥iſ.
ſpec. diamoſch. dulc.
dianth.
lætific. Gal. an. ʒſ.
ſem. citr. ℈IV.
theriac. Andr. ℥ſ.
pulveriſata extrahe per ſpiritum vini, quo rurſus ad ſpiſſitudinem mellis abſtracto ſuperfunde iterum remanentiæ ℥VI. abſtracti ſpiritus, item ſpirit. cochleariæ & lumbricorum an. ℥ij. digerantur invicem circiter per biduum, tumque liquorem filtratum ad uſum reſerva probè obturatum: notandum autem omnia duriora ingredientia dictarum ſpecierum ut ſunt auri & argenti folia, coralla, os de corde cervi omitti poſſe, quia ſpiritus vini ea intrare & extrahere nequit.

In uſu quoque & efficax eſt ſpiritus lumbricorum compoſitus, qui ita paratur:

Spiritus lumbricorum compoſitus.

℞. radic. angelic. ℥ſ.
irid.
peucedan. an. ℥j.
fol. chamædr.
ſalv.
puleg.
ſerpill. an. m. j.
flor. anthos
lavend.
hyperici
primulæ veris
chamæmeli an. m. ſ.
ſcobis ligni ſaſſafras ℥ij.
baccar. laur. ℥ſ.
caſtor. ʒij.
conciſis & contuſis, quæ decet, ſuperfunde liquorẽ paulò ante commemoratum lumbricorum, digere ſimul per unum & alterum diem, deſtilla, paratusque eſt dictus ſpiritus compoſitus, cujus doſis gutt. XXX. ad L. in vehiculis appropriatis.

Exterius ad dolores valet idem ſpiritus compoſitus vel ſimplex liquor lumbricor. in furno paratus, ut paulò ante doctum eſt, illitus.

Cataplaſma anodynum.

Vel coquantur lumbrici terreſtres cum lenticula paluſtri & floribus chamæmeli in lacte, adde parum farinæ hordei vel medullæ panis ſimilaginei, fiatque cataplasma calidum imponendum, ſedatque potentiſſimè dolorem.

Inungitur quoque ſaltem ſimplex butyrum majale recens, vel cum dimidiata parte ol. chamæmeli, vel ex abſynth. & ruta recentibus exprimatur ſuccus, in quo decoquantur lumbrici terreſtres, vel ex eis liquor in furno paratus dicto ſucco admiſceatur, eisque locus dolens foveatur.

DE COXENDICA PASSIONE SEU DOLORE, ISCHIADICO; Germ. das Hüfftweh / oder die Hüfftgicht.

QUamvis hic dolor etiam pars ſit arthritidis eademque remedia arthritica ſuperius tradita ipſi conveniant, attamen tam in diagnoſi quàm curatione quædam peculiaria habet, atque ideò breviter de hoc affectu hic ſeorſim tractandum eſt, qui hoc modo contingit: quando nimirum articulus coxæ peculiarem præ reliquis articulis

culis debilitatem vel à nativitate vel aſcititiis cauſis conquirit, tunc facilè defluxio arthritica iſtuc decumbit, & hanc paſſionem infert; eſt autem os coxæ ſeu iſchium latum os in clunibus Germ. das Hüfftbein / in cujus medio paropſis ſeu cavitas eſt rotunda, quæ pyxis ſeu acetabulum vocatur, cui inſertum eſt caput ſuperius oſſis femoris, eique validis ligamentis coarticulatum firmatur, ne facilè excidat, quemadmodùm autem axis & modiolus in curru graviter onerato ſemper ungvento molli lubricari debent, ſi auriga currum iſtum ad deſtinatum locum vehere velit, ita etiam hi duo inſignes articuli onus totius corporis continuò ſuſtinentes, & in perpetuo motu inter eundum verſantes pariter continua lubricatione opus habent, aliàs motus ambulandi, ſtandi, incurvandi ad terram, iterumque erigendi aliusque corporis varius impeditur, eum itaque in finem ſinovia copioſè huc attrahitur, & abſumitur, calor enim in his partibus ferè plus viget, quàm uspiam alibi, ut quilibet deprehendet, ſi aliquandiu lævem aliquem lapidem ibi detineat, & poſtea manibus tangat, inſigniter enim calere eum inveniet, plurimum ergò ſinoviæ hic tam à multo motu quàm viviſſimo calore abſumi, neceſſe eſt; nihilominus tamen interdum nimia humoris copia ad hos articulos procumbit, & naturam gravat, quæ ad expellendam iſtam ſuperfluitatem majorem excitat calorem, calor autem præternaturalis ſemper aciditatem parit teſte experientia, id quod etiam quilibet calor mechanicus valdè exceſſivus comprobat, quando enim duo ligna prædura diu fortiter ad invicem conteruntur, tandem adeò incaleſcunt, ut ſeipſa mutuò accendant, & fumum emittant, qui oculis involans acerbè eos mordicat ob ſuam aciditatem, ab iſto ergò calore aceſcentia quædam in ſucco cremabili concitatur, quæ particulas quasdam in ſinovia coagulat, prout omnia acida lac & ſangvinem coagulant, & materiam caſeoſam ex eis præcipitant, quæ à Paracelſo tartarus vocatur, hæc itaque ab acido congelata ſinovia in partibus iſtis acutiſſima ſenſilitate præditis acerbiſſimum dolorem excitat, motumque impedit, prout etiam motus currus valdè retardatur, ſi axungia ejus lenteſcit, vel omnino indureſcit, & ſi inſuper etiam pulvis axi inſpergeretur aſper vel ſcaber, nimirum pumicis vel alius conſimilis, multo magis motus rotarum inhiberi neceſſum foret.

Diagnoſis hujus affectus hæc eſt; dolor ingens præcipuè in iſchii regione cruciat, nullus tamen tumor, vel rubeſcens inflammatio comparet, uti in reliquis arthritidis ſpeciebus fieri ſolet, eò quod pars dolens profundè ſita ſit, multaque caro eam obtegat, atque ideò materia influens non ita ad ſuperficiem, ſuam phlogoſin proferre queat. Signa.

Cauſæ ſunt eædem, quæ & aliarum arthritidis ſpecierum, nonnunquam etiam externa violentia nempe lapſus vel percuſſio in cauſa eſt. Cauſæ.

De

De hoc affectu loquitur etiam Hippocrates ſequentibus in locis:

A diuturno coxendicum dolore excidit coxa. lib. 6. aphor. 59
Quibus coxa excidit & rurſus incidit, his mucores ſuperveniunt. 6. 59
Excidente coxâ crus tabeſcit. 6. 60
Ac claudicatio ſequitur. 6. 60.
Cruris tabes & claudicatio uſtione præcaventur. 6. 60.
Lumborum dolor & genuum gravitas extra febrem purgandum eſſe inferius denotant. 4. 20
Quilibet dolor infra diaphragma purgationem per inferiora requirit. 4. 18

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, dolor iſchiadicus facilè luxationem vel ſubluxationem coxæ affert, quæ quatuor modis contingere poteſt, nempe ut plurimum antrorſum vel introrſum vel extrorſum, rarò retrorſum; luxatio ad interiora crus longius efficit, extrorſum verò facta illud abbreviat: anterius verò factâ luxatione crus nec longius nec brevius fit, urina autem ſupprimitur, natesque depreſſæ fiunt, & in ingvine tumor excitatur. At ſi poſterius fiat, crus admodùm abbreviatur, pesque nec extendi nec flecti poteſt, nec calx terram attingere. In ſubluxatione caput femoris non omninò excidit, ſed in margine acetabuli hæret. Quicquid tamen horum eveniat, hujus iſchiadicæ paſſionis fructus eſt, niſi ſit ab externa quadam violentia introductum, & nunc aliter atque aliter claudicationem infert, & cruris tabefactionem, eò quod os elapſum arterias, venas & muſculos comprimat, ſpirituumque & ſangvinis decurſum circulationemque impediat.

Curatio. Curatio aliquantulum variat à prædictarum ſpecierum arthriticarum modo curandi, quamvis eadem purgantia etiam hîc locum inveniant, eodemque modo ſatis fortia inſtitui debeant, Practici quidem tam ſupernam purgationem ſeu vomitoria, quàm infernam æqualiter commendant, eò quod utraque à loco affecto revellat, nos tamen Hippocratem ſecuti inferiorem maximè profieuam arbitramur, & experti ſumus, imò non diu abhinc ſolis pilulis mercurialibus inter cathartica deſcriptis, ac bis vel ter exhibitis in duobus doloren hunc, quorum alter eum ab interna defluxione, alter verò à lapſu contraxerat, penitus auferri vidimus, impoſito etiam loco dolenti emplaſtro iſchiadico. Unus quoque eorum ni fallor ſine ſvaſu noſtro emplaſtrum à chirurgo petierat, qui dederat ipſi emplaſtrum contra fracturas Wurzii, at uterq; æquali modo convaluit.

Practici quoque commendant venæſectionem in poplite vel juxta malleolum exteriorem, ſcilicet illius venæ, quæ iſchiadica ab hoc affectu & ejus utilitate, quam afferre creditur, appellatur.

Poſt ſufficientem purgationem deveniendum eſt ad topica ſeu dolorem ſedantia, quæ non debent eſſe aſtringentia vel frigida, poros enim

occludunt & materiæ majorem coacervationem cauſare poſſent, calida verò reſolvunt, diffundunt & ad externam ſuperficiem extrahunt, talia itaque calefacientia topica ex ſuperioribus eligi poſſunt, vel ex aliis calidis, quæ ad manus ſunt: ut oleum Philoſophorum ſeu laterinum, ol. terebinth. ſcorpionum, ungvent. d. althæa &c.

In luxatione tam femoris quàm brachii Carichterus commendat pro infallibili ſequens: curabis à venatore capiendam alcem vivam, cui dimidiatæ ſpithamæ diſtantiâ à genu ita viventi fiat incisio, nervusque integer evellatur, genu integro manente, ſeu non diſſecto, extractum hunc nervum ſiccabis in umbra, & in luxatione vel ſubluxatione coxæ vel cruris nervum poſterioris alcis tibiæ, brachii verò, anterioris beſtiæ cruris ſuperligabis, brevique redintegratio ſanatioque fiet. Specificum.

CAP. CLXXII.
DE LEPRA; Germ. der Auſſatz / oder die Maltzey.

Lepra quid? Lepra eſt affectus cutaneus ſeu extrinſecus cutem invadens, foriſque incipiens & introrſum pergens contra naturam aliarum ægritudinum plerarumque, quæ intrinſecè in viſceribus vel ſangvine primordia figunt, demumque foras ad ſuperficiem ſerpunt, ita enim ordinario modo natura laborat, ut vitioſos humores vel per ſeceſſum, vel viam urinarium, vel vomitum, vel hœmorrhagias, vel transſpirando per poros cutis expellat, affectus autem cutanei, ut ſunt ſcabies, pſora, lichenes &c. quorum lepra abominabiliſſima & nociviſſima eſt exterius in cute inchoant, & introrſum gradiuntur. Duplex autem lepra eſt nempe Græcorum & Arabum, Græca lepra eſt etiam affectus cutaneus valdè pravus, nempe ſcabies pariter horribilis, & ægerrimè curabilis, ac totam cutem occruſtans ſeu cruſtâ quaſi unâ contiguâ obducens, quæ vulgò pſora vocatur; Alii tamen impetiginem, ſi ſit deterrima & in ſummo gradu, pro Græcorum lepra habent, in qua cutis mutetur in habitum præternaturalem, cum aſperitate & pruritu continuo, doloroſitate, & ſquamarum decidentia, cutis fiſſione, pluriumque corporis partium depaſcentia. Lepra Græcorum.

Arabum verò leproſitas eſt morbus iſte, quem Græci elephantiaſin, vulgoque morbum Divi Lazari appellant, & pro cancro corporis univerſali habent. Dicitur etiam Satyriaſis, quia in vultu ſint horrendi aſpectus reſpondentis deſcriptioni ſatyrorum, eodemque modo ut de illis fama eſt, ad coitum vehementi appetitu & ſtimulo ferantur; Item Leontiſis, eò quod frons in leproſis prætumeat, & laxior reddatur iſtar pellis in fronte leonis; nomen verò ab elephante ipſi impoſitum eſt ob colorem, & morbi magnitudinem, qua alios morbos ſuperet, ut elephas reliquas beſtias vaſtitate. Elephantia autem quando dicitur, non intelligendus propriè eſt hic morbus, ſignificat enim iſtud nomen ſpeciem Lepra Arabum. Leontiſis. Elephantia ab elephantiaſi differt.

ciem varicum ſeu affectum varicibus cognatum,in quo crus in tantam vaſtitatem intumeſcit, ut denſitate, & colore, nec uon difficili flexura crus elephantis æmuletur, de quo alibi.

Vera autem lepra vulgaris ſeu elephantiaſis non eſt illa, de qua multa in ſcriptura ſacra leguntur, illa enim erat plaga Divinitus immiſſa, pariter tamen ut noſtra contagioſa, cujus judices Deus ſacerdotes conſtituit, qui tales ſeparando à ſanis pronunciarent.

Signa lepræ.

Signa diagnoſtica lepræ plurima ſunt ac varia, nec omnia ſemper in uno concurrentia, præcipua autem talia ſunt: lepra plerunque ac crebrius infectione transfertur ad temperamentum melancholicum, incipitque utplurimum in fronte vel facie, ubi cutis fit inæqualis, & tubercula livida progenerat,quæ poſtmodùm in totam corporis cutem diſſeminantur, color vultus eſt varius, cœruleus tamen ſeu lazurius præcipuè elucet, vel ex rubro liveſcit, omnia foramina & aperturæ corporis aliter figurantur, & contractiora evadunt, ut ſunt nares, aures,oculi, os,vulva & foramen ani,ea omnia ſiuni rotundiora, narium enim foramina exterius reſima redduntur,patula & tuberoſa, interius verò arctantur, ita ut reſpiratio difficilius trahatur,& pronunciatio verborum depravetur, naſus valdè acuminatur,labra prætumida apparent,frons tuberoſa, aures retortæ, venæ ſub lingva varicoſæ,nigricantes, & intumeſcentes conſpiciuntur; capilli capitis,barbæ, & ſuperciliorum totiusque corporis excidunt, caro muſculoſa inter indicem & pollicem atque in pedibus diſparet & abſumitur, cutis univerſi corporis inæqualem ſcabritiem contrahit, ſubnigreſcit, & maculoſa cernitur, demumque fœdà ſcabioſâ cruſtâ obducitur in modum pellis elephantum, unde prædictum affecto nomen,& ut breviter dicamus, lepra eſt ſcabies melancholica univerſam corporis cutem fœdâ cruſtâ obſerens colorans que in modum bufonum vel herbæ lichenis quercubus innaſcentis, eamque veneno ſtupefactivo adeò inficiens,ut demum nil amplius perſentiſcat; interdum tamen fœdiſſimæ ſcabiei ſpecies occurrunt, quæ lepram abominabili aſpectu ementiuntur, & à plebe imò indoctis Medicis pro eâ reputantur,& ſic miſeri tales ſcabioſi à conſortio hominum excluduntur,cum tamen leproſi veri non ſint; proinde moris eſt tales examini expertorum Medicorum ſubjicere,quod præterpropter hunc in modum habetur: Ante omnia is, cujus fidei ſuſpectus committitur, propter chriſtianam charitatem tam ob alios confratres à tali contagio præſervandós, quàm ægrum injuriâ non afficiendum ſufficienti experientiæ certæ innitatur, & ex præſumptione nihil agat, æquum igitur eſt ut alios expertos Medicos & Chirurgos ſimul aſciſcat, à quibús tum, invocato miſericorde Patre Cœleſti, à quo morbi & ſanitas proveniunt,æger imprimis verbis conſolatoriis in ſpem erigitur, hanc paſſio-

nem à Deo ſibi ad æternam ſalutem eſſe immiſſam, ideò patienter eam perferat, & ex conſcientia obſtrictus de omnibus veritatem rogatus indicet, in qua patria ſit natus, in quibusdam enim regionibus morbus hic eſt popularis, an parentes vel eorum fratres vel ſorores (quorum mores & morbi interdum plus fratrum & ſororum liberis imprimuntur quàm propriorum parentum) unquam leprâ infecti fuerint, vel æger cum ullo leproſo converſatus ſit, vel hæmorrhoidum fluxui antea aſſvetus, isque poſtmodùm reſtrictus, an craſſo malèque nutriente alimento vixerit, indeque paſſiones melancholicas, nempe quartanam, ſcorbutum, obſtructiones ſplenis vel hepatis, vel ſimiles contraxerit, vel unquam habuerit, videaturne ſibi triſtis, melancholicus, tardi & gravati corporis motus, difficilis ſpiritus, vel horrificis ſomniis de rebus atris, terrenis, laborioſis, venenatis de nocte perturbetur, vel ex ſomno excitetur, in die verò ſummam gravitatem in cruribus tenſionem in hypochondriis, vel ardorem puncturamve in carne quaſi ab aculeis vel urticis ſentiat, cujus etiam ſit ætatis, vix enim pueri vel adoleſcentes propria ſponte hunc morbum experiuntur, ſed ætas ſaltem virilis, conſiſtens, & jam ſicceſcens & melancholeſcens; hinc totum corpus inſpicitur imprimis facies & pili, & quæritur an non aliquid in fronte vel facie repere vel pungere videatur inſtar reptitantis vermiculi, vel pungentium ſpinarum vel acicularum, vel ſubinde ulibi jectigatio ſeu palpitans motitatio intra cutem vel diſtorſio percipiatur, vel pili capitis leviter defluant; pili quoque conſiderantur tam in barba quàm ſuperciliis & palpebris, an rareſcant, vel evulſi quandam adhærentiam carneam in radice habeant more ſetarum porci, vel depilentur, vel tumuſculus, vel tuberantia, inflatio vel craſſities rugoſave contractio in ſuperciliis palpebrisve deprehendatur, vel vis ſtupefactiva jam uspiam carnem obſederit, quod punctione acus perdiſcitur. Leproſi enim punctionem violentam non ſentiunt; tum quoque color cutis inſpicitur, quantum à naturali conſveto diſcedat ad flaveſcentiam, nigreſcentiam vel albeſcentiam, & an jam ſit multùm aſperior, durior, denſior & decoloratior, in cute quoque detractis veſtibus experimentum inſtituitur aſperſione aquæ, an inſtar guttarum pluviæ ſuper eam aqua aſperſa cadat, unctuoſaque cutis capitis totiusque corporis appareat. Adhæc oculi inſpiciuntur an coloris ſint fuſci, vel lividi, vel albedo eorum tenebroſa, vel jectigatio diſtorſiove in eis advertatur, vel lachrymoſitas & aquoſitas copioſa, vel in eorum angulis rotundiores fiant, vel oculi è cavitate ſua elapſuri videantur, horribilemque cum toto vultu aſpectum præbeant, vel caſu pilorum ſuperciliorum & ciliorum calveſcere incipiant, præſertim prope angulos, an nares multum incraſſentur, foriſque dilatentur, intus verò arctentur & anhelitum impediant, loquelamque, cujus ſonus per nares

nares auditur, corroſio quoque cartilaginis vel ulceratio compareat, quæ demum in leproſis decidentiam naſi omnimodam efficit hinc lingva inſpecta & depreſſa obſervatur, an verrucas vel granula inſtar milii in radice ejus animadvertantut, quæ in hominibus lepram indicant, in porcis verò malignitatem leproſam his, qui tali carne veſcantur, an labia ulcerentur, vel ſæpè cruententur, vel incraſſentur, liveſcant vel atreſcant, jectigationem aut diſtorſionem experiantur, num auriculæ contrahantur, invertantur, gracileſcant, vel acutiores, foraminaque rotundiora fiant. Numquid genæ & vultus coloris ſint admodùm rubicundi, vel lividi, vel gutta roſacea colorve lazurius vel purpureus vel lividus vel puſtulæ, tuberoſitas, jonthive faciem occupent, cum inflatione & aſpectu tetro & horribili, an vox ſit rauca vel ſoni difficilis, quod injunctione cantationis disquiritur, raucedo enim vocis & ſtupor ſeu inſenſilitas carnis infallibilia ſunt ſigna lepræ, ſed non incipientis, at omninò deſperatæ, ſed experimentum tractus ſi inſtituatur, debent ægri oculi obtegi, ne videat, cum acclamatione, quod caveat, jam punctum iri eum in pede, non tamen eum pungendo, & interrogando ubi punctus ſit. Poſtea autem revera ſtylo vel acu pungatur & iterum quæratur an punctus ſit, ſi enim neget, lepram deploratam arguit, hanc autem punctionem præcipuè inſtituunt in tibia à minimo pedum digito usque ad genu, vel in brachio ab auriculari usque ad cubitum, quoniam virtus ſenſitiva in his locis magis debilis eſt; quæritur etiam an ſtupor, frigus & dormitatio vel inſenſibilitas ineſſe videatur extremitati digitorum præſertim minimi, ſed tale ſignum etiam apoplexiam præcedit, notantur quoque ungves an findantur, liveſcant, ſcabreſcantve, vel in manibus & pedibus nodoſitates, puſtulæ fœdæ, duræ, maculæ vel contractio animadvertatur. Jubetur etiã ſuſpectus currere, vel ſaltare, ut conſpicuum fiat, an ſit robur in pedibus, vel titubet labaſcatque, pedes enim ſi adhuc firmi, carnoſi & calore naturali præditi ſint, bonum eſt ſignum, nam ingruente leprâ pedes dudum ante ſemper ſunt frigidi; denique quoque excrementa & imprimis urina examini ſubjicitur, an alba ſit vel livida, piloſa vel coloris cineri; Paracelſus autem vas cum urina in aqua bulliente detineri jubet aſſerculo lævigato albo obtectum, & ſi à leproſo ſit, pulviſculum operculo iſto ligneo album adhæſurum ait. Hæc & plura ſigna obſervantur, quæ cuncta incipientem veram elephantiaſin ſignificant.

Cauſæ lepræ omniumque morborum contagioſorum præcipua eſt fermentum transmutativum, quod cuncta temperamenta in ſui naturam fermentare & transmutare poteſt non ſecus ac fermentum panificii quamlibet paſtam etiam dulciſſimam, & multo ſacharo dulcoratam ad aciditatem fermentat, ita ut non modò tota aceſcat, ſed & ulterius aliam paſtam azymam ad eandem Cauſæ lepræ.

dem qualitatem fermentet; hæc fermentandi potentia etiam in plumbo eluceſcit, nam ſi ejus exigua particula magnæ argenti vivi purgatiſſimi quantitati miſceatur, omne illud argentum vivum mox impuratur per cunctas ſuas particulas, ita ut plus impuritatis in eo jam contineri videatur, quàm ponderare iſta particula plumbi poſſit, quin imò tantoperè à tantillo plumbo alteratur, ut licet plus decies argentum hoc vivum admixtum plumbum pondere ſuperet, omnes tamen ejus particulæ in igne jam crepent inſtar ſalis marini igni injecti, quam etiam qualitatem impoſterum pertinaciſſimè retinet, donec per deſtillationem ab ea iterum liberetur; ita etiam ſe res habet in hoc morbo, ut nimirum corpus quodlibet ſanum à fermento melancholico fermentari queat in naturam frigidam, ſiccam & ſtupefactivam, tamdiu inſeparabilem ab eo, donec per æquè potens fermentum contrarium alia transmutatio fiat. Talis autem leproſa fermentatio facilè ſanis communicari & inſpirari poteſt ab aliis leproſis per converſationem, vel cohabitationem in eadem domo, compotationem ex iisdem cantharis, vel condormitioné in eodem lecto, vel in quo antea leproſus dormierit, vel ullis veſtimentis indutus fuerit, talibusque vel aliis utenſilibus poſtmodùm alius inſcienter utatur, talia enim vaporem aëreum impreſſionemque odorativam combibunt, diuque retinent, & dudum poſt ad alios transferunt, ita ut tali conceptâ aërea qualitate extenſivâ alia diſpoſitio affatim fermentari poſſint, ut apparet ex olla, in qua zibetha aſſervata fuerit, nam etſi nulla corporalis zibetha amplius in ea ſit, adeò tamen aëream qualitatem zibethicam in ſe combibet, ut non ſolùm multæ myriades hominum nares ſuas eodem odore implere, verùm etiam ſi goſſipium poſtmodùm in eadem aſſervaretur, iterum tantum vaporis in ſe tracturum eſſet, ut denuò eundem odorem ad innumeras nares transportare poſſet, absque iminutione ejusdem in olla. Transfertur etiam hic morbus hæreditariè non modò per parentes, ſed & propinquos ejusdem familiæ, item per ſpecialem diſpoſitionem popularem in certis quibusdam regionibus. Fabricari quoque de novo poteſt uſu continuo & diuturno alimentorum craſſi, pravi & melancholici ſucci, item temperamento melancholico, quod eſt frigidum, ſiccum & terreſtre, omniaque etiam optima alimenta eodem modo, ut ſupra de plumbo dictum eſt, ad eandem qualitatem immutat; fit etiam ab hæmorrhoidum vel menſium purgatione reſtrictâ; denique uſus multus rerum vel medicaminum ſangvinem adurentium, & exceſſivo calore ſiccantium, ut eſt ſabina, cepæ, larga comeſtio cruſtarum, vel laminarum panis toſtarum & ſimilia, itemque animi pathemata frigefactiva, ut ſunt luctus, terror, mœror, triſtitia, puſillanimitas, zelotypia, invidia, partim à multa adverſitate, venientia, partim ex uſu craſſorum

cibo

ciborum, ut ſunt lentes, fabæ, braſſica condita, lac & piſces ſæpius eadem menſa comeſta, caſeusque vetus, & carnes leporum, urſorum, vulpium, aſinorum, caprarum, porcorum, præſertim jonthicorum (finnicht) nec non ſalitæ, & fumo induratæ conſimiliterque conditi piſces.

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, morbus quàm gravis ſit & miſerabilis, nemo neſcit, cum enim omnium opinione incurabilis, & tamen per longiſſimum tempus non lethalis, at ipsâ morte calamitoſior à plurimis judicetur, ideò tales ægri à quovis etiam proximis amicis & conſangvineis fugiuntur, omniumque hominum conſortio excluduntur, ſuntque ſibi ipſis longâ corruptione graves, aliisque abominatione intolerabiles, at Deo nequaquam exoſi, ſi patienter & piè ſuam crucem ferant, uti eâdem miſeriâ afflictus Lazarus pertulit, atque à ſanctis Angelis in gremium Abrahæ portatus, dives verò hujus miſeri ſpretor, licet in vita omnibus gratus & honoratus, poſt obitum tamen in gehennam damnatus eſt. Viros autem magis quàm fœminas hic morbus invadit, quia temperamentum humidum ipſi non eſt aptum, ſed frigidum & ſiccum, principia autem ejus omninò occulta ſunt, ſigna enim morbi hujus in viſceribus fientis vix ſunt, ſed mera facti, ut ferè confirmati, quando enim primum in cute ejus aliquid apparet, tum morbus nequaquam incipit, ſed ferè in vigore eſt; exterius tamen in cute eum inviſibiliter incipere, & introrſum agere, ſi à contagii contactu fit, probari poteſt, ut etiam ab aliis ſcabiei ſpeciebus evenit.

Morbum autem hunc non omninò incurabilem eſſe, ſi in tempore ipſi occurratur, ex quinque hiſtoriis Galeni manifeſtum fit, ſuntque iſti ægri omnes per viperas curati, quamvis ſatis graviter hoc morbo ægrotarint.

Curatio itaque, quantum in ea ſperari poteſt, præmonſtratore Galeno, quærenda eſt in ſimplicibus ſangvinem renovantibus, qualia ſunt lumbrici terreſtres, præparatique ſerpentes & viperæ, imprimis autem magnus ille ſerpens mercurius, cujus ideò caduceus ſerpentiger pingitur, ex eo enim præparata medicamina durum hunc morbum nondum penitiſſiè confirmatum radicitus exſtirpare poſſe, ipſi vidimus, curabat enim 1671. Archiater quidam nobis familiaris affectum leprâ, ut ipſe putabat, verâ, at nobis Græcâ ſeu pſorâ visâ, qui tamen undique erat occruſtatus, exhibebatque ipſi præcipitatum aureum à nobis in tractatu de panacæa minerali edoctum, cujus 4. vel ad ſummum 6. grana aſſumpta ſemel vel bis aliàs ſufficiunt ad excitandam ſalivationem, ſed huic ægro repetitis doſibus integrum lothonem ſeu quatuor drachmas dare coactus eſt, antequam ſalivationem excitare potuerit, adeò ſucculentia corporis à veneno glaciali procul dubio congelata & aſtricta fuit, quum autem ſalivatio procederet, tunc ſenſim cruſta ſcabietica à tergo, brachiis reliquisque locis ſponte decidebat, & ipſe Curatio.

conva-

convaleſcebat. Notavimus ergò curationem ejusmodi ſitam eſſe in degelatione ſucculentiæ glaciatæ, cujus ſignum eſt ſaliva jam largè ad os aſcendens, ſalivationem quoque in corrupto ſangvine eſſe notam ſecuturæ ſanitatis, quemadmodùm ploratio ſectorum palmitum vernalis ſignum eſt fertilitatis, quæcunque enim vitis ſecta ita non ſalivat, etiam nec revireſcit nec floret, ſed deſperatè hyemis frigore corrupta eſt.

Huc pertinent etiam ſimplicia ſangvinea ſub trigonum Jovis & ſangvinis pertinentia, cujusmodi ſunt omnes ſpecies herbæ ſcabioſæ, cichor. ſcrophularia, anagallis rubra, ſcorzonera, ſophia, arum, ſalvia, agrimonia, eupatorium, ſyderitides, iris & ſimilia, item ejusmodi pingvedines ad externas inunctiones, nempe ſerpentum, ol. lumbricorum, ſcorpionum, axungia humana, caponum, equorum, imprimis butyrum ex lacte equarum tempore majali in paſcuis nutritarum &c. Hæc ſi ſimul cum ſupradicto præcipitato vel alio optimè parato, qui enim ex ipſo auro puro vel antimonio mercurium currentem elicere, atque eundem in pulverem per ſe rubrum præcipitare poſſet, uti Paracelſus ad hunc morbum requirit, citius eum profligaret; optima etiam ſunt quæ docet

TEXTUS.

AN lepra curari poſſit, ſubdubitatum eſt à multis; elephantiaſin quidem, hoc eſt lepram incipientem, vel aliquatenus progreſſam, & à ſquamis, quas ſubinde in ſuperficie corporis extantes habet, ita dictam, interdum curari poſſe, & dogmatici profitentur, & exempla ſeu obſervationes id teſtantur.

Lepram autem propriè dictam, omnibusque partibus confirmatam & abſolutam ſanari poſſe, id quod pernegant iidem.

Neque verò vel ipſam naturam alicujus deficientiæ accuſare licet, quæ nempe poteſtate Divina ordinata, dum fœta in ſeſe & in mixtis corporibus occultet arcana, quibus dextrè cognitis & in præparationem adductis, omnes morbos corpus humanum infeſtantes, quatenus tales ſunt, nec aliquid extremi in ſeſe continent, curabiles eſſe & credamus, & ingenuè profiteamur (de examine leproſorum vide Foreſtum obſervatione 7. lib. 4. chirurgiæ, de curatione vid. Jul. Palmarium in lapide Philoſophico, capite ultimo; it. cap 6. de tinctura Baſilii Valentini) ſic ita lepra curari poſſit; quomodo verò curetur, vulgares præceptiones haud docent, neque & vulgaria auxilia, quantumvis in iisdem multum ſpei & poteſtatis ſcientibus poſitum, multum videntur præſtare poſſe.

Aurum potabile Philoſophorum, quod nempe vel in ſola illa Medicina univerſali latet, vel

ex ipſo auro philoſophicè per menſtruum Mundi ſoluto fit, hos & alios morbos ſimpliciſſimos perfectè tollit.

Tinctura antimonii ſupra de podagra deſcripta præſertim exaltata, & in ſummam ſpiritualitatem deducta auro potabili vix quicquam concedit.

Tinctura corallorum vera & genuina iiſdem viribus pollet, hæc itaque omnia & ſingula pro curanda lepra ſalutaria ſunt.

Cognitis itaque omnibus ſignis, & ex eorum ſyndrome morbo perfectè cognito, cum iis medicamentis ita procedendum fuerit, ut quia quod unicè deſideramus, in promptu non eſt, aurum nempe philoſophicum, ita progrediamur, ne extra oleam ipſius methodi extravagari videamur.

I. *Itaque reſolventia & mundificantia neceſſaria ſunt.*

Reſolventia. *Reſolventia* ſunt omnia illa, quæ alioquin interiores viſcerum obſtructiones ſolvunt (*tartarus vitriolatus*) de quibus hactenus ſæpius.

Mundificantia. *Mundificantia* ſunt ſpecificum purgans arcanum corallinum, mercurius dulcis, pilulæ antimoniales per ſeceſſum tantùm purgantes.

Specifica. II. *Sunt ſpecifica*, inter quæ excellit *viridellus vulgaris* (*vitriolum*) cujus quidem præparatio eſt nulla, ſed totum artificium conſiſtit in dextra exhibitione (*valet in quavis ſcabie.*)

Mundificatis itaque corporibus ſic procede: ℞. viridelli dicti ℥ij. diſſolve in ℔ x. vini, poſtea cola, hujus vini cyath. ſ. cum potu ordinario (*ſæpius in die*) qui ſit vel vinum vel cerviſia (*vinum præſtat quia eſt morbus frigidus*) vel decoctum ligni ſaſſafras, chinæ (*decoctum fragariæ aliquid poteſt*) vel aquæ communis ſemper exhibe in potu (*cura abſolvi poteſt viridelli ℔j.*) idque per ſeptimanas tres aut quatuor continua.

Interdum ſudores moveantur, qui initio difficulter erumpunt, ergò quacunque ratione provocentur, etiam per laconicum cum ſpiritu vini (*ſcabies ſponte decidit* (*à diaphoretico in peracutis, vel potius cum tinctura antimonii videbis perfectam ſanationem* (*interdum purgantia repetantur pro ægri & morbi natura.*)

Cæterum ſpecificum viridelli crudi non ſeparati, nec in alia eſſentia medica divulſi hoc præſtat, neq; tamen adhuc manifeſtum eſt, an ex aliquo principio (*vitriolum viride Hungaricũ plurimum habet ſulphuris*) & ex quonam hæc proprietas dependeat. Veriſimile eſt à ſulphure id proficiſci, quod in vitriolo excellens eſt, proximè ac-

cedens ad naturam ſulpuris antimonii, ex quo tinctura illa hactenus ſæpè dicta paratur. Quod ſi vitrioli ſulphur volatile ſeu embryonatum paratum fuerit (vide quæſtionem 8. theorem. tractatu de opio meo) id quod oſtenſum eſt in præparatione ſulphuris vitrioli narcotici (fixi) idque per ſe ſine additamento ſublimatum (in einem niedrigen Kolben) paulatim ſulphur injiciendo, alembico ablato, rurſusque appoſito) ut relinquat omnes ſuas feces, & poſtea cum dimidia parte ſalis tartari puri permixtum, & per retortam igne ſuppreſſionis extremo loco dato, deſtillatum fuerit, in oleum rubrum tranſit, cui ſi admiſcueris aliquid aceti deſtillati, deſcendit pulvis ſpadicei coloris, & ſpiritus ſalis tartari ſeſe miſcet cum aceto. Pulvis ille diligenter edulcoratur aquâ frigidâ, poſtea cum ſpiritu vini extrahitur in loco calido (vaſe clauſo) & dulciſſima eſſentia ſulphuris vitrioli tandem (ſi per octo dies ſteterit) ſuperna tat in forma olei, quam etiam à ſpiritu vini ſepara & ſerva. Hæc dulciſſima ſulphuris vitrioli eſſentia æquipollet viribus ſuis tincturæ antimonii, & mirabiles affectus vitrioli dulcedo facit doſ. à gr. I. ad IV. in aqua meliſſæ, noxios humores totius corporis expellit, venerem ſtimulat, uterum rectificat, ejusque motus inordinatos ſiſtit, & in utroque ſexu prolificam vim ſeminis ad liberorum generationem operatur. In aqua petroſelini idem penè præſtat, ſed inſuper hydropem curat perfectè. Uſus autem illius eſſentiæ aliquandiu continuandus.

Poſt abſolutam curam ſolet quandoque ſcabrities cutis moleſta remanere, ſic enim poſteaquàm ex centro ad peripheriam noxa per nobilia illa medicamenta inſenſibilibus transſpirationibus fuerit extruſa (ex ſale aluminoſo ſtiptico) ſponte quidem ſua tandem omnes ſquamulæ & ſcabies decidunt.

Nihilominus tamen exterior cutis durior ſcabra remanet. Hanc deinceps inſeſſiones ex mollificantibus parata mitigant & emolliunt, perfectiſſimam autem & abſolutiſſimam lævigationem cutis à balneo præſtat inunctio cum oleo viperino vel colubrino (cutis viperæ vel colubri adjiciatur, habet ſignaturam morbi) confirmata eſt hæc curatio in tribus primariis perſonis.

ELEPHANTIASIS in habitu ſiſit, quia partium ſubſtantia læſa, & quaſi univerſali cancro infecta, curari nullo modo poteſt, ſi verò incipiens ſit, nec cum ſemine à parentibus propagata in filios; omninò curabilis eſt. Elephantiaſis.

Quare

Quare inſtituta victus ratione humectante purgetur ſtatim æger cholagogis, eccoproticis, caſſia, carthamo, diaſebeſten & aliis, & ſi indicantia permittant, vena ſecetur.

Deinde coquatur humor iis medicamentis, quæ ad melancholiam incidendam, & jecoris lienisque obſtructiones tollendas præſcribuntur. Hinc ea quæ humores tales educere poſſunt, offerantur, continuatis ſemper per tres dies purgantibus: tum utatur per alios tres apozemate aperiente, præparante, & iterum purgetur, idque toties, donec corpus optimè purgatum ſit, & ab omni cacochymia liberum, ſæpius oblato etiam mercurio laxativo, & mercurio cum ſole præcipitato; quo facto ad ea quæ epatis intemperiem emendant, accedendum, ad friga ſcilicet epatica & ad appropriata.

Hinc ad ea quæ in ſuperficie corporis exiſtentem malorum humorum abundantiam, cauſam mali exiſtentem expellunt, progrediendum.

Viperarum præparatio.

Quibus omnibus palmam præripit præſcripta ſequens viperarum præparatio, de qua etiam ſupra de phthiſi: ℞. tres vel quatuor viperas abjectis inteſtinis, reſervato corde, epate & capite excoriatas, inde eas ollæ vitreæ (a) *quam ſuperius cum ſuo operculo claude, relicto ex quo in medio foramine, adhibe ad ignem carbonum lentum ollam, donec humiditas in ipſis excedens exhalet, & exſiccentur, ut in pulverem comminui poſſint: aut idem commodius fiet in furno vel arena.*

(a) Melior eſt modus Zwelferi, quo caro viperarum inditur cucurbitæ vitreæ, & ſuperflua humiditas in balneo per alembicum abſtrahitur, jamque penè omni humiditate abſtractâ viperæ baculo à fundo cucurbitæ removentur & dislocantur, ne fundo per totalem exſiccationem agglutinentur & adurantur, ſed à ſe invicem diſſitæ eo melius exſiccentur, quem in finem ſæpius alembicus demitur, viperæ ab uno loco ad alium moventur, alembicusque reponitur, donec viperæ omnino fuerint exſiccatæ, quæ tunc exemptæ pulveriſantur: aqua autem abſtracta aſſervari, & pariter cochlear ejus cum dicto pulvere aſſumi poteſt.

Uſus pulveris ſerpentum.

℞. hujus pulveris ℥ij.
radic. angelicæ
valerianæ an ℥ſ.
m. f. pulv. doſ. ʒſ ad ℈ij. vel ʒj. additis gutt. ij ſpir. vitrioli, quo aſſumpto æger in lecto ſudet.

Huic ſuccedere poſſunt trochiſci(b) *de vipera à ℈ſ ad ℈j item præparatio viperina ſaccharina Quercetani in trochiſcos redacta, vel etiam bezoarticum animale.*

(b) Pulvis prædictus trochiſcis longè eſt præferendus, ut etiam Zwel-

Zwelferus evincit, hic pulvis poterit quoque ſali menſario admiſceri ſumma cum utilitate hoc modo: capias ſtipitem juniperi ſpiſſitudine pugni, longitudine ſesquiſpithamæ, quem excavandum usque ad extremitatem alteram curabis, non tamen omninò perforando, imple cavitatem ſale communi, foramenque iterum impacto ligno claude, tum inter prunas peruratur ita diſpoſitus, ut à peruſtione torrem hunc cum ſale ſeorſim poſſis habere, ſeparatis aliis prunis, & quando omnino omne quod cremabile eſt, ignis peruſſit, reliquum pulveratur, ejusque ℥j. additur pulveris viperarum ʒj. & loco ſalis menſarii uſurpatur.

Potus ſit emulſio ſeminum melonum & (c) citrulli cum decocto ſarſaparillæ, ita ut in ℔ XII. aquæ coquatur ℔ſ. ſarſæparillæ.

(c) Potum quod concernit, conſideratione digna ſunt, quæ ſupra cap. 79. in fine ſcripſimus,

Sæpius quoque in die aſſumat alcohol ſerpentum cum ana ſacchari miſtum. Vel fiat opiata ex illo cum conſerva roſarum, corticum citri, & florum nymphea, cui addantur gutt. aliquot auri potabilis Anglici, aut ſæpius exhibeatur Mithridatium cœleſte Quercetani.

Poſſunt quoque interfici viperæ in vino, & illud vinum propinari, ita ut aliquot viperæ in vitrum capax indantur, & ſuperfundatur ſpiritus vini, ſive vinum ardens, & in ipſo relinquantur dies octo: hinc extrahantur. De hoc vino vel per ſe, vel cum aliis miſto capiat ſæpè in die, imprimis manè & veſperi.

Toto curationis tempore æger à ſale (d) *abſtineat.*

(d) Hoc non nititur fundamento, lepra enim plena eſt putrefactio, ſal autem ſemper reſiſtit putrefactioni, ut & ruſtici norunt, neque etiam is qui in noſtra præſentia curabatur, ut ſupra dictum, à ſale abſtinuit.

Aliqui curationem hoc modo promittunt: poſt evacuationem univerſalem & particularem totum corpus inungatur ſequente ungvento:

℞. *terebinthtinæ claræ ℥iſ.* Ungventum.
vitellorum ovorum n. VI.
miſce; poſtea adde ceruſſæ.
ſubtiliſſ. pulver. ſat. ʒiſ.
affunde acet. ℥iſ.

m. f. ungventum, eo inungatur corpus ne quid maneat cuti adhærens, cutis abluatur lacte. Hoc ungvento inungatur totum corpus bis vel ter, poſtea ingrediatur balneum ſiccum, poſt priorem inunctionem in balneo apponendæ ſunt cucurbitulæ brachiis, humeris, & ſupra genua. Et cum ſequente ungvento inungendum erit totum corpus die unâ, die ſequente cum præcedenti, & ſic progrediendum donec omnis ſcabies

bies

bies & furfures ſublati, & remanebit cutis humida & arida, & tunc plus olei laurini addendum ſequenti ungvento, atque corpus ut antea iterum inungendum, ungventum tale eſt:

Ungventum. ℞. *radic. elenii ℥ij.*
althææ ℥iiſ.
pingvedinis porcinæ ℔iſ.
lythargyrii auri
maſtichis
olibani
ſarcocollæ
myrrhæ
aloes epaticæ an. ʒij.
oleor. chamomillæ
anethi
laurini an. ℥ij.
terebinthinæ ℥j.
ſtyracis liquidæ
butyri recentis an. ℥iij.
mercurii ſublimati ʒiij.
ceræ q. ſ. f. ſ. a. ungventum.
Poſtea ℞. *hujus ungventi*
& ol. laurini an. ℥IV.
ſtyracis calamitæ ℥j.
m. & cum hoc inunge totum corpus, ſi minus forte, adde plus olei laurini ad libitum, ſi adſit tinea, evellendi capilli.

Si morbus eſt diuturnus, per duos annos ſequentes vere & autumno ſemper optimè purgandum corpus, & ſi aliquid renaſcitur in aliquo loco, inungendus eſt locus ungvento dicto poſteriori.

CAP. CLXVIII.
DE LUE VENEREA;
Germ. die Frantzoſen oder Spaniſche Pocken.

Reperto à Chriſtophoro Columbo Anno 1493. novo orbe, etiam novus ejusdem orbis morbus inventus, & in Europam transportatus eſt, qui primùm ſequenti Anno 1494. in obſidione Neapolitana innotuit, ubi Galli, ut ſcandaloſè Renodæus in deſcriptione pilularum de hydrargyro publicè fatetur, cum fœminis Italicis, quibus Columbi ſocii vel ſervi Itali infectionem ex India advexerint, ſcortati, & ab eis infecti, deinde innumeras alias urbe capta, maritatas per adulterium compreſſas eadem lue infecerint, à quibus poſtmodum proprii earum mariti infecti, vindictam meditantes ſcabiem hanc ſcortatoriam morbum Gallicum nominarint.

Verùm Leonhardus Fioravanti de origine & occaſione hujus morbi longè aliter ratiocinatur, narratque, ſe rerum cauſas indagandi avidum aliquando fuiſſe in urbe Neapoli, cumque variis converſationem inſtituiſſe diſcendi gratia, inter quos ſenex quidam annorum centum nomine Paſchalis Gibolletti ſibi narrarit, prædicta belli Neapolitani tempora partim in ſuam partim patris ſui vitam incidiſſe, ipſumque ſuum parentem in caſtris Regis Alphonſi commeatarium, quosvulgo Marcatenteras vocant, fuiſſe à quo audiverit, magnam tum inter exercitus extitiſſe annonæ caritatem, præcipuè carnium, utriusque igitur

exercitus commeatores noctu clanculum cadavera cæſorum concidiſſe in fruſta, & diverſa edulia ex eis parata militibus vendidiſſe, qui per cupidè ea inſcii voraſſent aſſata, cocta, & in artocreatibus, idque per diutinum temporis ſpatium, antequam ullus tantum ſcelus reſciverit, ad extremum autem in toto Gallorum exercitu extitiſſe hanc luem adeò quidem, ut vix inventus ſit inter omnes, qui non bubonibus, ulceribus, doloribusve laborarit. Quibus animadverſis Galli cepiſſent dicere, Neapolitanorum technis ſe ita evaſiſſe morboſos, quo autem pacto id factum fuerit, ignoraſſe, & morbum Neapolitanum appellaſſe, ex quo etiam omnino langvidos, coactos fuiſſe in Galliam reverti. Hiſpanos verò & Italos cauſam luis pariter ignorantes morboque eodem univerſim affectos acceptum eum tuliſſe Gallis, ideoq; Gallicum eum nominaſſe. Quibus auditis ſe ſcilicet Fioravantium per experimentum in ſua conjectura voluiſſe certiorari, an nimirum comeſtio carnis humanæ hunc morbum certo & in ſpecie produceret, incepiſſe itaque educare porcellum, omnique ejus pabulo immiſcuiſſe aliquid axungiæ porcinæ, ex quo brevi porcello pili ſeu ſetæ deciderint, ac undique tumores ſeu bubones in ipſo protuberarint. Nondum tamen ſe ſtetiſſe hoc ſpecimine unico, ſed inſuper etiam in cane periculum feciſſe, incluſum peculiari conclavi, ac nil eſcæ ipſi dando præter carnem caninam per menſes duos, idemque in eo deprehendiſſe, qui & die ac nocte dolorem ſuum inſtar hominis ægroti miſero ululatu teſtatus fuerit. Hisce duabus probationibus ſe etiam tertiam addidiſſe, idemque tentaſſe in ave bubone, eundemque eventum notaſſe, ac certo cognoviſſe, unumquodque animal propriæ ſpeciei carne nutritum demum hunc morbum incurrere, quod etiam hiſtoriis Indorum confirmetur, qui anthropophagi hoc morbo valdè conflictentur.

Verumenimverò agnoſcimus quidem hoc judicium pro incomparandè ingenioſo, attamen nihilominus arbitramur, morbum hunc absque tali paſtu, & ſine ullo ab aliis hauſto contagio, ſed ſaltim à proprio veneris abuſu incipere poſſe, etiam in omnino ſanis & alterius concubitum inexpertis, ita quidem ut ſi jam adoleſcens & juvencula eſſent, uterque adhuc in ſua virginitate, remque veneream inter ſe ſine attactu alterius nimis fervidè & inſatiabiliter exercerent, & ita ſine induciis, etiam tempore menſtruorum pergerent, nonne demum facilè ſine alterius infectione gonorrhœa ſuccedere poſſet? quam ſi mas negligeret, ac absque remediis æſtuans libidinis œſtrum continuaret, numquid non ordinario curſu fluxus iſte ſeminalis tandem aliquam in urethra excoriationem exeſionemque excitaturus eſſet? ſpurcusque ex frequenti loculorum confrictu quotidiè ſæpius prolectus mador genitalia alluens, annon tandem naturam acrium ſordium indueret, pruri-

pruriginemque induceret, imò in pube pediculos ingvinales progigneret, quos vulgò morpiones & plattulas vocant? pruritum autem ſemper ſequitur ſcalptio & ſcabies, fluxum verò tenuem aquoſumque exeſio & ulceratio, uti quilibet in pueris obſervare poterit, qui nares non emungunt, ſed mucum humoremque coryzalem perpetuò inabsterſum effluere ſinunt, ut demum infra nares excorientur, & cruſtulam ſeu eſcharam ſcabidam acquirant, in ulceribus autem naturaliter caro luxurians excreſcit, & ſic etiam in meatu urinario caruncula ſeu excreſcentia in morbo gallico ſolemnis ſponte ſine alterius infectione gonorrhœam ſequi poteſt, variaque intrinſeca & extrinſeca prurigino-ſa, & ulcerativa ſerptio, ita ut non opus ſit luem hanc ab India Occidentali vel eſu carnis humanæ deducere, quamvis negandum non ſit, eam præfatis modis magnoperè deteriorari, & infectiviorem reddi potuiſſe: neque verò perſvaderi poſſumus, ut credamus, morbum hunc ante orbis novi repertionem noſtris in terris penitus non extitiſſe, quamvis veteres Medici eum non deſcripſerint, cum enim eodem modo homines ſcortati, & cum impuris meretricibus rem habuerint, non potuerunt non iidem effectus ſequi, præſertim, cum etiam in ſcriptis Hippocratis particulatim quorun dam fiat mentio affectuum, qui in hoc morbo conjunctim occurrere ſolent, nempe nunc exulcerationis & tuberculi in meatu urinario, alibi bubonum, jam gonorrhœæ, dolorum articulorum, & ſimilium, ita ut ſuſpicari fas ſit, etiam antiquitus, morbum iſtum ſi non ita malignè & contagioſè, ſaltim mitius & clandeſtinius turbam fornicatoriam exercuiſſe. Quinimò ipſa Scriptura Sacra Levit. XV. huic ſuſpicioni anſam dat, quod tam ſeverè gonorrhœâ laborantes ad alios accedere prohibuerit, omneque quod attigerint, pro immundo, & ſi teſtaceum quid ſit, frangendum, ligneum verò aquæ immergendum mandaverit, eum procul dubio in finem, ne aliquis ab eis inficiatur.

Opinamur itaque luem hanc omnibus ſeculis etiam in Europa, ſicut in China, in lupanaribus clam vagatam, & à Medicis non agnitam vel diſtinctam, multo minus deſcriptam, nec forſan ab ægris ipſis detectam eſſe, eſt enim morbus pudibundus, & in iſtis locis incipit, quibus à pudore nomen eſt, & à muliebri ſexu etiam in optima eorum conſtitutione, non niſi in lethali neceſſitate ulli Medico oſtenduntur, multo minus adeò ſpurcè puſtulata, celatus ergò ſemper fuit hic morbus obſcœnus à ſuis ægris, ad ſui usque ſummam confirmationem, ubi tum forſan ab imperitis Medicis pro ſpecie lepræ leoninæ habitus fuit, donec impudentiſſimi milites Gallici, quos non pudet etiam turpiſſima ſcorta in conſpectu publico conſtuprare, totum ſuum exercitum inquinarint, & una vice aliquot millia Lazarorum ex ipſis facta fuerint, tunc verò demum neceſſitas eos com-

compulit, Medicorum & Chirurgorum implorare opem, qui quum nil de hoc morbo ſub certo capite in antiquorum ſcriptis invenerint, obſtupuerunt, planè novum morbum arbitrantes, Gallicum eum nominarunt, quod nomen hactenus, reclamantibus viris honeſtis Gallicis, & horrentibus inuſtam ſuæ aliàs glorioſæ nationi labem hanc dedecoroſam, retinuit, ita ut jam per totam Europam vocetur lues & ſcabies Gallica, ab ipſis verò morbus Neapolitanus, at verum & genuinum nomen eſt: Scabies ſcortatoria, mentagra vel potius mentulagra lupanaris, caries venerea, vel puſtulæ obſcœnæ. Morbus hic, ut præcedentis capitis, conſiſtit in fermento corruptivo contagioſo, non autem ut lepræ frigido, ſed calido, atque ita promptè invadit temperamentum calidum & humidum, & ad corruptionem tam validè fermentat, ut & ipſa oſſa ejus corrumpantur & carioſa reddantur, duplici autem modo in homine contingere poteſt, nimirum vel per infectionem ordinariam per abuſum veneris, vel extraordinariam, ubi innocens per halitum vel attactum mentulagrici luem haurit; Ordinaria infectio plerunq; primum circa loca obſcæna ſeu pudenda in utroque ſexu incipit, prorumpentibus itidem vel circa ingvina puſtulis, tuberculis, jonthisque duriuſculis, indeque ad alias partes ſerpentibus nempe collum, faciem, manus, frontem, capitis cutem, brachia & femora, ſuntque ejusmodi puſtulæ & tubercula tum demum hujus morbi ſigna, quando loca oculis obvia occupant, uti ſolent in præfatis locis, vel etiam circa angulos oris, ubi quibusdam cruſtulæ prodeunt, aliis inſolitæ granditatis verrucæ, vel rimæ in manibus & digitis erumpunt, plerisque tamen malum diu ſub veſtibus latet, ita ut non facilè per certa ſigna agnoſci poſſit, niſi à valdè peritis, vel ſi ſponte indicetur, at ſi nudi conſpicerentur, celari non poſſet, abominabilis mentulagra cum ſua obſcænâ bubonatione tuberculisque nunc rubris nunc liveſcentibus, vel cinereis, profudatione continuâ gonorrhœicâ, ac ſanie ab exulceratione in meatu urinario latente, quæ tamen procedente tempore ſequitur, cum ſævo urinæ ardore, & gravi inceſſu, imprimis ſi etiam inſveta hæmorrhoidum eruptio accedat, & peculiaris arthritis venerea, quæ non tantùm ut vulgaris ſuperius deſcripta, in ſolis articulis, ſed & per omnes artus & internodia, membranasque ſæviſſimos, & noctu magis quam interdiu cruciantes dolores excitat, non tamen in omnibus uno modo, nam alii corripiuntur atroci capitis dolore vel hemicrania ſolummodò, alii in ſcapulis, manibus pedibusque vehementer dolent, vel ex coxendice conqueruntur; prorumpunt quoq; protractu temporis tumores in partibus carnoſis magnitudine ſeminucis juglandis, ac ſuppuratione terminantur in ulcera virulenta ſerpentia, quæ malo invaleſcente etiam intra corpus ſerpendo vagantur fauceſque, palatum pinnasque narium exedunt,

Nomina genuina morbi Gallici.

Signa luis mentulagricæ.

exedunt, ac loquelam lædunt, ita ut vox fiat rauca, vel planè ſibiloſa, & omni ſonoritate deſtituta, vel per nares cavatas clangoſa, imò maligna qualitas eſurina & ipſa oſſa apoſtemificat, & tuberculum quaſi oſſeum quibusdam locis inducit, ita ut adhæreſcens ſcirrhus oſſeus pro oſſe adnato habeatur, crudeli dolore nocturno divexans, adhibitisque remediis in ulcus virulentum abiens, & ſubjectum os corrumpens; maligna hæc qualitas etiam invadit radices pilorum, eosque excidere facit à capite, mento, cunctisque locis piloſis, ungves manuum quoque findunturvel planè decidunt, cutisq; manuum & pedum dehiſcit in rimas & fiſſuras, alibi verrucæ, calloſitates, tuberoſitates, & nonnunquam ſcrophulæ & ſtrumæ naſcuntur, & ſic in diverſis variè hic morbus ludit, atque etiam juxta mutationem lunæ variationem ſuſcipit, dolores enim morbi Gallici noctu à lunæ aſcenſione in horizontem ingraveſcunt, nec non inſtantibus tempeſtatibus.

Cauſæ. Cauſæ hujus morbi ſunt: concubitus cum impuris ſcortis, à quibus mares ex eorum infectis loculis inficiuntur; ad aliasque fœminas vel etiam proprias uxores accedentes iterum eas inficiunt, imò per ſolam converſationem cum perſona infecta contagium hauriri poteſt ab halitu vel compotatione, condormitione in eodem lecto vel uſu veſtium, quibus infectus indutus fuit, vel quocunque modo nuda corporis caro ſana tale quid attingat, quod odore vel tranſpiratione infecti imbutum ſit, uti etiam ſit in ſedilibus latrinarum, vel ſcamnis balneorum, quibus Gallicà lue inquinatus nudatis natibus inſedit; propagatur etiam hæreditario jure, atque cum lacte materno imbibitur.

Prognoſtica. Prognoſin quod attinet, morbus Gallicus recens facilè curari poteſt, nec adeò gravem læſiouem inducit, inveteratus autem, & confirmatus difficilis eſt curationis, pluraque mala ſymptomata, læſionemque partium corporis infert. Promptius autem invadit maſculos quàm fœminas, ac temperamentum calidum quam frigidum, quoniam calidi ampliores habent poros, imprimis verò diſpoſiti ſunt ad hunc morbum plethorici, ſeu ſangvine abundantes ac inordinatè viventes, gravius autẽ eo laborant, & difficilius curantur, qui jam antea ab eo curati ſunt, ac rurſus eo corripiuntur, à priori enim morbi debilitatione minus ipſi reſiſtere poſſunt.

Curatio. Curationis ſcopus eſt, ut ſtatim ſine ulla præmiſſa præparatione purgatio corporis inſtituatur, morbus enim eſt malignus, ejusque venenum præparatione potius magis ſubtiliaretur. Purgatio inſtitui poteſt propinata aqua benedicta Rulandi, vel ℥VI. confect. Hamech, vel pilulis mercurialibus inter catharti- Purgantia. ca deſcriptis, vel dentur gran. X, vel XII. extracti rad. ellebori nigri cum ſyrup. violac. additis aliquot gutt. olei aniſi. Vel ℞. maſſæ pilular. de fumaria ʒſ. vel ℈ij. mercurii dulcis aliquoties ſublimati gr. XV. vel ℈j. f. pilulæ pro una doſi.

A purgatione practici deveniunt ad potiones ſudorificas, quarum præcipua ingredientia ſunt ſarſaparilla & radix chinæ, quarum vices tamen diverſæ radices noſtrates eodem ſi non feliciori ſucceſſu ſupplere poſſunt, ut ſunt radix ebuli locis petroſis proveniens, tormentillæ, filipendulæ, vincetoxici, caryophyllatæ, filicis, bibinellæ, morſus diaboli, ſcobs ligni fraxini, & juniperi, quibus adduntur herbæ refrigerantes, vel temperatæ vulnerariæ, ut ſunt piloſella, pyrola, ſanicula, vincapervinca, ſcabioſa, anagallis rubra, quinquefolium & ſimilia; ex. gr. ℞. radic. tormentill. bibinell. & vincetoxici an. ℥j. chelidon. cum toto m. ij. rad. caryophyllat. ℥ij. ſcabioſ. ſcrophulariæ an. ℥iſ. anagallidis rubræ & cuſcutæ an. m. j. auriculæ muris, vincæpervincæ & ſaniculæ an. m. j. omnia ſiccentur in umbra, minutim concidantur & probè miſceantur, cujus mixturæ manipulus unus largus, vel duo in libris tribus vel quatuor aquæ vel cereviſiæ vel vini in cantharo lapideo in balneum poſito lutato coqvuntur, & de hac potione omni manè hauſtus bibitur, nec eſt quod quis vinum vereri vellet, tanquam nimis calidum, interventu enim herbarum & radicum multum recedit à qualitate vulgaris vini, prout etiam Magnus Carrichterus totam hujus morbi curationem cum vino abſolvit, ut in ipſius praxi videre eſt. Cur enim à vino ad hujusmodi intentionem abſtinendum foret? ob ejus caliditatem? atqui nobis caliditate opus eſt, ad ciendum ſudorem, quam aptius ſuppeditat vinum quàm aqua: aut quia vinum nimium concitat defluxiones? atqui intentio noſtra eſt tales defluxiones ſi adſint, loco movere, & educere, nullæ ergò ſunt rationes, cur vinum in hoc morbo ſit omnino evitandum, ut naſuti quidam volunt.

Simplicia ſudorifera.

Practici verò prædictis extraneis utuntur in hunc modum: accipiunt rad. chinæ vel ſarſaparill. ℥ij. minutim concidunt, & poſt macerationem per horas 24. coqvunt in libris octo aquæ comm. in olla operculata & paſtâ farinaceâ oblitâ, hujus decocti omni manè ℥X. vel XII. propinant, & in lecto ſudare jubent, in alia olla ℥j. ejusdem radic. in 8. ℔. aquæ comm. coqvunt, & pro potu ordinario contra ſitim bibendum injungunt, idque per 4. 5. 6. ſeptimanas continuant, ſemper cum recenti coctione, prius tamen decoctam radicem rurſus exſiccant, minutius concidunt, & ſecunda vel etiam tertiâ vice decoctum ex ea in majori tamen pondere ſumptâ decocta parant, at longè potentius ſudoriferum & hujus morbi radicale ſanativum paratur ex pulvere vincetoxici, ſi omni manè & veſpera cum theriaca Andromachi accipiatur; ſanationem quoque citò & medullitus expetens ne prætereat præcipitatum aureum, eoque cieat ſemel, bis vel ter ſalivationem; verùm de his omnibus, quum ditiſſimus ſit Author, ſufficiat ipſius

TEX-

TEXTUS.

Lues venerea (frater Baſilius Valentinus, qui vixit tempore Maximiliani primi, appellavit: die neue Krieger Kranckheit) *niſi manifeſtiſſimè tuberculis & puſtulis hinc inde in toto corpore, præſertim verò circa frontem, obſcœnas partes & ad femora præſertim verſus genua prorumpentibus ſe prodat, ſæpius occulta eſt, facilèque imponit, ne vel recens rectè curetur, vel inveterata difficulter cedat.*

Accurato igitur judicio opus eſt, quod unicè dependet ex confeſſione ipſius patientis (Medicus in interrogando ſit πολύτροπος*, ne æger diffidat) præter enim illos manifeſtos gradus, quos Fernelius in 4. diſtinxit, plures ſunt propter communia cum aliis morbis ſymptomata, vix in cognitionem pervenientes. Eos omnes & ſingulos indicabit concubitus contagioſus, vel cum ſcorto infecto patratus. Ejus itaque ſi conſcius fuerit patiens, utut ſymptomata fuerint communia, nihilominus ſi omnia rectè fieri debeant, non aliter, quàm à lue venerea infectus patiens tractandus fuerit.*

Signa lue venerea infecti.

Conſtante itaque hoc canone 1. ſi quis dolores in coxis, humeris & mediis artubus habuerit, neutiquam alias externis apparentibus ſignis, infectus tamen credendus eſt. 2. Si quis ſerpiginem, lichenem inſuperque mariſcas ani, puſtuloſam ſcabiem in cute corporis, colli, vel capitis haberet, nec tamen infeſtaretur doloribus artuum, ſi canonem generalem fatetur, eâdem cenſura cenſendus. 3. Si condylomata, mariſcæ, & hæmorrhoides cæcæ anum, vel partes obſcœnas poſſiderent doloribus artuum vel nullis, vel aliquibus præſentibus, modò canonem generalem ſuppleat, ab infectorum numero non excludendus eſt. 4. In vivaciſſimo alioquin corpore ſi verrucæ informes & grandiores præſertim in manibus, item ad labia & in pedibus prominerent, & canon hic locum haberet, utique ab infectione immunem haud judicabis. 5. Cum quis cambucca laboraret, aut poſt coitum ductus virgæ tumoribus obſtrueretur, cum calore & inflammatione, aut ſi ulcus penis poſt priora pateretur, ſive doloribus artuum & capitis vexaretur ſive ſecus, non poterit non numero Gallicanorum accenſeri. 6. Si quis bubonibus divexatus, prætereaque ſcabioſus circa pudenda eſſet, neque tamen dolores artuum pateretur, vel etiam iisdem infeſtaretur, & canoni priori nomen dediſſet ſuum, haud liber ab infectione pronunciari poſſit. 7. Quanquam hæc omnia

locum non habent, & corpus abſolutè purum apparet, in interluniis verò aërisque & tempeſtatum viciſſitudinibus in extremitatibus corporis, manibus, pedibus, imò etiam in capite doloribus impetitur, nihilominus ubi ſe ſemel confeſſionarium præbuit, hujus morbi primordiis (a) *initiatus habetur.*

(a) Canon hic non valet in his qui innocenter & inſcii alicubi in diverſoriis cubando in lecto, ubi fortè mentulagricus jacuit, contagium ſuſcipiunt.

Ab his ſignis & certis indiciis aliqualis infectionis multum ſitum eſt in probè cognoſcendo tempore durationis. Hinc igitur morbus recens aut noviter contractus ab inveterato ritè discernendus fuerit, ille breviorem, prætereaque faciliorem, hic longiorem & artificioſiorem curam requirit. Utraque fundamentum & baſin collocat in mercurio ſeu argento vivo ritè rectèque parato, opus tamen eſt vehiculis, quæ ſuppeditabunt decocta ligni guajaci, radicis ſarſaparillæ (ſarſaparillæ capillamenta ne abjiciantur, ſunt nimirum virtutis maximæ) radicis chinæ, ligni ſaſſafras, decoctum ſcobis ligni querni in his locis pauperibus maximè profuit, interdum plus quàm lignum ſanctum.

Nota: *Aqua perſicariæ extremo menſe Septembri & Octobri collecta & deſtillata per alembicum ab innata quadam proprietate plurimum prodeſt (vide Platerum de defœdatione cutis, item medullam deſtillatoriam de ſyrupis & ſpiritibus.)*

Recentem infectionem unius anni ſic curabis: exhibe 1. Mercurium dulcem à gran. XVI. ad XX. vel XXX. idque duobus aut tribus diebus continuò fac, ita tamen, ne ab initio doſis auctior, ſed remiſſior ſit: poſtea in decoctis uſualibus hydrotica uſurpentur, ſi opus fuerit. Modus curandi luem recentem.

2. Mercurius dulcis denuo impuritates corporis educat, ac tandem iterum ad hydrotica redeundum.

Hydrotica ſunt ſpiritus guajaci, mixtura ſimplex, aqua theriacalis Crollii, item perſicariæ arcanum; diæta, ſal eſt conſervator balſami noſtri, malè ergò in lue Gallicâ infectis Medici vulgares ſalis uſum prohibent. Æſtate horis meridianis ſcilicet poteſt ſe æger aëri committere. Hydrotica.

Si morbus inveteratus planè fuerit, hæc leniora locum habere nequeunt, præſertim ſi ſymptomata urgentiora valdè moleſta ſint, ipſumque corpus undiquaque à morbo ipſo labefactatum, tamen non prorſus devictum.

Hic

Hic itaque purgationes mercuriales maximè locum habent.

Quinimò ſudores non niſi à mercurialibus fixis, vel in ſpiritum actis excitari debent. Principem locum inter purgantia tenent: Mercurius præcipitatus Crollii, *item Arcanum corallinum (purgantia* ἄνω καὶ κάτω, *vomitus nimirum omnis neceſſarius eſt pro ſalivatione faciliori.*

Nota: *In inveteratâ lue, quemadmodùm in recenti purgationes per mercurium tantùm ſunt inſtituendæ, quæ nempe non ſemel atque iterum, ſed interdum diebus tribus aut quatuor continuis peragendæ (progrediendo quotidiè à doſi minori ad majorem) ita ut ab exhibitione ejusdem ſalivatio, (quæ inſtar certisſimi ſigni futuræ ſanitatis eſt habenda, ideoque non inhibenda, in ea enim curæ cardo, ea igitur prudenter obſervanda) ſequatur, ſive id fiat ſponte, ſive ulterius provocetur, (in ſalivationibus non nunquam ægri ſe peſſimè habent, ſed res in vado) promovetur illa, ſi fiat maſticatorium ex maſtichis pulveris* ℈j. *&* *granis aliquot puta à iij. usque ad VIII. mercurii dulcis cum melle in paſtillos formatis & maſticatis (vix maſticetur ultra octavam partem horæ) quo ſigno habito purgationes deinceps ſunt omittendæ (non tamen ante diem quartum, licet primis diebus paſtilli ſalivationem promoveant) & ſolum excoriationi oris, gingivarum, & linguæ proſpiciendum (victus ſit facilioris deglutitionis, verbi gratia juſcula & nutritiva ſuperdata, acria evitentur) cui ſanè gargarismus ex ſolo ſale communi & aqua factus inſervit, quo identidem & ſingulis horis os colluendum eſt calidè, atque ita pergendum. Providè tamen proſpiciendum eſt, ne fluxus ille ſalivationis citò reſtingvatur (NB gargarismi adſtringentes in ſalivatione medentur) quod verendum haud fuerit, ſi gargarismus prædictus continuò in uſum trahatur, qui tantùm abeſt, ut fluxum illum impediat, ut potius promoveat (ne ſaliva in ſomno devoretur, nodulus ſtrophioli in muria tinctus dentibus interſeratur, ut ita hiatu oris patente colluvies liberius effluat) ad cujus ſpontaneam ceſſationem, ſi ſymptomata evidentiora etiam ceſſarint, probè quidem cura peracta eſt, ſin minus, aut prædicta mercurialis mundificatio repetenda, ac ſalivatio inſtauranda, aut ad diaphoretica tantùm ſed mercurialia progrediendum.*

Salivationis excitatio.

Diaphoretica mercurialia ſunt duo, ſpiritus mercurii albus (ſimplex) & rubeus, uterque fit ex

mercurio ſublimato (b) *ſed diverſis operationibus.*

(*b*) Mercurius ſublimatus venalis ad utriusque ſpiritus confectionem non tutò accipitur, ſed ipſe eum tibi parare debes ad hanc operationem, id quod optimè fieri poteſt modo à nobis cap. 142. ſuperius indicato.

Spiritus mercurii albus.

Spiritus ſeu oleum mercurii album eſt hujusmodi: ℞. *mercurii ſublimati puriſſimi ſeu cryſtallini partem unam, terræ rubræ argillaceæ partes tres, pulveriſetur mercurius tenuiter, deinceps miſce illum cum prædicta terra, ita tamen, ut cum aqua communi fortiter invicem agitata miſceantur, & in unam maſſam transeant. Ex hac fac globulos, luſoriis non abſimiles, & exſicca diligenter in umbra, non in ſole. Hinc ex retorta vitrea (recipiente non admodùm magno applicito, ſpiritus nimirum paucus nec validus egreditur) per arenam & ignem ſuppreſſionis horis duabus (ſed paulatim) ac deinde igne paulatim fortiori pelle, & prodit elegans ſpiritus mercurii, in fine ſublimabitur quidem nonnihil de mercurio reſiduo, quod tandem operatione hac finita collige, & cum recenti terra rubea miſce, in globulos forma, & exſicca, exindeque deſtillatione ſpiritus urge, idque aliquoties repete, donec totus mercurius ſublimatus in liquorem (ſaporis ſubacidi) abierit, quem in vaſe probè clauſo, mundo ſerva, nec unquam vires perdit.*

Spiritus ſeu oleum mercurii rubrum.

Rubeus ſpiritus vel oleum rubrum mercurii eſt hujusmodi (c) ℞. *argenti vivi puriſſimi ſublimati q. v. tere ſuper marmor in pulverem impalpabilem, quem cum limaturæ martis ana pone in tabula vitrea* (Solvir-Tafel) *in locum humidum, & aliquot ſeptimanarum ſpatio (in Majo, Junio & Julio) in cella frigida reſolvetur in oleum flavum, quod diligenter collige, ex reſiduo capite mortuo (ex fecibus non calcinatis) ſine igne (aliàs nimirum evaporaret) ſal extrahitur, ut ex ferro & mercurio ſublimato extrahe ſalem beneficio aquæ communis, illudque viciſſim coagulatum cum oleo junge, & fiet id aurei vel crocei coloris, coaguletur. Hoc oleum cum ſale ſuo deſtilla ex cucurbita humili* (flaches Kölbichen / *vaſa quò humiliora, eò meliora*) *in arena, donec aqua clara aſcendat, qua protinus deſtillata ignem auge, & aſcendet rubedo in alembicum inſtar croci, quæ partim per roſtrum alembici (hoc non ſit nimis longum) colligenda, partim hæret in alembico inſtar butyri. Urge itaque deſtilla-*

ſtillationem igne fortiori, donec nihil amplius in alembicum aſcenderit. Vaſis refrigeratis alembicus aufertur, & in cucurbitam phlegma prius deſtillatum funditur, ita ut quicquid rubedinis ad ſpondilia ejusdem fuerit ſublimatum, poſſit cum aqua iſta ablui, eique quod in fundo reſtiterit, jungi. Quo facto alembicus denuò apponitur, & repetitur ſeu reſtauratur deſtillatio prior. Vix incaleſcente alembico à ſubtiliſſimis vaporibus illud, quod continebatur in alembico, paulatim liqueſcit, & per roſtrum rubicundiſſimè exſtillat, ſummo ſtudio colligendum cum prius deſtillato oleo rubro. Quod ſi porrò nihil amplius rubedinis exſtillare poterit, remove excipulum, & in alio phlegma veniens, veluti in prima deſtillatione factum, collige, quo identidem collecto rurſus auctiori ignis gradu rubedo eſt colligenda, quæ partim rurſum exſtillat, partim in alembico detinetur, tot vicibus deinde provocanda, quot opus fuerit.

(c) Quamvis uterque nempe Author & D. Michaëlis in parentheſi hunc proceſſum clarè deſcribere ſtudeant, obſcurior tamen etiamnum eſt, quàm ut à tyronibus ſatis intelligi queat, ſenſus ejus eſt, ut mercurius ſublimatus niveus teratur in pulverem (colligato ore & naribus panno duplici lineo humectato, ne pulvis ſublimati corroſivus volatilis reſpiratione attrahatur) ac deinde cum æquali parte limaturæ ferri vel chalybs puriſſimæ miſceatur, & in tabula vitrea declivi poſita in cellam frigidiſſimam ponatur, & ſolutum iri materiam, ac defluxurum inde liquorem in ſuppoſitum vitrum, uti fit ſpacio dierum 40. reſiduum in tabula, ſcilicet limaturæ & ſublimati debeat ſiccari parvo calore, ne mercurius avolet, rurſusq; imponi vitro, & ſuperfundi aqua pluvialis, ac ſini in calore, donec aqua coloretur. Tunc extrahit aqua ſalem, vel potius ſolvit vitriolum Martis & Mercurii quantum adhuc ſolubile eſt, ſolutio filtratur, & ad ſiccitatem evaporatur, & quod remanet priori liquori filtrato additur, totumque in cucurbita humili evaporatur ad ſiccitatem, vel deſtillatur & humiditas aſcendens per alembicum colligitur, eſt enim aqua communis ab incaleſcente limatura in cella humida attracta, evaporatâ materiâ in cucurbita ad ſiccitatem alembicus ſuperponitur cucurbitæ, & fortiori igne urgetur, & aſcendit rubedo in alembicum, quæ nihil aliud eſt quàm mercurius ſublimatus particulas ferri ſecum rapiens, atq; ideò coloratus colore croceo, quando itaque per calorem ſatis fortem nil amplius rubedinis aſcendit, removetur alembicus, & antedicti phlegmatis aliquid, vel etiam aquæ vulgaris reſiduo in cucurbita aſpergitur, & mox incaleſcit, intumeſcit, & cucurbitam præ turgeſcentia diſtorquet in fruſta, niſi regere noris,

vix

vix tamen fractionem cucurbitæ vitare poteris. Materia enim infuſâ aquâ mox turget, & majus ſpatium requirit, quod cum in arcta cucurbita non detur, nec is ſit extenſilis, neceſſariò rumpitur, idque non ſolùm ab infuſa aqua, ſed & attractione aëris, nam etſi nihil omnino liquidi infundas, ſed ſaltem cucurbitam apertam per aliquot dies relinquas, pariter materia ab attracto aëre turgeſcit, & vitrum diffringit, ita ut in aliam humilem cucurbitam evacuare neceſſe ſit: alembicus tunc iterum imponitur, & rubedo in eo contenta ab aſſurgente ex cucurbita vapore aqueo liqueſcit in oleum ſeu liquorem rubeum, & rubeo colore ex roſtro alembici ſtillat, quamdiu aliquid rubri ſublimati in eo hæret, deinde ſequitur phlegma aqueo colore, quod ſeorſim capiendum, vel dempto alembico in auras vaporare ſinendum, & quando materia in fundo cucurbitæ ſicca eſt, tunc iterum fortiori igne urgendum eſt ut antea, & rurſus rubedo ſublimat; hoc tamdiu continuandum; donec omnis rubedo collecta ſit.

Compendioſus modus parandi oleum mercurii rubrum.

Hunc diuturnum & tædioſum Authoris modum multùm abbreviare poteris, ſi proceſſeris in hunc modum: tere mercurium à ſale decrepitato & vitriolo cyaneo, at non viridi ſublimatum in pulverem ſubtilem, ſuperfunde ipſi in vaſe lapideo vel vitreo, non autem teſtaceo bonam quantitatem aquæ communis, nihil enim etiam in cella attrahere poteſt, præter vulgarem aquam, immitte quoque fruſtum ferri non rubiginoſi integrum pondere trito mercurio reſpondens, & aquam ad duas vel tres horas coquere ſine, ſic corroſivitas ſalium in mercurio ſublimato arrodit ferrum, mercurium verò, quem antea ſpecie pulveris albi tenebat, in forma currente dimittit, non tamen omnem ejus quantitatem, ſed pars ejus manet pulvis, & ab aqua cum ferro mediante ſalina qualitate ſolvitur, corroſivitas tamẽ ſalium à ferro ſaturatur & dulceſcit. Abſumptâ omni corroſivitate, quod inde noſſe poteris, ſi non amplius ferrum arrodit, tunc aquam, quæ jam à ſoluto ferro virideſcit, decanta in cucurbitam amplam humilẽ, vel, quod melius eſt, in vitrum, cujusmodi pro conſervandis conſervis in uſu ſunt, Germ. ein Zuckerglas/ & ampliſſimum alembicum ſuperpone, quò amplior enim eſt, eò melius in ſe aſcendentem ſublimatum rubrum recipit, & deſtilla omnem humiditatem, ultimo verò cum jamjam ceſſatura deſtillatio phlegmatis videtur, guttas è roſtro alembici ſtillantes ſubinde deguſta, & ſi acredinem aliquam in guttis ſapis, muta vas recipiens, & illas acres guttas ſeorſim collige, merus enim jam aſcendit ſpiritus ſalium, guttisque ceſſantibus ignem inſigniter auge, & ita in fortiſſimo & candenti gradu per horas duodecim, vel diutius ſerva, & copioſè aſcendit ſublimatus rubor adeò ſaturatæ rubedinis, ut ad atrum colorem vergat, quando nihil amplius aſcendit, deme alembicum, quamprimùm flores rubri aërem ſentiunt, liqueſcere incipiunt

in

in oleum rubicundum, diu tamen durat, antequam omnino ſolvantur ab aëre, nĕpe per duas vel plures ſeptimanas, at ſi affundas collectas illas guttas acres, momento flores in liquorem ſolvuntur, cum odore acerrimo nares feriente; reſiduum in cucurbita per unum & alterum diem aëri expone, & iterum ex ipſo humiditatem attrahit, & ſecunda vice denuo acerrimum odoratui ſpiritum, & etiamnum copioſiorem ſublimatum ſub forma ſquamularum, vel inſtar talci rubri pulveriſati aſcendentem dabit, & ſic etiam tertia vel quarta vice, deinde nil amplius è reſidua terra ſublimari poterit; narravit tamen nobis quidam amicus, mediante reverberatione per ignem etiam ſalem quoad aſpectum niveum, at in ſolutione rubrum adhuc ex hoc capite mortuo extrahi, eoque incredibilia perpetrari poſſe, quod quidem experti non ſumus.

Utriusque diaphoretici magnus eſt uſus, imprimis verò rubei, cujus gj vel ij in aqua theriacali, miſtura ſimplici, ſpiritu guajaci, cum debitis vehiculis (decocto chinæ) imprimis verò aqua perſicariæ (ſi placet interdum addatur aqua tabaci) exhibitæ per ſudores omne expediunt, quodcunque in corpore noxium haud cedit aliis medicamentis: puſtulæ ſponte cadunt, tubercula minuuntur, dolores ſopiuntur, ac ulcera fœtida manantia exſiccantur & conſolidantur.

Quod ſi autem contumaciſſima fuerint, leni illinitione ac plumaceolo forinſecus tacta, felicius curantur. Hujus olei uſus eſt alius in putridis & fiſtuloſis ulceribus altis; item in capite valdè infecto. Vix nimirum ſemel atque iterum eodem oleo tacta, & aliquando ſudoribus provocatis per idem paulò poſt curantur feliciſſimè.

Nulla lues adeò firma, quin hisce cedat, modò vires conſtent, quæ ſemper requiruntur ſudori ſufficientes.

Spiritus albi uſus eſt idem, ſed effectus remiſſior, niſi ſubinde continuatione quadam malum ipſum ſuperetur, & tandem omnia miteſcant.

Ab hisce igitur enumeratis lues venerea etiam inveteratiſſima facilè curatur, modò omnia rectè correſponderint, ut exinde Medicus de ſymptomatum moleſtiis haud anxius eſſe poſſit vel debeat.

Nonnunquam verò à morbo Gallico benè curato relictæ reliquiæ tanquam ſymptomatum ſoboles altius infixa etiam ſubſidiarias manus medicas, & quidem non ſegnes ſed curioſas poſtulant. Hic itaque ubi facto opus fuerit, aut prior methodus revocanda, aut alia in auxilium accerſenda.

Ex multitudine nimirum & frequentia τῶν βοηθημάτων *ſæpè*

Medicus partim ut rectè faciat, partim ut patientem honeſtè fallat, inſtructior ſit, nec poſteaquàm vulgaria ceſpitare viſa fuerint, temerè declinandum, ſed conſultius pergendum; quin imò ſæpiſſimè intromiſſus inquilinus hoſtis inducias non fert, quin præſentes manus auxiliares natura deſideret, præſerim ubi fluxiones malignæ frequenter methodum medendi invertunt, aut nova ſymptomata pariunt: ſic dolores lancinantes, item ulcera præſertim ulcera faucium & colli, tumores quoque & calli ſeu nodoſitates, tophique adeò altas radices egerunt, ut à feliciſſimis Deorumque quaſi manibus expugnari non poſſint; quod ubi uſu venerit, præter jam ſemel atque iterum inſtitutam curam, imò interdum in curſu ipſius curæ & alia ſunt accerſenda auxilia, de quibus agemus ordine.

Dolor capitis.

Dolor capitis ſæpenumerò in inveterata lue à medicamentis haud evincitur. Sic artuum dolores ſæpiſſimè recrudeſcunt.

Quamvis autem etiam aliud oleum Mercurii in ejusmodi caſibus maximoperè proſit, fluxiones venereas ex capite & aliis ſubjectis partibus tollat, nihilominus externa quoque ſunt accerſenda.

Oleum mercurii diaphoreticum:

Oleum mercurii diaphoreticum.

Oleum dictum mercurii ſic fit: ℞. mercurii ſublimati puriſſimi q. placet, pulveriſatus ſolvatur ſuper tabulas ſtanneas (zinnern Blech) *hoc eſt ferreas ſtanno obductas* (e) *per deliquium, ſolutio deſtilletur cum ſpiritu vini tantiſper (ſcilicet cohobando ſæpius) donec ſpiritus aceſcat, quem ſervado ſ. à ℥ij. ad VI. in decoctis vel vehiculis appropriatis.*

(*e*) Tabulas ſtanneas vel obſtannatas ad hoc oleum, quod tamē prædicto rubro melius eſſe nequit, ſumptibus comparare opus non eſt, cum per amalgamationem ſtanni idem vel plus præſtari poſſit in hunc modum: fluat ſtannum purum leniter, & jam jam per refrigerationem rurſus conſiſtere volenti æquale pondus argenti vivi calefacti admiſce, & fiet amalgama, quod aqua pura ablue, & tantundem, ac amalgama ponderat, mercurii ſublimati pulveriſati cum eo contere, & in cella ſuper tabula vitrea ſolvi ſine, & liquor decurret ut in priori operatione cum argento vivo currente, corroſivitas enim ſublimati jam arrodit ſtannum, & mercurium quem antea in pulverem album calcinaverat, iterum dimittit, qui etiam mox revificatur, pars tamen non revificatur, ſed unà cum ſtanno à corroſivitate ſolvitur, mediante aqua communi, quæ in cella frigidiſſima attrahitur, nam ſi etiam aqua communis

nis mox affunditur, & per aliquot dies in vaſe lapideo vel vitro ſtare permittitur, eodem modo ſolvitur ut in cella in liquorem ex flavo vireſcentem, qui ab argento vivo currente decantatus,& in retorta vitrea deſtillatus usque ad ſiccitatem, poſtea fortiori igne dat copioſos ſpiritus ſiccos cum impetu in vas recipiens inſtar ſpiſſæ nebulæ transeuntes, & quamvis nulla aqua in recipiente ſit, breviſſimo tamen tempore totum quod tranſiit in illud, in liquorem ponderoſum verſum reperitur, quem quidem propriis manibus ut antecedentem paravimus, at in uſu medico nihil in eo experti ſumus.

Externa ſunt emplaſtra, quale eſt illud magiſtrale Vigonis de ranis: nobile eſt illud, cujus mentionem facit Platerus in obſervationum lib. 3. de defœdatione pag. 679. hoc emplaſtrum ſupra alutam extenſum capiti raſo applicandum eſt,& geſtandum, donec dolores remittant, ſæpius tamen renovandum, quandoquidem propter madorem, quem extrahit ex capite, non nihil vitiatur. Similia emplaſtra videantur apud Practicos. Hæc autem emplaſtra etiam doloribus artuum ex lue venerea maximè conveniunt.

Balnea quidem apud Rulandum centur. 10. curatione 2. parum juvant.

Cavitates porrò faucium cum excoriatione & uvulæ amiſſione, quanquam ulcera invadunt maligna,& ad narium usque amplitudinem pertingentia, ea non niſi è fluxionibus perpetuis & malignis redduntur fœtida, cum ardore & magno cruciatu.

Horum curas à medicamentis internis quandoque perfici deprehenſum eſt; ſæpè tamen poſt multa tentata remedia interna nihil perficitur.

Hic maximè commendantur gangariſmi & linimenta alia. Præſtantiſſimus eſt gargariſmus ad affectus oris deſcriptus, qui mundificat & exſiccat.

Quod ſi ne ſic quidem perficitur, aqua viridis eodem loco tradita cum penicillis vel cum goſſypio ad faucium cavitates eas madefaciendo & tangendo, exulcerationem funditus mundat, & egregiè ſanat.

Interdum tam maligna ſunt, ut hisce non cedant, præſertim ſi profunda ſint, & ad oſſa palati pervenerint.

Præſtantiſſimum eſt aurum ſolutum hoc modo: (f) Aurum ſolutum.

℞. ſalis fuſi,
nitri purificati,
aluminis rochæ an. ℥j.

adde dimidium libellum auri foliati, tere invicem prudenter, imbibendo cum guttis aliquot ſpiri-

tus vitrioli, & diutius in marmore tere: poſtea ſuper hanc mixturam in cucurbita parva funde ſpiritum vini ad ſupereminentiam duorum digitorum, relinque aliquandiu in cineribus vaſe probè obturato, poſtea parumper ebulliat, ut ſalia ſolvantur, ſpiritus verò flaveſcit. Poſtea evoca ſpiritum vini per alembicum ad ſiccitatem, affunde recentem ſpiritum vini & viciſſim digere in cineribus, atque ita ſpiritus vini aurum foliatum ſolvit, & ſalia relinquit in fundo. Hanc extractionem poteris ſecundò atque etiam tertiò repetere, donec nempe aurum planè ſolutum & extractum ſit. Extremo deſtillando evoca ſpiritum vini ad ſiccitatem auri, cui affunde ſpiritum terebinthinæ clariſſimum ad ſupereminentiam unius vel alterius digiti, & relinque per octo dies in loco calido, donec nempe aurum omne ſolutum ſit. Hoc auro ſoluto tange cum bombace quotidiè bis locum affectum (initio rodere videtur, ſed paulatim ceſſat) ac inſuper utere gargariſmis, & videbis curationem ſperatam. Eadem ſolutio & extractio ſolis valet in ulceribus externis nullam ſanationem recipientibus.

(f) Loco ſpiritus vini prædictis ſalibus etiam aqua communis affunditur q. ſ. ad ſolutionem eorum, atque in hac ſolutione aurum foliatum in calore arenæ coquitur, donec omnis aqua ad ſiccitatem ſalium ſit evaporata, & intra hoc tempus ſalia aurum intra ſe abſorbent & ſolutum tenent, tunc iterum aquæ q. ſ. affunditur, & tota ſolutio filtratur, quæ eſt aurei coloris, tum in ſolutionem inſtillatur oleum tartari per deliquium, donec omne aurum ad fundum ſit præcipitatum, aqua per filtrum ab auro decantatur, idque recenti aquæ affuſione ſæpius edulcoratur, ſiccatur, & demum leniter per quadrantem horæ calcinatur, abitque hoc modo aurum in excellens diaphoreticum, ſeu ſudoriferum, cujusmodi etiam eſt aurum fulminans, quod tamen in ſui exſiccatione magnam requirit vigilantiam, ne ignem concipiat, fulminandi quidem virtutem in hoc auro fulminante facilè ſopiunt, pauco ſaltem ſulphure communi addito, & poſtea aurum candefaciendo, at ita etiam vis diaphoretica perit, putamus itaque melius eſſe ab admixto ſulphure aurum non ignire, ſed ſaltem leniter ſiccare, & ita cum theriaca exhibere ad proliciendum in hoc morbo ſudorem.

Idem præſtat oleum commune, in quo ſpiritus mercurii ſublimati rubeus ebulliendo (g) *fuerit transſumptus (mercurius habet inſignem vim incarnativam) & ipſum oleum tandem nigerrimum evaſerit.*

(g) Ita etiam oleum vulgare vel etiam hyperici ebullitur cum butyro

ro antimonii, vel aqua forti, vel regis, fitque balſamum ad mundanda, & ad ſanationem promovenda ulcera eximium.

Ad duros tumores & dolores. *In tumoribus Gallicanis, tophis, & nodoſitatibus oſſium ingentibus, & acerbis doloribus plerunque noctu vehementer affligentibus, emplaſtra quidem ſupra enumerata multum proſunt. Item Platerus parte 3. praxeos p. 505. non nulla recenſet elegantia. Eſt tamen præſtantiſſimum quod ſequitur:*

℞. ungv. aurei officinalis ℥iij.
mercurii præcipitati ʒj.

m. & cum panno lineo tumoribus ſuperimpoſito per unum atque alterum diem, locus tamen tophaceus prius cum vino rubeo lavandus eſt, ſic feliciter cedunt. In valdè tamen antiquis tumoribus diutius pergendum, ſed tamen non cum applicatione in forma emplaſtri, ſed tantùm inunctione quotidianâ bis vel ter.

Abſumptis doloribus & tumoribus locus affectus deinceps fovendus eſt linteo butyro non ſalſo inuncto, & ex vino loto, ſic non tantùm tumor abſumitur, ſed omnes humiditates vitioſæ ex toto illo membro tuberoſo extrahuntur, deinceps vix unquam aut rarò recrudeſcentibus ejusmodi tuberoſitatibus (ſi tumor hic non cedit, aperiatur ille, exprimatur, mundificetur) exemplum habui in nobiliſſimæ fœminæ brachio.

Cutis defœdatio externa eſt multiplex, ut ſunt puſtulæ, veſiculæ, verrucæ, ficus, ſcabies, ſerpigines, lichenes & aliæ ſpecies variæ, innumerabilesque, quæ hanc varietatem ſortiuntur pro ratione ſubjectorum. Cutis defœdatio.

Extra nimirum controverſiam eſt, luis venereæ in externo habitu corporis tot ſpecies reperiri, quot penè ſunt individua, veneno nempe ſeſe humoribus corporis ſeu potius cum ſangvine ita distẽperante, ut quotquot varietates ſalium in ſangvine dominentur, vel etiam lateant, tot etiam diverſitates extrinſecus appareant, efflorеſcentiâ nempe tanquam fructu dirigente ſeſe ad naturam, & ſuæ radicis mineram.

Iſthæc omnia externa cutis vitia curis internis, præſertim mercurialibus plerunque cedunt, & ſanantur. Sæpenumerò tamen contumacia morbi tam altè radices egit, ut internis medicamentis ad peripheriam corporis pertingentibus quidem, nihilominus ex toto mali mineram in habitum corporis transplantatam, ibique radicatam averruncare nequeant. Ut itaque in hisce caſibus ſolertia Medici ubique præſens ſit, ſic procedendum.

Ad puſtulas.

I. *Puſtulæ & exanthemata ſic curantur:*

℞. *mercurii vivi ℥iiij.*
argenti ℥ij.

ſolve utrumque ſeorſim in aqua forti, ſolutiones poſtea confunde, & ex ſolutis deſtilla in arena aquam igne valido per retortam vel cucurbitam. Liquorem prolectum deſtilla in leni balneo, donec nihil amplius progredi videatur, liquorem reſtitantem ſerva. Cum hoc liquore tange plumaceolo puſtulas, verrucas, veſiculas ſeorſim quotidiè bis vel ſemel tantùm; & protinus nigreſcunt & emoriuntur talia: relinque ita (non ulterius inungendo) per quatriduum, & ſponte cadunt cruſtulæ, quandoque butyro recenti illinendæ, ſi ſponte cadere nolint: poſt caſum ℞. ſachari ſaturni in aqua roſarum diſſoluti, locum relictum illine plumaceolo aliquoties (vix novies antequam ſanentur) cum hac ſolutione etiam ſanantur lituræ, evaneſcentibus ſimul rubeis maculis.

Oleum.

II. *Idem præſtat oleum viridis æris per deliquium, quod ita fit:*

℞. *viridis æris part. j.*
nitri part. ij.

m. & in catillo ſuccende cum carbone vel papyro, donec deflagrarint, poſtea quod remanſit, ſolve deliquio in cella, aut ingere in veſicā ſuillam, quam diligenter clauſam merge in aquam, & citò diſſolvetur (mittatur per bombacē) hujus uſus idem eſt cum ſuperiore.

Scabies ſerpiginis & fiſſuræ.

Scabies ſerpigines, lichenes, item fiſſuræ in volis manuum & plantis pedum præcedentibus univerſalibus haud exterminabiles tandem ſic curantur optimè: ℞. *axungiæ porcinæ quantum placet m. cum oleo tartari per deliquium facto, donec fiat unguentum acre (quod guſtu deprehendes) hoc unguento inunge partes dictas manè & veſperi.*

Quod ſi autem hoc unguento parum profeceris, loco olei tartari cum axungia porcina miſce oleum vitrioli, & fiet acrius. Quod ſi ne ſic quidem profeceris: ℞. *mercurii ſublimati ℥ſ. coque in aquæ perſicariæ* ℔*iſ.* (h) *in vaſe terreo vitreato (aqua plantaginis etiam prodeſt) donec mercurius ſublimatus planè ſit ſolutus, poſtea cola & ſerva.*

(h) Major aquæ quantitas ad mercurium ſublimatum in pulverem tritum accipienda eſt, aliàs aqua nimium acris fieret, inſervit etiam huc Aqua divina Fernelii ſupra cap. 149. deſcripta.

Cum hac ſolutione quotidiè bis locum affectum inunge ſeu tange, ſanabitur. Vide etiam de hac aqua infra.

Hæmorrhoides cæcæ.

Eâdem ſolutione hæmorrhoides cæcæ, mariſcæ in ano & obſcœnis

ſcœnis locis illitæ exſiccantur & cadunt.

Cautela. Nota: *Mercurius ſublimatus cum ſpiritu vini (quod à quibusdam Chymicis fieri ſolet) ne inungatur. Hic nimirum mercurius ſangvinem inflammat, & venenum à locis diſtantiſſimis ad cor defert, unde ſputationes cruentæ, aliaque ſymptomata graviſſima, tandemque ipſa patientis deſtructio.*

Ulcera externa. *Ulcera externa à lue venereâ rectiſſimè mundificantur cum oleo olivarum (vel oleo papaveris expreſſo, quod eſt par vel melius) ſpiritu mercurii ſublimati rubro imprægnato, ut ſupra: vel mundificantur cum hoc ungvento:* ℞. *vitellum ovi ad duritiem cocti n. 1. deinde in ſartagine mellis optimi ℥j. liquefac leniter, & miſce vitellum beneficio piſtilli cum melle diligenter, donec abeant in medicamentum ſpadiceum ſeu brunum, quo utere; quod ſi idem acrius reddendum fuerit, admiſce ℈j. vel ℈ij. mercurii præcipitati diligenter. Hoc ungventum in ulceribus putridis item in fiſtulis Gallicis maximoperè utilè eſt & egregiè mundificat; quo tamen ita utendum fuerit, donec omnes partes putridæ fuerint remotæ.*

Ungventum mundificativum ex melle

Ungventum mundificativum compoſitum.

Quod ſi verò opus ſit ulteriori mundificatione, regrediendum eſt ad prius. Vulgò utuntur ungvento Ægyptiaco, ſed parũ proſperè (propter viride æris) in his nimirum ulceribus potius corrodendo quàm ſeparando operas ſuas abſolvit. Præterea Ægyptiacum oſſa nigredine (nota: ubi os carioſum, curatio irrita eſt, niſi caries avertatur vel chirurgi operâ vel aquâ mercuriali) inficit, quod omninò evitandum fuerit. Hæc verò ungventa talia non patrant.

Poſteaquàm ulcera probè fuerint mundificata, conſolidatio ſequenti emplaſtro perficitur, quod elegans eſt, & in aliis ulceribus putridis mundificatis valdè utile. Idem emplaſtrum ſanat vulnera non usquequaque profunda. Eſt præterea ſarcoticum & epuloticum præſtantiſſimum, fit autem hoc modo:

Emplaſtrum ſanativum ſimplex.

℞. *lithargyrii optimè pulveriſati ℥iiij.*
olei olivarum ℥VIII.

coque lento igne usque ad brunitatem; quo facto liquefac ceram in alio vaſculo pondere ℥ij. & liquefactam affunde lithargyrio, cochleari agita, & miſce diligenter, & forma magdaleones.

Quod ſi verò ulcera fuerint admodùm contumacia, ceu ſæpè ſolet fieri, ſubſtituatur emplaſtrum ſequens:

℞. *li-*

Empla-ſtrum ſanativum compoſitum.

℞. lithargyrii ℥ij.
ol. olivarum
lini an. ℥iij.
coque denuò ad brunitatem
cum ceræ liquefactæ ℥ij.
admiſce tandem
pulv. myrrhæ rubeæ ℥j.
lapidis calaminaris,
tutiæ pulveriſatæ (non præpar. vel extinctæ) an. ℥ij
miſce extra ignem (i) & ſerva.

(i) Quando prædicta maſſa brunitatem in igne conſequitur, tunc ſtatim ab igne removetur, & hæc ingredientia etiamnum extra ignem ſubagitando immiſcentur.

Fit tamen aliquando nihilominus, ut ulcera Gallica neutiquam ab ejusmodi penitus curari poſſint, in hoc caſu præſtantiſſimum eſt ungventum ſequens:

Ungventum.

℞. aloës epaticæ ℥ij.
croci martis ℥ſ.
thuris ʒij.
mumiæ ʒiſ.
mellis ℥j.
terebinthinæ ℥ſ.
vitell. ovi n j.
m. & contunde omnia, donec fiat ungventum, quod in petiis applicari, item cum turundis in foramina intrudi poteſt, præcedente ſemper ungvento mundificante alterutro.

Bubones

Solent porrò in lue venerea bubones circa ingvina apparere, præſertim quando ejusmodi infecta corpora febribus malignis corripiuntur.

Licet verò ejusmodi bubones ſæpius febrium peſtilentialium ſymptomata ſint, veneno nempe exonerante ſeſe ad locum ignobilem emunctorii inferioris: nunquam tamen tales extra infectionis tempus & modum inter peſtilentialia ſymptomata & ſigna referendi ſunt: apparent verò crebrius in ſangvineis, alioquin rarò vel nunquam, niſi graviſſimæ luis venereæ morbo apparent quaſi obnoxiis, occultante ſcilicet eleganti habitu corporis hoſtem inquilinum, eumque ad ingvina protrudente.

Hoc itaque modo ejusmodi tumores luis venereæ à peſte diſtingvendi ſunt.

Curatio bubonis.

Simpliciſſimus curandi modus eſt hujusmodi: I. maturandus eſt bubo cum emplaſtro diachyli (nam ſemper maturatione opus eſt) oleum tartari quoque nigrum discutiens eſt præſtantiſſimum, vel bufo aceto madefactus, & buboni impoſitus, quo intumeſcente remoto alius applicetur, quo emplaſtro vel bufone quotidiè bis appoſito, ut tandem emolleſcat: tandem ſcalpello aperiendus, & ſanies cum pure & cruore exprimenda; poſtea Opoteldoch applicandum, quod nunquam coaleſcere ſinit ulcus, priusquàm omnia

omnia fundamentaliter fuerint ſanata.

Cæterum in hac ipſa cura, quemadmodùm in reliquis omnibus luis venereæ ſymptomatibus, nihil remittendum eſt de interiore cura. Quinimò deprehenſum eſt ſæpè, ejusmodi extuberantias ingvinales ſolo repetito ſpiritu vel oleo mercurii ſublimati rubro tandem diſparuiſſe; minerâ nempe mali per internam mercurialem operationem funditus eliminatâ.

Ad veſicam cryſtallinam.

Recentiſſimum luis venereæ ſymptoma eſt veſicula cryſtallina, ita nempe vocant veſiculam ad glandem membri virilis adnaſcentem translucidam, indeque nominis ratio nata eſt.

Eſt alioquin lethalis, ſi remediis exquiſitè factis non curetur. Ferrum non patitur, nec leviter coaleſcit locus affectus, etiam remediis alioquin ulcerationibus venereis præſentibus. Solus ſpiritus tabaci laudem hic invenit, nihilominus internâ curâ ſubinde adminiſtratâ, quæ tandem feliciſſimè abſolvit omnia, ubi hæc ipſa veſicula prius fuerit mortificata (veſicula jam mortificata aliquoties hoc ſpiritu tacta ſponte evaneſcit) tangatur ergò cum ſpiritu tabaci quinquies ad ſummum, & ſponte evaneſcit, idque fiat jacente patiente, alioquin ad levem tactum ſpiritus tabaci ſtans procumbit humi bos (hoc eſt ſideratus cadit & convellitur) vide ſupra de tabaci ſpiritu. Hac luem venereã curandi methodo lucratum eſſe confeſſus eſt communicator aliquot mille aureos ducatos.

Idemque affirmare poſſum mihi in tota mea praxi nullam curationem felicius ſucceſſiſſe hac ipſa, quam perfectè & candidè jam vobis trado & communico.

Luis venereæ curandæ modi à variis (k) *varii excogitati ſunt.*

(k) Quidam magni faciunt, ſi accipiatur ℥ſ. mercurii vivi communis, & cum duobus albuminibus ovorum optimè conquaſſetur, donec redigatur ſimul in aquam, totaque hæc mixtura inducatur cingulo coriaceo, ac nudo corpori circumponatur per 4. ſeptimanarum ſpatium. Curatio per emplaſtrum

E vulgaribus ſequens eſt probatiſſimus: I. *Optimè purgetur corpus apozemate aliquo aut opiata; vulgò ſolum utuntur confectione Hamech cum electuario diacarthami aut è ſucco roſarum, v. gr. ℥iij. in decocto communi purgante.* II. *Poſt purgationem ſi adſit plethora magna, poteſt aperiri vena, aliter nullo modo.* III. *Hinc f. ungventum ex ℔j. vel pluribus axungiæ porci recentis ſi haberi poteſt, aut reſervatæ non rancidæ nec ſalitæ, & argenti*

vivi ℥ij. vel plus (l) *in ſucco limonum, vel quod melius, in terebinthina extincti.*

(*l*) Quàm noxia ſit inunctio argenti vivi articulis, multis demonſtrat Paracelſus, quem vide.

Ex hoc ungvento inungantur ad fornacem genua ac tibiæ, & ſi morbus vehemens eſt, etiam ſpina.

Quo facto IV. *ſenſim ſudor provocetur, cooperiendo ægrum inſtrumento ad hunc morbum proprio, cui circa pedes carbones imponantur ardentes, ut eò ſudet melius, oportet ut fiat in cubiculo calefacto, vel optimè clauſo, ut impediatur perſpiratio, & evacuatio integra fiat. Ungatur ſemel primis diebus tribus tempore matutino, 4. aut 5. matutinâ. Deinde bis in die ſcilicet tempore matutino, & tertia hora poſt prandium. Deinde iterum ſemel hæc inunctio continuetur, donec ptyaliſmus ſeu ſputatio appareat, qua præſente ceſſandum ab inunctione.*

Poteſt tamen ſemel atque iterum inungi, donec videas copioſè ſputum ex ore effluere, hinc abſtineat ab inunctione, & in lecto ſemper, ſeu hypocauſto calido conſervetur, donec ptyaliſmus ceſſet, qui tamen ſi ultra 8. aut 9. dies duret, fiat gargariſma ex aſtringentibus, ut piloſella, myrtho, centumnodia, balauſtiis &c. cui admiſcetur aquæ mortuæ aliquid, cum pauxillo mellis roſacei, aut ſolùm aquâ mortuâ diluatur cum decocto guajaci, & eo lavetur os.

Atque tum temporis gingivæ & os totum inflatur, ut nihil niſi panem in jure emollitum æger comedere poſſit.

Ubi ceſſat ptyaliſmus, dentes detergendi, & gingivæ, ut dictum.

Interim dum hæc fiunt pro potu ſemper ſit decoctio guajaci ſecunda.

Abſtineat etiam toto curationis tempore à ſalſis (m) *omnibus, & ſi fieri poteſt, à ſale communi.*

(*m*) Satis inſulsè hîc uſum ſalis iterum rejicit, quem paulò ante commendavit.

Cum fluxus ceſſavit, à liquidis abſtineat, & elixis utatur, & ſingulis diebus aſſumat bis decoctum guajaci aut ſimile:

℞. raſuræ ligni ſancti ℔j. Decoctum guajaci.
cortic. ejusdem ℥iiij.

f. infuſio in ℔XII. aquæ communis per 12. aut 24. horas. Coque ad medietatem, vel ut tertia pars reſtet, quod commodius, colaturæ ſumat ſingulis vicibus ℥iij. vel etiam ℥V. ex magmate ſeu reſidentia fiat decoctio ſeu bochetum in aliis ℔XII. aquæ communis, ita ut parum tantùm ebulliant. Huic potes addere aliquid cinamomi,

momi, liquiritiæ & paſſularum. Hoc decocto ſecundario utatur loco potus. Hæc ſudoris provocatio fiat manè, & tribus horis poſt prandium, ſemper in lecto aut ſtupha poſt aſſumptionem decoctionis.

Optimum autem eſt, ut quinto vel ſexto die purgetur per totum curationis tempus cum confectione Hamech, vel de citro, diacarthamo, aut de ſucco roſarum, ſi pauper ſit ſi verò dives, poteſt fieri ſyrupus magiſtralis aut apozema.

Poterit quoque ab initio paſtus interdum aſſumere fructus laxantes, pruna, ficus, poma cocta.

Si dolor adſit alicujus partis, applicetur parti dolenti emplaſtrum Vigonis cum mercurio, qui pro vehementia ſymptomatis duplicari, aut triplicari, aut quadruplicari poteſt.

Ulcera ſi adſint, ea leniter inungantur aqua forti, aut quod commodius, oleo ſulphuris aut vitrioli, quod ſi verò hac uti non placeat curâ, nec æger ob negotia domi reſidere poſſit, fiat modo ſequente:

Apozema.

℞. *rad. acori vulgaris*
cichor.
oxylapathi
ſcabioſæ
betonicæ
ſarſaparillæ an. ℥j.
paſſular. major. ʒX.
herb. cichorii
ſcabioſæ
betonicæ
chamæpitis
pimpinellæ an m.j.
adianthi mſ.
ſem. aniſi
melonum an. ʒiſ.
flor. cordialium p.iij.
f. in ſ.q. aquæ decoctio, de colatura ℞. ℔ij. *in qua coque*
fol. ſenæ orientalis,
ſem. carthami contuſi an. ℥ij.
hermodactyl. ℥iſ.
agarici trochiſcat.
epithymi an. ℥ſ.
In colatura ſolve
ſyrup. roſar. ſolutiv. ℥IV.
violar. ex multiplic. infuſione ℥iij.
mellis roſati colati ℥ij.
f. apozema pro 8. doſibus matutinis, aut alternis pro operationis ratione.

Aut fiat tantùm decoctum ex foliis ſenæ, & hermodactylis ana cum parte dimidiâ radicis ſarſaparillæ, & pauco rorismarini.

Tertio quoque die poſt & ante aſſumptionem apozematis deglutiat pilulam parvam cum terebinthina factam ex gr. VI. vel pluribus pro conſtitutione ægri mercurii præcipitati (facti cum aqua forti & aquâ ſalsâ) aut mercurii præcipitati cum auro à

gr. iij. ad V. ſeu tantùm mercurii præcipitati rubei communis ab acredine omni per edulcoratas ablutiones edulcorati.

Æger ſumat apozema quartâ horâ matutinâ, & ſe contineat usque ad nonam vel decimam horam, vel ſi fieri poteſt, usque ad meridiem, cum ſumpſerit mercurium poſt dies octo fiat ſequens decoctio:

Decoctum.

℞. rad. ſarſaparillæ recentis ℔ ſ.
ſcobis ligni ſancti ℥ IV.
chinæ non rancidæ ℥ ij.

Infunde in aquæ ℔ X per horas 24. poſtea coque ad conſumptionem duarum partium. De hac colatura aſſumat æger ℥ IV. cum olei ſulphuris gutt. 6. & ſudet in laconico, vel etiam in lecto tempore vel matutino vel tribus aut quatuor horis poſt prandium per dies decem ſi non admodùm inveteratus morbus ſit, ſin verò ſit inveteratus, per dies XV.

Interdum detur bezoarticum minerale ad ſudorem liberius provocandum, ſi laconicum præſtò ſit, cum ingreſſus eſt, relicto, ut reſpirare poſſit, foramine, per quod emineant oculi & nares, fiat ſuffumigium ex cinabari antimonii, & in defectu ejus ex communi ad ʒ j. & ſtyracis rubr. calamith. ʒ VI. (addi poteſt ſulphuris ʒ ſ. ol. ligni ſancti ℈ j.) aut cum pauca terebinthina fiant trochiſci.

Poſtquam per horam optimè ſudaverit, egrediatur in lectum optimè calefactum, & adhuc per horam dimidiam inibi aut quantum vires permittunt, ſudet. Hinc ſudor optimè linteis calidis detergatur, & ipſe ad conſueta redeat opera.

Utile autem erit, ut portet emplaſtrum magnum, imprimis ſi morbus ſit inveteratus, ex emplaſtro Vigonis cum mercurio, ad formam ſcuti lati, quod homoplatos & ſternum usque ad lumbos integat.

Potus ſit decoctum ex magmate decocti ſudoriferi cum liquiritia, cinamomo & paſſulis quocunque modo ad ipſius ægri palatum paratum.

Optimum eſt ut ſudet tribus horis poſt meridiem, & ſumat tempore matutino hauſtum dicti decocti cum ʒ j alcoholis ſerpentum, de quo ſupra in aſthmate & elephantiaſi: Quinto quovis die purgetur cum panchymagogo noſtro, cui gran. IV. mercurii præcipitati addi poſſunt, aut etiam ſolo mercurio dulci.

Si ulcera habeat aut tophos, aut eroſiones, coque guajacum, donec decoctio tota fiat inſtar lactis craſſa, & exprimatur. Cum expreſſo lavetur manè & veſperi & ſuperponatur emplaſtrum Vigonis cum mercurio duplicato aut tripli-

triplicato. Item ea de quibus ſupra.

Aqua mercurialis.

Aqua mercurialis:

℞. *mercurii ſublimati minutiſſimè in mortario triti* ℥ß. *affunde aquæ plantaginis* ℔ jß. *ſolvatur in B. leniter, in fine ebulliendo, ſepara à fecibus per filtrum trajiciendo: poſtea funde in patinam ſtanneam mundiſſimam, ac relinque per tempus exiguum, & denigrabitur patina; quo facto ea dem aqua in aliam patinam mundam infundatur, quoad prior patina à ſua nigredine fuerit viciſſim purgata. Dein ubi denigrabitur altera quoque patina, eandem quoque aquam alteri patinæ rurſus injice, idque per vices repete, donec nulla amplius nigreſcat patina, ſed maneant albæ, quod decimâ aut duodecimâ vice fiet. Serva poſtea ad uſum aquam, quæ albi coloris erit, hac utere ad ſananda ulcera præſertim à lue venereâ orta, tam in ore quàm in pene. Item ad mundificandum cancrum. Quod ſi fortiorem deſi deras, ſex infuſionis vices in patinas ſuffecerint, uſus ejus eſt ſal tem cum penicillo, ulceribus leniter hinc inde contactis.*

Dictam hactenus curam inſtituere oportet aëre exiſtente calido, aut providendum, ne æger egrediatur in aërem frigidum.

Si incipiens morbus ſit, utatur apozemate dicto cum mercurio præcipitato ut diximus; dein dicto ſudorifero ſingulis matutinis, ſine tamen ſudoris provocatione, tantùm poſt illud aſſumptum ſeſe exerceat, & utatur decocto ſecundo in paſtu loco potus.

Purgetur quoque quinto quovis die, ut dictum.

Si adeſt gonorrhœa, utile erit exhibere præcipitatum viridem, aut gummi guajaci, quibus exhibitis propinetur terebinthina, quæ abluta aquâ violarum cum vitello ovi teratur, ac cum decocto ſarſaparillæ potabilis fiat.

Si adeſt virium imbecillitas, perlæ ſolvantur in liquore acido guajaci, ea denique ſolutio ſæpius à ℈ß *ad* ℈j. *offeratur, quæ deſtillatio guajaci ſit in retorta lutata in igne patente ad modum ſpiritus ſalis, primo ſcilicet appoſito recipiente amplo, fiat ignis lentus, & deſtillat liquor clarus, ignis hoc modo continuetur per 6. aut 8 horas, hinc ſpiritus apparere incipiunt in forma nubis, quod ubi fit, ignis augeatur per gradus, & continuetur, donec omnes ſpiritus egreſſi ſunt, hoc eſt cum non amplius nebuloſum exiſtit recipiens, ſed clareſcere incipit. Liquor hic deſtillatus affundatur raſuræ ligni recenti, & impaſtetur, deſtilleturque per cuburbitam in Bal-*

neo ad ſiccitatem. Liquorem hoc modo deſtillatum rectifica, & exibit primò phlegma inſipidum, cum guttæ acidæ ſtillare incipiunt, muta recipiens, & liquorem acidum ſeorſim excipe; hoc ſolve perlas pulveriſatas, quemadmodùm aliàs ſolvuntur aceto.

Præcipitatus ſeu lacerta viridis.

Præcipitatus viridis (lacerta viridis quibusdam dictus) fit hoc modo; ſolve mercurii ℥iij. in aquæ fortis ℥VI. & ſeorſim ſolve ℥j. cupri in aquæ fortis ℥ij. ſolutiones conjunge, deinde ex arena per retortam deſtilla aquam fortem, urgendo ſub finem ignem vehementius, ut maxima pars ſpirit tuum corroſivorum tollatur, quod in fundo reſtat, tere, & cum aceto deſtillato in cineribus per dies 6. digere, ultimo ebulliendo, ut potiſſima pars mercurii in acetum ſolvatur, acetum imprægnatum decanta, & leni igne deſtilla ad ſiccitatem, & mercurius præcipitatus in fundo reſtabit viridis. Specificum eſt in gonorrhœa virulenta luis Gallicæ à gran IV. ad VIII. in conſerva roſarum exhibitum.

CAP. CLXXIV.

DE SCORBUTO; Germ der Scharbock.

QUemadmodùm capite præcedente rationes adduximus de lue venerea, quod etiam antiquitus graſſari potuerit; ita ſimiliter & multo magis idem de morbo hoc, quem vulgo *ſcorbutum vel ſcurbutum* appellant, ſuſpicamur, quod nimirum ſit antiquiſſimus, ac procul dubio ferè ejusdem antiquitatis ac navigatio, quatenus nimirum conſimili victu nautico, ut hodie nautæ ſolent, olim navigantes ac diu in mari verſantes uſi fuerint, à quo ordinario curſu ægritudinem talem provenire, aliquando in proprio corpore, licet temperamenti ſangvinei, & in flore ætatis conſtituto experti ſumus, ejusque inſtantaneam meliorationem cum mutatioue nutrimenti & aëris.

Scorbutus eſt morbus antiquiſſimus.

Vocem ergò *Schorbuck & Schuerbuyck*, ut plebs maritima Germanica hunc morbum appellat, compoſitam eſſe putamus ex duabus antiquis vocibus *ſcelotyrbe & ſtomacace*, nam ut plebs mox nomina corrumpit & aliquot ſyllabas in unam contrahit, ut patet ex voce Conſtantinopolis, quam plebs Turcica vocat Stampol; ita procul dubio pro ſcelotyr dixit ſcor vel ſchor, ultimamque prioris vocis be & integrum alterum vocabulum ſtomacace contraxit in back, poſtmodum verò etiam ſcorback aliter depravavit, ſub præfatis enim nominibus, atque etiam oſcedinis & volvuli ſangvinei ſcorbuticum malum veteribus notum fuiſſe, deſcriptiones eorum huic morbo convenientes oſtendunt. Hippocrat. enim lib. de internis affectionibus text. 24. & 29. hæc habet: *Venter inflatur, poſtea verò etiam ſplen intumeſcit, & durus eſt, & do-*

& dolores acuti in ſplenem incidunt, color autem mutatur, & conſpicitur niger, pallidus, malicorii ſpeciem referens, & ex aure malè olet, & gingivæ male olent, & à dentibus diſcedunt, & ex tibiis ulcera erumpunt, velut puſtulæ nocturnæ, membra verò attenuantur, & ſtercus non ſecedit.

Item Celſus qui ſeculo primo à nato Chriſto vixit, lib. 2. cap. 6. *Quibus* (inquit) *lienes magni ſunt, his gingivæ malæ ſunt, & os olet, aut ſangvis aliqua parte prorumpit, è quibus ſi nihil evenit, neceſſe eſt in cruribus mala ulcera, & ex his nigræ cicatrices fiant.*

Similiter & Ægineta de ſcirrho ſplenis lib. 3. cap. 49 *Hoc* (ait) *vitio preſſis os fœtet, gingivæ exeduntur, ulcera in cruribus cicatricem non recipiunt;* Et Avicenna de ſignis apoſtematum ſeu tumorum ſplenis ita ſcribit: *In duritiis ſplenis quandoque lingva denigratur, & ſentitur durities ejus, absque rugitu cum premitur, niſi aggregetur ei inflatio. Et non eſt cum ea febris inſeparabilis. Imò quandoque eſt ſecundum ordinem, & quandoque cum ea multiplicantur ulcera crurum, & corroduntur dentes & gingivæ propter groſſitudinem ſangvinis, qui deſcendit in ulcera crurum, & propter corruptionem vaporis, qui aſcendit in omnes partes gingivarum & dentium.*

Cum ergò hæ deſcriptiones majori parte cum ſcorbuto conveniant, exinde liquet, hunc morbum etiam tunc temporis licet ſub alio nomine notum fuiſſe, & inter affectus ſpleneticos referendum eſſe. Neoterici verò negant, partem heîc affectum eſſe lienem, vel etiam propriè licet in conſenſum tractum hepar, ſed ſolùm affici ventriculum, & glandulas meſenterii, ita ut hic morbus nil aliud ſit, quàm prava totius corporis nutritio, quod quidem verùm eſt, ventriculum nimirum affici, verum enim verò hepar & lienem non per conſenſum ſed mox primariò hoc morbo incipiente affligi, mala indicat ſangvificatio, quæ quod principaliter tribuenda ſit hepati & lieni, utriusque morbi evincunt, quamprimum enim alterutrum horum viſcerum malè habet, confeſtim vitioſus paratur ſangvis, utcunque ventriculus ſuo munere non deſtituatur.

Signa ſcorbuti quamplurima & varia ſunt, at vix unquam omnia in uno aliquo ægro concurrunt, præcipuè autem hæc plerunque obſervantur: æger valdè melancholicus eſt, piger & interdum ſomnolentus, laboratque gravitate corporis, & difficultate reſpirationis, cum præcordiorum anguſtia, cordis palpitatione, ventriculi inflatione, imprimis poſt aſſumptum cibum, ventris & ſiniſtri lateris tenſione, crurum debilitate dolorificâ, gingivarum laxitate & pruriginosâ rubedine & dolore, ac ex quovis levi attactu cruentatione, nec non faciei colore plumbeo ſeu pallore atreſcente. Hæc autem dum antea incipere ſolent mitius & cum obſcuro ſenſu, ideòque ab inadvertentibus in principio parùm Signa ſcorbuti.

ſenti-

ſentiuntur, præterquàm in corporis exercitatione, procedente autem tempore magis atque magis ingraveſcunt, ſequiturque oris graveolentia, laxa & ſangviflua gingivarum intumeſcentia, dentium vacillatio, crurum plumbeæ purpureæque maculæ, lentiginesque innumeræ, quarum macularum proruptio & diffuſio in cruribus interdum tam frequens eſt, ut quaſi una videatur macula, crura quoque invaleſcente ægritudine adeò debileſcunt, ut omnimoda ambulandi impotentia ſuccedat, & deliquioſa anhelitus difficultas, continuòque decumbere æger cogatur, nam ſi aliquantulum ſe moveat, aut erectus aliquandiu maneat, ſemianimis ferè fit præ defectu ſpiritus, ac rurſus decumbens melius habet, & liberius reſpirat, ac plerunque ita decumbens cibum benè appetit & ferè non ægrotare ſe exiſtimat, at ſub ullo erectionis motu mox animo linquitur, in quo animi deliquio nonnulli inopinato exſpirant; aliquibus crura maculoſa adeò intumeſcunt, ut elephantiaſin pati videantur, aliis econtra tantoperè attenuantur, ut tanquam aridi baculi præter oſſa & cutem nihil habeant; non nulli ſemper alvo aſtricta afficiuntur, alios continua lubricitas vel diarrhœa moleſtat, quidam vomunt, ſalivant, ructuoſi ſunt, ſingultiunt, tremunt, flatuoſi & laſſi ſunt, cunctis autem ſcorbuticis putredo oris & gingivarum eroſio, & ſangvinolenta exſudatio laxitasque cum nigredine & vacillatione dentium obvenit, halitus graviter fœtet, pulſusque modò fortis modò debilis at ſemper inæqualis eſt, ſalivatio ut plurimum adeſt multa, quidam benè appetunt, alii inappetentes ſunt, dolores quoque in ſcorbuto varii comitantur, ac vehementes, imprimis in cruribus, ſub veſperam & noctem magis lancinantes, ut & in manibus ac pedibus circa talos plantasque non nunquam etiam in nucha, dentibus, maxillis, imò arthritico modo per totum corpus ſed vagantes, atque ita arthritidem vagam ſcorbuticam efficientes, quidam quoque atrophiam & marcoremque corporis incurrunt, præcedentibus ſudoribus copioſis, alii demum hydropici fiunt.

Cauſæ. Cauſam hujus morbi moderni percelebres Practici ſtatuunt pituitam ſeu lympham craſſam, ventriculum, glandulasque meſenterii obſidentem, nec non ſuccum pancreaticum, unde chylus indies depravetur, & propter iſtam lympham craſſam non poſſit niſi ſeroſiori ſuâ parte glandulas lacteas tranſire, at ſi hæc ita ſe habeant, omninò neceſſe foret morbum hunc longè communiorem, & non ita ſolummodò accolis maris ſeptentrionalis ſpecificum eſſe, temperamentum enim aëris, victusque per plurimas Germaniæ regiones ferè æqualia ſunt. Debebat ergò etiam innumeris lympha ejusmodi craſſa gigni. Quid ſi quoq; per contagium plurimi integerrimę conſtitutionis ſcorbuto inficiantur, putredoque prius in ore incipiat, uti obſervavimus, poteritne tam citò incraſſatio lymphæ fieri, & quidem omnium

omnium primo in ore, ſalivâ nihilominus aquoſâ permanente,& indies magis & fermè aquoſiori ad os confluente. Præcipuam ergò cauſam eſſe arbitramur pravum victum nauticum, nec non halitum maris zonæ frigidioris crudâ ſalſedine plenum, in calidioribus enim regionibus hoc non ita contingit, eò quod ob longè majorem Solis calorem ſalſedo maris ibi poſſit maturari, ut ipsâ mechanicâ demonſtrari poteſt, mare enim in hisce frigidioribus oris non ita ad coctionem ſalis marini habile eſt, ut in Hiſpania & aliis locis calidioribus,ſequitur ergò ſalſedinem maris ob frigiditatem non maturari, ſed potiorem partem manere crudam,& volatilem, & unà cum vaporibus aquæ continuò ſurſum halari, & poris aëris inferri, ubi poſtmodùm ab accolis maris inter reſpirandum attrahitur, & in pulmonibus ſangvini miſcetur, in calidis quidem regionibus, pariter plurimum ſalis halituoſi vaporetenus aſcendit, uti in ollis culinariis apparet, è quibus juſcula ſalita odorem ſalſum ſpirant, inſulſa non item, at iſta vaporans ſalſedo matura eſt, & homini ſalutaris, immaturam verò homini inſalubrem eſſe hinc patet, quod omnia cruda etiam longè optima homini nociva ſint, & prius per coctionem ſolis & ignis maturari debeant. Accedit in his oris maritimis victus craſſus & pravum ſuccum in corpore gignens, qualis ab antiquo tempore in uſu fuit. edunt enim in navibus panem biscoctum aridiſſimum, carnes & piſces fumatos & ſale conditos, lardumque rancidum, butyrum & caſeum antiquum, piſa & hordeum in craſſam pultem paratum, bibuntque cereviſiam craſſam, utuntur etiam multo allio & cæpis, ex hisce ergò craſſis & exoletis eduliis parum ſpiritus ardentis continentibus non niſi vitioſus ſangvis generari poteſt, quamprimùm enim alimenta laudabilia & boni ſucci in ventriculum deſcendunt, imò in ipſa lingva & palato etiamnum hærent, totum corpus ſpiritu illo ardente, quem arteriæ aſſugunt,recreatur, exhilaratur, & à potulentis multum ſpiritum ardentem vehentibus inebriativam vim ſentit, dum adhuc in ſtomacho morantur, id quod luculento eſt teſtimonio, nutritionem ſtatim in ipſo ventriculo incipere, ex quo corroborativa & exhilarativa virtus illicò poſt aſſumptionem per omnia membra ſentitur, ita ut conjecturabile ſit, venas, arterias & nervos ad os ſtomachi pertingentes extemplò optimam partem allicere, & in ſuccum ſui ſimilem fermentare,ſcilicet ex hisce cibis & potibus, qui talem nutritivam ſubſtantiam in ſe continent, at ſi quis cibos fumatos, ſale conditos & hujusmodi edat & bibat, qui talem ſuccum recentem,euchymum,ſpermaticum & ſpiritu ardente divitem non vehunt,tunc talis exhilaratio non ſentitur, ſed potius gravamen, cum enim arteriæ, venæ & nervi commodum ſuccum non inveniunt,quem mox aſſugant,tunc quaſi contriſtantur, & ſic ſenſim melancholica diſpoſitio introducitur,

quæ paulatim corpus & ſangvinem refrigerat, & fermentum corruptivum ſcorbuticum efficit, quod poſtmodùm ſimili fermento etiam alios in ſimili aëre verſantes fermentare poteſt.

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, ſcorbutus quidem gravis eſt morbus, at ſanabilis, ſi opportunè remedia adhibeantur, & congrua diæta, quæ præcipuum eſt remedii genus, prout quoque victus pravus potiſſima ejus cauſa eſt, conjuncta cum præfata ſalſedine aëris cruda, ex qua hic morbus accolis maris Septentrionalis adeò familiaris eſt, ut etiam in aliis morbis ferè ſemper ſcorbutici quid admixtum ſit, prout etiam Practici ſagaces cunctis ſuis remediis antiſcorbutica etiam in aliis affectibus magno cum fructu attemperant, difficilis reſpiratio & pulſus debilis in hoc morbo non ita periculoſa ſunt, ut in aliis morbis, maculæ quoque magni momenti non ſunt, at ſi degenerant in ulcera maligna, tunc difficillimæ ſunt ſanationis, & quandoq; totalem partis corruptionem & ſenſus abolitionem inducunt; ſi in hoc morbo diæta negligatur, & opportunè medicamina non adminiſtrentur, morbus ſenſim incurabilis fit, & totum corpus cachecticum efficit, ita ut plerunque ægri diarrhœam vel lienteriam diuturnam incurrant, demumque hydropici, vel hectici, vel inopinatò ex animi deliquio moriantur.

Curatio. Curatio hujus affectus frigidi & melancholici conſiſtit in ejus contrario, nimirum in calefactione, & attenuatione ſucci craſſi & tenebroſi, quod fit per medicamina calefacientia & diuretica, nec non ſpecificâ proprietate hunc morbum oppugnantia, qualia ſunt becabunga, naſturtium aquaticum, cochlearia, raphanus uterque, ſedum minus, centaurium minus, ſinapi, arum, carduus benedictus, fumaria, chelidonium minus, cunctaque ſalia volatilia, venæſectio hîc planè nihil valet, quia adhuc magis refrigerat, ſcorbutici verò jam pridem ex nimia frigiditate laborant, purgantia quoque vehementia plus nocent, quàm proſunt, tam hîc quàm in omni prava corporis ſucculentia, ubicunque enim ſangvis pravus eſt, ibi quoque vires langvent, & à vehementibus purgantibus adhuc magis dejiciuntur, omnia quoque ſaccharata hic obſunt, ob commotionem & fermentationem quàm excitant, leniora autem lenientia & laxativa proſunt, quibus proinde ut & injectione clyſteris initium faciendum. Specifica ſimplicia ad ſcorbutum.

Antequam autem lenis evacuatio inſtituatur, corpus prius præparandum eſt, quod fit hoc modo: ℞. duas vel tres radices raphani majoris ſeu armoraciæ mundatas, rade eas cultro in pulmentum, vel etiam omninò contunde, tum ſuperfunde vini albi non usque adeò fortis ℔ij. macerentur in loco frigido per horas 24. vel loco vini ſerum caprinum ſuperfunde, poſtea contunde recentem cochleariam vel naſturtium aquaticum, affundendo ſimul parum hujus vini infuſi, & exprime ſuccum, cujus unum vel alterum cochle- Præparatio corporis.

cochlear plenum cum tribus vel quatuor unciis præfati vini manè & tantundem veſperi ebibendum.

Pulvis præparans.

Vel ℞. tartari vitriolati ℥j.
ſalis abſynth.
prunell. an. ʒß.
ocul. cancr. crud. contuſ. ℈j.
m. f. pulvis dividatur in 6. partes, omnique mane & ſero una pars in vino albo accipiatur.

Vel rad. armoraciæ ℥ij. coquantur in ℔j. ſeri caprini, in colaturæ ℥ij. inſtilla gutt XII. vel XV. ſpiritus ſalis armoniaci pro uno hauſtu manè & veſperi aſſumendo

Deinde aſſumatur lene purgans, ex. gr.

Purgans lene.

℞. cremoris tartari ℈ij.
pulv. jalapp. gran. XV.
m. impotetur in cerevifia calida vel julepulo.

Poſt purgationem prædictum armoraciæ decoctum vel infuſum continuabis per aliquod tempus, ſemper cum inſtillatione aliquot guttarum ſpiritus ſalis armoniaci, vel ſalis marini dulcificati, quod fit hoc modo:

Spiritus ſalis dulcis.

Deſtilla ex ſale marino ſpiritum, ut moris eſt, cujus accipe q. pl. & tantundem ſpiritus vini, ex ipſo vino albo generoſo & non fecibus vini deſtillati, deſtillentur ſimul ter vel quater, donec probè uniantur. Si loco ſpiritus vini rectificatus ſpiritus ardens cochleariæ ſumatur, magis proderit.

Sequenti experimento innumeri curati ſunt:

Experimentum

℞. ſummitatum conulorum abietis jam jam pullulantium (die Spitzen der jungen Danzapfen) coquantur in cereviſia, donec craſſiuſcula mellago ſuperſit cujus cochleare unum pro vice in calida cereviſia bibitur, & in lecto ſudatur, quod per aliquod tempus continuandum; idem etiam præſtat decoctum chinæ vel ſarſaparillæ vel ebuli, vel lappæ majoris cum tinctura tartari; plura habet

Aliud.

TEXTUS.

Quemadmodùm lues venerea propriam ſedem ſibi epar eligit, totamq; œconomiā ſanguinis exinde inficit; ſic ſcorbutus (vide Reusnerum, Horſtium, Sennertum) pro habitaculo proprio occupat ſplenem.

Uterque morbus videtur veteribus incognitus haud fuiſſe, quantumvis gradibus ſeu accidentibus ſubinde vel acutiores, vel magis eminentes extiterunt.

Familiaris eſt admodùm maritimis, & ultra pelagus vectis.

Cauſæ antecedentes ſunt ſpiritus ſalini, vaporoſi, & à ſulphure ſuo deſtituti, juxta mare ab aſtris elevati, ſed non percocti, quos maritimi & navigantium turba ad ſe trahunt inſpirando & exſpirando.

Ejusmodi ſpiritus primùm inficiunt pulmones, inde ipſum epar & venam portæ, tandem tartareæ feces ad ſplenem & vicinas partes reſidentes tales impurita-

tes eò derivatas homogeneâ quaſi ſalini principii conformitate gaudentes ad ſeſe rapiunt, & non tantùm ſubſtantiam ſplenis, ſed omnes venulas & ductus in eadem obſtruunt.

Hinc ſubſequitur melancholia, triſtitia, virium imbecillitas, membrorum laſſitudo, coloris vividi in lividum & luridum permutatio, cutis elephanticam contrahit duritiem, erumpentibus ſquamulis tenuibus ſiccis & perduris. Vertigo infeſtat caput, ſomnus imminuitur, nec naturaliter procedit, quin & dormituriunt interdum, ſed ſemper cum anxietate & terrore; cor palpitat, & macies totum corpus conſumit, ſæpè in principio gingivæ contabeſcunt, cum maculis & lituris cœruleis in ambitu inſtar aphtarum albeſcentibus, dentes vacillant & malè olent; viris fit ſperma aqueum & tenue; fœminis menſes ſubſiſtunt, aut in fluorem album degenerant, muſculi & carnes in ſe quaſi abſumptæ contrahunt cariem intus ſubtili & mordaci humiditate pertentatur, œconomiâ ventriculi vel maximè imminutâ, vel prorſus læsâ; corpus exterius, præſertim ubi muſculi ſunt firmiſſimi, inficitur maculis cœruleis ſubinde evaneſcentibus, paulòque poſt alibi in cute apparentibus; pedes fiunt œdematoſi cum fœtidis ulceribus; fœminæ hunc morbum poſſunt ferre ad annos XV. vel XX masculi non ultra ſeptennium vel octennium, diutius haud affliguntur.

Quandoquidem in hoc morbo obſtructiones interiorum viſcerum epatis & ſplenis maximè vigent, à quibus venæ meſaraicæ haud immunes ſunt, ante omnia illæ ſunt removendæ.

Tartarus vitriolatus primò digeſtivi loco ſumptus, vel in juſculis aut in decocto, vias primas expedit, ſecundarias non negligit, quas deinceps ſpecificum purgans elegantiſſimè liberat, ſi per aliquot dies continuè in extracto ellebori propinetur.

NB. Mercurius hîc planè exulat. Nam primò ad ſuperiora aſcendit, adeòque fluxiones auget, unde ſymptomata invaleſcunt. Secundò non expedit hic obſtructiones, quanquam in lue venereâ. Notanda

Antimoniata hic plurimum poſſunt.

Specifica ſunt I. Eſſentia cochleariæ & becabungæ, arcana horum magnoperè laudantur. Specifica

II. Eſt elixir proprietatis Paracelſi.

III. Tinctura corallorum vera.

His omnibus mirâ efficaciâ tinctura lunæ ſuccenturiatur, præ-

ſertim

ſertim ubi caput ſcotomiâ labefactatum fuerit.

Feliciſſimo igitur curam ſcorbuti etiam inveterati abſolveris, ſi præmiſſis mundificantibus tandem ad ſpecifica progreſſus fueris.

Decoctum radicis chinæ hic multum poteſt pro potu ordinario, & demum pro vehiculo, quo nempe ſpecifica exhibeantur: pauperibus ligni ſancti decoctum cum cochlearia proſunt, quibus tamen non deneganda ſunt ſpecifica.

Nota: *Feliciſſimè totum negotium expedieris, ſi deinceps poſt univerſalia ſingulis diebus, ubi matutinis horis ſpecifica fuerint exhibita, veſperi iturus cubitum per aliquot dies aqua philoſophica ſeu ſulphure vel tinctura tartari utatur (gj. vel ij. ad ſummum) quæ parata eſt cum ſpiritu vini, extrahendo nimirum tincturam ſalis tartari (h e. ſpiritus vini tartariſatus) vide ſupra de alvi ſegnitie, & annotata ad Crollium.*

Ad dentes elabentes & exulcerationem gingivæ. *Dentium prolapſus, & gingivarum exulceratio vel ab hac cura generaliter aut particulariter, quemadmodùm ſupradictum eſt, tollitur. Unicè commendatur aqua illa viridis comperta, ſupra de ozænis deſcripta.*

Ulcera oris. *In ulceribus oris* (a) *aqua radicis enulæ, item aqua poſt extremam ſpecifici purgantis extractionem incoagulata gr. X. pro una doſi, de qua infra de gangræna.*

Tinctura gummi laccæ. *(a)* Tinctura gummi laccæ cum ſpiritu vini extracta eximiè ad putredinem gingivæ valet.

Vel ℞. ſpir. cochlear. q. ſ. extrahe cum eo gummi laccæ flor. aquileg. ſingula ſeorſim, poſtea conjunge, & ſpiritum ſuperfluum abſtrahe, reliquâ tincturâ os colluito.

Maculæ ſponte evaneſcunt poſt benè correctum corpus, ideòque peculiari auxilio non egent.

Ulcera tibiarum. *Ulcera hinc inde præſertim in tibiis manantia curantur eo modo* (b) *quem diximus jam antea.*

(b) Innuit etiam ea quæ ad ulcera oris commendata ſunt, ad alia ulcera inſervire, verùm in tibiis requiruntur fortiora, valet hic decoctum calcis vivæ recentiſſimæ cum ſucco becabungæ temperatum, vel etiam ſola becabunga in cereviſia cocta, ac bis vel ter in die applicata.

Euporiſton ad iſta ulcera. *Euporiſton eſt, ſi ſummitates rubi idæi decoquantur in vino, quo ulcera eluantur, & poſtea cum decocto foventur.*

Hic morbus ſæpè recurrere ſolet præſertim in diſpoſitis, ſæpè latenter ſerpit, & clanculùm familiam ducit.

Quod ſi verò corpus ſtatis temporibus mundificetur, optimaque diæta cum legitima ſex rerum non naturalium obſervatione inſtituatur, rariſſimè truculentiam

ſuam promit. Plerunque quos ſemel invaſit, rarò deſerit.

Eſt tamen ab evidenti hac cura ſperandum illud, & certè obtinendum, nullum ſcorbutum tam deformem extitiſſe unquam (ſi cætera ſint paria) qui felici manu, & dextrè adhibitis ſpecificis curari non potuerit (c) *modò ad ſolertiam Medici accedat quoque prudentia, & rectè faciendorum cupiditas.*

(c) Medicamenta mercurialia in ſcorbuto non convenire cum Autore ſtatuimus, ſcilicet in paroxyſmo at eo ſublato habitus ferè totus eis poteſt immutari, & ſangvis adeò mundari, ut tam facilè ſcorbutus non revertatur, vidimus enim in melancholia hypochondriaca ſperatam curationem veniſſe à præcipitato aureo, ubi cætera omnia fruſtra fuiſſent adhibita.

Hujus curationis experientia nititur aliquot nobilium Weſtphalorum teſtimonio, qui adhuc quotidiè gratitudinis ſpecimina mihi edunt. Tantum de ſcorbuto, ſequuntur nunc febres cum curis ſuis.

CAP. CLXXV.
DE FEBRIBUS, AC PRIMO DE FEBRE EPHEMERA; Germ. das Fieber ſo nur einen Tag wåhret.

FEbris eſt fervor ſeu efferveſcentia naturæ corporis humani, quam neoterici Philoſophi Archeum vocant, ad expellendum noxium; veteres enim dixerunt quoque februo i. e. ferveo. A Græcis febris dicta fuit πυρετὸς à verbo πυρέττω i. e. febricito, hoc verò verbum deduxerunt à vocula πῦρ i. e. ignis, & ἕξις i.e. habitus vel diſpoſitio, quaſi dicerent: febrientem igneſcere. Definierunt enim antiqui febrem, quod ſit converſio caloris nativi in igneum, qui calor igneus accendatur in corde, & per totum corpus vel maximam ejus partem transmittatur per venas & arterias, niſi impediatur, omnes operationes corporis ac functiones lædens Calorem autem nativum in omnibus ſpecialibus creatis qualia ſunt omnia diſtingvibilia ſeu univerſæ ſpecies in regno animali, vegetabili & minerali, ſtatuerunt duplicem ſeu duplicis radicis, nempe ex una parte æthereum & cœleſtem, ex altera verò elementarem; ætherea pars ſit quidpiam ſupra naturam elementorum, nullaque eorum qualitate imbutum, ſcilicet neque calidum vel frigidum, ſed quaſi naturæ eſſentia quinta, quæ nullo ſenſu, ſed ſaltem ratione ac mente comprehendatur, omnibusque creatis ſeminibusque ſpecificis in primo eorum ortu tanquam ens formale ſpecificum indatur, à quo etiam uniuscujusque forma, qualitas, color, odor, ſapor & virtus formetur, vegetetur & conſervetur, atque etiam in his, in quibus calor nunquam ſenſibus deprehendatur, uti ſunt ranæ & piſces in frigidiſſimis aquis, bufones in frigida terra,

ra, herbæque non ſolùm frigidiſſimæ, ſed & calorem vitæ extingventes, ut cicuta, papaverque opiale, æquè ac in calidis potenter dominetur. Hoc calidum æthereum in humido radicali ſeu ſeminali habitans primò cor in animali formare, & quamprimùm hoc fiat, etiam ſimul ex aëre attracto & vapore ſangvinis excitari calorem elementarem tactu perceptibilem, impoſterum cum priori æthereo unum quid conſtituens, ac per arterias in totum corpus distribui, à quo omnes corporis particulæ continuo in vita, motu & nutricatione conſerventur. Hujus caloris elementaris ſubjectum eſſe ſangvinem, à quo & juſto copioſiori vel pauciori continuò obnoxius ſit alterationi, ita ut vel nimium intendatur ſeu extendatur, ex quo febres ac morbi calidi, vel impenſius remittat, ex quo morbi frigidi.

De hoc calore in ſangvine tanquam proprio pabulo vigente loquitur etiam Hippocrates in ſequentibus:

Qui creſcunt, plurimum habent calidi innati. lib. 1 aph. 14
Plurimum calidi innati plurimo indiget alimento. 1. 14
Aliàs corpus abſumit. 1. 14
Senibus parum calidi ineſt. 1. 14
Indigetque pauco nutrimento. 1. 14
A multo autem extingvitur 1. 14
Hyeme & vere corpora majori calido vigent. 1. 15
Et copioſiori indigent alimento. 1. 15

Verùm noſtro tempore major ſpes eſt fore, ut vera febrium eſſentia intimius ſcrutando innoteſcat, reperto enim nunc ſucco pancreatico ejusque cum bile in inteſtino effervescentiâ, veriſimile videtur, in hisce duobus ſuccis nempe pancreatis & fellis potiorem conſiſtere cauſam febrium, in eisque præcipuum contineri focum ſangvificationis, nempe ſuccum pancreaticum pertinere ad officinam ſangvinis arterialis, quæ procul dubio ſplen eſt, cum ſuo quaſi ceſpite innumerarum arteriolarum inſtar radicum graminis ibi intricatarum, ſuccum verò felleum ſpectare ad laboratorium ſangvinis venalis, quod hepar eſt, forte tot lobulis conſtans, quot lien arteriolis earumque fibris, ita ut lobuli ſint mera initia venarum, fibriolæ verò arteriarum, & ſicuti Mars & Jupiter concurrunt in præparatione ſangvinis venalis, hepar enim ſub Jovem, fel verò ſub Martem pertinet, ita fortaſſe Saturnus, cujus lien eſt, uxorem Martis, nimirum Venerem cum ſuo pancreate in ſociam coctionis ſangvinis arterialis aſcivit, ita ut Mars ſit coquus Jovis, Venus verò coqua Saturni, adminiſtrando ignem frigidum acidum, uti Mars calidum amarum. Multi quidem jam veteres irrident, quod tam multa ſcripſerint de bile atra, iſta tamen nusquam in ſectione corporis in conſpectum prodeat, at neſciunt, atrorem iſtum conſiſtere in potentia & non actu, Saturnus enim & Venus dant ſapo rē acidum & auſterum, & volatilia coagulāt, eaq;

coagu-

coagulatio & corporificatio dicitur atra, quia opacat, & lumen includit, facilè etiam colorem atrum producere in actum poſſunt, ut palam fit in gallis, quæ Saturninæ ſunt, & vitriolo, quod venereum eſt, è quibus atramentum aterrimum paratur.

Fermentum ergò acidum, ſalinum, & auſterum ad ſangvinem arterialem concurrens bilis illa atra eſt, cujus ſuccus ſuperfluus per pancreas ad inteſtinum derivatur, ignoramus quidem vias, per quas hæc omnia fiant, at cum totum corpus ſit perſpirabile, nonne ubique ſucci filtratio contingere poteſt, imò perſpiratio vaporetenus, uti fit in alembicis, alibique rurſus vaporis humidi congelatio & attractio?

Quemadmodùm itaque totum naturæ motum proficiſci videmus à pugna elementorum, ſcilicet quod calidum & frigidum, humidum & ſiccum invicem pugnent; frigidum enim ſemper acidum vel auſterum eſt, calidum verò amarum ſeu alcaliosum, unum ergò attingens alterum mox ſtrepitum & ebullitionem excitat, uti omnia acida & auſtera alcaliaque confuſa ſemper oſtendunt; Ita etiam eandem naturam in hoc acido & amaro corporis eſſe veriſimile eſt, modum tamen non excedens iſta contrarietas non nocet, ſed potius ad vitam, excitandumque calorem & motum neceſſaria eſt, aſt ſi perversâ diætâ vel vehementibus animi affectibus alterutrum nimium excitetur, tunc exta dubium efferveſcentia morbifica concitatur, quæ paroxyſmis febrilibus corpus quatit.

Hisce tamen nihil certi ſtatuimus, ſed hæc ad altiorem indaginem ciendam proponere voluimus; interim in doctrina veterum pergentes.

Hi omnes febres ſub triplici differentia comprehendunt juxta tres ſubſtantias inter ſe differentes, quibus univerſa natura humana conſtet, quæ ſint ſpiritus, humores, & ſolidæ partes, voluntque omnem febrem contineri aut in ſpiritibus, vel in ſolidis partium ſubſtantiis, vel in his omnibus ſimul. *In ſpiritibus* accendi ajunt febrem ephemeram ſeu diariam, atque etiam ſpacio 24 horarum iterum diſflari, ſeu per inſenſilem transſpirationem ſudoremve abſumi, quatenus nimirum in victu error non committatur, quod ſi fiat in cibo, potu ac aliis rebus non naturalibus, tum à ſpiritu inflammato & ſangvinem in arteriis bullire incipere & in ſynochon non putridam transmutari, & tum intra dies 4. vel ad ſummum 7. extingvi, ſin autem diutius perduret, in ſynochon putridam degenerare. *In humoribus* verò majorem febrium partem excitari, & febres humorales & putridas nominari. Nimirum quando humores in venis ipſis contenti putreſcant, generentur febres continuæ, ſi verò extra venas putreſcant, fieri febres intermittentes ſeu interpolatas, ſcilicet quarum paroxyſmus cum horrore aut perfrigeratione incipiat, & poſt certas horas remittat, & vel quotidiè, aut tertio vel quarto die

die revertatur; Et quia 4. ſint humores, quatuor ex ipſis putreſcentibus enaſci febrium genera, nimirum ſynochon in ſangvine putrido; quotidianam in pituita putrida; Tertianam in bile putrida, & quartanam in humore melancholico putreſcente.

At ſi in ſolidis partium ſubſtantiis febres excitentur, fieri febrem hecticam & maraſmum, quæ ſimilis ſit calci vivæ ad tactum frigidæ, at humoris acceſſione igneſcenti, ſic quoque hecticam poſt cibum aſſumptum igneum vaporem excitare. Duplicemque exiſtere, nempe hecticam totalem, quæ univerſam corporis ſubſtantiam occupet, & particularem, quæ ex corruptione alicujus viſceris, nempe hepatis, vel pulmonis introducatur.

In omnibus autem ſimul ſcilicet in ſpiritibus, humoribus & ſolidis partibus ſi febris accendatur, tunc ordinariè, febrem peſtilentem fieri, quæ totam naturam devaſtet,

Doctrina Helmontii de modo fiendi febrium.

Perilluſtris verò Helmontius hanc veterum doctrinam integro tractatu impugnat, cujus præcipua ſunt ſequentia argumenta: definitionem, ſcilicet febrem eſſe calorem accenſum in corde, eſſe ineptam, probari per antecedens frigus intenſiſſimum, quo æger diu prius horrore concutiatur, adeò ut dentes quatiant, & labra prę frigore liveant, quod cum ſit febris initium, per accenſionem caloris febrem non adæquatè definiri; nam ſi calor eſſet febri eſſentialis, deberet ab ipſa eſſe inſeparabilis, & ejus individuus comes; cum tamen noviter innotuerint febres caſtrenſes, quæ citra ſitim & manifeſtum calorem occidant, eoque oſtendant, calorem non eſſe eſſentiam, ſed accidens febris; adhæc etiam veteres & eorum ſequaces ſcholas ſibi mox à dicta definitione contradicere, dum, obſervato per vehemens corporis exercitium accenſo in corde calore conſimili neceſſariò adjungendum eſſe velint, intelligi nimirum calorem non quemlibet, ſed qui ſuſcitetur è putredine, ſi itaque calor ſuſcitetur è materia putreſcente, ea autem in corde non ſit, ergò calorem febrilem in corde non accendi, deinde hanc aſſertionem alteram caloris accenſi in materia febrili, quam velint unum ex quatuor humoribus putrefactis, iterum implicare abſurda, quia ſi ex eorum mente omne agens calefactivum per ſui ſpecies fortius agat in propinquum, quàm in diſtans, neceſſe foret, quod centrum ſive nidus, quo recipiatur iſta materia peccans febrilis, prius torręretur in cremium, quàm quòd inde aliquod diſtans calefieret; imò ſi materia peccans ſponte caleret, & febris eſſet, is merus calor præter naturam, omnis febris ut talis deberet eſſe continua, nec intermitteret, donec omnis materia peccans penitus eſſet conſumpta in cinerem, neque ideò ulla eſſet ratio repetitionis vel recidivæ, cum materia peccans ad ſui uſque conſumptionem ex generali proprietate ſemper calefaceret. Quin imò & cadaver tam caleret poſt mortem, & febri torqueretur ardentius, quàm dum viveret, eò

quòd eadem numero materia, cujus obſequio mors advenit, etiamnum perſtet in cadavere, juxta dictam febris definitionem, quod calor ejus ſit ex putredine, putredo verò poſt mortem major ſit, & potentior, pluresque afficiat partes ſibi conterminas, quàm in vita. Deberet idcirco plus calere ex iſta putredine quàm in vita. At ſanè hunc errorem eſſe manifeſtum; nam febris quæ vivum calefecerit, ſtatim à morte ceſſet, omnisque calor cum vita exſpiret Quod nos inſtruere deberet, calorem febrilem non eſſe materiæ peccanti proprium vel inquilinum; quodque calor materiæ peccantis non efficienter & effectivè calefaciat in febribus. Ergò perpetuò verum eſſe, quod materia peccans tantùm occaſionaliter calefaciat; Archeus verò ſit omnis alterationis opifex, & ſpiritus ille, qui vocetur ab Hippocrate impetum faciens, qui & ſolus primariò, immediatè, efficienter, ſemper & ubique corpus calefaciat tam in ſanitate quàm morbis, juxta axioma: *Quicquid in ſanis edat actiones ſanas, idipſum in morbis edat actiones vitiatas*; eundem enim ſpiritum, qui hominem naturaliter calefaciat, etiam in febribus æſtuare. Exemplum haberi in ſpina querna ex ſui natura tam actu quàm potentialiier frigidâ. Hæc ſi in temperamento etiam integerrimo & temperatiſſimo ſit infixa digito, mox in digito excitet calorem præter naturam, non quidem quod calidi humores affluant per ſpinam eò convocati. Siquidem cruor vulneri proximus primus accurrat, aditumque venienti cruori præripiat. Et ipſe quoque per ſe non caleat, ſed ex gratia vitalis ſpiritus, inflammationem ergò & tumorem cum pulſu duro, dolore & calore à ſolo ſpiritu cauſaliter, ab infixa verò ſpina duntaxat occaſionaliter procedere. Paradigma hoc ad febris poſitionem, modum, cognitionẽ, & ſanationem ſufficere, nimirum cauſam peccantem in febri non calere ex ſe; calefacere autem tantùm occaſionaliter, & ad ſpinæ ſive cauſæ occaſionalis evulſionem ſequi ſanitatem. Solum itaque archeum ubique febrim effectivè concitare, eoque per mortem abeunte febrem cum eo ceſſare. Ergò calorem eſſe accidens poſterius, & ſubſequens ad febris eſſentiam. Accendere nimirum ſeipſum archeum in niſu, quo cuperet expellere materiam occaſionalem, tanquam ſibi impactam ſpinam. Hanc autem quicunque auferat, ſive id fiat per calida media, ſive per temperata, ſive demum per frigida, is morbum à radice tollat, & ſit naturæ quaſi indifferens, quia eo ipſo ſedetur ceſſetque thymoſis Archei. Calorem idcircò utcunque præter naturam auctum indicium quidem eſſe febris, non autem ipſam febrem, nec ideò ipſi inter medendnm magnoperè eſſe inſudandum. Hinc nempe Hippocratem ſeriò monuiſſe, calorem & frigus non eſſe morbos, ut neque horum cauſas, ſed cauſas (nimirum occaſionales) morborum eſſe amarum, acre, ſalſum, ponticum; ſpiritum verò eſſe eum,

qui

qui impetum omnem faciat, ſcilicet tam rigorem quàm æſtum febrium; Archeum namq; intendere per tremulos rigores excutere adhærens parti ſimilari excrementum; perinde quaſi atq; aranea ſuos quatiat caſſes, atq; rigore ſuccutiat, ut excutiat peregrinum, quod in illos inciderit. Archeum autem advertendo ſe per rigores parum proficere, blas alterativum excitare; quod conſiſtat in hyeme & æſtate, frigore nempe & calore; quorum nempe alternà viciſſitudine tandem cuncta ſublunaria dierum currente numero fatiſcant. Ab hyeme ideò in ipſomet univerſo anni initium procedere, per ver & æſtatem in autmnum, in quo fructus tandem maturentur. Quæcunque enim ex natura fiant, hoc principium, incrementum, ſtatum & declinationem ſubire. Sic & ipſum Archeum (quatenus ſemina atque vitalia univerſa generalium naturam imitentur) ciere rigores febriles, frigora & calores; non autem materiam febrilem peccantem. Scholas autem pro recipienda cauſa frigoris & dein caloris ſtupidè confugere ad putredinem, ideòque aſſumere fimum equinum, qui actu frigidus ſponte incaleſcat propter putredinem, at quàm ſtolidè, palam fieri in fimo vaccino, qui ex iisdem alimentis melius putruerit, & digeſtus ſit, quàm equinus, non tamen incaleſcat, uti nec fimus equi, qui gramine aut viciis veſcatur, non incaleſcat, prout dum granis veſcatur, non minus tamen illum quàm hunc putruiſſe. Neſciviſſe ergò, quod calor ſequatur manſa grana, non autem naturam putredinis, & quo propinquior ſit fimus] equi putredini incipienti, tanto magis orbetur omni calore, nec unquam putreat, ſi ſpargatur, ſed ſaltem in cumulum contractus madidus, non ſecus ac fœnum & flores, ſi comprimantur madida, accendantur ante putredinem. Archeum itaq; ad præſentiam materiæ peccantis inſurgere ad eam excutiendam, & quod unâ vice non poſſit, laborem reiterare, ut enim in lucta quis ſuſpirioſus ſuccumbens aliquantiſper quieſcat, & anhelitum recuperet, perque moram vires reſarciat, quibus incumbentem victorem excutiat. Sic naturali ductu univoco Archeum in febribus ſibi quietes per intervalla imperare, ac dein reſumptis viribus ac vicibus hoſtem febrim excutere niti. In quo ſanè pars, cui inſideat materia febrilis, primùm ſe contrahat in rugas, quod ſentiatur facile in præcordiis. Parti verò obſeſſæ totum genus venoſum quodam conſenſu collaborare, ſtrictimque ſe arctare contractis fibris obliquis. Inde namque rarus, durus ac minutus pulſus index atque opifex. Hanc enim corrugantem ſtricturam venarum quemque febrientem, ſi in ſe animadvertat, facilè dignoſcere poſſe, ac penitus naturalem etiam benevalenti, nam etſi ſcrotum laxum propendeat, ſtatim tamen atque ſcoria humana ad ſphinctera delabatur, corrugari ſcrotum ſuapte ſponte. Naturale itaque eſſe venis & partibus primariò affectis ſeſe in rugas contraxiſſe. Cum

igitur veniș paſſim aſſocientur plerunque arteriæ, neceſſe eſſe, has pariter obli qua cum venis convulſione contr hi. Quod ſanè facilè percipere poſſint febricitantes, ſi horum memores ſeriò attendant ad ea quæ ſentiant; atque hanc eſſe cauſam frigoris in febribus. Tremor autem is cum ſit in ipſis musculis, notandum eſſe, musculo habere duos motus; unum quidem, quatenus ſint clientes voluntatis, ut edant voluntarium motum: Alerum verò, in quantum invitâ voluntate proprio ferantur motu: eſſeque hunc iterum duplicem, priorem ſcilicet, qui unico tractu violento contrahatur, prout in ſpaſmo, crampo &c. Alterum verò qui intervalla patiatur qualis ſit tremor febrilis, jectigatio, & tremor membri alicujus (puta capitis aut manuum &c.) ſenio ac potatoribus familiaris. Cum igitur nedum pellis (ut in ſcroto) verùm etiam membranæ ſingulæ motu proprio, ſibique naturali criſpentur, rugentur, contrahanturque, non eſſe abſonum & musculo ſuum dare motum. Etenim ſic & à morte in tetano utrinque te di musculos dudum ab interitu omnis voluntatis. Duas ergò facultates motrices competere naturaliter musculo; quarum una ferietur quieſcatque, quamdiu musculi ſe benè habeant, moveri autem velut auxiliarem in occurſu rerum ſibi moleſtarum. Tandem igitur cum Archeus per venarum & arteriarum obliquam contracturam, perque musculorum trepidationes ſe nil proficere advertat, indignatum quidlibet motitare, ut peregrinum hoſtem à ſe excutiat, prout omnis motus tam in ſanis quàm ægris immediatè proficiſcatur conſtitutivè & efficienter ab impetum faciente Archeo, occaſionaliter verò à cauſis occaſionalibus; ſub talem autem motum Archei ideò turbidas atque confuſas excerni urinas, vapores acidos & indigeſtos, etiam & nidoroſos ſuſcitari, euntes in loca impropriata frigoris cauſam augentes. Fel autem, quod regulariter chylum ſtomachi acidum commutet in ſalſum, prępoſtero negotio inſertum in duodeno inteſtino ſuccum jam convertere in amarum. Archeum interim totum tum expulſioni intentum, hoc amarum recrementum, aliàs doloſè ſiticuloſum, ſub frigore febrili non rarò excutere, nec tamen inde quicquam febrientem proficere, quod noviter contaminatum præſtò dejiciat, quia ſit productum in febribus excrementum, non autem mali radix occaſionalis. Tandem itaque velut iratum Archeum ſeipſum accendere propria thymoſi (non autem à putredine deprompto calore) hoſtemque adoriri, æſtuare olidumque tandem ſudorem profundere non alio fine, quàm ut expellat hoſtem, ſub qua excretione patefaciat, quod iſthæc materia febrilis naturaliter pellenda ſit, & Medico indicet, naturam ducendam, quà ſponte vergat; id eſt diaphoretica ſola eſſe febrium appropriata atque ſpecifica remedia. Febres autem ſimplices & ſolitarias, non autem alienâ paſſione genitas talem

talem habere ſedem & materiam febrilem : *Febris ephemera.* Diariam ſeu ephemeram ſedere in ſtomachi cavo, & plerunque ex viciato cibo, quare & à vomitu vel peracta digeſtione ſponte ceſſet. *Hectica.* Similiter febrem tabidam ſive hecticam quandam eſſe quotidianam diariam à corrupta cibi parte, mox ſumptis cibis repetentem. Nam etſi appetitus perſtet ſoſpes, edantque ut lubeat, ſaltem corruptorem in pulmone non ceſſare aut feriari, quin continuo transmutet cruorem in flava, dura, ſpiſſa, & quandoque cinerea phlegmata, ſub quo corruptionis labore avocet ſpiritum à muniis digeſtionis, fiatque aliqualis digeſtio ſemidigeſti. Hujus loci notam eſſe pudendam ſcholarum fabulam, quod ſicut calx viva accendatur aſperſione aquæ, eodem pariter modo contingat in febri tabida. Quod nempe poſt unam aut ſesqui alteram horam iſta febris invaleſcat & adoriri videatur poſt cibum, quatenus tum aſpergantur partes ſolidæ alimento è cibis aſſumptis parato. Imprimis his obſtare, quòd infra binas horas in ſtomacho ſano nondum ſit peracta concoctio chyli, multò minus completa ſangvificatio; minimèque cruoris in ſecundarium & ſpermaticum alimentum transmutatio, utpote quod roris modo velint diſpergi in penitiſſima ſolidorum, longiſſimèque ac tardiſſimè pulmo hoc novum alimentum ab hepate mutuet. Ergo nequeant ſolida inſtar calcis aſpergi, & inde accendi, quantiſper in ſtomacho negotium ſit cum chylo. Deinde iſtam calcis ſimilitudinem eſſe meræ inſcitiæ; utpote quæ non accendatur propter aſperſionem per ſe, ſed per accidens, quatenus nulla ſalia operantur, quamdiu ſicca, id eſt niſi reſolvantur. In calce viva autem eſſe duplicem ſalem alcalizatum : unum quidem lixivialem, & alterum acidum, & utrumque per ſenſum guſtus diſtingvibilem, quæ duo ſalia reſoluta per aquam, dum in ſe invicem agant, accendantur, quod idem accidat in thermis, ſale acido fontium in marcaſitarum lixivialem materiam primam agente. Quodipſum quoque appareat in ſale tartari, nam ſi ſpiritus vitrioli acidus ſuperfundatur, confeſtim ambo actu frigida æſtuare. Ideòque ex calcinato plumbo in ſpiritu aceti, ſi is totus abſtrahatur, quamprimum atque alcali ejus combibat humidum ex aëre, realiter ignem concipere, etiam in ſpera. Niſi quoque calx mutua ſpirituum ſalium agitatione accenderetur, nunquam lapideſcere poſſe.

Denique in vivis nihil eſſe, quod ſiccitatem calcis referat, ſed omnia quotidiano rore continuò permadere.

Febris continua. Continuarum autem febrium ſedem non differre ab intermittentium, hactenus proinde occurrere continuas, quæ in intermittentes deſinant & contra; variare itaque febres illas non commigratione locorum, aut ex natura diverſorii, ſed ſolius materiæ occaſionalis ergo. Nidum ergo febrium in primis eſſe officinis, extendi ſcilicet à pyloro per duodenum, & vaſa ibidem multiplicia,

cia, inteſtina item, venas meſenterii lienem usque ad hepar. Proximiores autem ori ventriculi eſſe eò moleſtiores, ſuisque anxietatibus magis formidandas. Doctrinam hanc de ſede febrium confirmet nauſea, præcipuè carnium, piſcium, & quæ facilè cadaveris inſtar oleant, perhorreſcentia, mox à febrium introitu, ſitis itẽ, inappetentia, cephalalgia ſyncipitis, hemicrania ſiniſtri lateris, deliria, ſopor, vigilia, anxietates topicæ circa os ſtomachi, ructus nidoroſi, conſternata digeſtio, vomitus, lingvæ quoque amaror, ſiccitas, fiſſuræ, nigredo &c. quæ ſanè ſint indicia oblæſi duumviratus in actione regiminis: huc accedere ſuperveni-entem ructum acidum, nubeculam urinæ, quæque coctionem ſtomachi rediiſſe arguant. Solam autem quartanam in ſplene ipſo, venisque ſibi contiguis hoſpitium delegiſſe, Malignam verò ſolam aliquid putridi peculiariter ſibi vendicare circa orificium ventriculi. Eſſe autem tantò pejores, quæ non in ejus concavo, ſed in convexo ſederint, eò quòd non niſi extraordinarium arcanum ad iſta attingat loca. Ideò namque caſtrenſes & endemicas omnes cæteris eſſe pervicaciores, ac plerunque citra ſitim. Quibus vix perceptibilis calor ſit, ſolaque ægros continua anxietas ad feretrum ducat. Hujusmodi namque febres deforis tantùm contaminare, ultimum ſtomachi nutrimentum afficere, quia revera, dum vivatur, perſpirabile atque exſpirabile eſſe totum corpus, juxta Hipp. pulmonem enim & diaphragma undecunque poris pervia in vivis, quà dum endemica tranſeant, ac ſtomachi convexum percutiant, non rarò ſtomachi ultimum alimentum inficere.

Quartana. Maligna

Peſtem autem in hoc à cæteris malignis diſtare, quod cum non ſedeat in ſordibus febrilibus, ut neque in cruore; afficere tantùm ipſum ſpiritum vitalem ſui odore, ob id quoque intret & exeat neceſſariò cum aëre per poros diaphragmatis, adeòque tendat ſic primariò ad ſtomachum, nec potens pergere ulterius motu locali, ſuam ibidem ſiſtat impreſſionem in nutrimento ſtomachi. Unde mox vomitus, cephalalgia, ſopores, deliria, ſyncopes, & quæ vitiati oris ſtomachi conſequantur dominium. Hæc Helmontius.

De Febribus autem intermittentibus loquitur etiam Hippocrates in ſequentibus:

Febres quocunque modo intermiſerint, periculo vacant. lib 4 aphor. 43

Dijudicandæ per ſuos paroxyſmos, anni tempus, & excreta. 1. 12

Si quacunque hora febris deſinat, eâdem poſtero die repetat, difficilis eſt judicationis. 4. 30

Febres quotidie rigorem facientes, quotidie ſolvuntur. 4. 63

In Paroxyſmis abſtinendum à cibo. 1. 11

Quicunque morbi per periodos paroxyſmantur, in ipſis paroxyſmis abſtinere oportet. 1. 11

Cibum

Cibum in paroxyſmis dare nocet. 1. 11

Frigidum ſeu refrigerantium frequens uſus rigores febriles producit. 5. 17 20

Rigores in viris magis incipiunt poſteriori corporis parte quàm anteriore, veluti ex femoribus & cubitis. 5. 69

Mulieribus verò magis ex lumbis, & per dorſum perveniunt ad caput. 5. 69

Rigore febri ardenti ſuperveniente ſolutio fit. 4. 58

Rigor ſexto morbi die contingens judicationem difficilem denotat. 4. 29

Rigor frequens in febre non intermittente, ægro jam debili, lethale. 4. 46

Omnes febres ex bubonibus malæ præter ephemeras. 4. 55

Febres tam ſanabiles quàm lethales æquali dierum numero finiuntur. 3. *præſag.* 1

Febres ſaluberrimæ die quarto vel citius quieſcunt. 3. 2

Nunc deſcriptionem febrium intermittentium aggrediamur tractantes primo

DE FEBRE EPHEMERA.

Febris ephemera quid?

FEbris ephemera ſeu diaria eſt ſubitanea, non tamen usqueadeò vehemens febricitatio, unum tantummodò diem naturalem durans, ac deinde ſponte deſinens.

Signa.

Signa ſunt: Junior ætas ſangvinei temperamenti de facili hac febre ex improviſo corripitur, nullâ corporis gravitate vel laſſitudine ſpontaneâ, uti inſtantibus aliis morbis fieri ſolet, nullâque cibi faſtidio, gravioreve ſomno vel oſcitatione frequenti præcedente, neque tam vehementi horrore, ut in aliis febribus, concomitante; urina ſubſtantiâ, colore vel ſedimine nihil aut perparum à ſalubri recedit, ſed pulſus intenditur, eſtque frequentior, at æqualis.

Cauſæ.

Cauſæ quidem diverſæ eſſe poſſunt, contingit tamen hæc febris duplici modo, nempe vel à cauſis procatarcticis, ut ſunt nimia corporis calefactio à radiis ſolis, ferventiorique aëris conſtitutione, vel vehementi exercitio, vel commotione bilis per iram, vel potatione vini meracioris, uſuque calidiorum aromatum, vel ſimilium alimentorum, item impedita vaporum corporis tranſſpiratio per objectionem aëris frigidi, vel balnei frigefactivi vel ſtiptici, vel inunctionem poros occludentem.

Aut ſymptomaticè à bubone non maligno, quales excitantur ſæpius in pueris, qui creſcunt, atque in his qui tubercula & ulcera patiuntur, ubi ulcera vel tubercula capitis bubones in collo, manuum ſub axillis, pedumque in ingvinibus proferunt, taleſque bubones non venenati plerunque cum febrili paroxyſmo diario contingunt, ſeu miti ſangvinis efferveſcentia, at ſi tempore ſuſpecto bubo prorumpens graviora ſymptomata conjuncta habeat, nequaquam tunc concurrens febris pro ephe-

ephemera eſt habenda, ſed pro peſtilenti & mox alexipharmacis diaphoreticis ei obviam eundum.

Curatio. Curatio hujus febris non eſt magni momenti, ſi enim patiens ſe tranquillè in lecto contineat, & quantum poſſit, ſe ad ſomnum componat, altero die ab omni febre ſe liberum deprehendet, eò tamen certius liberatur, ſi mox doſin aquæ benedictæ hauriat, ita enim ſordes in ventriculo hærentes, & ſæpius febrilem diſpoſitionem inferentes, ejiciuntur & diſpoſitio illa ceſſat.

Aqua illa benedicta Rulandi, ut & centaurium minerale ordinariè magnam bilis quantitatem per vomitum educunt, præcedente prius aquoſitate multâ, veriſimile igitur eſt, quod non diſſimili modo vitioſus ſuccus pancreaticus in ſtomachum trahatur, nam ſicuti ante vomitum pylorus aperiatur neceſſe eſt, ad ſurripiendam in ſtomachum bilem; ita etiam cum ſucco pancreatico fieri poteſt, cum uterque ad inteſtina expurgetur, unde ratio patet, cur plurimis incipientibus morbis adeò ſubitaneum levamen à vomitoriis afferatur, quia proxima via ambos ſuccos vitioſos plurimorum procul dubio morborum authores evacuant.

Synochos non putrida. Si verò febris diutius protrahatur nimirum ultra horas viginti quatuor, ſeu in diæta peccetur, tunc diaria in ſynochon non putridam mutatur, quam veteres dixerunt eſſe incaleſcentiam & efferveſcentiam maſſæ ſangvineæ in venis & arteriis ex inflammatione ſpirituum vaporumque ex iisdem cum præcedente cauſis, maximè verò ex obſtructione pororum cutis, & errore in diæta, at noſtra opinione nil aliud eſt, quàm idem ſangvinis fervor, paulò tamen concitatior, quo nimirum majori & vehementiori incaleſcentia ſangvis in temperamento ſangvineo juvenili efferveſcit, & tam citò rurſus ſedari & tranquillari nequit, ſed ad quartum vel ſeptimum usque diem durat, antequàm efferveſcentia omnino deſinat, niſi interim per medicamentum aliquod præcipitans fervor extingvatur, quemadmodùm aqua bulliens infuſione frigidæ mox ſidit.

Dicitur hæc febris diaria plurium dierum, vel continens non putris, & à barbaris ſynocha inflata, cujus nimirum efferveſcentia paulò impetuoſior longiori ſpatio opus habeat, antequam ſedetur.

Curatio ejus à Practicis fit per venæ ſectionem, remediaque fervorem ſedantia, uti eſt largiſſimus hauſtus aquæ frigidæ inſtillatis aliquot guttis ſpiritus vitrioli, vel ℥j. aut ultra, ſyrupi de limonibus, vel ſyrup. de acetoſitate citri cum tribus partibus aquæ cichor. Curatio.

Synochos putrida. At ſi etiam hoc ſpatium febris excedat, tunc mutatur in ſynochon putridam, ita appellatam à veteribus, quod maſſam ſangvinis in venis & arteriis contentam putreſcere crediderint, eò quod ſectâ venâ ſangvis corruptus appareat, quam opinionem Helmontius explodit, propriam teſtatus experientiam, ſe nimirum fortè ducentis ruſticis optimâ

mâ valetudine præditis ſangvinem miſiſſe, & in plerisque ſangvinem variè corruptum apparuiſſe, cui tamen nullum vitium infuerit; Veteres autem perſvaſi ſunt, ſi ſangvis intra venas & arterias putreſcat, generari inde febrem ſynochon putridam, ſi verò extra venas, tumores inflammatos ſeu phlegmonas ſymptomaticè unà febrem excitantes, & hæc quidem in temperamento ſangvineo, in bilioſo verò maſſam ejusmodi intra venas putreſcentem efficere febrem continuam ardentem ſeu tertianam continuam, extra autem venas; tertianam interpolatam; in phlegmatica complexione, produci à maſſa ſangvinis putreſcente intra venas quotidianam continuam, extra eas quotidianam intermittentem; in temperamento verò melancholico, hoc modo fieri quartanam continuam & interpolatam.

Verum enim verò nos cum Helmontio talem ſangvinis in venis & arteriis putreſcentiam omninò exiſtimamus impoſſibilem, ſi enim ulla putredo eſſet in venis vel arteriis, illa profectò putrefaciendo perrectura eſſet, donec tota maſſa ſangvinis planè putrefacta, & corrupta eſſet, vitaque amplius perſiſtere non poſſet, quod autem corruptum eſt, nunquam amplius redintegrari vel renovari poteſt, uti apparet in pomo quolibet, minimâ putredinis labe infecto, putridum enim ejus punctum ſemper ulterius putrefacit, donec totum pomum ſit putrefactum & corruptum; febres ergò quascunque ab effervescentia ſangvinis & vitioſitate ſucci pancreatici vel biliarii provenire exiſtimamus, ita quidem, ut ſi effervescentia fiat in ſangvine puro ſuperfluitatem in ſe non vehente, uti fit interdum à cauſis ſuperius de ephemera enumeratis, nihil aliud ſequatur, quam commotio ſangvinis fervescens major vel minor, quæ ſi minor ſit, ſpatio unius diei ſedetur, ſi major, unum vel alterum diem duret, antequam tranquilletur ſangvis iterum, ſi verò accidat in ſangvine impuro, ſuperfluitatem continente, tunc in illa effervescentia fit ſeparatio materiæ heterogeneæ, & pro majori vel minori ejus quantitate & materiæ qualitate, vehementior vel mitior labor ſeparationis à natura adhibetur, donec materiam illam heterogeneam ſeparet, & vel per ſuppurationem alicubi inſtitutam, vel hæmorrhagiam, vel transſudationem, vel ventris fluxum, vel vomitum, vel urinæ profuſionem expellat, & quamdiu iſte labor naturæ durat, tamdiu ardet febris continua, fiuntque in ea mutationes per ſeptenarios, qui dies critici ſunt, & ſemiſeptenarios, qui ſunt dies indicatorii; ſi verò vitium non ſit in ſangvine, ſed in partibus concoctionis, nempe in ventriculo, vel meſenterio, vel pancreate vel felle, tunc diverſæ febres intermittentes excitantur, ubi natura per certos paroxyſmos effervescentiam inſtituit, donec materiam impedientem vel obſtruentem paulatim abigat, vel percoquat, quum autem febres intermittentes ut plurimum ſint à

cruditatibus, natura hæc, quam Hippocrates vocat ſpiritum impetum facientem, Paracelſus verò Archeum, omni ſtudio conatur iſtas cruditates concoquere, & maturare; quemadmodùm ergò quilibet coquus, qui ollam oleribus plenam percoquere intendit, ſimul in ollam infundit aquam frigidam, quâ mediante coctio fit, & aduſtio inhibetur, poſteaque ollam ad ignem collocat, donec aqua probe bulliat, tum verò ollam iterum igni ſubtrahit, & optimè manibus vehementer commovet, ut id quod in fundo jacet, furſum, & quod ſuperius vel ad latera ollæ hæret, ad fundum perveniat, & ſic omnes partes oleris ignem coctionis experiantur, quod aliquoties repetit, donec omnia percocta & maturata ſint; Ita etiam operatur præfatus Archeus in corpore cruditatibus pleno, ipſumque initio quaſi aquâ frigidâ rigoris perfundit, ac optimè hinc inde concutit, ut omnia probè miſceantur. Deinde verò igne æſtus febrilis bullit, concuſſionemque & bullitionem totius repetit, donec omnes cruditates ſint concoctæ.

Cauſæ febrium. Cauſæ febrium ſunt alimenta multum ſangvinem generantia, imprimis pingviuſculum, ſicuti enim pingvior pars lactis ſe ſeparat in cremorem, ita etiam in ſanvgvine ſic fieri, nos in proprio corpore aliique ſangvinei plus millies experti ſumus, quamprimum enim per tale nutrimentum pingviuſculi quid in ſangvine generatum, imprimis accedentibus calidioribus aromatibus, mox alicubi in facie jonthus parvus percalidus & dolorificus nobis erumpit, quod etiam victu admodùm temporato non poſſumus præcavere, multo magis id eventurum eſſet à copioſis alimentis luxuriantem pingvedine ſangvinem generantibus, ita ut fermentatio febrilis inde ſecutura eſſet. Hoc autem potiſſimum contingit ab alimentis ſangvificis, putrefactioni tamen obnoxiis ut ſunt ova non admodum recentia, item quæ multum ſucci pancreatici vel bilis generant, ut ſunt fructus arborum crudi, facilè putreſcentes, ut ceraſa, pruna, pyra, poma, item cucumeres, melones, & quæ nondum ſatis fermentarunt, ut uvæ recentes, muſtum, cereviſia novella, item quæ poros cutis obſtruunt, & transſpirationem, effluviumque humorum vaporoſum impediunt, ut fit exponendo corpus calefactum & ſudans aëri frigido, vel aquæ gelidæ immergendo; item vigiliæ vel labores immodici, potatio & inebriatio ſtrenua, pathemata animi, & imprimis terror ſubitaneus, venus immoderata; & quicquid circulationem ſangvinis impedit, ut contuſio, compreſſio, ligatura; item aſſumptio rerum corpori contrariam fermentationem inducentia ut ſunt cantharides & ſimilia.

Prognoſis. Prognoſin febrium quod attinet, nulla continua tuta eſt, facilè enim malignitatem induunt, vel in aliquo viſcere principe inflammationem ex ſuperfluitate ſangvinis lethalem excitant, intermittentes rarò periculum inferunt, exceptâ quartanâ au-

tumnali

tumnali in ſenioribus, necat enim plerunque ſequenti Martio.

Curatio. Curationis methodum cum ipſe Author uberrimè tractet, de ea plura verba facere neceſſe non eſt, hoc unicum ſaltem monentes, ut in omnibus intermittentibus, aliqui paroxyſmi prætermittantur, antequam ſpecifica adminiſtrentur, motus enim ille febrilis concuſſivus plurimum corpori conducit, quemadmodùm etiam diarrhœa ſpontè veniens per aliquot dies ſiſtenda non eſt, donec nociva educta ſint, deinde verò apparente in urina aliquo concoctionis ſigno, licet imperfecto, exhibeatur in quacunque intermittente purgans non violentum ipſo die paroxyſmi, & quidem horis tribus vel quatuor ante adventum ejus, ita ut cum paroxyſmo evacuatio incipere poſſit, & vix amplius paroxyſmus revertetur:

TEXTUS.

IN omnibus febribus propriè ita dictis rectè curandis maximoperè reſpiciendum eſt eò, ut nec ἀμεθόδως, *nec temerè curam auſpicemur.*

Cautela de ſpecificis. *Quantumvis nimirum ſpecifica utramque paginam abſolvere dicuntur in omnium morborum curatione, illa tamen vel ſine ratione, hoc eſt ſine methodo & judicio exhibita parum faciunt, ſtagnantibus nempe impuritatibus corporis contra ſpecificorum innatas poteſtates mirabiliter dimicantibus.*

Quæ ratio itaque in cæteris morbis omnibus, ea etiam hîc nullo modo negligenda fuerit.

Evacuantia hoc loco eſſe poſſunt omnia illa, de quibus ſupra diximus; ita tamen ut temperamenta, ætas, ſexus & vires probè conſiderentur.

Specificum purgans omnium febrium, exceptâ hecticâ, eſt antimonium, cujus flores dextrè parati & præparati febriles impuritates è corpore eliminant; flores autem illi redigendi ſunt in oleum, quod per præcipitationem redigitur in pulverem emeticum, ſi baſis præcipitationis fuerit aqua ſimplex: vel redigitur in pulverem purgantem tantùm per inferiora, ſi baſis præcipitationis fuerit oleum tartari.

NB. *An oleum tartari poſt præcipitationem diu relinquendum cum Crollio, an verò mox auferendum. Affirmatur poſterius, aliàs nimirum nimis figitur antimonium.*

Uterque pulvis juſtâ ſuâ doſi intermittentibus & continuis febribus legitimè exhibitus medetur certiſſimè, præſertim ſi ab initio adminiſtratus fuerit, & mali mineram ex corpore exturbandam ratio ipſa ſuaſerit.

Interdum obſtructiones pertinaciſſimæ in epate, venis meſaraicis, ſplene, meſenterio, item in re-

nibus fomitem mali propagando fovent, ubi ſanè una vel altera evacuatio ſæpè irrita eſt.

Itaque digeſtiva quæ ſunt è tartaro vitriolato, cremore tartari, ſpiritu tartari, vitrioli, aperiente Penoti, ſalis, maximè ſeligenda ſunt, eaque adminiſtranda in vehiculis convenientibus, & obſtructionibus expediendis nonnihil utilibus.

Hoc modo obſtructionibus reſolutis & mobilibus redditis, mundificantia rectius operantur, febriumque curam magis proſperam reddunt.

Sunt etiam neceſſarii vomitus: præſertim in febribus ventriculi, & quotidianis à phlegmate provenientibus, ubi aqua benedicta ſæpius profuit.

Quinimò in tertianis pilulæ antimoniales emeticæ dextrè procurato vomitu, tandem ſubſequente ſeceſſu rectius profuerunt.

EPHEMERA.

In ephemera, unde ſæpè hectica, poſt ſolutum paroxyſmum eſt excellens miſtura ſimplex, ut morbi reliquiæ ex habitu pellantur.

INTERMITTENS.

Specificum purgans in febribus intermittentibus initio morbi, non in augmento, malo adhuc ſtabulante in ventriculo ex vitro antimonii eſt tale: ℞. vitri antimonii diligentiſſimè & juſto (a) *ſi fieri poſſit, tempore facti, prætereaque cum ſpiritu vitrioli albificati, & pulveriſati ℥ſ.*

ſachari canarii ℥iiij.
farinæ triticeæ ℥IV.
croci ℈j.

coque cum aqua communi lento igne ad ſpiſſitudinem pultis, cavendo tamen, ne in fine aduratur, ſed penè panis formam habeat, fac inde globulos ſeu glomulos, & diligentiſſimè reconde. Servatur in integritate ſua quadriennium, poſtea contrahit ſcabritiem, datur ſub initium paroxyſmi (in intermittentibus) cum prima veſtigia horroris in artubus incipiunt. Datur in adultis ℨj. in fœminis ℈ij in pueris ℈j. vel ℈ſ. vide etiam infra de methodo curandi febres.

(a) Sole intrante leonem.

TERTIANA INTERMITTENS; das dreytägige Fieber.

Tertiana intermittens eſt febris biliosa in temperamento cholerico, in quo ſemper bilis amara, uti in melancholico bilis atra ſeu ſuccus pancreaticus prædominatur, frequentiſſima. Eſtque duplex, nempe exquiſita & ſpuria. Tertiana quid? Duplex.

Signa ſunt: paroxyſmus tertio quolibet die redit, ita ut inter binos paroxyſmos una dies tranquilla ſit, Signa.

ſubſe-

ſubſequente verò febrilis motus revertatur, quod fit cum vehemente rigore,& punctionibus ſubcutaneis, nec non in bilioſis cum vomitu bilioſo vel alvi excretione, duratque paroxyſmus ſeu tempus rigoris & æſtus, qui vehemens eſt, in exquiſita per horas duodecim, at in ſpuria circiter octodecim, deinde cum ſudore terminatur, nonnunquam admodum olido, præſertim in his qui in paroxyſmo multum bibunt. Urina eſt flammea vel crocea, & aliquo modo craſſa, in qua in his quibus quarto paroxyſmo febris deſinet, primo vel ſecundo die ſedimen album cernitur; pulſus velox eſt, & validus, cutis tactu percalida ſentitur, vigiliæ & jactatio corporis moleſta ſunt.

Tertianæ etiam meminit Hippocrates in ſequentibus:

Febris tertiana æſtate eſt frequentiſſima. lib. 3 aph. 21

Omnis febris tertio die remittens caret periculo. 4. 43

Tertiana exquiſita ſeptenis ad ſummum circuitibus judicatur. 4. 59

Tertiana exquiſita in quinque, aut ſeptem, aut ad ſummum novem circuitibus judicatur. in coacis.

TEXTUS.

Specifica ad febres tertianas intermittentes extant quàm plurima tum ſimplicia tum compoſita.

Simplicia ſunt: 1. aqua tabaci ſeu nicotianæ, quæ uno atque altero cochleari exhibita tribus vel quatuor horis ante paroxyſmum, præmiſſis præmittendis tandem paroxyſmum tollit.

Nota: *hæc aqua in febribus plerunque movet vomitus, quos nullos facit aliàs in aliis morbis data.*

2. Radix aſari ℈j. vel ℈ij. in vino malvatico (in quartana) 6. vel 7. horis ante paroxyſmum vehementer ſudores movet, & ſæpius vomitum.

3. Alumen crudum cujus ℈j. vel ℈ſ. in aqua vel decocto centaurii minoris 5. horis ante paroxyſmum datur, ſudoribus, ſi fieri poteſt, provocatis, quod ſatis laudare in quartanâ nequeo.

4. Sal abſynthii ſeu oſtrutii debito modo paratum, cujus ℈ſ. ad ſummum in aqua centaurii minoris datur ante paroxyſmum.

5. Oleum piperis nigri per veſicam deſtillatum (cordiale eximium & refrigerans, & dulce cum grata humiditate) cujus guttæ iij. vel V. in aqua tabaci, vel centaurii minoris horis aliquot ante paroxyſmum datæ febrem tollunt.

6. Teſtæ cochlearum docente Crollio in ſpecifico febrili.

7. Spiritus ſalis armoniaci, cujus gutt. iij. usque ad VII in aqua centaurii minoris vel cichorii, ho-

ris V. vel VI. ante paroxyſmum ſudoribus inde profluentibus dantur.

Aqua radicis imperatoriæ.

Compoſita ſunt: 1. aqua radicis imperatoriæ, quæ fit hoc modo: ℞. radicis oſtrutii & vini generoſi ana, digerantur invicem in B. M. ſub alembico cœco, poſtea deſtilla ex alembico per arenam, in fine cavendo, ne empyreuma redoleat. Hujus exhibe patienti in die quietis, & poſtero tribus horis ante paroxyſmum, atque ita etiam tertio die jejuno ventriculo cochl. j. ut ſudores, ſi poſſit, moveat. Raro poſt hoc ſpecificum paroxyſmus redit.

2. Eſt compoſitum Crollii ex oleo vitrioli & ſale abſynthii ſeu ſpiritu ejus cum aqua cichorii.

Aqua formicarum.

3. Eſt aqua formicarum compoſita, quæ fit hoc modo:

℞. aq. fragorum
centaurii minoris an. ℔ij.
mellis ℔ij. vel iij.

m. in cucurbita detruncata, eamque ſine integumento in acervo formicarum ſepeli usque ad ſummitatem, & formicæ confertim admodum irruent in vaſculum dulcedine mellis ſcilicet allectæ. Poſt collectam harum ſufficientem quantitatem exime vas, omnia invicem probè mixta agitando, per alembicum ex cineribus eliciatur aqua, quæ diligenter ſervanda, doſis ejus eſt in paroxyſmi principio cochlear. ſ. ad ſummum.

Nota: *hæc aqua (ſcilicet in febribus tantùm ut aqua tabaci) interdum vehementius movet vomitus, operæ pretium itaq; eſt, ut diligentius natura patientis conſideretur, an nempe ad vomitiones ſufferendas habilis ſit, nec ne, & an cauſa morbifica febris per vomitum aptè expurgari poſſit, præterea quoque an vires patientis conſtent.*

Licet nimirum hoc ſpecificum febres intermittentes tollat, quod ſi tamen ad vomendum minus ſit diſpoſitus æger, hoc ſpecificum potius intermittendum, quàm temerè periclitandum.

4. Sal centaurii minoris in formam compoſiti hoc modo redactus:

℞. ſalis centaurii minoris probè facti ʒj.
conſerv. roſar. vitriolat.
violarum an. ℥j.

m. de hac mixtura exhibe bis ʒij. quotidiè, imprimis verò ante paroxyſmum 2. vel 3. horis, datur etiam veſperi, atque ita perge, donec declinet febris.

5. Mixtura ſimplex 4. vel 5. horis ante paroxyſmum, aliquando etiam intermediis.

QUAR-

QUARTANA; das viertägige Fieber.

Quartana quid? Febris quartana à quarto die ita nominatur, eò quod ſemper ab antecedente paroxysmo dies quartus paroxysmum reducat, interpoſitis binis diebus tranquillis; morbus eſt planè melancholicus, exercens ſuum dominium in ſplene & ſiniſtro hypochondrio, ſicut antecedens in dextro, unde conjecturabile fit, eum à ſucco pancreatico prædominante provenire, prout antecedens à felleo, in quartana quoque non obſcurè tinctura bilis atræ in cute proditur, color enim faciei & oculorum plumbeus eſt.

Quartana eſt duplex. Eſt autem quartana itidem duplex, nempe exquiſita & ſpuria, adhæc datur quartana ſimplex, duplex & triplex, ſimplex eſt, quæ ut dictum eſt, quarto quolibet die recurrit, duplex eſt, ubi etiam dies poſt ordinarium paroxysmum proximus, peculiarem paroxysmum inducit, tertia verò dies immunis eſt; triplex eſt, in qua nullo die tranquillitas datur, ſed quotidiè novus paroxysmus affligit.

Signa. Signa quartanæ ſunt: paroxysmus quarto quolibet die redit, binique dies tranquilli intercedunt, qui tamen à gravitate corporis & mœſtitia non immunes ſunt, rediens verò paroxyſmus comites habet pandiculationem & oſcitationem, ſubſequentemque horrorem primo lenem, ac deinde frigus totum corpus usque ad intima penetralia perfrigerans, ita ut oſſa ſtringi ac confringi videantur, omnesque artus intimè tremant, ac dentes vehementer tremebunda colliſione concutiantur, poſtmodùm ſequitur æſtus febrilis, mitior tamen, quàm in tertiana, inſtante autem fine paroxyſmi ſudor fœtens ac induſia flaveſcente colore tingens prorumpit, urina die paroxyſmi obſcurè flavet, extra eum tenuis eſt & aquosè albicans, appetitus in hoc morbo ut plurimum manet, imò & die paroxyſmi viget, at graviorem paroxyſmum efficit, ſi patiens tum non abſtineat.

Cauſæ. Cauſæ ſunt: temperamentum atrabiliarium, multum ſucci pancreatici generans, item pathemata animi frigefactiva, ut ſunt mœror, terror, timor, zelotypia, ſuppreſſio hæmorrhoidum antea fluere conſvetarum, ut & menſtruorum, obſtructio lienis, à victu craſſo, arido & parum ſpiritus ardentis continente, qualis venit ex eduliis fumatis, vel ſale conditis, vel arefactis.

Hujus morbi etiam mentionem facit Hippocrates in ſequentibus:

Quartana eſt affectus æſtatis lib. 3. aph. 21.
Nec non autumnalis. 3. 22
Lienes ſeu morbi lienares fiunt autumno. 3. 22
Æſtiva quartana brevis eſt. 2. 25
Autumnalis verò longa. 2. 25
Imprimis quæ ad hyemem pertingit. 2. 25
Quartanarii non admodum convulſione tentantur. 5. 70
Convulſi verò antea, ſuperveniente quartana liberantur. 5. 70
Sangvis in quartana è naribus fluens, malum. 8. 3

Progno-

Progno-ſis.

Prognoſin quod attinet, hæmorrhagiam narium, ut hic Hipp. aſſerit, nec non ſingultum malum imò lethalem eſſe, ipſi vidimus, diuturnum quoque & contumaciſſimum morbum eſſe omnes norunt, uti omnes morbi ſplenetici, & melancholici eſſe ſolent, idque ideò quod omnes proveniant à fermento acido, quod poteſtate fermentativa admodum potens eſt, ipſaq; medicamenta potius in ſuam naturam fermentat, quàm ut ipſis auſcultet, ſeniores autem plerunque ab ea non evadunt, in cæteris ferè cum urina nigricante turbidâ ſolvitur, vel eruptione hæmorrhoidum, menſiumve, vel lividâ crurum puſtulatione & occruſtatione.

TEXTUS.

Quartana eadem purgantia requirit, cautè tamen fuerit progrediendum.

Quartana nimirum quaſi ludibrium medicorum, niſi convenienter & molliter tractetur, ſive jam recens nata fuerit, ſive jam adoleverit, aut ad ætatem aliquam pervenerit, rarò ſui domitorem exactum relinquit.

Præterea multum ſitum eſt in naturis quartanariorum, quæ ſæpè medicamenta etiam cum ſumma mollitie exhibita eludunt.

Extractum ellebori pro purgante vel etiam pilulæ antimoniales (*de quibus ſupra de purgantibus*) *per ſeceſſum tantum moventes blandiſſimè hujus febris mineram extrudunt, præſertim ſi recens, aut ſi poſt aliquot menſes ſua ſponte ad declinandum inclinata fuerit.*

Sæpiſſimè enormes obſtructiones ſplenis & hypochondrii ſiniſtri derivato ſubinde malo ad venam cavam, unde dolores dorſi, lumborum, coccygis, plerunque dominantur, ſæpè præcedit icterus niger, aut ſubſequitur, aliaque graviora ſymptomata morbum vehementiorem faciunt. Ubi ſanè aperientia imprimis ſunt neceſſaria, quæ hoc loco nulla ſunt alia, quàm quæ antea tradidimus.

Nota: *Vomitus in febre quartana haud prodeſt. Etſi nimirum primam ventris regionem aliquantulum expurget, & circa loca vicina aliquid hæterogenei depopuletur, nihil tamen attingit, quod proximè febrem continet.*

A vomitu itaque ſæpè repetito abſtinendum (*ſufficit una vomitio.*)

Specificum etiam Paracelſi purgans, etſi Quartanam non tollat, eſt tamen inſigne aperitivum, ſi ejus aliquid miſceatur cum cæteris digeſtivis. Sæpius idem ſpecificum purgans cum extracto ellebori (*ana vel ultra*) *juſta doſi mixtum exhibitumque paulatim mine-*

mineram febrilem conſumit, ali quoties ſed admodum leniter alvum expediendo: quo ſanè nullum aliud purgans in quartana dari poteſt felicius. Hoc nimirum obſtructiones feliciter aperit, alvum ſubducit, febremque ſimul tollit. Item extractum lapidis lazuli, de quo ſupra de purgantibus.

Etſi autem poſt repetitas haſce evacuationes quandocunque propter profundius impactas mineras febris haud deſinat; nihilominus tamen pergendum, & tandem ad ſpecifica proveniendum (veſperi ante exhibitionem ſpecifici abſtineat æger à cibo) quæ ſunt:

Specifica quartanæ.

I. Oleum myrrhæ, cujus gutt. IV. ad VIII. in vehiculo convenienti exhibeantur paulò ante paroxysmum.

II. Succus naſturtii aquàtici cum ana aceti mixtus, & ſi ferre poſſint, cum oleo communi dis temperatus, cujus cochlearia ij. vel iij. cum guttis VI. vel VIII ſpiritus ſalis abſynthii (in ejus defectu ſal abſynthii vel ſpiritus abſynthii ſubſtituatur) paulò ante paroxysmum exhibeatur, ter vel quater continuando ſtato paroxysmi tempore, etſi emaneat ille.

III. Pulvis ſerpentum ſeu viperarum, de quo ſupra de aſthmate & elephantiaſi (ex carne & ſpina dorſi, non ſolo corde) curativus, cujus ℈j. ad ℈iſ. in convenienti vehiculo ante paroxyſmum datur ter vel quater continuando ſtato paroxyſmi tempore, etſi emaneat ille.

Nota: Quandoque in febribus quartanis tum in ſtatu ipſo, tum etiam in declinatione vehementiſſimi ſunt dolores dorſi, cauſam diximus ſupra.

Ad dolorem dorſi.

Huic ſymptomati medetur ſacculus oblongus ex hordeo integro in aqua ſimplici usque ad crepaturam cocto, calidè ſpinæ dorſi toti ante paroxyſmum vel etiam poſt eundem doloribus nempe aliquandiu ſubſiſtentibus applicatus.

HECTICA; das ſchwindſüchtige Fieber; die Dörre.

Nominis ratio

Hectica febris dicitur ab ἔχω habeo, eo quòd in habitu corporis conſiſtat, & habitualis ideò quoque appelletur, veteres hanc febrem volunt eſſe accenſionem ipſius ſolidæ cordis ſubſtantiæ, ita ut non tantùm humiditas cordis accendatur, verùm quoque ſolidæ particulæ, uti fiat in accenſione ellychnii lampadis, qua non modò oleum ardeat, ſed una paulatim ellychnium, quæ habitualis accenſio ſit febris hectica, & ſi jam ardendo omnis non modò ſubſtantialis humiditas ſit abſumpta, ſed & ipſa ſolida ſubſtantia torrefacta in modum diu cremati ellychnii, quod demum præ

ariditate penitus friabile fiat, ejusque continuitas perdatur, flammaque diutius in eo perſiſtere nequeat, ſed paulatim minuatur & extingvatur, nec reaffuſo oleo accendi queat, tunc vocetur febris marasmodes, quæ tamen à marcore differat, ita enim vocari corporis conſumptionem ſponte per ſenectutem citra omnem febrem advenientem, ſcilicet ab extinctione coloris nativi, corporisque naturali exſiccatione, prout & alia ſpecies marceſcentiæ ſit tam ſenibus quàm pueris ſubinde contingens, quæ ſenectus ex morbo dicatur, & ſic duplex genus hecticæ quidam ex mente veterum faciunt, unum ſcilicet citra tabem, alterum cum tabe; Alii non niſi unicam agnoſcunt, at in tres gradus diſtingvendam, quorum primus ſit, ſi carnoſa partis ſimilaris ſubſtantia incendatur & efferveſcat, in quo primo gradu nihil aut exiguum adhuc diſſipatum ſit; in ſecundo verò gradu, calor etiam carnoſam ſubſtantiam abſumat; In tertio demum omnem pingvedinem cum ipſa oſſium medulla colliquet & depopuletur.

Febris maraſmodes.

Quantoperè verò hæc diſtinctio claudicet, facilè ex conſideratione nutritionis eluceſcit, quemadmodùm enim unico inſtanti omnes corporis partes etiam duriſſimis oſſibus non exceptis nutriuntur, omnique horâ in ipſis reſtauratur, quod paulatim evaporat, vel continuo attritu defricatur, ut dentes docent, qui longè facilius duriſſimis gemmis continuo maſticationis attritu detererenter, niſi continuo reappoſitio ex nutritione fieret; Ita etiam pariter unico inſtanti in omnibus his partibus conſumptionem contingere neceſſe eſt.

Quamvis autem contabeſcentia ex ulcere pulmonis etiam vocetur hectica, illa tamen hic non intelligitur, ſed tabes illa, quæ primariò à febre inducitur, ac proinde febris hectica nominatur, exulceratione pulmonum carens, quæ ſi cum tabe concurrat, phthiſis dicitur, de qua ſupra cap. 79. actum eſt.

Hectica triplex.

Moderni autem Practici omnem corporis conſumptionem vocant tabem, quam tamen in tres ſpecies dividunt; quarum prima & præcipua ſit, quæ proveniat ex meſenterii glandulis lacteis pituita ſeu lympha craſſa obſeſſis, quâ impediatur, quo minus debita pars ciborum aſſumptorum ad cor nec non reliquas corporis partes perveniat, ſed maxima pars per alvum pereat, ſecundum eſſe, quando propter ſangvinem & in illo lympham ſeroſiorem tuſſis excitetur continua, dum circuletur per pulmones cum ſucco nutritio ad cor. Tertiam ſpeciem eſſe illam, quam antiqui ulcus pulmonum vocarint, quæ procedat ex lympha craſſa, diutius in veſiculis pulmonum orbicularibus & ſinuoſis Malpigianis hærente, & ſangvinis circulationem impediente. Verum & hæc diſtinctio ſuam habet difficultatem; nam cum in omni tabe à qualibet cibi aſſumptione præcipua exaſperatio caloris advertatur, dum totus cibus etiamnum in ventriculo hæret,

hæret, quomodò longinquis his partibus aſcribi poterit?

Signa. Signa febris hectices incipientis vix nota eſſe poſſunt, jam verò factæ hæc ſunt: totum corpus macilentatur, imprimis autem caro muſculoſa inter pollicem & indicem evaneſcit, paulatimque & omnis carnoſa pars ut ſuræ, & ubicunque ea ſit perit, ut ſaltem oſſa cute obtecta remaneant. Oculi fiunt concavi, cutis faciei ſquallida, tempora collapſa, color genarum totiusque corporis opacatur, ungves ſunt reſtricti & longi, ſomnus turbatur, & ingentem ſudoris copiam qualibet vice exprimit. Calor cutis levi contactu videtur quidem mitis, at continuato acris & ferè urens ſentitur, ac præcipuè in volis manuum & plantis pedum, quæ magis calent aliis partibus. Volatilis autem caliditas ſemper mox ab aſſumpto cibo per totum corpus incendi videtur; pulſus eſt creber & duriuſculus; incipiente autem colliquatione excrementa videntur pingvia, ac pingvedo quædam urinæ ſuperficiei innatat inſtar telæ aranearum, hæc verò iterum ceſſant abſumpta jam omni corporis pingvedine, ubi tum maraſmus incipit.

Cauſæ. Cauſæ ſunt prægreſſæ febres ardentes, vel ephemera neglecta, præcipuè ſi quis in ea vehementer iraſcatur, vel valdè mœreat. Item alimenta vel medicamenta nimis calida aſſumpta, vel etiam venenata, accepta, vel halitu attracta, & quæcunque ephemeræ & aliarum febrium cauſæ ſunt, præcipuam tamen cauſam latere in ipſo ventriculo, incaleſcentia illa poſt quemlibet cibum aſſumptum arguit; quod etiam noſtram opinionem confirmat, in ſano nimirum ventriculo nutritionem illicò incipere, dum cibus & potus in ſtomachum deſcendunt, in eſurientibus enim per totum corpus ſtatim refocillatio, & receptio virium contingit, in imbecilli autem ventriculo nequaquam, ſequitur ergò quod venæ, arteriæ & nervi in os & fundum ventriculi deſinentes ſtatim optimum cibi & potus (qui etiam inebriat adhuc in ventriculo exiſtens) attrahere, & in ſui ſimilem ſuccum fermentare, uti alibi plenius probavimus, in hecticorum autem ventriculo talem aſſuctionem impediri veriſimile eſt ab obſtructione, archeumque ideò conari reſerationem, unde iſta incaleſcentia.

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, hectica confirmata eſt morbus deſperatus & terminatur furfuribus in urina, crurum tumore, capillorum caſu, & fluxu ventris, ad quæ mox mors.

TEXTUS:

IN febre hectica eadem fermè neceſſaria, quæ ſupra in exulcerationibus pulmonum propoſita fuerunt. Hanc nimirum tanquam comes individuus hectica ſequitur, quæ ſæpius majorem Medici operam requirere videtur quàm morbus ipſe.

Humectantia & refrigerantia non quidem accidentaliter, ſed eſſentialiter neceſſaria ſunt.

Sal corallorum & perlarum hîc multum valent.

Quandoque balneã dulcia habitum corporis exſuccum & aridum plurimum juvant.

Lac aſininum (calidè) in hectica, præſertim à ſumpto menſtruo corpus infeſtante, mirificè reſtaurat.

Sunt etiam alia quàm plurima ab Autoribus deſcripta, qui conſulendi ſunt.

FEBRIS COMPOSITA.

Febres compoſitæ curantur ad modum ſimplicium, ita tamen ut purgantia ſint leviora.

QUOTIDIANA.

Febres quotidianæ puræ maximè hoſpitantur in ventriculo, earum ergò cura ſolâ vomitione abſolvitur, quæ aquâ benedicta vel aliis vomitoriis intenditur.

Deinde corroborantia ventriculum ſunt varia; imprimis autem confortat conſerva acetoſellæ, roſarum, menthæ, cum acidulis mineralibus (ſpiritu vitrioli) distemperatæ.

Reliquum abſolvit diæta: quandoque etiam interna ab impuritatibus viſcoſis & lentis liberanda ſunt, cui ſanè negotio ſuppetias ferunt panchymagogum vegetabile, ſpecificum purgans & imprimis antimonium per ſeceſſum purgans.

CAP. CLXXVI.
DE FEBRIBUS ACUTIS ET MALIGNIS; Germ. hitzige und anſteckende Fieber.

FEbres ſeu morbi acuti ſunt meræ internæ alicujus partis principis inflammationes, uti membranarum cerebri, pleuræ, pulmonum, diaphragmatis & ſimilium, quæ inflammationes ſine acuta febre accidere non poſſunt; dividuntur autem tales in acutos, peracutos, & perperacutos, acuti ſunt qui in 14. diebus judicantur, & vocantur exactè acuti, minus verò exactè acuti ſunt, qui ad diem vigeſimum extenduntur. Peracuti ſunt, qui in ſeptem diebus, perperacuti, qui in quatuor diebus judicantur; diverſitas hæc inde venit, quod in ſimpliciter acutis minus principales partes inflammentur, uti fit in febribus putridis & tertiana duplici. In peracutis verò inflammatio accidat in magis principali parte, uti fit in phrenitide vera, ubi in inflammatione membranarum cerebri vita ad diem ſeptimum protrahi poteſt; in perperacutis autem pars inflammetur, cujus officio vita vix uno & altero die carere poſſit, ut fit in cynanche, in qua non ob morbum, ſed defectum aëris æger tam citò moritur.

Febris ergò acuta per ſe nihil aliud eſt, quàm efferveſcentia ſangvinis, impuritatem in ſe aliquam vehentis, *Febris acuta quid?*

hentis, quam natura ſeparare & educere ſtudet, ideòque fervorem concitat non ſecus ac natura muſti turbidi fermentationem inſtituit, donec ejus feces præcipitet & ejiciat. Hæc effervefcentia ſi contingat in temperamento ſangvineo', efficit febrem ſynochon putridam, de qua ſuperius dictum eſt, in bilioſo verò cauſum ſeu febrem ardentem, quæ etiam tertiana continua dicitur, producit.

Signa febris ardentis ſunt: æſtus febrilis vehementiſſimus, ſitis inſedabilis, ardor ingens lingvæ, quæ etiam neglecta nigredinem contrahit, aſperitatemque, ariditatem & fiſſuras, caput valdè dolet, vigiliæ & inquietudo continuò infeſtat, interdum tamen ſopor profundus ægrum detinet, pulſus celer eſt & parvus, urina craſſa, turbida & rutilans eſt. Accedit quoque febre invaleſcente delirium & paraphrenitis. Hæc febris in uno vehementior vel mitior eſt, quàm in alio pro diverſa temperamentorum, regionum, aëris ambientis & ætatis conſtitutione, utplurimum etiam peculiaris malignitatis particeps eſt.

At præter ejusmodi febrium ardentium concurrentem malignitatem frequentiorem & ordinariam, non raró etiam extraordinaria malignitas in febribus ardentibus occurrit, quæ in putredine fermentativa conſiſtit, febresque contagioſas & endemicas parit, odore ſuo putrefactivo aërem circumpoſitum inficiens, & cum eo intro hauſta innumeros contagio conſimili corripiens, ac nonnunquam veneno lethali in plurimis civitatibus & provinciis magnam ſtragem edens, prout in morbo Hungarico, febre petechiali, lueque peſtifera ſæpè per experientiam comprobatur.

Quando ergò talis morbus contagioſus graſſatur, atque aliquis ægrotare incipit, tunc expectandum non eſt, donec morbus per certa externa ſigna dignoſci poſſit, ſed ſtatim alexipharmacis ei occurrendum, ſani autem præſervativis utantur antequam decumbant.

Plerunque tamen in febribus malignis ejusmodi ſigna deprehenduntur, quod nimirum is, qui jam contagium hauſit, magnam corporis, artuum & capitis gravitatem & laſſitudinem ſentiat, caput grave & dolens in alterutrum latus quaſi pendet, oculi turbidi ſunt, & in circuitu citrinitas quædam conſpicua eſt, os amareſcit vel inſipidum eſt cum reſpiratione difficili, cordis anxietate, & anguſtia, ac dolore, lapſu virium ſubitaneo, nauſea & vomitu, adeſt quoque interdum vehemens diarrhœa, ſingultus, lipothymia, inquietudo, aliaque ſymptomata. Imprimis autem in talibus febribus malignis frequentiſſimæ ſunt maculæ purpureæ, in toto corpore ac præcipuè lumbis, dorſo ac pectore prorumpentes inſtar morſuum pulicum, quæ vulgò petechiæ nominantur, ac interdum etiam coloris ſunt violacei, viridis, lividi vel atri, quæ omnes longè pejores ſunt rubeis vel purpureis, verùm non in omnibus malignis hæ maculæ adſunt,

ubicunque autem comparent, febris illa peculiariter petechialis ſeu purpurata nominatur, in aliis fiunt parotides & tubercula ſecundùm aures, de quibus etiam Hippocr. loquitur: *ſecundùm aures* (inquit) *tubercula de gravibus veniunt, maximè in febribus ardentibus, ſi non decernant, matureſcantque, ſangvisque de naribus ſi non fluat, interimunt.* Inferunt enim hæc tubercula auribus dolorem maximum, qui per ſe etiam mortiferi periculi plenus eſt, ut idem Hippocr. teſtatur, *acutus* (inquiens) *dolor in aure cum febre non intermittente & mentem & hominem rapit.* Quando autem in talibus malignis bubones, carbunculi & lenticulæ nigræ, quas vulgò grana piperis nominant, occurrunt, tunc ipſa peſtis eſt, de qua poſtea.

Cauſæ. Cauſa febrium acutarum præcipua fervor eſſe ſolet ſangvinis, impuritatem quandam in ſe vehentis, quam natura cum labore aggreditur, ut eam ex toto ſangvine ſegreget, hinc tantus fervor, plerunque cum malignitate conjunctus, decumbit enim ſæpius phlogoſis in aliquod princeps viſcus, & mortem cauſat, cauſæ autem occaſionales plerunque ſunt: nimia corporis calefactio per exercitia, potationem, ſqualorem aëris ambientis, quælibet etiam febris acuta ab uno ad alterum transire poteſt, per fermentationem, non tamen adeò infectivæ ſunt ac malignæ endemicæ, quæ peculiari aëris putredine plurima corpora diſpoſita inficiunt.

De acutis etiam loquitur Hippocrates in ſequentibus:

Febres continuæ & ardentes fiunt æſtate. *lib.3.aph.21*

Nec non autumno. *3. 9*

Atque per ſiccitates. *3. 7*

Febres non intermittentes, quæ tertio die vehementiores fiunt, periculoſæ. *4. 43*

Item. *7. 62*

Morbi acuti ſtatim extremos habent labores. *1. 7*

Judicantur in quatuordecim diebus. *2. 23*

Non poſſunt in acutis omninò certæ prædictiones inſtitui. *2. 19*

Requirunt victum tenuiſſimum. *1. 7*

In quibusdam acutis tenuis victus non convenit. *1. 4*

In acutis raró medicamentis purgantibus utendum. *1. 24*

Idque ſaltem in principio. *1. 24*

Et cum magna circumſpectione. *1. 24*

In acutis febribus lac nocet. *5. 64*

Victus verò humidus convenit. *1. 16*

Senes & corpora frigida non facilè in febrem acutam incidunt. *1. 14*

In febribus acutis luctuoſa ſuſpiria mala. *6. 54*

Nec non extremorum perfrigeratio. *7. 1*

Ut & circa ventriculum vehemens æſtus & ſtomachi morſus. *4. 65*

Itemque convulſiones & circa viſcera vehementes dolores. *4. 66*

Atque

Atque pavores in ſomno. 4. 67
Spiritusque offendens. 4. 68
Frigidi ſudores in acuta febre, mortiferum 4. 37
Frigidus ſudor ſemper morbum majorem, calidus minorem ſignificat. 4. 42
Febri ardenti rigore ſuperveniente ſolutio fit. 4. 58
Sudor absque febris ceſſatione malum. 4. 56
Icterus in febribus ante diem ſeptimum, malum. 4. 62
Rigor frequens in febre non intermittente, ægro jam debili, mortiferum. 4. 46
Excreationes in febribus non intermittentibus lividæ, cruentæ, fœtidæ, bilioſæ, omnes malæ. 4. 47
Nec non aliæ conſimiles excretiones non juvantes. 4. 47
In febre non intermittente difficultas ſpirandi cum delirio, lethale. 4. 50
Ut & ſi externæ partes frigeant, & internæ urantur. 4. 48
In febri non intermittente perverſio labri, ſupercilii, oculi, defectus viſus & auditus, imbecillitasque corporis denunciant mortem inſtantaneam. 4. 49

Progno-ſis. Prognoſin quod attinet ſi conſtantes adhuc vires ſint, criſis ſeu critica evacuatio ſperari poterit, ſcilicet per hæmorrhagiam vel ſudorem vel bilioſam evomitionem vel alvi fluxum, temperamentum enim ſangvineum proclive eſt ad ſangvinis è naribus eruptionem, cholericum ad bilis vomitionem vel alvi fluxum; phlegmaticum ad ſudationem, melancholicum ad hæmorrhoidum apertionem, in junioribus tamen potius ſangvis erumpere ſolet, imprimis ſi antea nares pruriant, ac genæ, aures ac cervix inſolitè rubeant; at ſi vires ſint debiles, alvi excrementa fluida & tenuia inſtar fæcum, vel paucæ guttæ ſangvinis è nare ſtillent, ſpiritus frigidus ex ore prodeat, vel ſudor frigidus in fronte percipiatur, vel crebrò locum æger mutet, hæc & alia ſatis nota indicia de captione feſtucarum &c. inſtantem mortem ſignificant. Perpetuò tamen Hippocratis verba vera ſunt, in acutis non eſſe certas prædictiones.

Curatio malignarum à Practicis incipitur injectione clyſteris, vel laxativo, ne fæces ventris operationem medicamenti impediant, altero die diaſcordium Fracaſtor. exhibetur hoc modo: Curatio.

℞. elect. diaſcord. ʒj. vel ij. pro robuſtioribus. Sudoriferum.
aceti rutæ ℥j.
aq. calend.
card. benedict. an. ℥j.
m. & unâ vice aſſumatur, ſudando in lecto per ſemihoram.

Poſtea deterſo ſudore per ſingulas horas unum vel alterum cochlear hujus vel ſimilis mixturæ cor roborantis aſſumat;

℞. ſyr. acetoſitat. citr. ℥ij. Mixtura cor roborans.
corallor. ℥j.
de rub. idæo
de agreſt.
rob. berb. an. ʒX.
confect. alkerm. ʒj. m.

Edat

Edat quoque ſubinde mala citria ſacharo conſperſa.

Sudoriferum jam dictum bis vel ter reiteretur, vel detur ℈j. vel ʒſ. bezoartici mineralis cum ℈ſ. camphoræ, cum aq. card. benedict. Nos vomitoria antimonialia longè optimum eſſe medicamentum in omnibus acutis & malignis, ſi ſaltem ſub ipſa febris inceptione exhibeantur, ſæpiſſimè experti ſumus, quod etiam confirmat

TEXTUS.

PEr malignas febres intelligimus quaſcunque affectiones epidemicas, ab initio rigorem, deinde verò calorem intenſiſſimum incutientes, non ſine malignitate vel aëris, vel etiam ab eſculentis & potulentis aliquando cauſata: tales ſunt petechiales, Hungaricæ, catarrhales febres, item ardentes, quæ magnam partem Europæ hactenus invaſerunt, & ſubinde excutiunt.

In iſtis curandis feliciorem modum invenire fas non eſt, quàm qui à vomitione incipit, & per media neceſſaria tandem in confortantibus deſinit.

Vomitorium eſt aqua benedicta, cujus uſus meritò laudatur.

De venæſectione aliquibus formidabili à nobis disputatum eſt ſæpius, neceſſaria an ſit nec ne.

Plethora intermiſſionem non admittit, ſæpè in corporibus biliosis venæſectio temeraria fuit.

Nos cum Rulando phlebotomiam ita distemperamus, ut urgente neceſſitate, & indicationibus ſatis manifeſtis nuſpiam ab eadem tuto deflecti poſſe ſtatuamus, vide tractatum de Ungaricis Martini Rulandi filii. Videatur item Balthaſar Conradinus de febre Ungarica.

Præſtans eſt aqua cornuum cervi ſangvine adhuc rigidorum ad omnes febres ardentes, malignas & epidemicas, ſupra de diaphoreticis deſcripta.

METHODUS CURANDI FEBRES.

In curandis febribus ſequens poteſt eſſe methodus: principio ſtatim, ſi ſit febris continua, præmiſſo clyſtere emolliente & refrigerante, vena aperiatur, vel circa quartam veſpertinam, vel tempore matutino, cum veſpere præcedente clyſter injectus.

Hinc ſingulis diebus offeratur julepus refrigerativus conſtans ex

decocti refrigerantis ℥IV. Julepus refrigerans.
ſyrupi violarum aut de cichor. ℥ij.

m. & f. julepus, de quo ſumat ad libitum pro potu; aut

℞. aquæ endiviæ Alius.
cichor. an. ℔ſ.

roſarum

roſarum ℥IV.
ſalis prunellæ ℈ij.
ſyrup. de nymphæa
violarum aut de 5
radicib. an. ℥iſ.
m. vel

Potus. ℞. raſuræ C.C. ℥ij.
coque in aquæ hordei vel
papaveris ſ q.
℞. hujus decocti ℥iij.
ſyrup. de tuſſilagine
de praſſio
capillorum veneris
an. ℥j.
ſpiritus ſcordii ſine additio
ne gutt. VIII.
vitrioli gutt. VI.

m. f. potio, qua aſſumpta aliud præſcribatur, cui nonnunquam poſt purgationes univerſales ſachari ſaturni ℈ſ. vel gr. VI. admiſceri poſſunt.

Die ſequente poſt venæſectionem detur apozema aliquod aperiens & laxans, aut quod non incommodum, purgetur infuſione rhabarbari, aut extracto panchymagogi. Aut fiat ſyrupus magiſtralis ad naturam patientis, & humoris peccantis accommodatus.

Hinc per duos dies utatur manè & tribus horis à prandio aperiente & laxante apozemate: quinto die iterum purgetur habito reſpectu ad dies criticos: ſi febris non remittat, iterum aperiatur vena die octavo, & ex indicantium ratione detrahatur ſanguis. ſemper interim continuando julepum dictum, cui etiam nonnunquam guttæ aliquot ſpiritus vitrioli aut ſulphuris admiſceri poterunt, aut ℥j. ſucci limonum depurati.

Si vires labaſcant, interdum detur confect. alkermes aut de hyacintho, aut cum ſyrupo de limonibus & aqua cordiali deſtillata, poteſt etiam fieri opiata, quæ

℞. conſerv. nympheæ Opiata.
roſarum
cichor. an. ℥j.
ſalis perlarum ℈j.
ſpiritus vitrioli ℈j.

cum aq. cordialis temperatæ & ſyrupi de limonibus q ſ. f. opiata, de qua capiat ad lubitum.

Item interdum veſperi cum dictis confectionibus, & diebus criticis præſertim offerri poſſunt gr. VI. lapidis bezoartici aut ℥ſ. aquæ è typhis cervorum: Imo ſi à dicto julapio abhorreat, ptiſanæ incoquere licet raſuram C. C. quam ſi rubeam inſtar vini deſideres, adde radicis oxalidis ſeu acetoſæ ad libitum, ſed tunc non oportet addere liquiritiam, ſed paſſulas, jujubas, & radices inibi relinquantur donec refrigeſcat.

Interdum magno cum commodo in talibus febribus excitatur ſudor aut cum lapide bezoar, aut

cum antimonio fixo diaphoretico, aut cum bezoartico minerali.

Datur poſt ſudorem in copia, imò & ipſo ſudore julepus cum ſale prunellæ, aut aqua hordei cum ſpiritu vitrioli, vel ſulphuris ad aciditatem gratam.

Si lingvæ ardor adſit, prodeſt extrahere mucilaginem è ſemine cydoniorum, aut malorum granatorum, aut ſalem prunellæ in aqua diſſolvere, ut talia æger in ore teneat. Item ſæpius comedat malum granatum.

Si adſit magna lingvæ nigredo, convenit aperire venas ſublingvales.

Notanda in febre quotidiana.

Si febris ſit intermittens, eadem medicamenta quoque prodeſſe poſſunt, variata tamen pro conſtitutione materiæ & morbi, modò obſervetur quotidiana ſi adſit, in qua plerunque de ventriculo conqueruntur, ut offeratur vomitorium ſemel atque iterum ex infuſo florum, aut vitri antimonii, aut vitriolo albo. Hinc ſine omni coctione medicamentis paulò fortioribus purgetur, quæ ut in aliis ſemper eo modo offerenda, ut ante paroxyſmi operationem ſuam perficere poſſint, verbi gratia, ſi acceſſus ſit horâ nona matutina, dandum purgans horâ tertia & ſic conſequenter.

In fine paroxyſmi ſudor, qui plerunque prorumpere ſolet ſponte, largiter ut fluat, permittatur, ægro benè cooperto, & tum largiter concedatur potus julepi ſuperioris præſcripti. Si non purgetur, ſemper ante paroxyſmum horâ una aſſumat julepum dictum, cui dupla quantitas ſalis prunellæ addita ſit, de quo bibat, quantum voluerit, ad minus ℥VI. aut ſi abhorreat, fiat emulſio.

Poſt primam purgationem die ſequenti, ſi vires conſtant, aut ſi non, ſubſequente, vena (a) *ſecetur.*

(*a*) Venæſectio in tertiana nocet, & febrem prolongat.

Si his medicamentis per tempus aliquod continuatis non cedat febris, utile eſt ſub initio paroxyſmi, cum prima veſtigia horroris in artubus gliſcunt, exhibere in adultis ℈ij. in fœminis ʒſ. vel ℈j. in pueris ℈j. vel ℈ſ. ſequentium pilularum, quæ mirificè morbos febriles expellunt, de quibus ſupra de intermittente febre:

℞. *vitri antimonii per ſe facti & cum ſpiritu vitrioli albificati, ac tenuiſſimè pulveriſati ʒſ.*
ſachari canarii ℥iiij.
farinæ tritici ℥IV.
croci ℈j.

Coque in aqua communi, igne lento ad formam pultis, ad plenam ſpiſſitudinem, cavendo, ne in fine aduratur; ſed ferè panis formam

mam habeat, fac inde globulos &c. aut detur cochl. ſ. aquæ febrifugæ ſequentis:

Aqua febrifuga. ℞. *aquæ centaurii minoris*
fragorum an. ℔*ij.*
mellis ℥*iij*

m. in cucurbita &c. hujus deſcriptionem vide in annotationibus in Crollium & alibi.

Aqua in omnibus febribus:

Aqua ad omnes febres. ℞. *nitri* ℔*j.*
ſulphuris
ſalis armoniaci an. ℥*ſ.*
ex ſulphure & nitro fiat lapis prunellæ, in fine addendo ſalem armoniacum.

hujus lapidis ℞. ℥*ij.*
aquæ cardui benedicti ℔*. IV.*
olei ſulphuris per camp. ℈*ij.*

m. & f. aqua cardui benedicti compoſita ſecundùm artem. Hujus aquæ ℥*IV. veſperi exhibeantur aliquoties in malignis tertianis &c.*

Obſervatio. *Vidimus quoque alios curatos eſſe ſale abſynthii à* ℈*j. ad* ʒ*ſ cum ſpiritu vitrioli gutt. VI. aquæ cichorii* ℥*j. ij. aut iij. ante paroxyſmum tribus horis, expectato ſudore in lecto. Aut detur doſis ex ſpiritu tartari, aut ſalis armoniaci præparati ut diximus in cruditate ventriculi à gran. VI. ad VII. in aqua centaurii minoris, vel decocto cichorii, tribus horis ante paroxyſmum, expectato in lecto ſudore largius profluente, febrem tollit. Eadem doſis eſt iteranda, ſi primâ vel ſecunda vice non ſatis fecerit.*

Multum quoque valet ſpecificum febrile Crollii ex conchis, cujus doſis ℈*j. vel* ℈*ij. in hauſtu vini.*

In omnibus dictis febribus non intermittenda epithemata cordi, epati & teſtibus applicanda, de quibus vide apud Practicos.

Tandem notetur, quod in omnibus intermittentibus diuturnis ad antimoniata & mercurialia confugere liceat, eò quod fomes abſconditus ſit in parte aliqua interna, imprimis in meſenterio, unde niſi uno è dictis medicamentis omnia percurrentibus excutiatur, vix fomitem unquam rectè expelles, niſi longo tempore. Notanda

In quartana fiat principio ſyrupus magiſtralis liquidior ex aperientibus & ſpleneticis, & melancholiam expurgantibus, de quo ſingulis diebus matutinis aſſumat doſin, excepto die, quo laborat febri; aut fiat apozema aperiens & laxans, de quo capiat ſingulis diebus doſes duas manè, & horis tribus ante cœnam; emplaſtrum lieni applicetur ſemper ex ammoniaco gummate poſt univerſales evacuationes. Ad quartanam.

Sublatis obſtructionibus ad antimonialia accedere licet, quibus

bus ſi malum non cedat, convenit offerre duobus diebus continuis bezoarticum minerale, cujus poſt aſſumptionem excitetur ſudor in lecto.

Ante paroxyſmum cum ſigna præſentis inſtant, datur olei caryophyllorum gutt. VI. vel VIII. in conſerva aliqua aut ſyrupo, aut detur ſucci expreſſi de ſempervivo minori cochlear cum vino, aut offeratur infuſum aſari, vel imò vomitorium.

CAP. CLXXVII.
DE PESTE; Germ. die Peſtilenz.

ACutorum morborum, quotquot ſunt, acutiſſimum ac horribiliſſimum peſtem eſſe, probari hinc poteſt, quod nullus alius tanto cum impetu hominem invadat. Quamvis apoplexia, angina, catarrhus ſuffocativus, & hujus farinæ etiam ſubitò ac inopinatò vitam adoriantur, ac vix unam vel alteram diem ſupervivere ſinant, atque etiam ipſa peſte incurabiliores exiſtant, attamen non ita cunctis metuendi ſunt, & præſervativis declinari poſſunt. At peſtis æquè robuſtiſſimos quàm debiles cujuscunque ſint ætatis vel ſexus pari violentiâ impetit, celerrimèque necat, ac ſæpè integra regna vaſtat, cujus malignitas etiam tanta eſt, ut ipſa elementa ab ea inficiantur nullo excepto, nam licet hoc falſum videri poſſit, eò quòd aër peſtilens igne corrigatur, notum tamen eſſe debet, ignem noſtrum ardentem nequaquam elementum eſſe, verum autem elementum ignis eſſe calidum aëris à ſole ſtellis & motu naturæ proveniens, in quo calido peſtis potiorem ſuam vim, multoq; magis quàm in frigido exercet. Peſtis itaque princeps eſt morborum, ac unum è magnis Dei flagellis, quibus ab ævo ad punienda peccata uſus eſt, cujusmodi ſunt: bellum, fames, atque hæc plaga. Quorum etiam brevi poſt diluvium in ſacris mentio fit, ac tempore Abrahami ſimul ſunt graſſata, ut legitur Gen. 12. & in ſequentibus: ſcilicet tum temporis magnam extitiſſe famem, cujus gratia Abrahamus in Ægyptum migrare coactus fuit, ubi cum Rex ejus uxorem rapuiſſet, magna ideò Ægyptiis Divinitus miſſa fuit plaga, quæ teſte Joſepho peſtis fuit, deinde etiam tertium flagellum acceſſit nimirum bellum illud ſævum inter novem Reges. Pariter interitus primogenitorum Ægypti procul dubio nil aliud fuit, quàm ſæviſſima peſtis ab Angelo ultore excitata, qua procul dubio in tam populoſo regno, in cujus ſola urbe Alkairo adhuc hodie ultra octo milliones hominum reperiri dicuntur, innumeræ myriades tam hominum quàm jumentorum una nocte interierunt. Quemadmodum etiam ſexcenta illa millia Iſraëlitarum in deſerto potiſſimum peſte exſpiraſſe probabile eſt, quandoquidem ſingulis vicibus multa millia uno die ſimul divina plaga ſuſtulit, quæ vera peſtis haud dubiè fuit. Similiter dum tempore ſummi ſacer-

dotis Eli arca fœderis flagello martiali ablata fuit, reliqua duo Dei flagra etiam ſimul adfuere, innumeri enim mures perdiderunt fruges, & ita famem cauſarunt, ubi ſimul multa millia ex dolore hæmorrhoidum occubuerunt, quorum mors procul dubio fuit plaga peſtifera, dolor verò ejus ſymptoma. Cumque ideò palæſtini arcam Dei iterum domum miſiſſent, etiam plaga illa ſimul ad Iſraelitas tranſiit, & ſtatim in eorum finibus quinquaginta millia Bethſemitarum extinxit. Pari modo etiam Rex David tria illà flagella ſimul in ſuo Regno expertus eſt, videlicet bellum forſan trium menſium cum rebelli filio Abſolon, famemque trium annorum in pœnam interfectorum Gibeonitarum, nec non peſtem trium dierum, qua 70000. ſublati ſunt. Quum etiam in caſtris Regis Sennacherib in una nocte 185000. ab Angelo Dei cæſa ſint, ſine dubio Angelus peſtem excitavit, qua celeriter tot infecti mortui ſunt.

Eſt autem peſtis pariter febris acutiſſima, quam Dogmatici incendi volunt tam in ſpiritibus quàm humoribus & ſolidis partibus ſimul; Hieronymus verò Fracaſtorius Italus peſtem dicit febrem ſordidæ & profundæ putrefactionis includentem ſemina acutiſſimæ contagionis per ſe, propter quod & lethalis ſit & ad alios contagioſa. In quo & alii plerique conveniunt, peſtem nimirum eſſe quandam putredinem & corruptivæ qualitatis, prout etiam omnem putredinis & corruptionis naturam edit, quemadmodum enim putredo in calore febrili efficax eſt, & carnem recentem mox corrumpit, ita ut fervente æſtate nulla recens caro per unum & alterum diem abſque ſalis copioſi aſperſione aſſervari poſſit, quin fœteat; ita etiam peſtis maſſam carnis hominis vivam putrefactivâ qualitate inficit & corrumpit, & tempore calido potiſſimum ſævit, frigido verò impotens eſt, prout etiam hyberno tempore carnes recentes non adeò corrumpuntur; cur autem putredo peſtifera tam potens ſit ad corpus vivum incendendum, cum aliàs caro non putreat niſi vita & ſangvine prius orbata, & quamobrem tam rarò ſæviat, nec univerſim cunctos ſimul invadat, ſed unum ex altero inficiat, id explicatu difficile eſt. Videtur tamen id contingere per aciditatem volatilem putredinoſam ſpecificam, tempore calido poris aëris à cadaveribus humanis & ſimilibus inſpiratam & inter reſpirandum pulmonibus & conſequenter cordi communicatam, idque imprimis in temperamento calido & humido ſeu ſangvineo, quod veluti dulce eſt, & promptè ab aciditate fermentatur, ut videre licet in omnibus dulcibus aqua diſſolutis, quod nimirum de facili in calore mediocri aceſcant, præſertim ſi non nil ejusdem ſubſtantiæ parum jam antea acificati addatur, ut piſtores & aceti paratores norunt, talis inquam aciditas eſt volatilis, vaporoſa & incipiens, ac proinde corruptiva & putrefactiva, qualis notatur in vino jam jam in acetum mutando, quamprimum enim aceſcentia

ſcentia in ipſo incipit, ſtatim per totam ejus ſubſtantiam innumerabiles vermiculi generantur, totumque vinum corrumpitur, & in aliud ens nimirum acetum mutatur, incipiente tamen tantummodò aciditate pollens, quæ ſi abſolvatur, ſeu abſolutam aciditatem fixam aceti induat, tunc vermiculi in ea amplius vivere nequeunt, ſed ab acri aciditate interficiuntur, omnesque fundum petunt ac in matrem aceti mutantur; eadem aciditas incipiens tempore calido etiam in caſeis, carneque recenti, ac aliis rebus putreſcibilibus vim ſuam mox exercet, earumque ſubſtantiam corrumpit, ac in vermiculos ſeu termites convertit, veriſimile ergò eſt tempore horrendæ peſtis etiam talem aceſcentiam volatilem putrefactivam in aërem ferri, & à corporibus ſangvineis & bilioſis, quæ calidiora & putredini aptiora ſunt (prout etiam calidiores radices, ut zingiber, angelica, raphanus citius vermiculeſcunt) ducto ſpiritu attrahi, ab ejsque totaliter fermento corruptivo fermentari, & vermiculeſcere, ex quo totum corpus ab acido prius rigorem contrahit, ac dein ab univerſali putredine ſimul inflammatur, incipienti autem corruptioni ſi mox per efficaciſſima medicamenta occurratur, ea ſudoretenus expellitur & mortificatur, prout etiam in aceſcente, & jam jam verminuloſo vino obſervavimus, quod injecto argento vivo omnes vermiculi ſimul mortui ad fundum vaſis deciderint, at ſi jam vinum in verum acre acetum ſit mutatum, tunc aciditas fixa non amplius expelli poteſt, etiamſi mercurius injiciatur.

Signa peſtis varia ſunt, imprimis autem hæc notantur: infectus ab initio gravitatem corporis ac capitis ſentit, ac triſtem temulentiam inſvetamque anxietatem, dein horrore corripitur per totum corpus, ſubſequente vehementi æſtu interno, interdum peſtis febre caret, ſitis non ſemper adeſt, ſed quandoque in parvo æſtu valdè affligit, nonnunquam in magno incendio non comitatur, in omni autem peſte magna ſiccitas lingvæ præſtò eſt, & ingens cordis anxietas, capitisque gravitas ſæpius cum ſummo dolore & calore, adeò ut & album oculorum rutilet, omnisque ſomnus intercipiatur, ac grave delirium infeſtet, in aliis inſuperabilis ſoporoſitas & ſomnolentia infectum detinet. Cor ſemper admodum debile & anxium eſt, viresque illicò primo morbi inſultu plus dejiciuntur, quàm in ulla alia febre non maligna, pulſus quoque ideò parvus eſt, ſi attentius tangatur. Quidam magnâ nauſeâ & continuâ vomitione, nec non ventriculi ſubverſione moleſtantur, alios inſedabilis diarrhœa alvique fluxus exercet, aliis hæmorrhagia narium, hæmorrhoidum, menſium, vel etiam ex auribus, ore, oculis vel urethra prorumpit; quamplurimis bubones rubedinis nitidæ poſt aures, ſub mento, in collo, ſub axillis, in ingvinibusve enaſcuntur, aliis carbunculi lividi vel atri inſtar picis ſplendidi, qui certum locum non ſervant, in omni enim corporis parte carbunculus Signa.

pro-

prorupiſſe obſervatus eſt, etiam in oculis, in naſo, in capite, ſtomacho, inteſtinis, veſica urinaria; bubones verò in præfatis locis ſtabulari ſolent, carbunculi & furunculi immenſum dolent & ardent, non ſecus ac ſi locus candenti ferro uſtularetur. In aliis lenticulæ nigræ, quæ certum ſignum peſtis ſunt, puncta, ſtigmata, vibices, exanthemata rubra, petechiæ, veſiculæve albicantes erumpunt.

Cauſæ. De cauſis peſtis quamvis certi quid ſtatui vel ſciri nequeat, in genere tamen omnem peſtem eſſe putredinem, certum eſt, augetur enim tempore calido, & minuitur frigido, ac ſæpiſſimè cauſatur à putreſcentibus cadaveribus humanis in præliis numerosè occiſis, & inſepultis, item à maligna qualitate noxiarum conſtellationum, & influentiarum, qualis excitatur à Saturno trigoni ignei ſigna nempe ſagittarium, arietem & leonem percurrente, nec non à Cometis pallidis, unde maligna ac putredinoſa aëris conſtitutio influit, qualem efficere ſolet diuturna aura auſtrina, vel omnimoda ventorum per diutinum temporis ſpatium tranquillitas, ubi nulla aëris alternatio & purgatio accidit, illudque ſpacium aëris tranquillum tandem muceſcit, non ſecus ac in vacuo dolio vinario flammâ ſulphuris non imbuto concluſus aër demum fraceſcit, ac omne inſuſum poſtea vinum corrumpit. Pari modo etiam talis aër putredinoſus reſpiratione attractus poſtmodum eos, qui promptè putredinem concipiunt, facilè inficit, qui deinde inſtar pomi putridi ulterius contagium transmittunt ad alios propinquè accedentes. Item infectuoſa veneficia, qualia interdum permittente Deo parantur ad hominum & pecudum perniciem ab impuris magis, quales etiam teſte ſcriptura ſacra fuerunt Jannes & Jambres, prout & plurima exempla nota ſunt ſubitanearum infectionum lethiferarum, non prius deſinentium, quàm ſuſpectæ ſagæ ſepultæ ſepulcrum ſit refoſſum, ejusque caput à cervice avulſum. Peſtis quoque celeriter excitatur in his locis, ubi plurimæ exhalationes humidæ ac frigidæ ex terra congregantur, ſcilicet in celliis vel caſtris loco paludoſo metatis, ſi ſimplicia igneo ſulphure referta ibi cremantur, uti ſunt: ſoldanella, cupreſſus, lavendula, ocymum, thymus, hyſopus aquaticus, mentha aquatica, plantago aquatica alba, caryophylli, ſpica &c. vitanda ergò talia ſunt in talibus locis, ſpiritus enim humidus ex ipſis avolavit, contrarium ergò vaporem fracidum arripiunt, ex qua contrarietate Saturnina & Martiali aura mox peſtilens exſurgit, & ab hominibus ad corruptionem pronis reſpiratione attracta eos celerimè inficit, ac dein ad alios contagio fermentali transfertur, uti experientia ſæpius demonſtravit in iſtis locis, ubi ejusmodi ſimplicia copiosè creſcunt. Ex antris quoque terræ concluſis aëremque mucidum continentibus peſtis excitari poteſt, ſi terræ motu vel aliis modis aperiantur, item à veſtimentis & utenſilibus infecta-

fectarum ædium, etiam per multos annos concluſis, ac dein ſubitò recluſis infectionem novam prodiiſſe, plura exempla ſunt, uti etiam à forti meticuloſa imaginatione, infectionem ſibi continuò imaginante, quemadmodum enim gravida per fortem imaginationem fœtui nævum imprimit, ita etiam talis imaginatio terrore plena proprium cor & ſangvinem inficere poteſt, in tali enim vehementi terrore & metu ſangvis ad interiora refugit, unde exteriora fiunt frigidiora, & ita neceſſariò horrorem quendam contrahunt, quem meticuloſus putat eſſe incipientem infectionis paroxyſmum, & ſic omnem paroxyſmi qualitatem propria imaginatione cudit, quantum enim valeat imaginatio in corpore afficiendo, quilibet per ſomnia novit, quando namque quis ſomniat ſe verberari, eundem dolorem tam perfectè percipit in ſomnio, ac ſi revera vapularet, at cum per evigilationem rediens ratio facilè advertat, hoc reipſa non contigiſſe, ſtatim imaginatio ejusmodi iterum ceſſat, ſi verò rationalis apparentia adeſſet verberationis, etiam imaginatio perrectura eſſet omnem ſenſum doloris corporis imprimere, in ejusmodi autem terrore à peſte rationalis apparentia nempe horror & horripilatio adeſt, unde facilè ratio conſentit, & è falſa imaginatione verus & contagioſus paroxyſmus peſtilens fabricatur. Utplurimum etiam ingentem annonæ caritatem peſtis vel morbi maligni ſequuntur, pauperculi enim tum coguntur contra famem varios pravos cibos comedere, à quibus vitioſus ſangvis generatur, & ſi interdum ſubitò poſt caritatem copia frumenti ſuppetat, eò majore damno plebs afficitur, ab una enim extremitate famis ad alteram plenitudinis non ſervando intermedium feruntur, quod idem etiam tempore belli accidit, ubi non tan tùm à cæſis hominibus & equis putredo cadaveroſa aërem corrumpit, verùm etiam miſeris agricolis omnis annona adimitur, imò propriis ædibus pulſi in ſylvis latitare, frigusque famem, pluviam, anxietatem, terrorem, mœrorem ac omnium rerum neceſſitatem perferre coguntur, unde non mirum eſt eos peſte ac malignis morbis corripi; accedit, quod ejusmodi magna bella plerunque antegreſſis cometis prænunciantur, qui cum ſint materia ardens, cum aliis phænomenis ardentibus in aëre ante peſtes apparentibus, ut ſunt dracones ignei volantes, ſtellæ cadentes & ſimilia, fortaſſis aëri empyreuma ex ſua conflagratione inſpirant, cui ſi vapores ex terra fracidi admiſceantur, eandem mixturam peſtiferam gignere poſſunt, ac ſupra de herbis conſimilibus dictum eſt. Talis quoq; putredinoſitas aëris relinquitur ſępius à magnis aquarũ inundationibus, ingentibus turmis locuſtarum, murium, erucarũ, bruchorũ, ranarumq;, item ex fœtore lacunarum, lacuum, torrentiũ paludum & ſtagnorũ, tempore calidiori putreſcentiũ, quæ aëris putredinoſa qualitas hujus morbi cauſa eſſe poteſt.

Doctrina Helmontii de modo fiendi peſtis.

Subtiſſimus verò Helmontius cum dogmaticis de cauſis peſtis in plerisque diſſentit, ac ſequentia ſtatuit: Scilicet in Natura duas ſaltem eſſe, nec plures cauſas, materiam nimirum, & efficientem, à ſe in peſte Archeum, vulcanum ſive ſemen appellatum. Materiam autem non eſſe indiſcretam hylen aliquam, quæ nunquam extiterit, nec in natura futura ſit, ſerviatque matheſi, & non ſpeculatori Naturæ. Materiam itaque peſtilentem ſpectari in relatione ad efficiens ſibi internum: materiam ergò peſtis eſſe ſylveſtrem ſpiritum veneno tinctum. Materiam autem iſtam tripliciter ad finem ſibi propoſitum tendere.

Quoniam vel forinſecus adventet, totaliterque ac perfectivè peſtifera à peſtilenti ægroto, vel cadavere, loco que vel utenſili inquinato exhalans; vel cruda adhuc à fracido Gas terræ intrò trahatur, quæ dein intus recipiat fermentum appropriativum, ac gradatim tandem venenum peſtilens in nobis acquirat. Vel etiam totum intus noſtri exitium materialiter & formaliter, absque externo adjutorio ſubinde conficiatur. Quod autem non ſint plures modi, quibus peſtis fiat, patere ex diviſione. Nam vel totam intus generari, ſine exotico auxilio, vel ab extra incidere. Eamque eſſe perfectam in materia & forma veneni, ſolius appropriationis & applicationis indigam. Vel eſſe adhuc crudam, imperfectam, ac veluti embryonem, unde ſaltem imprimis obviam evadat, quod peſtis non primariò ſemper cor invadat. Se enim vidiſſe, qui tangendo peſtiferas chartas, eo ipſo ſenſerit dolorem velut pungentis acus, moxque peſtilentem anthracem in indice digito oſtenderit, & poſt biduum occubuerit.

Porrò triplicem præfatam materiam utut prima ſit planè venenoſa: utrobique tamen ſe tenere intra numerum cauſæ antecedentis. Non ſecus enim atque toxicum oretenus aſſumptum non ſit ipſe morbus, aut mors, ſed tantùm cauſa occaſionalis ejus. Non enim quicquam corporeum agere immediatè in vitam aut vitales, (utpote quæ ſint de natura luminum cœleſtium) quin prius ſit receptum redditumque velut domeſticum. Cumque venenum aliquod jam ſit factum civis noſtri diverſorii, deglutitum nempe, vel attractum: nondum tamen adhuc poſſe ad occulta vitalium ſeminaria ingredi, vel admitti (quia ſit toto ſui eſſe externum) quin prius venenoſa qualitas agendo in vitam ſuſcitet Archeum (omnium alioquin agendorum ſub ſuo imperio Authorem atque opificem) in ſui defenſionem. Etenim non agere alioquin peſtilens venenum inſtar enſis, qui omnes in eodem attactus ſui momento vulneret æqualiter: peſtilens autem virus quosdam ferire non valeat. Archeus itaque, cum ex ſui indole habeat animales perturbationes, paſſiones, confuſiones atque alteritates, ſubitò de ſe proferat imaginem ſuæ alterationis conceptæ: illamque ideam in particula propriæ ſuæ ſubſtantiæ, in qua concipiatur, depingat.

Quæ ſic inſtructa mortis imago ſit ipſamet peſtis. Siquidem peſtem non aliquam nudam qualitatem exiſtimandam, tametſi non alibi, quàm in corpore, tanquam accidentia in ſubjecto inhærentia exiſtat: ſed peſtem eſſe ens, naturæ virus per ſe ſubſiſtens in nobis, conſtansque materiâ, formâ ac proprietatibus ſuis. Quod alibi tractatu de morbis penitiſſimè à ſe demonſtratum ſit, hîc autem monuiſſe ſat ſit, quod vita nil operetur vincendo aut perdendo, niſi per motus vitales animæ ſenſitivæ, quæ non ſit ſolita niſi per ideas operari in Archeum motuum quorumcunq; exſecutorem; prout nec Archeus aliter operetur in corpus. Quocirca hoc loco obiter notandum eſſe, quod materialis atque immediata cauſa morbi interna ſit ipſe morbus, non aliter quàm cauſa materialis in homine ſit ipſum ejus corpus à ſemine in ſenectutem usque perſeverans; non autem quod aliqua ſit hominis cauſa materialis conjuncta præter ipſam ipſius corpus, quod ſit ipſum generationis productum, ex cauſa materiali nempe, & ſeminali efficiente interno. Quæ hactenus ſcholis fuerint obtecta, adeoq; cauſas morborum occaſionales reputarint internas, immediatas atque conjunctas, planè adhuc diſtinctas à producto. Quapropter hoc loco denique repetendum eſſe etiam, nimirum in nobis eſſe ſex digeſtiones. Etenim in tribus prioribus ſua retenta ſuaque eſſe excrementa. Quæ cum ſingula in ſe ſuisque regionibus ſint moleſta, imò per complicationem atque extravagationem odioſa evaſerint, in transmiſſa ac transmutata degenerent, variosque inde inducant morbos occaſionaliter. In quartâ verò ac quintâ digeſtione ſe oſtendiſſe non admitti ullum perceptibile excrementum.

At in ſexta, quæ ſit transmutatorum, plurima occurrere ſtercora ſpontanea, errore vegetativæ: aliqua inſuper aliunde transmitti, ut etiam non pauca violento ſuſceptorum imperio degenerare. Quæ hactenus à ſcholis neſcita, ideòque & neglecta fuerint, quæque ideò nomine proprio caruerint, quorum effectus morboſi ridiculè in quatuor fictos humores hepatis fuerint translati & adjudicati. Has ſordes vocare ſe tartarum cruoris, licet etymo improprio, quia veri nominis defectu, perindeque eſſe ſive aliunde in habitum corporis ſint delatæ, ſeu demum proprio facultatum errore, ſub transmutando factæ, ſeu denique externorum violento imperio ibidem degeneratæ; tartarum quidem revera non eſſe in materia ac modo tartari vini, ſed quia ex bono alimento jam deturpato, quod antea fœcundum fuerit atque vitale, poſteaque hoſtile evaſerit. Hunc tartarum cruoris, illumque facilè fieri à cauſis efficientibus peſtiferis. Peſtem autem eſſe venenum terroris, ideòque ſedem ſive nidum ejus eſſe in hypochondrio, ubi videlicet prima terroris humani ſit conceptio, ſive perturbationibus externis, ſeu demum ſponte conceptorum motibus contingat. Quamobrem

adeſſe

adeſſe in peſte vomitum, delirium, dolorem capitis &c. quæ ſint è republica ſplenis. Itaque ſi ſcholæ tartarum hunc cruoris pro cauſa conjuncta poſuiſſent, tamen adhuc diverſitatem ab hoc ſenſu intercedere. Quatenus quod penes illas cauſa connexa eſſet, in hoc ſenſu peſtis productum ſit. Nam peſtem heteroclito modo nos invadere; nec ejus materiam conjunctam eſſe aliquod ſolidum corpus, vel liquorem viſibilem, ut neque idcirco conſpicuam aliquam putredinem; ſed ſolùm gas ſeparatum ac degeneratum ab Archei ſubſtantia. Quicquid autem viſibile, vitiatum in peſte occurrat, non eſſe de ipſa materia peſtis, ſive non materia ex qua: ſed eſſe vel materiam occaſionalem, de qua ante, vel eſſe productum, ſive fœtum, in quo peſtis ſedeat tanquam in nido. Quapropter anthracem, bubonem, aut eſcharam non eſſe materiam primitivam peſtis, ſed effectus ac productum, quod peſtis ſibi pararit. Nam plerunque eſſe peſtem tam atrocem ac velocem, ut ſimul atque in archeum ſit introducta, nequeat obmittere, quin de humore alimentario partem aliquam non ſubjiciat ſuæ tyrannidi, habitetque in ea. Quocirco ſi putridus humor cauſa immediata peſtis eſſet, putridus fuiſſet antequam putruiſſet. Cum nempe ipſa peſtis ſibi paret vitioſum illud productum, quod ſcholæ vocent humores indefinitos. Fernelium enim ſcholis paulò ſagaciorem eſſe voluiſſe, ideòque noviſſe, peſtem non naſci, vel conſiſtere è putredine quatuor fictorum humorum, ut neque ex aëris calore aut frigore, ſed ex veneno aliquo abditarum cauſarum alumno. Denique advertendum, quod cum tartarus cruoris ſive ultimæ digeſtionis vitiatæ ſcoria ſuſceperit fermentum peſtilens, non minus quàm cætera transmutata privilegium habeat exhalandi per poros, ſine ulla poſt ſe reſidentia, ſive reſiduo capite mortuo, ſi nempe humores fuerint alimentarii, non autem ſi ipſa ſolidorum ſubſtantia in eſcharam aut anthracem ſit ambuſta. Sic nempe multo duriora luis venereæ tubera oſſibus velut æqualia arrepto reſolutionis concilio penitus evaneſcere. Quanquam autem tartarus cruoris præfata quoque gaudeat prærogativa, quoties extra vitæ œconomiam ut infamis ſit proſcriptus: attamen dum in pus aut virus ſanioſum transmutatus ſit, pellem prius arrodere in eſcharæ ſpeciem, quàm quod vaporetenus, transſudet. Idque ſcilicet ob impreſſam peregrini fermenti labem, quâ degeneraverit in transmutatum formale. At ſi odorem quidem fermenti hauſerit tartarus cruoris, ſed nondum ſit transmutatus; fieri glandulas, bubones &c. quæ ſudoris profluvio citra cutis apertionem non rarò terminentur, ubi præfata alia id nequeant, hæcque omnia ferè à ſcholis in catarrhos eſſe relegata. Totum ergò tartarum cruoris domeſticum quidem partum eſſe, ſed nothum, qui à vi, deſtructione & errore intruſus. At cum remedia naturæ ſint

ſubnoxia tantis digeſtionum aulis,& corpora præſtantiæ tam eminentis poſſideant violentiam, atque agendi robur, itemque ſordes admiſtas aut ſeras difficiles habeant, non ſat æſtimatam eſſe pyrotechniam, quæ unum ſubinde ſimplex eò altitudinis graduet, ut omnes digeſtionum ſordes in extimas usque oras perſequatur cum vindicta. Alioquin in ultima digeſtione plurimos occurrere langvores, inter incurabilia à ſcholis relata, ob unicam ſolius remedii culpam, quæ defectum comitetur & accuſet. Non ſecus atque ſagarum opera ſanatione deſtituantur, quod negligantur remedia, quæ in mali radicem eant. Siquidem diabolica ejusmodi incommoda non tam corpus ejusve ſordes apprehendere, quàm Archeum ipſum; qui cum ſit velut hominis lucida imago, ſequatur, quod dum ille ſpiritus in aliquo ſui corporis organo detorqueatur, idem membrum patiatur Archei ſymptomata, adeòque quicquid patiatur ſpiritus vitæ ſenſusque rector, neceſſe ſit, patiatur corpus, non autem contra; neque enim qui uno crure mutilus ſit, proinde mutilum generare. Quia ſpiritus non ſit defectuoſus. Nam quicquid corpus patiatur, licet hoc idem ſentiat ſpiritus: non tamen hic contrahatur, niſi paſſio ad extremum vergat. Id eſt intra vitæ radicem, ſive ſpiritum inſitum confermentetur. Non eſſe ergò mirum ſi tartarus cruoris ab idea Archeali concitetur; quemlibet enim ſcire quod indignatio, confuſio, triſte nuncium, terror &c. ſtatim appetitum edendi tollant, ſuſpiria vel lachrymas concitent,& inſolitam ſarcinam præcordiis ſubtendant; quatenus nempe alimentum ſextæ digeſtionis in ſtomacho degeneret, ubi videlicet ejusmodi paſſiones proximè fabricentur.

Hunc ergo cruoris tartarum ſemel degenerem factum hoſtis mox more infeſtare. Ac prout canis ſemel rabidus rabiem ſuam morte luat: ita tartarum illum ſemel proſcriptum, inque ſordium numerum relatum nunquam deinceps in gratiam redire, quia quicquid Archeus ſemel deſerat, confeſtim moriatur, quodque mortuum ſit, non amplius reviviſcat, nec pacem cum hoſte ineat. Itaque vindictæ cupidinem, & philautiæ indignationem in primo naturæ fonte radicitus connata eſſe, manifeſtius quoque inſurgere in ſubjecto perfectiore: adeòque in ſenſitivis poteſtatis iraſcibilis thymoſin ac gloriam ſibi vindicare. Quare tartarus ille cruoris peſte ſubactus non pareat amplius vitæ legibus, ſed priſtinæ obedientiæ ſuæ pœnitens furoris libertatem effrenem ſibi arroget, eoque nos truculentius infeſtet, quo fidentius ſemel abdita intus archei conſilia receperit, quod ſymbolizare nominent ſcholæ. Furem enim tum eum eſſe domeſticum, cui viæ ad theſaurum, promique inteſtini ſint cogniti. Quàm enim celeriter necent paucæ puris guttæ ſub cranio? quamque atrocitatem non minetur cruor extravenatus? quàm crudelis vel unica ſpina in apoſtemate? non mirum

itaque

itaque morborum ferociſſimam peſtem mox parere ſuum productum, ſedemque ſi non invenerit, ſibi ſtatim facere. Reſtare tamen ſanandæ peſtis ſpem, quod tartarus ille ſuumque peſtis diverſorium diffluentur debito ſudoris exterminio. Scilicet quamdiu manſerit in ſpecie liquabilis tartari, alioqui namque ſi partem ſolidam arripuerit, ſpem vitæ intercidere, niſi pars arrepta ſtatim ſequeſtrari queat. Ectymata autem, ſtrigibilines nigras, aut vibices Archeum denotare affectum. Pellis namque eſſe tincturas ſuperficiales; quam ſi profundius apprehenderint, etiam cauterizare. Cumque Archeum imediatè penetrent, præ cæteris celerrimo indigere remedio. Notatu quoque dignum, inſenſilem diapnœam in peſte differre à ſudore, eò quod diaphæreſis ſive inſenſilis transſpiratio ſit materia alimenti, adeòq; etiam tartari cruoris contaminati; ſudorem verò eſſe de ſubſtantia laticis. Transſpiratio autem cum ſit continua, etiam citra ſudorem: hinc fieri, quod ſudor potiſſimum abluat, & ſicca transſpiratio ob id raro ad peſtis ſanationem ſufficiat, abluensque ſudor copioſus ideò ciendus, ut tum peſtilens tartarus transſpiret ſuâ veneni nequitiâ, ſudore partim eluatur, partimque diſceſſus mora acceleretur. Hinc liquere difficultatem à ſcholis notatam & non diremptam; nimirum cur aliquot defectus ſtomachici non vomitu aut ſeceſſu, ſed ſolo curentur ſudore, eò quòd conſiſtant in retentis ſtomachi transmutatis in ſexta digeſtione, non autem in cremoris reſiduis. Peſtem itaqua plerumque in ſtomacho incipere, ibique tartarum patrare ac inficere, in quem perturbationes Archei ſuos fecerint mox impetus; nam omnem imaginationem concupiſcibilem ibi ſuam ſedem habere, atque ideam fabricare, maximèque circa ſtomahi orificium vitales vires celatas eſſe. Quia autem tartarus cruoris forma ſit mucaginis, hinc peſtis ideam, lubentem in glandulas protuberare. Stomachus namque ejusque Archeus quia continuam imaginandi ſocietatem in cerebrum mittat, hinc parotides pone aures. Per diaphragma verò in pulmones atque axillas penetrare, oririque ſpirandi anxietatem. Peſtiferos autem odores in ſtomacho paratos vomitus frequentes cum dolore capitis comitari, prout etiam ab odoribus carbonum ſæpius vomitio cum cephalalgia & appetitus dejectione ſequatur. Sin autem ad hepar pergant, bubones in ingvine prorumpere. Peſtiferum autem odorem eſſe fracedinem, cui cuncta corpora etiam alexiteriorum, ipſusque aër ſubjacet, ita ut odorem hunc fracidum venenatum combibere, & transferre poſſint. Solum autem ſulphur inter corpora creata fracedini & peſtis contagio reſiſtere, quia inſtar ignis omnem fracedinem tam in doliis, quam locis ipſis arceat, deleatque cujusvis attactus & odoris veſtigia. Sulphur enim ſic quoque tollat omnem propemodùm pellis ſcabiem, quia contagii inimicum, quocirca neque mirum, ſi peſtis in

pellem derivata ab interno initio, per ſulphur quoque extrahatur. Etenim cum in univerſo nil promptius ignem concipiat ſulphure, quia merus velut ignis ſit; non mirum, quod ſulphur demonſtret proprietates ignis, quæ ſint, omnia comburere, nec contagio infici.

Quamobrem ſulphur ab Hippocrate appellatum eſſe τὸ θεῖον ſeu divinum, eò quod peſtem à Diis immitti creditam profliget.

Juſſiſſe autem Hippocratem primùm domos peſte infectas ſulphure ſuffiri, ubi cum ſulphure combuſto omne ejus ſemen per flammam deſtruatur, ac in gas ſive ſpiritum ſylveſtrem transmutetur, qui peſtis ſit antidotus, non autem flores, fuligo, oleum vel quicquid corporaliter ab accenſo ſulphure aſcendat, ſed ſolum gas illud, quod etiam vinum ejusque dolium à fracedine præſervet, & hyſtericas recreet. Hippocratem verò omne vinum, quod in peſte dederit, ſuffiiſſe hoc modo: lychnium ſulphuratum accendiſſe in lagena ſeu poculo ſtricti colli, donec flamma à fumo fuerit ſuffocata, tum vinum ad tertiam partem affudiſſe, ac poculum arctè concluſum agitaſſe, dudum conquaſſando ſurſum atque deorſum, donec vinum omne gas ſulphuris in ſe combibiſſet. Myracopa autem ſuppleviſſe, ungendo corpus vino Græco, cui tenuiſſimum pollinem ſulphuris incoxerit, ſudantibus verò eundem pollinem exſiccatum ſole aſperſiſſe, & frictionibus juſſiſſe applicari. Sulphur enim in cote lævigaſſe cum aqua, & rurſus exſiccatum ſervaſſe ad uſus, dediſſe autem cum vino ſalito & calente grana ſulphuris viginti quatuor, ut ſudores proliceret. Salem autem olla vitreata primum decrepitaſſe, mox aucto igne liquasſe; nam aliàs ſalem ſordes in ſe continere, quæ primo crepitu avolent, dehiſcente ac ſubſiliente ſale, ſpiritus hos facilè fraceſcere, ac ſalem contagionis metui ſubſternere, ceu ſali admodùm peregrinos, qui licet dudum ante ſalis fuſionem fugiant, inſtituiſſe tamen ſalis liquationem, ut per ignem abſumatur, quicquid exotici in ſale contineretur; obſervaſſe enim mox à peſtis invaſione conſternatū appetitum, dein & impuritates in ſtomacho ſuccreſcere fracidas, ac nidoroſas, unde cephalalgia, vomitus, nauſea, deliriū, ſopor &c. orirentur, quę ſanationem peſtis impedirent. Sumpſiſſe itaque carnium communem balſamum ſalis, qui fracidum virus atque putredines everteret abſtergendo cum virium conſervatione. Dediſſe autem ſalſum vinum fervidum, non autem tepidum, ut nauſeas compeſceret, & ſudores potenter cieret, ſulphur verò addidiſſe, ut ſuo velut odore peſtem interimeret, quia ſal abſtergat, à putredine conſervet, & ſulphur venenum cohibeat. Hunc autem ſudorem præſcripſiſſe triduo ad minimum, ſæpè tamen in hebdomadam dilataſſe. Quotidiè autem ſudaſſe bis, & vice ſingulâ per diei ſextantem ſi potuerint, primis diebus plus, ac deinceps conſequenter minus, ſublato inter ſudandum omni potu;

peracto autem ſudoris termino hordei cremore cibaſſe, & pro potu vinum Græcum picatum, cui infuerint pauca grana ſalis præfati & ſulphuris. Folia autem aſari aceto macerata calida ſuperpoſuiſſe buboni, plantis pedum atque manuum, quæ poſt horas duodecim ſepeliri juſſerit, quoniam immenſum fœteant. Factum eſſe deinceps, quod Græcia uvas conſperſerit muria maris aliquoties, priusquam ad torcular deferrentur, ſvaſu Hippocratis, ut una ſic inſectæ ab uvis pellerentur. Hinc vina Græca etiamnum ſalſa hodie, neſcita uſus hujusmodi ratione. Ad grandes bubones & ſtigmata applicaſſe lintea calida generoſo vino intincta, cui ſulphur incoxerit. Præterea ſibi reſervaſſe arcanum, cujus obtultu ſibi divinos honores acquiſiverit. Fuiſſe autem carnem viperinam vel colubrinam, quas mundaverit, abſciſſis nempe caudæ extremo & capite, pellem excoriasſe, inteſtina cum felle abjiciens, ſolum cor & jecur reſervaſſe: omnem verò cruorem cum vena per ſpinam decurrente extraxiſſe. Carnem verò non bulliviſſe more, quo theriacæ indatur, ſed eandèm cum oſſibus & præfatis viſceribus exactè contudisſe, & tepido furno exſiccaſſe, donec pulverari poſſent, quem pulverem deſpumato coctoque ſatis melli inſperſerit, dum ſciverit carnes coquendo virtutem tam in jure quàm vaporibus deponere. Huic autem electuario aroma patrium addidiſſe ad palliandum ſecretum; myſterium autem ſanationi ſubeſſe, quod ſicut mors per ſerpentem irrepſerit, ipſa quoque per ſerpentis mortem vindicari debuerit. Hæc Helmontius.

Curationem quod attinet, ſub eam etiam præſervatio pertinet, multiplici autem experientiâ depreheníum eſt, ad præſervationem inſigniter valere omnes ejusmodi herbas, quæ perpetuò nempe hyeme & æſtate virent, quales ſunt: chelidonium majus, ruta, ſempervivum, aſarum, erigeron, pyrola, ſabina, ſummitates juniperi, baccæ lauri &c. quibus quoque addantur radices allii & ſcordium, hisce ſuperfunditur optimum acetum vini, ut virtutem bezoarticam extrahat, illudque acetum tam ad præſervandum quàm curandum contra peſtem, & febres malignas uſurpatur, ratio eſt, quod ejusmodi morbi ex mera putredine ſint, præfatæ autem herbæ mirum in modum putredini & corruptioni reſiſtant, ut earum ſignatura perpetuò vireſcens indicat, qua omnipotens Creator eas ſignavit, ut miſer homo eas ſemper diſcernat, noveritque, quod quum adeò potenter adverſus frigus & æſtum, vermiumque arroſionem ſeipſas tueantur, validum contra omnem corruptionem in eis contineri balſamum, tali etiam incorruptâ viriditate Creator ſimplicia illa magna mineralia nempe cuprum & vitriolum ſignavit, quantum etiam præſervativum à corruptione & contra hunc morbum in eis contineatur, hinc conjici poteſt, quod in iſtis locis ubi fodinæ cupri ſunt, nulla unquam peſtis ingruat, Curatio.

gruat, vel infectionis locum inveniat, imò ſi in viciniis incipiat, fugientes circa tales fodinas ſe tutos deprehendant. Idem etiam circa fodinas cinabaris nativæ ſeu minerarum mercurii obſervatur, quod nimirum talibus in locis nunquam contagium peſtiferum invaleſcere poſſit, ratio eſt, quod vapores mercurii omni vermiculationi & corruptioni reſiſtant; Dubium ergò non eſt, quin medicamenta è cupro & argento vivo parata plurimum adverſus peſtem operentur; hinc non poſſumus non credere, quæ de præcipitato mercurii veneris affirmantur, quod nimirum expertiſſimum ſpecificum ſit ipſius contagii peſtilentis, etiam ſi quis jam lethaliter peſte decumbat. Talis autem mercurius currens paratur è cupro variis modis, nunc ſine, jam cum additione argenti vivi vulgaris, modus vulgariſſimus fit hoc modo:

Præparatio mercurii cupri.

Capias limaturæ puri cupri q. pl. ex. gr. ℥ſ. ponatur in crucibulo, ac ſuperimponatur tantundem ſalis armoniaci minutiſſimè triti, nec non ℥j. mercurii ſublimati à ſale communi & vitriolo, pariter pulveriſati, & cum ſale armeniaco prius contriti; crucibulum mox collocetur in medio prunarum leniter accenſarum ſub camino vel in aëre libero, cavendo tamen ne aſſurgens fumus mercurialis halitu attrahatur. Quamprimum autem mercurius ſublimatus & ſal armoniacum calorem prunarum ſentiunt, incipiunt ſublimari, ac paulo poſt fundi & fluere, ſtatim ergò tribus vel quatuor momentis à fluxu præterlapſis crucibulum ex igne auferatur, ac ſponte refrigeſcat: poſtea ſuper patella diffringatur, ac argentum vivum per linteum exigatur, optimè mundetur, & per ſe in vitro præcipitetur, ut moris eſt; doſis hujus præcipitati parva eſſe debet, eſt enim acerrimus ob acredinem cupream, uti quidem ab aliis intelleximus, propriis autem manibus id experti non ſumus, nec operationem in ægris vidimus, noſtrum autem præcipitatum aureum dedimus in febre maligna jam deſperatiſſima, & nihilominus ægri convaluerunt, non dubitamus ergò, etiam in ipſa peſte eum ſummè prodeſſe, ob rationes ſupra allatas. Odorem quoque ſtercorum potius in peſte conducere arbitramur, quàm ut cum aliis damnandum & fugiendum cenſeamus, fuimus enim in quodam oppido, ubi, licet ſæpiſſimè peſtis in circuitu viciniæ graſſetur, nunquam tamen vim ſuam hæc lues exerere poteſt, quamvis ſemper incolæ peſte in vicinis locis ſævien te, infectionem iſtuc transferant, qualibet tamen vice ibi omnem poteſtatem amittit: nullam autem ejus rei rationem reddere poſſunt, quam quod id fiat ob fœtorem ſtercorum porcinorum, multos enim porcos alunt & ſaginant, quorum fœtor ſtercoroſus ſemper totum oppidum opplet. Hinc etiam Paracelſus inquit: *Omne ſtercus in peſte bonum, humanum autem optimum.* Cujus etiam egregia exempla habemus in obſervationibus Riverii, ſimiliaque nobis narravit amicus fide dignus,

ſe

ſe nimirum fuiſſe in nave bellica, in qua peſtis atrociter ſæviiſſet, chirurgus autem navis ſibi dixiſſet, ſi ſaltem omni manè particulam proprii ſtercoris deglutire poſſet, ab omni periculo tutum ipſum futurum, abominandum quidem hoc ſibi viſum eſſe, ſed terror & periculum lethale effeciſſe, ut demum aliquid deglutiverit, & ſic cum chirurgo omni manè ita perrexerit, & uterque nil mali ſenſerit, cæteris majorem partem peſte ſublatis. Rationem eſſe putamus, quod ſtercora merum ſulphur animale ſint, pr ut etiam mineræ cupri & vitrioli ſulphure minerali ditiſſimæ ſunt, & ex eo conſtant. In ſulphure enim peſtis antidotum contineri cum Helmontio exiſtimamus, ſalia verò volatilia & valdè calida, niſi aceto corrigantur, in peſte non probamus, vidimus enim graſſante peſte tales, qui theriacam & conſimiles confectiones calidas pro præſervativo quotidiè devorarent, brevi ſublatos, quod etiam dudum ante egregius quiſpiam Medicus hiſce verbis prædicebat: iſti homines ſtupidi uſu calidorum potius ſangvinem ſuum reddunt volatiliorem, videbis itaque eos peſte correptum iri, & ita eveniebat, ſalia enim volatilia, taliaque calidiſſima etiam extra peſtem propinata peſtem veram cum bubonibus, vel febrem malignam incendere poſſunt, uti etiam bis caſu accidiſſe ſibi D. D. Waibelius narrabat, ſe nimirum adeptum eſſe modum ſalem communem redigere in ſummam volatilitatem, ſeque ſperaſſe, quod ejusmodi ſal volatile egregia ſit medicina, & duobus dediſſe ægris, & in utroque mox incepiſſe febrem ardentiſſimam, ut ſat negotii habuerit febrem rurſus extingvere. De hiſce autem plura proferre nolumus, cum ipſe Author quamplurima remedia optima contra peſtem habeat, & ditiſſimus in hac re ſit ejus

TEXTUS:

PRæſervativa peſtis reperiuntur quàm plurima hinc inde apud Medicos deſcripta, ſed quàm certa extraque omne periculum poſita illa ſint, ſatis liquet, cum æquè præſervatos & ſecuros adoriri ſoleat.

Nonnunquam ubi præſertim nulla diſpoſitio eſt ipſius corporis, talia præſervant, ſed ubicunque ſcintilla aliqua depravati in nobis ſulphuris microcoſmici mercurio ſuccumbit, rariſſimè ab anhelitu venenoſo tuti eſſe poſſumus.

Uſus rhabarbari continuus, quemadmodum etiam zedoariæ multos ab infectione peſtilentiali tutatus eſt, ſed non omnes.

Nec pretioſiſſima potuerunt defendere cunctos, quantumvis nonnullis ſubſidio fuerunt.

Sic de cæteris quoque idem judicandum fuerit.

Sunt tamen nonnulla in quibus multum ſitum eſt operæ defenſionis & præſervationis, vide ide-

am Leimodeam Johannis Hennemanni Reyſingkii.

1. Specificum Elixir peſtilentiale Crollii multarum eſt virium, de quo vide Crollium.

*Huc pertinet antimonium diaphoreticum ſolare. Item aurum transparens & panacæa ex ſulphure antimonii ad bezoarticum minerale in notis adCrollium propoſita. Item pulvis Ducis Saxoniæ, **cujus** præparatio in pharmacopœa Auguſtana; Bezoarticum animale.*

2. Eſt ſpiritus vini camphoratus, vel aqua peſtilentialis meæ deſcriptionis, quæ ſic eſt:

Aqua peſtilentialis.

℞. *ſpiritus vini optimi ℔j.*
camphoræ ſelectæ tempore æſtivo ʒVII. ℈j. hyeme verò ʒX. ℈ij.

miſce incisâ prius camphorâ, & ſtatim ſolvetur ſine igne, appende in nodulo croci orientalis ℈ſ. & ſpiritus vini fiet aurei coloris. Hanc aquam ſerva in vitro capaci benè obturato nec pleno, ſed quinta vel ſexta parte vacuo, eoque neceſſitatis tempore utere ſecundum præſcriptum Germanicum Anno 1623. peſte graſſante editum.

Ejusdem virtutis eſt oleum camphoræ compoſitum (a) *ex oleo caryophyllorum, & ſale abſynthii factum, quod adjunctum eſt à me ad finem tyrocinii, quod cum reliquis requiſitis huc transferri poteſt.*

(a) Camphora eſt ſulphur puriſſimum apeò inflammabile, ut etiam in aqua ardeat, eſtque oleum coagulatum & exſiccatum, volatile tamen uti etiam ſulphur commune ejusdem eſt naturæ, & qui ea in oleum fluidum vult redigere, debet ipſa ſolvere quodam oleo, per ſe enim in ſubſtantia ſicca aſcendunt, ac in flores abeunt, quibus autem oleis ſolvantur, perinde eſt, modò ſit oleum pingve, poſſet quidem ſolutio inſtitui etiam oleis aromatum, nempe caryophyllorum, cinamomi &c. ſed nimis cara ſunt, melius ergò eſt parcere ſumptibus, & vulgarem modum retinere, qui fit cum oleo amygdalarum dulcium hoc modo:

℞. camphoræ ℥iſ.
ſalis abſynthii ℥iiſ.
olei amygdalaraum. dulc. ℥iij. Oleum camphoræ.

tere invicem in pultem, inde mixturam retortæ vitreæ, digere leni calore per tres dies, poſtea deſtilla, transitque oleitas ſpiſſa inſtar butyri, in fine aufer vas recipiens, ne ultimum empyreuma in illud transſpiret, ignemque urge, ut ſal abſynhtii probè percandeat, tunc oleum deſtillatum rurſus ſuperfunde, alii addunt ℥iſ. camphoræ recentis, & deſtillationem eodem modo ex retorta cum brevi collo, in vas recipiens parvum repete, idque etiam tertiâ vice; tum reſtingve in eo leviter candefactos ſilices, confeſtim vas obtegendo, ne oleum incendatur, atque ſic oleum per ſe rectifica, & clarificatur: hoc oleum pro certiſſimo curati-

curativo & præſervativo peſtis habetur, exhibendo ejus gutt. IV. vel V. ad præſervandum autem melius ſervire gas ejus exiſtimamus, quàm vulgaris ſulphuris, ſi eodem modo camphora in lagena vitrea incendatur, ac poſtea gas illud in vinum infuſum concutiatur.

lixir peſtilen- ale.

Elixir aliud:

℞. *Boli Armeni,*
Terræ ſigillatæ,
Sigilli Salomonis,
Helenii,
Tormentillæ
Pimpinellæ
Angelicæ
Oſtrutii
Sem. erucæ an. ℥ſ.
Caryophyllorum
Ligni aloës
Cinamomi an. ʒj.
Santali rubei ℈j.
Theriacæ optimæ ℥ſ.

Pulveriſatis affundatur ſpiritus vini ſufficiens quantitas, ſive menſura una, deſtilletur per cucurbitam in balneo. Doſis cochlear ſemis; ita tamen, ut cum aliis medicamentis fiat permutatio loco præſervationis, ita ut jejunent duas horas, poſt aſſumptum medicamentum; ratione curationis datur cochlear, & ſudor in lecto expectatur, qui continuandus pro virium robore, & repetenda exhibitio dicta de octo in octo horas, donec nullam amplius axietatem cordis ſentiat.

Ungventum cordiale:

Ungventum cordiale.

℞. *vini malvatici* ℥j.
ſucci citri ℥iſ.
ſucci ſalviæ expreſſi ℥ſ.
aceti theriacalis,
olei amygdalarum dulcium an. ℥ij.
ſtillatitii juniperi ℥ſ.
mithridatii optimi
theriacæ Andromachi an. ℥j.

Contuſa imponantur in arenam calidam ſine ebullitione in vaſe vitreo, donec ſucci in vino & aceto diſſolvantur, colaturæ adde
olei ſcorpionum ℥j.
ceræ parum.

Facta ſuper ignem lentum diligenti agitatione conjunge
olei ſtillatitii angelicæ ʒj.
citri ℈j.
extracti noſtri peſtilentialis ʒiſ.
zibethi ℈ſ.

Deducantur omnia in formam linimenti.

Extractum peſtilentiale:

Extractum peſtilentiale.

℞. *radicis angelicæ*
imperatoriæ
zedoariæ
enulæ
valerianæ
vincetoxici an. ℥ſ.
rad. tormentillæ
diptamni Cretici
gentianæ
petaſitidis
morſus diaboli

pimpinellæ an. ℥j.
ſem. leviſtici ʒiij.
angelicæ
meliſſæ an. ʒij.
citri ʒj.
granorum juniperi m. ij.
ſummitatum veronicæ
meliſſæ
ſcordii
ſcabioſæ
carduibened. an. m. iſ.
florum hyperici
verbaſci an. m. j.

Mediocriter confracta m. ſ. q. ſpiritus vini infundantur in loco calido vaſe benè clauſo, fiatque lege artis extractum.

3. Inſigne præſervativum paratur ex ſacharo candi albiſſimo, & ſpiritu ſalis cum ſpiritu vini dulcificato, quod fit hoc modo:

Spiritus ſalis dulcis. *℞. ſaccari candi albi pulveriſati ℥iiij. imbibe cum prædicto ſpiritu ſalis (ſpiritus ſalis ſic fit: ℞. ſpiritus vini & ſpiritus ſalis ana, deſtillentur ter vel quater, unientur inſeparabiliter & dulceſcent) ad formam electuarii, cujus doſis omnibus diebus manè jejuno ventriculo ʒj. omnem putredinem abarcet, & ventriculum cum viſceribus reliquis in optima conſervat diſpoſitione.*

Huc refer diuretica illa, de quibus ab initio dictum eſt. Ea nimirum ſimiliter ad curationem & præſervationem peſtis faciunt.

Sunt qui amuletis & periaptis multum tribuunt, neque forſan extra rem, de quibus vide notas in Crollium, & tractatum meum de peſte, ubi plurimas receptularum formulas invenies.

In peſte correptis commendant nonnulli ſalem ex ſarmentis vitium paratum uſitato more (comburantur illa & poſtea per ſulphur &c.) niſi quod ſæpius rectificandum (novies vel decies) hoc eſt ſolvendum & coagulandum fuerit. Hujus exhibent ſtatim ab initio (non eſt ratum eſt tamen commendatum ab aliis) ſi fieri poteſt, aut paulò poſt infectionem, ſcrupulum unum in vino, vel alia aqua peſtilentiali.

Alii poſt horas tres aut quatuor exhibent antidoti colubrini (antidotum colubrinum ſine ſale nullam habet efficaciam) communis ʒſ. vel ℈j. ad ſudores proliciendos.

Denique cætera neceſſaria curant, & nullam peſtem tam formidabilem eſſe affirmant, quin hoc antidoto expugnari, aut ſaltem ad emunctoria extrudi poſſit, præſertim ſi poſt operationem debitam confortativa acceſſerint.

Ad apoſtemata porrò ſeu ulcera peſtilentialia ſuâ ſponte vel etiam medicamentis intrinſecus ſumptis ad peripheriam ſcilicet ex

centro

centro prorumpentia adhibentur partim diſſipantia, ſeu extrahentia, partim reſolventia, quibus tandem ſubveniunt conſolidantia.

Diſcutientia ſunt multa & varia, quæ tamen non ſine prudentia cautè adhibenda ſunt, ne propter venenum ſemel ad cutim foras protruſum denuò intrò quaſi propellatur, atque poſteriora fiant deteriora prioribus; de iis vide Practicos.

Bufones exſiccati, ſed per caput ſaltem (ſi nimirum per corpus transfigantur, non attrahunt venenum) transfoſſi, & tumoribus peſtilentialibus ſuperimpoſiti (vẽtre bufo applicetur) manente cute integra venenum ad ſe attrahunt, ita ut licet aridiſſimi ſint, & malleo complanentur (ante complanationem ducantur per acetum, vel relinquantur in loco udo) tamen paulatim ita turgeſcunt, ut quaſi rumpi videantur (repete aliquoties) vide Paracelſum de peſte ad Sterzingenſes.

Sic Elixir peſtilentiale Crollii tumoribus illitum inſenſibiliter venenum extrahit, & diſſipat.

Idem facit magma theriacæ poſt factam extractionem relictum, ſi nempe tumoribus imponatur. Item extractum ſulphuris cum ſpiritu (oleo) juniperino factum externè illitum, ſed fœtet.

Reſolventia quoque ſeu maturantia varia ſunt, ſed notandum, peſti maturandæ cataplaſmata humidiora nihil prodeſſe, calida nimirum applicantur quidem, ſed quia ſubitò refrigerantur, hoc ipſo venenum potius deſcendit & præcipitatur profundius; itaque ab iis abſtinendum.

Via convenientior eſt hæc: locum affectum illinc cum oleo ſeu butyro antimonii ad latitudinem nummi ternarii (Dreyer) relinque donec exſiccetur locus, poſtea (ungventum ruptorium:)

℞. olei lini
chamomillæ an. ℥ij.
croci ℥j.
vitellorum ovorum n. ij. — Ungventum ruptorium.

m. f. ungventum. Hujus ungventi aliquid applica calidè, & ſæpè reitera, donec brevi temporis ſpacio rumpatur ulcus, quod mundificandum eſt cum ungvento mundificativo compoſito, de quo ſupra in lue venerea, & tandem cum emplaſtro ſtictico ſeu opoteldoch conſolidandum.

Nota: Ulcera peſtilentialia aperta citò conſolidanda nunquã ſunt, quandoquidem niſi venenum radicitus fuerit evulſum, maxima damna ſequi ſolent: itaque poſt mundificationem utere ſequente emplaſtro: — Emplaſtrum venenũ extrahens.

℞. ceræ ℔j.
reſinæ albæ ℥iiij.

terebinthinæ lariceæ ℥j.
ol. bufonum
ſcorpionum an. ℥ij.
ſtyracis liquidæ ʒVI.
ſucci chelidoniæ expreſſi ℥IV.
ariſtolochiæ rotundæ ℥ſ.
gummi ammoniaci in aceto diſſoluti & inſpiſſati ℥iſ.
myrrhæ
ſarcocollæ an. ʒj.
f. l. a. emplaſtrum.

Oleum bufonum.

Oleum bufonum ſic fit:

℞. olei olivarum ℔ſ. ebulliat in ſartagine, poſtea ℞. bufones transfoſſos ligno, & aliquantulum ſuſpenſos, donec nempe exſiccati fuerint, n. VIII. vel IX. projice in oleum bulliens, atque ita aliquandiu relinque, poſtea refrigeratum cola & ſerva.

Eſt etiam aliud emplaſtrum rumpens apoſtemata peſtilentialia, quod fit hoc modo:

Emplaſtrum rumpens.

℞. magnetis ℥ſ.
terebinthinæ
ol. ſcorpionum an. ℥j.
maſtichis
ſuccini
myrrhæ rubræ
ſarcocollæ
gummi ammoniaci
cantharidum præparatarum an. ʒij.
reſinæ ℥iiij.
ceræ ℔j.

m. f. l. a. emplaſtrum quod ſuper alutam extenſum, & ulceri applicatum primò emollit, tandem rumpit illud, deinceps mundificandum cum aliis unguentis, & ad conſolidationem deducendum.

Opoteldoch.

Opoteldoch facillimæ præparationis, nec tamen minoris virtutis Crolliano aut Wurziano ſic fit:

℞. galbani
opopanacis an. ℥ij.
ammoniaci
bdellii an. ℥j.

macerentur in aceto per 8. aut 14. dies quò diutius, eò melius, poſtea cola & inſpiſſa ad mellis craſſitiem, deinde

℞. lithargyrii pulveriſati ℔j.
ebulliant in olei oliv. ℔ij.

lento igne non vehementi ſemper cum ſpatula movendo, donec acquirat colorem brunum vel ſpadiceum; remove ab igne, & paulò poſt adde ceræ ℔j. liquefactam agita donec liqueſcat, quibus adjice ſuperiora gummata inſpiſſata, & diligenter miſce: quando omnia probè fuerint miſta, adde olei laurini ℥iij. & viciſſim diligenter miſce, tandem exempto ab igne adde pulveres ſequentes:

℞. croci martis
mumiæ
magnetis
magiſterii corallorum rubrorum & alborum an. ℥ſ.
lap calaminaris
myrrhæ rubræ

thuris

thuris maſculi
maſtichis
ariſtolochiæ rotundæ an. ℥ij.

f. omnium pulvis ſubtiliſſimus, quem pedetentim admiſce. Quibus diligenter factis poſtremò adde balſami ſuccini, hoc eſt olei ſuccini in deſtillatione poſtremo loco prodeuntis ℥j. *& viciſſim ſuper igne lento miſce, tandem ubi paulatim refrixerint omnia, forma magdaleones cum oleo hyperici.*

Carbunculi cura.

Carbunculi ſeu anthraces peſtilentiales diligenter tractandi ſunt. Methodus exquiſita eſt talis: 1. circumrotetur halo ipſius carbunculi ſapphiro eleganti (ſaphirus 24. horas à circumrotatione in terra ſepultus vires recipit) donec circumferentia aliquoties à ſapphiro ducta livere videatur 2. Apicem illine cum butyro antimonii, & applica ungventum ruptorium (inungendo) & paulò poſt carbunculus totus cadet. Utere deinceps emplaſtro attractivo magnetico, vel etiam interdum ungvento mundificativo compoſito, & tandem opoteldoch, ut locus conſolidetur.

Eſt & aliud emplaſtrum magneticum in peſte, cujus potiſſimum ingrediens ſeu baſis eſt magnes arſenicalis artificiosè paratus hoc modo:

Emplaſtrum magneticum.

℞. *antimonii crudi*
ſulphuris flavi
arſenici albi an. ℥ij.

pulveriſentur omnia ſubtiliſſimè & in matracio ſeu phiola ſepeliantur in arena usque ad aliqualem eminentiam, ſubminiſtretur ignis, donec omnia colliqueſcant, id quod ſtylo ferreo experiri licet, ſi nimirum eidem adhæſerit, & inſtar terebinthinæ ductilis fuerit coloris rubei ſubofcuri. Vaſe refrigerato eximitur materia, quæ eſt dura inſtar picis. Hic magnes arſenicalis venenatus amplius non eſt; ſine omni enim noxa animalibus dari poteſt. Præterea cauterium potentiale eſt inſigne, quod ſine ulla inflammatione aut corroſione dolorifica operatur. Uſus ejus eſt in peſte in forma periapti de collo penſilis.

Ex hoc itaque conſtruitur emplaſtrum prædictum, quod

℞. *terebinthinæ laricea*
ceræ an. ℥ſ.
gummi ſerapini
ammoniaci
galbani
magnetis arſenicalis an. ℥iij.
olei ſuccini ℥ij.
terræ vitrioli optimè lotæ ℥j.

diſſolve prius gummata in aceto ſquillitico, ſolutionem per pannum lineum cola & exprime, eamq; tamdiu bulliendo inſpiſſa, donec

donec acetum fuerit conſumptum, & gummata ad priorem conſiſtentiam redierint. Deinde ſeorſim ceram & terebinthinam illiqua, & extra ignem aliquandiu agita, donec ad ſpiſſitudinem ungventi redigantur. Porrò adde gummata purificata, & inſuper pulverem arſenicalem cum vitrioli terra & oleo ſuccini (terra vitrioli ſic fit: ℞. vitriolum calcinatum, illudque cum ſale armoniaco contritum in crucibulo calcina, donec auferantur tria præcipua ejus, ſal, ſulphur & mercurius, eritque terra reſidua aliquoties aqua dulci eluenda) poſtremò forma magdaleones cum oleo ſcorpionum & ſerva.

Hoc emplaſtrum ulceribus (b) *aut carbunculis peſtilentialibus more conſveto applicatum ſubitò rumpit eadem, & venenum ex imo inſtar magnetis potenter attrahit, nec apertum ulcus coire patitur ante perfectam extractionem omnis venenoſitatis.*

(b) Hoc emplaſtrum in uno citius, in altero tardius ſuam operationem perficit, eò quod homines agreſtes & laborioſi denſiorem cutem habeant, ad accelerandam ergò emplaſtri operationem conducit primò applicare veſicatorium, excitabitque intra horas ſeptem vel octo veſicam, quam aperi, apertoque loco præfatum emplaſtrum ſuperimpone.

Quod ſi mundificanda fuerint, utere mundificantibus toties dictis & conſolidantibus, ſi opus fuerit. Vide anatomiam Angeli Salæ. Item Wurzii emplaſtrum.

Emplaſtrum quod aliâs domeſticum mihi appellatur, hoc modo fit: Emplaſtrum domeſticum.

℞. colophonii
ceræ an. ℥IV.
terebinthinæ lariceæ ℥j.
Eliquatis ſuper igne lento adde
ungventi populeonis ℥ij.
diligenter m. hiſce omnibus adde
pulveris ſuccini
thuris
maſtichis
myrrhæ
aloës an. ℥j.
rad. dictamni
gentianæ
ariſtolochiæ rotundæ an. ℨij.
aluminis uſti
ſalis ℨVI.
camphoræ ℨj.

m. f. a. perfectè & forma in magdaleones. Uſus ejus eſt in carbunculis & mammillis inflammatis & ſuppuratis calorem & tumorem extrahit, maturando ea quæ ſuppurata ſunt; conducit in omnibus ulceribus & ſciſſuris quibuslibet; in vulneribus ambuſtis multum facit. Vulnera punctim & cæſim inflicta ſine omni pure

pure curat, excreſcentiam carnis impedit, ejus quantum ſaltem opus eſt, producendo, ulcera etiam antiqua prius mundificata hoc emplaſtro curantur. Ideòque non alium ad finem idem nominis obtinuit, quia ejus uſus intra privatos parietes hactenus invaluit.

Si febris maligna & peſtilens adſit, convenit in principio venæſectio, licet in peſtilenti niſi in principio vocetur Medicus, eam imperare non ſit neceſſariam, ſed ad ea ſtatim, quæ malignitati reſiſtunt, accedendum, inter quæ primas meritò tenet bezoarticum minerale, quo oblato in peſte ſtatim ad externa venenum expellitur, apparente poſt primum aut ſecundum ſudorem, qui de ſex in ſex horas repetendus, bubone, anthrace aut carbunculo.

Præſtat hîc julepos conficere ex aqua carduibenedicti cum ſale prunellæ, ſyrupo de limonibus, aut ſucco citri.

In cæteris progrediatur medicus ſecundum practicantium normas.

Proſunt tum curationis, tum præſervationis cauſa rotulæ ex balſamo ſulphuris; item fiunt opiata ex conſerva ſcordii, theriaca veteri, aut cum theriaca Germanorum (quæ fit cum coquuntur grana juniperi usque ad mollitiem in aqua ſimplici, hinc contunduntur & exprimuntur, ſuccus expreſſus ad formam extracti reducitur) cum liquore è typhis C.C. lapide bezoartico, lachryma cervi, unicornu, terra ſigillata, C.C. quæ & per ſe ad provocandum ſudorem offerri poſſunt cum auro potabili, ſale aut ſolutione perlarum, ex quibus addita confectione alkermes fieri poſſunt morſuli.

CAP. CLXXVIII.

DE VARIOLIS ET MORBILLIS; Germ. Kinderpocken und Maſern.

QUamvis Author horum affectuum nullam faciat mentionem, attamen cum frequentiores ſint fermè omnibus aliis, ita ut inter multas hominnm myriades vix unus reperiatur, qui per omnem vitam à variolis & morbillis liber maneat, ac plerique alii Authores etiam inter febres peſtilentes & morbos epidemicos de iſtis tractent, non potuimus non hic tractationem de ipſis inſerere. Sunt autem variolæ morbus medio modo ſe habens inter febres peſtilentes & non malignas, contagioſus enim eſt his omnibus, qui eo nondum laborarunt, ſi tam propè accedant, ut odorem ejus fermentativum poſſint haurire, non autem ita in diſtans agit ut peſtis, quæ interdum per aliquot milliaria aërem contaminat, & ex eo etiam à longè diſtantibus attrahitur, pluribusque vicibus ſæpiſſimè in eundem recidit, ubi è contra is, qui ſemel variolas & morbillos

expertus eſt, plerunque impoſterum per omnem vitam ab iisdem tutus eſt, numerantur tamen inter morbos malignos, plurimi enim ab eis intereunt & ſubinde epidemicè graſſantur, peſtemque ſæpius præcedere ſolent.

Quo nomine autem antiqui variolas vocarint, incertum eſt, dubium tamen non eſt, quin tam notæ tum temporis fuerint, quàm nunc, quum eædem cauſæ quæ jam ſunt, etiam antiquitus, imò procul dubio ante diluvium extiterint. Hodiè verò ab omnibus per variolas intelliguntur exanthemata ſeu papulæ illæ varis ſeu jonthis ſimiles, à quibus etiam variolæ dicuntur, Germanicè die Purpeln / Blatern/ Urſchlichten / oder Pocken; Morbilli autem ſunt lenticulæ rubræ (quas Germani vocant die Maſern/ Röteln) pulicum morſibus reſpondentes, ac ſpecies variolarum bilioſior, quæ ob tenuitatem nihil purulenti gignit, ſed ſola transſpiratione difflatur; ſoletque elapſo uno, duobus vel tribus annis variolis ſuccedere.

Signa præſentium variolarum manifeſta ſunt, & deſcriptione non egent, imminentium verò hæc notantur: quamprimùm quis contagium hauſit, totius corporis & præcipuè capitis ſentit gravitatem, hujusque & dorſi dolorem, cum reſpiratione crebriore & difficiliore, oculi tument, & illachrymātur, pandiculatio frequens urget, nares pruriunt cum crebra interdum ſternutatione, facies rubet, horror fit in ſomno, & expavefactio velut ob conſpectam coruſcationem ignium, cor palpitat cum magna pectoris anguſtia, pulſu frequenti & pulſatione temporum frontisque, in toto corpore fervor & ardor nec non punctio percipitur, vox rauceſcit, cum dolore in gutture & colli, ſputum redditur craſſum, oris ſiccitas moleſtat cum tuſſi ſicca, adeſt quoque pedum & manuum tremor, urina redditur ſubpallida, ſubtilis, & aliquantulum turbata, febrisque ſatis acuta & ardens comitatur, quæ tamen tertio vel quarto die, quando nimirum ſparſæ quædam maculæ rubræ prorumpunt, ac mox in puſtulas ſimiles varis concreſcunt, miteſcit, puſtulæ autem circa nonum diem ſiccari incipiunt, cum fœdo odore totum cubiculum implente, ut vix ferri poſſit. Signa autem imminentium morbillorum eadem ſunt, ſed omnia mitiora, ac citius exanthemata prorumpunt, quæ maxima ex parte rubent per univerſam cutem diſperſa, veſtigiis morſuum pulicum fermè æqualia, aliquantulum tamen cute eminentiora, ante quorum eruptionem in pluribus ingens corporis pruritus imprimis in manibus & pedibus præcedere conſvevit.

Cauſæ à plerisque Authoribus ſtatuuntur impuritas ſangvinis, & reliquiæ ex ſangvine menſtruo, quo infans in utero ſit nutritus; quidam totam cauſam in reſectionem funiculi umbilicalis rejiciunt, ſi poſt abſciſſionem ſangvis ante colligationem non exprimatur, certum enim experimentum eſſe, ſi omnis ſangvis ex ea umbilici parte, quæ remanet, Cauſæ.

digitis

digitis probè extrahatur, & expreſſione eliminetur, ac tum demum colligatio inſtituatur, infantem nunquam variolis, morbillis, ſcabie, vel abſceſſibus laboraturum, ſequi ergò quod præcipua iſtorum affectuum cauſa in prædicto vitioſo ſangvine umbilicali contineatur. Verùm neutri parti poſſumus præbere asſenſum, ſed pro præcipua cauſa fermentationem omnium ſuccorum ordinariam agnoſcimus quotidiè contingentem; videmus enim ſuccum uvarum, frumenti, pomorum, pyrorum & alios quoscunque ſponte effervеſcere, fermentare, & ſuam turbiditatem ſecernere in feces, easque tam ſurſum quàm deorſum, à ſe propellere, & quò dulcior & pingvior ſuccus eſt, eò mitius & diutius fermentationem ſuam peragit, majoremque copiam ſpiritus ardentis gignit, quo macrior verò & auſterior ſuccus eſt, eò impetuoſius fermentat, citius deſinit, paucioremque ſpiritum inflammabilem producit, nullus enim unquam ſuccus eſt, qui ſpiritum ardentem actualiter in ſe contineat, ſed is demum producitur in fermentatione, nullus etiam ſuccus ante fermentationem inebriat, quia ſpiritus ardens, à quo omnis ebrietas proficiſcitur, nondum adeſt. Cum ergò ſangvis humanus ex meris ſuccis inebriativis & fermentationem paſſis nempe vino, cerevіſia, pane &c. conſtet, naturam fermentationis retinet, & juxta diverſa temperamenta citius vel tardius turbiditatem ſuam in variolas aliaque tubercula ſegregat & expellit, quod in brutis non fit, quia non paſcuntur rebus fermentatis, ut homines; quemadmodum autē quædam muſta inveniuntur, quæ vix ſenſibiliter fermentant, ſed mitiſſimè feces ſuas ſenſim ad fundum dolii cadere ſinunt, præſertim ſi aliquid ſpiritus ardentis infundatur, is enim omnem fermentationem mox ſiſtit, dulcificando aciditatem fermentationis authorem. Ita etiam interdum, quamvis rariſſimè, homines reperiuntur, qui per totam vitam variolas non experiuntur, eò quod ejusmodi temperamentum nacti ſunt, quod inſenſibiliter turbiditatem ſuam ſegregat, vel ab aliquo inſcienter aſſumpto præcipitante ſimplici à manifeſta fermentatione inhibetur. Interdum etiam certa quædam malignitas aëris variolas & morbillos epidemicos producit, quod tunc non fit per fermetationem naturalem, ſed modum corruptivum, qualis fit in ſuccis doliis fracidis infuſis, in quibus feces non deponunt, ſed potius magis ſordeſcunt, mucorem, lentorem, vermes, & ejusmodi corruptivas qualitates contrahunt, præſertim ſi etiam ambientis gradus alius ſit, quàm fermentationi conveniat, uti contingit, ſi non in cella, ſed in calore ſolis tales ſucci aſſervantur, idē ergò contingere in variolis epidemicis dubium non eſt, ita ut infectus, impurus & naturalē conſtitutionē excedens aër, corruptivam & malignam qualitatem in corpore pariat, quamobrem etiam plerunq; peſtis ſequitur.

At ſi veriolæ curſum ſuum ordi-

 narium

 De Variolis.

narium teneant, tunc ſangvis & ſuccus corporis per fermentationem ſuas feces extrudunt, vinumque imitantur, quod per fermentationem ſpiritum acquirit ardentem, fæculentiâ enim corporis per variolas expulsâ, natura humana paulatim incipit fieri ſpirituoſa, creſcit enim ſenſim ratio, memoria & judicium, ita ut demum fiant habiles ad uſum mundanum, prout etiam vinum poſt fermentationem paulatim clareſcit, ac aptum fit pro potu.

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, variolæ & morbilli naturalem curſum ſervantes corpori conducunt, præſertim albidiores, at lividiores ſunt periculoſiores: lethales verò ſunt difficulter erumpentes, vel poſt eruptionem rurſus introrſum meantes, vel fauces & pulmones graviter obſidentes; ſemper etiam grandiores gravius iisdem quàm pueruli decumbunt.

Curatio. Curatio variolarum & morbillorum iisdem remediis perficitur, quorum ſcopus eſt, ut ſtatim conatus naturæ in expulſione adjuvetur, dando ſimul operam, ut quædam partes præſerventur, ne à variolis lædantur, quamprimum itaque earum imminentium ſigna, nempe febricula capitisque gravitas & dolor advertuntur, puerulus ab omni acceſſu aëris frigidi, rebusque refrigerantibus cuſtodiatur, detinendo ipſum in loco tepido, non nimis calido, in lecto molli, rubeo panno obtecto. Nos in quacunque invaſione variolarum tam ordinaria quàm epidemica illicò exhibemus centaurium minerale, vel aquam benedictam, ac ſarcinâ impuritatis ejectâ variolæ multo levius deinde erumpunt; Aliis Practicis frequenti in uſu eſt decoctum ficuum & liquiritiæ. Eximium eſt ad expellendum, antimonium diaphoreticum ſequentis præparationis. ℞. caput mortuum ſeu reſiduum ex deſtillatione clyſſi mineralis ſupra cap. 139. edocti, redige illud in tenuiſſimum pulverem, & ad ejus ℔j. accipe ℔iſ. nitri clarificati, & ſimiliter triti, tum colloca crucibulum ſatis magnum inter prunas, & optimè candere ſine, ac deinde pulveres commixtos per vices injice, donec totam mixturam injeceris, tunc per tres integras horas in continuo fluxu materiam detine, quibus elapſis eam projice in aquam frigidam, cautè tamen, quia magnum edit ſtrepitum, & antimonium diaphoreticum colore albiſſimo fundum petit, nitrum verò in aquam diſſolvitur, exſicca pulverem, & nitrum per evaporationem in cryſtallos redige; datur pulvis à gran. X. ad XV. adultis ℈j. ad ʒſ. in aqua ſcabioſæ. Antimonium diaphoreticum.

Vel exhibeatur pueris ℈ſ. aut gran. XII. adultioribus autem ℈j. croci in aqua vel decocto fœniculi.

Excellentiſſimum quoque medicamentum eſt pulvis viperarum juxta doctrinam cap. 83. & 172. hujus libri præparatus, cujus pariter gran. XII. vel XV. in aq. card. benedict. exhiberi poſſunt.

Vel ℞. ſem. naſturt. Pulvis.
napi
aquileg. an. ℈ij.
acetoſ.

acetoſ.
citri an. ʒſ.
ſcobis C. C. crudi ſeu calcinationem non experti à cervo in Septemb. capto ʒj
corallor. ruberrimor. ſubtiliſſ. trit. ℈ij.
m.f. pulvis tenuiſſ. cujus ℈j. infanti, ℈ij. usque ad iij. adulto in hydromel. propinentur, vel in hoc liquore:

Vehiculum.
℞. aquæ ſcabioſ.
ſcordii an. ℥j.
card. benedict.
acetoſ. an. ℥ſ. m.

Superfunde hunc liquorem totum pro adulto, dimidium verò vel tertiam partem pro puero prædictæ doſi pulveris, & benè agitatum patienti calidè propina, injungendo ipſi jejunium deſuper duarum horarum, & ut probè obtegatur.

Optimè etiam theriaca Andromachi variolas expellit, etiam has, quæ ſemel expulſæ ob refrigerationem vel terrorem rurſus disparuerunt, uti experti ſumus, ſed debet eſſe auctior doſis quàm vulgò fieri ſolet, dant enim adultis tantùm ʒj. in qua ſaltem gran. XV. pulverum continentur, reliquum merum eſt mel; exhibendæ ergò ʒij. vel iij. imò ℥ſ. pro adultis, pueris dimidium vel tertia pars ſufficit.

Egreſſis variolis, ac dolorem inferentibus aliqui imponunt cataplaſma ex æqualibus partibus pulpæ pomorum aſſatorum, & farinæ hordei in aqua ad pultem coctorum, ſed ejusmodi humidæ applicationes tutæ non ſunt, ut monet etiam Gilbertus Anglicus his verbis; *Poſtquam variolæ ſunt egreſſæ, oportet ut expectemus maturationem, & conſumptionem ad ſaniem, & non admovere emplaſtrum aliquod extra poſitum, ne fortè materia redeat ad cor, & inducat cardiacam & mortem.*

Tendentibus autem jam ad maturationem ſcilicet circa diem nonum bis in die inungatur oleum amygdalar. dulcium recens ſine igne expreſſum, ad temperandam acrimoniam, & apertis jam oleum ovorum ad explanandas foveas.

Initiò ne etiam puſtulæ oculis innaſcantur, ac cœcitatem inducant, ut ſæpè fit, ſæpè lavandi oculi ſunt liquore oculari aſtringente, ex. gr.

Collyrium.
℞. aq. roſar. ℥ſ.
plantag. ʒij.
ſachari Saturni ℈ſ. m. f. collyrium.

Morbilli verò cum nil aliud ſint quàm continuata fermentatio ſangvinis mitior, prægreſſâ impuriori per variolas, prout muſtum prius impetuosè fermentat, & craſſiores feces ejicit, deinde verò mitius fermentando pergit, donec fiat vinum clarum, etiam eadem remedia ipſis conveniunt.

CAP. CLXXIX. DE AFFECTIBUS EXTERNIS, AC PRIMO DE SCABIE; Germ. Krätze und Raude.

SCabies quidem tantummodo cutis vitium eſt, quia etiam in optima valetudine per contactum ab uno ad alium transferri, atque etiam ite-

iterum ſola inunctione curari poteſt, in hisce tamen, qui ſponte absque infectione ab alio ſcabioſi fiunt, ſemper impuritas ſangvinis concurrit, quam natura ad circumferentiam corporis ſeu per poros cutis expellere conatur, ubi exeundo acredine ſuâ mordicat, atque ita pruritum excitat, ita ut à ſcalptione ac confrictione talis abſtinere nequeat, quibus non modò cuticula laceratur, verùm quoque confrictus locus incaleſcit, atque ita à calore plus materiæ acris in veſiculas attrahitur, & è lacerata cuticula effluit, & effluendo ſenſim concreſcit inſtar gummi, non enim ſimplex eſt aquoſitas, quamvis aqua limpida videatur, ſed ſuccus corporis, qui ſemper gummeæ eſt naturæ, & ab externâ aurâ frigida concreſcit in cruſtulas; perfricta verò vulnuſcula interdum etiam purulentas puſtulas ſimul producunt, quæ apertæ pus vel aquoſitatem profundant.

Cauſæ ſcabiei.

Cauſæ ſcabiei ſunt otium & vita ſedentaria, hinc etiam plerunque ſtudioſi & ſartores eâ laborant, nec non pueri ob voracitatem, eſt etiam affectus contagioſus, & per contactum inficit condormiendo cum ſcabioſo alio in eodem lecto, vel utendo veſtimentis ejus. Poteſt etiam quis ſcabioſus fieri à contactu acrium ſalium, vel inunctione liquorum acrium, acidorum vel ſalſorum, quæ mordicationem in ſuperficie cutis excitant, quæ ſemel ſcalpta deinde prurire pergit, & ſic veram ſcabiem gignit.

Curatio.

Curatio in hisce, qui per infectionem ab aliis ſcabiem contraxerunt, facilis eſt ſolaque inunctione vulgaris ſulphuris, cum pingvedine aliqua temperati perfici poteſt, familiaris nobis eſt ſequens modus, qui paucis diebus ſcabiem abigit, cutemque lævem & pulchram efficit:

Ungventum.

℞. ſulphuris flavi,
baccarum lauri an. q. pl.
f. pulvis ſubtiliſſimus, adde olei oliv. q. ſ. ut fiat ungventum molle, locis ſcabioſis inungendum.

In his verò qui ſponte ſcabiem absque aliena infectione ex proprio ſangvinis vitio contrahunt, purgatio corporis præcedere debet, quod optimè fieri poteſt pilulis mercurialibus inter cathartica deſcriptis, vel

Pilulæ.

℞. maſſ. pilular. de fumar. ʒſ.
mercur. dulc. gran. XV.
m. & cum melle roſato fiant pilulæ XXVII. manè aſſumendæ, plura habet

TEXTUS.

Scabiei cuilibet perſanandæ mundificatio ſangvinis neceſſaria eſt; tale nimirum vitium ſubcutaneum proximè ſtabulatur in malè affecto ſangvine, impuritatibus ſalinis, vitriolatis, aluminoſis, ſtipticis ſcatente.

Abſolvitur cura mundificationibus, mercurio dulci, mercurio vitæ, arcano corallino, extracto panchymagogo, & ſimilibus.

Quod ſi obſtructiones ſupervenisse viſa fuerint, eædem antequam purgationes fiant, expediantur, ſine quibus tamen ſcabies inve-

inveterata vix dum cedit, deinceps mundificato ſangvine, & obſtructionibus demptis ſangvinis correctiva feliciter introducuntur.

Magiſterium corallorum & tinctura maximoperè laudantur. Flores antimonii albi fixi ad ſudandum per 20. dies in decocto vel ſpiritu guajaci ſcabiem contumacem cum pruritu conjunctam feliciter tollunt: (ſic reſtitui ſtudioſum Medicinæ, item Bohemum quendam.)

Requiruntur interdum laconica & ungventa, item inſeſſiones, de quibus vide Practicos.

Aqua mortua, quæ nempe poſt ſolutionem argenti in aqua forti factam, & viciſſim præcipitatam reſidua eſt viridiuſcula, ſcabiem manuum & pedum ſimplici illinitione præcedentibus tamen univerſalibus perfectè curat. Mercurius dulcis in aqua aurantiorum deſtillata per levem ebullitionem ſolutus, ita ut ad ℔j. aquæ ℥ſ. (a) mercurii accedat.

(a) Melior fit hæc aqua ſi etiam aliquot grana, nempe V. vel VI. mercurii ſublimati ſimul in ea coquendo ſolvantur.

Idem facit aurum in aqua regis ſolutum & viciſſim in calcem redactum, ſi nempe aqua regis deſtillatione revocetur, & tandem cum ſpiritu terebinthinæ extrahatur, rurſusque ſpiritus terebinthinæ deſtilletur usque ad olei formam, ſeu oleiformem maſſam, hoc externè illitum ſcabiem tollit.

SCABIES VOLATICA.

Eſt ſpecies ſcabiei, quam Falloppius volaticam appellat, propter ſubitam ejus per univerſam cutim diſtributionem, ſic ſæpè per unicam noctem malum hoc ſerpere viſum eſt per univerſum corpus, ita ut volando quaſi illud occuparet.

Dixerunt Medici ſangvinis eſſe effloreſcentiam, alioquin in eryſipelate, ſine tamen ſcabritie uſitatam.

Cæterum hæc volatica neutiquam curari potuit eo modo, quo effloreſcentia ſangvinis alioquin curatur, & ſæpè ad internecionem usque malum invaluit reſpuendo omnes medicinas.

In hoc caſu omnia quidem fieri debent, quæ neceſſaria ſunt (purgando & ſudando) ſed cum malum in peripheriam detruſum externa alia reſpuat, hoc ſecretum optatiſſimum finem imponit. ℞. ſangvinem (recentem) in partu ex utero elapſum cum tota ſecundina, vel aliquota ejus parte, & ablue univerſum locum affectum. Raro ſemel atque iterum repetendum id fuerit, & protinus volatica Secretum.

tica quaſi mortua cadet (inunctiones hîc non proſunt) curavi hoc modo infinitas periculoſâ ſcabie infectas.

CAP. CLXXX.

DE CYRONIBUS; Germ. Reitlieſen oder Süren.

Cyrones quid? AD ſcabiem etiam pertinent cyrones ſive ſyrones, qui etiam acari & teredines vocantur, ſuntque minutiſſimi vermiculi, viſum fermè effugientes, & ſub cuticula perpetuò latitantes, nec inde prodeuntes; ſerpunt autem ſub epidermide ab uno loco ad alium cutemque exarant, ita ut per albam lineam ſeu ſulculum dignoſci poſſit, quem ſerpendo ſub cuticula efficiunt, quorſum ſerpſerint, in cujus extremitate ſi apice aciculæ fodiatur, erui poteſt animalculum, colore albicans cum nigro capitello, quamvis enim vix cerni poſſit præ minutie, terſo tamen ſpeculo impoſitum manifeſtum motum edit, ac longè manifeſtius microſcopio conſiderari poteſt, de his vermiculis etiam ſupra cap. 10. actum eſt.

Curatio hujus affectus præmiſſâ purgatione optimè fit per ſulphur commune, quod omnibus ſcabiebus medetur, diverſis tamen modis, quorum unum vel alterum trademus;

Ungventum.
℞. ſulphuris comm. partes duas
ſarcocollæ partem unam
axungiæ porcinæ q.ſ.f. ungventum.

Aliud.
Vel ℞. ſulphuris
aloës hepatic. an. ℥ij.
axung. porcin. q. ſ.
aceti vini fortis parum f. ungv. ad ignem.

Aliud.
Vel ℞. ſulphuris ℥iij.
ſcabioſæ ſiccat. ℥j.
terebinth. lotæ ℥iſ.
ol. ſemin. hyoſcy. expreſſ. q. ſ. f. ungv.

TEXTUS.

AD cyrones ℞. ſulphuris & tartari ana, coque in aqua, qua locus affectus à frictione lavetur. Item balſamus ſulphuris (aſſumptus & inunctus.)

CAP. CLXXXI.

DE STRUMIS ET SCROPHULIS; Germ. Wehne/ Kröpffe/ und Hercklein/ Drüſen.

SUperfluus ſuccus alimentarius ſecundùm diverſa temperamenta varios & diverſos excitat tumores, nimirum in ſangvineo abſceſſus, phlegmonas, eryſipelas & apoſtemata, in bilioſo bubones, furunculos, & anthraces, in melancholico, cancroſos tumores & ſcirrhos, in phlegmatico excreſcentias multiplices, quarum tres ſpecies præcipuè antiqui conſtituunt, quando enim in ſe continent materiam quandam inſtar adipis vel ſebi, talem excreſcentiam vocarunt ſteatoma ſeu nodum adipinum, ſi contentum verò ejus fuerit inſtar mellis, tunc vocata fuit meliceris ſeu nodus mellagineus; ſin autem veluti pulticula craſſa in ipſa depre-

deprehenſa fuerit, tunc atheroma ſeu nodum pultaceum dixerunt, inveniuntur tamen quæ adhuc aliam materiam, præter jam enarratas concludunt, nempe aliquando ferè oſſeam, vel cartilagineam, tophaceam, cretaceam, calculoſam, arenoſam, cœnoſam, trumboſam, mucoſam, aquoſam, imò in maleficis & incantatis ſæpius pili, ungves, ſpinæ, carbones, panniculi aliaque diabolica inventa ſunt; quomodocunque autem contenta materia diverſimodè variet, ſemper tamen ex unico ſucco alimentario omnes excreſcentiæ fiunt, & ſecundùm diverſa loca ubi enaſcuntur, varia nomina ſortiuntur. Si enim in capite provenit, talparia vel talpa dicitur, ſi juxta juncturas, ganglion, glandula & nodus vocatur, in fronte, palpebris, dorſo manus, locisve nervoſis, duris & ſiccis, lupia appellatur, quod idem eſt cum ganglio, à glandula autem differt, quod hæc è ſolis adenibus fiat, ganglion verò è nervis & articulis, ambo tamen ſunt tumor induratus, tumor autem mollis in locis carnoſis vocatur teſtudo, natta, napta, vel topinaria, in teſticulis hernia, in collo bocium, bronchocele, ſtruma & ſcrophula; omnes autem excreſcentiæ phlegmaticæ propriis membranis panniculisve includi deprehenduntur. Hic autem nobis ſermo eſt de excreſcentiis, quæ in collo emergere ſolent, ubi imprimis occurrunt ſcrophulæ ſic dictæ à ſcrophis ſeu ſuibus matribus cum porcellis ſuis, ſicuti enim ſemper multos pariunt, ita etiam multæ ſcrophulæ

Talpa. Talparia. Ganglion. Glandula. Nodus. Lupia. Teſtudo. Natta. Napta. Topinaria. Bocium. Scrophulæ.

ſimul in collo naſcuntur, ſuntque tumores parvi phlegmatici materiam ſteatomaticam propriæ tunicæ incluſam continentes, at ſi tumor eſt magnus ſolitarius magis ad carnis naturam accedens, nunc vocatur ſtruma, quæ à ſcrophula differt, ut fungus arboris induratus à bulla reſinea ejusdem pariter congelata, ambo enim quidem ex unico arboris ſucco naſcuntur, & ab aëre indureſcunt, gummi tamen ſeu reſina è ſucco crudiori conſtat; ſicuti autem ſuccus arboris etiamnum in tertiam arboris excreſcentiam degenerat, ſcilicet in viſcum, ſic etiam adhuc aliud ſtrumæ genus eſt, quod appellatur bocium, bronchocele, ſeu hernia gutturis, adhuc magis ad naturam carnis accedens, & verum colli fungum conſtituens, ut plurimum tamen hæc ſtrumarum diverſa genera ab omnibus inter ſe confunduntur.

Bronchocele. Hernia gutturis.

Cauſa præcipua ſtrumarum eſt ſuperfluitas & nimia abundantia ſucci alimentarii, imprimis ex alimentis phlegmaticis & mucilaginoſis, atque in temperamento phlegmatico, ubi facilè in talem excreſcentiam degenerat, ut videre eſt in porcis, in quibus ob nimiam voracitatem & naturam phlegmaticam ſuccus ſuperfluus mutatur in lardum copioſum, varos & ſcrophulas; hinc etiam ſanè ſemper ſtrumoſi voraciſſimi ſunt, quorum virtus debilis concoctiva ſuccum ſuperfluum phlegmaticum concoctione non ſuperabilem pellit ad partes debiliores, nempe ad ipſos adenes, qui rece-

Cauſæ.

ptacula ſunt phlegmatica, ubi ceu materia frigida mucoſa ad ſuppurationem inepta induratur in glandulas ſcliroticas ut Avicenna loquitur, in locis illis glandulosis nempe in collo, axillis vel ingvinibus, præcipuè tamen in collo, quia magis expoſitum eſt aëris frigidi acccceſſui, à quo talis ſuccus viſcidus promptè induratur, ut videre eſt in omnibus arborum fungis & reſinis, quod ab aëre indureſcant.

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, omnes ſtrumæ ſeu ſcrofulæ difficilis ſunt curationis, minus tamen incipientes & in junioribus quàm inveteratæ & in ſenioribus, difficilius quoque curantur, quæ non dolent, ſtrumæ autem his familiares ſunt, qui temperamenti ſunt phlegmatici, & brevioris colli, nimiumque voraces, ut pueri & fœminæ ob corporis raritatem, item qui ſunt brevi & anguſta fronte, compreſſis temporibus ac maxillis amplis, in conſpectum quoque, ut Arnoldus de Villa nova & Riolanus volunt, non prodeunt, niſi prius meſenterium iisdem ſit repletum, ideòque topicis non cedunt, niſi etiam intrinſecus medicamina convenientia uſurpentur. Avicenna autem putat quod fiant ex caſu, vel alliſione, ac deinde in corporibus multiplicentur, quod à veritate non alienum videtur; nam & aliæ excreſcentiæ à compreſſione fiunt, ut clavi, calli, gibbi &c. difficillimè autem ſtrumæ radicitus extirpantur, nam ſive ferro ſive medicamentis curentur, facilè circa cicatrices ſuas repullulant, ac diuturnæ ſunt curationis ob materiæ phlegmticæ frigiditatem, quæ non poteſt percoqui & maturari, nec periculo vacat earum inciſio in collo, ventre & commiſſuris, ob propinqvitatem venarum & arteriarum, imprimis circa aſperam arteriam, ubi inciſio & denudatio vocalium inſtrumentorum facilè per vitam omnem voce privat, ſtrumæ etiam grandiores ſemper vocem vitiant, atque etiam plerunque auditum, loquela autem ipſa, viſus & olfactus ab ipſis raro patitur, ut plurimum quoque intellectus & memoria in ſtrumoſis debilitantur.

Curatio. Curatio ſtrumarum inſtituitur per purgantia & potiones diureticas, cavendo ſimul ab omnibus alimentis craſſi & pravi ſucci, duræque digeſtionis, quibus præmiſſis ſpecifica ſuccedant, experimentum autem eſt urina propria omni manè pota, at qui eam bibere nequeunt, in uſum vocare poſſunt ſalem gemmæ, ejusdem enim eſt virtutis, ſal gemmæ enim & ſal communis idem ſunt, urina autem omnem ſuam virtutem à ſale communi habet; Aſt ſi addatur etiam ſali gemmæ ſal pumicis nec non tartari, eo citius curatio procedit; paratur autem ſal pumicis hunc in modum: capias pumicis pulverati partem unam, ſulphuris communis partes duas, conterantur invicem, tum indantur crucibulo, quod optimè lutatum ponatur in igne circulari, in fine probè excandeſiat, tum rurſus aliquid recentis ſulphuris admiſceatur, atque iterum in crucibulo lutato mixtura candere ſinatur. Calcinatum hunc pumicem

Salis pumicis præparatio.

cem immitte vitro, ſuperfunde acetum deſtillatum, ut ſolvatur, quicquid calcinatum eſt, quod verò non ſolvitur, denuò ſiccetur, & cum ſulphure calcinetur, atque eodem modo in aceto deſtillato ſovatur, filtretur & ad ſiccitatem ſalis evaporetur. Adhæc etiam tartarus vini in furno figulino ad albedinem calcinatur, cui guttatim ſpiritus nitri ſuperfunditur, donec ebullitio ceſſet, tum liquor filtratur, & ad ſiccitatem evaporatur, quod remanet iterum in aqua pluviali ſolvitur, filtratur & congelatur; hujus & præcedentis ſalis pumicis ana una pars, ſalis gemmæ duæ vel tres partes ſolvuntur ſimul in aqua, filtrantur & congelantur rurſus in ſalem, qui contra ſtrumas ſpecificus eſt, cujus ℈j. vel ij. in aqua ſcrophulariæ omni manè tribus vel pluribus horis ante paſtum aſſumuntur, addi etiam poteſt tertia vel quarta pars radicis ſcrophulariæ pulveriſatæ, hæc enim tuberoſa radix ſignaturam habet ſtrumarum, excreſcentiarum & tuberculorum & contra eadem eximiè valet; plura habet

Specificum.

TEXTUS.

Experimentum

STrumæ ſine omni inciſione curantur facilè, ſi bibat patiens ex cranio hominis ſepulti, non quidem ſemel ſed ſæpius.

Aliud.

Idem præſtat cinis (a) *ſpongiarum, qui ſic fit: ſi ℥VI. verbi gratia ſpongiarum cum ʒiiij. lapidum ſpongiæ, calcinentur in olla operculata, donec pulveriſari poſſint. Cineris hujus quotidiè exhibetur ʒj. in vino manè duabus horis ante paſtum. Sic comitis filium novem annorum curavi, item aliquot virgines hujus civitatis, de quibus etiam empirici excellentes deſperarunt; feliciter à me curatæ ſunt.*

(a) Alii cineri ejuſmodi ſpongiæ etiam alia admiſcent, prout & Helmontius etiamnum alias additiones commendat in tractatu: *tartarus non in potu;* ita ſcribens: *Strumas prægrandes pluries unico menſe evanuiſſe vidi, ac ſubitò præfocationem à venonoſo fungo illatam curari remedio aſtrictivo, quod ſic habet:*

Pulvis Arnoldi de Villa nova ad ſtrumas, qui etiam addidit ſpongiam roſar. ſylveſtr. cinamom. & pip. nigr.

℞. ſpongiæ marinæ in carbonem combuſtæ ℥iij.
oſſis ſæpiæ uſti
piperis longi
zingiberis
pyrethri
gallarum
ſalis gemmæ
calcis teſtarum overum an. ℥j.

miſce cum aqua ſtillata ex præfatis ſpongiis & exſiccetur paulatim, accipe hujus pulveris ſemidrachmam cum ſachari ſemuncia decreſcente luna, ut paulatim liquatus deglutiatur, vel fac illinctum, & botium diſparebit. Alii defectu ſpongiæ ſumebant piloſam excreſcentiam ſylveſtribus roſetis innaſcentem, exteriori cortici caſtaneæ perſimilem hirtam hiſpidamque, cujus ſolius pulvere utebantur feliciter. Item uſus ſum ungvine in ſtrumis & ſcirrhis: ℞. olei laurini (per

axungiam ſuillam non adulterati) ℥VIII. olibani, maſticis, gummi Arabici, reſinæ abiegnæ an. ℥iij. deſtilla, tum iterum deſtilla cum cineribus clavellatis. Hæc Helmontius.

Scrophulæ.

Scrophulæ (b) *latentes perfectiſſimè curantur (nondum exulcerata dicitur latens) ſi cineres talpæ quotidiè exhibeantur in vino, vel decocto ſcrophulariæ.*

Citius evaneſcunt illitæ oleo lactis (hoc fit per veſicam ex lacte putrefacto) & ſi deinde caput mortuum poſt deſtillationem lactis reſiduum denuo cum oleo deſtillato miſtum, & in formam emplaſtri redactum (laß nicht zu viel Fettes darzu kommen) *ac ſcrophulis impoſitum fuerit.*

Quod ſi exulceratæ fuerint, feliciſſimè curantur inſperſis cineribus ſalamandræ in olla igne circulari exuſtæ. In calcinatione caveas tibi à fumo ſalamandræ (dicitur Olm oder Molch *) cineres talpæ nihilominus intrò ſumendi ſunt à granis VI. usque ad XII.*

(b) Semper præcedat corporis evacuatio, imprimis per vomitum, quam etiam Avicenna hîc ſummè commendat, deinde ſpecificè mundificantia ſangvinem uſurpentur, ut fit ab hoc expertiſſimo pulvere:

Pulvis ſangvinem mundificans.

℞. rad. ſcrophular.
pentaphyll.
filipendul. an. ʒij.
herb. agrimon.
piloſell. an. m. ſ

omnia exſiccentur in umbra, fiat pulv. ſubtiliſſ. adde ℥iij. vel IV. ſachari albiſſimi m. cujus ʒſ. omni manè cum vino aſſumatur.

Poſſunt etiam, ſi duriores ſint, applicari mollificantia, quale eſt hoc cataplasma:

Cataplaſma.

℞. cæpar. alb.
rad. lil. alb.
althææ an. q.pl.

involvantur ſtupæ madidæ, & coquantur ſub cineribus ignitis, tum contundantur in pulticulam, adde ol. chamomill. & ſaponis nigri mollis an. q.ſ.m.f. cataplasma, calidè applicandum, & per 12. dies continuandum.

Ganglion.

Ad ganglion verò & nodos incipientes valet inunctio olei balſamoſi ſupra cap. 8. deſcripti, quod ſi in promptu non eſt, quotidiè ganglion fricetur oleo amygdalarum dulcium manu calefacta, per integrum menſem, ac deinde ſuperponatur emplaſtrum de ammoniaco. Nuper autem nos conſulebat virgo 16. annorum, cui ganglion œdematoſum in dorſo manus oriebatur, dedimus ipſi pulverem ex ℈j. rad. jalapp. & ℈ſ. mercurii dulcis, à quo ut referebat, circiter novem vel decem ſedes habuit, loco autem affecto juſſimus applicare emplaſtrum ex ℥j. empl. diapalmæ & ʒj. argenti vivi currentis invicem ſubactis, & intra paucos dies tumor evanuit.

Bronchocele.

Bronchocele (c) *eſt tumor nervorum in partibus ligamentoſis excarnibus ſponte facta; curatur balſamo ſulphuris, & emplaſtro diaſulphuris.*

(c) Ce-

(*c*) Cele & hernia ſunt communia nomina tumorum, & ſic bronchocele eſt hernia gutturis, quæ etiam botium dicitur, de ejus curatione paulò ante ſufficienter dictum eſt.

CAP. CLXXXII.

DE CONTRACTURA;

Germ. die Contractur oder Lähmnüß.

Contractura nihil aliud eſt quàm paralyſis billioſa, in qua tantùm impotentia motus non autem ſenſus occurrit, eſt enim morbus calidus, at in paralyſi vulgari phlegmatica ceu morbo frigido etiam ſenſus intercipitur, frigus enim ſtupefacit, & narcoticum eſt, cum autem hic affectus ſufficienter deſcriptus ſit ſupra cap. 10. plura hic afferre non eſt neceſſarium.

TEXTUS.

Contractura membrorum à variis cauſis fieri poteſt, proxima eſt conſtrictio ſinoviæ ligamentorum & nervorum in ſe quaſi abruptorum, unde artuum ſeu articulorum contractiones introducuntur.

Cura vulgaribus medicamentis difficulter procuratur.

Extremum refugium quæritur in thermis vi & poteſtate ſua, quam obtinent à mineralibus ſpiritualiter in iſtis aquis vigentibus.

Hoc verò auxilii genus uſitatum quidem eſt, in communi praxi, deficiente verò eodem, aut longius quàm par eſt remotis thermis, poſſunt commodiſſimè ea adhiberi, quæ facilius ſæpenumero domi applicantur.

Mundificetur corpus blandis purgantibus, qualia ſunt: extractum ellebori, rhabarbari, mechoacannæ, item panchymagogon vegetabile, etiam ex mineralibus egregium eſt ſpecificum purgans pilulæ antimoniales ſurſum deorſumque purgantes, vel tantum per inferiora.

Nota: *Mercurialia hîc commodè adhiberi nequeunt, quemadmodum nec colocynthis, nec elaterium, humiditatibus nimirum ſubſtantificis nonnihil inſidiantur.* Notanda.

Quod ſi obſtructiones in corpore viguerint, quæ alioquin contracturas & præcedere & ſubſequi ſolent, eædem expediendæ ſunt per deobſtruentia tum vulgaria tum etiam chymica.

Deinde corpus univerſum reducendum eſt ad temperaturam æquabilem neceſſariæ humiditatis. Sic inſeſſiones ſeu cupæ parantur ex plantis mollificantibus & humectantibus.

Nota: *In extenuatis laconica valdè nocent potius quàm proſunt.*

Cæterum in omni inſeſſione ali-

quid de tinctura antimonii dandum eſt juſta doſi cum vehiculis convenientibus, quale eſt aqua lilii convallii, ut inter lavandum etiam aliquid ſudoris ex habitu corporis emanare queat.

Hoc præterea modo ſpiritus vitæ liberius ad extremitates membrorum fertur, iſtiusq; cauſa abſolvitur.

Poſthæc omnia tandem externa ſunt accerſenda. E multis aliis hoc imprimis omnem abſolvit operam, quod ſequitur: ℞. radicis angelicæ ℔V. contuſas coque in diplomate cum vino optimo vaſe diligenter clauſo; donec radices in mucilaginem abeant, exprime & leniter ebulliendo ad caſum mediæ partis coque, dein ℞. vini ardentis Rhenani vel Hiſpanici ℔IV. ſolve in eodem croci optimi pulveriſati ℥iij hoc vinum in vaſe convenienti ſuper cineres calefac; & impone ſaponis Veneti optimi tenuiter ſecti ℔ j. & continuè move cum ſpatulâ, donec ſapo planè fuerit ſolutus. Quo facto adde olei terebinthinæ & juniperi ana ℔ iſ. m. diligenter, & cum mucilagine radicis angelicæ conjunge, ebulliendo amplius, donec ad juſtam conſiſtentiam redactũ fuerit. Hoc ungvento inunge univerſum corpus, & præſertim in iis locis, ubi contractura fortius inhæret, ſemper ab egreſſu balnei, idque fac novies, ſemper alternis diebus tum inſeſſione tum inunctione repetendo. Hoc modo aſtricti nervi & ligamenta reſtituuntur, & patiens ad priſtinum vigorem redit. Si cum tinctura antimonii ante inſeſſum tres vel quatuor guttæ olei angelicæ ſtillatitii, ut dictum eſt, exhibeantur, facilior & brevior fit tota curatio.

Ungventum ſpecificum.

Nota: *Galbanetum non adhibendum, niſi firmiores fuerint vires, nec corpus emaciatum.*

In contractura ex mercurii inunctionibus valet Laconicum cum ſpiritu vini ſupra traditum (balneum ex decocto piſorum) exhibito ſimul balſamo vitæ in aqua theriacali, vel miſturâ ſimplici, vel tincturâ antimonii pro ſudore eliciendo, adhibito poſtea emplaſtro magnetico.

Contractura ex mercurii inunctionibus.

Ex veneno hauſto balſamus vitæ cum emplaſtro magnetico, præſertim latente veneno in centro corporis, vide ſupra de filtris; hoc modo curata Comitis filia.

Contractura ex veneno hauſto.

CAP. CLXXXIII.
DE ARIDURA; *Germ.* Schwindung.

Aridura, conſumptio, atrophia, tabes, marcor non multum inter ſe differunt, denotantque corporis extenuationem, ſummam maciem, & omnem ſubſtantiæ deperditionem,

tionem, quæ contingit, quando corpus non alitur, & de ſubſtantia corporis ſemper aliquid decedit, nihil verò ex alimentis in ejus locum ſubit vel apponitur, unde demum omnis ſucculentia carnoſaque ſubſtantia abſumitur, ita ut nil præter cutem & oſſa remaneat, quæ abſumptio vera eſt aridura vel atrophia, eſtque univerſalis quando nimirum totum corpus ita exareſcit, vel particularis, ubi membrum aliquod, nempe brachium, manus vel pes extenuatur.

Cauſæ. Cauſæ aridurae ſunt internæ obſtructiones, impeditaque circulatio ſangvinis, item perfrigeratio alicujus partis, ex quo poſtmodum ea nutrimentum non attrahit, pluresque aliæ, de quibus ſupra cap. 137. & 175. pluribus actum eſt: ſufficiant ergò hæc cum verbis

TEXTUS.

IN ariduris particularibus præmiſſis univerſalibus, ſi neceſſitas efflagitaverit, quædam ſunt interna, quædam externa ſpecifica, quantumvis haud negem, fomentationes (ex ſalicibus) item inunctiones & emplaſtra ab Authoribus hinc inde deſcripta, & uſu comprobata multum prodeſſe.

Specifica interna. *Interna ſunt 1. ℞. mellis virginei hoc eſt ſinceri q. ſ. illine ollam interius, & eandem planta in acervum formicarum, ita tamen ut orificium ollæ tectum ſit particulâ aliquâ cribri non planè anguſti; hac nimirum ratione formicæ appetentes mel per foramina cadunt ſine recrementis; quando itaque ſufficiens earum quantitas collecta fuerit, affundatur bonus ſpiritus vini, & digerantur omnia vaſe clauſo in M. B. per unum atque alterum diem, poſtea deſtilla primum lento igne, ut prodeat ſpiritus vini, tandem fortiori, ut aqua mellis & formicarum ſimul prodeant, quam ſerva. Hujus aquæ exhibe cochleare unum ſingulis triduis manè jejuno ſtomacho. Interdum etiam veſperi cochlear ſ. cum pane toſto. Membrum verò exuccum & aridum cum ſpiritu vini primò profecto aliquoties fortiter frica; vide ſupra de atrophia.*

2. Mirabili poteſtate valet in reſtituendis ariduris aqua fluviatilis, quæ inter aquandum ex ore equorum generoſorum, poſtquam biberint, profluere ſolet, ſi nempe diligenter colligatur, & potanda manè & veſperi detur.

Externum eſt arcanum aluminis dulcis, cujus mentionem facit Wurzius c. 23. tr. 3. quod explicatum ſic habet: decoquatur (hoc eſt calcinetur) alumen ad conſiſtentiam craſſam in olla ut evaporet phlegma. Deinde tritum per retortam deſtilletur, ut habeatur ipſius ſpiritus inſtar aquæ fortis. Hoc caput mortuum exemptum & tritum eſt terra mollis Externa ſpecifica.

lis & lenta de qua loquitur Wurzius, ea ſolvatur in aqua tepida, reſidebit terra mortua inter ſolvendum in fundo, tepida aqua filtratur & poſtea concoquitur. Alumen verò mite ſimul per filtrum tranſit. Coagulatum hoc alumen conjunge cum ſale communi, & procede ulterius, quemadmodum ipſe Author docet. Uſum vide apud ipſum loco dicto.

Eſt & externum aliud in ariduris oleum vitrioli, & ſuccini, vel terebinthinæ. Item axungia humana cum olei vitrioli ana, oleum rubicundum ſive forte, quod ex vitriolo cœruleo fit, invicem paulatim (propter metum aſtantium à diſpoſitione) ſeu guttatim cum oleo ſuccini (a) *aut reliquis ſupradictis mixtum.*

(a) Senſus eſt, quod recipi debeant olei vitrioli corroſivi in deſtillatione ſpiritus ejus ſimul prodeuntis & olei ſuccini vel terebinthinæ æquales partes, quodlibet ſeorſim, oleumque vitrioli guttatim in oleum ſuccini inſtilletut, ne tumultuentur, ſunt enim contraria, nam ſi intingatur lana in oleum ſuccini, & poſtea parum olei vitrioli corroſivi dephlegmati ſuper eam lanulam oleo imbutam ſtilletur, illicò concipiunt ignem.

Uſus: locus primùm aſperioribus linteis fricetur, poſtea hæc mixtura illinatur, & quidem aliquoties.

Nota: *Membra aridiora ſemper calidioribus pannis, vel etiam exuviis vulpinis* (ein Fuchsbalg ungearbeitet / das Rauhe hinein gekehret) *foveantur.*

CAP. CLXXXIV.
DE TUMORIBUS; Germ. Geſchwulſt.

VAria ſunt tumorum genera, quicquid enim pręter naturam in corporis ſuperficie prominet, tumor vocatur; præcipuè autem inter tumores à Practicis recenſentur: omnes hydropis ſpecies, œdema, hydrocephalon, hydrocele, tumor flatulentus, herniæ omnes interque ipſas bronchocele, ſtruma, ganglion, lupia, ſcirrhus, item tumores calidi, ut phlegmone, apoſtema, phygethlon, bubo, phyma, eryſipelas, cancer; itemque humores circa vulnera & ulcera ab accurſu ſangvinis & humorum contingentes. Dividuntur autem à quibusdam Practicis in flatuoſos & humorales, per flatuoſos intelligunt collectiones flatulentas, ſeu flatuoſum ſpiritum continentes, & nunc ſub cute, nunc ſub membranis circumoſſalibus, jam inter inteſtina & peritonæum, modò in ipſis inteſtinis ſe colligentes, quæ emphyſemata ſeu apoſtemata flatuoſa vocantur; humorales autem iterum dividunt in ſimplices calidos & frigidos atque in permiſtos ſeu varios, calidos referunt vel ad ſangvinem, ut phlegmonem, bubonem; vel ad bilem ut eryſipelas, frigidos vel ad pituitam ut œdema, vel ad atram bilem Emphyſemata.

bilem, ut ſcirrhos; permiſtorum autem nomine donant, quando diverſam humoris qualitatem in uno tumore ſimul concurrentem advertunt, unde talis tumor à prædominante humoris qualitate cognominatur, ut phlegmone eryſipelatoſa, œdematoſa, ſcirrhoſa, vel eryſipelas phlegmonoſum, œdematoſum, vel œdema ſcirrhoſum & ſic conſequenter. Sunt etiam tumores interni vel externi; interni ſunt, quæ ad conſpectum non prodeunt, ſed ſolo dolore & gravatione indicium faciunt eos adeſſe, ubicunque enim vehemens dolor eſt, ibi accurſus fit humorum, quibus ſtatim majori ſpacio opus eſt, ſicque dolens locus tumere & turgeſcere incipit, dolorque ac calor ab extenſione membranularum augentur, ut fit in pleuritide, pulmonia, cynanche, dolore hepatis, aliisque internis, externi ferè in omnibus exterioribus partibus contingere poſſunt, nempe in oculis, in ophthalmia, maxillis & genis in dolore dentiū, collo in angina, manibus, pedibus & reliquis juncturis in arthritide &c. Omnes autem tumores neceſſariò quatuor modis terminantur, nempe vel inſenſili reſolutione, ſive ea fiat per vaporabilem difflationem, ſive per reductionem ad emunctoria ſtercoris, urinæ, ſudoris vel ſputi, vel ſuppuratione, vel partis corruptione, vel induratione, quorum omnium optimus eſt qui fit per inſenſilem ſeu imperceptibilem reſolutionem, & poſt enm per ſuppurationem, omnium autem peſſimus eſt, qui fit per corruptionem & poſt ipſum, per indurationem.

Cum autem in ſequentibus de quibuslibet prædictorum tumorum Author in ſpecie tractet, non opus eſt, hic plura de iisdem ſubjicere, ſed ſufficiant quæ in genere ad eos proponit

TEXTUS.

IN tumoribus œdematoſis ſtercus caprillum cum aqua fabrorum, vel quod præſtat, urinâ propriâ coctum applicetur.

In tumoribus calidis, quos phlegmonas appellant, generaliter proſunt epithemata qualia ſunt:

I. *Aqua ſpermatis ranarum, in qua aliquid myrrhæ ebullierit.*

II. *Lixivium fortè cum oleo lini* (a) *mixtum* (*ut quaſi lacteſcat*) *ſiſtit* (*intra duas, tres vel quatuor horas*) *herpetas, quibus pueri inficiuntur.*

(a) Ejusmodi fortiſſimum lixivium cum oleo roſac. mixtum, ut lacteſcat, inſigne eſt ad eryſipelas.

III. *Emplaſtrum ex naſturtio aquatico contuſo.*

Nota: *Si ejusmodi tumores ſæpius occurrunt, ſangvinis mundificantia & minuentia ſtatis temporibus negligenda non ſunt.*

CAP. CLXXXV.
DE PHYGETHLIS SEU PANIS; Germ. Schlieren/ oder Beulen.

PAnus ſeu phygethlon commune nomen eſt phlegmonum in adenum

num locis oborientium, nempe in cervice, alis, & ingvinibus, pro loci autem diverſitate nomen ejus mutatur, in cervice enim circa aures vocatur parotis, in collo verò circa maxillam panus ſeu phygethlon, circa alas phyma, in ingvine bubo, verùm hæc nomina ab omnibus fermè inter ſe maximè confunduntur, nec etiam magni refert, in eo autem omnes conveniunt, quod ſint absceſſus partium laxarum, quas adenas ſeu glandulas appellant, diverſitas autem nominis inde venit, quod non modò in diverſis locis, ſed etiam temperamentis; idem absſceſſus ſpecie paululum aliter atque aliter mutatur, citius vel tardius maturatur, ſub alis enim omnium facillimè maturatur, difficilius & tardius in ingvinibus, difficillimè & multo cum dolore ac negotio ponè aures. Quod autem Authores etiam magni inter ſe non concordent, ex his apparet, quæ de phymate ſcribunt. Hippocrates enim lib. 7. aphor. 57. ait: *Quibus phymata in meatu urinario fiunt, his ſuppuratione factâ, & eruptione ſolvitur dolor:* Idem in aliis locis abſceſſus articulorum phymata vocat: Celſus autem lib. 5. *Phyma* (inquit) *nominatur tuberculum furunculo ſimile, ſed rotundius & planius, ſæpè etiam majus.* Fernelius autem dicit: *Phyma quoque tumor adenum eſt, ſimplici phlegmone atque phygethlo aliquanto minor ac planior, minusque rubens ac dolens; non enim è puro ſangvine proficiſcitur, ſed ex eo, cui pituitæ quiddam ſit admiſtum, ut ſit phlegmon œdematis particeps.* Verùm ut jam dictum, hæc Authorum diverſitas parvi eſt momenti, phyma enim, phygethlon, parotis, panus, & bubo ferè unum & idem ſunt, nempe abſceſſus in locis adenum, in aliis verò locis ſimpliciter phlegmone nominatur, ſeu phlegmon, id eſt inflammatio, à ſangvine enim effervescente & ſuperfluo ejusmodi abſceſſus ſemper cum inflammatione febrili magnoque dolore prorumpunt, præſertim ſi quid malignitatis vel putredinis peſtilentis hauſtum ſit, tunc enim ſummo cum impetu & vitæ periculo ſangvis effervesſcit, talesque panos in dictis locis protrudit, qui tunc bubones peſtilentes dicuntur, in aliis verò locis furunculi, ſi ſummi fervoris participes ſint, ita ut in ſe ipſis veluti concrementur, anthraces, carbones ſeu carbunculi, ſed ut hæc à tyronibus eò melius intelligantur, ſingula aliquantulum uberius deſcribenda ſunt; ſciendum itaque quod temperamentum ſangvineum, imò ferè quodlibet in juvenili ætate conſtitutum admodum ſpirituoſum eſt, & à victu probè nutriente plurimum augetur, unde præ copia de facili effervesſcit inſtar ſpirituoſi muſti, quod effervesſcendo ſuas fæces à ſe extrudit, ita etiam ſangvis à meris ſuccis fermentationem & efferveſcentiam expertis ortum ducens jus fermentationis & efferveſcentiæ ferè in quolibet homine retinet, & mox in primâ pueritia craſſiores fæces per variolas & morbillos ejicit,

Parotis. Panus. Phygethlon. Phyma. Bubo.

Phlegmone.

Bubo peſtilens. Furunculus. Anthrax. Carbo. Carbunculus.

ejicit, & ſicuti muſtum poſt craſſiorem fermentationem, etiamnum per aliquot ſeptimanas fermentare pergit, quamvis longè mitius, ita ut vix ullus ſtrepitus percipiatur, nihilominus tamen, quamdiu nondum clarum eſt inſtar cryſtalli, ſed ullam turbiditatem in ſe continet, non ceſſat occultè fermentare, imò interdum unam vel alteram majorem bullam cum aliquali ſtrepitu usque ad ſuperficiem protrudit. Ita etiam ſangvis in juvenili ætate poſt impetuoſam ſuam fæcum variolicarum ejectionem non ceſſat interdum adhuc unam vel alteram bullam per abſceſſus extrudere, imprimis ad ſua emunctoria in locis adenum, prout etiam muſtum ſemper ſuas bullas ad ſupremum dolii foramen quod ejus veluti emunctorium eſt, emittit.

Protruſæ hæ bullæ efferveſcentis ſangvinis ſunt tumores & tubercula ſangvinea, mediante inflammatione in ſuppurationem abeuntia, quæ communiter phlegmones German. Blutaiſſen oder Blutſchweren nominantur: de quibus Paulus Ægineta lib. 4. c. 17. de inflammatione ita ſcribit: *Omnes ex æquo tumores calidos, quibus dolor fervorque adeſt, noſtri inflammationes, Græci phlegmonas appellare conſveverunt, verùm pro diverſa, quæ ipſos facit, materia hi quoque variant. Cum enim ſangvis probus & craſſitie mediocris in particulam aliquam univerſim confluxerit, ac propter copiam impactus inhæſerit, inflammatio propriè appellata naſcitur. Cum verò flava bilis in parte aliqua ſubſtiterit, herpetem vocant: ubi verò & ſangvis & bilis flava ſimul incubuerint, eryſipelas excitatur. At cum ſangvis, qui influit, calidus impensè & craſſius fuerit, carbunculos movere ſolet. Itaque ab inflammatione, quæ peculiariter phlegmone dicitur, & multis ſemper accidit, incipiendum eſſe judico;* hæc Paulus.

Phlegmone quid?

Phlegmone ergò exquiſita eſt tumor ſangvineus à nimium turgente ſangvine protruſus ad ovi gallinacei magnitudinem prominens rubicundus inſtar ruboris à fervidis balneis, vel igne contracti, magno calore inflammatorio, duritie renitente, diſtenſione, ac dolore acerbo pulſatili moleſtus, præſertim ſi partem exquiſito ſenſu præditam occupet, ut fit in locis nervoſis; hujus ſpecies ſunt: parotis, parulis, ſynanche, & alii abſceſſus ſangvinei; ſi enim ponè aures phlegmone erumpat, vocatur parotis, Germ. Ohrenbeule / Ohrnitzel / in collo phygethlon ein Schlier / ſub alis phyma ein Hagedroß / in ingvine bubo, eine Schlichtbeule / in morbo verò Gallico bubo venereus ein Klapholtz; ſi una vice complures parvi abſceſſus acuminati ſimul erumpant; dothienes & furunculi kleine Blutaiſſen vocantur; de quibus Celſus lib. 5. *furunculus* (inquit) *eſt tuberculum acutum cum inflammatione & dolore, maximèque cum jam in pus vertitur, qui ubi adapertus eſt, & exit, apparet pars carnis in pus verſa, pars corrupta ſubalbida, & ſubrubra.* Tubercula hæc phymate minora ſunt,

Parotis. Phygethlon. Phyma. Bubo. Furunculi.

ovum columbinum magnitudine non excedentia, acuta, rubentia & dolorifica, ſuntque etiam phlegmones ſpecies, ſed ex ſangvine magis cacochymico fiunt, phlegmones vero è puriori phethorico; adhæc duplices ſunt furunculi, quidam enim minores ſunt & duriores, tardiusque maturantur, at febris expertes; aliqui verò majores, & cum febre irruentes, & citius rumpuntur, ambo tamen non admodùm pulſatiles ſunt, quia minus profundè ſub cute deliteſcere ſolent. Suppurantur autem furunculi perinde atque phlegmone, atque in apertione ſua, plura parva foraminula efficiunt, ſæpiusque malignitatem induunt, & tunc minores carbunculi nominantur, tempore peſtis eodem lethali periculo ſtipati.

Furunculus duplex.

Carbunculus minor.

Adjunxit Autor furunculis epinyctidem die Nachtblatern / quæ eſt ex genere puſtularum, colore ſublivida vel nigricans & interdum alba, cum vehementi inflammatione, & dolore nunquam tam parvo ut puſtula eſt, quæ vix fabâ major exiſtit, & quando aperitur, cruenta ſanies ex ea ſicuti etiam è furunculo effluit, itaque pro ſpecie carbunculi habetur, omniumque puſtularum peſſimâ.

Epinyctis.

Curatio horum abſceſſuum fit per impoſita malactica, poteſtque fieri cataplasma ex malva, radice althææ & lilior. alb. & ficubus invicem coctis, addito quoque butyro & farinâ frumenti; vel cepa ſub cineribus cocta tunditur in pulticulam, additurque axungia porcina, & ſapo mollis; ruptus abſceſſus perſanatur emplaſtro apoſtolico vel diachylo compoſito, parotis verò optimè rumpitur gummi opopanace in aceto disſoluto, colato & coctione reinſpiſſato, iterumque oleo laterino bis deſtillato reſoluto, & impoſito.

Curatio.

TEXTUS.

In phygethlis (Ohrenzwang) *oleum tartari fœtidum, item oleum guajaci valet; panus aliàs dicitur hic tumor, qui phlegmone eſt in adenum & ingvinum locis exortus.*

Phygethla.

De bubonibus ſupra in peſte; hic commendatur balſamus ſulphuris, de quo Rulandus cent. 1. cur. 81. emplaſtrum diaſulphuris curatioue ſequente apud eundem.

Bubones

De carbunculo vide ſupra de peſte: huc refer emplaſtrum ex magnete arſenicali, de quo paulò ante.

Carbunculus.

In epinyctide & furunculo valent eadem, ſed cave, ne ferro aperias (præſertim peſtis tempore) plerunque nimirum mors ſequitur, puſtularum peſſimæ ſubnigræ & ſublividæ, ita vocantur quod in nocte erumpant.

Epinyctis & furunculus.

Terminthi (die braunen Blatern /) (a) *interdum non abſimiles ſunt herpeti ulcerato, inungantur oleo nucis expreſſo & inſpiſſato, de quo ſuprà* (reiß erſtlich das Häutlein hinweg / das umher wächſt) *item*

Terminthi.

item balſamus ſulphuris. Sunt tumores in quorum ſummitate puſtula nigra apparet.

(a) Terminthus pro ſpecie epinyctidis habetur, cui etiam magnitudine reſpondet, ab ea autem differt, quod termintho incumbat puſtula nigra & rotunda, qua rupta id quod ipſi ſubjacet deſquamato ſimile eſt, quod demum ſcalpello aperitur, & pus educitur. De his Aëtius lib. 14. c. 63. ſic ſcribit: *Terminthus pani ſpecies eſt, adjacetque ſupremo ulceri bulla atra, quâ disruptâ quod ſubjacet hypoſyrmati ſimile apparet, hoc autem disſecto pus invenitur, curatio, quam ad epinyctidas diximus, huic quoque accommodabitur; hæc ille.*

CAP. CLXXXVI.
DE OEDEMATE; Germ. wäſſerige Geſchwulſt.

COllectio pituitæ per univerſum corpus contingens hydropem leucophlegmatiam vel anaſarcam parit, in aliquam autem ſolummodò partem decumbens tumorem excitat, qui œdema vocatur. Eſt autem œdema tumor frigidus aquoſus, laxus, mollisque ac doloris expers, ſine calore & rubore, coloris ſubalbidi; eſtque duplex, unum eſt tumor collectus & circumſcriptione definitus ſæpiusque magnus ac digiti impreſſioni fa ilè cedens, atque impreſſionis veſtigia aliquandiu retinens, isque proprié & ſimpliciter œdema nuncupatur. Alter eſt diffuſus & indeterminatus, ideòque non œdema ſed tumor œdematoſus appellatur, ac ſæpius in cachexia, tabe, leucophlegmatia, & poſt quasdam febres occurrit, præcipuè in cruribus, atque ob majorem laxitatem impreſſionis digiti veſtigium promptè retinet, conſtatque ex crudiore pituitoſo cruore vitio ſtomachi aut jecoris generato ſenſimque cumulato, atque in aliquam partem decumbente, quam ſuâ copioſâ collectione & aquoſâ impletione diſtendit, & in tumorem attollit.

Oedema quid?

Oedema duplex.

Cauſæ ſunt vel debilitas ventriculi, vel hepatis, vel fluxiones ex capite, præcipua autem eſt debileſcens calor naturalis, victusque plegmaticus; unde hic affectus frequens eſt in ſenibus pituitoſis, cachecticis & multam perfrigerationem expertis. Cauſæ

Prognoſin quod attinet, œdema ob ſucci phlegmatici frigiditatem rarò in ſuppurationem abit, ſed plerunque terminatur per reſolutionem, ſeu difflationem ſcilicet œdema ſeroſius, at ex craſſiore pituita conſtans ſæpiſſimè per indurationem, ſive converſionem in nodos & excreſcentias phlegmaticas, de quibus ſuperius cap. 181. actum eſt, idque ob majorem frigiditatem, quo duriores enim ſunt tumores phlegmatici, eò ſunt frigidiores, & vice verſa, ſi etiam exiccantibus remediis & reſolventibus diu tractentur, tandem facilè indureſcunt, & in materiam nodoſam tophaceamve convertuntur; ſi tumores œdematoſi in locis oſſeis, ut ſunt tibiæ, & coxæ vel cavernoſis, ut eſt pectus, exiſtant, interdum fiſtulam producunt. Si in Prognoſis.

 cruri-

cruribus paulatim augentur, & ſenſim altius aſſurgunt, ac in ventre colliguntur, in aſcitem terminantur; hi tumores magis hyeme, & tempore verno, atque ſenibus, nec non victu frigido & phlegmatico utentibus, quàm aliis temporibus & perſonis contingunt.

Curatio. Curationis ſcopus Practicis duplex eſt, alter ut materia influens inhibeatur & reſtringatur, alter ut fluxio jam facta diſſolvatur, vacuando ſimul corpus à ſuperfluitate phlegmatica: ſin autem œdema inveteratum, & non amplius in gignendo eſt, tunc ſolummodò incidenda & digerenda eſt materia, & hæc quidem in œdemate idiopathico ſeu quod ſponte & per ſe advenit, in ſymptomatico verò ſeu alios periculoſos affectus ſequente, nempe cachexiam, hydropem, tabem vel lienteriem, medendum eſt ipſi morbo illud cauſanti, eo enim ſublato etiam œdema ceſſabit.

Ante omnia autem inſtituenda eſt optima vitæ ratio, abſtinendo ab omnibus ſuccum phlegmaticum gignentibus ut ſunt omnes fructus imprimis crudi & recentes, lac, caro porcina, piſces, item potus & cibus nimius, ſomnus longus, otium & ſimilia, juvat autem admodum abſtinentia, labor, ſudor & evacuatio. Antiqui autem præmiſſo victu exiccante, & ad calidum tendente, præparatâ quoque & evacuatâ materiâ pituitoſâ locum œdematoſum fricarunt pannis aſperis, ac deinde exſiccantia applicarunt, imprimis autem ſpongiam novam etiamnum prægnantem virtute aquæ ſalſæ marinæ, aceto infuſam aquæ commixto, idque calidè & in principio mali adhibuerunt, in augmento autem fortiora reſolutiva addiderunt nempe ſpongiam aliam novam infuſam in lixivio acri & modico aceto; in defectu autem ſpongiæ omnino novæ, aliam exquiſitè abſterſerunt lixivio acri nitro & aphronitro (quibus hodie caremus, ſubſtitui autem poteſt ſal urinæ pecorum, imprimis caprarum & ovium, ſi nimirum ejus magna copia evaporatur, & reſiduum in fundo candori ſubjicitur, iterumque in aqua communi ſolvitur & congelatur) hancque ſpongiam vel linteum mundum duplicatum imbutam decocto baurach ſeu nitri & ſpumæ nitri (quorum ſuccedaneum jam indicavimus) & cinerum, nec non aceti ana q. ſ. loco œdematoſo admoverunt, ac deligarunt ab inferiore ſurſum verſus, ita ut ligatura in infima parte incipiat cum mediocri arctatione, & in altiori deſinat, ut moris eſt in deligatione fracturæ oſſis, quæ in ſua infima inceptione magis arctatur, ac deinceps paulatim remiſſius ſtringitur. Alii hoc applicant: ℞. acaciæ, aloës hepat. myrrhæ, croci, muſci quercini, boli Armeni an. q. v. & cum ſucci braſſicæ & aceti roſac. an. æquali parte pulverem prædictorum attempera in cataplaſma, quod per aliquot dies applicatur, augendo deinde aceti quantitatem, cum adjectione modici aluminis pulveriſati: alii fomentis utuntur ex aſtringentibus & liquoribus ſeu aquis naturâ Cataplasma.

vel

vel arte ſalſis & nitroſis, ac deinde emplaſtrum reſolvens toti tumori imponunt, quale eſt ceroneum, diachalciteos, diachylon ireatum, ungventum Agrippæ.

Sin autem tumor reſolvi nolit, ſed ad ſuppurationem tendat, quod tamen rarò contingit, tum maturativum eſt imponendum, quale eſt diachylon, & alia præcedente capite indicata, apertum ulcus mundificatur & ſanatur ut alii abſceſſus & ulcera, de quibus ſuo loco.

TEXTUS:

D*E œdemate* (a) *egregiè præcipientem vide Platerum.*

(a) In ulceribus tibiarum inveteratis etiam frequentiſſimè occurrit tumor œdematoſus, qui diuturnitate adeò confirmatur, ut poſtmodum medicamentis non facilè cedat, ſed quibusdam deinde per vitam perennet, ita ut ſemper ipſis unum crus ſit denſius altero, uti nobis in pueritia contigit, diſparuit autem tandem tumor ſuperligando emplaſtro, quo ulcus ſanabatur, laminam plumbi.

CAP. CLXXXVII.
DE HYDROCEPHALO;
Germ. ein Waſſerkopff.

Hydrocephalon quid

HYdrocephalon pariter eſt aquoſus tumor utplurimum capitibus puerorum à primo ortu innaſcens, idque ut quidam volunt, quatuor modis, nempe vel inter os & cutem, vel intra os & pericranium, vel inter membranas & oſſa, vel inter cerebrum & involucrum ejus.

Signa.

Signa hydrocephali ſub cute exiſtentis ſunt, quòd illicò puero ex utero erumpente in parte aliqua capitis tumor concolor prominet, niſi ſit à contuſione, tunc enim rubor & dolor ſimul aderunt; tumore autem exiſtente ſeu materiâ ejus contentâ inter corium & pericranium, tumor facilè cedit & recedit, non tamen tam facilè cedit, nec ſine omni dolore eſt, ſi fuerit intra membranam & cranium; at inter os & membranam cerebri collectione morante, non niſi validâ compreſſione cedit, oculi ſunt clauſi & lachrymantes, cum continuo vagitu pueri, & quodam ſtupore & langvore; humore autem ſub calvaria ſeu ſub membrana piâ matre contento oculi prominent rubei & dolorifici, voluntque quidam etiam quasdam notas delirii obſervari poſſe.

Cauſæ.

Cauſas hydrocephali Avicenna ſtatuit eſſe præcipuè malam tractationem & effigiationem capitis ab obſtetrice factam, ita ut ob ſuturarum compreſſionē venarum oſcula reſerentur, ad quæ deinde latex ſub cuticula decurrat; alii volunt hoc contingere ob indebitam infantis poſitionem in utero, ita ut ad caput nimium declive humor plus juſto confluat.

Prognoſis.

Prognoſis eſt quod hic tumor extra calvariam exiſtens curatur, intra eam, minimè, interdum etiam ab hydrocephalo epilepſia cauſatur.

Curatio.

Curatio fit per reſolutionem adhibitis diaphoreticis in forma linimenti vel emplaſtri, addito aliquo

aſtrin-

aſtringente, quem in finem illiniunt ſæpius oleum anethinum & roſaceum vel myrtinum cum ſulphure, vel oleum hyperici cum pulvere myrtillorum, his ſi non cedit, educitur humor per inciſionem, vel puncturam idque paulatim, ne unâ vice materia extrahatur, ſed per intervalla, aliàs mors procuraretur; præſtat tamen curatio ſine inciſione, ſi fieri poſſit; quæ ſic inſtituenda venit:

Ungventum.

℞. chamomillæ exſiccat.
abſinth. an. ℥ſ.
ſulphuris com. ʒj.
myrtillor. ʒſ. f. pulvis adde
butyri recent.
ol. chamomill. an. ℥iſ.
ceræ parum f. ungventum ad ignem.

Hoc locus quotidiè bis inungatur, donec inflatio evaneſcat.

TEXTUS.

IN hydrocephalo limaces cum ſuis teſtis piſtentur, & reducantur in formam emplaſtri, quod capiti applicatum & relictum, donec ſponte cadat, mirabiliter reſolvit. Vide de his centuriam tert. Obſervationum Chirurgicarum Fabritii Hildani.

CAP. CLXXXVIII.

DE TUMORE FLATULENTO; Germ. windige Geſchwulſt.

TUmores flatulenti ſeu ut alii vocant, apoſtemata ventoſa à præcedentibus aquoſis differunt, quod in hiſce loco humoris mucilaginoſi, qualis in œdematoſis dominatur, materia flatuoſa continetur, à qua eorum fit denominatio, quamvis fieri nequeat, ut in corpore noſtro ullus flatus detur, qui non partem aquoſitatis admixtam habeat, ut quilibet ex ſuo proprio reſpirationis halitu addiſcere poteſt, ſi eum emittat ad ſpeculum ori admotum, mox enim guttæ aqueæ in ipſo colliguntur & defluunt, ſi ergò aër vix momento in cavitate pectoris detentus nihilominus tantoperè humeſcit, multò magis aquoſi erunt ejusmodi flatus diu in corpore morantes, & ex ipſo corporis nutrimento, quod ex meris humidis conſtat; major tamen pars iſtorum tumorum flatus eſt, ideòque digitis preſſi veſtigia impreſſionis non retinent, quia aër confertim inflatus ſeu inſpiratus amotis digitis mox cum impetu reſilit, uti etiam fit in veſicis brutorum confertim inflatis, & cum aëre contento ligatis, quæ compreſſæ pariter illicò reſiliunt, & percuſſæ ſonitum edunt inſtar tympani, quod omnibus tumoribus ventoſis proprium eſt; tumores hi nullum inferunt dolorem, niſi colligantur intra membranas, easque nimis violenter diſtendant ac divellant, hæc inflationes fiunt rarò, idque modò ſub cute, nunc ſub membranis, quæ oſſibus circundantur, ſæpè etiam colliguntur in ventriculo, inteſtinis, atque in ſpatio inter peritonæum & inteſtina, nec non in utero, ut ſupra de tympanitide, hernia ventoſa &c. dictum eſt.

Cauſa

Cauſæ tumoris flatulenti. Cauſa tumorum flatuoſorum præcipua eſt imbecillitas caloris naturalis, ut quotidiè obſervamus in debileſcente calore Macrocosmi, quod fit in autumno, tum enim ferè ſemper ventorum procellæ, vapores craſſi & nebulæ generantur. Idem etiam fit in ejusmodi corpore humano, quod quaſi temperamentum autumnale in calore nativo obtinet, unde hic tumor facilè producitur, qui tactui renititur, verſus lumen lucidum quendam ſplendorem efficit, & percuſſus ut uter vel tympanum ſonat, ſæpius quoque flatus per totum corpus nunc huc nunc illuc diſcurrens, doloremque extenſivum inferens ſentitur.

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, flatuoſi tumores ægrè diſcutiuntur, plurimaque incommoda pariunt, præſertim, qui doloroſè & cum cordis anxietate hinc inde in corpore divagantur, venenatum enim quid in corpore delitеſcere eosque ſuſcitare arguunt.

Curatio. Curatio fit per roborationem caloris naturalis, extenuationem craſſorum flatuum, & meatuum corporis occluſorum, per quos hi flatus exire debent, apertionem; ad hunc igitur ſcopum tam alimenta quàm medicamenta dirigenda ſunt, ut omnia ſint calefactiva & ſubtiliativa; vitentur ergò omnia craſſa, cruda, mucilaginoſa, pituitoſa, flatuoſa ut ſunt lac, caſeus, fructus crudi, legumina, caſtaneæ, rapa, caro porcina, cereviſia craſſa, aliaque conſimilia. In crebro autem uſu cuminum, carvum, aniſum, fœniculum, petroſelinum, calamentha, ruta, galanga, & confectiones aromaticæ, ut diacalaminthes, diacuminum, aromaticum roſatum, diagalanga, præ alio panis genere convenit hordeaceus ſalitus & cuminatus: potus ſit vinum tenue non admodùm auſterum, imprimis cum infuſione baccar. lauri, dauci, ſeminis rutæ, aliorumque calidorum, ſtomachus etiam exterius ungatur oleis calidis ut rutæ, nuciſtæ, ſpicæ & ſimilibus.

Ad locum affectum conducunt ea quæ etiam ad præcedentem affectum commendata ſunt, item hoc:

Cataplasma.
℞. ſem. quatuor calidor. major. an. ʒj.
rutæ
baccar. laur. an. ʒſ.
farinæ fabar. ℥j.
ſucci ebuli & ſambuci.
vini albi opt. an. q. ſ.

pulveriſentur ſemina ſubtiliſſ. & cum liquoribus coquantur in cataplasma, & applicetur, plura vide ſupra cap. 139.

TEXTUS.

De tympanitide & ramice flatulento ſupra.

Tumor cutis flatulentus. *In tumoribus cutis flatulentis, applicentur cucurbitulæ ſine ſcarificatione; Item Carminativa ſemina; radix ebuli recens contuſa & emplaſtri loco applicata valdè omnes ventoſitates tollit.*

CAP. CLXXXIX.

DE SCIRRHO; Germ. verhartete Zelten oder Geſchwulſten.

Scirrhus quid? SCirrhus eſt tumor melancholicus, qui etiam fieri poteſt è tumore phlegmatico præpoſteris medicamentis tractato, ita ut contenta ejus materia induretur & exſiccetur, dicitur hic tumor aliàs apoſtema durum, item ſclirosis & ſephiros. Apoſtema durum. Sclirosis. Sephiros

Signa. Signa tumoris ſcirrhoſi ſunt; durities, obtuſus ſenſus, & renitentia, colorque ſubfuſcus vel medius inter rubrum & atrum, quando autem initio exurgit, utplurimum exiguus eſt inſtar piſi vel fabæ, & ſenſim augetur, ſcilicet ſcirrhus verus & legitimus, qui ſpontè in temperamento melancholico generatur, at qui ex imperitia Medici è prægreſſo alio tumore degenerat in ſcirrhoſum, non increſcit, ſed totus tumor antea mollis induratur, reſolutis partibus ejus tenuioribus per medicamina vehementer digerentia, craſſioribus verò induratis & exiccatis, ut interdum fit in eryſipelate & phlegmone, plerunque etiam ſcirrhus in uno loco fixus manet, interdum tamen priorem locum relinquit, & ad alium migrat, taliſque ſcirrhus fermos Avicennæ appellatur. Fermos Avicennæ. Eſt autem duplex ſcirrhus, unus veluti incipiens & nondum confirmatus, hic non omninò indolens ſeu omnis doloris expers eſt, ſed preſſus aliquantulum dolet, alter exquiſitus & confirmatus, qui omnis doloris ſenſuſque penitus expers eſt. Scirrhus duplex.

Cauſæ. Cauſæ ſcirrhi ſunt: temperamentum frigidum & melancholicum; item alimenta craſſa, pravumque ſuccum generantia, ſuppreſſio hæmorrhoidum antea fluere conſvetarum vel menſium. Obſtructio hepatis & lienis, qua ſangvis depravatur, tumoreſque præter naturam gignit & plures aliæ.

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, ſcirrhi confirmati, in quo etiam ſæpius pili nonnulli increſcunt, omninò inſanabiles ſunt, nec unquam permutantur, ſuntque magni, admodùm duri, & cum reliqua corporis cute concolores, incipiens autem, & aliquo modo dolorificus adhuc ſanationem recipit, ſcirrhi in temperamento melancholico facilè in cancrum degenerant.

Curationis ſcopus. Quantum autem curationis ſpei ſupereſt, in eo conſiſtit, ut ante omnia laudabilis diæta inſtituatur, è prava enim omnes morbi originem trahunt, vitando omnia ſuccum melancholicum gignentia, ut ſupra de morbis lienis ſatis indicatum eſt; præmiſſis igitur ſangvinem melancholicum purgantibus, & corrigentibus primo talis fotus fiat:

Fotus.

℞. rad. althææ
lapathi acut.
lilior. albor.
ellebori nigri an. ℥j.
fol. malvæ
bismalvæ
melilot.
camomill. an. m. j.
ſem. lini
fœnugræc. an. ℥j.
furfuris cribrati m. ij.

coquan-

Cata-plaſma. coquantur omnia in ſ. q. juris pingvis, quo locus calidè foveatur; reſiduum decocti piſtetur in pultem, adde axungiæ gallinæ vel alterius ℥iij.

ol. amygd. dulc.
anethin. an. ℥j.

m. f. cataplasma & calidè imponatur.

Deinde ſupergeſtetur tale ceratum:

Ceratum ℞. axungiæ human. ℥j.
pingved. gallin.
anſeris an. ℥ſ.
gumm. ammoniaci
galbani
bdellii
opoponacis in aceto diſſolut. colat. & coctione reinſpiſſat. ℥j.
mucilag. ſem. lini
fœnugræc. an. ℥j.

coquantur ad conſiſtentiam cerati, adde tantundem empl. de meliloth. & de eo imponatur; vide plura cap. 131.

TEXTUS.

Scirrhus *De ſcirrhis præſertim interiorum partium ſupra dictum.*

Ubi extra apparent, cataplaſmata ex radice bryoniæ, item ſtercore caprillo & urina proſunt.

Notanda. NB. *Emplaſtrum ex cicuta de quo ſupra, non usque adeò hic commodum.*

CAP. CXC.

DE CANCRO, Germ. der Krebs.

QVum ſcirrhi ſæpius in cancrum degenerent, ac quilibet cancer incipiens ſit ſcirrhus malignus, Author proximè poſt ſcirrhum de cancro tractare voluit; Eſt autem cancer pariter tumor melancholicus, à ſangvine hæmorrhoidali vel menſtruali, in his quibus talis ſangvinis fluxus antea conſvetus poſtmodum diu ſupprimitur, ſæpè occurrens, nec non in temperamento melancholico, & victu craſſo & pravi ſucci utentibus, de eo autem ſupra cap. 89. de vitiis mammarum plura locuti ſumus.

TEXTUS.

De cancro vide ſupra de cancro mammillarum (cancer non exulceratus dicitur latens, is ne tangatur.) Sarcomata curantur ut polypus, de quo ſupra. Sarcoma.

CAP. CXCI.

DE VARICIBUS, Germ. Aderkröpffe/Krampff-adern.

VEnæ in cruribus & teſticulis interdum à nimio ſangvinis craſſi & melancholici influxu dilatantur, turgidæque, groſſæ ac plenæ apparent, nec non diverſimodè curvatæ ac coloratæ, nempe colore viridi, fuſco, livido, atro, tumque ejusmodi venæ vocantur varices, Germ. Aderkröpffe i. e. venæ ſtrumoſæ, eò quòd Varices quid?

quòd ejusmodi venæ ſangvine turgeant & protuberent, inſtar ſtrumarum.

Signa. Signa varicum ſunt: venæ crurum ut ſaphæna ac reliquæ implentur multo ac craſſo ſangvine, fiuntque lividæ, nigræ ac tumidæ, ita ut craſſitiem digiti æquent, tumor autem impreſſioni digitorum promptè cedit, eoque amoto protinus returget.

Cauſæ. Cauſæ ſunt multa fatigatio crurum oneroſa, unde ſangvis accurrit pro eis reficiendis, ut fit in omnibus membrorum afflictionibus ſive fiant fricando, urendo, vel alio modo, ſemper enim ſangvis & ſuccus corporis ad locum afflictum accurrunt: hinc varices frequentes ſunt prægnantibus, quia fœtu jam grandiori crura earum grave onus ferre coguntur, quam ob cauſam etiam vulgo die Kindsadern item der ſchwartze Auflauf vocantur. Accidunt etiam varices aliis qui plurimum laboris pedibus ferunt, ut bajulatoribus, curſoribus, diu ſtantibus, captivis, quorum crura diu compedibus conſtringuntur, item ab ictu, contuſione, aliaque crurum afflictione.

Hujus affectus meminit quoque Hippocrates in ſequentibus aphoriſmis:

Varices ſolvunt melancholiam & amentiam. lib. 6. aphor. 21
Non accidunt calvis. 6. 34
Sin varices magni calvis ſuperveniant, recapillantur. 6. 34

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, varices neque dolorem inferunt, nec vitæ impedimentum pariunt, ſed eorum curatio ſaltem propter decorem, & non neceſſitatis ergo expetitur. In teſtibus exiſtentes difficulter ferunt chirurgiam. Interdum in gravidis venæ varicoſæ per ſe corroduntur, plurimumque ſangvinis effluit, & niſi fluxus ſiſtatur, patientem in periculum vitæ conjiciunt.

Curatio. Curatio varicum inſtituitur per venæſectionem, & ventris evacuationem per medicamina melancholiam purgantia; deinde venæ varicoſæ aperiuntur foramine lato, ſangvisque in eis contentus vitioſus emittitur, vitando ſimul omnia, quæ ſangvinem melancholicum generant, ut ſunt lentes, milium, oryza, Diæta. caules, caſeus vetuſtus, caro porcina, bovina, caprilla, ſalita, & fumo indurata, confectiones ex melle, panis azymus, cibique aſſi & frixi; conveniunt verò hordeum & avena decorticata, fœniculum, petroſelinum, ſpinachia, chærefolium, juſcula piſorum, caponum, ova ſorbilia, aliaque euchyma. Vitetur quoque ſtatio longa, portatio oneroſa, motus laborioſus, cogitationes vehementes, ſolitudo, & ſolicitudo nec non habitatio tenebricoſa, conducunt quoque eadem medicamenta, quæ ſupra ad melancholiam hypochondriacam, melancholicamque inſaniam conſignata ſunt; apertio autem venarum fit in inferiori parte circa malleolum, totusque ſangvis craſſus è tota vena à ſummo ad imum verſus ſvaviter exprimitur per foramen latè factum, ut exire poſſit, non tamen unâ vice, ſed pluribus, donec tumiditas venæ ubique ablata videatur,

tur, adhibendo deinde ligaturam a-ſciæ quatuor digitos latæ, prius in lixivio juniperino vel querno cum modico aceto mixto infuſæ, quæ ligatura in imo ſtrictior eſſe debet, in altiori autem laxior, lixivium autem fiat non cum aqua ſimplici, ſed decocto caulium, additis quoque ſi fieri poſſit, corticibus tamariſci, debetque crus detineri in quiete, & elevatum per dies quatuordecim, repetendo omni triduo levem phlebotomiam, & corporis evacuationem, deinde verò paulatim æger ad temperatum motum redeat; cauterium potentiale hîc non convenit, ſed ſolùm eductio ſangvinis, utendo ſimul, quæ ſangvinem mundificant, ut fit à decocto ſarzaparillæ, chinæ, ebuli, rad. lappæ majoris & minoris, ſimiliumque.

TEXTUS.

IN varicibus (hæ puerperis familiares, unde Germanis Kindesadern) Ungventum. ℞. *butyri majalis, vel in ejus defectu olei roſar. part. j. ſucci ex contuſis cancris expreſſi partes duas vel tres, m. & coque ad formam*(a)*ungventi*(*vel ebulliant leniter, poſtea Soli exponantur, ſed tum fœtet maximè.*)

(*a*) Uſus hujus ungventi eſt, ut poſt ſangvinis varicoſi emiſſionem & expreſſionem tota vena, & in ejus circuitu præfatum ungventum probè inungatur, addi quoque poteſt axungia leporina, vel

Aliud. ℞. pingvedinis humanæ q. pl. inunge eam ſolam vel admiſce quoque ol. juniperinum ſtillatitium, & procede ut dictum eſt.

CAP. CXCII.

DE ANEURISMATE;

Germ. ein Schlagader/ Kropff/oder Arterien Geſchwulſt.

ANeuriſma nihil aliud eſt quàm hernia arterialis, fit enim à rupta tunica interiori arteriæ alicujus, Aneuriſma quid? quæ cunctæ exceptis his, quæ in cerebro ſunt, duplici tunica conſtant, interior autem interdum à forti pulſatione rumpitur, & tunc exterior ſenſim dilatatur, datque hunc tumorem, qui aneuriſma appellatur, & nonnunquam magnitudinem pugni excedit, rationi ergò conſonum eſt, in tali paſſu etiam exteriorem demum ruptum iri, quomodò enim fieri poſſet, ut tam tenera tunicæ pellicula adeò ſpacioſam ferret extenſionem ſine diſruptione? ſed procul dubio dudum hiſcit, natura autem aliquid fortè membranei iterum obtendit, & fiſſuram ſeu crepaturam reſarcit, ut hic tumor in ſua propria clauſura manere debeat. Alii tamen ejuſmodi ruptionem non admittunt, eò quod ſangvis mox in iſtam cavitatem lapſurus eſſet, ſangvinem autem in aliena cavitate brevi corrumpi & putreſcere, neceſſe ergò eſſet ut aneuriſma ſangvinem per rupturam interioris tunicæ egreſſum continens brevi temporis ſpacio corruptionem & ſuppurationem accerſeret, quod tamen non contingat, ſed admodùm diu in eodem ſtatu permaneat. Poſſe tamen

men aneuriſma contingere ex arteriæ vulneratione, in quo quum ſangvis ſit copioſior ſpiritu, is in grumos coëat, tumoremque extendat, tale autem aneuriſma non ita eſſe molle, nec etiam diu ferri; putant itaque quod in vulgari aneuriſmate non contineatur ſangvis ſed flatus ſpirituoſus, qui alicubi inter utramque tunicam minimâ initio copiâ ſe colligat, & utramque tunicam paulatim ab invicem divellat, ſenſimque tumorem quidem turgidum, tactui tamen facilè cedentem, ſed eo amoto illicò in priſtinam turgentiam reſilientem efficiat.

Signa. Signa aneuriſmatis ſunt: tumor initio parvus ſenſim augeſcens, in quibusdam multum in aliis parum, doloris expers (præterquam ſi eſt à vulnere, tum enim immenſum dolet, & cum vigiliis & convulſionibus conficit) ad tactum mollis & ſpongioſæ laxitatis, aſpectu cum reliqua cute concolor compreſſioni digitorum promptiſſimè cedens, adeò ut totus ferè tumor evaneſcere videatur, ſed retractis digitis momentaneè in eandem turgiditatem reſultans, perpetuò fortiter pulſans, quod autem à vulneratione fit, non ita molle eſt, quando etiam aneuriſma magnum evaſit, tunc non amplius tam fortiter pulſat, compresſumque ſtrepitum quaſi aqueum intus exaudiri facit.

Cauſæ. Cauſam præcipuam eſſe nimiam ſpirituoſitatem ſangvinis arterialis veriſimile eſt, unde etiam ferè ſemper aneuriſma in collo obſervatur ob arterias carotidas, & in eis facilem ſpiritus commotionem, ſæpè enim cauſæ occurrunt, ob quas fortiſſimâ compreſſione ſpiritus opus eſt, ut fit in vehementiſſimo conatu partus, ſuppreſſione ventris, & ſimilibus, ubi potior compreſſionis vis ad collum fertur, ut quilibet in ſe ipſo obſervare poteſt, facilè ergò à tali vi tunica ejusmodi interior divelli & aneuriſma excitari poteſt, excitatur etiam ut dictum eſt interdum à vulneratione, item ab imperitis chirurgis, qui nonnunquam loco venæ arteriam, vel eam venæ ſubjacentem ſecant, vulneratâ enim arteriâ incumbens ei cutis cicatricem quidem contrahit, at tum vulnus incuratum manet neque coalet, nec carne occluditur, aneuriſma fieri neceſſum eſt.

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, aneuriſmata parva ab imperita venæſectione provenientia cum difficultate curari poſſunt, magna verò ac ſponte venientia nunquam, præſertim in collo exiſtentia, ubi ne unicum exemplum alicujus curati eſt notum; diu tamen ejusmodi ægri per curam palliativam in vita poſſunt ſervari, ſi verò aneuriſma aperiatur, uti interdum imperiti tonſores illud abſceſſum eſſe credunt, patiens mox ſub manibus exſpirat.

Curatio. Curationis ſcopus eſt, ut ſtatim in aneuriſmatis initio vena ſecetur, tumorique lamina tenuis plumbea ſuperimponatur, & continuò geſtetur, vel applicetur emplaſtrum contra rupturam, laminaque plumbi ſuperligetur, ita etiam fieri debet cum emplaſtro, quod docet

TEX-

TEXTUS.

Empla-ſtrum.

℞. cineris ficuum ℥ſ.
ceræ ℥j.
terebinthinæ ℨij.
m. f. emplaſtrum extendatur, & applicetur ſæpius. Aliquando balſamus ſulphuris adjiciendus eſt, nonnunquam terra vitrioli purificata addenda.

CAP. CXCIII.
DE ERYSIPELATE, ET IGNE SACRO; Germ. das Rohtlauf/ die Roſe/ oder das heilige Ding.

Eryſipe-las quid? ERyſipelas eſt fervor ſangvinis bilioſioris, frequens in temperamento ſangvineo bilioſiori, cujusmodi ſunt ruffi & capillos citrinos habentes, invadit autem hominem cum paroxyſmo febrili, ac deinde materiam morboſam ad externam corporis circumferentiam expellit, ubi in aliqua parte nempe in collo, brachiis vel alibi, ut plurimum tamen in tibiis ſeu ſpacio illo intermedio inter genu & pedes inflammationem valdè ferventem cum tumore & rubore rutilante ad flavum vergente excitat, qui interdum brevi difflatur & diſcutitur, nonnunquam verò ſuppuratur & exulceratur.

Signa. Signa ſunt: paroxysmus unicus febrilis inſtar febris tertianæ, ſequiturque ſemper inflammatio rubicunda in aliqua corporis parte, ob colorem ſuum rutilum ſacer ignis vocata.

Cauſæ. Cauſæ ſunt: abundantia ſangvinis bilioſioris, præ copia naturam gravans, unde ea effervefcit, fervor autem aciditatem quandam parit, uti in qualibet materiâ in ſe ipſa effervefcente apparet, quod nimirum paululum aceſcat, teſte muſto, cereviſiâ novellâ, paſtâ panis aliisque rebus innumeris efferveſcentibus, talis ergò aciditas etiam in ſangvine bilioſiori facilimè concitatur, & à natura ad ſuperficiem cutis expellitur, præſertim bilioſâ ejusmodi conſtitutione auctâ vel commotâ per excandeſcentiam, uſum multum aromatum, potulentorum inebriativorum, aliarumque rerum calefactivarum, huc etiam facit connata talis diſpoſitio translata ad liberos à conſimilibus parentibus, item repentina alternatio caloris & frigoris, qua corruptiva qualitas ſangvini introducitur, uti ſemper contingere videmus in repentina concurſatione contrariorum, corruptiva autem qualitas pariter aciditatem parit, imò ex ſua natura acida eſt, omnia enim quæ corrumpuntur, eo ipſo aceſcunt, acor autem ſangvini eſt hoſtilis atque protinus foras expellitur, præ omnibus autem aliis partibus tibiæ ad eryſipelas diſpoſitæ ſunt, pertinent enim ſub ſignum ſangvineum ſympathicum Aquarii, ideò ſangvis in ipſis peculiariter dominatur, & facilè inflammationem concitat.

De hoc affectu loquitur etiam Hippocrates in ſequentibus veriloquiis:

Ery-

Eryſipelas ab interioribus foras converti bonum. lib.6.aphor. 25

Foris verò intrò, malum. 6. 25

Inflammationes & ardores ruboris ſangvinei recentes medicandi ſunt rebus frigidis. 5. 23

Non autem inveterati, nam à frigidis nigreſcunt. 5. 23

Frigida eryſipelas non exulceratum juvant. 5. 23

Exulceratum verò lædunt. 5. 23

Ab oſſis nudatione eryſipelas ſuperveniens, malum. 7. 19

Ab eryſipelate putredo vel ſuppuratio, malum. 7. 20

Si prægnanti in utero fiat eryſipelas, lethale. 5. 43

Prognoſis. Prognoſin quod attinet eryſipelas analogiam quandam habet ad febrem tertianam, ac ipſius motum ſequitur, interiora viſcera apprehendens ſemper periculoſum eſt, angina enim, pleuritis, peripneumonia, aliæque internæ inflammationes nil aliud ſunt, quàm eryſipelas, foras autem vergens nihil mali denotat, ſed potius fortem naturæ conſtitutionem, ceditque facilè rebus ſiccis temperatè frigidis, & reſolvitur plerunque per inſenſilem transſpirationem, ſed de facili quoque recidivat ſeu ſæpius redit, applicatione autem rerum humidarum frigefacientium non lixivialium libenter exulceratur, datque complura foramina eodem loci difficilis ſanationis, è quibus ſerum flavum copioſè emanat, iſtis autem ulceribus legitimè ſanatis impoſterùm vix unquam eryſipelas redit, videtur ergo præfata eluvies citrina eſſe materia eryſipelatis, quâ prædicto modo ubertim excluſâ firmam valetudinem ſecutam eſſe exactè obſervavimus, relinquimus tamen id judicioſioribus ad exactius penſitandum.

Curatio. Curatio à Practicis inſtituitur exhibitione infuſionis rhabarbari vel alterius cholagogi, deinde verò loco inflammato adhibent cum petiis liquores refrigerantes nempe ſuccos ſolani, plantaginis, ſempervivi aliave frigida, aſtrictionem aliquam in ſe habentia, nullo autem modo frigida emollientia, ut eſt lactuca, malva mercurialis &c. ne eryſipelas exulceretur, vulgus autem ſibi ab omni humectatione in eryſipelate cavet, ſibi perſvadens ab eadem exulcerationem accerſi, imponit autem frigida ſicca, nempe farinam ſiliginis cum papyro cœruleâ, alii linteum fricant ſapone duro, donec reſplendeat, idque imponunt, aſſumendo ſimul rob ſambucinum vel theriacam ad evocandum ſudorem, optimum autem remedium in eryſipelate eſt lixivium acre mixtum oleo roſaceo ut lacteſcat, quod intinctis linteis applicatur; ſingulare etiam eſt ad eryſipelas emplaſtrum diſſipativum ſequens: Specificum.

Emplaſtrum diſcutiens.

℞. maſtic.
thuris maſculi an. ℥j.
ſantali rub. ℥ſ.
croci opt. ℈iſ.
flor. roſar. rub.
chamomill. an. m.j.

Omnibus ſubtiliſſimè pulveriſatis adde

cer æ

ceræ ℥ſ.
axungiæ cervin. ℥j.
ol. chamomill.
baccar. junip. an. ʒſ.
f. ſ. a. emplaſtrum.

Hoc panno ſuperinductum quotidiè bis applicatur, & omnem inflammationem extingvit, adhæc ſangvinem congelatum ſubcutaneum diſſolvit & exigit, tumores circa pudenda aliosque à fluxionibus ortos tollit, & alia plura præſtat.

TEXTUS.

Experimentum *ERyſipelas recens quamcunque partem invaſerit, externa discutientia requirit moderata. Sangvis menſtruus in aceto roſaceo diſſolutus, & calidè applicatus ſubitò ſolvit, præſertim ſi ſudores quoque moveantur ex bezoartico tum ſimplici tum compoſito, vel ſolari vel lunari, in aqua ſenecionis exhibito. Item ex miſtura ſimplici in eodem vehiculo.*

Sic decoctum myrrhæ & olibani in vino & aceto factum calidèque applicatum citò diſſolvit.

Folia raphani ſylveſtris conquaſſatis fibris calidiusculè applicata fervorem ſangvinis reprimunt.

Nonnullis aqua ſpermatis ranarum ad extingvendum ignem ſacrum familiaris eſt, ſed ſæpè malo cum ſucceſſu. Eſt nimirum nimis frigidum, hoc eſt, habet in ſe ſe mercurium cum ſaturnina quadam proprietate conjunctum; itaque repercutiens quidem eſt, ſed ſubſequentium gravium ſymptomatum cauſa manifeſta. Mortificantur exinde tum partes nervoſæ tum venoſæ. Ejus tamen particula cum decocto myrrhæ & olibani miſta laudabilior eſt ad inſtitutum.

Tibialia linea imbibita aqua ſpermatis ranarum, & viciſſim exſiccata, ſubindeque eodem opere præparata pedes & crura ab eryſipelate ſæpius recurrente muniunt & præſervant.

Eryſipelatis exulcerati (a) *curam vide apud Rulandum cent. 1. curat. 43. hac cura feliciter uſus ſum in mulierculis (naſturtium aquaticum ſingulare eſt) item eryſipelatis phlegmonoſi cur. 61. cent. 9.*

(a) Eryſipelas exulceratum in tibiis ſi negligenter tractetur, producit ulcera putrida, manantia & difficulter ſanabilia, & ſi in confirmationem diuturnam abeant, natura effluxui ichoroſæ ſaniei per ejusmodi ulcera adeò aſveſcit, ut poſtmodum ne concedat quidē ulceris ſanationem, niſi à prohibitione iſtius effluvii pejora quis expectare certus ſit; per totam ergò vitam perennare ſolent, cum perpetuo ſaniei effluxu, & cruris in circuitu ulcerum turgiditate, ita ut crus exulceratum denſitate alterum ſemper manifeſtè ſupe- Ulcera tibiarum.

Eee eee

ſuperet, vocaturque Germanicè ein Oelſchenckel i. e. crus oleoſum, vel potius olidum. Olent enim hæc ulcera inſtar caſei vetuſti putridi, ſanantur autem etiam aliquo modo confirmata imponendo ungventum mundificativum ex melle, quod ſupra cap. 173. deſcriptum eſt, donec lardum ulcerum ſit abſumptum, quo facto ad ſanationem perducuntur emplaſtro ſanativo ſimplici citato loco deſcripto.

Gangrænæ remedia. Aliquando incendium ignis ſacri tam vehemens eſt, ut rubor demum in atrorem vertatur, ſeu gangrænam incipientem; in hoc itaque caſu lixivium acre è cineribus quernis paratum coquatur cum radicibus filicis, donec radices molleſcant, locus verò nigricans profundè ſcarificetur, & commemorato jam decocto tamdiu calidè foveatur, donec gangræna ſit extincta, eſt enim initium corruptionis, quæ conſtat mera aciditate, liquor autem alcalioſus omne acidum combibit & mortificat.

Ne autem eryſipelas pro more ſuo tam facilè recurrat, corpus ſubinde purgetur rhabarbaro, vinumque medicatum paretur ex his, quæ ſangvinem mundificant, qualia ſunt: ſcabioſa, ſcorzonera, ſcrophularia, ſideritides, macis & ſimilia.

De gangræna (b) *vide curationem ultimam cent. 10. Rulandi. Præſtat balſamus ſulphuris ſuperimpoſitus, item emplaſtrum diaſulphuris (ſic gangrænam penis in conſule Bremenſi curavi) vide etiam infra de gangræna & ſphacelo incipiente.*

(*b*) Contra gangrænam incipientem pro ſecreto communicatum eſt, ſi deſtilletur aqua è foliis teneris jam jam erumpentibus, & adhuc rubentibus arboris orni, (Germ. Hagenbüchen) tepidèque ſæpius cum petiis applicetur.

CAP. CXCIV.

DE PHLYCTENIS; Germ. das wilde Feuer oder Nachtbrand.

Phlyctenæ quid? PHlyctenę vel phlyctides ſunt puſtulæ repentè emergentes, tenui humore aqueo ſubflavo plenæ, & quaſi diſtentæ, & inſtar bullarum aquoſarum lucidæ, hisque ſimiles, quæ ab ambuſtione ignis vel aquæ fervidæ excitantur, vel à veſicatoriis, magnum tamen dolorem non inferunt, dumque rumpuntur, humor aquoſus ſubflavus effluit, & per biduum vel triduum paulatim exſudat. Puſtulæ hæ viris rariſſimæ ſunt, contingunt autem fœminis, quibus menſes non debitè purgantur, idque ſæpius in cruribus, & nonnunquam infantibus per totam corporis circumferentiam. Videtur hic affectus pariter ſpecies quædam eryſipelatis, quia conſimilem humorem ferè emittit, ut eryſipelas exulceratum, qui quum effluere ceſſat, puſtulæ cruſtulis obdureſcunt, & ſaneſcunt.

Cauſæ. Cauſa à practicis ſtatuitur impuritas ſangvinis bilioſa, eademque quæ eryſipelas producere ſolet, ſed mitior

mitior & magis ſeroſioris qualitatis.

Curatio. Curatio harum puſtularum fit per diuretica & menſes moventia, procurando quoq; congruam corporis evacuationem, puſtulæ autem ipſæ rumpendæ ſeu expungendæ ſunt acu, ſponte enim non facilè rumpuntur, ſed graviter dolent, omnisque humor exigatur atque etiam leniter exprimatur, & ſi ante omnem humoris excluſionem rurſus coëant, denuò aperiantur, & etiamnum exprimantur, ante apertionem imponunt lenticulam coctam cum lacte, & in pultem mollem contuſam, item ſuccos refrigerantes, nempe ſolani, plantaginis cum creta; ſi ſint in infante, nutrix ejus bibat affatim ſerum lactis, victuque refrigerante nutriatur euchymo. Puſtulis imponitur cataplasma è farinâ polentæ ſubactâ ſucco portulacæ vel plantaginis, ac abluantur decocto roſarum vel lentium, conveniunt quoque remedia præcedente capite conſignata.

TEXTUS.

IN phlyctenis vel phlyctidibus quando ad partes carnoſas locum figunt, citò tum reſtingvendis tum curandis nihil potius eſt epithemate ex lixivio forti cinerum fagi, & oleo lini ana calidè confuſis & mixtis facto, ac deinceps cum laciniis loco dolenti applicato ſæpius reiterando, ſi aliquid olei nucis adjeceris, perfectior ſubſequetur cura. Sunt verò puſtulæ ſimiles illis, quæ ex aqua fervente enatæ, liquorem flavum in ſe continentes.

CAP. CXCV.
DE HERPETE; *Germ.* der Heerbrand/ das lauffende Feuer.

Ἕρπης id eſt affectio ſerpens deducitur ab ἕρπω id eſt ſerpo, ſignificatque affectum exterius in cute ſerpentem, cujus duæ ſunt ſpecies, una quæ ſimpliciter herpes, & à quibusdam formica appellatur, quæ ſpecies eſt eryſipelatis, & bilioſa quędam ſerpigo, producens minutiſſimas puſtulas inſtar granorum milii, quam ob cauſam herpes miliaris appellatur, altera acrior & profundius rodens dicitur herpes eſthiomenos id eſt exedens & depaſcens, utramque ſpeciem Fernelius papulam vocat, herpes enim miliaris ipſi eſt papula ſimplex & minor, ſummam cutem exaſperans, & ſub una epidermide conſiſtens, exiguasque puſtulas excitans, quæ minimum extent & promineant, milio haud abſimiles, herpes verò eſthiomenos ipſi deſignat papulam feram, quæ nimirum proferat puſtulas cutem veram rodentes, exulcerantes & depaſcentes.

Ratio nominis. Formica. Herpes miliaris. Herpes eſthiomenus.

Affectus hic à plerisque pro ſpecie eryſipelatis habetur, diſcrimen autem inter utrumque eſſe volunt, quod eryſipelas manifeſta fluxione derepente irruat, herpes verò paulatim & cum multa temporis protractione, nec cum evidenti fluxionis decubitu, omnisque febrilis acceſſionis expers, ubi econtra eryſipelas

 præ-

præceps ſemper febrilem paroxyſmum cum dolore & ardore habeat comitem, brevique ſolvatur, herpes verò tantùm pruritum inducat, & longo cum tempore ſanetur.

Cauſæ

Cauſa utriusque herpetis exiſtimatur à Practicis bilis ſincera, quæ tamen craſſior ac glutinoſior ſit, quam in eryſipelate, ac proinde diutius, tenaciusque in cute hæreat atque commoretur, puſtulasque moveat exulcerantes, ſicque feram herpetis ſpeciem conſtituat, ſi verò tenuior ſit, cutem penetret, in epidermide verò ſubſiſtat, & puſtulas mitiores non exulcerantes concitet; at nos caſu invenimus modum, quo utriusque herpetis ſpeciei ſimilimus affectus arte produci poſſit etiam in optima valetudine, & integerrimo temperamento idque ſolo levi attactu liquoris acidi, uti in nobis ipſis experti ſumus, quo parcius enim cutis dicto acido attacta fuerat, eo minutiores puſtulæ erumpebant, à largiori autem grandiores, & profundius ſerpentes, & quamvis attactus fuiſſet momentaneus, tamen puſtulæ poſtmodum ſatis diu perſiſtebant, absque ullo bilis exceſſu, cum conſtitutionis ſimus ſangvineæ temperatæ, ab omnibus ferè morbis per omnem vitam immunis. Multò magis ergò idem in aliis temperamentis minus inculpatis contingere poterit. Potiſſimum itaque cauſam hujus affectus cutanei arbitramur eſſe aciditatem quandam de foris cuti adventantem & pro temperamenti diverſitate affectum diverſificantem, & pro hac ſententia loquitur Galenus lib. de tumoribus præter naturam his verbis: *herpes quidem vicina depaſcitur, id eſt quæ in circuitu ſunt, erodens; verùm ſolius cutis eſt exulceratio.*

Prognoſis.

Prognoſis hujus affectus adducitur hæc ab Authoribus, quod plus ſit tædioſus quàm periculoſus, niſi intempeſtivè adhibitis repellentibus intro in corpus pellatur, tunc enim idem periculum atque à repulſo eryſipelate ſequi poterit: Si tamen neglecta formica ſeu herpes tantopere augetur, ut univerſum corpus obſideat, mortem juxta Authores infert.

Curatio.

Curatio utriusque herpetis ordienda eſt evacuatione corporis, quod egregiè fieri poteſt pilulis mercurialibus inter cathartica deſcriptis. Deinde topica adhibeantur refrigerantia ut ſunt: ſempervivum, portulaca, ſacharum ſaturni & ſimilia; optimum autem eſt linimentum è ſubtiliſſimo pulvere cretæ & cremore lactis, quo ſæpius herpes illiniatur, item ſi calx viva extingvatur in aqua, eaque decantetur, ac deinde ſacharum ſaturni in eadem ſolvatur, iſtoque liquore affectus locus eluatur. At ſi multum exedens ſit herpes, in uſum vocentur remedia morbi Gallici, nempe potiones ex ſarſaparilla & ſimilibus.

Specificum.

TEXTUS.

H*Erpetem miliarem* den freſſenden Wolff/Ameiſen / *veluti & veram aqua calcis vivæ calidè in petiis applicata mitigat; fortius operatur, ſi alumen dulce*

vel

vel ſacharum Saturni in eadem ante applicationem diſſolvitur.

Optimum verò in his caſibus præſertim reſpicere ad mundificationem corporis. Sæpè nimirum cacochymia in viris, menſium obſtructio in fœminis utriusq; cauſam ſuppeditare poteſt.

Utrinque igitur faciendum quod res jubet.

Sudores præterea ſunt neceſſarii, quibus omnibus præmiſſis ritè, reliqua non erit inutilis cura.

Quod ſi cutis ipſius & carnis exulcerationes ſerpentes jam tum malum pertinacius fecerint, mundificantia ſunt neceſſaria, de quibus ſupra.

Commendatur hîc maximè cremor calcis vivæ cum mundificantibus miſtus & applicatus.

Decoctum perſicariæ, ſic folia rubi idæi in aqua & vino decocta herpetes præſertim tibiarum non tantùm mundificant, ſed inſuper ſanant.

Unguentum Saturninum ex lithargyro auri & oleo olivarum ſine igne tantùm in mortario plumbeo diuturnis tritionibus miſtum maximè conducit.

Balſamus ſulphuris complementum abſolvit.

Noli me tangere. Ad herpetem exedentem pertinet etiam malum, quod vocatur: *Noli me tangere*, & tentigo prava; ita dictum, quod non modò tangentem inficiat, verùm etiam manuali tractatione ferè ſemper in deterius vergat, appellatur etiam carcinoma narium, & à quibusdam lupus faciei, locus enim ejus natalis in facie eſt, oriturque plerunque ab eryſipelate vel formica corroſiva; aſt de hoc malo ſupra cap. 45. ſufficienter actum eſt.

CAP. CXCVI.

DE IMPETIGINE ET LICHENE; Germ. Zittrüſſen und Flechten.

Impetigo & ſerpigo quid? EX iſtis affectibus, quæ tantùm cuti exterius adhærent, ſunt etiam impetigo & ſerpigo, quorum nominum rationem inde deſumunt, quod impetigo cum impetu lædat, ſerpigo verò hinc inde ſerpat, eſt tamen unus & idem affectus in diverſis temperamentis aliquo modo diverſum ſe exhibens, eſtque nihil aliud quàm ſcabies ſicca, proferens puſtulas & ſquamulas ſiccas omnis ſaniei humidę expertes, quemadmodum ſcabies humida ſemper puſtulas liquorem aliquem & ſaniem profundentes producit, in excitatione autem pruriginis invicem concordant, quamvis ferè major pruritus ſcabiem ſiccam quàm humidam comitari videatur, eò quod nullus humor phlegmaticus, ut in altera concurrat, qui acrimoniam & mordacitatem ſalſam aliquantulum diluat & leniat. Scabies ſicca.

Scabies itaque ſicca ſuos habet gradus, quando enim incipit, levemque pruriginem cutisque tantummodò rubedinem infert, ſimpliciter

pruritus appellatur, quum verò cum majori cutis deſiccatione infeſtat, ita ut cuticula aſperitatem contrahat, & in ſquamulas minutas inſtar furfuris hinc inde dehiſcat & abſcedat, impetigo eſt, Germ. Zittermahl/ & ſi tunc negligatur, aſperitas & pruritus increſcunt, latiusque in ſuperficie ſe propagant, unde à proſerpendo hic affectus ſerpigo nominatur, nec non lichen, eò quod inſtar lichenis arborum exteriorem cutis ſuperficiem occupet, & hinc inde ſerpat, ac cutem ſcabrificet, imò etiam impetigo idem eſt quod Græcis lichen; quando autem admodum fera fit ſcabies ſicca, cutemque ſuffodit, arrodit, findit & ſquamificat, tum pſora & lepra Græcorum inde generantur, de quibus ſequenti capite. Lichen.

Cauſæ. Cauſam hujus affectus Authores ſtatuunt materiam melancholicam, cui mixta ſit cholera, diversâ quantitate, at experientia aliud demonſtrat, videmus enim hunc affectum plurimum contingere in conſtitutione aëris valdè ſiccante, qualis apud nos dominari ſolet menſe Martio, & flante aurâ boreali, tum enim idem quoque terræ contingit à ſubtili ſiccitate aëris, quæ humorem terræ ſuperficialem ſubitò ſiccat, unde terra fit in ſuperficie pulverulenta, ſcabra, & hinc inde finditur, aſt quis cordatus ideò terræ aſſignabit melancholiam, choleram aduſtam & ſimiles ineptias? Sic etiam tum temporis facilè accidit cuti humanæ teneræ, quod ab externa aëris ſiccitate ſcabreſcat, furfureſcat & in varias rimulas dehiſcat, præſertim in manibus, quando crebrò aquâ madefiunt, & repentè rurſus aëri ſiccanti frigido exponuntur, pro diverſitate autem temperamenti affectus deinde fit mitior vel ferior & obſtinatior, communicari etiam hoc malum poteſt per contagium ſeu infectionem, uti omnes ſcabiei ſpecies eandem naturam ſervant.

Prognoſis. Prognoſis eſt, quod impetigo recens & pauca facilè curatur, quanto autem antiquior eſt, & ſiccior, eò fit deterior & curatu difficilior, imprimis autem in facie & capite diu perſiſtens facilè tandem in lepram degenerat, præſertim in temperamento melancholico, quando nimirum incipit mutari in majores & fœdas ſquamas & cruſtas.

Curatio. Curatio inſtituitur mundificando ſangvinem quamvis levis, & per infectionem ab alio contracta impetigo ſaltem topicis ſanari poſſit, mundificatio tamen corporis nemini nocet, præſertim in affectu feriori, quæ in hoc affectu probè obtinetur infundendo per aliquod tempus herbas chamædr. ſcabioſ. cichor. &c. in potu, tumque corpus evacuetur tali modo:

Purgans. ℞. fol. ſen. Alex. ſ. ſ. ℥ß
rhab. elect. ʒj.
ſalis tartari
ſem. aniſ.
ſpicæ an. ℈ſ.

Infunde per noctem in aq. ſcabioſ. & fumariæ an. ℥iſ. manè parum bulliant, ac deinde fortiter exprimantur, colaturæ adde ſyr. de epith. & fumar. an. ʒiij. m. pro una vice.

Locus

Specifica.

Locus verò impetiginoſus illiniatur liquore illo, qui in ſuperficie picis navalis (vulgò teer) reperitur in doliis venalibus; juvat etiam pulvis ſeminis ſinapi cum oleo roſac. & ſulphure com. trito in linimentum redactum, & illitum.

De liquore autem dicto picis navalis ſciendum, quod quidem lichenes certo ſanet, ſed cutem aliquo modo flaventem relinquit, flavedo tamen iterum aufertur, ſi locus abluatur lixivio ſalis tartari, quod vulgò oleum tartari per deliquium vocatur.

TEXTUS.

IMpetiginem, lichenemq; (Zittermahl / Flechten im Angeſicht) *incipientes, præſertim in facie & collo ſaliva jejuna ſuperillita loco aliquantulum affricto* (außgekratzt) *tollit; Sin horridior fuerit, & latius ſerpere perrexerit, præcedentibus corporis mundificationibus alia ſunt aſciſcenda.*

Liquor ad impetiginem.

Sic aqua quæ deſtillando prolicitur ex oleo tartari per deliquium ſoluto cum mercurio crudo (proportione quadrupla, ut ſit olei tartari ℔j. mercurii ℔¼ hoc eſt ℥IV. ex retorta, mercurius primùm prodit, deinde aqua non corroſiva) impetiginem & lichenes omnes etiam contumaciſſimos curat.

Sic oleum tartari per deliquium factum, cum ana olei ceræ diligenter miſtum, impetigines & mundifiat & curat. Ad pruritum

Pruritus.

℞. ungventi infrigidantis
Galeni ℥j.
Populeonis ℥ſ.
Opii gran. iij. vel IV.
diſſolvatur opium in oleo amygdalarum dulcium, poſtea miſce & illine.

CAP. CXCVII.
DE PSORA; Germ. die böſe Flechten.

PSora etiam impetiginis ſpecies eſt, nempe planè ſæva & exedens, quæ ſi mentum ſingulariter defœdet, mentagra dicitur, ſi cruſtas rubidiores generet, rubrica appellatur, & ſi admodùm fera evaſerit, ipſa eſt Græcorum lepra; ſemper autem unus & idem eſt affectus, nempe ſcabies ſicca, nunc remiſſius, nunc vehementius infeſtans.

Pſora. Mentagra. Rubrica. Græcorum lepra.

Cauſæ ſunt eædem quæ capite præcedente, item ſupra de ſcabie, & cap. 172. de lepra adductæ ſunt, eademque etiam hîc remedia conveniunt.

Cauſæ.

Ad ſcabiem partim ſiccam partim verò humidam etiam pertinent hydroa ſeu ſudamina, eò quod cum ſudore prorumpant, ſuntque papulæ rubræ, mordicantes, & cutem pruriginoſam reddentes, nec non ulcerum modo exaſperantes; ſolent autem potiſſimum fervido æſtatis tempore contingere, faciliſque ſunt ſanationis, ita ut etiam per ſe abſque interventu medicaminum ſaneſcant,

Hydroa. Sudamina.

ſcant, ac in albicantes ſquamulas terminentur.

Præter has etiam aliæ ſunt puſtulæ parvæ aquoſæ, quæ itidem hydroa vocantur, quarum etiam Fernelius lib.6. c.5. de externis affectibus mentionem facit his verbis: *Exigua & aquoſa puſtula ſunt hydroa id eſt ſudamina. Emergunt repentè ſparſim toto corpore, ſed frequentius in manibus pedibusque milii magnitudine aquâ plenæ, ſine rubore & ſine ullo dolore: fiunt enim ex ſudoribus ſub epidermide coërcitis, per cujus ſpiracula digeri illi minime poſſunt, unde à quibusdam ſudorum papulæ nuncupantur.*

Omnia autem hæc curatione ſcabiei curantur, pſora autem his, quæ ad lepram ſupra propoſita ſunt.

TEXTUS:

PSora quantumvis à ſcabie videatur diverſa, unas tamen & easdem ſuæ generationis habet cauſas, niſi quod ſemper coincidunt, aut una alteram ſubſequatur; quicquid igitur diſcriminis ineſt, id ſaltem dependere videtur ex alterutrius parentis nimia, nec admodùm ſana conſtitutione proveniente.

Disquirendum itaque fuerit ſedulò, quando generari, vel etiam dominari in corpore cæperit.

Pſora fœda penè eſt pſora Græcorum, nec multum differt à lepra Græcorum.

Sed hæc poteſt curari, id quod ſupra vidimus, deſumptâ curâ ex viridello.

Qui autem pſoram curare poterit, numquid non & ille ſcabiem ſanare poterit? Exiſtimo, nec tamen experientia longè abeſt. Vide quæ ſupra dicta ſunt de lepra.

CAP. CXCVIII.

DE FAVO, ACHORE, ET CAPITIS ULCERIBUS MANANTIBUS; Germ. der gemeine und böſe Grind deß Haupts.

SCabies capitis cruſtacea porrigo vocatur, quæ in diverſas ſpecies dividitur, nempe in ſiccam & humidam, mitem & feram, ſicca ejusdem eſt naturæ cum vulgari impetigine; humida verò non omninò convenit cum vulgari ſcabie humida, non enim tales puſtulas albas rotundas efficit, ſed meras cruſtas manantes ſubflavi coloris, quæ ungvibus ſcalptæ glutinoſam ſaniem emittunt, à frigido aëre inſtar gummi in cruſtam ulteriorem concreſcentem, ſucculentia enim humani corporis non ſecus ac arborum ſuccus glutinoſus eſt, ac pariter in gummeum quid ab aëre indureſcit; hæc ſpecies admodùm familiaris eſt infantibus ac pueris, ob plurimam eorum humiditatem, & pediculoſitatem, quæ in temperamento calido & humido ut & lumbrici ubertim proveniunt, ſuaque infeſtatione ingentem pruritum excitant, unde ſcalptio & ſcabies augentur. Præter hanc autem etiam-

Porrigo.

etiamnum alia porriginis ſpecies quamvis præfatâ multò rarior ac planè fera invenitur, quæ vulgò tinea, Germ. der Erbgrind / oder der böſe Grind appellatur, eò quòd inſtar tinearum in veſtibus cutem capitis arrodat, vocatur etiam favus, quoniam humorem inſtar mellis continet, & cutem foraminoſam reddit inſtar favi; dicitur etiam achor; item Saphatum; nec non ulcera capitis manantia; hujus Haly lib. 8. ſuæ theoricæ ſex ſpecies ſtatuit; *unam ex qua nimirum quippiam inſtar favi emanet. Alteram, in qua quippiam ſimile granis ficuum contineatur, quæque ſit figuræ ſphæricæ cum rubore. Tertiam ex quâ cruor effluat inſtar aquæ, in qua caro ſit elota. Quartam quæ ſimilis exiſtat papillis uberum muliebrium cum rubore aſperſa, ex qua cruor profluat ſangvinolentus. Quintam quæ lupinorum & formam & colorem repræſentet, à qua quidem cortices inſtar ſquamarum candidarum & aridarum decidant. Sextam ex qua furfuracea defluant corpuſcula interdum minutiſſima, aliquando verò denſiora.* Verùm nos parum movere debet hæc ſcrupuloſa diſtinctio, ſemper enim una & eadem eſt tinea, licet recentior vel diuturnior formam nunc paulo aliter atque aliter mutet. Differt autem tinea à vulgari porrigine in e præcipuè, quod hæc plurimos alat pediculos, tinea autem nullos, ſed omnes interimat, eò quod aciditas in hac ſit confirmata & fixa, in illa leviter incipiens, & adhuc ſubdulcis, cujus exemplum etiam in caſeis jam putreſcere incipientibus habemus, qui eandem ob cauſam magnam termitum copiam gignunt, toto autem caſeo in putrilaginem mollem reſoluto, nulli amplius vermiculi in eo inveniuntur, aciditas enim fixa eos interficit. Quomodocunq; ergò porrigo capitis ſordida & fœtida ſit, ſi tamen pediculis ſcateat, pro tinea nullo modo eſt habenda.

Tinea. Favus. Achor. Saphatum. Differentia.

Cauſa præcipua vulgaris porriginis utplurimum ſunt pediculi, imò temperamentum calidum puerorum & humidum pediculos & vermiculos generans, nimiaque voracitas plurimum ſucci alimentarii gignens, ex quo poſtmodum ſcabies, puſtulæ, tubercula, aliaque cutis vitia proveniunt. Porrigo verò mitis demum degenerare poteſt in feram, quæ etiam interdum per infectionem ab alio obtinetur. Item quando quis nudato capite ſub camino ſteterit, in quo ſuccidiæ lardi fumantur, tales enim inter fumandum crebras guttas partim ex ſuperfluâ pingvedine propriâ, partim ſale fumi reſoluto conſtantes deſtillare ſolent, quæ ſi cadant in puerorum vel aliorum capita nuda, tineam producere dicuntur.

Cauſæ.

Prognoſin quod attinet porrigo vulgaris ſublatis cauſis haud difficulter & medicamentis cedit, tinea autem difficillimè, & quo diuturnior fuerit, eò plus negotii curationi faceſſit, raròque pili in confirmata renaſcuntur, exedit enim pilorum radices, ophiaſinque vel alopeciam poſt ſui curationem relinquit.

Prognoſis.

Curatio. Curatio porriginis mitis eſt eadem cum vulgari ſcabie humida, evacuatione nimirum corporis,& inunctione topicâ ungventi ſulphur commune recipientis : tinea verò majorem ſedulitatem requirit, & medicaminum continuationem per duos vel tres menſes, varia autem ſunt ſpecifica præmiſsâ corporis evacuatione, ſangvinisque mundatione, quorum non ultimum eſt oleum arſenici, quod omnium ulcerum corroſivorum mors eſt,eorumque malignitatem & corroſionem extingvit, quod ita paratur : cape nitri clarificati & arſenici albi cryſtallini ana quantum vis partibus æqualibus, pulveriſentur & miſceantur exactè, inde ea crucibulo ſatis capaci, quem colloca in ignem circularem, & quando invicem fluunt & aſcendunt, effunde mixturam ſuper marmor, tumque iterum impone crucibulo, idque reiterando ita procede, donec non amplius aſcendant,ſed in fundo crucibuli fixa maneant,abſque fumo; tum materiam probè candefieri ſine, & in cella in oleum liqueſcere, cui tantum aquæ ſcrophulariæ vel ſcabioſæ ſtillatitiæ adde, ut à lingva ejus ſapor tolerari poſſit, vel huic oleo tantundem vel duplum balſami ſulphuris admiſce, poterisque hoc vel priori miſcendi modo tineam ſanare, ſi quotidiè bis eam probè inungas, per tempus aliquod continuando.

Olei arſenici paratio.

Appropriatum.

Alopecia Quum verò hic alopeciæ mentio fiat, etiam aliquid de ea dicendum eſt. Significat autem capillorum defluvium, cujus plures ſunt ſpecies, nempe ophiaſis, area, & calvitium; area eſt quando in aliqua capitis particula pili penitus excidunt, comprehenditque ſub ſe alopeciam, id eſt depilationem omnimodam, ſive ea fiat in capite,mento, aliisve locis piloſis, & ophiaſin, in qua ſemper pili in capite decidentes certam quandam figuram depilatam conſtituunt,nimirum ab occipite ad aures frontisque partem anteriorem in modum carinæ. Quando autem pars pilorum undique è capite decidit, pars verò rara remanet, tunc ſimpliciter capillorum defluvium appellatur.

Area.

Calvitium.

Prognoſis. Cæterum ſæpè capilli defluunt nempe poſt febres ardentes, quotidiana pexione,aliisve modis, manentibus autem intus radicibus eorum,facilè recreſcunt, at in naturaliter calvis etiam radices pilorum unà excidunt, atque ita vana ſpes eſſet eosdem regignendi. Aſt in ambuſtione & cicatricibus radices deſtruuntur, ut & in qualibet cacoëthica ulceratione, certumque ſignum erodentis ulcerationis qualitatis eſt pilorum glabratio, juxta illud Hippocratis: *Ulcera circumglabra prava ſunt.* Quod etiam in tinea contingit; in phthiſi & ſenio capilli defluunt humidi radicalis perditione,in lepra, plenaria corruptione tam radicum quàm humidi radicalis,atque in his omnibus nulla eorum generatio ſperanda eſt. In morbo autẽ Gallico ſanabili, quum capillorum caſus non ipſius humidi radicalis, ſed humorũ corporis corruptione contingat, ſanari poteſt.

Cura-

Curatio alopeciæ

Curatio alopeciæ ſanabilis inſtituitur correctione diætæ, corporis evacuatione, & topicorum applicatione, convenit autem locum affectum prius lavare lixivio, in quo decocta ſint capillus veneris, abrotanum, aſarum, polytrichon, & id genus alia, ac deinde inungere linimentum (loco prius pannis aſperis fortiter donec rubeat fricato) ex oleo myrtino & cinere apum; decantata etiam eſt apud vulgum pingvedo urſina, quod inuncta certò regignat capillos, ſed canos, uti vidimus talem juvenem cujus capilli in vertice erant cani, inferius verò ex nigro ſpadicei, qui hujus cauſam inunctam præfatam pingvedinem accuſabat. Experimentum quoque eſt ad largiter producendos crines axungia ſerpentum inuncta; valet quoque aqua mellis deſtillata, ſi locus depilatus ſæpè eâ lavetur. Item liquamen ſequens ad regignendos capillos famoſum:

Liquor ad regignendos capillos.

℞. carnium limacum
apum
veſparum
ſangviſugarum
ſalis fortiter aduſti an. partes æqual.

Inde omnia vitro in fundo multis foraminulis perforato inſtar cribri, ac ſubtus illud aliud colloca vitrum, quod ex ſuperiori liquorem deſtillantem recipiat, qui ſenſim intra multos dies è ſuperiori mixtura reſolvetur, quo locus calvus prius ad rubedinem frictus confricetur.

TEXTUS.

Favum, achores ac reliqua capitis manantia ulcera vel jam confirmata, vel aliis medicamentis perperam adhibitis exaſperata, mundificantia quidem interna, nempe ad ſanationes diſponunt, ſed nullum tam felix eſt mundificans, quod averruncatis cauſis etiam malum ipſum externum tollat protinus. Nec ſemper prodeſt præſertim in pueris ejuſmodi manantia ulcera ad curationes protrahere, præſertim, cum ſæpiſſimè uſu evenerit, multò plus periculi inde eſſe & noxæ, quàm ſalutis & tranquillitatis.

Nonnulli per vittas picatas cum arſenico mixtas eradicare conantur iſta mala, ſed propterea cedendo planè fuerunt noxia.

In omnibus hiſce præſtantiſſima cura, præmiſſis præmittendis petitur à duobus:

Specifica

I. *Eſt urina aprugna cum veſica ſua exempta, & inverſa addito cerebro aprugno, quæ diligenter munita aliquandiu fovenda in camino, ut fumo indurari queat, cujus medulla remanens illita exulcerato capiti aliquoties repetendo ſolidiſſimum malum tollit.*

II. *Eſt balſamus ſulphuris qui hæc & ſimilia ulcuſcula citò tutòque tollit.*

CAP. CXCIX.
DE VERRUCIS; Germ. Wartzen.

Verrucæ quid? VErrucæ ſunt parvæ excreſcentiæ carneæ fungoſæ pueris & adoleſcentibus familiares. Quemadmodum enim in junioribus arboribus ſuccus, qui tantummodò ad legitimos ramos, frondes, folia & fructus faceſſere debebat, ſæpius ſuperfluos ſtolones producit, ita etiam luxurians corporis humani juvenilis ſucculentia ad augmentum ſaltem neceſſariarum partium deſtinata; pari modo crebrius excreſcentias inutiles verrucarum, clavorum aliasque profert.

Sunt autem diverſæ verrucarum ſpecies, ut acrochordon, porrus, thymum, myrmecia. Acrochordon. Acrochordon eſt verruca penſilis, orbicularis, anguſtæ baſis, ita vocata, quod chordæ nexu ſuſpenſa videatur, una vel ſola vix naſcitur, ſed ferè ſemper pluralis magnitudine piſi vel ad ſummum fabæ, raró major, in ſummitate latior, in inferiori circa corporis cutem tenuior, ita ut quaſi pediculo ſuffulta appareat, cuti eſt ferè concolor; prædura & aſpera, oriturque maximè in manibus, & ſubinde etiam pedibus ſed rarius, frequentiſſima eſt puerili ætati.

Porrus. Porrus dicitur verruca, quæ exterius quasdam radiculas obtinet ad ſimilitudinem porrorum, idque ob majorem ſiccitatem.

Thymum. Thymum vel thymion eſt verruca eminens, pariter ad cutem tenuis ut acrochordon, in ſummo autem latior, aſpera, dura, & colorem floris thymi referens, unde ipſi denominatio, atque ad magnitudinem fabæ excreſcens, ſæpius minor non autem major; interdum ſola, nunc pluraliter proveniens, in palmis, plantisque pedum, vel in talis, interdum in partibus obſcœnis, ubi omnium peſſimæ ſunt, præſertim ſangvinem fundentes.

Myrmecia. Myrmecia ſunt verrucæ humiliores, inferius latiores, ſuperius tenuiores, durioresque quæ radices ſuas altius figunt, doloremque movent, colore nigricantes, nomen ſuum inde habent, quod ad contactum dolorem exhibeant, qualis fit à morſu formicæ, magnitudine vix lupinum excedens.

Cauſæ. Cauſas verrucarum Authores ſtatuunt humores melancholicos, quibus phlegma ſit admixtum, ſed cum plerunque pueri plurimis ſcateant verrucis, vixque unquam alii affectus melancholici in pueris eluceant, veriſimile non eſt, melancholiam tantummodò mediantibus verrucis ad pueros habere acceſſum, credibilius itaque eſt verrucas à ſolis cauſis externis proficiſci, pueri enim omnivaria manibus tractant, eisque ludunt, ut ſunt vermes, araneæ, lutum, terra, fimus aliaque innumera, quibus identidem manus inquinant, modò in terra fodientes, nunc in lacunis, rivis, torrentibus fimoſis & merdis manus agitantes, unde mirum non eſt, ſi aliquid venenati cutem manuum inquinet, talesque excreſcentias excitet, quemadmodùm à conſpurcatione turdi arboribus

viſcus

viſcus innaſci dicitur; cum enim experientiâ conſtet, his, qui manus ex illa aqua, quæ ordinariè in vaſe quodam gallinis pro potu reponitur, lavant, hinc inde in manibus verrucas enaſci, cujuscunque ſint temperamenti, rationi conſonum eſt, etiam alia eſſe, à quorum contactu eædem proficiſci queant, quamvis negandum non ſit, verrucas deinde in diverſis temperamentis paululum mutari poſſe & diverſas fieri.

Prognoſis. Prognoſin quod attineat, verrucæ vulgares pueris familiares ſunt, nilque mali denotant, grandioribus verò grandiores & inſvetæ ſuſpicionem faciunt infectionis morbi Gallici, à qua omnes verrucæ impuri & corrupti ſangvinis indicia ſunt. Cæterum verrucæ communes non magnoperè quidem lædunt vel ſanitati obſunt, fœdæ tamen habentur, & moleſtæ, leviter enim irritatæ ſangvinem fundunt, qui decurrendo in aliis locis, quæ commaculat, plures verrucas pullulare facit; raro etiam verrucæ ſolitariæ, ſed plerunque complures proveniunt, imprimis in manibus, idque ſæpius inopinatò, & quandoque inadvertenter rurſus diſparent, præſertim acrochordon & thymion, at myrmecia vix unquam niſi per curationem, quæ difficilius curatur quàm acrochordones, nec etiam exciſionem ob latiſſimas radices, quibus inhæret, ſine magna ulceratione patitur, acrochordones verò exciſæ non relinquunt radiculas, ideòque non renaſcuntur, thymio autẽ exciſo in carne radicula remanet, ex qua recreſcit.

Curatio. Curatio ſolis externis adhibitis perficitur, prout etiam ſaltem externus eſt affectus, præterquam in morbi Gallici verrucis, quæ non niſi internis luis venereæ remediis eradicantur, diſparent autem vulgares verrucæ, ſi manus una vel altera vice leventur liquore illo ſalſo, qui in doliolis vel vaſculis butyri ſaliti reperitur, exſtirpari etiam poſſunt, ſi ipſis infigatur acicula, deinde verò caput aciculæ teneatur ad flammam candelę ardentis, ut ſubcandeat, quo verruca ſenſim crematur absque notabili dolore, demumque albeſcit, & tunc facillimo negotio tota digitis detrahi poteſt, remanente ſolum parva excoriatione, per ſe poſtea ſaneſcente. Eradicat etiam emplaſtrum oppoteldoch ſola impoſitione omnifarias verrucas; item extirpari poſſunt illinendo cum plumaceola aquæ fortis communis, vel butyri antimonii; paratur aqua fortis ex æqualibus partibus vitrioli calcinati & nitri purificati, quæ immittuntur in cucurbitam vitream vel terream, cum alembico vitreo ad cucurbitam lutato, & deſtillantur in receptaculum (in quod tantum aquæ communis prius immittitur, quantum vitriolum calcinatione amiſit) pari modo allutatum, primo igne admodum leni, aliàs mixtura in cucurbita ebullit, & corporaliter per alembicum tranſcendit in receptorium, poſt horas duodecim ignis augetur, & ſic per octo vel decem horas fortiter urgetur, ultimò per horas duas cucurbita candeat, & ſic ſatis erit; totus autem

(Experimentum — margin note beside "diſparent autem vulgares verrucæ")
(Aquæ fortis deſtillatio — margin note beside "paratur aqua fortis")

liquor qui in vaſe recipiente tunc invenitur, aqua fortis eſt, quæ ſolvit argentum, mercurium, aliaque metalla, excepto auro, ideoque eâ aurum & argentum ab invicem ſeparantur, quicquid enim auri argento eſt commixtum, in ſolutione argenti, per hanc aquam fundum vitri petit, argentum autem in aquam fortem tranſit, quæ decantatur, aurum verò ab omni corroſivitate aqua communi dulci eluitur, ac deinde in maſſam liquatione per ignem reducitur; aqua verò fortis, in qua argentum eſt, iterum deſtillatur ex cucurbita vitrea, & ſic denuò pro eodem vel alio uſu inſervire poteſt, argentum in fundo manens affuſione aquæ communis ſolvitur, cui laminæ cupri & ferri imponuntur, quæ corroduntur, argento fundum petente, quod ab omni corroſivitate ſæpius affusâ aquâ communi liberatur, demumque rurſus in maſſam liquatur, ſed antequam aqua fortis poſt primam ſuam deſtillationem ex nitro & vitriolo ad ſolutionem argenti in uſum vocari poſſit, prius clarificanda eſt, quod hoc modo fit: accipe ejus circiter ſemunciam & ſolve in ea parum argenti ſuper arenam calidam, & quando eſt ſolutum, infunde hanc ſolutionem in reliquam aquam fortem, & lacteſcet in modum lactis, ſine tunc eam quieſcere per horas viginti quatuor, & omnis albedo inſtar calcis fundum petet, atque aqua fortis clara reddetur, ſed pro extirpatione verrucarum etiam non clarificata ſatis bona eſt.

Alii deſtillant hanc aquam ex vitrioli Romani ℔ij. ſalis nitri ℔j. aluminis rupei quod vulgo roche vocatur ℥VI. & deſtillant ut jam dictum eſt, atque aquâ deſtillata utuntur pro cauterio actuali incomparabili, & ad extirpandas ſcrophulas, verrucasque magnas & alia dura apoſtemata, mortificandisque ulceribus malignis caeoëthicis, ſed admiſcent huic aquæ forti partem dimidiatam aquæ roſarum. *Alia aqua cauſtica.*

Idem etiam præſtat ſpiritus nitri, ex ſolo nitro admixtis tribus partibus pulveris tegularum per cucurbitam in receptorium magnum deſtillatus in eundem modum, ut de aqua forti dictum eſt.

Butyrum autem antimonii jam commemoratum ita paratur: accipe mercurii in eundem modum, ut ſupra cap. 142. doctum eſt, ſublimati duas partes, antimonii ſubtiliſſimè pulveriſati unam partem, conterantur invicem, & deſtillentur igne non admodum forti per retortam vitream, & prodibit liquor gummoſus in recipiente concreſcens inſtar glaciei, in fine urge ignem, ut omnis mercurius vivus transſcendat, & cinabaris in collum retortæ, quod proinde amplum eſſe debet, ſublimari poſſit: peractâ deſtillatione receptorium calefac, ut concretum butyrum liqueſcat, illudque evacua in aliam retortam vitream, atque ex ea rectifica, donec aſcendere velit mercurius vivus, ubi ceſſandum eſt, & butyrum antimonii ad hunc uſum paratum eſt; cujus parum illinitur verrucis, & eas *Butyri antimonii paratio.*

penitus

penitus eradicat, ut nunquam eodem loci repullulent.

TEXTUS.

VErrucas cujuscunque generis tollit aqua ſupernatans truncis quercuum bipenne detruncatarum.

CAP. CC.

DE CLAVO ET CALLO;

Germ. Leichdörner/Hüneraugen und Schwülen.

Clavus quid? CLavus eſt dura quædam & calloſa excreſcentia à compreſſione orta, colore albicans, rotunda, non abſimilis capitello clavi, unde ipſi nomen obtigit, enaſcitur plerunque in digitis, plantisque pedum, ac ſubinde quoque manibus, idque ſemper à compreſſione vel intertrigine; & quando ſemel clavus eſt enatus, vix ſponte evaneſcit, ſed duriusculâ ac ſolida radice ſemet intrò infigit, ut ex oſſea membrana conſtare videatur, unde poſt exciſionem ſemper recreſcit, dolorem ſæpius movet, ac ingreſſui impedimentum affert.

Cauſæ. Cauſæ ferè unica clavi eſt compreſſio à novis & arctis calceis digitis pedum obtingens.

Curatio. Curatio fit per impoſitionem rerum emollientium, imprimis galbani, ammoniaci & ſerapini in aceto ſolutorum & reinſpiſſatorum, ex

Remedia. quibus paratur emplaſtrum, exciſoque prius duobus vel tribus diebus ante novilunium clavo imponitur. Extirpantur quoque clavi illitione aquæ fortis, circumliniendi tamen ſunt in circuitu ungvento albo camphorato, ne inflammatio ſequatur.

Clavo non abſimilis eſt callus, qui eſt induratio ſummæ cutis in palmis manuum vel plantis pedum à multa laborioſa compreſſione exoriens, uti in manibus fit à diutina tractatione inſtrumentorum laboris, ut ſunt aratrum, ſtiva, bipennis, bidens, grandiores mallei, in pedibus verò multa & diuturna ambulatione, & continuatâ ſtatione. Callus.

Curatio fit per emollitionem tenendo calloſas manus & pedes in aquam calidam ſimplicem vel decoctam cum herbis emollientibus, ubi deinde calloſa cutis novacula ſubtiliter abſcinditur vel abraditur. Cedit quoque iisdem remedis ac clavi. Curatio.

TEXTUS.

CLavi inciſi eluantur urinâ canis, poſtea emplaſtro ex cera rubea (melius operaberis ſi pauxillum mercurii dulcis adjeceris) impoſito mollificentur, tandem ut ſanentur, particula lardi ſaliti aliquandiu ſuper locum affectum geſtetur.

In clavis eruendis valdè laudatur tanquam ſecretum à Rulando:

℞. *olei ſulphuris per campanam ℥ſ.* Secretum Rulandi.
lapidis corroſivi vel ſalis alcali ℈ij.
ſem. hyoſcyami ℈j.

opii

opii ℈j.

tere & miſce f. magma.

Vel ℞ ſangvinem angvillæ & locum affectum lava.

Callus. *In callis, præmiſſis lavacris ferventioribus, optima eſt raſura cum cultro (cauteria potentialia hic locum non habent.)*

CAP. CCI.

DE MACULIS; *Germ.* Flecken und Mähler.

Maculæ quid? SUb nomine macularum comprehenditur, quicquid cutem in aliqua ejus parte fœdat, aliumque colorem inducit, quàm eo ipſo aliis in locis ea colorata eſt ut fit in morphæa, gutta roſacea, vitiliginis ſpeciebus, lenticulis; huc etiam pertinent ſugillata, ecchymomata, ſtigmata & vibices. De hiſce autem ſigillatim aliquid dicendum venit. Morphæa. Morphæa igitur eſt cutis defœdatio maculoſa de natura lepræ, voluntque Authores, quod morphæa idem ſit cuti, quod lepra carni, proveniens ex errore virtutis aſſimilativæ: Leuce. Albaras. Vitiligo alba. cujus duæ ſunt ſpecies, una alba, quæ leuce, item albaras, & vitiligo alba nominatur, quæ coloris eſt mutatio in albidius quippiam, non tantum in ſuperficie cutis contingens, ſed etiam in profundiori carne, adeò ut ipſos pilos mutet.

Alphos. Morphæa. Melas. Altera nigra quæ alphos id eſt cutis mutatio, & morphæa propriè vocatur. Alii ut Fernelius vitiliginis tres ſpecies conſtituunt, quæ ſint: alphus, melas, leuce. Quælibet harum cutem fœdat maculis diſſeminatis & diſperſis, non autem continuatis aut cohærentibus, quæ etiam hinc inde ſerpunt, & ſedem mutant, cum inſigni ſenſus imminutione, adeò ut vel omnino pereat, vel multo ſtupidior reddatur, unde ſi cutis ſcalpatur, vel etiam acu leniter pungatur, vix quicquam percipitur. Alphus & leuce albo colore inficiunt. In hac tamen color albus profundius inhæret, adeò ut ipſi pili excidant, aliique albi ac tenues ſuccreſcant in modum lanuginis, & ſi in confirmationem affectus abeat, cutis ne quidem à perfrictione rubeſcit, vel acu pertuſa ſangvinem emittit, ſed aquoſam tantummodò lympham. Sin autem hæc cum colore nigricante obveniunt, melas eſt.

Inter vitiliginis ſpecies etiam à quibusdam refertur quædam defœdatio livida & nigricans in coxis & tibiis frequens, puſtulas magnas cruſtoſas, fœdasque ſine ſanie producens cum quadam inſenſilitate, quem affectum vulgò *malum mortuum* appellant: eſtque chronicus & perdifficilis ſanationis. Malum mortuum.

Gutta roſacea pariter eſt morphææ ſpecies in facie tantùm contingens, coloremque ſemper roſeum inducens, ideòque pro morphæa ſangvinea habetur; de utraque autem actum eſt ſupra cap. 52. Gutta roſacea.

Atque hæ quidem maculæ non ſolùm defœdant, verùm quoque valetudinem lædunt, nihil enim aliud ſunt quam flos impuri ſangvinis, verùm aliæ ſæpius occurrunt nil quicquam ſanitatem minuentes, ſed tantummodò venuſtatem, cujus rei

gratia

gratia ſexus muliebris eas odit, nimirum lentigines & pannos, eſt autem lentigo macula ex flavo rubeſcens, magnitudine & colore lentem ferè referens, cujus cauſa etiam lentigo, Germ. Sproſſeln oder Sommerfle-cken nominatur, emergitque potiſſimum in facie, manibus, atque interdum etiam in pectore, ſi nimirum nudè ſoli tempore æſtatis diu objiciatur, à calore enim ſolis hæ maculæ eliciuntur, ideòque per totam æſtatem perennant, tempore autem hyberno iterum diſparent, frigore eas intropellente; ſuntque his familiares, quibus ruffi ſunt pili.

Lentigo.

Cauſæ. Cauſa earum eſt materia ſangvinis bilioſior, cutiſque raritas, unde aucto calore hæc materia ad exteriorem circumferentiam per raram cutem evaporat, eademque eſt, quæ etiam capillos ruffos tingit, unde ruffi etiam ſunt bilioſi, litigioſi & ad iram proni.

Pannus. Huc pertinet etiam pannus, qui eſt macula grandior, palmæ interdum magnitudinis, coloris ſubflavi, vel rubicundi, vel fuſci, vel ſubnigri in facie ſæpius proveniens, & ſexum fœmineum deformans: Germanicè vocantur, Honigflecken / Mähler und Sonnenbrand / cauſa eadem hujus cum præcedenti habetur, videtur tamen magis mixturâ melancholicâ conſtare.

Nævi. Affines ſunt his nævi connati, Germ. Muttermähler / qui infantibus in utero matris ex aſpectu rerum horribilium, ut ſunt incendia domorum, repentina obviatio murium, aranearum, bufonum, vulnerum cruentorum & ſimilium à prægnantibus imprimuntur, ejusque rei colorem æmulantur, cujus gratia prægnans territa momento terroris manum ad faciem propriam admovit, vel res terrificâ imaginatione impreſſa in faciem volaverit, ut ſi ſcintillæ ignis in faciem inſilierint, vel mora, ceraſa, fraga, ſimileve quid in ipſam injiciatur, vel ipſa prægnans in ſummo deſiderio alicujus rei ad veſcendum expetitæ faciem contrectet; talis enim fortis imaginatio plerunque conſimilem rei imaginatæ infanti imprimit ſimilitudinem, quam per totam vitam retinet utplurimum.

Huc etiam ſpectant cutis defœdationes ex contuſione, ictu vel plaga, ut ſunt ecchymomata, peliomata, melasmata. Ecchymoma eſt ſangvinis per cutem effuſio atque concretio, quæ fit ex tenuibus & exilibus venulis in cutem ſparſis, & per contuſionem expreſſis, ubi ſangvis ſubter cutem effuſus coit, nunc cum tumore & dolore, jam demptis his, à ſuffuſo autem & concreto ſangvine cutis decoloratur ac liveſcit, tuncque ejusmodi livor pelioma vocatur, ſi verò nigreſcit, melasma dicitur, verùm ejusmodi lividitates ex contuſionibus vel violentâ ſangvinis ſubcutaneâ effuſione communi vocabulo ſugillata vocamus, quæ verò ſponte ab humoribus excitantur, ecchymoſis & hypopion (non autem hypopyon, quod puris collectionem ſub cornea tunica denotat) ſi autem ex concuſſione minuta ſaltem puncta vel lineæ ſangvi-

Ecchymoma. Pelioma. Melaſma. Sugillatio. Ecchymoſis. Hypopion.

nis ſubcutanei relinquuntur, ut fit à flagris & illapſu alicujus globuli, tunc puncta iſta vocantur ſtigmata, lineæ verò vibices.

Stigma. Vibex.

Curatio.

Curationem macularum cutis quod attinet, petenda remedia ſunt ex his ſimplicibus, quæ à natura maculis ſignata ſunt, ut apparet in horribili illa cutis defœdatione morphææ, ubi certum remedium habetur in maculatis bufonibus, lacertis, & ſerpentibus, ſi decoquantur in oleo communi nimirum tres vel quatuor magnæ lacertæ vel bufones in libris duabus olei, donec beſtiolæ coctione diſſolvantur, oleum coctum tunc infrigidari permittitur, & pingvedo ſupernatans reſervatur, uſus ejus eſt, ut morphæa præmiſsâ corporis evacuatione, & ſangvinis mundatione, prius cum panno aſpero paululum humectato, & in pulverem tartari intincto fortiter fricetur, donec ſangvis exſudet, ac deinde locus perfrictus præfata pingvedine perungatur.

Arcanum ad morphæam.

Ad lentigines.

Sic aquæ deſtillatæ ex ſimplicibus maculatis ut ſunt perſicaria maculata, ſatyrion maculoſum, ſingulares ſunt ad lentigines; imprimis ſtillatus liquor è cochleis, lentigini illitus, eòque magis ſi oleum tartari per deliquium paratum æqualibus partibus cum præfata aqua cochlearum miſceatur, in defectu olei tartari accipe tartarum crudum, inde eum crucibulo vel ollæ, & in furno fuſorio ad albedinem ure, quod uſtum eſt, ſolve in aqua perſicariæ maculatæ, filtra & in calore paululum evapora, ſi fortè nimium aquæ affudiſti, donec ad conſiſtentiam olei ſit redactum; hujus ℞. ℥IV. ſalis armoniaci clarificati ℥j. digere commixta ad ſolem vel in loco tepido per dies quatuordecim, ac deinde omni veſpera ejus parum lentiginibus affricetur, manè verò aquâ mellis deſtillatâ rurſus abluatur.

Aliud.

Item accipe ſeminis ſinapi albi ℥ij. contunde illud in mortario affundendo tantum acris aceti, ut fiat inſtar pultis, adde ſalis communis decrepitati ℥j. albumen unius ovi, atque hæc exactè invicem miſce, uſus ejus eſt, ut curandus à lentigine intret balneum ſiccum ſeu laconicum, locumque lentigine vel panno affectum hoc linimento perungat, & aliquandiu ibi retineat, deinde verò aqua Sigilli Salomonis iterum abluat.

Approprïata.

Ad quælibet ſugillata eximium eſt emplaſtrum diſſipativum ſupra cap. 193. deſcriptum ſi imponatur, item oxycroceum. Vel ungventum de alabaſtro. Item nucis nucleus contuſus cum melle & ſale. Aliaque diſcutientia ut raſura radicis bryoniæ, abſynthium &c.

TEXTUS.

Maculas, de quibus Fernelius, ſi quis felicius curare cupiat, corpus primum à pravis humoribus emundet, poſtea externa adhibeat, de quibus multi Practici ſunt.

Alia.

Pingvedo thymali piſcis (Aſchenſchmaltz) & oleum cannæ maculis illita eas tollunt.

Sangvis

Sangvis humanus cum æquali parte lactis humani deſtillatus maculas tollit.

Lentigo. *Lentigines* (Sommerflecken) *tollit aqua deſtillata ex foliis ſatyrionis maculoſi collectis in novilunio, qua cutis diligenter in autumno lavetur ad præſervationem, ne in vere redeant.*

Sic ſal ex cineribus caulium antiquarum in eadem aqua ſolutus præſens eſt remedium.

Sugillata. *Sugillata optimè tollunt carnes crudæ impoſitæ.*

CAP. CCII.
DE GANGRÆNA ET SPHACELO; Germ. der heiſſe und kalte Brand / oder S. Antonii Feuer.

Gangræna quid? GAngræna nihil aliud eſt quàm conſummata inflammatio, ac initium corruptionis, vel ut alii eam deſcribunt, quod nimirum ſit ea quæ ex magnitudine inflammationis fit mortificatio, nondum tamen integrè facta vel confirmata, ſed in eo ſtatu, ut adhuc ſumma incendii vis reſtingvi poſſit, ſi celerrimè ſuccurratur, at ſi per negligentiam minima mora intercedat, breviſſimè ita invaleſcit, ut partem in qua gangræna ſævit, planè mortificet, omnemque vitalitatem, ſenſum ac motum extingvat, qui ultimus inflammationum gradus exiſtit. Tres gangrænæ gradus. Primus enim gradus eſt ipſa inflammatio incipiens ſeu eryſipelas, ruborem igneum inducens. Secundus gradus eſt ruboris mutatio in lividitatem, ſenſus tamen & motus adhuc majorem partem vigent, vaſaque & oſſa nondum corruptionem ſunt paſſa, iſte gradus propriè vocatur gangræna; tertius gradus eſt, quando corruptio non tantùm carnem & muſculos, ſed etiam vaſa & ipſa oſſa pervadit, & planè deſtruit, ita ut etiam levi attactu oſſa frangantur, tuncque vocatur ſphacelus & ſyderatio, vulgò verò ignis Sancti Antonii. Sphacelus. Syderatio.

Signa gangrænæ & ſphaceli hæc habentur: coloris rutilantis flos mutatur in obſcurum, & liveſcere incipit, & ſi jam ſphacelus adſit, locus planè nigreſcit, tumet, inſtar putridi pomi mollis eſt, ac penitus cadaveroſus, omnis arteriarum pulſus ceſſat, nec ullus doloris ſenſus ſupereſt, ſi in carnem ſphacelatam ſcindatur, vel pungatur, exhalat autem fœtorem putrilaginoſum & cadaveralem, cuticula quoque decedit tanquam à combuſtione per aquam ferventem, caro digitis compreſſa facilè inſtar paſtæ cedit, & remotis digitis non reſilit, ſed ſcrobificata manet, nec ſecta etiam usque ad perioſtium quicquam ſentit, quod indubitatum ſphaceli ſignum eſt. Signa.

Cauſæ. Cauſæ poſſunt eſſe variæ, nempe vehementes contuſiones, quemadmodum enim poma concuſſa facilè putreſcunt, ita etiam membra fortiter contuſa tumorem & corruptionem accerſunt: item magna ſeu glaciativa perfrigeratio, ſicuti enim vehemens pruina teneras herbas enecat & arificat, ita conſimile frigus

 etiam

etiam carnem mortificat. Idem etiam contingit per intempeſtivam applicationem medicaminum nimis frigefactivorum & ſtuporem inducentium, ſeu opiatorum, quibus non ſecus ac à magno hyemis frigore ſangvis congelatur, & in ſua circulatione impeditur, ita ut interdum corruptio ſequatur. Quod etiam obtingere poteſt à nimis arcta deligatione in membris vulneratis, vel dislocatis, quâ ſpiritus vitales intercipiuntur, motusque & circulatio ſangvinis inhibetur. Item ab internis gravioribus obſtructionibus, meatuumque occluſionibus, quibus ſpirituum tranſitus impeditur, ut & ab aſſumptione rerum venenatarum vel à morſibus venenatis, quibus ſangvis congelatur & ſic neceſſariò putreſcit, item à ruptione vaſorum per caſum, concuſſionem, aliosque modos, ubi ſangvis extravenatus inflammationem & corruptionem concitat.

De gangræna etiam loquitur Hippocrates in ſequentibus:

Mortificatio fit à frigido. lib. 5. aphor. 22

Frigidum inflammationes ruboris ſangvinei inveteratas nigreſacit. 5. 23

Frigidum efficit nigrores. 5. 20

Calidum verò ſuppuratorium his eſt amicum. 5. 22

Syderatio cerebri in tribus diebus interimit. 7. 50

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, gangræna incipiens in corpore juvenili, ubi neque muſculi, nec nervi vel vaſa adhuc læſa ſunt, magnâ adhibitâ diligentiâ & prudentiâ curari haud difficilè poteſt, ſi celerrimè ferantur ſuppetiæ, quod ſi non protinus fiat, gangræna non modò mutatur in inſanabilem ſphacelum, ſed etiam brevi ulterius ſerpit, vicinasque partes itidem mortificat, hominemque necat, ita ut frigido ſudore moriatur, ſi verò ſphacelus jam factus in una tantum particula partis, quà ad vitam careri poteſt, nempe in brachio vel pede adhuc hæſerit, vita ſæpius cum amiſſione iſtius partis ſphacelatæ ſervari poteſt, ſi confeſtim abſcindatur.

In curatione autẽ illicò ratio cordis habenda eſt, exhibendaque quæ putredini reſiſtunt, Practici quidem conſulunt, ut talibus ægris propinẽtur acetoſa & condita cum ſuccis acidis corruptionẽ inhibentibus, nempe citri, limonum & arantiorum; verùm hæc rationi non conſona ſunt, ipſe enim hic morbus ab exceſſu acidi eſt, omnisque corruptio & putredo ab acido exceſſivo eſt, & ab exhibitione acidorum potius ſummè invaleſcit, talesque gangrænici, qui acetum vel ſorbere, vel buccellas in ipſo intinctas comedere appetunt, ultra biduum non ſupervivunt, imprimis ſeniores, ideò omnia acida longè ab ipſis arceri debent, dandaque potius alcalioſa ut oculi cancrorum & ſimilia, prohibendi quoque ægri tales ſunt à ſomno, putredinem enim auget; Curatio.

Ad extingvendum autem incendium valet aqua ſtillatitia poligoni, cum linteis quadruplicatis impoſita, & ſingulis quatuor horis renovata,

ta, donec omnis æſtus extractus ſit, imò ſingulis duabus horis recens applicatio ejusmodi in vehementi incendio reiteretur, ſin autem jam nigredo aliqua inciperet, locus profundè ſcarificetur, ac aqua poligoni cum cinere quercino coquatur, vel in defectu aquæ poligoni aqua communis accipiatur, atque acre lixivium paretur, aquam bis vel ter per recentem cinerem quercinum transcolando, in hoc lixivio radices filicis decoquantur, linteaque quadruplicata in hoc decocto intincta gangrænæ imponantur, donec gangræna ſit reſtincta; vide ſuperius cap. 193. Plura in fine.

TEXTUS.

GAngrænam ſeu ſphacelum incipientem prohibet.

Specifica.

I. *Lixivium forte in quo ſcordium, radix ſcorzoneræ & vincetoxici ebulliendo coctæ ſunt, locum affectum cum eodem lixivio calidè fovendo.*

II. *Prodeſt ſpiritus vini camphoratus, hoc eſt in cujus ℥iij. camphoræ ʒj. fuerit ſoluta; hoc pars affecta lavatur, vel cum petiis munitur. Hoc nihil videtur aptius ad ſiderationem partis impediendam. Vide Fabritii Hildani obſervationes & libellum* vom kalten und heiſſen Brande.

III. *Butyrum antimonii, quo pars jam affecta & ſiderata, ut felicius à viva parte poſſit ſeparari, nec hæ partes ulterius inquinari, illinenda eſt vel notanda; diſcernendæ ſunt iſtæ invicem deſcripto circulo cum illo butyro, quem ſyderatio, ſi cætera convenienter fiant, non transgreditur; pars autem mortua ſeparanda eſt, vel ope chirurgi, ſi integrè fuerit ſiderata; vel unguentis mundificantibus, ut ſaltem partes mortuæ à vivis ſeparentur.*

Huic inſervit oleum olivarum, vel quod melius eſt, oleum papaveris per expreſſionem factum, ſi in ejus ℥iij. mercurii præcipitati ſeu turpethi mineralis ʒſ. usque ad brunitatem olei diſſoluta fuerit (balſamus mercurii ſuprapoſitus) hoc oleum perfectè mundificat, & omnes exulcerationes fætidas & gangrænas à partibus vivis eleganter ſeparat, putrida abſumit, ſana non tangit.

CAP. CCIII.

DE ULCERIBUS; Germ. Geſchwere und Schäden.

ULcus eſt cavitas purulenta, à prægreſſo abſceſſu vel vulnere perperam curato proveniens, differt à vulnere, quod hoc recens ſit continui ſolutio ab externis cauſis, cæſim, vel punctim vel ruptim illata, ſemperque cum ſangvinis profuſione contingat, ulcus verò ab internis cauſis erodentibusque humoribus producatur, quibus non inſtantaneâ violentiâ, ut in vulneratione, ſed lentâ vitioſi humoris in tumores & apo- Ulcus quid?

apoſtemata collectione, eorumque purulenta eroſione ſolutio continui fit, è qua non ſangvis vel cruor ut ex vulneribus, ſed pus, vel ſordidum putridumve liquamen, ſaniesve effluit, vulnera tamen malè tractata non raro etiam in ſordida & putrida ulcera degenerant, quæ tum ab iis, quæ ab internis cauſis proficiſcuntur, non differunt, ut neque ea quæ applicatione medicaminum causticorum, vel ictu aut morſu venenatorum animalium excitantur, quin imò talia virulenti quid in ſe habentia majoris corruptionis & putrilaginis participia ſunt vulgaribus, prout exempla ſunt, ab attactu cruoris diſſectorum ſerpentum, lotii glirum & bufonum ulcera valdè corroſiva & depaſcentia fuiſſe excitata.

Differentia. Sunt autem variæ ulcerum differentiæ, aliud enim ulcus eſt magnum, aliud parvum, profundum, breve, anguſtum, latum, æquale, inæquale, transverſum, rectum, quædam ſunt externa, quæ nimirum exterius in quadam molli & carnoſa parte occurrunt, quædam interna, quæ nunquam ſalvâ vitâ oculis cerni, vel manuali curationi ſubmitti poſſunt, ut ſunt: ulcera pulmonum, renum, colli veſicæ &c. de quibus alibi actum eſt.

Signa. Signa ulcerum manifeſta ſunt; occurrit enim alicubi ſolutio continui purulenta vel ſanioſa vel ſordida, nunc aliâ atque aliâ differentiâ ſtipata.

Cauſæ. Cauſæ internæ ſunt: humores vitioſi, à mala diæta, vel congenita temperamenti intemperie congeſti; externæ ſunt: rupta & malè tractata tubercula & abſceſſus, neglecta vulnera, contuſiones, ambuſtiones, corroſiva, morſus vel contactus venenatus, vel infectio à ſcabioſo, pſoricoſo, mentulagrico, impetiginoſo, leproſo &c.

Horum & ulcerativorum tuberculorum etiam meminit Hippocrates in ſequentibus:

Puſtulæ ulceroſæ fiunt verè. lib. 3. aph. 20

Puerulis nuper natis familiaria ſunt ſerpentia oris ulcera. 3. 24

Grandiuſculis autem alia tubercula. 3. 26

Poſt febres longas tubercula ad articulos fiunt. 4. 44

Febres longas tubercula in articulis ſuccedunt. 7. 63

Ut & à cibo copioſiori. 4. 45, 7. 64

Tubercula interna ruptione ſua exolutionem, vomitionem & animi defectionem pariunt. 7. 8

Tuberculo in meatu urinario rupto, ſolutio. 5. 82, 7. 57

Mictio ſangvinis aut puris renum vel veſicæ exulcerationem ſignificat. 5. 75

Ulceribus frigidum mordax. 5. 20

Ulceribus capitis calidum ſuppuratorium maximè prodeſt. 5. 22

Ut & his quæ ulcerantur à frigore. 5. 22

Nec non herpetibus exedentibus. 5. 22

Exul-

Exu'cerato eryſipelati frigidum nocet. 5. 23
Ulceribus capitis frigidum eſt lethaliter inimicum. 5. 22
Ut & ulceratis à frigore. 5. 22
Nec non herpetibus exedentibus. 5. 22
Ulcera circumglabra cacoëthica ſunt. 6. 4
Ulcera cum tumoribus conſpicuis præſervant à convulſione & inſania. 5. 65
Tumoribus verò in poſtica parte ſubitò evaneſcentibus convulſiones & tetani accidunt. 5. 65
Si verò in anticâ fuerint, inſaniæ fiunt. 5. 65
Aut lateris dolores acuti. 5. 65
Aut empyema. 5. 65
Aut dyſenteria. 5. 65
Maximè ſi tumores rubicundi fuerint. 5. 65
Hydropicorum ulcera non facilè ſanantur. 6. 8
A forti in ulceribus pulſu hæmorrhagia, malum. 7. 21
Ulcera qualibet annua aut diuturniora corruptionem oſſis neceſſariò cauſant. 6. 45

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, ulcera albicantia & ſubmollia frigiditatem deſignant, calidaque remedia depoſcunt rubicunda verò ac in locis calidioribus exiſtentia medicanda ſunt medicaminibus frigefacientibus, quæcunque autem viriditatem aliquam, lividitatem vel nigredinem præ ſe ferunt, durioribusque labris conſpicua ſunt, inter melancholica referuntur, pravaque ſunt, ac frigiditatem & ſiccitatem atque caloris nativi defectum denotant. Ulcera extremarum partium, nempe manuum, pedum & capitis concitant tumorem glandularum, ut capitis pone aures vel circa collum, manuum ſub alis, pedumque circa ingvina. Ulcera valdè humida, ac in corporibus cacochymicis, item in locis multam humiditatem recipientibus, ut in utero, anoque difficillimæ ac tardiſſimæ ſunt ſanationis, item ea quæ aliis morbis ſuccedunt, vel in ipſis naſcuntur; ſive autem ante morbum vel in morbo ipſo ulcus excitatum ſit, imò quælibet carnis diviſio etiam cauteriis ſeu fonticulis non exceptis, ſi in ipſo morbo aridum fiat, flaveſcat vel liveſcat, eo ipſo morbo ægrum moriturum denunciat; ulcera diu convenientibus medicaminibus tractata, nec tamen ſanationem recipientia, vel ſemel ſanata recrudeſcentia, ſubjecti oſſis corruptionem denunciant, quælibet etiam ulcera valdè diuturna non niſi cum periculo ſanantur, natura enim diutino ſaniei per ulcus effluxui aſvefacta, eoque per occluſionem denegato morbum concitare ſolet, niſi exitus iterum aperiatur, vel corpus ſedulò purgetur. In curatione quoque accuratè ad applicata remedia attendendum eſt, ſi enim majorem quam antea dolorem, humiditatem, vel ſiccitatem, caliditatem vel frigiditatem inducant, ea minimè eſſe idonea vel convenientia ſed mox mutanda eſſe arguunt, idonea enim illicò conferunt, vel ſaltem non nocent.

Ante-

Antequam verò curationem aggrediamur, prius etiam de diverſis ulcerum ſpeciebus aliquid dicendum eſt. Differentia autem imprimis ſumenda eſt ab excrementis ulcerum, quodcunque enim ulcus pus album, æquale, ac minimè fœtidum excernit, eſt ulcus vulgare ſangvineum, omnium facilimè ſanabile; ubi verò ſeroſa humiditas pure tenuior & aquoſior affatim emanat, ulcus eſt rheumaticum, phlegmaticum, ſanioſum vel fiſtuloſum, ad quod nimirum natura humiditatem excrementitiam, quam per emunctoria convenientia evacuare debebat, derivat, ulcus tamdiu inſanabile reddit, donec prius ejusmodi fluxio ſanioſa ab ulcere avertatur & exiccetur. Ubi autem ſordes mixtæ nempe pus, ſanies, atrumque, lividum, cinereum aut variè coloratum tabum, ſordidumve excrementum glutinoſum, craſſum, & tenaciter ulceri inhærens in ulcere repetitur, cum fœtore & profunditate, prædurisque & ſiccioribus labris, tale ulcus eſt melancholicum, malignum & depaſcens, omnem ſanationem reſpuens, donec prius malignitas & putredo ex ipſo auferatur; ubi autem labra ulceris ſunt rubea, ingensque ardor & dolor in eo ſentitur, atque humor ſubflavus exſudat, tale ulcus bilioſum eſt, & facilè gangrænam accerſit.

Ulcerum diverſæ ſpecies.

Porrò de ulcere ſangvineo non eſt quod ſingularia moneamus, per ſola enim vulgaria emplaſtra vulneraria ſanatur. Ulcus autem rheumaticum vel fiſtuloſum, Germ. ein flieſſender / rinnender Schaden / vitium in ſtomacho, hepate vel liene latere arguit, vel inſigniter in diæta peccari, quod prius corrigendum eſt, affluxioque inhibenda & expurganda, aliàs ulcus ſanari nequit, vel ſi ſanetur, iterum ſpontè aperitur, vel humor antea effluere conſvetus jamque in corpore detentus certum exitium affert; ulcus malignum & depaſcens plerunque humori melancholico ſuccoque vitioſo pancreatico malignitatem ſuam acceptam fert, & obſtructioni menſium vel hæmorrhoidum, quælibet tamen ulcera benigna in maligna mutari poſſunt, ſi negligenter & inconvenienter tractentur; talia depaſcentia & in profundum ambitumque rodentia ulcera à quibusdam indiſcriminatim lupus vocantur, Germ. ein freſſender Wolff; Alii tamen per lupum intelligunt ulcus quoddam ſpecificum plerunque in carnoſa femoris parte ſedem figens, & acerbis cruciatibus affligens, niſi ulceri quotidiè fruſtum carnis recentis imponant; Alii econtra ſævam illam faciei & narium exulcerationem, quæ aliàs: *noli me tangere*; appellatur, lupum vocant; aliàs ejusmodi corroſiva ulcera nuncupantur phagedænæ & nomodes, Germ. um ſich freſſende Schåden / id eſt quæ non tantùm affectam carnem erodunt, ſuffodiunt & excavant, ſed etiam adjacentes & vicinas partes exedendo & putrefaciendo depopulantur, talem autem inter utrumque eſſe differentiam volunt, quod nimirum phagedæna ſit paulò mitior

Lupus.

Noli me tangere.

Phagedæna.

mitior nomode, & ſaltem ambulando & ſerpendo cutem erodat, ſitque ſpecies impetiginis & ſerpiginis; Nome verò non tantùm cutem, ſed & carnem excavet; quum autem ulcus cum tumore præduro incipit, ac deinde in maligniſſimum & maximè dolorificum ulcus degenerat, tunc ulcus eſt cancroſum ſeu cancer exulceratus, cujus ſigna ſunt: quod intolerabili dolore cruciet, tetri & horridi ſit aſpectus, inæqualisque ab eroſa carne, è quo continuè virus fulvum aut ſubnigrum ſeu tenuis & erodens humor graviter nares feriens exſudat, de cancroſo autem ulcere ſupra cap. 89. ſufficienter locuti ſumus.

Nome.

Cancer.

Quodlibet etiam ulcus malignum, exedens & omnem ſanationem reſpuens cacoëthe vocitatur.

Cacoëthe.

Cæterum de ulceribus particularibus nonnulla quoque monenda veniunt, ulcera enim capitis frigida & repellentia, nec non pingvia averſantur. Ulcera aurium ſi non mortem brevi inducunt, auditum plerunque planè auferunt, oculorum verò ulcera utplurimum excœcant, præſertim ſi eroſio corneæ tunicæ fiat, humor enim aqueus effluit, & ſubinde etiam cryſtallinus: adhæc exulceratio oculorum ſemper magnam inflammationem habet comitem cum acerbo dolore, quæ optimè extingvitur ſolutione ſalis plumbi, uti pluribus indicavimus ſupra cap. 26. deinde abſtergendum ulcus & cicatriſandum hoc modo:

Ulcera capitis.

Collyrium abſtergens.

℞. Tutiæ præp,
myrrhæ
aloës
thuris an. gran. VIII,
ſachar. cand. ʒj.
antimon. crud. ſubtiliſſ. trit.
corall. rubr. præp. an. ℈ſ.
gumm. tragac. ℈j.
aq. euphraſ.
chelidon. an. ℥ij.
m. f. collyrium abſtergens.

Subinde etiam aliquid mellis roſac. in eo diſſolvatur; demum ejusmodi collyrium cicatriſans applicandum:

℞. Sief albi Rhaſ. ℈j.
Flores zinci vel in eorum defectu tut. præp.
Sarcocoll.
Sachari Saturn. an. ℈ſ.
Aq. euphraſ.
roſar. an. ℥ij.
m. f. collyrium.

Aliud cicatriſans.

Ulcus narium ozæna vocatum graveolens eſſe ſolet, & difficilimæ ſanationis, nec raro cartilaginem & oſſa narium depaſcitur, ideoque ſangvinem mundificantia exigit, & exterius ob humiditatem loci ſiccantia, & abſtergentia, ſed de hoc ulcere pluribus actum eſt ſuperius cap. 43, ut & de aliis communioribus ulceribus nempe oris, ani, uteri, ſuo loco.

Ozæna.

Ulcera pedum ac imprimis tibiarum operoſæ ſunt ſanationis, eò quod humiditates ex natura ſua deorſum ruant, procumbunt ergò defluxiones ad crura, ac ſanationem ulcerum, quæ ſemper exſiccationem poſtulant, impediunt, vel etiam omnino irritam reddunt, nos tamen ejusmodi ulcerum admodum

Ulcera tibiarum & pedū.

dum inveteratorum ſanationem acceleravimus exhibitione pilularum mercurialium ſæpius laudatarum, quæ bis vel ter exhibeantur, ac deinde ungvento mundificativo & vulgaribus emplaſtris, nempe griſeo, vel de minio facilè auſcultabunt, vide ſupra cap. 193.

Vermiculi capillares. Naſcuntur interdum adhuc alia ulcera in cruribus, rarius brachiis, aliisve locis à vermibus ſubcutaneis capillaribus vulgò die Haarwürme/ qui minutiſſimi ſunt vermiculi inſtar pilorum lanæ inter cutem & membranam carnoſam naſcentes, idque potiſſimum in partibus carnoſis tibiarum, in brachiis rarò, quandoque in manibus, vel etiam in dorſi muſculis, ubi ſua mordicatione dolores ſæpius acerbos excitant, carnoſamque membranam perforant, ac deinde tumorem ſuppurationemque in affectâ parte excitant, unde demum ulcus malignum produci poteſt.

Signa. Signa naſcentium horum vermiculorum ſunt: dolor & lancinatio affectæ partis, ſucceditque demum tumor in ſuppurationem abiens.

Evocant autem tonſores ac vetulæ hos vermiculos fomentatione cum lixivio querno, quotidiè id repetendo donec omnes ſint extracti, quod cognoſcunt impoſitis faſciculis ariſtarum ſiliginis trituratione ex uſſarum in liquorem fomenti, quibus prolecti vermiculi inſtar lanæ candidæ adhæreſcunt, omnibusque vermiculis evocatis nil amplius adhæreſcere advertitur, poſt ſingulas verò fomentationes, ceram novam in emplaſtri formam extenſam imponunt. Tumor autem & ſuppuratio ſi ſuccedant, tractantur more aliàs conſveto.

Ulcera autem ſi ab eis relinquantur inveterata, imò quævis tibiarum omnem ſanationem reſpuentia nonnullis ſuſpicionem movent, minutiſſimos in eis latitare vermiculos præ minutie viſum effugientes, ac unicam cauſam exiſtentes ulcerum contumaciæ, qui hunc in modum evocentur: ſi accipiantur manipuli duo foliorum ſabinæ, eaque coquantur in libris octo vini, decoctum hoc effundatur in vaſculum ligneum, quod altitudine ſua usque ad genua pertingat, in quo crus affectum per 4. vel 5. horas teneatur, quo vermiculi eliciantur, & ſuperficiei præfati decocti innatent inſtar termitum. Ubi deinde ulcus ſanari queat inſtar alterius vulgaris.

Curatio ulcerum generalis. Curatio ulcerum generalis ſecundum noſtram experientiam optimè in hunc modum perficitur. Si æger primò probè evacuetur purgatione mercurium optimè præparatum recipiente; ex. gr.

Purgans.
℞. maſſæ pilular. de fumar.
indar. an. ℈j.
reſin. jalapp. gr. ij.
turpeti mineralis gr. VI.
m. omnia optimè, f. pil. XVII. horis VI. ante prandium deglutiendæ.

Aliud. Vel ℞. mercurii dulcis aliquoties
per ſe ſublimati ℈j.
reſin. jalapp. gr VIII. vel ℈ſ.
terantur invicem optimè fiatque pulv. ſubtiliſſ. pro una vice in juſculo exhibendus.

Vel

Aliud. Vel ℞. extracti rhabarb. ℈j.
præcipitati aurei gran. VI.
f. pilulæ pro una vice.

Horum purgantium quodcunque exhibitum fuerit, materiam peccantem, & malignitatem ulcerum cauſantem ex toto corpore educit, ac ſangvinem mundificat, ut ſanatio ſequi poſſit. Ab hac purgatione æger per dies aliquot quieſcat, quibus elapſis ſi ulcus valdè pravum videatur, etiam ſalivatio inſtituatur, quæ horum ulcerum æquè ac morbi Gallici efficaciſſimum curativum exiſtit, cujus provocatio optimè fit granis VI. præcipitati aurei, vel in ejus defectu turpeti mineralis cum medulla panis ſimilaginei in pilulas redactis, & una vice exhibitis, ſequiturque ſalivatio, quâ per aliquot dies os ſeu bucca continuò per diem & noctem ſalivali humiditate plena eſt, patiensque indeſinenter eam exſpuere cogitur, ut plurimum etiam gingivæ intumeſcunt, & quandoque dentes omnes vacillant, ſed absque ullo damno, impuritate enim & malignitate omni eductâ, quam hæc ſalivatio ex medulla & oſſibus extrahit, tumor & laxitas gingivæ ſpontè iterum ceſſant, eòque citius, ſi ſimul gargarismus aſtringens in uſum vocetur.

Interjecto aliquot dierum ſpacio præfata mercurialis evacuatio repetatur, idque bis vel ter, prout malignitas ulcerum major videatur, & ſi opus ſit, inſuper pro virium robore etiam ſudores provocentur, quod fieri poteſt antimonio diaphoretico recens facto, & probè candefacto, cujus ℈j. cum ℈IV. theriacæ Androm. pro una vice exhibetur, & deinde in lecto vel laconico ſudatur. (Sudoriferum.)

Potus ægri ordinarius talis eſto:

Potus. ℞. Rad. dictamn. alb.
ireos
ſcrophular.
ſcabioſ. an. ℥ſ.
ſarſaparill. ℥j.
polypod. querc. ʒVI.
Summit. veronic.
agrimon.
auriculæ muris,
ſaniculæ,
vincæpervinc.
conſolid. ſaracen.
ophiogloſſ. an. m. j.
cort. & raſuræ ligni fraxini ℥ij.
liquirit.
ſem. fœnic. an. ℥ſ.
macis ʒij.

Omnia minutim concidantur, ac invicem probè miſceantur, ut æquales omnium fiat distributio, hujus mixturæ manipulus largus in libris quatuor aquæ communis ad caſum transverſi pollicis bulliat, ac deinde per mundum linteum coletur, atque in cella aſſervetur, cui demum tertia vel quarta pars vini melioris ſaporis gratia admiſcetur, isque potus per ſex vel plures menſes continuatur; ita enim quælibet peſſima ulcera etiam cancroſa & lupus radicitus ſanari poſſunt; ſed putridus fundus ulceris etiam mortificari debet, quod fit oleo vitrioli vel butyro antimonii cum plumaceolis illito, donec fundus ulceris ab omni

putredine ſit abſterſus, rubensque in modum recentis carnis, ſin autem ulcus non admodùm ſit vetuſtum & putridum, ſolum ungventum mundificativum ex melle & vitello ovi paratum & impoſitum ſufficit, quod etiam fortificari poteſt octava parte mercurii præcipitati ſeu pulveris Vigonis admixta, tuncque pariter maligna ulcera mundificat; plura mundificantia ſupra de morbo Gallico deſcripta ſunt.

Conſolidatio demum mundificatorum ulcerum perficitur emplaſtro oppoteldoch, cujus deſcriptionem quidem Author de peſte tradidit, melior tamen ad inveterata ulcera eſſe videtur paratio iſtius emplaſtri Paracelſica & Wurziana, quæ hæc eſt:

Emplaſtri oppoteldoch paratio.

℞. ceræ virgineæ id eſt novæ & nondum in uſum vocatæ ℔jſ.
terebinth. groſſæ puriſſimæ ſeu lariceæ ℥IX.
ol. oliv. ℥iij.

liquatis his affunde ſuccorum depuratorum

chelidon.
folior querc.
potentill.
veronicæ
ſaniculæ an. ℥j.

coque ſimul ad aqueæ humiditatis evaporationem, ab igne tum remotis, & non nihil refrigeratis adde gummatum per acetum ſolutorum, & coctione continua reinſpiſſatorum videlicet

Ammoniaci
Galbani
Opopanacis an. ℨſ.

Adde porrò pulverum tenuiſſimorum

Colophonii ℥j.
Succini citrini ℥ſ.
Maſtichis
Myrrhæ
Thur.
Sarcocollæ an. ℨij.

miſce omnia prioribus, vaſe durante mixtione in aqua fervida detento, ne materia nimium coëat, perfectè mixtis adjice ſubtiliſſimè pulveriſatorum

Croci veneris ℨVI.
martis ℥iſ.
Tutiæ præparatæ ℥ij.
Lapidis calaminar. præp. ℨviiſ.

Miſce cuncta agitando vaſe etiamnum in fervida ſtante, tandem adde:

Vitrioli Hungarici ad rubedinem calcinati & edulcorati tantum, ut tota maſſa mediocriter rubeat, & benè invicem malaxa, formaque magdaleones vel placentulas, prout uſus tuus requirit, eſt durum emplaſtrum, ſed facilè liqueſcit in calido.

Præparatio magnetis:

Hæc non omnibus eſt eadem, Wurzius enim deſtillavit aquam fortem ex ℔j. aluminis & ℔ſ. ſalis communis, ſuperfundendo eam limaturæ ferri puræ, donec rubedo videatur, hanc affuſa aqua, ablutaque limatura ſeparavit per inclinationem, hocque repetiit ad rubedinis ſufficientem quantitatem; quam evaporavit, ter edulcoravit, & tum ad mellaginem exhalavit, tuncque paratum eſt oleum martis, quo pulverem magnetis irroravit, & reſiccavit,

cavit tumque edulcoravit, & denuò exſiccavit & ſic ipſius magnetis præparatio fuit abſoluta.

Paracelſus verò accepit integri magnet. ℥j. calcis ovorum ℥VI. hæc ſſſ. in crucibulo quarto ignis gradu reverberavit per diem & noctem, tumque remotâ calce ovorum magnetem contudit in pulverem, ejusque uni parti addidit carabe pulveriſati tres partes, & hoc fuit ipſius magnes præparatus, quem ingredientibus prædictis vel etiam emplaſtro apoſtolico admiſcuit, & etiamnum ſuperfuſo vino coxit agitando ad conſiſtentiam emplaſtri, à quo extrahi oſſa & plumbeos globulos Paracelſus aſſerit. Sin autem magnes præparatus non ſit, contundendo eum perdere ſuam virtutem.

Calaminaris præparatio:

Igniatur calaminaris ſecundum Wurzium in crucibulo non vitreato, ſingulisque vicibus in acri aceto reſtingvatur, cum ſubitanea vaſis obtectione, ne cum impetu acetum & calaminaris revomantur, poſtea teratur ſuper porphyrio. Paracelſus verò accepit calaminaris abluti (Gallmey der lauter iſt) ℥j. colcotaris, ſulphuris vivi an. ʒij. hæc ſſſ. detinuit per horas viginti quatuor in quarto ignis gradu, iterumque abluit.

Tutiæ præparatio.

Præparatur eodem modo ut calaminaris, ſed loco aceti ſumitur aqua fœniculi vel chelidonii majoris.

Croci Martis præparatio:

Paratur hic ſolâ reverberatione, ideòque huc valet ille crocus, qui in coctione cereviſiæ perticis illis magnis ferreis, quibus ahenum innititur, adhæret. Vel limatura ferri pura in fortiſſimum ignem locatur, donec in pulverem croceum vertatur, quem lavabis aqua communi, & quicquid ſubtilioris in aquam tranſit, cum ea effunde, aquam evapora ad ſiccitatem, ſine ulteriori ablutione, ne virtus ſubtilis ſtiptica cum aqua eluatur.

Crocus veneris ita fit:

℞. laminas cupri fac cum ſale com. ſſſ. in nova olla, effunde tunc totum in aquam, ablue laminas ab omni nigredine, iterumque cum recenti ſale fac ſſſ. & aliquoties hoc opus reitera, tunc affunde bonam adhuc quantitatem aquæ communis, ſine crocum reſidere, & aquam ſenſim decanta, crocum in fundo rubeum edulcora & exſicca.

Vires hujus emplaſtri.

Omnia recentia & antiqua vulnera cæſim vel punctim vel ruptim facta tam ſuperficiaria quàm profunda ſine metu ſymptomatum perſanat, carnem putridam & verrucas abſumit, pus è profundo evocat, tumores omnes diſcutit, abſceſſus maturat, morſus venenatos ſanat calidè impoſitum, item tineam capitis, pilis prius reſectis, infixum evacuat, hernias recentes ſine ſectione juvat, & ſanationem citò ſine dolore perficit.

Ad ſananda autem ulcera antiqua emplaſtrum hoc ſequentibus fortificatur:

℞. mercurii per ſe præcipitati,
ſulphuris antimonii elixiviati & aceto præcipitati, & edulcorati,
Vitrioli ad rubedinem calcinati non edulcorati ana partes æquales.

Fiat ex omnibus pulvis ſubtiliſſimus optimè mixtus, hujus una pars addatur ſeptem partibus maſſæ emplaſtri, liqueſcant ſimul leni calore, affundendo ſimul parum olei terebinthinæ, tumque manibus refrigeratam maſſam efforma in magdaleonem. Emplaſtrum hoc nunquam corrumpitur, licet enim valdè jam ſit annoſum, iterum quaſi renovatur, ſi ſuper calore liqueſcat, parumque olei camomillæ & terebinthinæ addatur.

In defectu autem jam commemoratorum, quibus emplaſtrum fortificatur, eadem virtus obtineri poteſt, ſine ulteriori emplaſtri additione, ſi nimirum aqua deſtilletur è pomis putridis, in eaque non nihil pulveris mercurii dulcis & ſachari Saturni ſuper calore diſſolvatur, hocque liquore ulcera laventur, ac intincta in eo linteola eis ſuperponantur, tunc enim ulcera radicitus mundantur, & præfato emplaſtro ſimplici ſanantur; hac methodo quælibet ulcera etiam lupus, cancer & fiſtulæ ad ſanationem quaſi cogi poſſunt.

TEXTUS.

In ulceribus qualibuscunque primò mundificantia, ſi opus eſt, poſtea detergentia, tandem conſolidantia requiruntur.

De mundificantibus dictum eſt antea, conſolidantia utiliſſima peti poſſunt ex balſamo & emplaſtro diaſulphuris.

In ulceribus phagedænicis præſtat oleum commune (a) *impregnatum ſpiritu mercurii ſublimati rubro, de quo ſupra.*

Item balſamus ſulphuris, emplaſtrum diaſulphuris, ſed ulceribus prius mundificatis (vide mundificantia ſupra de lue venerea.

(a) Quilibet liquor acriter acidus, ut oleum mercurii ſublimati rubrum, aqua fortis, aqua regis, ſpiritus nitri, butyrum antimonii coctione in vitro cum oleo communi olivarum vel alio in optimum balſamum ulcera mundificans redigi poteſt. Idem etiam præſtat oleum è corticibus tenerioribus medianis arboris betulæ per deſceſſum deſtillatum, ſi eo ſæpius ulcera corroſiva eluantur.

CAP. CCIV.

DE FISTULIS; Germ. Rohrlöcher/ oder Fiſteln.

Fiſtula eſt ex genere ulcerum malignorum & contumaciſſimorum, exterius habens orificium ſeu foraminulum ſinuoſum, anguſtum, conſtrictum & calloſum, intus verò ſe — Fiſtula quid?

ſe dilatans, & profundum ſinum efficiens, ex quo humor ſanioſus, ſordidusve quotidiè cum quibusdam tamen intervallis ſine dolore emanat, imò quaſi eructatur, ejus duæ ſunt ſpecies: una quæ unicum tantummodò habet canalem, nunc rectum, modò obliquum, quæ propriè fiſtula dicitur, ob ſimilitudinem quam habet cum fiſtulis arundinaceis. Altera quæ in plures intus cavernulas terminatur, è quibus ſingulis peculiaris meatus ad orificium unicum producitur, & hæc ulcus cavernoſum appellatur.

Fiſtula duplex.

Signa.

Signa fiſtularum hæc notantur: foraminulum ulceris eſt plerunque rotundum & arctum, labia habens alba, dura ſive calloſa, absque vel cum exiguò dolore, nunc ſaniem ſeroſam, nunc albam, vel ſpiceam, lividam, atram, ruffam, aut feci ſimilem, modò craſſam, jam tenuem, nunc parcius, modò copioſius eructans, quorſum autem interior cavitas feratur, explorandum eſt immiſſo ſpecillo ſeu ſtylo, vel candelulâ cereâ, quæ in cavitate obliqua convenit, compreſſione quoque innoteſcit, ubi intus ſinus lateant, compreſsâ enim ſupernè cavernâ mox excrementum intus detentum prorumpit, ſed hæc inveſtigatio tantum in obliquis & ſub cute per transverſum productis cuniculis indicium præbet, in his autem, quæ rectè in profundum feruntur, inſtrumento inveſtigatorio opus eſt, nempe ferreo vel argenteo, ſi ad os vel cartilaginem deſinit, cereo autem, ubi ad partes molliores & ſenſiles penetrat, variè enim ſinus fiſtularum procedunt, nunc ad nervos, ligamenta, membranas, venas, & nonnunquam ad interiora viſcera; ſi autem ſolam partem carneam fiſtula occupet, immiſſus ſtylus non admodùm dolorificus eſt, illudque quod tangitur, molle exiſtit, pusque album æquale & copioſum exſtillat; ſi penetret ad nervum, exploratio valdè doloroſa eſt, ſaniesque oleoſa & pingvis, parcius tamen exit, membrum quoque iſtius nervi domicilium exiſtens in officio ſuo hebetatur; ſi ad venam: ſanies eſt fæculenta, & ſi vena eſt eroſa, cruenta & craſſior; ſi ad arteriam: ſanies tenuior advertitur, & aliquantulum ſaliens ſeu cum ſaltu prodiens; ſi ad os: durum quid exploranti occurrit cum nonnullo dolore, ſi perioſtium nondum eſt corruptum, ſi verò os carioſum evaſit, inæqualitas tangitur, ſanies ſeroſa eſt, nigricans & graveolens.

Cauſæ.

Cauſæ fiſtularum ſunt ut plurimum abſceſſus & vulnera malè ſanata, tumores quoque non tempeſtivè aperti, ubi intus humor excrementitius in profundum putrefacit, & poſtea natura per cuniculum ejusmodi effluxum inſtituit.

Prognoſis.

Prognoſin quod attinet, fiſtulæ plerunque in mollioribus partibus præſertim in adenoſis & articulis ſedem figunt, ſuntque omnes curationis perdifficilis nec ſuâ ſponte unquam ſanantur, neque etiam per artem, niſi calloſitas auferatur, affluxusque ſiſtatur, & alio derivetur, nec non fundus putridus mundetur, ut præcedente capite dictum eſt.

eſt; periculoſiores verò & inſanabiliores ſunt, quæ ad interiora viſcera nempe pulmones, hepar, lienem, uterum &c. pertingunt, item quando in guttere fiſtula fit, ubi neque ſectio nec aduſtio, nec cauſtica locum inveniunt, item in ſenibus, cacochymicis & debilibus, in reliquis ſanatio promitti poteſt.

Curatio. Curatio fiſtularum eadem eſt, ac præcedente capite dictum fuit, poteſtque in ejusmodi ulceribus pravis, depaſcentibus, cancroſis, phagedænicis, fiſtuloſis & cacoëthicis talis eſſe methodus: ut ſtatim interna cura, quæ aliàs ad fortem morbum Gallicum ſolemnis eſt, inſtituatur, quamvis nulla iſtius morbi ſuſpicio adſit, valet enim pari modo ad quævis inſanabilia ulcera, & ad ipſum cancrum, ubi enim lividus vel fuſcus tumor prorumpit, cum ingenti dolore, qui rupta vomica ſedatur, exactisque aliquot diebus aliud conſimile tuber emergit, ibi præmiſsâ purgatione & ſudatione ad luem veneream uſitatis, audacter tumor incidatur cruciatim, ſiſtendo ſangvinem inſperſo croco martis, vel aliis, fiſtulæ verò ſaltem ſcalpello dilatentur, diſcindendo earum labia, tum ſangvis ſiſtatur, & ſuper ſiſtentia ſangvinem applicetur ſeu illiniatur plumaceolis cruor pavonis Cyprici, qui mordicatione quidem initio ſatis dolorificus eſt, ſed dolor non diu durat, ubi verò inciſione non opus eſt, dictus cruor cum turundis imponatur, in circuitu autem ulceris circumcirca inungatur ungventum album camphoratum, ad prohibendam inflammationem, & ubicunque cavitas eſt vel ſinus ulceris, præfatus cruor immittatur, poſtea ulcus emplaſtro ſanativo ſimplici contegatur, & ita per triduum ulcus quieſcere ſinatur ſine apertione, interim impoſitus cruor impurum exedit, & ſuppurabile facit, elapſo circiter triduo, ulcus aperi & inſpice, ſi per ſuppurationem impurum abſceſſit, bonum eſt, ſin adhuc impurum quid advertas, impoſitionem cruoris reitera, ſi etiam plures ſinus ſub cute adverterentur, tum emplaſtrum oppoteldoch vel Apoſtolicum liqueſcat, ac turundas ex linteis immergas, & refrigerentur, hinc eas intingas præfato cruori, & ita undique cruore pavonis obductas cavitatibus immitte, & procede, ut dictum eſt, item ſi in ulcere nigredinem oſſis conſpexeris, eundem cruorem impone vel illine, omnis nigredo ab oſſe abſcedit, ulcusque ubique mundificatur, exigua quoque orificia fiſtularum amplientur, quod ſi non fit unâ vice, impoſitionem cruoris repete, donec caro & os ulceris bellè rubeant, tunc conſolidationem ulceris abſolve emplaſtro ſanativo compoſito, parando pro amplis cavitatibus ex eo turundas, totumque ulcus eo contegendo, donec ſanatio integra abſolvatur, adminiſtrando ſemper ſimul internam morbi Gallici curam, potumque ſuperiori capite præſcriptum, atque ſic cum auxilio Dei efficies, quæ ferè impoſſibilia videbuntur, uti nobis contigit, qui hac methodo tam deſperata ſanavimus, ut ea aggredientes nos

tam

tam Archiatri quàm Chirurgi irriderent, tanquam impoſſibilia conantes, & lateres lavantes, nihilominus tamen optata ſanitas Deo auxiliante ſequuta eſt.

TEXTUS.

Fiſtulæ curantur partim externis, partim internis medicamentis.

Interna ſunt potiones vulnerariæ, de quibus conſulantur Authores, imprimis Wurzius c. proprio, tractatu 4.

Nota: *Fiſtula nunquam curatur, ſi in os aliquod deſinit, illud nigredine aliquâ vel carie infectum fuerit. Os itaque aut radendum* (a) *aut convenientibus medicamentis purgandum.*

(a) Dictus cruor pavonis omnem nigredinem oſſium impoſitus aufert, ut nulla abraſione opus ſit.

Sic mercurius dulcis in aqua plantaginis ſolutus, & illitus nigredinem aufert.

Conſolidantia petenda ſunt ex magno illo conſolidantium cumulo.

Sal aluminis ex capite mortuo extractum, & mundificatum inſigne eſt, ſi poſt fiſtularum elutiones tandem ſupponatur, præſertim ſi in ſucco cancrorum fluviatilium fuerit ſolutum, & turundis vel aliis inſtrumentis foraminatis in fiſtulam ingeſtum.

Ad conſolidandas præterea fiſtulas præſertim gingivarum, poſtquam dentes eroſi exempti fuerint, citra quam exemptionem nulla fit ſanatio, alioquin præſentiſſimum eſt liquor, qui poſt ſpecificum purgans Paracelſi jam terna, vel quaterna vice extractum tandem incoagulabilis manet. Hujus guttæ aliquot ſæpius in fiſtulas immiſſæ, vel cum turundis applicatæ brevi omnem operam abſolvunt.

CAP. CCV.
DE VULNERIBUS;
Germ. Wunden.

Solutio continui violenta in partibus carnoſis & mollibus dicitur vulnus, in oſſeis, & cartilagineis fractura & fiſſura, in membraneis ruptura, quomodocunque autem integrum, continuum & cohærens in ulla corporis parte ab invicem dividatur, ſolvatur, vel ſeparetur, ſemper ſolutam unitatem ſecum importat, quæ variis modis contingere poteſt, nempe per ſectionem, inciſionem præciſionemve, punctionem, perforationem, morſionem, contuſionem, concuſſionem, impulſionem, fractionem, diſtenſionem, ruptionem, convulſionem, eroſionem, alliſionem colliſionemve & vaſorum apertionem.

Hæc autem fiunt per omnifaria inſtrumenta acie prædita, ut ſunt gladii, enſes, ſecures, bipennes, cultri, & quicquid ſcindere, ſecare & cædere poteſt. Vel acuta & mucro-

 nata

nata ut ſunt haſtæ, pugiones, furcæ, clavi, frameæ, ſicæ, ſubulæ, ſagittæ, tela, jacula, aculei, cornua & dentes morſu inflicti, & quicquid pungere, perforare & terebrare poteſt. Vel obtuſa ſumma vi intruſa, ut ſunt globi è bombardis diſploſi, lapides, mallei, fuſtes, baculi, pugni, perticæ, flagra, & quicquid impetuoſa vibratrione lædere poteſt, vel corroſiva, quæ ſumma ſubtiliatione continuum ſolvunt, ignis enim extrema ſua ſubtilitate omnia etiam ſolidiſſima momentaneè penetrat & percoquit, ut fit ab ipſa flamma ignis, metallis candentibus, lapidibus aliisve ignitis, aqua fervente, aquis fortibus, & quibuslibet cauſticis.

Diverſi ergò ſolutionis continui modi etiam diverſas ejusdem denominationes effecere, quando enim fit per inſtrumenta acie donata, nominatur vulnus cæſum, eine gehauene Wunde / per mucronata verò vulnus punctum eine geſtochene Wunde / ubi autem os diviſum eſt; oſſis fractura ein Beinbruch / membranarum ſeu tunicarum disruptio, ruptura, ein Bruch oder Riß / vaſorum verò, rixis eine Zerſpringung der Ader / apertioque oſculorum eorum ob plenitudinem, anaſtomoſis eine Eröffnung der Adern / dilatatio verò pororum, vaſorum, ſangvinisque per eos transſudatio dicitur diapedeſis, Durchſchwitzung deß Bluts / arroſio, aduſtio vel attritio, diabroſis Durchfreſſung / læſio ſeu diviſio continui per illapſionem rerum gravium, vel ipſius corporis ab alto delapſionem, vel per geſtationem gravioris ponderis vel violentam corporis commotionem appellatur colliſio, alliſio & concuſſio, Zerſchmetterung / Zerwirſung von Fallen oder Heben.

Verùm hîc potiſſimum ſermo eſt de violenta partium diviſione per arma & inſtrumenta factâ, nempe cædendo, pungendo, trajiciendo, verberando, mordendo, vel iciendo, ein durchgehender Hieb / Stich / Schuß / Schlag / Biß oder Wurff / ſo in den Leib dringet und eine Oeffnung oder Wunde macht / id eſt vulnus cæſim, punctim, trajectim (ut ita dicamus) verberatim, morſim, vel ictim factum, quod etiam mox ab omnibus denominationem accipit à parte læſâ, dicendo: vulnus capitis, pectoris, ventris, brachii, femoris, eine Haupt- Bruſt- Bauchwunde ꝛc. tum quoque ſtatim altera denominatio vulneris, ſed demum poſt luſtrationem ejus à chirurgis inſtitutam enaſcitur, vocando illud vulnus lethale id eſt à quo neceſſariò moriendum, vel vitale, ſeu quod ſanabile eſt, eine tödtliche oder lebliche Wunde: atque hæ denominationes non modò vulgo, ſed & ipſis magiſtratibus & in eorum protocollis ſemper uſuales ſunt, reliqua verò nomina adjectitia, ſcilicet vulnera recta, obliqua, parva, magna, ſuperficialia, profunda, ſimplicia, complicata, truncativa, ſeu in quibus aliquid ſubſtantiæ partis eſt ablatum, cava, venenata minus frequentia, ferèque ſolis chirurgis uſitata ſunt.

Signa vulnerum extrinſecus violenter inflictorum manifeſta ſunt, ſed

ſed quænam partes internæ ſimul læſæ ſint, & an lethale periculum impendeat vel non, id ſolum per chirurgiam & anatomicam peritiam innoteſcit.

Cauſæ cujuscunque vulnerationis continuique ſolutionis quintuplices ſunt. Semper enim contingit vel I. per ſecantia, ut culter, ſerra, falx, gladius, vitrum &c. vel II. pungentia, ut acus, ſpina, ſagitta, dentes &c. vel III. perforantia ut globuli, metalla ignita, cauſtica &c. IV. contundentia ut fuſtis, lapis &c. V. rumpentia ut ictus, lapſus, violenta occurſatio, gravioris ponderis ſublatio &c.

De vulneribus loquitur etiam Hippocrates in ſequentibus locis:

Si in vulneribus fortibus & pravis tumor non appareat, ingens malum. lib. 5. aph. 66

Diſſectum os nec coaleſcit nec augetur. 6. 19

Ut & cartilago. 6. 19

Item nervus. 6. 19

Atque genæ particula tenuis. 6. 19

Nec non præputium. 6. 19

Si os, vel cartilago vel nervus ſectus fuerit, neque augetur neque coaleſcit. 7. 29

In oſſis diviſione deſipientia, ſi in vacuum penetraverit. 7. 24

Cerebro concuſſi protinus muteſcunt. 7. 58

A capitis ictu obſtupeſcentia & deſipientia malum. 7. 14

In oſſis nudatione eryſipelas ſuperveniens, malum. 7. 19

A profluvio ſangvinis deſipientia ac convulſio, malum. 7. 9

Ubi ſangvis plurimus fluxerit, ſingultus aut convulſio ſuperveniens, malum. 5. 3

Extenuatis per vulnera ſi atra bilis aut velut ſangvis niger de ſubter exierit, poſtridiè moriuntur. 4. 23

Cerebro, nervis, ſpinali medullæ & oſſibus frigida inimica. 5. 18

Ut & ſedi, pudendis, utero, veſicæ & oſſibus fractis. 5. 22

Calida verò his ſunt utilia & amica. 5. 18 22

Nimirum quæ ſunt in gradu caloris ſuppuratorii. 5. 22

Sangvis in ventrem præter naturam effuſus neceſſariò ſuppuratur. 6. 20

Vulnera veſicæ ſunt lethalia. 6. 18

Ut & cerebri. 6. 18

Atque cordis. 6. 18

Itemque ſepti. 6. 18

Tenuiorumque inteſtinorum. 6. 18

Nec non ventriculi. 6. 18

Ac hepatis. 6. 18

Convulſio ex vulnere, lethale. 5. 2

Prognoſis. Prognoſin quod attinet, ea deſumenda ex notitia anatomicâ ſituq; partis læſæ, in genere autem omnia vulnera partibus tantummodò carnoſis inflicta, atque in corporibus puris & ſanis, quæque non admodum ampla vel profunda ſunt, facilè ſanantur ac periculo vacant, ejusmodi enim vulnera carnis omnium facilimè, oſſium difficilius, nervorum verò omnium difficilimè ſanantur.

In ſpecie autem lethalia ſunt: I. vulnera cerebri,non quidem omnia, cum exempla ſint ſanatorum, quibus particula cerebri abfuit, ſed ea, in quibus aliquid ſangvinis non ſupra vel extra ſed infra vel intra duram meningem ſtagnat, concreſcit, putreſcit febremque accendit,item ubi nervus læditur, vel principium nervorum obſtruitur ſangvine; vel alio humore.

II. Omnia vulnera cordis, quàm exigua etiam fuerint, unum tamen altero celerius interimit, exempla quidem ſunt vitam adhuc per aliquot horas imò dies manſiſſe,omnes tamen interierunt.

III. Spinalis medullæ,& quò proximiora ſunt capiti & cervici, eò celerioris ſunt perniciei, quo propinquiora verò oſſi ſacro, eò minoris ſunt diſcriminis.

IV. Pulmonum profunda & magna, vaſorumque ejus & aſperæ arteriæ, quando annuli ejus læduntur, at quæ fiunt in poſtica parte, ſanari poſſunt.

V. Diaphragmatis in ejus parte nervoſa, at in carnosâ ſanari posſunt.

VI. Ventriculi imprimis in ejus orificio ſuperiori, in omnibus enim eodem modo ut vulnera cordis ſine ulla exceptione necant, alia verò ventriculi vulnera interdum curantur.

VII. Epatis & lienis, præſertim ubi vaſa ipſa ſimul læduntur, extra verò talem læſionem ſanari aliquando queunt.

VIII. Veſiculæ fellis vulneratio ſemper eſt lethalis.

IX. Tenuiorum inteſtinorum vulnera exigua raró,craſſorum verò crebrius ſanantur.

X. Veſicæ urinariæ vulnera in capacitatem ejus penetrantia ferè lethalia, exigua quidem raró ſanantur integrè, ſed callum & fiſtulam efficiunt,utplurimum autem ex vulnere veſicæ urina effluit, ſucceditque febris, delirium & mors,at colli veſicæ vulneratio ſine difficultate ſanatur.

XI. Renum vulnera mortem non inferunt, ſed ulcus plerunque renum excitant, ſi vulnus ad eorum cavitatam penetret, quo totus ren depaſcitur, vitâ nihilominus adhuc per aliquot annos protelatâ; At ſi vulnus parenchymati tantum inhæreat, cum difficultate interdum ſanari poteſt.

XII. Lethalia quoque ſunt vulnera arteriæ magnæ, venæ cavæ, œſophagi & temporum.

Noſcitur autem arteriarum vulneratio, ſi ſangvis ſubflavus, tenuis, & ad arteriæ pulſationem quaſi ſubſultim prodeat.

At è majoribus venis vulneratis ſangvis confertim rubeus & craſſiusculus continuatim promanat.

Nervorum vulnerationi torpor partis vulneratæ ſuccedit, ac hebetudo ſenſus ac motus, puncto verò aliquo nervo vulnus immenſum dolet, crebræque convulſiones ſubſequntur, febrisque ac delirium; Eadem accidentia tendonum & ligamen-

gamentorum vulnera obſcurius tamen comitantur.

Vulnera meningum cerebri admodùm vehementes dolores, frequentes vomitiones & ſingultum inducunt, & ſi ſangvis in vulneribus capitis intra meninges concreſcat, æger fit attonitus, febricitat, delirat & extingvitur.

Pertuſum pectus ſpiritum per vulnus exhalat, adeò ut flammam candelæ extingvat, & ſi ipſi pulmones ſimul læſi ſunt, ſangvis ſpumoſus exſpuitur, ægerque brevi moritur vel phthiſin incurrit.

Gulâ vulneratâ deglutitio ceſſat, adeò ut nec cibus, nec potus deglutiri queant, ſed per vulnus prodeant, aut revomantur.

Jecore & liene vulneratis cruentæ dejectiones & vomitiones ſuccedunt, laterumque punctiones & dolores;

Renum verò vulnera urinam cruentant, & circa ingvina & teſtes dolores concitant.

Inteſtinorum vulnera fæces albas vel ſtercoroſam exhalationem emittunt.

Vulnera ſpinalis medullæ ſemper impotentiam ſenſus & motus cunctis infra vulnus exiſtentibus partibus inferunt.

Vulnera articulorum comitem habent vitioſum motum, præſertim ſi nimis abundanter ſinovia ſeu aqua glarealis Germ. das Gliedwaſſer profluat, quæ veluti ſangvis albus ſeu ſuccus eſt nervorum, tendonum & ligamentorum; ſi itaque exhauriatur in aliquo loco, illi articuli exſiccantur, omnemque motum amittunt.

Ita etiam vulnera muſculorum transverſaria ſeu transverſim facta, ſi profunda ſint & magna, dolores, motusque & ſenſus jacturam introducere ſolent, idque adhuc magis obtingit vulneratis muſculorum capitibus, imprimis eis in locis, ubi multâ carne deſtituuntur, nervique tendones & ligamenta adjacent, quales ſunt trium digitorum juncturæ, talia enim vulnera motus & ſenſus defectum afferunt, promptaque ſunt ad inferendum inflammationem, convulſionem & mortem.

Semper quoque ferè lethalia ſunt vulnera à venenatis animalibus vel intoxicatis inſtrumentis.

Adhæc in corporibus cacochymicis impuroque ſucco & vitioſis humoribus ſcatentibus etiam parvi momenti vulnera, & quæ aliàs ſecura eſſe ſolent, difficilia, nec rarò inſanabilia, imò planè lethalia redduntur; In talibus enim etiam levis ſcabies indies deterioreſcit, donec demum in malignum ulcus evadat, multo magis vulnus periculoſum, prout etiam tempore peſtilenti omnia vulnera deteriorantur, item appropinquantibus menſtruoſis, impurisve vetulis ea inſpicientibus, & ubi vulneratus venere luxuriat, nec non ab applicatione inconvenientium medicamentorum; tempore etiam valdè fervido exiſtente atque in calidioribus regionibus quælibet vulnera difficilioris fiunt ſanationis, quàm temperatioribus, idque multò magis in advenis ex regionibus

frigidioribus, caloriqve inaſvetis, item circa plenilunium vulnera periculoſiora fiunt, præſertim in capite, cerebrum enim tunc temporis maximè turget, totumque cranium opplet, ideòque facilius ſimul læditur, vulnera à cauſa pungente ferè minoris ſunt periculi quàm à contundente, vel profundè ſecante, quia plures partes læduntur. Quando vulnera liveſcunt, nigreſcunt vel albeſcunt, gangrænæ periculum iminet, ubi nulla ſpes ſanationis ſupereſt, niſi pars gangrænata abſcindatur, at in vulneribus à venenatis armis vel beſtiis etiam ejusmodi abſciſſio parum juvat, quia jam pridem toxicum toti corpori per fermentationem eſt communicatum.

Curatio. Curationi autem qui ſe applicare velit, imprimis ipſus abſtineat ab ebrietate, comeſtione crudorum piſorum & cæparum; hæc enim proprium Chirurgi halitum inficiunt, ut poſtea ſolo afflatu & odore vulnus reddat vitioſum, & interdum aliquo modò venenatum, unde poſtmodùm admodùm difficulter ſaneſcit, nullum quoq; cum impuris fœminis comercium habeat, illud enim qualitati naturæ balſamicæ, quæ ſanationem omnem ſola perficit, penitus eſt contrarium, uti in multis rebus videre eſt, quod ab acceſſione impurarum mulierum omnino corrumpantur, non etiam unumquemque indiſcriminatim ad vulnus accedere permittat, ad illud inſpiciendum, ſicuti enim dolentes in ophthalmia & rubentes oculi etiam alios oculos optimè valentes inficiunt, ut eundem morbum paulò poſt incurrant; ita pariter quorundam oculi ipſis inſciis tam maligni ſunt, ut ſola inſpectione alicujus ulceris vel vulneris, illud longè contumacius reddant, temperamenta enim pravæ conſtitutionis ſuam malignitatem præcipuè per oculos emittunt, ut patet in menſtruoſis terſiſſimum ſpeculum inſpicientibus, quod nimirum illud reddant maculatum ſolo ſuo viſu, veriſimile ergò fit, dari etiam tales oculos, qui luſtratione malignam qualitatem in vulnera radiare poſſint, quemadmodùm radii lunæ, ſi nudum vulnus irradient, illud valdè depravant, & difficilioris ſanationis faciũt. Quanta etiam antipathia & contrarietas inter quasdam temperamentorum conſtitutiones inveniatur, inde eluceſcit, quod ſæpiſſimè quidam nobis occurrant etiam planè ignoti, & nunquam antea viſi, quos nihilominus ſtatim odio proſequimur, nec tamen ejus odii cauſam poſſumus indicare.

Quamprimum autem ad vulneratum quendam requiritur aliquis, ante omnia vulnus eſt luſtrandum, an ſit lethale vel non, profundum vel minus, ſcrutatio autem profunditatis fit inſtrumento ſpecillo, quod Germ. ein Sucherlein vocatur, illud autem ad vulnera capitis ne adhibeatur, quippe quæ inſtrumentorum intruſionem non ferunt, ſed à multa circumactione inſtrumentali exaſperantur, & pejora redduntur. Deinde ſi alieni quid etiamnum vulneri inhæreat, nempe globulus,

mucro cultri vel gladii, ſagitta, aculeus vel ſimilia, extrahendum eſt illud,& tollendum per peculiaria ad hunc uſum confecta inſtrumēta,quę forcipes & tenacula, Germ. Zangen nominantur, ubi tamen ſingularis peritia requiritur, ne ejusmodi extractione major læſio fiat, quàm antea fuit,arma enim infixa ſecantia interdum tam fortiter inhærent, ut multum huc atque illuc inverti debeant, antequam loco moveri poſſint; iſta ergò circumactio partis ſecantis facilè majorem inciſionem cauſare poterit, niſi perita induſtria accedat, præſertim ſi quid uncinati, ut ſunt ſagittæ, vel inter duos articulos inhæreat; præſtat autem iſtam extractionem moliri mox à vulneris inflictione, dum adhuc recens eſt, & à ſymptomatibus liberum, arma quoque conſpici,manibusque vel inſtrumentis apprehendi poſſint, at ſi jam ſymptomata acceſſerint, infixaque inſuper in profundo deliteſcant,nec niſi cum magna difficultate evelli poſſint, ſatius eſt ea in vulnere usque ad nonum circiter diem relinquere, circumjacens enim caro interim ſuppuratur & putreſcit, atque ita infixa arma laxantur, & extractioni facilius cedunt; nihilominus tamen ſemper accuratè proſpiciendum eſt, ne inter extractionis conatum vel ipſius infixi inſtrumenti acie,vel extrahentium adjumento ulla arteria vena vel nervns lædatur, vel adhuc magis ſaucietur, ſicq; damnum & pericuum ab auxiliatrice manu augeatur.

Notandum etiam,ſi ejusmodi extrahenda lethiferis partibus inhæreant, nempe ventriculo, cordi, cerebro, diaphragmati, tenuibus inteſtinis, veſicæ urinariæ &c. extractionem non eſſe moliendam, niſi cum proteſtatione, lethalisque periculi denunciatione.

Infixa autem minora in vulnere latentia, ſi jam ultra medium craſſitudinis vulneratæ partis penetrarunt, imprimis imploſi globuli convenientius propelluntur usque ad alteram extremitatem, ibique inciſione factâ evelluntur, quod etiam de his armis intelligendum, quæ utrinque anchoriformes pinnas habent, ut tela & ſpicula, quàm profundè autem deliteſcant, & num in parte carnoſa, oſſeâ, aut coarticulationi inſerviente hæreant, immiſſo ſpecillo argenteo vel ferreo explorandum eſt. Globuli quidem ſi ex longinquo ſunt impulſi, nullamque ferè aliam intulerunt læſionem præter perforationem, ſine periculo, ſi nullo modo extrahi queant, in vulnere manere, illudque nihilominus conſolidari poteſt; utplurimum tamen tales globuli dudum poſt proprio naturæ motu rurſus ad exteriorem corporis circumferentiam propelluntur, ubi plerunque cum abſceſſu prodeunt.

In extractione infixorum ut telorum, ſagittarum & ſimilium, ſi vulnus anguſtius ſit, quàm ut per illud inhærens inſtrumentum regredi queat, dilatandum & ampliandum eſt orificium ejus novaculâ; inſtrumentum autem firmiter inhærens oſſi huc atque illuc leniter commovendum

vendum eſt, donec ab oſſe liberatum evelli poſſit: ſin autem in coarticulatione oſſium hæreat, utraque pars coarticulata faſciis robuſtis circumvolvenda, & ab invicem diſtrahenda eſt, ut articulus diducatur, & inhærens corpus aptius extrahi poſſit.

In omni autem profunda alicujus inſtrumenti inhæſione, præſertim rerum minutarum, quæ manibus vel forcipibus apprehendi nequeant, adjuvanda eſt natura impoſito aliquo emplaſtro attractivo, quale eſt ſequens:

Emplaſtrum attractivum.

℞. reſinæ abietis ℥iij.
cerasi ℥j.
axungiæ leporinæ ℥iij.
magnetis ℥iſ.
ſem. cannabis recent.
thuris alb. an. ℥ſ.
ſuccini ʒiij.
camphoræ ʒj.
ceræ ℥IV.

cera primò in ſartagine liquefiat, tum etiam axungiam immitte, ac demum cætera pulveriſata ſucceſſivè, donec fiat ceratum juſtæ conſiſtentiæ, quod panno ſuperinductum vulneri impone, donec infixum expellatur, intrinſecè utatur ſimul tali potu vulnerario:

Potus vulnerarius.

℞. rad. enulæ
irid. an. ℥ſ.
betæ cum flore rubro
vincetoxici cum flore albo an. ʒij.
conſolidæ Saracen. cum toto ℥VI.
betonicæ cum foliis & floribus ℥j.
fol. artemiſ. rub. ʒVI
caryophyllor.
cinamom. an. ℥ſ.
zedoar.
nucis moſchat.
oculor. cancr. an. ʒij.

Omnia minutim conſcindantur, ac optimè miſceantur, hujus mixturæ ℞. ℥iij. vini albi & aquæ fontanæ an. ℥XXX. coquantur in cantharo lutato in balneo per tres horas, colaturæ omni manè & veſperi ℥IV. aſſumantur jejunando deſuper duabus horis. Hic potus vulnerarius expellit globulos & alia minuta ante foramen vulneris, vulneraque puncta & cæſa radicitus perſanat, debet tamen vulnus eodem potus decocto etiam quotidiè elui, & prædictum emplaſtrum eidem imponi, donec globulus vel res inhærens ſit expulſa.

Poſt extractionem rerum infixarum, omnis intentio ſit profluvium ſangvinis magnorum vulnerum ſiſtendi, aliàs non modò ſanatio vulneris, verùm etiam ſupervictitatio ſauciati ſperari nequit.

METHODUS SISTENDI SANGVINEM VULNERATORUM.

LÆsâ aliquâ venâ vel arteriâ ſangvis confeſtim è vulnere profluit, arteriarum quidem vulneratio hæmorrhagiam ſubſalientem fundit, ſangvinemque tenuem & flaveſcentem, venarum verò obſcurius rubentem, & uniformiter craſſiusque profluentem, quò uberius autem ſangvis emanat, eò majorem alicujus vaſis ſangvinis nempe arteriæ

riæ vel venæ factam fuiſſe læſionem conjiciendum eſt, eòque celerius ſiſtatur neceſſe, cum ſangvine enim vires & ipſa vita deperduntur.

In ſiſtendo autem ſangvine medium eſt tenendum, ſi enim nimis citò ſiſtatur, plerunque ſequitur inflammatio & eryſipelas, juſto verò tardior cohibitio virium lapſum & lipothymiam affert, ad attingendum autem mediam viam, ſciendum eſt, in ejusmodi hominibus, in quibus parva vaſorum læſio obtigit, quique robuſti, plethorici, vel per excandeſcentiam vehementemve corporis motum ſangvinis fervorem concitarunt, nequaquam ſangvinem confeſtim eſſe cohibendum, ſed largiter fluere ſinendum, imò aliquatenus exprimendum, donec color ſangvinis & vultus alteretur; ubi verò majora vaſa ſunt pertuſa, aut vulneratus admodùm debilis eſt, vel magna habet vulnera, aut animi deliquium minatur, in hisce caſibus nulla in cohibendo ſangvine mora nectatur.

Talis autem ſangvinis cohibitio diverſis mediis perficitur, nempe farinâ moletrinarum volatili (Staub-mehl) polline ſiliginis, ſangvine exſiccato, croco martis, pulvere conſolidæ majoris, aliisque mucaginoſis acredinem autem & corroſivitatem in ſe non habentibus, item valdè ſiccantibus & ſtipticis, ut ſunt bolus Armenus, terra ſigillata, terra capitis mortui vitrioli edulcata, gummi Arabicum, goſſipium, pili albi leporis, tela aranearum præſertim è molendinis, creta, mumia, hæmatites, ſangvis draconis, maſtiche, olibanum, ſarcocolla, ranæ exiccatæ & in pulverem redactæ & ſimilia, imprimis autem ſequens in uſu eſt frequenti: accipe ſangvinem ovillum recentem, repone eum donec in ſuperficie aquoſitas colligatur, quam defunde, cruorem verò in fundo concretum ſuper arena calida exicca, donec ſit friabilis, tere tunc in pulverem, qui tunc vel per ſe ad hunc uſum inſervit, vel cum ſequenti additione:

Pulvis ſangvinem ſiſteas.

℞ hujus ſangvinis exſiccati ℥V.
croci martis ſubtiliſſimi
hæmatit. præp.
gumm. tragacant. an. ʒſ.

fiat ex omnibus pulvis impalpabilis probè invicem mixtus in hunc uſum aſſervandus.

In frequentiſſimo quoque ad ſiſtendum ſangvinem in uſu eſt fungus chirurgorum, qui crepitus lupi, Germ. Bubenfiſt / Poſiſt / Wolffsfiſt vocatur, eſtque fungus rotundus terreſtris, pulverulentus, capitis humani interdùm magnitudinem æquans, qui hunc in finem ita paratur: Scinde ex hoc fungo fruſtula varia majora & minora pro lubitu, nimirum ad ovi, pollicis digiti &c. magnitudinem, involve quodlibet fruſtulum ſeorſim papyro adeò compreſsè ac fieri poteſt, ut arctiſſimè comprimantur, tum forti filo cannabino ea adhuc arctius & compreſſius conſtringe, ut fruſtum inſtar ovi ad parvitatem minimi digiti redigatur, tum ſubjice ea gravi alicui ponderi vel prælo per aliquot dies continuos, poſtea exempta vin-

culo aliquo adhuc arctius conſtringe, & ad hunc uſum repone.

Probatiſſimum quoque refugium habent Chirurgi in hoc emplaſtro:

Emplaſtrum.

℞. reſinæ albæ ſelectæ ℥XVI.
ſuccin. ℥ſ.
hæmatit. ſubtiliſſ. trit. ℥j.
croci martis ℥ij.
terebint. turbidæ ℥IV.
maſtich. ʒij.

Succinum & maſtiche ſubtiliſſimè pulveriſentur, tum ℥j. terebinthinæ optimè incaleſcere ſine, & quando jam admodum fervida eſt, tum pulverem ſuccini & maſtiches ſenſim in ea liqueſcere permitte, quo facto ea ab igne remove, ac reliquam terebinthinam pariter infunde, reſina autem in alio vaſculo leniter liqueſcat, quam tunc itidem his infundendo adde, demumque crocum martis & hæmatitem adjice, & paratum eſt.

Præfatum autem fungum quod attinet compreſſione præparatum, is ſaltem majoribus hæmorrhagiis deſtinatur, at in vulgaribus caſibus non opus eſt ita præparato uti, ſed ſufficit crepitum lupi absque ulla præparatione adhibere vulneribus, quemadmodum aliàs ad venæſectiones adhibetur, vel poteſt tantummodò crocus martis inſpergi, ac ſuper eundem commemoratum jam emplaſtrum imponi.

Quando verò fortis hæmorrhagia occurrit ſiſtenda, tunc ita procedendum eſt, ſedatâ prius ſangvinis efferveſcentiâ (qualis ab irâ, paroxyſmis, aliisq; vehementibus motibus concitatur, in quibus etiam caſibus ſangvis, priusquam ira penitus tranquilletur, ſiſti nequit) aliquid prædicti ſangvinis ovilli præparati vulneri inſpergitur, vel alterius pulveris cohibitorii, tum quoq; fruſtulum compreſſi fungi juxta magnitudinem vulneris, ita ut ſine laborioſa intruſione foramen vulneris propemodum impleat, imponitur, & ſi velis, poſſis inſuper adhuc aliud fruſtulum fungi non compreſſum priori majus ſed tenuius ſuperimponere, conſtratum pulvere cohibitorio, vel goſſipium eodem pulvere mixtum pilosve leporinos & ſimilia, tunc alterâ manu illud quod impoſitum eſt, tenendum, ne à vulnere relabatur, alterâ verò ambitus ſeu circumferentia vulneris mundè & ſiccè abſtergenda ſpongiâ, interea præfata maſſa emplaſtri inducenda eſt veſicæ bovinæ tantæ latitudinis, ut ejus extremitas circumcirca ultra vulnus promineat, agglutina eam undique circum vulnus, aliisque pulvinis contege & obliga, & ſi nimis fortiter ſangvis prorumperet, adhuc aliud emplaſtrum majus huic jam impoſito ſuperimponi poterit, ut alterutrum eò firmius agglutinetur ab omni parte, quod dum evenerit nullam amplius humiditatem admittit, omnemque ſangvinis effluxum ab omni parte denegat, tam à latere quàm ſuperiori parte, & ſic ſangvis per vim ſiſtitur, & à veſica coërcetur, pulveres verò ſimul multum adjuvant imbibendo & ſorbendo omnem humiditatem, qua inturgeſcunt in paſtam mucagineam ſangvini exitum obturantem; ſimi-

lem

lem operationem quoque præſtat compreſſus fungus, ſuâ enim ſiccitate humiditatem in ſe ſugit, eâque reinturgeſcit, totumque foramen opplet; hic ergò ſiſtendi ſangvinem modus ad omnifaria vulnera etiam capitis convenit, eâ tantummodò cautione adhibitâ, ne in ejusmodi caſu aliquid pulveris nudato cerebro illabatur.

Ranarum verò pulvis ad hanc operationem pari modo eximius ita præparatur: capiantur tempore menſis Maji ranæ illæ virides, quæ ſtagnis inhabitant, tum indantur ollæ vitreatæ, & in calefacto furno piſtorio exſiccentur, atque in pulverem contundantur, ejusdem uſus cum antecedentibus ad ſiſtendum ſangvinem tam in hominibus quàm brutis, adhæc pulvis iſte ranarum etiam intra corpus cum vino vel aceto exhiberi poteſt, hanc enim habet proprietatem, quòd ab ejus aſſumptione ſangvinis profluvium mox conſiſtat & obrigeſcat.

Porrò ad cohibendum ſangvinem valet quoque omnis generis muſcus arboribus innaſcens in aceto coctus, exſiccatus, & in pulverem tritus, præſertim usnea (ita enim vocatur muſcus cranii humani) violentâ morte peremptorum. Item omnia illa quæ intra corpus data dyſenteriam curant, magno cum fructu etiam externè ad ſiſtendum ſangvinem vulnerarium applicari poſſunt, prout etiam ſequens in utroque caſu egregium eſt experimentum: colligantur baccæ maturæ ſambuci vel ebuli, ex eisque ſuccus exprimatur, quo impaſtetur farina triticea in paſtam tanquam ad panificium, ex qua formetur lobus panis pro more conſveto, hunc pro diſtinctione ſignatum, unà cum aliis panificii lobis excoquendum in furno curabis, donec omninò exareſcat, non autem aduratur, & ſi exceptus nondum ſatis aridus eſt, adhuc magis in aëre ſiccari poteſt, donec ſit friabilis, teratur tunc in pulverem, & aſſervetur, dantur ejus ſcrupuli duo vel drachma, vel pugillus in aquâ foliorum quercus, vel vino rubro ſtiptico tribus quotidiè vicibus in omnibus hæmorrhagiis.

Experimentum

Sin autem ſangvis in ullo vulnere conſiſtere nolit, tunc ultimum ferè refugium quærendum eſt in nitro præparato, ejus autem præparatio ita peragitur: liqueſcat uncia nitri clarificati leniter in crucibulo, & quando jam fluit, injice in illud crucibulum fruſtulum ſulphuris communis inſtar piſi, & quando ſulphur deflagravit, aliud ejusdem fruſtulum injice, & ita perge, donec integram circiter drachmam ſulphuris injeceris, tunc effunde nitrum in mortarium, illudque contunde in pulverem, quem ſolve in aqua roſarum, ſolutionem filtra, & rurſus ad cuticulam evapora, repone in frigidum locum, donec concreſcant cryſtalli, quas exſicca in pulverem & aſſerva, cujus ℨſ. vel ℨj. in aqua carduibenedicti vel fontanâ diſſolvitur, & una vice propinatur, ſiſtitque omnem mox ſangvinis efferveſcentiam, ita ut poſtea hæmorrhagia facilè externis mediis auſcultet.

Nitri præparatio.

DE VULNERUM DELIGATIONE; Germ. Verbindung der Wunden.

SAngvine cohibito, ac vulnere cum cohibitoriis deligato, altera die exterior faſcia removetur, atque applicatum cohibimentum modeſtiſſimè remollitur, ne denuò fluxus ſangvinis proritetur, hinc labia vulneris, quàm accuratè fieri poteſt, junguntur & coaptantur; Antiquis autem in uſu fuit per conſuitionem cum filo & acu labia ejusmodi in majoribus vulneribus conſtringere, verùm moderni Chirurgi eximii tales vulnerum ſuturas planè improbant, ajuntque Naturam ipſam ope medicaminum hiscentia vulnerum labra melius & cum minoribus cicatricibus contrahere, quàm per manualem conſuitionem fieri poſſit, exceptis vulneribus auricularum, naſi, genarum, & quicquid cæſim ita à carne dividatur, ut quaſi panniculum pendulum conſtituat, ibi enim opus eſſe ut pendula auricula vel naſus unâ vel alterâ acûs & fili per utraque labia transverſali trajectione iterum adſuatur, quamprimùm autem agglutinatio vulneris ſe prodit, quod circa diem quartum contingere ſolet, tum eveſtigiò ſuturæ fila reſcindenda & artificiosè eximenda ſunt, ne deformes cicatrices gignantur. Coaptatis itaque vulneris labiis talia medicamina applicanda ſunt, quibus prava ſymptomata, nempe inflammatio, convulſio &c. præcaveantur, vulnerisque ſanatio acceleretur, quod præ cæteris eximiè præſtat emplaſtrum oppoteldoch magnum ſupra cap. 203. deſcriptum, cui proximè accedit emplaſtrum ſticticum Crollii; Cæterùm adhuc alia quædam decantatiſſima ſunt, quod omnia mala accidentia avertant, ſanationemque cujuslibet vulneris mira cum celeritate provehant, quorum inter primaria ab ipſo Paracelſo & Helmontio refertur

I. BALSAMUS SAMECH.

Cujus præparandi modum ſequentem pro ſecreto accepimus, eumque nondum tamen in uſum à nobis vocatum, candidè ut obtinuimus, communicamus:

Primò parabis ſalem tartari candidiſſium, quod fit urendo tartarum vini crudum in furno figulino, donec albeſcat, affunde tunc aquam communem, ut omne, quod à calcinato tartaro ſolubile eſt, ſolvatur, ſolutionem cola per chartam emporeticam, & iterum ad ſiccitatem evapora, affunde iterum aquam claram, ſolve, filtra & coagula tribus vicibus ad minimum, habebisque ſalem tartari percandidum, tum ad ignem ſicciſſimo reddito huic ſali affunde optimum ſpiritum vini, eumque deſtillatione iterum leniter abſtrahe, urgendo in fine ad obſcurum usque fundi retortæ candorem, tunc affunde recentem optimæ notæ ſpiritum vini, eoque procede ut antea, idque per novem circiter vices, tum guſtando experiundum, num ſal tartari aſtringentem ſaporem induerit, ſin minus, perge abſtra- *Balſami ſamech paratio.*

abſtrahendo, donec ejusmodi aſtrictionem perſentiſcas, tum exemptum minutiſſimè tere, & in cella ſolvi permitte.

II. FAMIGERATISSIMUS PULVIS SYMPATHETICUS:

Accipe vitriolum bonum, ſive ſit Hungaricum, Cypricum, Romanum, Salisburgicum vel aliud, dummodò bonitatis ſigna edat, quorum præcipuum eſt, quod ſolutum in aqua, terſum cultrum aliquandiu in iſta ſolutione detentum rubedine cuprea obducat, contunde hoc vitriolum in pulverem in mortario lapideo, & non metallico, arrodit enim metalla, imprimis ferrum, & rodendo ſeipſum debilitat in virtute medica, inſperge hunc pulverem vitrioli aſſeri ligneo cum margine elevato, ne pulvis inter agitandum facilè lateratim decidat, poteſt tamen præparatio hæc etiam fieri in patinis vel ſartaginibus terreis, repone vaſa cum hoc pulvere ad radios ſolis, ſub tecto tamen, ne à pluvia humectari poſſit, ſit etiam talis locus, qui non expoſitus ſit validis repercuſſivis venti flatibus, à quibus multum pulveris difflati ac periturum eſſet, imprimis quando jam in levem pulverem abiiſſet; calcinatur enim à radiis ſolis in farinam albam ob levitatem ſuam facilè difflabilem, relinqui ita poterit in loco radioſo per integram æſtatem, fortificatur enim hic pulvis potius in ſua virtute a diutina calcinatione, quàm ut ullo modo debilitaretur, tempore hyberno reponi poterit prope fornacem in hypocauſto, in loco enim tepido in ſua virtute conſervatur, in frigido autem temporis protractu iterum humiditatem attrahit, eaque inturgeſcit, & colorem album mutat rurſum in virideſcentem, quod ſi eveniret, nec hyberno tempore occaſio eſſet pulverem hunc in hypocauſto detinendi, ſequenti vere iterum radiis ſolis exponitur, ligneo aliquo bacillo peculiari (præſtaret tamen è ligno fraxini) ſæpius invertitur, ut undique à nudis radiis ſolaribus attingatur, pars enim eorum in pulverem concentratur; & ſic paratus erit hic pulvis ſympatheticus.

Nonnulli eum ita parant: exponunt vitriolum juxta commemoratum jam modum radiis ſolis, atque inſuper ſeorſim pulverem tragacanthi, ita ut quodlibet ſeparatim ad ſolem calcinetur, incipiunt autem utrumque ſoli exponere, quando ſol ingreditur leonem, ac ſtare permittunt per integrum menſem, donec nimirum ſol intret virginem, tumque pulverem utrumque invicem miſcent, parvam autem hoc modo pulveri accedere meliorationem, inde patet, quod vitriolum quodvis commune etiam non præparatum eandem virtutem præſtet, quamvis aliquantulum debilius.

Uſus hujus vulneris ad ſananda vulnera.

Ejus manipulus vel duo ſolvuntur in aquæ fontanæ vel fluvialis tanta quantitate, ut ſi culter in hac ſolutionis aqua teneatur, colore cupreo probè tingatur.

Occurente igitur vulnerato linteolum aliquod ad vulnus ægri cruentatur, atque præfatæ vitrioli ſolutioni injicitur, ſi nimirum ſangvis in linteolo eſt exiccatus, at ſi recenti ſangvine etiamnum madet, ſufficit ut ſaltim aliquid pulveris vitrioli huic linteolo inſpergatur, utrumque autem aſſervatur in loco temperato, qui neque nimis calidus nec frigidus ſit, ſcilicet ſolutio in tali conclavi, pulvis verò inſtratus in pyxide lignea in ſacculo caligarum recondità.

Quoties autem recens pulvis vitrioli in aqua ſolvitur, aliudque linteolum cruentum, gladius, lignum & ſimilia immittitur, æger quaſi de novo refocillatur, ſentitque in vulnere veluti non ſecus ac ſi medicamentum refrigerans & leniens applicaretur, idque quotiescunque linteolorum intinctio vel vitrioliſatio renovatur; omni itaque manè & ſerò eadem deligatio vulneris repetitur, quotiescunque etiam velis, poteris ægro qui hac methodo ejus ſanationi præes, dolores ciere, & ſi ipſe ingratus eſt, nec poſt ſanationem debitum perſolvere memor, Chirurgus reſervatis quibusdam ad ſanationem uſurpatis ipſum tamdiu doloribus vexare poteſt, donec ſui officii rationem exequatur.

III. VIRTUS ET USUS LIGNI FRAXINI AD VULNERA RECENTIA:

Satis ſuperque jam longè & latè percrebuit, quanta lignum fraxini in ſanatione vulnerum recentium præſtet, innumeri enim ſunt inter plebejos, qui hoc lignum ſemper penes ſe ſervant, eoque etiam ingentia vulnera & contuſiones à pravis accidentibus ſola ligni affrictione præſervant; ex ejus raſura, ſegmentis & corticibus etiam longè efficacius decoctum vel infuſio in vino paratur ad radicitus perſanandam luem Gallicam, aliaque ulcera, quàm ex ligno guajaci fieri poteſt, imò narravit nobis excellentiſſimus quidam Archiater, quod germanus ipſius frater ex multo potu vini Franconiani ſibi accerſiviſſet phthiſin deploratam, à qua vetula quædam per ſingulare experimentum intra anni ſpacium ipſum curaſſet, ita tamen ut totâ corporis ſuperficies incruſtata evaſerit, ſcabie cruſtacea, donec eâ decidente omnino liber & ſanus à phthiſi ſit factus, ſingulis tamen annis parvam quandam recidivam ipſum ſenſiſſe, donec demum vinum infuſionis ligni fraxini per aliquod tempus biberit, unde plena ſanitas eſſet ſecuta. Collectio hujus ligni eſt, quando Sol & Luna ſunt in tauro: alii illud cædunt ipſo die S. Johannis Baptiſtæ.

IV. EFFICACIA HERBÆ PERSICARIÆ.

Herba perſicaria quæ dicitur mas, atque in lingva acerrimum guſtum exhibet, propthereaque hydropiper vocatur, mirandam virtutem in ſanandis vulneribus, ulceribus & tumoribus tam hominum quàm jumentorum præſtat, conſumit præterea

terea & abigit defluxiones & dolores dentium à defluxionibus oriundos, materiamque defluxionum penitus abſumit & annihilat, uti innumeris vicibus experti ſumus, colligitur autem lunâ decreſcente, ac ſole ſi fieri poſſit, in libra exiſtente; uſus eſt, ut folia ejus in aquam frigidiſſimam recenter hauſtam conjiciantur, & fortè per ſpacium recitationis orationis Dominicæ vel octavam partem horæ præter propter in eâ relinquantur, aqua enim hanc herbam corrigit, poſtea imponuntur vulneri vel contuſioni, donec ſuper loco intepeſcere poſſint, tunc defodiuntur in terram recentem humidiuſculam, ut herba putreſcere queat, quando enim herba putredine conſumpta eſt, etiam vulnus deprehenditur ſanum; atque hoc modo etiam ſanat dolores dentium, ad quem noſtrum applicandi modum indicavimus ſupra cap. 62.

V. PARATIO ET APPLICATIO UNGVENTI ARMARII:

Hoc ungventum etiam vocatur ſympatheticum & ſtellatum, item hopliotricum ſeu armarium nec non traumaticum, de quo hactenus à variis variè & acriter eſt diſputatum, an & quomodo ejus operatio naturaliter fieri poſſit, quod miſſum facimus, & ſolummodò parationem ungventi recenſemus: accipe adipis verris aprugni & urſini ana ℥iij. liqueſcant ſuper leni igne, liquata effunde in aquam frigidam, purumque innatabit ſuperficiei aquæ, impurum verò in aquam tranſit, purum ab aqua collige, illudque iterum ſuper leni prunarum calore neque nimium excedente nec plus æquo remiſſo liqueſcere ſine, & quando pingvedo tepidè eſt ſoluta, ℞. ſantali rubri & lapidis hæmatitæ an. ℥j. lumbricorum terreſtrium repurgatorum & in pulverem exſiccatorum ℥ij. conſolidæ majoris ſiccatæ & radendo vel limando in ſcobem redactæ (tundendo enim pulverari nequit) ℥ſ. usneæ ſeu muſci cranii humani violentâ morte enecti drachmas ſeptem, fiat ex his omnibus pulvis ſubtiliſſimus, quem paulatim liquatæ pingvedini præfatæ immitte, omniaque invicem cum ſpatulâ ſubige in ungventum, quod in pyxide vel vitro mundo ad hunc uſum recondatur.

Lumbrici autem ad hoc opus ita præparantur: accipe eorum unum vel alterum manipulum, conjice eos in vaſculum ligneum, adjiciendo ſimul non nihil muſci prunorum ſylveſtrium, cui immixti ſint duo vitelli ovorum ad duritiem coctorum, ac lumbrici de hac mixtura aliquid vorant, & purgantur, exemptos deinde injice novæ ollæ, adjectis ſimul duobus manipulis arenæ, & ſine eos ita aliquandiu quieſcere, poſtea ipſos vino ablue, iterumque novæ ollæ impone, lutando deſuper operculum, quam immittes furno calido piſtorio, in quo panes ſint cocti, & jamjam exempti, & ita ſine aduſtione exiccabuntur, qui deinde triti in pulverem parati ſunt.

Uſus

Uſus hujus ungventi:

Delato ad te inſtrumento, quo vulnus eſt inflictum, diſquirendum eſt, an vulnus ſit cæſum vel punctum, & ſi hoc ex inſpectione inſtrumenti ſeu gladii illius ſciri nequit, quæri debet ex eo, qui gladium affert, quânam ejus parte vulnus ſit factum, ibi enim inungi debet, vel ubi eſt cruentum, ſi ergò vulnus eſt cæſum, cruorque aciei adhæret, tunc gladium ungere incipies ab acie verſus dorſum ejus, ſi verò utraque acies ancipitis gladii vulneravit; tunc ab uturaque acie verſus medium gladius perungi debet, aſt ſi penitus ſciri nequit, quomodo vulneratio contigerit, ſecuriſſimum foret totam inungere ſicam à mucrone usque ad capulum, ita ut nulla particula ab extremo mucronis usque ad ſummam partem ab ungvento intacta maneat, nam ſi quicquam in utraque acie vel medio inunctionem non experiretur, & tamen vulnus intraſſet, id gravem noxam inferre poſſet, quando autem exactè ſciri poſſit, quænam pars vulnus intraverit, tunc ſufficit ſaltem inungere mucronem vel aciem, vel quantum in vulnere fuit, inuncta autem ſica tunc reponenda eſt in locum mundum & temperatum, non pulverulentum, ventoſum, percalidum vel frigidum nimis, ac obvolvenda eſt papyro purâ, quotiescunque etiam Chirurgus iſtam ſicam de novo inungere vult, toties eadem nocte à venere abſtineat, nullum etiam aliud emplaſtrum vel ungventum ad vulnus requiritur, præter ſolam hanc inunctionem, nec quoque opus eſt vulnus conſuere, ſed deligatur tantùm puro linteo in urina ægri humectato, quo etiam pus eluitur; Si vulnera parva ſunt vel mediocria, ſufficere poteſt unica inunctio, in magnis verò bina, omniaque hoc modo vulnera melius & citius ſanantur, quàm ullis ungventis vel emplaſtris communibus fieri poſſit, dummodò, ut dictum eſt, ſica in loco puro & temperato detineatur, niſi enim hoc fiat, ſed nimio frigori vel calori exponatur, vel quisquiliis intrudatur, tunc illicò æger magnos dolores perſentiſcit, qui tamen brevi rurſus evaneſcunt, quamprimùm ſica iterum temperatè recaleſcit. Initio autem inunctionis ſangvis vulneris prius ſiſti debet modo ſupra indicato, quod tamen etiam ipſum ungventum armarium præſtat, ſi ejus parum vulneri indatur, in vehementi verò hæmorrhagia fortiora ſiſtentia ſangvinis in uſum vocentur.

Porrò quibus hæc curandi ratio familiaris eſt, hunc ſervant ordinem; quod prius totam ſicam affricent ſantalo rubro, ac deinceps digito medio ungventum inungant, in defectu quoque ſicæ, qua vulneratio illata fuit, aliam accipiunt juxta proportionem vulneris, eamque per vulnus trahunt tali modo, ut aliqualiter cruentetur, ac poſtmodùm ungvento perungunt, perſvaſi quoque ſunt, ex ſica tali ſciri poſſe, num æger ſit convaliturus vel moriturus, hoc nimirum modo, ſi accipiantur æquales partes hæmatitæ, & ſantali rubri

rubri in pulverem tritæ, ſicaque teneatur ſuper carbonibus ignitis non fumantibus, adeòque calefiat, ut calefacta pars vix tolerari ad manum poſſit, cui tunc præfati pulveris non nihil inſpergunt, & ſi ſudor ſangvineus conſpiciatur, ſignum id eſſe mortis, ſi non, vulnus eſſe ſanabile.

Cæterùm non modò arma quibus vulnera inflicta ſunt, ut haſtæ, gladii, acinaces, pugiones, cultri &c. hoc ungvento unguntur, verùm etiam alia læſionum ſubjecta, ut trunci, fuſtes, ſtipites, bipennes, ſaxa &c. quibus offendendo, incurſando, allidendo, contundendo vel alio modo aliquid læditur, in tali enim caſu lapis, malleus vel quicquid eſt, eâ parte adverſus quam contuſio facta, obungitur & in omnibus tractatur, ut de ſica dictum eſt. Eſtque in utroque idem modus, atque in uno ſicut in altero requiritur, ut æger exactam obſervet diætam hoc enim niſi fiat, non modò ſanatio retardatur, verùm etiam in ſica cerni poteſt, non tantùm enim rubræ in ea maculæ in conſpectum veniunt, verùm etiam dolores ægrum infeſtant, quatenus in diæta inſigniter peccatum eſt, hoc ſi ita evenerit, inſtrumentum læſorium de novo ungendum, ſimulque exactior diæta inſtituenda eſt; adhæc ſi ante talem inunctionem alius quiſpiam tonſor vulneri quicquam nempe vel emplaſtrum vel ungventum antea applicuiſſet id totum iterum eſt removendum, ac purè abſtergendum, præſtat tamen ab initio nil quicquam applicare, ſi hoc ungvento utendi eſt animus.

Quando etiam parum ſuppetit ungventi, ideòque parſimoniâ ejus opus foret, facilè ipſi parci poteſt, ſi id quod inſtrumentis inungitur, mundè aſſervatur, poſtmodùm enim rurſus corradi & colligi, ac cum recenti temperari poterit, ſervarique in pyxide lapidea vel vitrea, ubi etiam indureſceret protractu temporis, melle & adipe iterum recentiorari valebit, præſertim pingvedine urſi, quæ ad hunc ſcopum ita optimè præparatur, ſi ex interfecto urſo veſica urinaria una cum urina extrahitur, in eamque etiam pingvedo inditur, ac probè colligata veſica in caminum penditur, ita enim pingvedo per macerationem in urina optimè qualificatur ad futurum uſum, poſtmodùm anno elapſo hæc mixtura in vino bullitur per ſpacium, quo caput aliquod vituli pro more ad ſufficientiam coqui poſſet, ac deinde in aquam frigidam effunditur, & poſt refrigerationem pingvedo ſupernatans colligitur.

Verum enim verò in concinnatione hujus ungventi ab Authoribus admodùm diversè proceditur, quemadmodum etiam noſter Author & Crollius eam paulò aliter docent; nempe in hunc modum:

℞. adipis verris aprugni
urſini ana lothones octo
ſeu ℥IV.

Quo annoſiora animalia ſint, eo meliorem fore adipem, dummodò ſeptennium non excedant. Adeps iſte ab utraque fera prius in vino rubro

bro per horam dimidiatam lento igne bulliat, poſtea effundatur ſuper aquam frigidam, & cochleari pingvedo colligatur ſupernatans, abjiciendo quicquid fundum petierit.

Hinc ℞. lumbricorum ex vino vel aqua lotorum ſextarios duos, torrefiant in olla tecta in fornaci piſtoris, cavendo tamen, ne adurantur, poſtea terantur in pulverem.

℞. hujus pulveris
Cerebri aprugni in veſica hujus feræ propria cum urina ejusdem aliquandiu macerati & poſtea ſiccati
Santali rubri vel potius citrini odoriferi
Mumiæ Ægyptiacæ
Hæmatites an. ℥j.

Demum accipe usneæ è cranio hominis violenta morte perempti, abraſæ, luna creſcente & in bona domo exiſtente, Veneris, ſi fieri poſſit, non Martis aut Saturni ad pondus duarum avellanarum circiter ſeu ʒj.

Ex omnibus tritis & invicem mixtis cum adipe ſecundum artem ungventum fiat, in vitro clauſo, vel pyxide diligenter ad ſuos uſus reſervandum.

Alii accipiunt muſci vulgaris ℥ij.
Mumiæ Ægyptiacæ ℥ſ.
Axungiæ humanæ ℥ij.
Sangvinis humani
Ol. lini an. ʒij.
roſacei
Boli an. ℥j.
Parantque ex his ungventum.

Utrum verò una compoſitio alteram operando æquet vel ſuperet, dicere quidem non poſſumus, neque enim unum nec alterum modum hactenus experti vel ſectati ſumus, exiſtimamus tamen, ſi bona confidentia accedat, quamlibet benè operaturam, idque præter ſuperſtitionem, quam multi immeritò huic tribuunt, cum nulli adhibeantur characteres, vel benedictiones, nomenve Dei ſanctum, ſed tantummodò è diverſis ſimplicibus juxta morem antiquum, quo etiam quamplurima alia è diverſiſſimis & interdum ſatis ineptis compoſita parantur, ungventum compoſitum concinnatur, confidentiam autem bonam poſt Deum naturalem erga tale compoſitum non eſſe illicitum, aut concedendum eſt, aut pariter omnibus antiquis compoſitis derogandа, ex mera enim bona confidentia & ſpe quod diverſis morbis opem allatura ſint, cuncta officinarum compoſita præparantur & parata habentur.

Ut autem ingenuè noſtram de hoc ungvento ſententiam fateamur, majorem ejus partem arbitramur operam ſupervacaneam, totumque bonitatis negotium conſiſtere in adipoſa pingvedine temperatè refrigerante, quæ nimirum atomos ſangvinis in inſtrumento vulneratorio à vulneratione remanentes in refrigeratione & lubricitate balſamica conſervat, ne aceſcant, & ſympathicè ſangvinem vulneris ex quo ſunt, ſimul afficiant, uti facilè fieri poſſet, ſi ejusmodi temperata adipoſitas inſtrumento tali non illineretur, præſertim ſi læſorium ejusmodi

modi ferrum ſervaretur in loco humido, & vaporibus ſalinis referto, à quibus vel aëris aciditate arroſionem & ferruginem pateretur, atomos tales ſimul arrodentes, putamus ergò, quomodocunque hoc ungventum pararetur, ſola autem præfata pingvedo abeſſet, parum adjumenti hinc vulneribus emerſurum; Econtra autem ut ut etiamnum abſurdiora prædictis adderentur, ſola autem prædicta adipoſitas prædominium retineret, effectus tamen laudabiles non defuturos. Hæc autem omninò ſe ita habere, confirmat nos propria obſervatio; vidimus enim homines ſimplos & plebejos, qui poſt ingentem puncturam cultrum; quo punctum fuerat, manubriotenus in lardum pingviſſimum infixere, atque infixum reliquere, donec vulnus penitus eſſet ſanatum, nullum autem aliud remedium applicuerunt, quàm folia herbæ perfoliatæ, quæ macerabant in vulgari vino aduſto, quo vulnus quotidiè eluebant, foliolumque unicum ex dicto aduſto vulneri imponebant, illudque deligabant, brevique funditus ſanabatur.

Fortè etiam idem ita ſecutum eſſet, ſi cultrum prædicto ungvento unxiſſent, & poſito quod aliquantulnm citius mediante hoc ungvento ſanatum fuiſſet, (ubi tamen exigua differentia neceſſariò foret, cum vix optatior & celerior ſanatio deſiderari poſſit, prædicto more ruſtico à nobis obſervato) viciſſim etiã multo labori & ſumptibus parcitur, quibus ad ungventũ armariũ opus eſt.

Uterque autem modus quamplurimis in uſu eſt, multique ſunt equites, qui tale ungventum ſecum vehunt eum in finem, ut ſi equi eorum fortè clavos impingunt, eosque pedibus infigunt, ipſi ejusmodi clavos ungvento immergere poſſint, & ita fit hominibus & jumentis cum clavis, ſpinis, feſtucis & ſimilibus. Sunt etiam vice verſa innumeri alii, qui ad omnia vulnera, læſionesque emplaſtris & ungventis utuntur, eisque ex voto ſuas ſanationes perficiunt; cuilibet igitur integrum eſt tali ſanandi modo inhærere, qui ſibi magis arridet.

DE UNIVERSALIBUS MEDICAMENTIS VULNERARIIS.

MEdicamina illa, quibus in genere omnia vulnera ſanantur, imprimis ſunt ſimplicia vulneraria, è quibus poſtmodùm fiunt compoſita traumatica, nimirum potiones vulnerariæ, balſama, pulveres, emplaſtra & ungventa.

Inter ſimplicia autem vulneraria, ſequentia ſunt celebriora, omnibusque Chirurgis uſitatiora

I. RADICES.

Ariſtolochiæ rotundæ, Holwurtz.
Caryophyllatæ, Benedicten.
Tormentillæ, Tormentill.
Biſtortæ, Naterwurtz.
Hellebori, Chriſtwurtz.
Rhabarbari. Rabarber.
Conſolidæ majoris, Wallwurtz.
Polypodii, Engelſüß.
Diptamni, Eſcherwurtz/ Diptam.
Enulæ campanæ, Alant.

Vincetoxici, Schwalbenwurtz.
Scrophulariæ, Braunwurtz.
Bibinellæ, Bibernell.
Chinæ, Pockenwurtz.
Sarſaparillæ.
Scabioſæ.
Rhapontici.
Angelicæ, Engelwurtz.

II. HERBÆ ET FOLIA.

Ophiogloſſum, Naterzünglein.
Veronica, Ehrenpreiß.
Alchimilla, Sinnau.
Agrimonia, Odermennige.
Artemiſia, Beyfuß.
Anagallis, Gauchheil.
Piloſella, Mausöhrlein.
Plantago, Wegerich.
Betonica, Betonien.
Calcatrippa, Conſolida regalis } Ritterſporen.
Conſolida Saracenica, Heidniſchwundkraut.
Carduus benedictus, geſegnete Diſtel.
Cynogloſſum, Hundszungen.
Centaurium minus, klein Tauſendgüldenkraut.
Hypericon Johannskraut.
Pyrola, Wintergrün.
Vinca pervinca, Bärwinckel.
Millefolium, Schafgarben.
Quinquefolium, Fünffingerkraut.
Sabina, Sevenbaum.
Roſæ albæ & rubræ, weiſſe und rote Roſen.
Sedum, Hauswurtz.
Scordium, Lackenknoblauch.
Tanacetum, Reinfarn.
Verbena, Eiſenkraut.
Scolopendria, Hirſchzung.
Burſa paſtoris, Teſchelkraut
Adiantum, Frauenhaar.
Perfoliata, Durchwachs.
Telephium, Fettehenne.
Polygonum, Wegetritt.
Perſicaria, Flöhkraut.
Prunella, Braunellen.
Folia tabaci, Tabackblätter.
Herba Roberti, Gottsgnad.
Virga aurea, gülden Wundkraut.
Barba capræ, Geißbart.
Lilium convallium, Mäyblümlein.
Hedera terreſtris, Gundelreben.
Salvia, Salbey.
Cichorea, Wegwart.
Matriſylva, Waldmeiſter.
Glycyrrhiza, Süßholtz.
Folia tamariſci, Tamariſken Laub.
Baccæ & gummi juniperi, Wacholderbeer und Hartz.
Baccæ alkekengi, Judenkirſchen.
Cortices & ſemen fraxini, Eſchenrinden und Samen.
Scobs & cortices ligni ſancti, Rinden und klein geraſpelt Frantzoſen Holtz.
Sangvis Draconis, Drachenblut.
Olibannm, Thus } Weyrauch.
Macis, Muſcatenblüt.
Oculi cancrorum, Krebsaugen.
Bolus Armenus, Armeniſche Erde.
Sarcocolla, Fleiſchleim
Mumia, todten Körperbalſam.
Sperma ceti, Wallraht.
Braſſica rubra, brauner Köhl.
Sanicula, Sanickel.
Folia rorismarini, Rosmarin.
Maſtiche, Maſtix ꝛc.

DE POTIONIBUS VULNERARIIS; Germ. Wundtrancke.

PRimum, quod ex enumeratis jam ſimplicibus componitur, ſummâque cum utilitate ad ſanationem tam vulnerum quàm ulcerum uſurpatur, eſt potio vulneraria, quæ vario modo paratur pro chirurgi intentione, nimirum ad ſanandum ab intrò extrorſum, præcavenda prava vulnerum ſymptomata, generandam novam carnem & ſangvinem, aliaque præſtanda pro neceſſitatis exigentia.

Diversâ autem ratione ejusmodi potiones parantur, nimirum coquendo ſimplicia in vino, mulſo, vel cerevisiâ ex. gr.

Potio vulneraria.

℞. fol. pyrolæ
alchimill.
ſaniculæ an. m. j.
flor. centaur. minor.
hyperic. an. p. ij.
ſummitat. calcatrip. mj.
agrimon. mſ.

Concidantur omnia minutim, & coquantur in lib. VI. vini albi (rubrum ſtipticum nunquam ad potum vulnerarium inſervit) in cantharo lutato in B. per duas vel tres horas, colaturæ manè & veſperi hauſtus bibatur.

Vel ℞. fol. ophiogloſſ.
lingvæ cervin.
vincæ pervinc. an. miſ.
perſicar. mſ.
rhabarb. ʒVI.
rhapont. ʒj.

concidantur & contundantur, quæ oportet, & coquantur in lib. IV. mulſi, vel cereviſiæ vel aquæ.

Alii potiones ſuas vulnerarias coquunt ex herbis & radicibus recentibus & ſucculentis ſine ulla additione, ſaltim ea probè contundendo, & per ſe in cantharo optimè lutato in B. per horas tres vel quatuor bulliendo; ita enim eorum ſucculentia coctione exprimitur, quæ ſacharo dulcorari poteſt, inſerviens his qui in capite vulnerati ſunt, vel etiam vinum ferre non poſſunt.

Poteſt etiam ſuccus herbarum exprimi, ſacharo ſvaviorari, ac præfatum in modum propinari, verùm enim verò tales additione aquea carentes ſucci in multò minori doſi asſumendi ſunt, quàm aliàs potionibus vulgaribus fieri ſolet, ſcilicet unum ſaltem vel alterum cochlearium pro vice.

Inſuper potus vulnerarius parari poteſt ex aquis deſtillatis illis, quæ plerunque pro uſu domeſtico annuatim paratæ habentur, uti ſunt aquæ fœniculi, fumariæ, ſcabioſæ, florum acaciæ, cardui benedicti, lingvæ cervinæ (quæ etiam cunctæ per ſe ad ſanationem vulnerum inſerviunt) ſi nimirum in ipſis alia ſimplicia vulneraria exſiccata coquantur, ex. gr.

℞. prædictarum aquarum unam vel duas commixtas, in cujus mixturæ lib. iij. vel IV. coque rhabarbari monachorum ℥iſ. radic. conſolidæ major. fol. ſanic. pyrol. perfoliat. an. mj. macis ℈IV. omnibus prius minutim conſciſſis in cantharo lutato per duas vel tres horas, ac de colatura

Alius modus.

latura duo vel tria cochlearia pro vice exhibe.

Item poſſunt in hisce aquis ſtillatitiis pulveres vulnerarii propinari ex. gr. ℞. unius vel duarum vel trium earum commixtarum ℥ij. vel iij. pulveris crudorum oculorum cancrorum ʒſ. cardui benedict. & rhabarb. an. ℈ſ. m. & pro una vice offer, idque omni manè & ſerò nimirum tribus ad minimum horis ante & duabus poſt paſtum.

Alius.

Omnium autem optimum & nobiliſſimum eſſe arbitramur modum, ſi ex herbis vulnerariis conciſis & contuſis aqua per veſicam aheneam deſtilletur, è quibuscunque quis velit, ipſarum ſcilicet tribus, quatuor vel pluribus ſimul junctis, reſiduum in veſica vel aliæ recentes herbæ exſiccatæ crementur in cinerem, ex eoque ſal extrahatur, ac bis vel ter ſolvendo filtrando & congelando clarificetur, donec candidiſſimum ſit, tumque in vitro mundo optimè veſicis obligato (ne humiditatem aëris attrahat, quâ in liquorem ſolvitur) pro uſu in loco calido & ſicco cuſtodiatur, cujus, neceſſitate requirente ℈j. vel quantum mucrone cultri uno vel duobus caperetur, in duabus vel tribus unciis præfatæ aquæ pro una doſi exhibeatur, & non niſi optimus ſucceſſus ex tali exhibitione ſperandus foret, totum enim negotium præcavendorum pravorum ſymptomatum in diureticis conſiſtit, meliora autem diuretica non dantur alcalibus, præſtantiora verò ad talem uſum alcalia eſſe nequeunt his, quæ ex ipſis herbis vulnerariis educuntur; verùm hæc judicio relinquimus præſtantium Chirurgorum.

Circa uſum autem potionum vulnerariarum probè notandum eſt, nequaquam perinde eſſe, ſi qualescunque herbæ indifferenter accipiantur ad easdem parandas, nempe pingves & macræ, calefacientes & frigefacientes, ſed prout qualitas vulnerati membri exigit, quando enim ingens vulnus carnis, vel majorum muſculorum, vel venarum, aut conſumptio alicujus partis metuenda occurrit, tunc inſerviunt herbæ pingves ſangvineæ, multam carnem gignentes, in vulneribus verò articulorum, earumque partium, quibus generatione carnis non opus eſt, ſeligendæ ſunt herbæ macriores ad coquendas vulnerarias potiones, quarum etiam uſus diuturnior eſſe non debet, quàm usquequò nil amplius vitioſi, nullumque pravum ſymptoma in vulnere appareat, tum verò ejusmodi potus indies minuatur, ac tandem penitus intermittatur, imò etiam in aliis vulneribus nunquam potus vulnerarius usque ad finem ſanationis continuetur, quoniam nimium carnis in vulnere generant, ita ut poſt ſanationem tumiditas eò loci promineat, quæ diu durat, antequam iterum diſpareat; melius itaque eſt tempeſtivè potionem talem interrumpere, quando nimirum vulnus bona ſigna edit.

Notandum quoque eſt, ubicunque vulneri aliquid inhæret, quod illi non eſt proprium, vel in illud pertinet, ut ſunt particulæ oſſis diffracti,

fracti, ſangvis corruptus, pus vel ſordities contumaciter adhæreſcens, caro luxurians & ſimilia, aſſumenda eſſe in potionem vulnerariam talia ſimplicia, quæ menſes & urinam movere ad exitum ſolent, ut ſunt: aſarum, carduus benedictus, ſabina, ſi verò multa impuritas in vulnere conſpicitur, balſamica cum potione dicta impotanda eſſe, ut ſunt: mumia, ſperma ceti, oleum terebinthinæ, balſamum ſulphuris, oculi cancrorum &c. ſperma tamen ceti ſi veteraſcit & olet, ejus internus uſus eſt nocivus, niſi ſolvatur aceto deſtillato, quod ejus bonam tantummodò partem arripit, ſed tum etiam longè efficacius evadit, atque in minori doſi eſt aſſumendum.

Præter potionem vulnerariam etiam externa medicamina applicanda ſunt, quæ ſanationem vulneris accelerant, quem in finem ab antiquo varia ungventa vulneraria uſitata & decantata ſunt, quorum baſis præcipua butyrum eſt vel mel, majores enim noſtri conſiderarunt, vaccas optimas herbas & gramen vorare, earumque ſuccum in lac convertere, è quo butyrum paratum neceſſariò eſſe optimam herbarum eſſentiam, pari modo mel originem ſuam habere à rore cœli in flores herbarum decidente, ab eisque per apes colligi, unde pariformiter nobiliſſimam florum eſſentiam ſimul in mel tranſire, fieri ergò non poſſe, quin duobus hisce præſtantiſſima virtus ſanativa ab eorum origine introducta ſit, eaque ideò elegerunt, ut ſint corpus & baſis ungventorum vulnerariorum, quibus ſuccos aliorum efficacium herbarum admiſcuerunt, & virtuoſiſſima ungventa ſanativa inde enata ſunt, poſſunt ergò etiamnum longè optima ungventa vulneraria exinde parari, quorum fundamentum vel baſis alterutrum præfatorum eſt, pro exemplo:

℞. butyri majalis elegantiſſimi & flaviſſimi non ſaliti ℥VIII. reſinæ albæ ℥IV. ſucci expreſſi betæ, ophioglоſſi, pyrolæ, ſaniculæ an. ℥iſ. mellis ℥iij. diſſolve mel in ſuccis coquendo, & aliquantulum deſpuma, tum etiam adde butyrum, & coquendo perge, donec ſucci ſint abſumpti, tunc etiam reſinam adjice, & coqui permitte, donec in reliquis liqueſcat, tum totum per pannum exprime, & aſſerva in pyxide lapidea probè obligata, ſi nimium craſſeſcat, temperari poterit momento olei florum hyperici, vel etiam inter coquendum ejus nonnihil admiſceri. *Ungventum vulnerarium.*

Aliud ungventum vulnerarium.

Aliud.

Accipe unum vel duos ſextarios lumbricorum terreſtrium pingvium rubicundorum, coque eos in aqua pluviali, donec diſſolvantur, tum aquam hanc per pannum exprimendo cola, recipe hujus decocti, & mellis clari recentis ana ℔ij. coque ea & deſpuma diligenter, adde tum ſequentes conſciſſas & in pultem contuſas herbas recentes, nimirum pyrolæ, ſaniculæ, burſæ paſtoris, ſymphyti, vincæ pervincæ & virgæ aureæ ana miſ. vel ℥iſ. repone ea in

locum

locum tepidum ad macerandum per dies octo vel decem, deinde ſimul coque, donec aquoſitas exhalando dispereat, ac ſpiſſa quædam ſubſtantia ſeu ſuccus remaneat melle aliquantulum craſſior, quam per pannnm transpelle, ut ſubſtantia herbacea remaneat, adde tum extracti aloë, myrrhæ & olibani cum ſpiritu vini parati, abſtrahendo ſpiritum vini ad extracti ſpiſſitudinem, cujus ſimul ℥ij. admiſce, hancque mixturam probè cuſtodi tanquam theſaurum vulnerarium, unit enim ſe facillimè cum vulnere, influitque in illud inſtar olei, ſanat & præſervat à corruptione, eſtque balſamum etiam intra corpus ſumi aptum.

Porrò ex herbis vulnerariis etiam parari poſſunt balſama & olea vulneraria, quæ nomine tenus quidem inter ſe differunt, in fundamento autem exiguum eſt diſcrimen, olea enim vulneraria non amplius ſunt genuina olea, ſed balſama liquida, cum econtra balſama vocari poſſint olea ſpiſſiora, talium balſamorũ vulnerariorum fundamentũ eſt oleum commune olivarum, cum tamen vulnera abhorreant omnia olea non deſtillata, quoniam eorũ ſorditiem ferre nequeunt, verùm longè aliter ſe res habet cum oleis vulnerariis, macerantur enim in oleo olivarum flores vulnerarii nobiliſſimi, è quibus eorum ſulphur & reſinam ſolvit, & in ſe combibit, abindeque magis ſpiſſeſcit & abſterſivum redditur, nec amplius vulneribus eſt hoſtile, ſed amicum & balſamicum, talia balſama parari poſſunt eodem modo ut præcedentia ungventa, ſi tantummodò loco butyri vel mellis recipitur oleum olivarum, & in vicem herbarum vulnerariarum, earum flores, pro formula: accipe florum ſpicatorum herbæ perſicariæ miij. roſarum rubrarum, florum cichor. & ſcabioſæ an mj. olei oliv. ℔j. lumbricorum vel cochlearum ℔ſ. aquæ pluvialis ℔ij. coque hæc prius optimè contuſa, donec aquoſitas omnis ſit abſumpta, liquorem oleoſum comprime per pannum, eique etiamnum immitte florum hyperici mij. flor. perſicar. mj. macera ea ſimul in calore ſolis per duos aut tres menſes, & erit paratum, uſus ejus eſt, ut vulneri profundo infundatur, vel cum intinctis floccis imponatur; talem autem ſanandi vulnera modum eſſe antiquiſſimum & præſtantiſſimum, hinc patet, quod etiam Dominus noſter Jeſus Chriſtus pariter ejuſmodi infuſionis olei & vini in vulnera mentionem faciat, olea autem vulgaria nullo modo vulneribus conveniunt, ſequitur ergò, quod fuerit oleum balſamoſum, per artificium ex oleo & vino paratum, uti tale oleum balſamicum Samaritanum præſtantiſſimum parare docuimus ſupra cap. 68.

Balſamum vulnerarium.

Aliud balſamum vulnerarium pro vulneratis nervis.

Balſamum nervinum.

℞. olei oliv. ℔iij. colloca illud in vaſe vitreo obtecto in loco mundo, ac ſucceſſivè luna creſcente collige ſequentes herbas, in optima ſucculentia exiſtentes, quod quum eodem tempore fieri nequeat, tota

æſtas

æſtas ad collectionem inſumenda erit, colligendo nimirum:

Rad. conſolidæ majoris, Wallwurtz ℥j.
herb. alſines, Hünerdarm.
plantagin. utriusque, breiter und ſpitziger Wegerich.
millefol. Garbenkraut.
perſicariæ, Flöhkraut.
ſaniculæ, Sanickel.
piloſellæ, Mäußöhrlein.
conſolidæ Saracenicæ, Heidniſch Wundkraut.
alchimillæ, Sinnau.
agrimoniæ, Odermennige.
centaurii minoris, klein Tauſendgülden.
ſerpentariæ, Naterzünglein.
pyrolæ ſylvaticæ, Wintergrün an. mj.

Quodlibet ſtatim poſt ſuam collectionem minutim conſcinde, in pulticulam contunde, ac protinus oleo immitte, & ſi illud non ſufficiat, plus ejus affundendum eſt, ſcilicet, ut ſaltem parumper ſupra herbas transcendat; Quando autem tota collectio & immiſſio herbarum abſoluta eſt, tum omnia coquuntur in olla vitreata, donec liquor bellè vireat, & in conſiſtentia ſpiſſiuscula balſamica appareat, ſi ejus guttula cadere ſinatur ſuper marmor lævigatum vel laminam frigidam. Tunc totus liquor fortiter per pannum comprimitur, & dum adhuc calet, etiam ℥iij. vel IV. terebinthinæ liquidæ ſubagitando ei optimè commiſcentut.

Uſus præfati balſami talis eſt: ſi quis vulnerationem cujusdam nervi patitur, isque omninò diſſectus eſt, tunc iſte acu & filo ſerico rubeo conſuatur, poſtea balſamum hoc calidiusculè mediante pluma vulneri & læſo nervo illiniatur, tumque vulnus ſequenti emplaſtro contegatur:

℞. ceræ recentiſſimæ albæ & flavæ ana ℥ij. Emplaſtrum
reſinæ pini ℥IV.
ſevi cervini ℥j.

Liqueſcat primò reſina, ac deinde reliqua immitte, & quando jam ſunt liquata invicem, ac aliquid ſpiſſi à reſina fundum petit, tunc illud cochleari ferreo exime, ac unà affunde his liquatis prædicti balſami nervini ℥IV. eaque circumagitando commiſce, ut optimè invicem uniantur, quibus ſic peractis inſperge quoque ſequentem pulverem, nimirum olibani, maſtiches, tragacanthi, ſarcocollæ ana ℥ſ. depone tunc mixturam ab igne, circumagitando tamen perge, ut optimè miſceantur, tum inter agitandum etiam infunde terebinthinæ ℥j. ac para inde manibus maſſam emplaſtri.

Porrò à Chirurgis interdum etiam alii pulveres vulneribus inſperguntur, modò ad ea mundanda, nunc profunditatem eorum carne explendam, jam hiscentia labia ipſorum contrahenda, nunc vulnus cicatrice claudendum, in genere autem triplicia medicamina cunctis vulneribus adhibentur, nempe I. Digeſtiva ſeu pus moventia. II. Sarcotica ſeu carnem gignentia. III. Epulotica, ſeu cicatricem inducentia.

Digeſtiva ſunt terebinthina, mel, Digeſtiva.

thus, maſtiche, butyrum majale, farina hordei & ſimilia, verùm quælibet emplaſtra vulneraria digeſtiva ſunt, imprimis empl. opoteldoch, ſticticum Crollii, ſanativum ſimplex & compoſitum &c. Huc etiam pertinent detergentia, & hyperſarcoſin ſeu carnem luxuriantem ſpongioſamque exedentia, ut ſunt alumen uſtum, ſpongia uſta, mercurius præcipitatus, nec non dulcis, omnium autem optimè hoc præſtat ungventum mundificativum ex melle & vitello ovi, aliaque ſupra ad mundanda ulcera propoſita.

Sarcotica. Sarcotica ſunt: ſanicula, ſcabioſa, rad. ariſtolochiæ, betonica, imprimis autem potiones vulnerariæ ex herbis pingvibus coctæ.

Epulotica. Epulotica ſunt: plantago, cynogloſſum, tormentilla, ſanicula, ſarcocolla, emplaſtrum gryſeum, ſanativum ſimp. opoteldoch, omnesque herbæ vulnerariæ aſtringentes, omnibus autem aliis facilè palmam præripit amalgama ex plumbi & mercurii æqualibus partibus in fervore commixtis, quod frigefactum & induratum pulveriſatur, ejusque una pars tribus vel pluribus emplaſtri ſanativi vel alterius miſcetur.

DE DIÆTA VULNERATORUM.

MUltam ſanationis partem ſitam eſſe in bona diæta & victu laudabili, hinc patet, quod etiam optimâ ſanitate fruentes, ſi diu victu pravi ſucci nutriantur, in morbos incidant, ac valetudinarii fiant, multò magis ergò infirmi qui jam ſunt, malâ diætâ adhuc magis infirmabuntur, imprimis autem graviter ſauciati, plurimique ſangvinis amiſſione debilitati reſtaurari minimè poſſunt niſi novi ſangvinis generatione, hoc autem non niſi victu optimè nutriente ac diætâ conveniente ſeu regimine vitæ ad normam artis medicæ inſtituto obtineri poteſt.

Diæta hæc non tantùm concernit cibum ac potum, ſed & reliqua omnia quæ cunctis hominibus in quotidiano ſunt uſu, quorum ſex præcipuè numerantur. Omnes enim mortales quotidiè 1. edunt & bibunt. 2. Excrementa excernunt, aſſumpta autem usque ad debitam concoctionem in corpore retinent. 3. Laborant ſeu exercitio corporis utuntur & quieſcunt. 4. Ambientem aërem variis exhalationibus & odoribus repletum reſpiratione indeſinenter attrahunt. 5. Affectibus animi dediti ſunt, nunc læti, jam triſtes, irati, in amorem, odium, avaritiam &c. propendentes. 6. Vigilant vel dormiunt. Horum tamen omnium nimius exceſſus vel defectus etiam optimam ſanitatem corrumpit, & morboſam demum reddit, multò magis ergò jam in morbo & debilitate conſtitutam, neceſſe igitur eſt, ut etiam vulnerati in certa eorum menſura, quæ in mediocritate ſemper optima eſt, verſentur.

Ut autem de aëre primo dicamus, is imprimis pro ſauciatis requiritur temperatus, neque enim nimis calidum nec frigidum ferre poſſunt, danda ergò opera ut ægri conclave tempore fervidæ æſtatis aliquantu-

lum

lum refrigeretur, hyeme verò calefiat. Siccitas verò vel humiditas aëris ambientis juxta neceſſitatem cujusque temperamenti ſeu complexionis corrigitur, temperatura enim calida & ſicca humectatione & refrigeratione ambientis opus habet, qualis æſtate eſſe ſolet in fornicibus & conclavibus ædium infimis propè terram exiſtentibus, quæ etiam multâ & quotidianâ pavimenti conſperſione per aquam frigidam augeri poteſt, frigida econtra & humida temperamenta juvantur ambientis caliditate & ſiccitate, quam in ejus defectu procurare & imitari poſſumus cubiculi calefactione per fornacem & fumigatione ſimilibus rebus excitata; Aſt aër putredinoſus, halitibusque fracidis vel acribus refertus cunctis hominibus eòq; magis hisce ægris noxius eſt, qualis è lacunis, paludibus, lamis fimetorum, cellis vel doliis fracidis, operationibus arſenicalibus vel aquarum ſtygiarum & ſimilibus rebus exhalat, imprimis autem fumus culinarum perpetuò reſpirando attractus admodum eſt nocivus, aliaque omnia, quæ oculos acriter mordicant, talia enim occultâ aciditate ſcatent, quæ temporis protractu pulmones & internas partes non ſecus lenta arroſione lædit, ac oculos exterius confeſtim, ubi etiam citò tolli & curari poteſt, at in pulmonibus tardè & difficulter, omnia enim mordicantia tuſſim gravem excitant, quæ ſemel excitata facilè per ſe ſubſiſtit, & tandem pulmones exulcerat, ſuoque motu vehementi etiam in vulneratis ſanationem impedit.

Cibum & potum quod attinet, talis eorum ſelectio inſtituenda eſt, unde laudabilis ſangvis generari poſſit, ſed quum non ſit in poteſtate Chirurgi, ut unicuilibet ægro de victu ſaluberrimo proſpiciat, ſed in hisce reſpicere debeat ad cujuslibet facultatem rei nummariæ, ideò nil certi ſtatui poteſt, ſemper tamen è vilioribus, ſi eis inhærendum ſit, talia ſeligantur, quæ ſanationem minimè impediant, ut ſunt cariotæ albæ & flavæ coctæ, avena & hordeum decorticata, poma & pyra decocta, tam recentia, quàm ſiccata, pruna Damaſcena, varia juſcula carnium, caponum, pullorum & ſimilia plura. dummodo noxia pravumque ſuccum generantia devitentur, ut ſunt caro porcina & porcellina, anatumque & anſerum, nec non fumata & ſale condita, lardum, ſuccidiæ, & farcimina ſiccata, braſſica recens & condita, lentes, fabæ, cepæ, ſinapi, fructus arborum crudi, nuces, aromata acriora, item omnis generis piſces, præſertim angvillæ, congri & tincæ, hæc enim cuncta ſangvinem pravum generant, & ſanationem remorantur. Potus eſſe poteſt cereviſia minus fortis defæcata, vel vinum lymphatum, præſertim ſi lymphatio fiat decoctione herbarum vulnerariarum in aqua communi factâ, præterquam in vulneribus capitis, ubi planè nullum vinum convenit, vel ullus potus fortis ſeu meracus, ſed potius aqua hordei refrigerans, in omnibus autem vulnerationibus affatim eſt bibendũ abs-

que tamen ingurgitatione magnorum hauſtuum confertim & ſubitaneè factâ; talibus enim hepar obruitur & percellitur; de cætero potus bonus & ſpirituoſus largiter aſſumptus ſangvinem probum efficit, hisque imprimis ſvadendus eſt, qui plurimum ſangvinis amiſerunt, ut ita hepar ſuccum recentem obtineat, ac novum ſangvinem generare queat; ideòque neque in fame nec ſiti ægrum verſari oportet, nec ipſi aliquid obtrudendum, quo ipſe abhorreat: uno verbo tractari debet inſtar puerperæ, pro cujusvis regionis conſvetudine, ac ægri facultate.

Ratio ſomni & vigiliæ debet eſſe mediocris & temperata, quoniam tam unum quàm alterum naturæ modum excedens nocet, ut & eorum intempeſtiva permutatio, ita ut æger interdiu dormiat, noctu verò vigilet, præterquam ubi in magnis doloribus, aliisque accidentibus ſomnus prægreſſæ noctis turbatus fuit, isque poſtero die ſi poſſit, reſarciatur.

Labor ſeu exercitium corporis & quies à ſanis quidem & integrè valentibus perpetuò alternari debent, quicunque ſanitatem amant, verùm in vulneratis idem locum non habet, ſed ipſos manere quietos oportet, donec vulnus convaluerit, attamen ſi vulnus in tali extet loco, ut ſine ejus damno vel incommodo reliquæ corporis partes exerceri poſſint, tum illud à chirurgo concedendum erit, ſcilicet exercitia omnino levia: ut ambulatio, ſeſſio & ſtatio, nocere tamen & hæc poſſunt, ſi vulnus ſit in partibus foveâ cordis inferioribus, nihilque tunc conducibilius eſt, quàm omnino quieſcere. In omnibus autem vulneribus violenta exercitatio ac imprimis venus & congreſſus cum fœminis fugienda ſunt tanquam venenum peſſimum; adhæc membrum vulneratum ita eſt reponendum, ut à poſitione hâc ipſi non emergant dolores, vel affluxus humorum attrahatur.

Retentionem & excretionem aſſumptorum quod concernit, non minoris eæ ſunt momenti aliis jam enarratis, ſed omnino neceſſarium eſt, ut vulneratus competentem cibum & potum aſſumat, & usque ad debitam concoctionem retineat, deinde verò excrementoſam ſuperfluitatem excernat. Horum ſi alterutrum in vitio ſit, ita ut vel ventriculus nihil retinere velit, ſed ſurſum vomitione vel deorſum per ventris fluxum expellat, vel excrementa in corpore retineantur, tunc per artem & medicamenta ſuccurrendum, de quibus ſupra inter affectus ventriculi actum eſt.

Affectus autem animi omnes vulneratis nocent, præter patientiam, moderatam hilaritatem, ſpem reconvaleſcentiæ, & gratitudinem erga Medicum; Imprimis autem meticuloſitas, puſillanimitas, ira, triſtitia & ſollicitudo ipſis merum ſunt venenum, quia non tantùm nil quicquam boni ſangvinis generari permittunt, verùm etiam quod ejusdem boni adhuc reliquum eſt, ad extremum usque corrumpunt, uti in omnibus melancholicis & triſtibus

bus teſtimonium habetur luculentum, evadere enim demum ſolent in hypochondriacos, qui deinceps vix ullo unquam remedio reconvaleſcere poſſunt. Proinde opus eſt, ut ægri ſibi ab iſtis caveant, alii verò qui circa ipſum ſunt, moneantur, ne ipſi per injuriam vel triſtem confabulationem autores ſint excandeſcentiæ vel mœroris.

Quemadmodum autem decrepita ſenectus variæ morboſitati obnoxia eſt, eam tantùm ob cauſam quod parum ipſi ſangvinis, exiguusque calor naturalis qui ſolùm in abundanti ſangvine reſidet, ſupereſt, ita idem quoque vulnerato evenit, qui plurimum ſangvinis amiſit, quod nimirum variâ debilitate & morboſitate affligatur, utplurimum autem tribus in ſpecie, nempe primò inſigni ventriculi imbecillitate, adeò ut nil cibi continere poſſit, ſed mox ab ejusdem aſſumptione eundem vomitu rejiciat, unde ex defectu alimenti vulnus non tantùm ſanari non poteſt, verùm etiam à violentâ vomitionis commotione admodum exaſperatur, & dolorificum redditur. Secundò urinæ ſuppreſſione, quæ vel planè non vel perdifficulter emittitur, unde facilè æſtus, inflammatio, febris & delirium vulnerarium concitantur. Tertiò obſtructione alvi, quæ quidem non adeò periculoſa exiſtit, niſi nimis diuturna ſit, demumque in iliacam paſſionem terminetur.

Ad ejusmodi ergò ventriculi imbecillitatem valent ea quæ ſupra cap. 99. & ſequentibus conſignata ſunt; Ad ſuppreſſionem autem urinæ ſuperius cap. 152. & ſequenti remedia ſunt propoſita, ventris autem duritiem quod attinet, ſuppoſitoria tantummodò & enemata in hoc caſu in ſubſidium vocanda ſunt, purgatio enim vulneratis minimè convenit, ſi verò nil levaminis afferent, ſupra cap. 109. plura huic uſui inſervientia conſignata habentur.

DE ALIIS VULNERATORUM ACCIDENTIBUS.

QUàm plurima circa graviora vulnera ingruunt ſymptomata, frequentiora autem ſunt ſequentia.

I.

DEBILITAS VIRIUM; Germ. Schwachheit der Kräffte.

OMnes graviter vulnerati neceſſariò dejectas habent vires, hæ enim cum ſpiritibus vitalibus ipſaque vita in ſangvine vigent, quo deperdito etiam ipſæ ſimul concidunt, ſi autem ſangvis gravioris vulneris ſatis tempeſtivè ſiſtitur, talis virium debilitas incipiens nil amplius periculi infert, ſed demum cum vulneris ſanatione ceſſat paulatim, at ſi ejusmodi lapſus virium valdè gravis ſit, tunc vera eſt lypothymia, his plerunque contingens, qui ex puſillanimitate à proprio conſpecto ſangvine terrentur, vel etiam profundè & periculosè, aut inſtrumentis venenatis vulnerantur.

Vulgatiſſimum autem & uſitatiſſimum ad præceps animi deliquium,

eſt remedium, ut è veſtigio ægro aqua frigida in faciem conſpergatur, tempora, nares, fovea cordis & pulſuum regio aceto roſaceo, lavendulaceo vel alio rigentur, lingva momento ſalis confricetur, ligamenta omnia veſtium conſtricta laxentur, frigidique aëris afflatus admittatur & procuretur, extremitas artuum vinculis dolorificis aliquantulum conſtringantur, jamque reviviſcenti buccella panis vino generoſo imbuta exbibeatur comedenda, ejusdemque vini hauſtulus propinetur, & ſi conjecturabile ſit, aliquid veneni vulneri ſubeſſe, illicò electuarium Orvietanum vel diaſcordium cum ſatis bona quantitate ſucci citri offerendum erit.

II.
DOLORES VEHEMENTES, Germ. heſſtige Schmertzen.

VUlneris individuus comes dolor eſt, ſicut umbra corporis, cujus cauſa eſt ſolutio continui, distractioque vulneratæ partis è ſede propriâ, item mordicatio ab aëre frigido, qui ſemper aciditatem & auſteritatem in ſe continet, intenditur quoque dolor à temperamento bilioſo mirum impatiente & furibundo, itemque ab inconvenientium medicaminum applicatione, indebitâque deligatione, illapſuve rerum in vulnus non pertinentium, vel earum quæ à propriâ naturâ proſcripta ſunt, expulſione, ut ſunt particulæ fracti oſſis, pus vel ſordes, vel ſpontaneâ corruptione incidente, omnes autem dolores vehementes periculoſi ſunt, auferunt enim ſomnum, accurſum ſangvinis & humorum ad vulnus trahunt, unde deinde major corruptio, inflammatio, ſuppuratio, & cruciatus excitantur, prioraque ſymptomata plurimum augentur, magnoperè quoque à doloribus vires dejiciuntur, nec ullum iisdem valdè ſævientibus vulnus ſanari poteſt, niſi ipſi prius ſedentur. Protinus ergò doloris cauſa disquirenda & tollenda eſt, ſolvendo indebitam deligationem, vel removendo acria medicamina, vel mutando pravum victum, vel quomodocunque peccatum, dolorique anſa data fuit, quod multis modis fieri poteſt, nempe per excandeſcentiam, diutinam moram in aura frigida vel radiis ſolis admodum ferventibus, motum corporis validum, luxuriam veneream, nimis tardam deligationem, improportionatas vulnerum turundas, violentas intruſiones linteolorum, floccorumve vel vulneris conſuitionem; quicquid ſit, aliquid malè actum eſſe, dolor declarat, ſi verò dolor ſit à læſione cujusdam nervi, quorum exigua inciſio multò dolorificentior eſt, quàm ſi omnino diſſecti ſint, tunc oleum quoddam deſtillatum, ut ſunt: oleum baccarum juniperi, laterinum, terebinthinæ, vel aliud calidè inſtillandum, calida enim nervis amica eorumque dolorum ſedativa ſunt, tum etiam linteolum in eodem oleo humectatum vulneri imponatur, ac demum emplaſtro ſtictico Crollii contegatur, contra dolo-

dolorem à frigore & convulſionem ſequens valet:

Linimẽtum. ℞. ol. baccar. junip. ʒj.
lauri ſtillatit.
ſuccini an. ʒſ.
ungvent. d. althæa ℥IV.

liqueſcant invicem, f. linimentum, quo ambitum vulneris inunge; poteſt etiam ejusdem aliquid vulneri immitti.

Si verò dolor ſit à calore; tum ℞. folia hyoſcyami recentia, nec non ſolani, aſſa ea ſimul ſub cineribus ignitis, tum contunde in pulticulam, quam cum ol. violaceo attempera in linimentum molliusculum. Sin autem dolores permagni cruciarent, tria vel quatuor grana laudani opiati, dummodò nulla cauſa vetans adſit, intra corpus ſunt exhibenda.

III.
INFLAMMATIO ET FEBRIS, *Germ.* Entzündung und Fieber.

DOlor vehemens ferè ſemper parit inflammationem & febrilem calorem, attrahit enim ut dictum eſt, ſangvinem & humores ad locum vulneratum, attractione autem factâ copioſus confluxus locum aggravat, & majus ſpacium requirit, particulæ ergò extenſibiles cedunt, & affluentes humores recipiunt, majori tamen cum dolore ob validam extenſionem, acerbus itaque ejusmodi motus, ac multitudo attracti ſangvinis & humorum neceſſariò ſe mutuò accendunt, & inflammationem accerſunt, præſertim ſi ſimul læſio alicujus nervi adſit, vel acutæ particulæ fracti oſſis pungendo dolorificæ ſint, vel caput alicujus muſculi cæſum ſit. In tali itaque inflammatione, quatenus nulla cauſa vetans concurrat, venæſectio celebranda venit ad minuendam inflammationem & affluxum divertendum, exterius verò applicari posſunt epithemata refrigerantia, eaque quæ ſupra cap. 193. propoſita ſunt, & ſi calor febrilis adſit, magno cum fructu intra corpus exhiberi poſſunt cryſtalli nitri, ut paulò ante earum confectionem docuimus, ſpina quoque dorſi inungi poteſt oleo roſaceo, pauco aceto roſaceo admixto.

IV.
PHRENITIS VULNERARIA; *Germ.* die Wund-ſucht.

PEriculosè vulneratis præſertim in capite frequens eſt febris acuta, quæ vulgò die Wundſucht oder Wundfieber id eſt affectio vulneraria vocatur, ea non ſecus ac vulgaris phrenitis morbus eſt peracutus, curſum ſequens lunæ, ac criſin faciens, pravaque ſymptomata nempe vigilias, delirium, convulſionem, multisque mortem inducens.

Hujus febris tres ſunt ſpecies, prima vocatur: das Wundfeuer / das Wundfieber oder Wundfroſt id eſt febris acuta vulneraria, quæ cum vehementi frigore vulneratum invadit, ac totum ejus corpus quatit, deinde verò ſequitur ingens æſtus atque ardor per totum corpus, febriliſque paroxyſmus pro more febri- Febris vulneraria triplex.

um acutarum. Altera Germ. dicitur die Wundgalle oder der Schauder id eſt bulla vel horror vulneris, hæc conſimili modo cum frigore vehementi vulneratum adoritur, febrilis autem æſtus non inſequitur ut in præcedente, ſed ad finem frigoris magnus dolor in vulnere ſævit, adhæc puſtula ſeu bullula pellucida exigua in ipſo vulnere prorumpit, vel etiam prope vulnus, tuncque eſt ſpadicea & ſangvine plena. Tertia Germ. appellatur das Zacken oder die Unruh/item die Wundſucht in der Wunden id eſt lancinatio, inquietudo vel furor vulneris, hæc paroxyſmum febrilem tantummodò in ipſo vulnere excitat, nempe frigoris & æſtus febrilis cum magno dolore, reliquæ autem corporis partes iisdem non affliguntur, niſi quod admodùm inquietus ſit æger, diuque in uno loco tranquillè jacere non poſſit, ſed eum ſæpè mutet, & ſe hinc inde jactet.

Signa. Signa phrenitidis vulnerariæ talia notantur; ſi nimirum poſt vulnera periculoſa notabilis ægri alteratio ingruit, tunc enim hanc ipſam affectionem imminere nemo non prænoviſſe poteſt, tum autem æger inceſſanter vigilat, valdè inquietus eſt, torvis & trucibus oculis huc illuc conſpicit, impatientem & iraſcibilem ſe præbet, ſitum membrorum ſemper præ inquietudine mutat, facies ejus aut eſt eximiè rubicunda, aut luridè palleſcens, nec tamen idem color antea fuit, ſed in ipſa alteratione ita evadit, ſudor nullus prorumpit vel admodùm difficulter, quamvis optimè æger contegatur, & in calore detineatur, quin imò corpus ejus ſponte fervidè calet, ut ut in facie pallor luridus vigeat, ſermo ejus velox eſt, quando etiam contrectatio vulneris ægro dolorem vix affert, tunc imminentia hujus affectionis in ſummo gradu metuenda venit.

Cauſa hujus febris præcipua eſt, ſi vulnus ingens & periculoſum infligitur, præſertim capiti, item vehemens excandeſcentia, aliaque animi pathemata mentem nimium alterantia, ut terror panicus vel timor, laſcivia & luxuria venerea, diæta inordinata, medicaminum inconvenientium applicatio nempe mordicantium & urentium; fervor aëris ambientis, qualis ſolet eſſe diebus canicularibus, tunc enim carnes facilè corrumpuntur, aceſcunt & vermiculeſcunt, quod etiam vulneri eadem facilitate contingere poteſt, nil enim aliud eſt hæc affectio quàm corruptionis initium, accidit quoque à nimia hæmorrhagia ſangviniſque profuſione, præſertim ſi ex more demente Italorum & Gallorum inſuper etiam venæſectio accedat. Cauſæ.

Prognoſin quod attinet, affectio hæc lethali periculo plena, plurimiſque exitioſa eſt, præſertim in vulneribus capitis, quibus tanquam morbus peracutus ſupervenire ſolet circa diem 5. 7. vel 9. quibus, imprimis verò decimo quarto, præterlapſis poſtea phrenitis hæc vulneraria non facilè metuenda eſt, præterquam in capitis & meningum cerebri vulneribus, Prognoſis.

neribus, quæ ſemper gravibus ſymptomatibus obnoxia ſunt. Tum autem præcipuè pleno paroxyſmo ſe ſiſtit; quando intus in vulnere rubor fuſcus conſpicitur, labia verò ejus luridè pallent, item quum cum lunâ decreſcente æger indies debilior fit, tunc enim cum eadem rurſus creſcente periculoſus hujus affectus paroxyſmus ſequi ſolet, pari modo ſi cum incremento lunæ gravis & uniformis ardor ægrum affligit, affectum hunc indubiè inſtare certum eſt, qui ægrum cum delirio corripit, ubi ni intra biduum vel triduum ad mentem redeat, vel altera tertiave vice paroxyſmus revertatur, mors certa eſt expectanda.

Curatio in his conſiſtit, quæ contra alias febres acutas, & imprimis phrenitidem & pleuritidem valent, in cunctis enim nihil aliud quàm aceſcentia ſangvinis corruptiva præcaveri & expelli debet, quod fit rebus alcalioſis, aciditatem imbibentibus, ſudoremque cientibus, qualia ſunt: antimonium diaphoreticum, bezoarticum minerale, oculi cancrorum, diaſcordium, mixtura ſimplex & ſimilia. Si ergò hic affectus nondum realiter incepit, ſed ſaltem imminet, prædicta in minori doſi exhibeantur, non enim tam forti ſudatione opus eſt, ac ſi jam actualiter paroxyſmus incepiſſet, ſed ſufficit ut aceſcentia, quæ initio exigua eſt, & paulatim ulterius fermentando ſe extendit, imbibatur.

At ubi jam verus paroxyſmus actualiter incepiſſet, tunc omninò neceſſe foret unam è prædictis in tanta exhibere doſi, ut ab ea ſudor benè expelli poſſit, multò verò efficacius operatur ſequens mixtura: primò deſtillandus eſt è tartaro crudo, vel, quod melius, è cremore tartari ſpiritus, qui deinde adhuc ſemel rectificandus eſt. Eodem modo quoque è ligno guajaci ſpiritus deſtilletur. ℞. tunc ſpiritus tartari ℔j. ſpir. ligni guajaci quartam libræ partem, ſpiritus vini rectificati ℔j. deſtillentur ſimul bis vel ter, ut probè uniantur; tunc

Sudoriferum efficaciſſimum.

℞. rad. dictamni
bibinellæ
valerianæ an. ℥V.
vincetoxici ʒiij.
petaſit. ℥j.
elect. diaſcordii ℥ij.

Hiſce contuſis contundendis, ſuperfunde prædictum ſpiritum compoſitum præparatum in cucurbita vitrea, ac ſuperpoſito alembico cæco omnia macerari ſine per aliquot dies, ſæpè vitrum agitando, poſtea omnem liquorem leniter usque ad ſiccitatem deſtilla, ac rurſus reſiduo ſuperfunde, macera iterum in leni calore ſimul per horas viginti quatuor, poſtmodùm quod clarum eſt, per inclinationem defunde, ac reſiduum per pannum fortiter exprime, liquori huic impone ſpermatis ceti ʒiſ. camphoræ ʒiſ. myrrhæ ʒV. omnia prius in pulverem terantur, digere hanc mixturam iterum per octiduum, ſæpè vitrum agitando, poſtmodùm denuò deſtilla, deſtillatum reſiduo reaffunde, macera per horas viginti quatuor, ac deinde liquorem cola, qui ab ℈j. ad ʒiiſ. pro

virium robore propinatur, ac quantum fieri poteſt, ſudor excitatur, ſi verò ſudor ſpontè exire nollet, uti in hoc affectu ſolenne eſt, tunc lateres calefiant, atque unà ad ægrum in lectum, ubicunque melius convenit, ponantur, eisque ſudatio promoveatur, quamdiu æger id ferre poterit.

Ne autem ab excitato hoc calore jecur lædatur, durante ſudatione cataplasma refrigerans ipſi imponendum eſt, quod ita parari poterit:

Cataplaſma refrigerans.

℞. lactis vaccini vel caprilli ℔j.
fol. ſedi major. p.ij. vel iij.
baccar. alkekeng. ℥ſ.
fœnugræc. contuſi ℥iij.
aquæ plantag. ℥ij.

coquantur in cataplasma, quod hepatis regioni imponatur, pulſibus verò manuum alligetur herba potentilla recens contuſa cum pauco ſale & aceto roſaceo, vel linteola intincta aquæ roſarum, in quo non nil ſachari ſaturni ſolutum ſit.

Vulneri ipſi quidam imponunt acetum hyoſcyami, (quod fit, imponendo aceto vini radicem hyoſcyami contuſam, eaque ſimul aliquandiu macerando in ſole) cum intinctis illi linteolis, donec calor è vulnere ſit extractus; alii inſtillant oleum camphoræ, in quo quarta ejus pars ſachari ſaturni ſit ſoluta (melius tamen operaturum arbitramur oleum hyperici, in cujus ℥j. pauci ſcrupuli ſachari ſaturni cum ʒſ. camphoræ tritæ ſoluti ſint.) Alii imponunt ungventum fuſcum Wurzii, vulnusque contegunt emplaſtro aliquo ſtictico, in circuitu verò vulneris illiniunt ungventum de althæa, donec affectio hæc omnino ſit extincta, tum enim demum ſanatio juxta vulgarem methodum ad finem perducitur, hæc ergò de prima febris vulnerariæ ſpecie ſufficiant.

Secunda ſpecies febris vulnerariæ.

De ſecunda autem ſpecie, ut pariter aliquid dicamus, ea pari modo admodum periculoſa eſt, plurimisque vitam rapit, facilè tamen ſanari poteſt, dummodo Chirurgus ejus habeat notitiam, cujus ſigna ſunt: Æger frigore & rigore afficitur eodem modo, ac ſi verâ febri laboraret, calor autem non ſequitur ut in antecedente ſpecie, neque etiam dolore capitis affligitur (niſi vulnus in ipſo ſit capite) uti ſimiliter fieri ſolet in præfata affectione vulneraria, quod apprimè eſt notandum, verùm defuncto frigore intolerabilis cruciatus in vulnere ſævire incipit, cum vehementi lancinatione & pulſatione, ut æger præ dolore quò ſe vertat neſciat, cum miſero lamento, quietus tamen etiam contra voluntatem manere cogitur, nam ſi plurimum ſe moveat, dolor inde magnoperè increſcit, quietus ergò & tranquillus permanet vel invitus, dolor tamen nihilominus magis magisque exacerbatur, at ſaltem in aliquo vulneris puncto, ubi magis ſævit, tandem verò in puncto illo dolorifico puſtula pellucida, obſcuriuscula tamen exoritur, aſt non ſemper in conſpectum prodit, ſed interdum, quando nimirum vulnus eſt profunda punctura, in profundo quoque puſtula latitat, atque oculis neuti-

neutiquam comparet, ſuſpicando autem innoteſcit, quando nimirum prægreſſum rigorem ingens dolor in vulnere ſequitur, aliquando etiam hæc puſtula non intra vulnus, ſed extra & propè illud emergit, magnitudine lentem ſaltim æquans, prædura & ſangvine turgida, vulnus ipſum non eſt mali coloris, in ambitu autem ejus tumiditas prominet.

Cauſæ. Cauſa procul dubio eadem eſt, quæ furunculorum & epinyctidum, poſſetque non inconvenienter vocari epinyctis vulneraria, his contingens vulneratis, qui ſangvinem impurum melancholicum habent, qui naturâ eſt frigidior & auſterior, parumque ſpirituoſitatis ſangvineæ poſſidet inſtar vini auſteri, quod ob paucitatem ſpiritus ardentis facilè vappeſcit, & in ſuperficie mucorem contrahit, tales itaque vulnerati in vulnere vel prope iſtud ob defectum ſpiritus ſangvinei punctum vappeſcens contrahunt, quæ puſtula eſt corruptiva, & ob acorem ſuum corruptivum immenſum dolorifica, & de foris introrſum putrefaciens inſtar maculæ in pomo putridæ, tandemque corpus gangrænans.

Progno-ſis. Prognoſis ex obſervatione talis inſtituitur, quod hæc puſtula, ſi efficacibus medelis in curriculo ſuo non impediatur, ab exteriori verſus interiora putrefacit, ac cavitatem efficit, relinquendo maculam albam cum obſcuro circulo, tumque extemplo ſequuntur maculæ atræ gangrænales, intus verò in corpore ingens ardor & æſtus percipitur cum vehementi capitis dolore, verùm iſte ardor ex mera eſt anguſtia, revera autem frigefactio & extinctio caloris naturalis, mox enim effectus frigoris nempe paralyſis vel apoplexia irruit, ſuccedente brevi totali perfrigefactione, nempe rigificante morte.

Curatio. Curatio hujus ſpeciei cum ſuperiori convenit, provocando eodem modo ſudorem, quod fieri poteſt medicamento paulò ante deſcripto vel ſolo, vel recipiendo ejus dimidium, addendoque ℈j. antimonii diaphoretici, vel ʒß. pulveris oculorum cancrorum crudorum, vel ℈j. bezoartici mineralis cum granis VI. camphoræ, quod totum pro unâ vice propinetur.

Efficaciſſimè quoque ſudorem ciet ſpiritus fuliginis, ſi ejus ʒij. vel ʒiij. in ℥iij. aquæ cardui benedicti aſſumantur, in & circum vulnus valet præfatum acetum hyoſcyami, vel prædictus liquor ſaturni & camphoræ, contegendo inſuper vulnus emplaſtro ſanativo ſimplici, vel alio ſtictico, cui tamen nullum gummi attractivum ſit admixtum.

Puſtulam autem in vulnere quod attinet, ea quidem ab excitato ſudore ſimul rumpitur, fundum tamen vulneris ſubinde relinquens frigidâ malignitate infectum coloris ſpadicei cum inflatione, imponendum ergò illi eſt ungventum mundificativum compoſitum, vel Wurzii fuſcum per unum & alterum diem, ad abſtergendum & mundificandum fundum, quo facto ſanatio perficitur emplaſtro oppoteldoch.

Tertia ſpecies Febris vulnerariæ.

Reſtat nunc tertia vulnerariæ febris ſpecies pertractanda, quæ affectio vulneraria minor, prima autem major vocatur, ſæpiusque hæc minor prodromus eſt majoris, ac niſi remediis convenientibus tempeſtivè tollatur, in majorem illam permutatur.

Signa.

Signa ejus ſunt: æger per totum corpus fit rigoroſus, mitius tamen, quàm in præcedentibus, non enim tantoperè rigor invaleſcit, ut corpus inde quateretur, ſed velut obtusè tantum in profundo corporis aliquandiu hinc inde diſcurrit, demum verò ad vulnus migrat, & intolerabiles dolores modò cum æſtu nunc frigore excitat, ægerque ſimul admodum malè ſe habet, quid verò vel quomodo ſibi ſit, definire nequit. Valdè tamen anxius eſt, & inquietus, adeò ut vulneratum membrum, ſive brachium vel crus ſit, in uno loco continere non poſſit, ſed inceſſanter poſitionem ejus mutet, ſperans ſemper meliorem doloris mitigationem ſe alibi reperturum, ſi verò vulnus ſit in trunco corporis, tunc ſæpè corpus convertit ab uno loco ad alium, & ab uno latere ad alterum, atque ita malam ſuam conditionem reddit pejorem, ſin autem vulnus ſit in capite, æger in majori verſatur periculo, quandoquidem facilimè convulſio vel apoplexia ſupervenire ſolet, aſt in quacunque ſit corporis parte, ſemper dolor pulſatilis & lancinans ſomnum omnem aufert, nam licet aliqualis ſomnus interdum obrepat, cum terrore tamen mox iterum evigilat, quoniam à lancinatione percellitur, partemque vulneratam ad ſe trahit, dormire ergò planè non poteſt, aut præ dolore quieſcere, qui etiam ab inquietudine magis invaleſcit.

Cauſæ.

Cauſæ ſunt eædem, quæ priorum ſed in mitiori gradu, & ſaltim diſpoſitio quædam ad dictam febrem, frequentior ergò hæc ſpecies eſt primâ illâ majori, & curatu multo facilior.

Prognoſis.

Prognoſin quod attinet niſi huic ſpeciei minori tempeſtivè occurratur, brevi invaleſcit magnumque excitat æſtum, quo dolores & ſymptomata augentur, donec inde major illa affectio vulneraria enaſcatur, quæ ſi talem habeat originem, penitus eſt incurabilis, qualibuscunque etiam remediis tractetur, quia ſi ambæ hæ ſpecies copulentur, tunc cum binis hoſtibus capitalibus ægro certandum eſt, effugereque exitium minimè poteſt, nemo enim unquam ex hoc certamine evaſiſſe adhuc auditus eſt, ſed omnes intra paucas horas moriuntur, antequam præfato modo ſudoris prolectio, vel alia ſalutifera remedia applicari poſſint, at ſi protinus ab initio fiant quæ decet, facilè periculum poterit evitari.

Curatio.

Curationis autem integer ſcopus in eo conſiſtit, ut magnâ cum feſtinatione ſedativa doloris adhibeantur, etiam poſthabitis omnibus aliis, ſive adſit fluxus ſinoviæ, vel pravus vulneris color, vel tumor, vel aliud ſymptoma quodcunque, pro hiſce enim cunctis ſatis adhuc temporis ſuppetet, dummodò ſaltem dolor & inquietudo vulneris prius ſublata ſint,

ſint, corpuſque iterum ad quietem perductum, ſponte enim tunc reliquorum etiam melioratio ſuccedet.

Præ omnibus autem aliis ſedativa conveniunt tam intrinſecè quàm extrinſecè, exterius quidem applicari poteſt præfatum acetum hyoſcyami, vel balſamus è ſacharo ſaturni & camphora vulneri inſtilletur, vel ungventum fuſcum Wurzii cum floccis imponatur, contegendo vulnus emplaſtro oppoteldoch, quod ſatis ſpiſsè linteo ſit inductum, tantumque ut ad 3. vel 4. digitos transverſos ultra labia vulneris undique promineat.

Intra corpus dantur laudani opiati optimè præparati grana tria usque ad ſex, ſomnusque in lecto expectetur, qui ſi intra ſesqui horam non ſuccedat, etiamnum duo circiter grana ejusdem exhibeantur, & parvo elapſo temporis ſpatio adhuc unum vel alterum granum, extendi enim doſis poterit ad duodecim usque grana, & ſubſequentur requies & ſomnus; paratio autem laudani ſupra tractatu ſeptimo primæ libri partis deſcripta eſt.

V.
PRUNA VULNERARIA,
Germ. Wundbräune.

VUlneribus magnis & periculoſis etiam ſolemne eſt induere ardorem malignum, qualis in febri ardente lingvam & fauces occupare ſolet, easque ita incendit ut præ ardore colorem furvum, badium, purpureumve acquirant, ſiccaque ac ſcabra fiant, qui affectus vulgò nigredo lingvæ, Germ. die Bräune nominatur, & à plurimis cum angina confunditur, quod Paracelſus apprimè notavit, & fuſcedinem hanc lingvæ proprio nomine diſtinxit, vocando eam prunam & prunellam, eò quod herba prunella Germ. Braunellen optimè ipſi medeatur; cum ergò ſimile quid interdum ingentibus vulneribus accidat, idem Author ejusmodi vulneris contingentiam prunellam vulnerariam, Germ. die Wundbräune appellavit.

Signa hujus affectus ſunt: ſitis magna, lingvæque ſiccitas & ſcabrities; æſtus ſubinde volubilis ægrum infeſtat, alvus utplurimum eſt aſtricta, urina tam in hoc quàm præcedente affectu rutilat. Vulnus conſimili modo ſiccum eſt, & absque pure, nec purulentum vult evadere, ſed humiditas aquoſa ſaltem aliquando emanat, vel etiam fortis nonnunquam pulſatio in illo percipitur, atque hæc ambo ſigna indubii ferè prænuncii ſunt ſubſecuturæ hujus prunæ, labia vulneris ſubdura ſunt, & ad latera prominent, vulnus ipſum rubet inſtar carnis fumatæ, & in circuitu fit ac ſi ligneſceret. Hoc autem ſubintelligitur, de ejusmodi vulneribus, quæ in loco ſunt periculoſo, qualia ſunt, ſi majores diſſecti ſint muſculi, vel articuli graviter vulnerati, talibusque in vulneribus exacto die quarto, ſexto, octavò vel nono pus viſcidum occurreret inſtar tenacis muci adhæreſcens, quod non niſi per vim loco moveri & expurgari poteſt, vulnusque ſimul gra- Signa.

veolet, quæ omnia certa ſunt præſagia prunæ vulnerariæ fortioris, & quandoque etiam phrenitidis paulò ante deſcriptæ, interdum etiam uterque affectus atque aliquando plures ſunt complicati, prout etiam affectus hi inflammatorii inter ſe mutuo ſunt cognati, unusque non rarò ab altero gignitur.

Cauſæ. Cauſa hujus prunæ eſt aceſcentia vulneris, quod tempore fervido ab ambiente aëre facilè aceſcit, uti nos quælibet caro recens docet, quæ in fervidâ æſtate vix per unicam diem aſſervari poteſt, quin aceſcat & corrumpatur, ita etiam pruna vulneris nil aliud eſt quàm ejusmodi aceſcentia corruptiva, quæ per alcalia inhiberi debet.

Prognoſis. Prognoſin quod ſpectat, pruna vulneraria promptè in gangrænam degenerat, præſertim in vulneribus brachiorum, crurumque, quum in extremitatibus eorum, ſcilicet digitis manuum ac pedum dolor lancinans & pulſatilis moleſtat, ſecuturam enim ejusdem vulneris gangrænam prænunciat.

Curatio. Curatio hujus prunæ in eo conſiſtit, ut ſangvinis calor per interna frigefacientia alcalioſa reſtingvatur, quod optimè præſtat nitrum per ſulphur purgatum & cryſtalliſatum, ut ſuperius doctum eſt, prout etiam idem nitrum per ſolam gargariſationem prunam lingvæ & faucium efficaciter ſiſtit, idem ergò ab ejusdem interno uſu longè efficacius in ſangvine & vulnere fieri poſſe, probabile eſt, ℞. itaque nitri cryſtalliſati ℥ſ. camphoræ ʒj. tere hæc invicem in pulverem, quem divide in quatuor partes, unamque ſtatim in ℥ij. vel iij. aquæ cardui benedicti exhibe, elapſisque horis tribus, quatuor vel ſex partem alteram, ſi opus ſit, poteſt quoque ſimul vena aperiri.

Exterius ſpiritus ſalis armoniaci urinoſus, cujus confectio ſupra cap. 171. extat, cum dimidiata ejus parte aceti roſacei vel florum ſambuci miſceri, eoque cum ſpongia molli vulnus tepidè foveri & probè elui poteſt, merum enim hic ſpiritus eſt alcali volatile, ac incipientem vulneris aciditatem mortificat; aſperitas autem vulneris refractaria mitigatur, ſi præfati aceti una pars, mellis deſpumati duæ partes, phlegmatis vitrioli quarta pars commiſceantur, & in linimentum coquantur vulneri imponendum; at ſi jamdum magna inflammatio gangrænalis incepiſſet, tunc ea lixivio acri quercino, in quo radices filicis decoctæ ſint reſtingvenda, reliquaque ſanatio emplaſtro oppoteldoch perficienda foret, vitando iram, aromata, vinum, luxuriam veneream, & quicquid ſangvinem calefacit.

VI.

TITILLATIO ET FORMICATIO VULNERUM;
Germ. das Kitzlen der Wunden.

INterdum vulneribus titillatio quædam ſeu quaſi vermiculatio ſupervenit, in qua in vulnere primo ardor & dolor perſentiſcitur, deinde quaſi ſerptio ſequitur, ac ſi multitudo formicarum in eo reperet, cum puncti-

punctiunculis & dolorculis, uti his contingit, quibus interdum in ſomno ſedentario pes ſtupeſcit, vel ut vulgus ait, indormiſcit, ac poſtmodùm ad ſenſum redit, quemadmodùm etiam ſæpè contingit in perfrigeratione manuum & pedum tempore hyberno, earumque recalefactione. Hoc autem nil aliud eſt quàm affluxus & refluxus ſangvinis, in vulnere verò affectio quædam frigida nervorum, medenda oleis deſtillatis, ut ſunt: oleum Philoſophorum ſeu laterinum, laurinum ſtillatitium, lavendulæ, rubrum terebinthinæ, infundendo ea vulneri, ſunt enim nervis amica.

VII.
PROFLUXIO SYNOVIÆ;
Germ. das Gliedwaſſer.

Ucculentia corporis albedinis aqueæ, qualis in articulis, pericardio, oculis, glandulisve deprehenditur, nomine proprio ſpecifico aptoque antehac caruit, vocarunt enim eam Authores ſatis ineptè ſaniem aquoſam, item ſerum ſangvinis; Paracelſus autem pro quibusdam rebus alia nomina excogitavit, vocatque talem ſuccum corporis humani aquam glarealem, ſpecificum autem nomen hujus ſucci aquoſi in articulis exiſtentis ab eodem dicitur ſinovia, Germ. das Gliedwaſſer (ſuccus verò arborum ipſi eſt Derſes, herbarum Leffas, lapidum Enur, metallorum Stannar &c.) Quemadmodùm autem ejusmodi Derſes ſi ex arbore betulæ vulnerata totaliter emanat, in cauſa eſt quod dicta arbor penitus exareſcat, ita idem quoque in homine accidit, ut ſi ſuccus hic ſinovialis omnimodè ex vulnere quodam effluat, homini deſuccato aut ſit moriendum, aut ſi fortunatior ſit, illud membrum, è quo ſinovia effluxit, contabeſcat.

Sinovia hæc nihil aliud eſt, quàm ſangvis albus lunaris inſerviens vaſis albis, ut ſunt cerebrum, nervi, medulla ſpinalis, tendones, ligamenta & cartilago, cum è contra ſangvis ſolaris in vaſis rubris contineatur, ut ſunt cor, pulmo, hepar, & lien cum venis & arteriis eorum. Sunt tamen quidam, qui præter hanc ſinoviam articulis etiamnum peculiarem ſuccum tribuunt, quem gluten apellant, cujus parvam quantitatem adeſſe volunt, nempe tantam, ut ſaltim motus articulorum in lubricitate conſervetur, ſiq; in aliquo membro integra per effluxum ejus deperditio fiat, tunc membrum illud reddi immobile, nec ulla arte reſtaurari poſſe. Verùm hoc omni rationi repugnat, niſi enim talis humor articulorum quotidiè regigneretur, aut ad minimum indies tenuiori ſucco dilueretur, neceſſariò intra paucas ſeptimanas inſpiſſatio & induratio ipſius ſecutura eſſet, ita ut gummeſceret in modum maſtichis vel tragacanthæ, quoniam non modò corporis calor eum continuò decoquit, verùm etiam indeſinens articulorum motus & circumactio de hora in horam ipſum inſpiſſat & conglutinat, uti ſemper à continuo motu fit, ejusque luculentum habemus teſtimonium quotidianum in auriga-

rum

rum communi ungvento, quo axes rotarum ad lubricandum aurigationis motum indies largiter perungunt, hoc enim ante ſuam inunctionem planè fluidum eſt & ſubtenue, nihilominus tamen à continuo circumactionis motu intra breviſſimam moram adeò inſpiſſatur, ut nil quicquam fluiditatis in eo remaneat, ſi ergò hoc fit in inſtrumentis omnis actualis caloris expertibus, quid non futurum eſſet in liquore lubricativo articulorum die ac nocte calente, & ſponte ad indurationem prono, uti quotidiana lachrymarum & muci narium concretio oſtendunt, niſi inceſſanter novo attracto humore tenuiori dilueretur? Quod autem ab effluxu glutinis alicujus articuli immobilitas ipſius ſequi ſoleat, procul dubio læſio iſtius articuli in cauſa eſt, quod nimirum nullum amplius humorem attrahere queat, alioquin ſi illæſus articulus permaneat, ſemper recens gluten à genere venoſo albo ad ipſum mitti, rationabile eſt, ut inde de novo diluatur, bonam etiam ejus partem indies atterendo conſumi, & ſorditie tenus per poros expelli.

Nunquam autem ſinovia purulentatur ſeu in pus mutatur, quoniam ob ſui macritudinem ad pus gignendum inhabilis eſt, aſt nonnunquam acrem ſalſedinem aſſumit, eâque nervos arrodit, ita ut magna ulcera, valdèque dolorifica efficiantur.

Curatio. Curatio profluvii ſinoviæ non fit rebus ſiccantibus & aſtringentibus, uti multi falſò ſunt perſvaſi, applicantque crocum martis, bolum Armenum, terram ſigillatam, oſſicula lucii, calcem putaminum ovorum aliaque conſimilia fruſtraneo eventu, ſed ſolùm ſperanda eſt ab emplaſtris & ungventis vulnerariis eximiis, prout & ungventum fuſcum Wurzianum eam brevi ſedat, ſi vulneri infundatur, vel ſi profundum vulnus ſit, ad ſoliditatem coquatur, ac in turundas formetur, quæ cavitati imponantur, atque os vulneris emplaſtro ſtictico contegatur.

Non rarò etiam effluens ſinovia alium corporis humorem vitioſum admixtum habet, quod ex ipſo humoris effluentis colore dignoſcendum eſt, ſinovia enim impermixta colorata eſt inſtar albuminis ovorum; per admixtionem verò alterius humoris hic calor immutatur, ita ut ſi phlegmaticus humor è capite & cerebro admiſceatur, tunc fluxus albeſcit inſtar ſeri lactis, à biloſa acceſſione flaveſcit, ac ſi crocus in eo eſſet ſolutus, ſi rubeſcit, inſtar loturæ recentium carnium, tunc admixtio ſangvinea è jecore, ſplene, renibus, vel genere venoſo rubro immiſtus eſt; omnium autem periculoſiſſimus eſt color albidus, ſignificat enim defluxionem frigidam è capite, unde facilè paralyſis alicujus membri produci ſolet; color verò rubeus defectum ſangvificationis denotat, taliſque affectus omnium maximè diuturnus eſſe conſvevit, flavus autem ſuperfluitatem bilis deſignat, proclivitatemque protendit ad phrenitidem vulnerariam & gangrænam.

Hoc

Hoc ſi eveniat, tali modo procedendum eſt, ſi defluxionis ex capite indicium adſit, purgetur caput pilulis angelicis, vel de ſuccino Cratonis bis vel ter, deinde ad confortandum ſequentes morſuli conveniunt:

Morſuli. ℞. pulv. ſuccin. albi ℥j.
ol. nuc. moſchat. expreſſ. ℈ij.
ambræ griſ. gran XV.
pulv. cubeb. ℈j.
moſchi gr. VIII.
ſachari in ſucco cydoniorum diſſoluti q. ſ.
f. ſ. artem morſuli.

Exterius omni veſpera ſuffumigatio fieri poteſt hoc pulvere:

Suffumigatorium. ℞. pulv. ſuccin. alb.
ſtyrac. calamit. an. ℥j.
maſtich.
tacamahac. an. ℥ſ.
ambræ gran. VI.

m. pro ſuffumigatorio, de quo particula prunis injiciatur, fumusque per infundibulum aperto ori & faucibus immittatur, idque ægro jam cubituro, cum reiteratione per aliquot dies, diætâque debilitati capitis conveniente, vulnus autem ungventis & emplaſtris tractetur, ut paulò ante dictum eſt.

In fluxu autem rubido ratio habenda eſt jecoris & ſplenis, ut confortentur, & ab obſtructione vindicentur, uti ſupra in eorum capitulis dictum eſt.

Fluxu verò flaveſcente ea conveniunt, quæ ſupra ad icterum propoſita ſunt.

VIII.
FLUXUS SANGVINIS VULNERUM, *Germ.* Bluten der Wunden.

HOc loco per fluxum ſangvinis neutiquam intelligenda eſt hæmorrhagia illa cuilibet recenti vulneri ſolemnis, cujus etiam inhibitio vel ſuppreſſio ſuperius tradita eſt, verùm hîc ſermo eſt de ſangvinis eruptione, quæ è vulneribus dudum poſt eorum inflictionem demum contingit, præter opinionem, ubi potius ſpes eſſe debebat, vulnus jam jam ſanatum & conſolidatum iri; tum autem probè advertendum eſt, num vulnus ſponte & ſine ulla data occaſione, vel ab immiſſo aliquo inſtrumento irritatum ſangvinem emittat, idque multum vel parum, ſi ergò propriâ ſponte erumpat, ſignũ eſt particulam fracti oſſis acutam eſſe ſolutam, ac foràs tendere, imprimis ſi intra vulnus etiam punctio & dolor ſentiantur, quando quis manu vulnus contrectet, ſangvisque emanans purus ſit, & bellè rubeat.

In tali autem caſu neceſſum eſt, ut aliquid ſubacris, cum turundis imponatur, nimirum balſamum quoddam eſurinum, quale paratur ex oleo hyperici vel ſaltem communi, cum aliquo corroſivo, nempe butyro antimonii, oleo mercurii rubro, vel ſpiritu nitri cocto, donec in balſamicam conſiſtentiam abeant, vel in ejus defectu ſaltem ungventum Ægyptiacum vulgare, à tali ergò balſami vel ungventi acredine oſſiculum illud ſtimulatur, ut penitus

ab oſſe, cui parumper adhuc adhæret, decedat, & foràs pellatur, vel ſaltem ita ſolutum appareat, ut apprehendi & extrahi poſſit, expectandum tamen eſt, donec ſponte oſſiculum abſcedat, non autem inſtrumento in profunditate vulneris circumagitandum, ne oſſiculum illud contra nervum prematur, ingensque dolor vel convulſio concitetur.

Sin autem confertim ſangvis emanaret, ſiſtendus eſt vulgaribus ſangvinem cohibentibus, non autem eluendo ſangvis è vulnere tollatur, adjuvat enim apertionem venæ obturare, ita ut ſangvis ſecuturus exire non poſſit, tum verò quotidiè ungventum vulnerarium vulneri imponatur, apertionem enim venæ carne explet, quâ ſangvini exitus denegatur, uno verbo ungventum fuſcum & emplaſtrum oppoteldoch utramque paginam abſolvunt, ſangvinem enim paulatim inhæreſcentem educunt, & totam ſanationem perficiunt. At ſi vulnus ſaltem eſt cruentum, nil autem ſangvinis emanat, tunc ſignum eſt, deligationem vulneris nimium compreſſam eſſe, ægrumque ſangvine abundare, ligatura itaque impoſterum debet eſſe laxior, imò etiam in reliquo corpore, ſi ullibi à veſtibus nimium arctis fiat compreſſio, ea relaxetur, aliàs ejusmodi compreſſione facilè ſangvis ad vulnus premendo truditur.

IX.

CONVULSIO VULNERATORUM; Germ. Krampff der Verwundeten.

Convulſio & delirium non tantùm in febre acuta vulneraria ordinaria ſunt ſymptomata, ſed extra eam etiam convulſio contingere ſæpè ſolet, quando nimirum vulnerati refrigerantur, detinendo ipſos in loco frigido, vel auræ frigidæ concedatur acceſſus afflatusque in vulnus, item quando nervus aliquis eſt læſus, vel caput alicujus muſculi inciſum, in hoc autem caſu ſpasmus præcaveri vix poteſt, at ille qui à perfrigeratione venit, avertitur arcendo frigus, nervi enim & genus venoſum album nullo modo frigus perferre poſſunt, ſed quamprimum per vulnus apertum aëris frigidi afflatum ſentiunt, contrahunt ſe inſtar hominis algentis, qui humeros præ frigiditate contrahit, demumque convulſionem faciunt.

Cavendum itaque ſedulò eſt, ne in ulla deligatione vulnus diu relinquatur apertum, ſed quàm citò fieri poſſit, deligatio feſtinetur, curam ſimul habendo, ne æger per ſpontaneam incuriam ſeipſum perfrigeret; Adhæc in deligando oportet punctualem eſſe, ne ſordes diutius quàm par ſit, in vulnere relinquantur, cauſaque ſic fiant doloris, quem facilè ſpasmus ſequi poſſet.

Si quando itaque ſpasmus in vulnere excitaretur, ubi ſuſpicio eſſet vulnerati nervi, tunc neceſſum foret ungvento alicui vulnerario miſcere

ſcere bonam quantitatem olei terebinthinæ rubri, eamque mixturam vulneri imponere, in circuitu verò ejus inungi poteſt oleum Philoſophorum, vel aliud deſtillatum, omnibus autem aliis contra ſpasmum nervorum valentibus palmam ferè præripit oleum lavendulæ ſtillatitium, ſi eo locus ſpasmicus calidè perungatur, atque etiam ejus parum intra corpus aſſumatur, arcendo ſimul omnem auræ frigidæ acceſſum. At ſi ſpasmus eſſet in manibus vel pedibus, ac ſolvi nollet, tum incoqui debent folia & flores hyperici, camomilla & anetum in acri lixivio, eoque pars ſpasmica per ſemihoram quàm calidè tolerari poſſit, fomentetur, ac deinde vulnus confeſtim deligetur, ne iterum aëris frigidi afflatus admittatur.

Ubi verò ſpasmus cauſaretur à vulneribus capitis, vel etiam ad præcavendum illum, ante quamlibet deligationem cervix & ſpina dorſi inungantur oleis calefactivis, quale eſt oleum ſuccini, cui ad corrigendum odorem aliquid olei cinamomi vel caryophyllorum addi poteſt:

Ungventum.

Vel ℞. ol. lumbricor.
de caſtor. an. ℥VI.
axungiæ human.
vulpin.
ol. nucis moſchat. expreſſ.
an. ℥ij.
ſpiritus vini ℥iſſ.

coquantur donec ſpiritus vini evaporet, tum adde

ol. rorismarin.
lavendulæ
ſuccini an. ʒj.
m. f. ungventum.

X.
PERTINACIA VULNERUM; *Germ.* Widerſpenſtigkeit der Wunden.

Aliquando perſanatio vulnerum nullis poteſt mediis obtineri, qualiscunque cura adhibeatur, vel ſi ad tempus cicatriſentur, brevi tamen recrudeſcunt; In tali itaque caſu indaganda eſt occulta cauſa, quæ plerunque eſt ab internâ obſtructione alicujus meatus, uti fit ſi via excretionis menſtruæ in fœmina obſtruatur, eaque interim alicubi vulneretur, tum enim ejusmodi vulnus nullo modo conſtanter cicatriſari poterit, niſi prius præfata via reſeretur, menſtruaque purgatio debito ordine procedat; Nec eſt quod ſperare quis vellet, internis exhibitis medicamentis tum obtineri poſſe, ut tam obſtructio menſium, quàm vulnus ipſum unâ operâ curentur, quum potius tunc vulnus ab his quæ aliàs menſes expellunt, intrò acceptis, pejoreſceret, virtus enim eorum expulſiva jam fertur ad vulnus, potius quàm ad uterum, majoremque affluxum iſtuc derivat, & inſanabilius illud redditurum eſſet. Proinde in hoc caſu ſaltem externa medicamina applicanda ſunt, nempe peſſi, in quem uſum inſervit ſacculus pulvere myrrhæ repletus, vel peſſarium è radice hellebori utero inditum, item ſuffumigatio è ſulphure antimonii, uti pluribus indicatum fuit ſupra cap. 163.

Simili ratione ſi quis antea paſſus ſit fluxum hæmorrhoidum, isque poſtmodum penitus ſubſiſtat, talis autem interea vulnus accipiat, illud difficillimæ ſit ſanationis, aut ſi quis clanculum aliquo modo infectus ſit lue Gallicâ, ac inſuper vulneretur, tunc infectio ſociatur vulneri, unde illud jam aliam curandi rationem requirit, vulnus enim fit corroſivum, & ſerpendo depaſcitur, ſin autem quis ſperaret malignitatem ejus applicatione cujusdam ungventi, cui mixtus ſit mercurius dulcis vel præcipitatus edomare, ea potius augebitur, totusque ille occultè quieſcens morbus in actum, ac æger in periculum deducetur. In tali ergò caſu ungventum mundificativum compoſitum vulneri non eſt applicandum, quoniam mercurius præcipitatus illud intrat, ſed ejus locum ſubire debet ejusmodi balſamum eſurinum ex oleo & ſpiritu nitri confectum, ut ſupra edoctum eſt, vel paretur tale ungventum:

Ungventum.

℞. croci martis ℥ſ.
æruginis ſubtiliſſ. tritæ ʒij.
aloë hepaticæ ʒj.
olibani
myrrhæ an. ʒj.
olei oliv. ℔ſ.
terebinthinæ
ceræ an. ℥iſ.
vernicis ℥ſ.

liqueſcant vernix, cera & terebinthina ſimul, ac reliqua ſubtiliter pulveriſata ſenſim ſubagitando admiſce, continuando ſubagitationem, donec mixtura refrigeſcat, hoc ungventum tali ſuſpecto vulneri imponatur, contegendo illud emplaſtro ſtictico.

XI.

TUMOR VULNERUM; Germ. Geſchwulſt der Wunden.

Vulneribus recentibus naturale & ſolemne eſt intumeſcere, rurſusque à ſanatione detumeſcere, verùm de hoc tumoris genere hic ſermo non eſt, ſed de eo, qui interdum vulneribus jam integrè & ſine defectu ſanatis ſupervenit, illud enim membrum in quo vulnus hæſit, ſanatione & cicatriſatione vulneris jam completâ, turgeſcere & tumere incipit, absque tamen doloris perceptione, colorisve mutatione, imò ne quidem contrectatio loci tumentis dolorifica eſt, & quamvis nullum penitus medicamen applicetur, tumor tamen tribus circiter vel quatuor elapſis ſeptimanis ſponte iterum abit, ſed tum paulatim quidam eodem loco exurgit, ſenſim increſcens dolor, quocum ſubſtantia iſtius membri unà cum tumore inſenſibiliter evaneſcit, ita ut tumore omni ſublato, etiam omnis carnoſa & plenaria ſubſtantia penitus evanuiſſe & conſumpta videatur.

Ad hunc itaque tumorem emplaſtrum ſequens Chirurgis in uſu eſt:

Emplaſtrum.

℞. farinæ fabarum ℥iij.
lupinorum
rad. ireos Florent. an. ℥j.
gumm. ammon. ʒVI.
flor. lupuli ʒij.

pulveriſata hæc coquantur in aceto vini ad pulticulam, tum

℞. maſſæ

℞. maſſæ empl. diachyl. ſimpl. ℥V.
ol. aniſ. ℥iij.

colliqueſcant invicem, liquata præfatæ pulticulæ agitando admiſceantur, de hac mixtura ſ. q. inducatur linteo, & calidè tumori ſuperimponatur, idemque quotidiè repetatur, & intra pauculos dies tumor evaneſcet, nec contabeſcentia membri ſequetur, hoc enim cataplasma flatuoſitates diſſipat, expellit & abſumit, quæ alioquin, ſi ſponte exhalarent, ſpiritus ſangvineos ejusdem membri ſecum raperent, facultatemque attractricem perfrigerarent, inhabilemque redderent ad attrahendum ſpiritus ſangvinis ac nutrimentum, unde neceſſariò membrum illud contabeſceret.

Conſimilem operationem etiam alia plura præſtant, quæ nimirum ventoſitatem & flatus ex innata proprietate diſſipare ſolent, qualia ſunt: cuminum, baccæ lauri, aniſum, fœniculum & ſimilia;

Præter hunc adhuc aliud tumoris genus in his ſæpius occurrit, quibus tartarea coagulatio nempe calculus, ſabulum, & arena familiaris eſt, quando fortè fortuna in articulis manuum vel pedum læduntur, talique læſioni ſymptoma aliquod nimirum bilioſa defluxio, febris vulneraria &c. ſupervenit, tunc enim materia pituitoſa à calore felleo ejusque acredine coagulatur in concretionem tartaream, quæ deinceps nullis ungventis vel fomentis reſolvi & diſſipari poteſt, niſi prius tartarus per ſalſa & nitroſa reſolvatur, & in ſuccum aqueum redigatur, tum demum enim & non antea expulſioni auſcultat.

In hisce autem à chirurgis ita proceditur; accipiunt urinam pecorum præſertim ovium & caprarum, à quibus planè nitroſa provenit, hujus menſuras aliquot deſtillant è magna cucurbita vitrea ad ſiccitatem usque, reſiduum in fundo, quod vulgo caput mortuum appellatur, crucibulo immittunt, & in igne forti percandefaciunt, candefactum in aquam communem conjiciunt, ac ſolvi ſinunt quicquid ſalſedinis ineſt, ſolutionem filtratam ad ſiccitatem evaporant, ſali in fundo remanenti addunt ſalis gemmæ, vel marini, vel centralis (ita enim vocatur ſal in nitri clarificatione recedens, & ſalis communis ſaporem referens) libras ſex, liquoris è præfata urina deſtillati libras tres, aquæ pluvialis tantum, ut hæc ſalia penitus ſolvi poſſint, ſolutio tamen adhuc ita ſpiſſa maneat, ut ovum crudum ſine ſubmerſione ipſi innatet, quod ſi plus aquæ communis additum ſit, partem ejus evaporare permitte; liquore hoc ſalino, membrum tumidum quotidiè fomentatur, & intra paucos dies materiam tartaream reſolvit, ſive ſit in talis, genubus, vel cubitis, tumorque absque ullo alio auxilio adhibito diſſipatur.

XII.
SANGVIS SUBCUTANEUS CONGELATUS, SEU SUGILLATIO; Germ. untergeronnen Blut.

MAgnæ plagæ partibus carnoſis inflictæ, cute tamen manente

 integrā

Vulnus cœcum. integrâ vulnus cœcum efficiunt, quando nimirum ſangvis ſub cutem eſt ſuffuſus, à cute verò non diviſâ concluſus, ſub qua mox congelatur, ac per cutem colore livido apparet, tales itaque lividitates ab ictu vel plaga vocantur peliomata, ecchymoſes, ecchymomata, & ſugillata, & niſi ejusmodi ſangvis ſubcutaneus congelatus iterum ſolvatur & diſſipetur, in ſuppurationem abit, excitatque apoſtema; talis autem ſangvinis concretio in dies duplici modo contingit, nimirum vel exterius ſub cute & carne, vel interius in profundo corporis per lapſum, alliſionem, ictum, ubi colliſione partium durarum adverſus molles poteſt fieri contuſio, vel venæ alicujus ruptio, ita ut hinc ſangvis vel eodem modo in loco contuſo, ut ſæpè fit exterius, ſuffuſus concreſcat, vel per ruptionis aperturam effluat in proximam cavitatem, ibique coaguletur, ac periculoſa producat apoſtemata interna, niſi ſangvis concretus tempeſtivè diſſolvatur & educatur.

Pelio-mata.

Hoc autem optimè præſtat centaurium minerale, vel aqua benedicta Rulandi, diſſolvit enim illud, & per omnia emunctoria evacuat, quod alìàs ab ejusmodi colliſionibus in corpore colligitur, periculoſamque febrem & internam apoſtemationem excitare ſolet; In eundem quoque uſum multa alia inſerviunt, ut ſunt oculi cancrorum, rhabarbarum, mumia, ſperma ceti, carbones tiliæ, terra ſigillata, bezoarticum animale & minerale, & quicquid diaphoreticum vel diureticum eſt, vel obſtructiones hepatis & lienis aperit, quemadmodum etiam ungventum rubrum potabile officinarum egregium uſum præſtat in ejusmodi internis colliſionibus & ſangvine concreto, ſi omni manè & ſerò ejus ʒij. vel ℥ſ. in aqua cherefolii vel ſcabioſæ hauriatur, item pulvis qui in officinis vocatur: Contra caſum.

Ex hisce jam enarratis in uſum vocari poterit, quodcunque lubet, ſi modò ex his quæ purgant, aliquid addatur, vel unà cum illo impotetur, ſcilicet rhabarbarum, ſena, jalappa &c.

Sangvinem autem ſubcutaneum quod attinet, is ab oxycroceo communi optimè diſſolvitur, item ab emplaſtro diſſipativo ſuperius cap. 193. deſcripto; item ab ungvento alabaſtrino. Chirurgis verò in hunc finem in uſu eſt emplaſtrum ex aſtringentibus, ut ſunt: lapis calaminaris, terra ſigillata, bolus Armenus, ſangvis draconis, ceruſſa & ſimilia, eam ob cauſam, quod omnis ex propriis vaſis elapſus ſangvis reſolvatur in aquam, tuncque à talibus externis impoſitis exſiccetur & abſumatur; humectantia autem & ſordida cataplaſmata nociva exiſtimant, quoniam ab eis ejusmodi ſangvis facilè in ſuppurationem & putreſcentiam trahatur, unde difficilia apoſtemata gignantur; verum enim verò ſi ejusmodi applicata humida talis ſint qualitatis, ut ſangvinem ſubcutaneum paucis horis diſſolvant & diſcutiant, cujusmodi eſt bryonia raſa, tunc ejusmodi ſuppuratio metuenda non erit.

At

At ſi intus alicubi corporis quædam inſignis concreti ſangvinis copia lateat, nec medicamina convenientia tempeſtivè propinentur, tunc ſangvis ille extravaſatus putreſcit, & ſuppurationem efficit, nec amplius internis vel externis medicaminibus diſſolvi poteſt, debiliora enim ſunt talia aliaque cuncta officinalia, quàm ut internas vomicas diſcutere poſſent, de ſolo autem mercurio benè præparato exempla ſunt, talem nobilem operationem ab ipſo propinato præſtitam fuiſſe, uti pluribus indicatum fuit ſupra cap. 83.

XIII.

CONGESTIO SINOVIALIS; Germ. der Knopff.

QUemadmodùm ſangvis rubeus arterialis & venalis à vehementi contuſione extravaſatur, & in alienis cavitatibus protinus concreſcit, ita ſimile quid contingit ſangvini albo nervali, nimirum ſinoviæ, ut à valida concuſſione ictuve adverſus aliquem nervum facto ſangvis ille ſeu ſuccus nervalis ad locum concuſſum confluat, uti imprimis fieri ſolet in manibus & pedibus, quoniam dictis in locis plurima oſſicula & nervi concurrunt, ideòque ſi vehemens alliſio per ictum vel jactum contra manum vel pedem vibretur, ſinovia incipit ad contuſi loci juncturam confluere, concurſuque ſuo tumorem ibidem excitare, confluxus enim locum extendit, ut protuberatio ſequatur, imperitus verò æger id non advertit, putans iſtam protuberationem eſſe tumorem ordinarium, eumque negligit, vel debita medicamina non applicat, ſuâque imperitiâ ingentis calamitatis cauſa eſt, ut ſequitur; Quando nimirum nervus aliquis vel tendo violento ictu contunditur vel læditur, tunc ſuo more ſuccū ſuum ad locum contuſum mittit ad auxilium ferendum parti læſæ, cute autem externa non diviſa concurrens ſinovia exitum non habet, atque ita intus congregatur, cavitatemque explet, ita ut mox majori ſpacio pro confluente ſucco opus ſit, ſuccedit ergò loci protuberatio, quumque ſinovia ſit humor macer & tenuis nunquam ſuppurabilis, ideò fluxio ejus eò eſt ſubtilior, ac facilè ſalſedinem aſſumit, qua nervos arrodit, qui acutiſſimo ſenſu præditi ad furorem irritantur, exardeſcunt, aut ob defectum aëris præfocantur, atque ſic facilè corruptionem patiuntur, id quod potiſſimum contingit in manibus & pedibus ut dictum eſt, ob copiam generis venoſi albi, nec non oſſiculorum ibi concurrentium, paucitatemque carnis, quamvis interdum etiam alibi corporis contingere poſſit. Quum ergò ſinovia ſit coloris aquei, nec in modum ſangvinis concreti ſubcutanei tingere poſſit, ideò in ejus confluxu ſuppelleo exigua aut nulla lividitas, qualis in aliis locis à violenta contuſione oboriri ſolet, apparet, ac propterea ab imperito Medicaſtro vilipenditur, quaſi parvi ſit momenti, feſtinatoque ut decebat, auxilio ipſi non ſuccurritur, malum autem interim invaleſcit, & inſanabile evadit.

In

In tali itaque caſu vigilanti curâ attendendum eſt, ut ſi ulla contuſio violenta adverſus manus, cubitos, pedes aut genua per ictum, lapſum, jactum alliſionemve contingeret, locusque intra paucos dies intumeſceret, ac ingentes ſenſimque magis ac magis augeſcentes dolores concitaret, absque ullis ſangvinis ſubcutanei concreti aut læſionis articuli alicujus fracturæve notis, tunc procul dubio initium congeſtionis ſinoviæ adeſt, quæ quidem non concreſcit ut ſangvis, cui ſolummodò ut lacti jus concretionis competit, ſangvis enim veluti lac rubicundum dici poteſt, lac verò ſangvis albus, & utrique caſeoſitas ineſt, quæ minima adventante aciditate ad fundum præcipitatur, ſinovia verò neque concreſcit nec in pus transit, at corruptivam qualitatem habet, quâ nervos corrumpit indubiè, niſi confeſtim illud avertatur, quod fit, ſi ſub tumore mediante ſcalpello fiat profunda inciſio, usque ad cavitatem, congeſtaque ſinovia emittatur, ac probè exprimatur, quo facto ungventum mundificativum imponatur, vulnusque emplaſtro ſanativo ſimplici vel alio defenſivo contegatur, at non cataplasmate calido, talia enim præfocant nervos, ac corruptionem compromovent.

Sin autem tumor retrorſum pergeret, effluensque humor copioſius procederet, hoc indubium eſt ſignum, nervos jam dum arroſionem eſſe paſſos, in tali autem caſu ſupra tumorem pari modo molienda eſt inciſio, ibique imponendum ungventum mundificativum compoſitum ſupra cap. 173. deſcriptum, vel oleum arſenici cujus paratio habetur cap. 45. ungvento alicui vulnerario mixtum, turundisque exceptum, continuando alterutrius impoſitionem quotidiè ſemel, donec nervorum corruptio & inflammatio ceſſent, tum verò ſanatio perfici poteſt alio quodam balſamo vulnerario, imprimis autem ungvento fuſco Wurzii, quod ab omni ulteriori corruptione præſervat.

Quod ſi hæc corruptio non inhibeatur, tunc dolor ſenſim magis magisque increſcit, tumorque ulterius verſus corpus progreditur, ac magna colluvies purulenta colligitur, & apertione factâ in tenaci & tromboſa ſubſtantia effluit, cum intermixtis nonnunquam ramentis, quæ de corrupta nervorum & ligamentorum ſubſtantia proveniunt, inflammatio verò ſecundum nervos indies ulterius verſus corpus ſerpit, unumque poſt alterum incendio deſtruit in corporis usque truncum, quem & febris acuta invadit, in dicto verò membro gangræna incipit, nec ipſa membri reſectione averti poteſt, licet enim pars gangrænata abſcindatur, gangræna tamen jam dum ſecundùm nervos ſe corpori communicavit, ac mortem infert, non enim ut alia gangræna communis maturè oculis conſpici poteſt, ſed tum demum quando deſperata ſunt omnia, nec quicquam abſciſſio vel ullum aliud remedium juvare poteſt. Prognoſtica.

XIV. *CON-*

XIV.
CONTABESCENTIA MEMBRORUM VULNERATORUM; Germ. Schwindung der verwundeten Glieder.

NEutiquam rara, ſed pluſquam exoptetur, frequens eſt contabeſcentia in membris vulneratis, potiſſimum tamen in brachiis & cruribus, cujus ſigna ſunt, quod non modò color partis illius fuſcior & obſcurior reliquis partibus integris appareat, verùm etiam omnem ſuam carnoſitatem amittat, nec quicquam præter pellem & oſſa remaneat.

Signa contabeſcentiæ.

Cauſæ.

Cauſæ hujus accidentis variæ ſunt, quantum autem ad rem chirurgicam pertinet, in hiſce vulneribus contabeſcentia ſequi ſolet, ubi articuli, nervi vel muſculi ſunt ſauciati, vel etiam verberatione, contuſione, conculcatione, læſione, alliſione compreſſioneve læſi.

Item à nimio ſinoviæ per vulnus effluxu, unde omnium peſſima contabeſcentia ſequi ſolet, quæ nimirum ariduram comitem habet, quoniam ſinovia membrorum vireſcens eſt ſuccus, quem ſi amittant, æquè exareſcunt, ac arbores vel rami, quibus omnes libri deglubuntur, vel nimium dureſcunt, nullaque amplius aſcenſio ſucci inter arborem & libros fieri poteſt. Item ſi membrum aliquod nimis profundè vulneratur, pari modo contabeſcit, quoniam inſignis portio ſpirituum è vulnere diſſipatur, unde membrum illud langveſcit & flacceſcit, cujus rei exemplum habemus in veſicis bubulis & aliis turgidè inflatis & conſtrictis, ut aër in ipſis concluſus exitum non habeat, quamdiu enim aër in ipſis arctè continetur, rigidè turgent, ſin autem leviter perforentur, aër expanſivus per foramen exhalat, & veſica flacceſcit. Ita etiam ſe res habet cum membro aliquo integro, & intrinſecè non obſtructo, quòd nimirum pariter propriis ſpiritibus & nutrimento turgeat, profundè verò vulneratum & pertuſum flacceat, niſi prudens Medicus tale accidens avertere norit.

Curatio.

Curatio contabeſcentiæ ab effluxu ſinoviæ profundisve vulneribus proficiſcentis hoc modo inſtituitur: primo paretur decoctum pedum vervecinorum, quod ita fit: accipe pedes, caput, pulmonem & hepar recens mactati vervecis vel alterius junioris & integrè valentis parvæ pecudis, mundata probè à pilis inde ollæ magnæ, & coque in æqualibus partibus vini & aquæ, donec caro ab oſſibus ſecedat, oſſa abjice, caro verò minutim concidatur, rurſumque in priori jure coquatur, donec in modum pultis molleſcat, tunc membrum contabeſcens balneetur hoc decoctionis jure, quàm calidè tolerari poſſit, puls verò carnea panno inducatur, & calens imponatur. & quando refrigeratur, alia remotâ priore, panno inducta apponatur, remotam verò rurſus in olla calefac, & refrigeſcente priore, rurſus calidam accelerando ſuperpone, atque ita alternatim perge, donec ca-

Decoctum.

lefactio quædam per totum membrum ſentiatur, tunc paratum eſſe debet ungventum moderatè & non exceſſivè calefaciens, quod ita parari poteſt:

Ungventum. ℞. axungiæ human. ℥iiſ.
porcelli in lactatione caſtrati ℥IV.
ardeæ ℥iij.

Colliqueſcant invicem, hoc ungvento inunge manibus calefactis membrum tabidum prope ignem ſtatim à præfata carnis applicatione ſufficiente, ſemper deorſum fricando, manibus calentibus, ita ut dum unâ fricatur, altera interim rurſus calefiat, donec membrum totaliter ſit percalefactum, tunc ſaltem ceratum è ſola cera & axungia porcina confectum ſuperimpone, ægrumque & membrum affectum ſemper in calido detine, abſtinendo tamen ab omni emplaſtro valdè calefaciente, hanc inunctionis frictionem & cerati applicationem quotidiè reitera, donec membri ſubſtantia rurſus augeſcat.

Deinde verò ſufficere poteſt inunctio vulgaris alicujus ungventi, contra conſumptionem uſitati, ſemper tamen non niſi manu calefactâ deorſum eſt ungendum, ac ſæpius aliis quoque vicibus verſus inferiora fricandum & mulcendum, imò membrum tabidum pari modo deorſum pendere ſinendum, tunc ſangvis ſequitur ductum frictionis non ſecus ac lac manum deorſum mulgentem.

Ad alias autem tabiditates calidiora hisce uſurpantur, de quibus ſufficienter dictum eſt ſupra cap. 183. & aliis locis.

XV.

IMMOBILITAS ET INFLEXILITAS PARTIUM VULNERATARUM POST SANATIONEM; Germ. Lähmniß der verwundeten Glieder nach der Heilung.

MAgnæ vulnerationes articulorum, nervorum & muſculorum ſemper motum illius membri tollunt, omnem ſimul ſpem reparationis ejus auferendo, proinde non eſt, quod de hac immobilitate verba faciamus. Sed alia etiamnum immobilitas interdum occurrit, quæ in ſe revera non eſt, ſed per inepta medicamina introducitur, ac remedicabilis eſt, hæc autem frequens contingit in articulis vulneratis manuum, digitorum, cubitorum, axillarum, femorum, genuum, talorum &c. quando nimirum chirurgo in talibus juncturarum vulneribus nimius ſarcoticorum uſus eſt, erratque graviter cuicunque talis eſt methodus utendi in vulneribus articulorum generantibus carnem, caro enim ibi ſuccreſcens totam juncturæ cavitatem opplet, obſtruitque & perrigidat vertebras, ita ut ſuam amittant flexilitatem, quamdiu ea generata carnoſitas inutilis vertebris adnata manet, nam ſi impoſterum inflecti debeat ejusmodi articulus, oportet ipſum operosè contorquere & vi quadam ob flecti neſciam iſtam carnoſitatem, compel-

lere,

lere, quod valdè dolorificum eſt, ideòque articulum iſtum immobilitat, adeò quidem ut ejusmodi inflexilitas neque per ungventa, nec linimenta, nec balnea, nec fomenta curari poſſit, nec ullo modo cedat, niſi carnoſitas rurſus tollatur. Quod tamen etiam neque per uſtionem nec ſectionem fieri poteſt, ſed unicâ tantùm hac viâ, ut vulnus cicatriſatum inciſione per acutam novaculam rurſum ſatis profundè aperiatur, cautè tamen, ne nervus aliquis vel os lædatur, deinde inciſio miti aliquo pulvere cauſtico indies ampliatur, ita tamen ne in medio vulneris carnoſitas illa auferenda à pulvere attingatur, ſed integra maneat, poſtquam ipſam, flectendo hinc inde & contrahendo juncturam, probè diſtinxeris, ad latera autem circumcirca usque ad os ſeparatur, ac quadruplicato filo lineo circumligatur, quod ſenſim fortiter conſtringitur, & ſi uſpiam ad latera ulla etiamnum adhæſio carnoſitatis advertatur, ea ſcalpello penitus ſeparatur, tum verò conſtrictum filum uno impetu momentaneo violenter trahitur, totaque carnoſitas adnata tractionem ſequitur cum innumeris fibris longioribus, quibus tanquam radicibus ſuffulta fuit. Quo facto mox ungventum fuſcum Wurzianum vulneri imponatur, os autem ejus emplaſtro oppoteldoch, vel ſticțico Crollii contegatur, ita quotidiè continuando ad vulneris usque cicatriſationem, vitando omnes alias pingvedines, olea, ungventa, & ſordes.

Præterea adhuc aliæ immobilitatis ſpecies ſæpius obveniunt, quæ pariter vera immobilitas non ſunt, ſed tantùm deſveta flexilitas, non infrequens in genubus, cubitorumque ac manuum juncturis, ita ut hinc inde deflecti nequeant. Huic autem vitio ſubinde mollificantibus ungventis ita occurri poteſt, ut rigiditas unctioni reiteratæ cedat, ſenſimque flexilitas poſtliminiò redeat, prout ſæpius ungventum de althæa laudabilem & optatam præſtat operationem, ſi ſub noctem copiosè & calidè inungatur, deſuperque deligatio fiat, ſequenti autem manè eadem inunctio aliquandiu ſedulò continuatur, ubi inter ungendum membrum rigidum ſenſim pedetentim, & modeſtè ad flectendum dirigitur, id quod indies repetitur, nempe quotidiè paulatim magis ac magis, repentina autem extenſio fugiatur, facilè enim membri conſumptionem producit. Semper autem deligatio ſub ferula ſeu aſſerculo (eine Schindel) adhiberi debet, ne contractio membri ſequatur, poſſunt quoque ſimul fomenta emollientia inſtitui.

Sequens verò ungventum venis inſignem flexilitatem conciliat: ℞. herb. puleg. recent. mj. ſaponis Veneti albi ℥ij. conquaſſentur invicem optimè, tum adde ℥V. mellis, coquantur ſimul probè, poſtea exprime per pannum, intinge huic mixturæ linteum, ac venis impone, deligando deſuper: vel inunge hoc ungventum: *Ungventum.*

℞. medullæ cervin. ℥ſ. *Aliud.*
ol. terebinth.

Ppppppp 2 petrol.

petrol. an. ℥j.
liqueſcant invicem in ungventum.

DE VULNERIBUS VENENATIS.

Truculentia hoſtium non rarò tanta eſt, ut ſimplici necandi deſiderio non ſint contenti, ſed lethiferam armorum noxam duplicare ſtudeant, intoxicantes ideò globulos bombardarios, ſagittas, enſes, haſtas & alia inſtrumenta nocitura. Quinimò natura ipſa eandem erga hos quibus vult eſſe noverca, fovet intentionem, dum non modò talia venena producit, verùm etiam quibusdam animantibus implantat, unà cum odio implacabili erga mortales, quibus ab iſtis indeſinenter læſionis lethalis diſcrimen imminet, de quo ſibi cavere, & adverſus illud præſervativa parata habere debent, nimirum contra morſus viperarum, ſerpentum, rabidorum canum, luporumve & ſimilium, qui non tantùm per ſe perimere poſſunt, verùm etiam multò magis congenitum illis fomentum venenatum, quod in vulneribus minutiſſimis ab ipſis inflictis non minus eſt, quàm in majoribus, ac in defectu antidotorum efficacium ſemper fermentando exitium affert.

Vulnera venenata quæ?

Signa.

Signa vulnerum venenatorum ſunt: dolor valdè ſævus & furibundè lancinans, color lividus ad nigredinem tendens, graviora ſymptomata, quàm à ſimilibus vulneribus aliàs inferri poſſint vel ſoleant, uredo per totum corpus æſtuans, tremor membrorum, delirium, lapſus virium, lipothymia, ſyncope & ſimilia.

Cauſæ.

Cauſa venenatæ hujus malignitatis potiſſimum in eo conſiſtit, quod homo ſit creatura diei vel lucis, cui creaturæ noctis vel tenebrarum ſunt contrariæ, proinde venenis ſemper color noctis & obſcuritatis proprius eſt, nempe lividitas, ator & nigredo, prout etiam ipſa peſtis cnm ſuis carbunculis nigricantibus hujusmodi veneni terreſtris buſoneique atri particeps eſt.

Prognoſis.

Prognoſin quod attinet, omnis læſio venenata, etiamſi leviſſima & minutiſſima ſit, periculoſa & plerunque exitioſa eſt, præſertim ſi cordi eſt propinqua, vel in loco inevitabilis ad vitam uſus, vel applicatio medicaminum tamdiu protrahatur, donec interim venenum per vulnus fermentificè in corpus agere poſſit.

Curatio.

Curationis ſcopus, quantum ſperare licet, in eo verſatur, ut confeſtim antidota ſudorifera interna propinentur, quæ veneno ſint contraria & oppoſita, exterius vulneri applicentur cucurbitulæ, ſangviſugæ, aliave medicamina attractiva, fugiendo omnem corporis evacuationem & venæ ſectionem.

Attractivum.

Attractivum autem tale applicari poteſt.

℞. gum. opopanac.
ſagapen.
galban. in aceto ſcillit.
coctione ſolutor. colat. & reinſpiſſator. an. ℥ij.
rob. baccar. junip.
ſulphuris trit. an. ℥iiſ.
myrrhæ

ſterco-

ſtercoris columbin. an. ℥j.
aſæ fœtidæ
mumiæ noſtrat. an. ℥ij.
mithridat. ℥ſ.

pulveriſatis pulveriſandis reliqua adde, omnia ol. ſcorpion. q. ſ. ad conſiſtentiam cataplasmatis contempera, bis in die renovandum.

DE VULNERIBUS SPECIALIBUS ET PRIMO DE VULNERIBUS CAPITIS.

QUum diverſæ corporis humani partes in quolibet temperamento non unius ſint complexionis, ſed juxta quatuor elementa varient, ideò una medicaminibus non eſt tractanda ut altera, ſed uni debentur ſicca, alteri humida, tertiæ calida, quartæ frigida & ſic conſequenter, quapropter operæ precium eſt methodum curationis vulnerum præcipuarum partium in ſpecie & ſingulatim, cum eorum regimine proponere, & juxta modum vulgatum in capite ordiri. Hoc autem variis modis vulneratur, variisque inſtrumentis & rebus duris lædentibus, cædendo, pungendo, verberando, jaciendo, allidendo, contundendo, graviter labendo, & ſimiliter, ut & in diverſis locis.

Ante omnia ergò in vulnerato capite diſpiciendum eſt, an vulnus ſit in ſyncipite, occipite, temporibus vel vertice, quoniam magnum intercedit diſcrimen; vulnera enim ſyncipitis & temporum quamvis ſint exigua, periculoſiora tamen eſſe ſolent etiam majoribus, quæ vertici vel occipitio infliguntur. In temporibus enim muſculi ſunt nobiles venæque & arteriæ ſoporales ſpiritum vitalem & ſangvinem iſthac ad cerebrum deferentes, nec ſalvâ vitâ lædi poſſunt. Pari modo vulnera ſyncipitis periculoſa ſunt, eò quod os calvæ ibidem admodùm tenue ſit, ſuturaque coronalis rara ac fragilis, ventriculi quoque cerebri anteriores ſenſusque communis & ſpirituum animalium domicilium ſubſint.

In omni autem capitis vulnere ſtatim inſcrutandum eſt, quænam particulæ & quomodo læſæ ſint, conſtat enim caput variis & compluribus partibus, quarum deſcriptio tradita fuit ſupra cap. 1.

Quando ergò caput tantummodò ſuperficialiter vulneratur, ita ut ejus exteriora tegumenta nimirum cutis carnoſa & perioſteum ſint læſa, tunc ejusmodi vulneratio non adeò magni eſt momenti, ſed absque periculo mediis ſupra traditis facilè ſanatur.

Ubi verò ipſum os cranii ſimul vulneratur, tunc ſemper magnum vitæ periculum imminet, talia autem vulnera quatuor modis fiunt nimirum vel I. per diſſectionem ſive inciſionem, pertuſionem, perforatioremve, ein Durchſchnitt oder Zerhauung / Durchbohr- oder Zerſtechung/quando nimirum craninm armis & inſtrumentis cædentibus, acutis, pungentibus & perforantibus dividitur, & nonnunquam aliquid ſubſtantiæ ejus demitur, ut fit à gladiis,

diis, haſtis, bipennibus, lapidibus acutis & ſimilibus,

II. Per rimam, fiſſuram & ſciſſuram, ein Spalt / Riß oder Zerſpringung / quando videlicet calva violento impetu inſtrumentis obtuſis rebusque duris feritur, ita ut à valido ictu diſſiliat & findatur, uti etiam aliis rebus durioribus, nempe ollis, urceis patinisque teſtaceis ſæpius à valida alliſione accidit, talis fiſſura quandoque pili exilitatem refert, aliquando aliquantulum grandior exiſtit, ſemperq; à violenta impulſione & incuſſione rerū durarum cauſatur, ut ſunt fuſtes, ſaxa, perticæ &c. idque per ictum, lapſum, jactum aliisque modis. Interdum etiam cute exteriori integra manente talis fiſſura cranii accidit, imò nonnunquam non in eo loco, ubi concuſſio facta fuit, ſed ex adverſo vel alibi, ubi etiam conditio ægri longè deterior eſt, ſi planè neſciri poſſit, an & ubi rimula deliteat, quod etiam in aliis rebus ſolidis duriſſimis contingit, nimirum cucurbitis vitreis & terreis ollis, campanis, ut à valida incuſſione ſæpè in oppoſita vel laterali parte diſſiliendo rimulæ oboriantur.

III. Per contuſionem, confractionem & comminutionem, eine Zerſchmetterung oder Zerſchmeiſſung / quando nimirum calvaria validiſſimo ictu per inſtrumentum aliquod grave & durum concutitur, ibi enim in modum aliarum rerum durarum & ſolidarum, non autem ductilium, ut ſunt ollæ, vaſa teſtacea & ova in plures particulas diffringitur.

IV. Per depreſſionem, inflexionemve, eine Eindruckung oder Bug / quando videlicet in oſſe cranii ſolido vel ſuturis duarum partium ſeparatio fit, unaque ſurſum, altera deorſum à violenta concuſſione detunditur diſtorqueturve, uti fieri poteſt à gravi lapſu adverſus res duras angulatas, & obtuſorum armorum validiſſima incuſſione.

Ex his autem fracturæ calvæ ſpeciebus confractio & fiſſura ſæpè citra cutis exterioris diviſionem accidunt, neque cerni nec ſciri poſſunt, niſi etiam inciſio cutis inſtituatur, depreſſio verò & diſſectio ut plurimum viſui & tactui innoteſcunt; In omni ergò valida calvæ concuſſione judicioſa circumſpectione opus eſt, ut quamvis cutis non diviſa appareat, nihilominus ſignis & circumſtantiis dignoſcatur, an calva ſit læſa vel non: pro exemplo, ſi bombarda nimiâ copiâ pulveris pyrii infarcta inter diſplodendum (ut ſæpè fit) diſſiliat, fruſtumque nonnullum adverſus caput jactetur, vel inſtrumentum mechanicum inter laborandum ac fortiter vibrandum capiti involaret, uti crebra exempla ſunt involantium malleorum, ſecurium, cuneorum, ſaxorum &c. vel ex alto ſubjectum grave & durum capiti incideret, tunc mox ſuſpicioni locus eſt, calvam in concuſſo loco etiam ſub cute integra forſan eſſe fiſſam vel confractam.

Deinde etiam judicium firmandum eſt ex relatione & confeſſione vulnerati, referentis ſibi mox à concuſſione obortam eſſe vertiginem, oculorum caliginem, aurium ingentem

tem tinnitum diuturnum, ſtrepitum in capite tanquam confractæ ollæ, hæc enim indicia ſunt in calva alicubi deliteſcere rimam vel fracturam. Item ſi quid durioris ipſi commaſticandum ſuggeratur, ſtridorque inde à ſe in capite percipi ſibi videatur.

Signa quoque habentur à ſymptomatibus ſauciati, in violenta enim & calvam confringente vel findente plagâ, ſuccedere mox ſolet obmuteſcentia, vertigo, ſopor, ſtertor, epilepſia, ſi verò æger referat in adverſa vel laterali plagæ parte ſibi excitatum fuiſſe dolorem, conjecturabile fit fiſſuram ibi latere. Adhæc Chirurgis etiam ſignum fracturæ ejusmodi eſt, ſi æger ſpiritum fortisſima buccæ inflatione, oriſque & narium obſtructione foras pellat, ita enim è vulnere à forti conatu aliquid ſaniei eliditur, verùm hoc in fractura, ubi cutis ſimul non eſt aperta, non habet locum.

Prognoſin quod attinet, omnis cranii diviſio ſive ſit rima, fractura vel depreſſio conjunctum habet vitæ periculum, quamvis non ſemper mortem inferat, hæc tamen expectanda venit, ſi gravia ſymptomata concurrant, ut febris, delirium, ſopor, inſomnia & ſimilia, quæ imprimis gravioribus capitis vulneribus ſuccedere ſolent, craniique fracturis, idque adhuc magis diviſionibus meningum, omnium autem maximè ſi ad nudum usque cerebrum penetrent.

Ad ſuccurrendum autem miſeris his ægris manu curativa, imprimis celerrima ope opus eſt, primò quidem ſi vehemens ſit ſangvinis fluxus, tunc is ante omnia cohibeatur mediis ſupra indicatis, id quod in mitiori fluxu non opus eſt, ſed tantùm illicò in circuitu vulneris capilli omnes abſcindantur, tanto nimirum ſpacio, quantum impoſitio emplaſtri requirit, tumque ſine ulla mora & ſumma cum feſtinatione emplaſtrum ad cephalica vulnera probatum vulneri imponatur, ut quam citò fieri poſſit omnis frigidi aëris acceſſus ad vulnus arceatur, hincque eum in finem emplaſtri maſſa eſto ſpiſsè extenſa ſeu panno inducta, & majoris ſpacii, ut nimirum bona ejus pars ultra vulnus promineat, ac vulnus undique eo contegatur, aërique acceſſus præcludatur, aura enim frigida imprimis vulneribus capitis maximè eſt noxia & periculoſa, quoniam omne frigus ex ſui natura eſt auſterum inſtar aluminis, ut palam fit in aquilonia conſtitutione, quæ ventrem aſtringit non ſecus, ac ſi medicamina aſtringentia eſſent aſſumpta, imò invaleſcens aquas omnino in glaciem aſtringit, talis autem auſteritas capiti ceu fonti omnis ſenſus acutiſſimè ſentienti vulnerato illico eſt perceptibilis, ac facilè convulſionem excitat;

Emplaſtrum jam vulneri applicatum molliuſculo faſciculo ſeu pulvillo compreſſorio contegitur, atque inſuper deligatur. Eadem cautio ab aëre frigido etiam adhiberi debet in vulneris religatione; conſultiſſimum itaque eſt, ut ſingulis

vicibus

vicibus in conclavi temperatè calido deligatio perficiatur, ne ullum frigus vel aëris flatus accedat, & in vulnere ſentiatur, aliàs convulſio ſecutura, ac ægrum interemptura eſſet, quod ne fiat ante quamlibet deligationem ægri cervix & ſpina dorſi inungantur oleo calido vel balſamo antiſpasmico, uti paulò ante de convulſione vulneratorum pluribus indicatum fuit.

Quando itaque prima ad ſedandam hæmorrhagiam facta deligatio rurſus auferenda eſt, tunc omnia leniſſimè & modeſtiſſimè fiant, ne per ullam impetuoſam contrectationem ſangvinis fluxus uovus concitetur, unde tutiſſimum eſt priorem applicationem ſangvinis cohibitivam ante ipſius remotionem prius remollire, ut incoactè demi poſſit, unica quotidiè deligatio in vulneribus periculoſis ſufficit, aut ad ſummum duæ, quæ ſemper debent eſſe ſtrictiores, æger cubet in conclavi obſcuriori temperato, capite multum elevato, ut quaſi ſedens videatur, pauciſſima loquendo, idque voce ſubmiſſa & leni, ne fortiori ſermonis conatu vulnus irritetur & exaſperetur, quando etiam exigua ſangvinis profuſio è vulnere facta fuerit, poſtridiè venæſectio celebretur, at in magna cruoris per vulnus perditione apertio venæ in aliud tempus eſt reſervanda.

Quando autem os vulneratæ calvæ per fracturam contraxit particulas & fragmentula, prout & in ejusmodi caſibus fieri vix poteſt, quin hujusmodi confractio in oſſe quasdam feſtucas, & acuminatas particulas comminuti oſſis producat, partim penitus ab oſſe ſeparatas, partim verò etiamnum adhærentes, & interdum acumina ſua introrſum verſus cerebrum dirigentes, vel nonnunquam omnino ſuper illud incidentes, tunc vigilantiſſimè & cautiſſimè tale vulnus tractandum eſt, iſtæ quidem particulæ, quæ non totaliter ſunt ab oſſe avulſæ & ſequeſtratæ, ſinuntur intactæ, & operationi naturæ committuntur propinando ſaltem potionem vulnerariam expulſivam, ut natura eâdem in virtute ſuâ expulſivâ confortetur, illæ autem particulæ quæ integrè ſunt abruptæ, modeſtiſſimè extrahuntur, ſin autem advertatur nonnullas particulas acuminatas cuſpidibus ſuis intrörſum eſſe porrectas, tunc aptis inſtrumentis, quomodocunque id melius fieri poſſit, tales eximendæ ſunt, & ſi fortè exemptioni non ſufficiens detur aditus, tum cutis prope vulnus incidatur & detrahatur, & ſi nondum ſat ſpatii adſit, tunc in ipſo calvæ vulnere eâ parte quâ jam pridem rimæ & fragmenta ſunt, cultro acutiſſimo portiuncula exſcindatur, quò ſpacioſior obtineatur aditus ad auferendas impedientes particulas, eæque quocunque modo id fieri poſſit, removeantur ac interior ſcabrities lævigetur, niſi enim hoc fiat, cerebrum in motu ſuo proprio adverſus acumina introrſum verſa impingit, ac ſeipſum vulnerat, unde certò homini illi intereundum foret. Sin autem nonnullæ harum particula-

ticularum in nudatum cerebrum illapſæ eſſent, tunc videndum eſt, ut ſubtili forcipe apprehendantur & extrahantur,ſummo cavendo ſtudio ne ſimul inter apprehendum particula meningũ comprimatur,alioqui convulſio vel apoplexia immineret.

Quando verò calva introrſum depreſſa eſt, tunc ejusmodi depresſio vix contingere poterit absque concurrente cranii fiſſura, quæ ſi non occurrat in exteriori calvæ laminâ, ſaltim in interiori non deerit, utut externa cutis interdum integra maneat, ſtatuente quoque Hippocrate: depreſſionem calvæ vix ſine interiori fractura contingere poſſe, quinimò robuſtam calvam deprimi nequire,quin prius interius findatur, at ſi nihilo ſecius talis rariſſima depreſſio ſine fiſſura occurrat, chirurgi non ſunt ejusdem ſententiæ in omnibus, pars enim vult, in ejusmodi calvæ depreſſione digitis modeſtè palpandum & tactu inquirendum eſſe, num etiam rima vel fiſſura ſimul adſit, vel ſangvis concretus,tum quoque quærendum ex ægro, numquid & punctionem ſentiat, quîque ſe habeat, & ſi collectio ſangvinis concreti deprehendatur, tunc mox inciſionem eſſe inſtituendam, ut ſangvis effluere poſſit, vel ſi aliud quid præter naturam animadvertatur, uti ſunt oſſicula, & fracti oſſis particulæ, eximendum illud eſſe, citius enim ejusmodi depreſſionis foveas reſtitui,ſi vulnus ipſis ſit conjunctum, per quod difflatio & expurgatio fieri poſſit, quàm ſi concluſum maneat, venæſectionem tamen non eſſe prætereundam, cæteroquin verò ab omni humidorum & ſordidorum applicatione abſtinendum,imprimis verò ab omni inſtrumentali in vulnere motitatione, & ſpecilli immiſſione, tali enim modo nil aliud effici, quàm ut calvæ occaſio & neceſſitas injiciatur, ut aliter ſanari nequeat, quin prius ſcalpro ſeu ferro deraſorio radatur, quod tamen ſi legitimè procedatur, facilè evitari poſſit.

Quatenus autem præfato modo palpando nihil aliud deprehendatur, quàm ſolummodo impreſſa fovea, tunc inciſionem non eſſe moliendam, ſed tantummodò reſectis capillis depreſſioni probatum emplaſtrum vulnerarium cephalicum, præmiſsâ venæſectione imponendum, interiusque efficacem potionem vulnerariam exhibendam, & facilè à naturâ propriæ ſanationi jam pridem intentâ reliqua effectum iri, trepanum verò eſſe omittendum, ab eo enim cerebrum violenter perturbari, parumque ſalutiferi obtineri, licet etiam calva aliquantulum depreſſa maneat, non magnum tamen inde damnum capiti emergere, quum etiam cæteroquin bonum in capite ſpatium ſuperſit quod non expleatur, ſed vacuum maneat, niſi fortè depreſſio nimis ſit profunda, tunc enim locum novaculâ eſſe aperiendum, & ubi maxima profunditas occurrat, ibi depreſſam partem per terebellum ſeu inſtrumentum commodum, rurſus, quantum per artem fieri poſſit, eſſe ſublevandam.

Major econtra pars chirurgorum cum chirurgis Italis objiciunt, quod licet ſe res ita habeat, ut nuda depreſſio, ſine ulla concurrente fiſſura, fragmentis, avulſisve diffracti oſſis particulis occurrat (quod tamen rariſſimè vel nunquam in adultis eveniat) nihilominus tamen nequaquam totum negotium ſoli naturæ eſſe committendum, ſed illicò cutem cruciatim ſive in modum trianguli incidendam, ſeparando pericranium à cranio, vulnusque hiscens apertum tenendo impoſitis huic uſui inſervientibus trochiſcis, ut non tantùm certò perdiſci poſſit, utrum calva fiſſa ſit nec ne, verùm etiam ſi fiſſura adſit (uti ſemper expectandum veniat) inſtrumentum ſublevatorium ſuccenturietur. Vulnere itaque aperto detento usque ad diem ſequentem, ubi nullis ſupervenientibus pravis ſymptomatibus, ocularique inſpectione ac immiſſo ſpecillo adhibitis jam certò conſtet laminam calvæ interiorem in depreſſione non eſſe fiſſam, tunc in medio depreſſæ foveæ infigendum eſſe terebellum, donec ad meditullium usque oſſis ſit perterebratum, ac deinde valida attractione os depreſſum ſurſum trahendum, tum verò os nudatum contactu aëris jam aliquantulum aciditatum, ſeu nigredine infectum ſcalpro tamdiu undique eſſe deradendum, donec color mutetur, vel ſangvis ex oſſe prorumpat. Alii tamen chirurgi hanc deraſionem ſtudio omittendam eſſe contendunt & per experientiam ſe eſſe edoctos ajunt, naturam ipſam ſuperficiariam oſſium denigrationem ſeparare & deſquamare, malumque à bono ſequeſtrare; At præter hos etiamnum alii ſunt, qui in omni oſſium nigredine ad ingentem virtutem balſamicam cruoris pavonis Cyprici confugiunt, qualiscunque ejusmodi nigredo & oſſis corruptio eſſe poſſit, ejusque cruoris parum denigrato oſſi illiniunt, & ſic omnis peregrina aëris corruptio ſuppurando ab oſſe abſcedit.

In depreſſione autem calvæ infantis utriusque partis concors eſt ſententia, talem terebrationem nullo modo convenire poſſe, cujus rei plures dant cauſas, præcipuè verò nimiam calvæ mollitiem, quæ ab occurrente terebelli vehementiâ adhuc magis introrſum eſſet receſſura, verùm in ejusmodi calvæ infantium depreſſione, fiſſurâ ac gravibus ſymptomatibus non comitatâ à præfata chirurgica operatione omninò eſſe abſtinendum, abſcindendo ſaltem in circuitu depreſſionis capillos, tumque in promptu eſſe debere pellem junioris alicujus animantis nempe agni, catuli, gliris vel alterius cujuscunque, adhuc recentem & tepentem (quæ etiam in adultis cuilibet capitis contuſioni ubi calva adhuc ſit integra, medeatur) ſtatimque dum adhuc caleat, depreſſioni imponendam & ſuperligandam per ſpacium 24. horarum, & ſi tum tumor nondum penitus ſit abſumptus, iterum recentem pellem per alias viginti quatuor horas ſuperligandam, & omnem tumorem reliquum abſumptum iri, quod ſi adhuc exigua

gua

gua depreſſio palpando deprehendatur, tunc loco pellis emplaſtrum diachalciteos linteo extenſum ſuperponatur, ſub quamlibet autem impoſitionem oleum aliquod aſtringens partibus adjacentibus nimirum collo & temporibus eſſe illiniendum, ut hoc modo affluxus humorum & inflammatio avertatur.

Carrichterus verò ad depreſſionem calvæ infantium commendat herbas, quarum flores ſignati ſint in modum calceolorum, quas jubet oppoſitæ parti alligare, exempli gratia ſi infanti herba vel flores violarum martiarum plantis pedum alligentur, tunc ab eis operationem expulſivam fieri in partem oppoſitam, nempe in caput, depreſſamque calvam rurſus foras pelli, ut fiat ſicut antea fuerit, conſimilemque operationem etiam præſtari à floribus ſalviæ, & urticæ mortuæ cum floribus ſpadiceis &c.

Si quando verò fiſſura per utramque calvæ laminam ſatis ampla adſit, tunc non opus eſt ulteriori apertione, quæ ſaltem eum in finem inſtituitur, ut illapſa materia educatur, ſin fiſſura anguſtior deprehendatur, quàm ut per eam materia eliminetur, tunc ea multo periculoſior eſt latiori, periculoſa itaque hæc ægri conditio aſtantibus denuncianda eſt, ne fortè ſi patiens ſit occubiturus, culpa chirurgo imputetur, interim illicò curatio tentanda eſt, vulnusque inciſione ampliandum, ſeparando digitis pericranium, imponendoque oſſi floccos ſiccos, labiis verò imbutos his, quæ ſangvinem ſiſtunt, proxima verò loca inungantur oleis refrigerantibus & aſtringentibus tepefactis ad arcendam inflammationem ac ſuperpoſito emplaſtro diapalma deligentur. Poſtridiè vel ante finem diei tertii ab initio vulnerationis computando deveniendum eſt ad calvæ per trepanum apertionem, quæ cum lethaliter periculoſa ſit, & utplurimum lethalia inferat ſymptomata, nonniſi in deſperatis caſibus celebratur, idque ſemper cum proteſtatione de periculo, & quàm citò fieri poſſit, antequam ſangvis ſub cranio putreſcat, ac pus colligatur, & in his quinque tantum caſibus:

1. In anguſtis ad meninges penetrantibus fiſſuris, ubi ſangvinem aut ſaniem confluxiſſe præſumptio eſt, quæ nullis extrinſecè adhibitis remediis discuti aut elici queant, ubi neceſſariò ultimum apertio calvæ eſt refugium ad extergendam ſaniem, ne ab inflammatione meningum, febris, delirium & mors cauſentur.

2. In nimis profunda calvæ depreſſione, adeò ut meninges ab incumbente oſſe comprimi conjecturabile ſit; unde niſi oſſis ſublevatio procuretur, æger in ſoporem vel apoplexiam præcipitaretur.

3. In calvæ fractura diffringente ubi particulæ & ſquamæ fracti oſſis acutæ meninges pungunt & vellicant, & niſi lævigentur, perniciem eſſent acceleraturæ.

4. In fractura comminuente & conterente, ubi plurimæ particulæ à calva omnino ſequeſtrantur, nec

amplius apponi & coaptari poſſunt, & niſi eximantur, meninges ad lethifera ſymptomata poſſent irritare.

5. In inhæſione fragmentorum armorum calvam penetrantium, quæ eodem modo ut acuta oſſicula eſſent nocitura.

In hac trepaniſatione caput ægri ſuppoſito cervicali firmo imponitur, & à miniſtro firmiter tenetur, contegendo ſimul labia vulneris linteolis, tum verò propè fiſſuram terebratio inſtituitur, ſæpè mutando terebellum, ne incaleſcat, ne autem nimium profundè interebretur, ſæpius terebra extrahitur, & obſervatur, quàm profundè terebratio jam ſit facta, & quantum etiamnum reſtet, quando autem ſectum oſſiculum jam vacillare videtur, ac terebratio ſatis profundè penetravit, tunc inter os firmum & mobile inſtrumentum ſublevatorium exiguum inſerunt, atque hinc inde movent, oſſiculumque forcipe roſtrata eximunt, totam operationem feſtinatiſſima acceleratione peragentes, ſangvis enim è media calvæ ſubſtantia medullari profudare incipit. Facta autem jam perterebratione, ac oſſiculo exempto, goſſipii non nihil latæ parti ſpecilli circumvolvunt, eoque ſangvinem meningibus illapſum ſuaviſſimè exterunt, tumque è floccis ſiccis globulum ſeu nodulum confingunt, eoque foramen terebratum obturant, atque ita ſangvinis fluxus ceſſat, & ſi unicum foramen non ſufficere videatur, tunc interdum adhuc aliud terebrant, ſcalpro verò ſcabritiem parietum terebrati foraminis optimè lævigant. Deinde panniculum ex ſerico rubro filo alligatum oleo roſaceo completo tepido imbibunt, ac duræ matri imponunt, ut materia ſub cranio latens concluſaque in pus convertatur, atque unà impactionis læſio mobilium meningum adverſus cranium præcaveatur. Foramen verò globulo è floccis ſiccis contorto obturant, ad inhibendum pus in vulnere genitum, avertendumque ejus illapſum ad meningem.

Detecto verò cranio imponunt floccos ſiccos, labiisque vulneris linteola ungvento digeſtivo imbuta, ac deſuper emplaſtrum diapalma in medio foraminatum, quò pus per illud effluere poſſit, atque ita vulnus deligant, vicina ſimul loca perungendo oleo refrigerante, ad arcendam omnem inflammationem; Ad ſingulas autem deligationes ægro injungunt, ut ſpiritum cohibitum forti conatu quaſi ad emittendum propellat ad os & nares obturatas, & ita latens ſub cranio materia ſanioſa protruditur, tali autem modo quotidiè deligationem repetunt, donec pus laudabile appareat, tum verò loco olei roſacei mel roſatum recipiunt, eoque imbutum panniculum duræ matri imponunt, donec ab omni ſorde ſit mundata, & tum etiam uſum mellis omittunt, ac foramen ſaltim globulo ex ſiccis floccis contorto obturant. Os verò denigratum vel ſcalpro deradunt, vel ipſius naturæ deſquamationi illud committunt, conſpergendo illud pulvere cephalico, floccisque ſiccis conte-

contegendo. Labiis autem vulneris immittunt floccos ungvento ſarcotico imbutos, ac deſuper emplaſtrum diapalma, quod iterum contegunt linteo mundo, madefacto vino rubeo, cui incoctæ ſint herbæ caput confortantes, ac rurſus expreſſo, atque ita deligant pergendo, donec calva bona carne ſit obducta, eâque vulnus expletum, & cicatriſatum. Idem modus & ordo etiam ſervatur in vulnere capitis ubi pia mater ſimul eſt vulnerata.

Ubi autem pia mater ſimul eſt læſa, tunc per iſtam tenuiſſimam tunicam etiam ſubſtantia cerebri convulneratur, tali itaque in caſu nulla oleoſa vel pingvia conveniunt, quia in ſubſtantia cerebri corruptionem excitatura eſſent, ſed ſolummodò mel roſatum ac ſyrupus roſarum in ejusmodi vulneribus in uſu ſunt, quamvis non facilè ita vulneratus evadat, attamen quum nihilominus antiquorum & noſtro tempore exempla ſint, quod Dei ſingulari auxilio, cui totum eſt acceptum ferendum, aliqui ſint ſanati, ideò nullus meritò Chirurgus mox penitus deſperet, ſed expoſito adſtantibus periculo nihilominus applicando convenientia remedia partibus fidelis Chirurgi fungatur, imprimis ubi ſigna lethalia non adſint, ut ſunt: nigredo & ariditas labiorum vulneris, febris acuta, delirium, convulſio, apoplexia, rubor ocnlorum ſanguineus, vomitus continuus, lingvæ nigrities, alvi obſtructio, quibus accedit, ſi vulnus tempore plenilunii ſit inflictum, tum enim cerebrum more oſtrearum ſe dilatat, totumque ſuum vas opplet, in novilunio verò ſidit & contrahitur.

In his itaque capitis vulneribus periculoſis ad nudum usque cerebrum & ſubinde intra ejus ſubſtantiam penetrantibus experientiſſimus Wurzius conſulit, ut planè nullum medicamen, ſive ſit pulvis, ungventum, balſamum, oleum vel aliud quicquam vulneri immittatur ſed ſolum expertum emplaſtrum vulnerarium cephalicum ipſi ſuperponatur, ab ejus enim ſuperimpoſitione ægrum non tantùm in capite ſed etiam toto corpore ſtatim ſe benè habere, omnemque æſtum, exaſperationem, oſſicula fracta, & quamlibet immunditiem melius è vulnere extrahi, quàm mediantibus omnibus aliis rebus materialibus impoſitis, vel inſtrumentis unquam fieri poſſit, plusque hoc unico emplaſtro præſtari, quàm ab omnibus antiquorum artibus, pulveribus, oleis, balſamis, ungventis aliisque cunctis in tota Europa reperibilibus fieri poſſibile ſit, propriamque in hac re & ſui patris teſtatur experientiam multiplicem, nec non aliorum Chirurgorum tam Germanorum, quàm Italorum, Gallorum & Hiſpanorum infelices curationes, quas juxta vulgatam antiquorum methodum in ſuâ præſentiâ commiſerint, ubi etiam ſæpiſſimè, quando jam ægri in vigore febris acutæ & delirio conſtituti fuiſſent, applicationemque omnem aliam clyſterum, purgationum, potionum, epithematum & cataplasmatum vanam & fruſtrane-

am deprehendiſſent, à ſe ſolum præfatum emplaſtrum vulneri applicatum fuiſſe, ſtatimque ægros ſolamen ſenſiſſe, ac cuncta ejusmodi mala ſymptomata ſine ullis internis vel aliis medicamentis adhibitis evanuiſſe.

Talia autem emplaſtra vulneraria cephalica ab ipſo ſummoperè commendata ita parare docet:

Emplaſtrum cephalicum.

℞. ceræ novæ & nullum adhuc uſum expertæ ℥VIII.
terebinthinæ turbidæ, ſeu non clarificatæ ℥IV.
ol. roſac. ℥ij.
ſucci betonicæ ℥V.

coquantur hæc omnia in nova ſartagine, donec ſuccus ſit abſumptus, tum removeantur ab igne, ac ſequentia ſubtiliſſimè pulveriſata interendo admiſceantur:

℞. colofonii ℥ſ.
maſtich.
myrrhæ
thuris an. ʒſ.

circumagitatio ſpatulæ continuetur, donec omnia eatenus refrigerentur, ut manibus ſubigi poſſint, tunc etiamnum ʒſ. ſvaviſſimi olei ſtyracis calamitæ manibus ſubmalagmetur optimè & exinde paretur maſſa emplaſtri. Quod mirum in modum cerebro ſit amicum, vulnusque repurget, nec ſordidi quid in ipſo generari ſinat, illudque contegendo occludat, ut nullus vapor, halitus vel aura in illud intret, vel exeat, quod ſummè vulneribus conducat.

Sequens verò emplaſtrum etiamnum prædicat excellentius, quod ita fiat:

Aliud.

℞. ceræ novæ ℔ſ.
terebinthinæ ℥VI.

liqueſcant invicem ſatis fervidè, tum ea effunde in aquam roſarum, & in iſta refrigeſcere ſinantur, poſtmodum exime & iterum liqueſcere ſine, ut omnis aquæ roſaceæ humiditas rurſus recedat, tuncque inſperge hos ſubtiliſſimos pulveres:

℞ fol. alchimillæ ſiccat. ℥j.
thuris
maſtich.
myrrhæ an. ʒj.
lap. calaminar. præparat. ℥ij.
terræ ſigillat. ℥ſ.
ſuccini albi ℈j.

Omnibus his ſubtiliſſimè tritis & inſperſis ſartaginem ab igne depone, mixturamque optimè ſpatulâ ſubige, donec refrigeſcat, tum cum oleo chamomillæ magdaleones forma.

Ungventum ejus vulnerarium cephalicum hoc eſt:

Ungventum.

℞. mellis deſpumati
axungiæ cervin. an. ℥ſ.
aloë hepat. ſubtiliſſ. trit. ʒj.

liqueſcant hæc continuâ ſubagitatione invicem, ac refrigeſcere permittantur, tum hoc ungventum linteo inducatur & circum vulnus applicetur; hæc pauca ad omnia capitis vulnera ſufficere laudatus Wurzius ſanctè affirmat.

DE VULNERIBUS OCULORUM.

De ſtructura oculorum egimus ſupra cap. 19. jam verò de eorum ſpecialibus vulneribus etiam non-

non nulla in medium ſunt afferenda, vulnerari autem oculi poſſunt modis variis, nempe vel armorum inflictione,& virgarum flagrorumve invibratione, vel etiam rerũ acrium inſultione,ut interdum contingit his qui mercurium ſublimatum, vitriolum calcinatum &c. in mortario contundunt, vel etiam per imprudentem intruſionem acus, furculæ, cultri &c. Vulnerantur autem oculi vel ſoli, vel interdum unà cum palpebris, quæ quidem inſtar aliorum vulnerum communium ob earum carnoſitatem facilè ſanari poſſunt remediis vulnerariis vulgaribus, at ubi vulnus aliquantulum ipſos oculos penetret, tunc ſtatim excœcatio ſequitur, perſectâ enim corneâ tunicâ aut uveâ primò humor albugineus, ac poſtmodùm quoque vitreus effluunt, omneſque mox tunicæ corrugantur & flacceſcunt, vulnus tamen ſanari poteſt. Si quando itaque alteruter oculus vulneretur, unàque palpebra diſcindatur, ita ut panniculus quaſi ex ea pendulus fiat, tunc oportet eum iterum filo rubro ſerico adſuere, & ſi ulla particula oculo infixa manſiſſet, ſive ſit feſtuca,fragmentum ſpinæ,vel lapillus acutus, ea confeſtim eximatur, ad vulnus verò ipſum non ſtatim applicanda ſunt valdè refrigerantia ut ſunt albumen ovorum concuſſum &c. ut communis mos eſt, niſi fortè magna adſit inflammatio, quæ talia refrigerantia illicò requirit ex ejuſmodi albumine,aquâ roſarum, ſolani &c. longè verò excellentius eſt ſacharum ſaturni in aqua roſarum ſolutum, & intinctis linteolis oculis impoſitum, ſed multis paraſangis hæc imò ferè omnia alia remedia ſuperat oleum rubrum deſtillatum ex ſacharo ſaturni, ſi unica ſaltem vel altera ejus guttula vulnerato oculo indatur, adeò ut de eo exempla ſint reſtitutorum oculorum vulneratorum, è quibus jam jam aliquid humoris effluxerat; ſiſtit enim eveſtigiò talem effluxum, ac reliquum in tunicis retinet ac cicatriſatione firmat. Illud autem oleum Saturni ita paratur: Accipe minium,vel ceruſſam,vel cinerem plumbi, ſuperfunde acetum deſtillatum, donec in calore acetum dulceſcat, tunc decanta illud à calce plumbi, aliudque affunde, acetum coloratum filtratum evapora ad cuticulam, & reliquum in locum frigidum repone, & cryſtalli concreſcent, quæ ſunt ſacharum hoc ſaturni, hujus ſufficientem quantitatem, nempe dimidiatam vel integram libram inde retortæ vitreæ luto obductæ, & deſtilla primò leni ignis gradu ſenſimque fortiori, donec guttæ rubræ transcendant, quas peculiari vitro excipe, quamdiu quicquam deſtillat, parum quidem olei obtinetur, ſed pauciſſimæ etiam guttæ ejus ſufficiunt: at ſi hoc oleum in promptu haberi nequeat,alia quæ ad manum ſunt, ſubſtituenda veniunt; quando itaque in parte carnoſa, nimirum in palpebris vulneratio facta eſt, illud ſi opus ſit primò conſuitur, tumque emplaſtrum vulnerarium ſuperponitur, & ſuper illud emplaſtrum etiamnum aliud refrigerans applicatur,

Olei Saturni paratio.

tur, eum in finem, ut omnis inflammatio arceatur; refrigerans ejusmodi poteſt eſſe vulgare illud ſic dictum lac virginis, vel vinum rubrum ſtipticum, cui mixtum ſit non nihil olei maſtiches, cum intinctis ipſi linteolis, vel albumen ovorum concusſum, & cum faſciculis è ſtupa impoſitum. Si verò cornea ſit vulnerata, & jam inciperet humor effluere, tunc illicò abſtergendus eſt ſangvis, moxque triplex vel quadruplex folium auri, qualibus aurifabri utuntur, vulnusculo imponendum, ut effluxus ille, quantum fieri poſſit ſiſtatur, & quod etiamnum intus eſt retineatur.

Aqua verò ſequens vulneratos oculos certò & tutò ſanat, etiamſi exterior tunica conjunctiva eſſet per rupta, vel una pars ſuper alteram detorta, vel à variolis aliquid læſum, vel ullo alio modo oculi cæſim vel punctim vulnerati, ad quam

℞. ſachari Saturni ℥j.
thuris ʒVI.
terræ ſigillat. ʒij.
gumm, tragacant.
ſarcocoll.
camphoræ an. ʒſ.
radicis tormentill.
fol. alchimill.
agrimon.
ſanicul.
pyrolæ ſylvat. an. ℥ſ.
vini alb. ℔j.
aquæ roſar. ℔ſ.

conſcindantur & contundantur hęc craſſo modo, deſtilleturque ex illis, quicquid vult in balneo transcendere, deſtillato liquori immitte

tutiæ præp. ʒij.
æruginis clarificatæ
magiſter. perl. an. ʒj.

m. omnia hujusque liquoris quotidiè aliquid bis oculo læſo inſtilla, ſuper oculos verò non opus eſt quicquam ſuperponere præter linteolum aquâ roſar. in qua ſolutum ſit non nil ſachari ſaturni, madefactum, & oculis ſuperimpoſitum, ſed oportet toto curationis tempore in ordinario potu ſequentia infundere, eamque infuſionem tantummodò contra ſitim bibere:

℞. euphraſ.
beton.
valerian.
rutæ
cardui bened.
fœniculi an. mſ.

conſcindantur omnia craſſo modò, ac ſacculo incluſa vino immittantur.

Ex hisce ſimplicibus poteſt etiam fieri pulvis, isque omnibus cibis inſpergi, vel ex eo confici tragea, nec ſolum hæc oculis vulneratis conveniunt, verùm etiam cunctis aliis hebetudine oculorum laborantibus.

At ſi etiam jam commemorata in promtu non ſint, tum oculus vulneratus eluatur lacte muliebri tepente, vel caprillo, & ſi vulnus ſit valdè dolorificum, tum ſequens fiat collyrium:

℞. Sief albi Rhaſis — Collyrium.
tutiæ præp.
hæmatit. præp.
aloës pulveriſ. an. ℈j.
tragacant.
gumm. Arab.
laudan. opiat. an. ℈ſ.

Omnia

Omnia diu multumque conterantur, & cum ſ.q. aquæ roſar. & euphraſiæ f. collyr.

DE VULNERIBUS FRONTIS, NASI, GENARUM, AURICULARUM ET MAXILLARUM.

VUlnera frontis tractantur ut alia vulnera capitis, ſanantur tamen facilius vertici inflictis, at utraque iisdem remediis ſupra deſcriptis. Aſt auriculis, naſo, & genis vulneratis neceſſe eſt, ut quatenus cædendo pendula eſſent facta, per conſuitionem iterum adducantur, mediante ſaltem unâ vel alterâ acus transmiſſione, adhibendo artificioſam coaptationem, ne nimium deformes cicatrices cauſentur, & quam primùm ſigna agglutinationis advertuntur, ita ut absque fili interventu jam adhæreſcere poſſe videantur, ſutura fili rurſus reſcindenda & extrahenda eſt, antequam ſponte putreſcendo exiret, alioquin ingens deformitas ſecutura eſſet. De cætero hæc vulnera facilè remediis vulnerariis cephalicis ſaneſcunt, dummodò ſedulò deligentur, absque omni periculi metu, quatenus non integrè à trunco diviſio ſeu abſciſſio eorum facta fuerit, tum enim nullâ arte vel poſſibilitate humanâ effici poſſet, ut rurſus agglutinentur, niſi jam ante adhuc bona eorum pars trunco capitis adhæreat, imò licet etiamnum adhæreant, aliquo tamen modo particula dependens refrigerata ſit, non tamen agglutinabitur, niſi recentiſſimè & ſangvine adhuc madens foveatur vino mediocriter calido, in quo rad. ſymphyti majoris vel pyrola vel alia quædam efficax herba vulneraria ſit decocta. At ſi in regione ſis, ubi vinum planè nullum haberi poſſit, tunc loco vini accipe urinam puerorum vel virorum, in eaque herbam aliquam vulnerariam decoque vel ſaltem eam calefac, ac madefactis in eâ ſpongiis vulnus fove, donec intepeſcat.

Notandum etiam, ut ſi ex vulneratâ particula ſangvis non amplius profluat, ſed jam ante ſubſtiterit, ante adſuitionem utraque pars ſcarificetur, ita enim interventu cruoris recentis promptior agglutinatio ſequitur.

Aſt maxillarum vulnera ſanatu difficiliora ſunt, & ſi fortè inter feriendum maxilla ſimul exciderit, prius reponenda & vulnerata coaptanda eſt uti antea fuit, & nihilominus longè difficilius ſanatur, quàm vulnera genarum, quoniam articulus maxillæ in continuo verſatur motu, idemque articulus affluxum ſinoviæ concitat, & perpetuò ſalivat, proinde parcus ſit uſus omnium pingvium, ſordidorum ſarcoticorumve, aliàs caro copioſa ibi generaretur, unde non ſolum motus articuli redderetur difficilis, ſed alia quoque noxa accerſeretur, totum ergò ferè negotium potius committendum eſt emplaſtro probatiſſimo vulnerario, quod ſemper tepidum & undique accuratè adhærens imponatur, injungendo ſimul ægro, ut os crebrò colluat & gargarizet, ad accelerandam ſanationem, & carnis ſuper-

fluæ ſuccretionem impediendam, cui uſui ſequens inſervit gargariſmus:

Gargariſmus.

℞. fol. querc. ℥j.
aluminis uſti ʒj.
vitrioli albi
ſalis armoniaci an. ʒſ.
vini ℔j.
aquæ commun. ℔iij.

coquantur hæc ad caſum tranſverſi pollicis, eoque decocto aliquoties in die gargariſetur. Melius verò ad hoc operatur, ſi ſimul præter hunc gargariſmum etiam folia quercus & ſymphytum majus in aqua coquantur, talique decocto os ſubinde colluatur, ac tepidè in buccâ teneatur, tum verò elapsâ aliquâ morâ ſuperiori decocto gargarizetur, & ſic alternatim pergatur, ita enim ſanatio citior ſperanda eſt.

Quandoquidem verò vulnera faciei relictis poſt ſanationem deformibus cicatricibus ingentem turpitudinem & deformitatem inferant, varium ideò expetitur conſilium, quî illud avertatur, vel facto remedium paretur, uti quidem fit in aliis vulneribus mediocribus in locis carnoſis exiſtentibus, quibus conſutio non fuit adhibita, in reliquis verò majoribus cicatrices ferè ſemper remanent, vidimus tamen ab uſu ſpiritus vini, in quo folia perfoliatæ macerata fuerant, non adeò notabilem contigiſſe cicatricem, eluebatur autem vulnus quotidiè præfato ſpiritu vini, ac deinde unum è maceratis foliis imponebatur, Wurzius verò ad hunc uſum ſuum experimentum prædicat, ad quod ſpiritus vini rectificatus accipitur, atque ejus tres partes ſuperfunduntur uni parti florum fabarum, ab eisque leniſſimè per alembicum abſtrahuntur tamdiu, donec parum phlegmatis in alembico appareat, ubi mox vas recipiens cum ſpiritu vini aufertur, ac ſpiritus vini in hunc uſum in munito vaſe aſſervatur, hoc autem cum priori in fundamento omnino convenit, in utroque enim modo vulnus quotidiè ſpiritu vini præparato bis eluitur, abſtinendo ab omni alio ungvento & emplaſtro.

Alii ad hunc ſcopum accipiunt recentem ovi vitellum, ac de eo vulneri indunt, tumque ad manus habent urinam puerorum, cui injiciunt tantum ſalis communis, ut urina ab eo aliquantulum ſpiſſeſcat, in eaque pannum lineum humectant, ac vulneri ſuperponunt, æqualiterque deligant, ut labia vulneris probè conjungantur, ac intra unam noctem vulnus contrahi ajunt non ſecus ac duo aſſeres à glutine, ut ferè diſtingvi nequeat, qua in parte vulnus fuerit inflictum.

DE VULNERIBUS COLLI.

Quoniam multæ ad vitam inevitabilis uſus partes in collo concurrant, nempe gula arteria aſpera, muſculi, cervicis vertebræ, venæ & arteriæ majores ſpinaliſque medulla, idcircò hæc vulnera non poſſunt non eſſe lethaliter periculoſa, præſertim ſi vena grandior, vel nervus, vel gula, vel arteria aſpera, vel cervicis vertebræ notabiliter

ſint

ſint vulnerata, quodlibet enim ejusmodi vulnus valdè malum & periculoſum eſt, & magnis doloribus comitatur, ac proinde quibuslibet pravis ſymptomatibus, quæ vulneri ulli ſupervenire poſſunt, obnoxium.

Si quando itaque cervix vulneratur, tunc vulnus illud æquiparatur, vulneri capitis periculoſo, per cervicem enim decurrit medulla ſpinalis, quæ pars eſt cerebri. Tantam ergò hæc tria ut cerebrum, cervix & medulla dorſalis inter ſe convenientiam habent, ut eorum vulnera æqualiter ſint periculoſa, & potiorem partem iisdem remediis tractari poſſint, ut plurimum tamen vulnus cervicis & ſpinalis medullæ ſi profundius penetret, mortiferum eſt, ſtatim etiam à vulneratione medullæ dorſalis omnes partes infra vulnus ſitæ omnem motum ac ſenſum amittunt, quoniam ipſis ſpiritus animalis à cerebro per nervos deſcendens intercipitur, adhæc vulnerata hæc medulla convulſionem lethaliter periculoſam excitare ſolet. Proinde nemini eſt ſvadendum, ut ullo modo in ejusmodi vulneribus benè ſperare juberet, vel curationem aggredi vellet, niſi cum prædictione lethalis periculi; quumque etiam hinc eluceſcat, tres has partes nullam apertionem vel diviſionem ferre poſſe, multò minus Chirurgo id licet, ut intruſione ſpecilli vellet profunditatem conditionemve vulneris ſcrutari, vel tentis & conſuitione illud cruciare; nihil enim aliud violenta tali inſtrumenti circumactione fit, quàm renovatio vulneris, eorundemque ſymptomatum, quæ talem vulnerationem ſequuntur, provocatio, fugienda itaque eſt talis revulneratio, quæ naturæ tam hoſtilis eſt ac ipſum vulnus.

Quantum autem ad curationem ſpei eſſe poteſt, in eo verſatur, ut ſtatim ſangvis cohibeatur, ac deinde remoto remedio cohibitivo ungvendum vulnerarium liqueſcat, ac tepidè in vulnus fluere ſinatur, deſuperque emplaſtrum oppoteldoch vel ſticticum Crollii, nec non ſuper illud emplaſtrum defenſivum, quod urgentibus doloribus ſæpius eſt renovandum, iisque ceſſantibus etiam defenſivum ceſſet, at cum ſtictico pergendum, ad præſervandum verò à convulſione ſæpè ſpina dorſi inungatur oleo calido nempe lumbricorum, chamæmeli vel alio calefacto, vitando omne frigus aliaque neceſſaria obſervando, ut ſuperius eſt indicatum.

DE VULNERIBUS THORACIS.

Arma pectus ferientia aut à coſtis inhibentur, ne profundius penetrare poſſint, aut eas ipſas cum pleurâ perrumpunt, & usque ad pectoris cavitatem penetrant, ubi ergò tantummodò cutis muſculiq; thoracis dividuntur, dicitur vulnus thoracis externum, perrumpens verò, internum, idque iterum dupliciter contingit, nimirum cum vel ſine læſione interiorum thoracis viſcerum. De externis quidem pectoris vulneribus non opus eſt ut multa dicamus, ſuperiori enim methodo

Rrrrrr 2 gene-

generali facilè auſcultant, & inſtar aliorum vulnerum partium carnoſarum haud admodum difficulter ſaneſcunt. At vulnera cuncta thoracis interna admodum periculoſa & curatu difficilia ſunt, ob ſita in eo viſcera maximè principalia, quæ quamvis etiam non lædantur, nihilominus tamen à vicinis partibus læſis facilè per ſympathiam ſimul irritantur, tum quia in interiori pectoris vulneratione ſangvis defluit in interiorem pectoris cavitatem, ibique facilè concreſcit, putreſcit, & periculoſa ſymptomata excitat; tandem quia thorax in continuo exiſtit motu, vulnera autem quælibet requie & tranquillitate ad ſuam ſanationem opus habent, hinc fieri nequit, quin vulnera profundè in pectus penetrantia periculoſa ſint & difficilimæ ſanationis.

Utplurimum autem thoracis vulnera proficiſcuntur à punctione mediantibus inſtrumentis mucronatis, ut ſunt gladii, pugiones cultri &c. ad interiorem autem cavitatem ea penetraſſe hinc ſcitur, ſi inter reſpirandum ſpiritus per vulnus efflatur, imprimis ſi os & nares comprimantur, tam enim fortiter tunc ſpiritus per vulnus exhalat, ut admota ardens candela ab eo extingvatur, impoſitæque vulneri turundæ rurſus ejiciantur. Sequitur etiam paulò poſt difficilis reſpiratio, partim quod vulneratæ partes intumeſcant, partim ob perforationem, unde anthlia hæc aëris mox in trahendo aëre impedimentum ſentit, uti contingere quoque videmus attractoriis vini (Weinheber) quamprimum enim in latere minuto ſaltem foraminulo perforentur, tunc ſtatim impeditur, quo minus eo vinum è doliis attrahi poſſit, tum verò imprimis anhelitus redditur difficilis, quando pars ſangvinis à vulnere introrſum in corpus ruit, & diaphragma gravat.

Curatio vulnerum thoracis communi viâ methodicâ ita perficitur. Primò reponitur æger ſtatim in illud latus, in quo vulnus eſt, & ſi vulnus ſit admodum anguſtum, vel via puncturæ non omnino dignoſcatur, oportet ut externum os vulneris per ſectionem amplietur, manantique ſangvini ſpacioſior exitus concedatur, ne neceſſe habeat intrò in corpus fluere, ſi verò ſuſpicio ſit, jam dum partem ſangvinis in corpus fluxiſſe, ut ſæpè contingit, ibidemque concreviſſe, tunc omni curâ nitendum eſt, ut talis concretus ſangvis iterum reſolvatur, & è corpore trahatur, antequam computreſcat. Quod ſi ejusmodi in corpore jam cumulatus & concretus ſangvis non poſſet iterum reduci ad vulnus, quamvis ejus orificium ſatis ſit dilatatum, ac per illud foràs eliminari, tunc non leve periculum impendet, nimirum corruptio iſtius ſangvinis, febrile incendium, aliaque prava ſymptomata, niſi quis antevertere his norit, id quod ſecundum normam vulgatam ita fit; inſtituunt nimirum illicò paulò ſupra diaphragma inter ſecundam & tertiam vel tertiam & quartam coſtam inciſionem ab infima coſtâ computando, ſic enim diaphragmatis læſio

non

non eſt metuenda, dicto autem in loco primò cutis & muſculus perſecatur, ac deinde pleura ſeu membrana coſtas ſuccingens, atque ita per hanc factam apertionem omnis concretus ſangvis, pus & ſordes evocantur, imponendo ſimul canaliculum aureum vel argenteum, ut per illum impuritas emanare & educi, eoque mediante vulnus apertum ſervari poſſit. Vulnus autem & cavitas pectoris quotidiè bis eluitur convenienti decocto, quale parari poteſt in hunc modum:

Decoctum. ℞. hordei
flor. roſar. rub. an. mſ.
millefol. mj.
radic. tormentill. ℥j.

Conſciſſa hæc decoquantur in aq. pluv. ℔iij. adde mellis roſat. ℥iij. de colatura f. lavamentum.

Vel ℞. aq. plantag. ℔iij.
mellis roſat. ℥IV.
ſcordii mj.

decoquantur ad caſum tranſverſi pollicis, cujus ℥XII. tepidè per ſiphonem injiciantur, quo facto æger ſe convertat in alterum latus, ac injectum liquorem per ſex horas in corpore retineat. Hæc operatio quotidiè continuetur, ad vulneris usque ſanationem, utendo ſimul victu laudabili & potu vulnerario, cujus conficiendi modus ſupra traditus eſt, ſed rariſſimè hac methodo ullum vulnus pectoris periculoſum ad optatam ſanationem perducitur, quin ad minimum fiſtula pectoris ſuccedat.

Præclariſſimus verò Chirurgus Wurzius propriam tractandi hæc vulnera methodum quibusvis aliis præfert, quâ nimirum thoracis vulnus ingens confeſtim (quatenus id fieri poſſit) conſui debeat idque duplicata netura fortiſſimâ, ne ſponte rurſus ſolvatur & aperiatur, propriâ enim natura ſemper tendere ad apertionem ob magnam vim anhelitus propulſivam, tam ſtrictè ergò & æqualiter conſuendum eſſe, ut neque ſpiritus ab intus foras halet, nec aër externus intrò feratur, quod mirum in modum vulneri noceat; à conſuitione nullâ aliâ re utendum eſſe quàm ungvento vulnerario quotidiè imponendo, ac deſuper applicandum emplaſtrum magneticum ſeu oppoteldoch, quod magnetem præparatum ſimul recipit, cum celerrima deligatione, ut quantum fieri poſſit, afflatus aëris evitetur, commendat autem hic in ſpecie ſuum ungventum vulnerarium viride, quod ita paratur:

℞. pyrolæ
ophiogloſſi
ſaniculæ
veronicæ an. ℥j.
flor. hyperic.
centaur. minor. an. ʒVI.

Conſciſſa omnia minutim contunde optimè, indeque tunc mixturam vitro anguſti orificii, ſuperfundendo ol. oliv. clari ℥ij. ac unà adde medullæ taurinæ ℥j. axung. porcin. ℥iij. butyri recentis inſulſi ℥IV. vitrum obturatum colloca ſuper arenam calidam vel in aquam ferventem, & per octiduum materiam macerari ſine, ita ut axungia & oleum in continua ſerventur liquatione;

deinde totam mixturam evacua in ſartaginem cupream, in eaque tamdiu coque, donec omnis humiditas abſumpta ſit, tunc per pannum exprimendo cola, abjectis remanentibus fecibus, colato adde terebinthinæ ℥j. & ſi aliquantulum refrixerit ſubagitando etiamnum admiſce ſubtiliſſimos pulveres

maſtiches
thuris
myrrhæ an. ʒß.
aloë hepaticæ ℥j.
æruginis clarificatæ ſubtiliſſimè tritæ ʒj. vel ℈IV.

Et ita refrigeſcere ſine, & ſi etiamnum juſto liquidius eſſet hoc ungventum; addi quoque poſſunt ceræ ℥ij.

Denique immiſſionem ſpecilli in hoc vulnus ad inveſtigandam ejus profunditatem Wurzius tanquam conſvetudinem maledictam penitus damnat, ac ab omni turundarum impoſitione dehortatur; quoniam ab aëre anhelitus intro trahantur, quibus deinde ægro inevitabiliter ſit moriundum, & quamvis etiam ejusmodi turundis alligari poſſit filum, eoque ipſæ rurſus extrahi, nullam tamen unquam hisce vulneribus convenire turundarum vel peciarum impoſitionem, ut neque nimis calidam deligationem, ab ea enim vulnus facilè in fiſtulam converti, tenendum ergò eſſe medium inter frigidum & calidum.

Si verò ob ſitum vulneris integra conſuitio ejus fieri nequeat, tunc conſuitionem penitus prætermittendam, & ſaltem fortem ſangvinis cohibitionem adhibendam, quæ antea in promptu eſſe debeat, ut omnia celerrimè fieri, vulnusque citiſſimè deligari poſſit, ne flatui halitus diu concedatur per vulnus exitus, qui ipſi ſit valdè noxius, & ad putredinem & corruptionem disponat, cum ſit vapor calidus & humidus; deligationem proinde fieri oportere in conclavi temperatè calido obſcuroque & prope fortiter ardentem candelam ceream (quæ non adeò facilè ab halitu ex vulnere extingvi poſſit, ne ſi extingvatur, deligatio remoretur) ſummaque cum feſtinatione, ne multum auræ externæ frigidæ in vulnus trahatur, hoc enim ſi fieret, æger nullo unquam tempore integrè convaleſceret, ac proinde opus eſſe, ut facilè agglutinabilia & firmiſſimè adhærentia emplaſtra in promptu ſint, quæ nullum vaporem vel flatum penetrare ſinant, vulnusque ab eis ſemper concluſum maneat.

Quoniam ergò hic deligationis modus aliis inſvetus ſit, quippe qui omnes non tantùm vulnus apertum ſervent; verum etiam, ſi non ſatis amplum ſit, adhuc magis dilatent, ut ſangvis probè effluere poſſit, nec anſa ipſi detur manandi in corpus, ibipue putreſcendi, ipſe nihilominus in ſua perſtat ſententia, ſe nimirum de ejusmodi ſangvinis concretione & corruptione omnium minimè eſſe ſollicitum, dummodo fortis potio vulneraria ſimul in uſum vocetur, ab ea enim ſangvinem extravaſatum in aquam reſolvi, & per urinam & ſudorem expelli, experientiam

entiam quoque loqui pro ſe, quod vulnus aëri expoſitum longè difficilioris ſit ſanationis, quàm præfato modo concluſum; quod autem de pure in vulnere remanente ſcrupulus moveatur, pari modo parvi eſſe momenti, pus enim ab emplaſtro oppoteldoch abſumi & exigi, atque etiam unà cum corporis excrementis quotidiè evacuari. In reliquis ab aliorum placitis non recedit, ſed iisdem cnm ipſis remediis utitur, ex. gr. ſi vehemens tuſſis ægrum moleſtet, tunc ipſi eadem pectoralia tuſſemque lenientia probantur, quæ & ab aliis præſcribuntur, talique in caſu utitur ſequenti potione probata pectorali:

Potus pectoralis.

℞. herb. pulmonar.
veronic. an. ℥VI.
hyſopi
ſem. aniſ.
paſſul. minor. an. ℥ſ.
liquirit. raſ. ℥j.

Coquantur hæc in aq. comm. ℔V. donec tertia pars aquæ ſit abſumpta, tunc colentur, colaturæ adde mellis ℔ſ. decoquantur iterum, & deſpumentur optimè, hujus æger largum hauſtum pro vice aſſumat.

Parari etiam poſſe potiones pectorales, quæ urinam moveant, ſimulque pus latens educant, hocque eò melius ſuccedere, ſi ſubinde in ejusmodi potionibus rhabarbarum, vel ſena infundantur, eisque evacuatio procuretur.

DE VULNERIBUS INFIMI VENTRIS.

TRes ſunt in corpore humano inſignes cavitates, quæ vocantur ventres, nimirum 1. Caput ſeu cavitas ſuprema. 2. Thorax ſeu regio media. 3. Abdomen ſeu venter imus, de quo impræſentiarum tantummodò ſermo eſt. Venter hic inſimus ſub ſe comprehendit totum illud ſpacium inter diaphragma & pudenda, cujus pars exterior conſtat cute, muſculis & peritonæo, interior verò tota hæc eſt cavitas, cum partibus ſingulis in ipſa contentis, quæ exterius in tres dividitur partes, quæ ſunt 1. Epigaſtrium ſeu ſumma ventris regio, Germ. der obere Bauch. 2. Regio umbilicalis der Nabelplatz. 3. Hypogaſtrium ſeu infima ventris regio der Unterbauch. Quemadmodùm autem hic venter unicus commemorato hoc loco diverſa nomina ſortitur; ita etiam ambo ipſius latera eodem modo nomina ſua mutant, circa epigaſtrium enim latera hæc vocantur hypochondria, prope regionem umbilicalem ilia. In hypogaſtrio ingvina, quamvis ſemper eadem latera ſint. Infimus autem hypogaſtrii terminus piloſus eſt pubes.

Deſcriptio anatomica ventris.

Muſculi ſub communibus integumentis abdomini ſunt decem, nimirum utroque latere quinque, quorum ad craſſorum excrementorum alvi excretionem ſumma eſt utilitas, ſuntque 1. Obliquè deſcendentes. 2. Obliquè aſcendentes. 3. Recti. 4. Pyramidales. 5. Tranſverſi.

In dextro hypochondrio hepar ſitum eſt ad ſpatium duorum digitorum transverſorum latitudinem ultra coſtas nothas ſe protendens, usque

que ad cartilaginem ſterni mucronatam. Ventriculus ſpacium medium occupat epigaſtrii ſtatim ſub diaphragmate, cujus pars major ſiniſtra in ſiniſtro hypochondrio ſtabulatur, digitorum quatuor transverſorum latitudine ultra nothas coſtas propendens ; lien verò in eodem hypochondrio ſub ſepto transverſo inter ventriculum & coſtas, verſus partem dorſalem ſituatur.

In medio umbilicails regionis inteſtinum tenue circumgyratur.

Colon verò in latere dextro circa renem inchoans inter umbilicum & ventriculum ductu transverſo ad ſiniſtrum renem porrigitur.

In hypogaſtrii medio collocatur veſica urinaria, atque ſub hac in ſexu fœmineo uterus, denuòque ſub his inteſtinum rectum.

Vaſa ſpermatica cum glandulis ad latus reclinant.

Quandoquidem autem cunctæ hæ partes unà cum meſenterio & omento undique nimirum anterius & poſterius, ſuperius & inferius peritonæo comprehendantur & includantur, nulla utique earum vulnerari poteſt, quin prius peritonæum ipſum ſit perſectum, quod ſi contingat, dicitur vulnus ventris internum, ubi nimirum peritonæum unà cum omento eſt diviſum, vulnusque ad interiora abdominis penetravit, at ſi peritonæum integrum manſerit, ac tantummodò cutis & muſculi abdominis læſa fuerint, vulnus externum vocatur.

Talia externa vulnera quod attinet, referuntur ea inter communia carnoſarum partium vulnera, quæ omni periculo vacant, vulgaribusque remediis vulnerariis ſupra deſcriptis facilè ſanantur ; majori autem difficultate ſtipantur vulnera muſculorum circa umbilicum, ob ſuperfluam enim ventris humiditatem facilè corruptionem contrahunt, nec non inflammationem & gangrænam, lethaleque hoc modo periculum accerſere poſſunt, contemnenda itaque talia non ſunt, ſed his annumeranda, quæ mediocriter periculoſa exiſtunt.

At ſi parumper ſaltem arma ventrem feriant, haud difficulter tam molles partes ad interiora usque penetrabunt.

DE VULNERIBUS INTESTINORUM ET MESENTERII.

IN abdominis & peritonæi diviſione inteſtina nonnunquam illæſa prolabuntur, hoc ſi contingat, confeſtim abluantur calido vino, cui incoctæ ſint herbæ vulnerariæ, & in locum ſuum juxta ordinem reponantur, factâ prius majori vulneris dilatatione, ſi tam anguſtum ſit, ut per illud repoſitio fieri nequeat. Verùm ſi ſimul læſa ſint inteſtina, præſertim gracilia circa umbilicum ſita, æger ferè mori ſolet. Poteſt tamen ſauciatorum inteſtinorum curatio tentari hunc in modum, primò ſi vulnus ſit adeò arctum ut manualis opitulatio ſatis commodè applicari nequeat, per inciſionem dilatetur, cautiſſimè tamen, ne plus inteſtina lædantur, deinde inteſtinum ſvaviter

ter

ter & leniter protrahatur, ut læſio conſpici & tractari poſſit, hinc fex intus detenta leniter digitis comprimendo proliminetur & educatur, vinoque vulnerario tepente, mediante ſpongia vulnus & inteſtini ſordities exterior abſtergantur, tum inteſtina filo ſerico conſuantur, vulnus autem abdominis prius non eſt conſuendum glutinandumve, niſi prius certa ſpes ſit, inteſtinum eſſe glutinatum, quod tamen ſperare vix licet.

Meſenterium verò in vulneratione inteſtinorum facilè unà læditur, eſt autem membrana craſſa conſtans tunica duplici & validâ, inter quam plurimæ recumbunt glandulæ, adeò exiles, ut vix niſi in valetudinariis obſerventur, præterquam tres, quæ in ſua naturali conſtitutione ſatis ſunt conſpicuæ, albicantes, teretes, ac ſolidæ; redduntque compreſſæ ſuccum albidum inſtar lactis, modò craſſiorem, nunc tenuiorem, qui nil eſt niſi chylus nondum in completum ſangvinem digeſtus; imprimis autem quæ maxima eſt, & in medio meſenterii reperibilis (reliquis duabus in ſiniſtro ferè latere ſtabulantibus) Ad glandulas haſce venæ lacteæ multæ feruntur, ac iterum à qualibet earũ ramulus prodit, qui ſtatim ſociantur, & venam lacteam thoracicam efformant.

Nullo autem modo deforis meſenterium vulnerari poteſt, niſi ſimul inteſtina vulnerentur, quod ſi contingat, immenſus dolor in toto inteſtinorum ſpatio, nec non circa ſpinam dorſi & in cervice cum contractione nervorum percipitur, unde periculum inteſtinorum vulneris duplicatur, cui tamen nullis aliis poteſt ſuccurri remediis, quàm potione vulneraria, atque his quæ vulneri inteſtinorum dicata ſunt, & ſi illud ſanetur, etiam læſum meſenterium ſimul convaleſcit.

DE VULNERIBUS VENTRICULI, JECORIS ET LIENIS.

VUlnerato fortiter epigaſtrio, non facilè illæſus permanet ventriculus, quando autem vulneratur, id fit duplici modo, aut enim vulnus in exteriori ſaltem ventriculi tunica hæret, quod minus periculoſum eſt, aut ad interiorem ejus cavitatem penetrat, quod ſemper lethali periculo plenum exiſtit, eoque magis, ſi ſuperius ſtomachi orificium vulneretur. In vulneratione igitur exterioris tunicæ neceſſe eſt, ut vulnus filo ſerico rubro conſuatur, pulvis vulnerarius inſpergatur, balſamusque vulnerarius illiniatur, ac potio vulneraria propinetur, in cæteris verò regimen ſit ut inteſtinorum vulneratorum.

At ſi vulnus penetret usque ad interiorem ventriculi cavitatem, tunc plerunque mortiferum eſt, ſuntque ejus ſymptomata frequens & violenta vomitio, effluxus chyli per vulnus, crebraque animi defectio; hæc vulnera committuntur operationi naturæ, conſuitio tamen cum proteſtatione adhiberi poteſt, unàque venæſectio in hæmorrhagia celebrari; ſi vulnus in ipſam ventriculi

cavitatem penetraverit, vulnus abdominis conſuendum, relinquendo foramen exiguum pro inſertione turundæ, quæ tamen ventriculi vulnus haud intret, ſed exterius tantùm attingat, applicando ſimul ea remedia, quæ ſupra ad vulnera thoracis propoſita ſunt.

Hepar verò & ſplen etiam facilè unà vulnerantur, ſi vulnus dextro vel ſiniſtro abdominis lateri infligitur, vulnerato autem hepate mox omnis in eo contentus ſangvis deperditur, unà cum calore naturali in ſangvine vigente, ſequiturque cachexia & mors; idem etiam periculum & exitus ſequitur vulnus ſplenis, ſuntque ambo lethalia ſi in ſubſtantiam horum viſcerum penetraverint, at ſi in exteriori tunica hæreant, ſanari poſſunt.

Oportet autem in hiſce vulneribus ſecare venam, alvumque quotidiè, ſi ſuppreſſa ſit, proritare clyſtere, ac potionem vulnerariam ex herbis aſtringentibus propinare, additis hepaticis, vel ſpleneticis ſpecificis, qua etiam vulnus eluatur, & pulvis vulnerarius inſpergatur, tumque vulnus abdominis conſuatur, ſuper ponendo ſimul emplaſtrum vulnerarium.

DE VULNERIBUS RENUM ET VESICÆ.

REnibus vulneratis loci eorum perſentiſcitur gravitas, dolor gravans & ponderoſus, urina ſupprimitur, atque nigricans conſpicitur, effluitque cruenta per vulnus, quatenus illud penetret, tumque ut plurimum eſt lethale, at ſuperficiarium ſanari poteſt.

In profundâ autem hypogaſtrii vulneratione plerunque veſicæ ſimul vulnus infligetur, quod cognoſcitur ex urinæ ſuppreſſione, & ejusdem per vulnus promanatione. Vulnus autem veſicæ in fundo ejus ſemper lethiferum eſt, in collo verò ipſius facilè ſanabile. Prognoſis.

Curationem quod attinet, in vulnere renum convenit potio vulneraria cum aliis ſpecificis, ut ſunt trochiſci de alkekengi, de terra ſigillata, de carabe &c. tum vulnus crebrò eluatur decocto hydromel. in quo herbæ vulnerariæ ſint decoctæ, hinc immittatur balſamum ſeu ungventum vulnerarium, ſed difficillimæ & tardiſſimæ læſi renes ſunt ſanationis. Et ſi vulnus in cavitatem intret, ren demum totus ſuppuratione corrumpitur, æger tamen diu adhuc ſupervivere poterit. Curatio.

Veſica vulnerata eodem ferè curationis modo tractatur, ejus autem felix eventus fiſtula eſſe ſolet.

DE VULNERIBUS BOMBARDARIIS; geſchoſſene Wunden.

PEr experientiam deprehenditur vulnera bombardarum diſploſione facta multipliciter eſſe lethalia, quamvis ſæpiſſimè neque locus, ubi trajectio globuli facta eſt, lethalis ſit, neque cum globulo intoxicato trajectio fiat, econtra etiam innumeri tali modo vulneratorum iterum convaleſcunt, quatenus experto Medico potiuntur. Potior autem

noxa.

noxa vulnerum bombardariorum ab uredine ſeu uſtione proficiſcitur, quam glandes imploſæ carni inferunt, nec non ab impetuoſa violentia diviſionis continui, quæ unâ operâ contundit, collidit, confringit & disrumpit, non modò eo loci, ubi glans perforat, verùm etiam in circumpoſitis partibus, quæ hac impetuoſa imploſionis violentia veluti à fulmine tanguntur. Hanc itaque ob rationem vulnera hæc ſemper ſunt periculoſiora aliis ab incidentibus armis facta, quia illa ſimpliciter ſua acie dividunt, hæc verò violenter diſcerpunt, & integras particulas non rarò avellunt, igneâque ſuâ caliditate haud levem ſæpè concitant inflammationem, febrem acutam, prunam, phreneſin aliaque prava ſymptomata. Quibus omnibus imprimis autem uredini prudens Medicus occurrere, eamque properè extingvere, & extrahere debet, incendit enim partes adjacentes, carnem nigrefacit, & ad corruptionem diſponit.

Curatio. Curationis horum vulnerum ſcopus in eo conſiſtit, ut primò probè obſervetur, quanam corporis parte globulus intraverit, & an penitus pervadendo ex oppoſito latere rurſus eruperit, vel etiamnum intus deliteſcat, & ubinam, quamque profundè, & annon forcipe roſtratâ apprehendi & extrahi poſſit, quod ſi reperiri nequeat, operationi naturæ committitur, quæ exacto aliquo tempore ejusmodi latentes in profundo glandes ſponte plerunque propellere ſolet, interim autem multa in vulnere ſpecilli circumactio, profundaque inciſio ad obtinendam glandem omittenda, & fugienda eſt tanquam naturæ hoſtilis, & valdè dolorifica, qua Archeus facilè ad furorem concitatur, unde nihil boni expectari poſſet, in uſu autem ſunt quædam egregiè expellentes potiones vulnerariæ, & quæcunque probè menſes movere ſolent, talia enim glandes quoque in corpore hærentes expellere deprehenduntur; Imprimis autem ſequens potio vulneraria decantata eſt in expulſione globulorum, & grandinum bombardaliũ (Schrot) quæ aliàs ob exiguitatem exigi vix poſſunt, quum poſt earum imploſionem foraminula carnis mox iterum coaleſcant, quæ ita fit:

Potio vulneraria expulſiva.

℞. braſſicæ rubræ non capitatæ (cujus ſemen ipſo die S. Ulrici ante exortum ſolis ſatum ſit, & quando jam adolevit, colligantur folia & ſummitates, luna decreſcente paucis diebus ante novilunium, & in umbra ſiccentur, hujus inquam ℞.) m. ij.

Artemiſiæ rubræ,
Saniculæ,
Conſolidæ ſaracen.
Alchimillæ
Sedi major,
Sabinæ an. m. j.

Simplicia hæc pari modo in umbra & aurâ liberâ ſiccentur, & ſimul in pulverem terantur.

℞. hujus probè mixti pulveris m. ij, vel iij. ſuperfunde libras quatuor vini albi, coque in nova olla lutata ad ſufficientiam, de colatura manè

& veſperi ℥iij. vel IV. bibantur, tum etiam vulnus eodem decocto eluatur, ac ſequens emplaſtrum ſuperponatur:

Emplaſtrum.

℞. terebinthinæ ℥ij.
Gummi elemi ℥j.
Colofon.
Ceræ flav. an. ℥ſ.
Sachari Saturni
Minii
Sangvinis draconis an. ʒiij.
Styracis liquidæ
Magnetis præparat. an. ʒij.
Croci Martis ℥ſ.
Ariſtolochiæ rotund.
Mumiæ an. ʒj.
Aloë hepat.
Aluminis uſti an. ʒſ.

Pulveriſentur quæ decet, primoque liqueſcat cera, ac tum reliqua ſucceſſivè immiſcendo coagitentur, addendo quoque balſami ſulphuris ʒij. & ad juſtam emplaſtri conſiſtentiam percoquantur, cujus parum pro vice ſubcaleſcere ſinitur, linteoque inductum hiſce & aliis vulneribus ſuperimponitur.

Fortaſſe ſpecifica, quæ fœtum ex utero propellunt, etiam alia in profundo corporis infixa foras eliminant, quod tamen experti nondum ſumus, talia autem fortiter expulſiva diutius uſum ne ſubeant, quàm quoad jam illud, quod expulſum volumus, ſit eductum, tumque ſtatim talis potio omittatur, aliàs nil boni operatura eſſet, alius tamen mitior potus vulnerarius adhuc aliquandiu continuari poterit, donec nimirum vulnus ſaneſcere videatur, & tunc etiam ejusmodi potus ceſſet.

Omnium autem primò ardor vulneris bombardarii internus reſtingvi debet, id quod ſi nil aliud ſit ad manus, obtineri poterit ab ipſo pulvere pyrio, ſi ejus ʒij pro una doſi in hauſtu aquæ fontanæ decoquantur, tum enim nitrum, quod clarificatum ad compoſitionem hujus pulveris aſſumitur, coquendo in aqua ſolvitur, tumque refrigeſcat, & uno hauſtu ebibatur, poſſunt pro unâ tali decoctione duæ vel tres doſes pulveris pyrii accipi, hauſtusque ſecundâ vel etiam tertia vice repeti, & eò certius & efficacius ardor reſtingvetur. Idem etiam præſtat nitrum per aquam roſarum clarificatum, & in cryſtallos redactum, ut ſupra doctum eſt, & ſi fortè nitri ſapor ſit ingratus, poterit addito ſacharo gratior reddi.

Exterius ſimili modo ardor vulneris reſtingvi debet, quod optimè efficitur alcalioſis, vehementem enim aciditatem corruptivam vulneri ineſſe, non eſt dubium, diſploſio enim bombardarum fit ab incenſo nitro, unde ſimul corroſivus ſpiritus nitri exhalat, & particula ejus cum glande in vulnus involat, ut taceamus, omnem ardorem eſſe corruptivè acidum, uti multis probari poteſt, optimum ergò hujus aciditatis extinctivum paratur è calce viva hoc modo:

℞. calcem vivam recentem, extingve eam in aquæ fontanæ partibus tribus, ac una vel altera ebullitione ſimul coque, dein aquam cola, atque in ea æqualem partem mellis coque & deſpuma, donec mel iterum

rum priorem ſuam conſiſtentiam obtineat,

Reſtingvens. ℞. hujus mellis ℥ij.
cremoris lactis ℥iiſ.
oculor. cancror. pulveriſat. ʒij.
m. f. linimentum.

Hoc tenuioribus turindis excipiatur, quæ utrique foramini, ſi nimirum totalis trajectio ab uno latere intrando & altero rurſus exeundo facta ſit, imponantur, exactis tribus horis id cum recenti linimento repetendo.

Aliud. Vel ℞. cancros fluviales recenter captos ſi haberi poſſint, vel eorum loco recentes cochleas, & tantundem recentis lenticulæ paluſtris, contunde hæc optimè, & exprime ſuccum, hujus ℞. q. p. ex. gr. ℥VI. aceti roſar. ℥IVſ. phlegmatis vitrioli, vel in ejus locum aquæ roſarum, in qua ʒj. ſalis prunellæ ſit ſoluta, ℥V. mellis ℔j. coque ſimul & optimè deſpuma, donec conſiſtentiam paulò liquidiorem melle obtineat, & utere hoc linimento, eodem modo ut de præcedente dictum eſt.

Quidam hunc ardorem oleis refrigerantibus extingvere præſumunt, ſed nullo cum fructu, imò majori noxa, in tali enim ardore non modò non refrigerant, verùm etiam ceu ignis pabulum ipſa incenduntur & ardorem augent; At quando prima inflammatio ignea prius extracta eſt & reſtincta, tum demum ejusmodi olea refrigerantia, nec non venæſectio conveniunt, antea verò minimè, nam ſi ante incendii reſtinctionem vena ſecaretur, ardor potius eò magis invaleſceret. Quod ſi ardor ejusmodi ab his jam dictis remediis non eſſet ſedabilis, ſed vulnus potius magis magisque rubeſceret, ægri vires paulatim conciderent, ſignum eſt, vulnus malignitatem & venenoſitatem induiſſe, protinusque talia uſurpanda eſſe, quæ veneno adverſantur illudque per ſudorem expellunt, qualia ſunt diaſcordium Fracaſtorii, Orvietanum, Mithridatium, theriaca Andromachi &c. Ex his quodcunque placet, datur larga doſi; longè verò melius operatur medicina diaphoretica ſuperius deſcripta, ſi in tanta doſi aſſumatur, ut æger poſſit optimè ſudare, quod ſi prima vice non ſufficeret, eadem doſis etiam ſecunda vel tertia vice repetatur.

Cæterùm de deligatione horum vulnerum notandum venit, eam initio ſemel tantummodò in die fieri ſufficienter poſſe, quoniam vulnera à trajectione glandium rarò ante diem quartum pus generant, quo apparente juxta ejus qualitatem judicari poteſt, ſitne legitimum vel malum, & pro neceſſitatis exigentia deligatio ſemel bis vel ter in die celebrari.

DE AMBUSTIONE.

VUlnerationi etiam accenſentur varia ambuſtio, per eam enim conſimili modo ſolutio vel diviſio fit continui, quemadmodùm autem modis valdè diverſis contingere poteſt, ita ſemper una ambuſtionis ſpecies alterâ eſt benignior vel deterior; fervens enim aqua, ſcintillæ ignis, linum vel ſtupa ſtramenve in-

cenſa omnium mitiſſimè adurunt, ita ut ſaltem epidermis in veſiculas aqua repletas abscedere ſoleat;

Butyrum verò, oleum, pix, ſebum, vernix & ſimilia æſtuantia, paulò magis urunt, maximè autem metalla ignita, nempe ferrum, chalybs, cuprum, plumbum, ſtannum, pulvis pyrius, lapides candentes, tonitru, fulgur &c. Omnis autem fortis aduſtio non tantùm cuticulam lædit, ſed in carnem etiam penetrat, unde cutis nigrificatur, ſenſumque amittit, deinde eſchara ſeu cruſta ſequitur, quæ decidens profundam ulcerationem relinquit.

Signa & cauſæ ambuſtionis manifeſta ſunt, prognoſin verò quod attinet, quælibet vehemens ambuſtio vix aliter ſanatur, quin deformantes cicatrices remaneant; cœleſtis verò accrematio à tonitru & fulgure plerunque etiam omnem ſpem non modò ſanationis, ſed & ſupervictionis concremat, quælibet etiam aduſtio locis piloſis accidens non ſaltem depilat, ſed & ne recreſcere quidem pilos permittit, at ſi oculis vel pudendis contingat, non niſi cum periculo id fieri poteſt, ſi usque ad inteſtina ambuſtio penetret, nulla ſanatio ſperabilis eſt, ſi majoribus vaſis accidat, periculum gangrænæ imminet. Progno-ſis.

Curatio ambuſtionis juxta ſpeciem ejus inſtituitur, cum ſemper una ſit gravior alterâ, in genere autem duplici modo ſanatio perficitur, nimirum vel per ardoris reſtinctionem, vel igneæ qualitatis extractionem. Cavendum tamen, ne initio talia applicentur, quæ frigida & humida qualitate prædita calorem reſtingvant; repercutiunt enim ardorem, & introrſum in corpus eum repellunt, gravioraque excitant ſymptomata; conſultius itaque eſt talia adhibere mox ab initio, quæ ardorem extrahant, cujusmodi eſt ſequens:

℞. lardum vel butyrum, ſine illud liqueſcere & optimè fervere, tum effunde in aquam frigidam, in eaque diu ac multum hinc inde coagita, donec albeſcat, poſtea refrigeſcere & conſiſtere permitte, tumque in linteolo extende inſtar cerati, & loco læſo applica, hoc autem remedium præcipuè valet ad uſtionem ab oleo, aqua vel ignis attactu. Experimentum

Vel ℞. ſebi hircini eliquati & olei nucum juglandium expreſſi ana æquales partes, liqueſcant & effundantur in aquam frigidam, fiatque in omnibus ut in modo præcedente, hoc autem præcipuè inſervit contra accremationem à metallis & mineralibus inter fuſionem vel candefactionem eorum accidentem. Aliud.

In genere autem contra omnifariam aduſtionem efficax eſt hoc: ℞. liquoris ſalſi qui in doliolis butyri ſaliti reperitur, madefac in eo linteola, & ambuſto loco ſuperpone, idem etiam præſtat aqua ſalſa marina, vel aqua ſimplex in qua ſolutus ſit ſal commun. Specifica

Vel ℞. mellis, butyri & ſaponis mollis nigri ana partes æquales miſce & loco aduſto applica, ejusdem virtutis etiam eſt decoctum jus raparum. Cuncta autem hæc extrahunt

hunt ardorem, ſedant dolorem, ſiccant & ſanant læſionem. At ſi ſimul adſit ingens dolor ab ardore, cum inflammatione, uti fieri ſolet, ſi incenſi pulveris pyrii flamma, vel lardi igniti fruſtula in aliquem volaverint, tunc ſtatim applicanda ſunt, quæ ardorem reſtingvunt & frigefaciunt, e.g. ℞. ſedi majoris & cancrorum fluviaſium vivorum an. q. pl. contunde ea invicem, exprime ſuccum, vel contuſam lenticulam paluſtrem appone, vel harum rerum expreſſus ſuccus cum ſiphone injiciatur.

Sequens autem ungventum adverſus quamcunque ambuſtionem ſive magna ſive parva ſit, conducit:

Ungventum.

℞. plantag acutæ mij.
fol. ſalviæ recentis mj.
butyri non ſaliti ℥VI.
albi è ſtercore gallinæ ℥iij.

Frigantur hæc ſimul per quartam horæ partem, tumque exprimantur, mixtura expreſſa ad uſum ſervetur, qui talis eſt, liquefac ejus particulam ſuper prunis, eâque locus ambuſtus perungatur, dein verò folium recens plantaginis, vel betæ vel braſſicæ ſuperimpone, hocque ſingulis duabus vel tribus horis reitera.

Ad extrahendum autem calorem è quavis aduſtione ſequens vix ab ullo alio remedio ſuperatur: ℞. aquam colatam, in qua rapæ ſunt decoctæ, extingve in ea fruſtula quædam calcis vivæ recentis, tumque iterum cola, madefac in ea linteola, & ſæpius applica.

Ubi autem à ſanatione ambuſtionis deformes cicatrices & ſtigmata remanerent, tunc conſultum foret ſæpius ea pingvedine angvillæ inungere, vel

℞. ungvent. citrin. ℥j.
pomati
ol. roſac. an. ʒij.
m. f. ungventum.

DE PERNIONIBUS;

Germ. Schrunden.

Perniones.

PErniones annumerari quidem poſſent ſolutioni continui, referuntur tamen vulgò ad impetiginem, de qua actum eſt ſupra cap. 196. at quum per oblivionem ibidem eorum mentio nulla facta ſit, adhuc nonnulla hîc de ipſis inſerere placuit.

Fiſſuræ.

Sunt autem perniones fiſſuræ ſeu ſciſſuræ in manibus & pedibus à diverſis cauſis contingentes, præcipuè verò ab ambientis frigore hiberno, ſuntque frequentes in digitis manuum & pedum, & maximè calcaneo, ubi plurimis ex nimia pedum perfrigeratione ſemel locum figentes, poſtmodùm annuatim redeunt, adeò ut talibus omni hyeme cutis calcanei crepet, & rimas ulcerantes acquirat, quæ etiam chimethla vocantur.

Chimethla.

De curatione fiſſurarum dictum eſt ſupra cap. 58. quæ etiam huc applicari poſſunt, præterea inſerviunt etiam ſequentia:

℞. rapas in aqua decoctas, contunde eas in pulticulam, quam adhuc probè ferventem loco affecto applica; vel

Ungventum.

℞. ſebi cervini
ceræ
ol. violac. an. ℥ſ.
m. f.

m. f. in leni calore ungventum.

Vel imple hoc ungvento rapam excavatam, operculumque ejus abſciſſum iterum alliga, ac madefactæ ſtupæ involutam ſub calidis cineribus percoque, tumque in pulticulam tunde & applica.

Vel. ℞. ol. violac. q. v. frige in eo allium, & expreſſum abjice, ad oleum verò ℞. tantundem ceræ, liqueſcant in ungventum.

DE VULNERE EX GELU; Germ. Erfrörung.

PErniones præfati quidem ſpecies ſunt læſionis à gelu, verùm adhuc alii quoque modi ejusmodi læſionis à frigore occurrunt, nimirum in frigidiſſimis regionibus, & trans alpes proficiſcentibus, quibus ſæpè naſus, & auriculæ nec non interdum manus & pedes penitus pergelantur, & glaciantur, adeò ut ſi repentè in locum calidum transferantur, particulæ illæ glaciatæ omninò corrumpantur, & gangrænatæ decidant, at qui in talibus frigidiſſimis locis hujus rei gnari ſunt, curant frigus frigore, naſo enim glaciato applicant nivem, & frigus extrahitur, pergelatas quoque manus immittunt aquæ frigidæ, eaque gelu in ſe trahit, ſenſusque manui redit. Hoc verò niſi fiat, glaciata pars ſenſum ac motum amittit, atque in gangrænam & ſphacelum degenerat, amputarique debet inſtar alterius partis gangrænatæ & ſphacelatæ.

In qualibet itaque vehementi & rigidante perfrigeratione partes glaciatæ nequaquam calori admoveantur, antequam gelu ſit extractum, tali modo ut dictum eſt, quod non modò in corporis humani glaciatis partibus, verùm etiam aliis ſuccedit, nimirum pomis, pyris, ovis, quæ ſi glaciata ſint, & aquæ frigidæ immittantur, vera glacies ex ipſis extrahitur, adeò ut craſſitie digiti in exteriori circumferentia adhæreat. Debet ergò pars glaciata foveri nive vel aquæ frigidæ immitti, donec iterum ſentiat, poſtea verò propinetur efficax quoddam diaphoreticum, talia nimirum quæ alioquin contra peſtem ciendo ſudorem juvare ſolent, quicquid enim venenum & æſtum peſtis expellit, & contra magnam inflammationem & ardorem juvat. Idem etiam valet adverſus frigiditatem & gelu, & niſi ejusmodi interna calefactio corporis poſt ingentis frigoris perpeſſionem inſtituatur, periculum eſt ne vel lepra, vel tympanites, vel hydrops anaſarca ſuccedat. Tale itaque diaphoreticum internum vel aliud propinari debet:

℞. elect. diaſcord. Fracaſt. ℥j. — Electuarium diaphoreticum.
ſinapi albi
caſtor. an. ʒiſ.
piperis albi
zingiberis an. ʒj.
croci ℈j.

Pulveriſentur omnia, & cum ſucci citri q. ſ. temperentur in electuarium, cujus ʒj. vel ʒij. cum aqua cardui benedicti, in qua tertia pars aceti rutacei addita ſit, intro ſumantur, expectando in lecto ſudorem, id quod quotidiè reiteretur, donec urina pallida rurſus fiat coloris aurei, vel ſi

jam

jam antea ſit coloris rubicundioris, à ſua rurſus ſuperflua rubedine, iterum efficiatur pallida; poſtmodum è loco glaciato adhuc omnis læſio extrahatur, uti fit à ſequenti:

Cataplasma.

℞. calcis vivæ ℥iij.
myrtillorum ℥ij.
ol. nucum ℥VI.
m. fiat cataplasma, quod imponatur.

Vel ℞. butyri recent. aceto roſac. abluti ℥iij.
ol. nucum aqua plantag. loti ℥VI.
pulv. ſemin. lini ℥ij.
m. & loco læſo alliga.

Quod ſi corruptionem incurreret, tunc ℞. gummi galbani & ſerapini, ol. ſuccini an. ℥ſ. petrolei q. ſ. pro ungvento, liqueſcant ſimul, & linteolis inductum loco læſo applica, extrahitque omnem pergelationem & frigus.

Hæc de vulneribus ſufficiant cum his quæ proponit.

TEXTUS.

Curationes vulnerum ad Chirurgiam rectè pertinent, adminiſtrationem nimirum manualem requirunt, quemadmodum & ulcera.

In horum autem curatione egregiam operam præſtitit Felix Wurzius Chirurgus, cujus opera extant, quæ commendatione eleganti digniſſima ſunt.

Paracelſus Chirurgus eminens videtur operam abſolviſſe, quæ in tota Chirurgia neceſſaria & evidens eſt. Ipſius itaque Chirurgica ſcripta magno uſui ſunt, imprimis verò illa Chirurgia parva olim Baſileæ ſuccinctè à Vito Amerbachio excerpta, & hactenus non excuſa.

Iidem Authores quoque eleganter præcipiunt de omnibus ſymptomatibus & accidentibus unicuique vulneri ſæpius evenientibus, quibus imprimis Felix Wurzius felici manu, quomodo ſuccurrendum, docet tract. 3. ſuæ Chirurgiæ.

Circumferuntur aliàs balſama vulneraria, itemque potiones conſolidandis vulneribus maximè utiles, de quibus conſulantur etiam Authores.

Elegans eſt balſamus vulnerarius Felicis Wurzii, qui ubivis commendatur, multarumque eſt virium; alioquin uſitatiores deſcriptiones paſſim habentur, ſequentes duæ tantarum ſunt virium, ut ſi omnia cætera legitimè fiant, ab iis vulnerum curationes ſolerter perfici poſſint, & inter perbreve temporis ſpacium.

Balſamus vulnerarius:

Balſamus vulnerarius.

℞. *Galbani*
Ammoniaci
Bdellii an. ℥ſ.
macerentur in aceto per triduum, tandem colentur, & more uſitato inſpiſſentur ad conſiſtentiam mellis, poſtea

℞. myrrhæ rubeæ finæ
maſtichis elect. an. ℥ſ.
olibani ℥j.
pulveriſentur tenuiſſimè, adde
terebinthinæ laricææ
olei olivarum an. ℥ij.
Coque invicem igne lentiſſimo perpetuò agitando, donec gummata illa poſteriora probè fuerint eliquata, adde viciſſim olei olivarum recentis ℥j. & lento calore denuo coque atque ita perge, ſemper ℥j. olei olivarum recentis adjiciendo, donec ℔j. integra aſſumpta fuerit, ſemper tamen probè agitando.

Tandem gummata in acetum ſoluta, colata & inſpiſſata admiſce ſimili modo agitando, & deinceps recens oleum olivarum denuò per vices adjiciendo, donec & altera quoque libra ejusdem olei adjecta fuerit, & balſamus aliquid flavedinis contraxerit.

Quod ſi eundem balſamum viridem fieri deſideras, adde ℥j. æruginis pulveriſatæ, & inſolando relinque per unum menſem vel plures, fæcibus paulatim ad fundum ſe præcipitantibus, à quibus quod ſincerum ſupereminet, decanta, & vaſis mundis reſerva.

USUS:

Vulnera recens punctim & cæſim facta citiſſimè curat, ſi modo ejus particula moderatè calida, ut ſcilicet ſufferre poſſit patiens, in vulnus immittatur, ita tamen ut totam cavitatem vulneris rectè adimpleat. Secus nimirum ſuperiores partes conſolidantur, relictis inferioribus adhuc crudis, & alia ſymptomata tum inferentibus. Quod ſi vena ſimul fuerit læſa, illa liganda eſt, & balſamo deinceps infuſo ſpacio quatridui ad minimum, ligaturâ nempe etiam debitè adhibitâ, perfectè vulnus conſolidatur.

Nonnulli uſurpant in hiſce caſibus interdum non adhibito balſamo pulverem conglutinatorium, qui fit ex cancro fluviatili: ℞. cancros integros adhuc vivos & recentes ex aquis aſſumptos menſe Junio, quando Sol commoratur in Cancro (cancri ſint molliusculi, qui jam pridem exuvias poſuerunt) exſicca in clibano in vaſe terreo, ne tamen comburantur, aut igne tangantur, donec pulveriſari poſſint tenuiter. Hunc pulverem immittunt in vulnera etiam profunda, ſed hac cautione, ut omnes cavitates expleantur, alioquin ubi pulvis iſte fundum non attigerit, conſolidatio quidem vulneris ſuperius fit, ſed ad fundum generatio puris impediri nequit. Itaque hoc ſemper providendum fuerit, alioquin vulnera recenter (a) conſolidata ſunt ſecanda.

(a) I.e.

(*a*) I. e. per ſectionem vulnus conſolidatum iterum foret aperiendum.

Balſamus vulnerarius alius. *Alter balſamus talis eſt:* ℞. *mucum ex auribus, quantum ejus haberi poteſt, adde olei nucum juglandium expreſſi, & coque in vicem, donec lento calore oleum aliquantulum inſpiſſetur in formam balſami.*

Hujus uſus eſt ſtupendus in omnibus vulneribus citiſſimè curandis, maximoperè nimirum conſolidat, & omnes partes abſolvit.

Huc refer balſamum ſulphuris, & emplaſtrum diaſulphuris Rulandi, quorum evidentia laudabilis eſt.

CAP. CCVI.
DE FRACTURA, LUXATIONE ET DISLOCATIONE OSSIUM; Germ. Beinbruch/ Verrenckung und Verſtauchung.

QUemadmodum nulla domus vel ædificium exiſtere, nec perſiſtere poteſt, niſi ubique innitatur fundamento, nec non pilis, columnis, poſtibus, trabibus erectis & transverſariis fulciatur, contineatur & firmetur: ita quoque ſe res habet cum corpore humano, aliorumque animantium, ad oſſa enim propria erectum, explicatum & firmatum eſt. Oſſibus hisce idem contingit quod aliis rebus duris, quæ à violenta occurſatione & colliſione franguntur, finduntur & diſſiliunt, ſunt enim prædura & fragilia corpora, quæ non flectuntur & reſiliunt inſtar gladiorum vel virgularum, nec ductilia ſunt more metallorum, quæ contuſioni cedunt, rurſusque complanari poſſunt, at noſtra oſſa à validâ rei duræ obviatione omnino diffringuntur, eorumque continuitas ſolvitur; ſolutio hæc ſeu diviſio continui in oſſibus ſemper dicitur fractura, quocunque etiam modo contingat, nimirum lapſu gravi, contuſione vehementi, inciſione vel inflictione per arma vel alio, ſive etiam fractio fiat transverſim ſeu per latitudinem, ſive rectim per longitudinem, quæ fiſſuram dat, ſive obliquim (ut ita dicamus) ſeu per obliquitatem, ubi fiſſura & fractura concurrunt, ſive comminutim, ſeu in particulas confractionem;

Conſtituuntur autem à Chirurgis quatuor differentiæ oſſium fractionis, quarum prima eſt fractura, qua nimirum os longum inſtar fuſtis transverſim ſeu ſecundum latitudinem diffringitur, ein Beinbruch. 2. Fiſſura, ubi conſimile os ſecundum longitudinem inſtar aſſeris vel ligni diffinditur, Germ. ein Klack oder Spalt. 3. Pertuſio & perforatio, in qua ab inflictione per inſtrumentum mucronatum particula oſſis exilit, & pertuſioni cedit, Germ. eine Durchlöcherung oder Durchbohrung. 4. Comminutio eine Zerdrümmerung oder Zerſchmetterung / quando nimirum os à violento ictu in fragmenta & particulas diſſilit, ad quam etiam pertinet fractura reli-

dens ein Schlißbruch / ubi contuſum os in fragmenta acuta diffringitur, quorum acumina extrorſum per carnem pungunt, eamque vulnerant.

Obtinent quoque oſſium fracturæ ab his membris, in quibus contingunt, peculiarem denominationem, ita ut ab omnibus dici ſoleat: fractura calvæ, brachii, coſtarum &c. item à ſymptomatibus & circumſtantiis, ita ut nunc ſit fractura unà cum vulnere, jam ſub cute integra, cum luxatione, inflammatione, gangræna, oſſis corruptione &c.

Ut autem hæc eò melius à tyronibus capiantur, è re fore arbitramur aliqualem oſſium totius corporis humani deſcriptionem hîc inſerere.

Sunt itaque oſſa firmamentum, fundamentum & fulcrum corporis, quæ ſtatim in utero materno formantur, ſcilicet quædam completè ut oſſicula auditoria, quædam incompletè ut dentes cunctaque oſſa reliqua, in quibus etiamnum aliquid deeſt, nempe appendix, proceſſus &c.

Materia ex qua generantur Divino Hippocrati *eſt excrementum terreum cum pingvedine & humiditate adjuncta*, nos tamen abſque derogatione tanti Principis ſtatuimus, primordium oſſium potiori parte eſſe pingvedinem & ſulphur animale, quemadmodùm enim ferrum & chalybs duriſſima illa corpora omnium mineralium ex mero conſtant ſulphure, vix enim quicquam argenti vivi in eorum generatione concurrere deprehenditur, ita etiam duriſſimum noſtri corporis nimirum oſſa è pingvedine gigni veriſimile eſt. Apparet enim etiam hoc ex arboribus omnifariis, quæ veluti oſſa ſunt vegetabilium ob ſuam duritiem, & pari modo ex mera ferè pingvedine conſtant, tota enim earum ſubſtantia ardet, & luculentam flammam edit.

Sunt itaque oſſa nil aliud quàm pingvedo coagulata & indurata, & nutriuntur pingvedine, ſcilicet propriâ medullâ, quæ mera eſt pingvedo, & pariter pingviori ſangvinis parte nutritur, ſangvis verò conſimili modo ex rebus pingvibus generatur & alitur, quicquid enim ex terra creſcit, pingve eſt, & flammam alit, agri etiam fertiles non ſunt, niſi pingvi fimo ſtercorentur.

Numerus oſſium exactè ſciri nequit, in pueris enim plura ſunt quàm in adultis, in quibus ſenſim quædam coaleſcunt, & ſic pauciora fiunt, reſpondent tamen ferè numero dierum unius anni.

Figura eorum varia eſt & omnibus nota, quilibet enim ferè quotidiè oſſa pecorum conſpicit mactatorum, & hominum è ſepulcris eruta.

Mira eorum in corpore eſt connexio, adeò ut ne minimum reperiatur, quod non aliis ſatis firmiter annexum ſit, totum autem ædificium oſſeum dicitur ſceleton; connexio verò ipſa unius particulæ ad alteram vocatur arthron id eſt articulus, & arthroſis articulatio, atqne hæc cohærentia & connexio naturalis duplex eſt, una quæ fit cum motu & flexurâ

xura duorum connexorum oſſium, quæ ſi motus ſit obſcurior, nominatur ſynarthroſis, id eſt coarticulatio, ſeu articulatio ſtrictior, ſi verò motus ſit evidentior, tunc appellatur diarthroſis id eſt dearticulatio ſeu articulatio laxior, eſtque iterum triplex ſeu tres ſpecies conſtituens, quæ ſunt 1. Enarthroſis ſeu inarticulatio, in qua unum os cum capite ſuo cavitati alterius eſt inſertum. 2. Arthrodia in qua cavitati ſuperficiariæ, caput alterius oſſis depreſſum eſt innexum. 3. Gynglymus, ubi unum os in una parte habet capitellum, in altera verò cavitatem, ita ut ab uno oſſe excipiatur, & viciſſim alterum excipiat, ut fit in connexione vertebrarum. Altera quæ motus manifeſti expers eſt, diciturque ſymphyſis id eſt coalitus ſeu coaleſcentia, in qua modò unum os alteri adhæret ſine medio, ut fit in ſuturis, vel cum interventu medii, quod modò eſt cartilago, quæ annexio vocatur ſynchondroſis, nunc ligamentum, & appellatur ſyneuroſis; jam caro vel muſculus & nominatur ſyſſarcoſis.

Subſtantia oſſea in tres diſtingvitur ſpecies, quarum prima propriè os dicitur, eſtque pars media duriſſima & ſolidiſſima oſſium; ſecunda apophyſis id eſt proceſſus, vel eminentia ſeu productio, eſtque pars oſſis continua & legitima, ex oſſe ipſo, in quo eſt, prorumpens & extra ſuperficiem planam prominens, quales habentur in vertebris dorſi, nec non inferiori maxilla; tertia epiphyſis id eſt appendix ſeu adnaſcentia, eſtque os oſſi per ſimplicem contiguitatem adnatum, ſaltemque in junioribus deprehenſibile, in ſenioribus verò adeò cum reliquo oſſe coaleſcit, ac ſi os unicum & continuum eſſet.

Recenſentur autem ab Anatomicis à capite ad calcem usque oſſa ſequentia in tres claſſes diſtincta, nimirum in oſſa capitis, trunci & artuum ſeu manuum & pedum.

Oſſa capitis dirimuntur in cranium & maxillas.

Cranium componitur communiter octo oſſibus, quæ ſunt

1. Os frontis (in recenter natis duo ſunt.)

2. & 3. Oſſa temporum.

4. & 5. Oſſa ſyncipitis.

6. Os occipitis (infantes quatuor habent.)

7. Os ſphœnoides, ſeu cuneiforme, item baſilare

8. Os Ethmoides, ſeu cribriforme.

Adhæc cranium ferè ubique conſtat tabulato gemino ſeu duabus laminis, quæ etiam parietes vocantur, ac inſuper in medio ſubſtantiam quandam pumicoſam interjectam habent, quæ meditullium dicitur, vel diploë, ſunt tamem quibus tabulatum hoc ſimplex eſt, tenue & pellucidum abſque meditullio, hisque malè ceſſurum eſſet, ſi in cranii fractura juxta conſvetudinem complurium Chirurgorum tamdiu ſecandum & terebrandum, donec ſangvis prodeat.

Ad oſſa cranii etiam pertinent oſſicula ſex alia, quæ in meatibus

auditoriis latent, nimirum utrinque tria exigua, quæ ſunt:

1. Malleus.
2. Incus.
3. Stapes.

Hisque accedit etiam quartum ſcilicet Orbiculare, & ſic univerſa cranii oſſa in 14. vel 16. diſpeſcuntur.

Maxilla ſuperior conſtat oſſibus undecim, quorum in utroque latere quinque ſunt, videlicet

1. & 2. Os zygomaticum.
3. & 4. Lachrymale, ſeu ungvis.
5. & 6. Os maxillare.
7. & 8. Naſi.
9. & 10. Palati, quibus accedit unum impar, nempe
11. Vomer, ſeu aratro ſimile.

Maxilla inferior conſtat in adultis unico ſaltem oſſe in puerulis autem duobus, quæ poſt annum primum, vel ſecundum vel etiam aliquantulum tardius per ſynchondroſin juncta in unum coaleſcunt.

In his duabus maxillis alveolis inhærent dentes ut plurimum numero 32. nempe in qualibet maxilla 4. primores, ſeu inciſores & gelaſini dicti.

2. Canini ſeu oculares, reliqui omnes vocantur molares ſeu maxillares.

Os autem unicum os habet hyoides appellatum.

Hæc ſunt oſſa univerſa capitis, ſequuntur nunc trunci.

Altera pars ſceleti truncus eſt, in quo occurrunt omnes vertebræ ſpinæ, item claviculæ, ſcapulæ, ſternon, coſtæ, & oſſa iſchii.

Spina à poſteriori ejus parte ſpinoſa ſeu acuta ita dicta, eſt tota illa compages oſſea, à prima cervicis vertebra usque ad os coccygis.

Vertebræ hæ ſpinæ ſeu ſpondyli à vertendo ita nominantur, ſunt enim antrorſum & retrorſum verſiles, ita ut per eas corpus incurvari & rurſus erigi, varièque verti poſſit.

Dividuntur autem hæc oſſa ſpinæ in vertebras ſeptem colli, duodecim dorſi, quinque lumborum, & quinque vel ſex oſſis ſacri, quibus os coccygis additur. Suntque omnes vertebræ excavatæ pro vehenda medulla dorſali.

Donantur quoque vertebræ exterius ſeu poſterius variis protuberantiis, ſunt enim in qualibet proceſſus triplices, videlicet 1. quatuor obliqui, duo parte ſuperiore aſcendentes, duo inferiore deſcendentes. 2. Duo transverſi, pro ortu & inſertione muſculorum, iſti autem in cervicis vertebris lati ſunt, & foramine pervii, per quod ſurſum vaſa in caput feruntur, nec non in ſui apice diviſi, in dorſo craſſi ſunt, rotundi & ſolidi, præterquam undecima & duodecima. 3. Acutus unus in parte poſtica, quæ propriè ſpina nuncupatur, ac in prima vertebra deficit.

Obtinent inſuper appendices quinque, duas infra & ſupra ad corpus ipſarum, totidemque ad proceſſus transverſos, atque ad ſpinæ extremitatem unam.

Foramina vertebris duo ſunt ſingulis, nimirum unum ampliſſimum & proprium in medio ipſarum, per quod

quod ſpinalis medulla deſcendit, alterum ad latera ex duabus ſimul junctis concinnatum commune, pro nervorum egreſſu ad adſitas partes, ingreſſuque venarum & arteriarum ad medullam ſpinalem.

Adhæc in ſpecie in vertebris cervicis nimirum in ipſarum proceſſibus transverſalibus foramen obſervatur, per quod venæ & arteriæ vertebrales in caput ſcandunt.

Subſtantia vertebræ cujuslibet parte interna craſſior eſt & fungoſior, cui epiphyſes & cartilagines adnaſcuntur. Extrema enim vertebrarum, exceptâ primâ cervicis appendices habent, quibus pro faciliori motu cartilagines craſſæ molleſque interjectæ ſunt, ita ut infra ſupraque cartilagine donentur, eâque in oſſe ſacro duriori & ſicciori, eò quod immobile hoc os ſit.

Connexæ ſunt vertebræ per vincula validiſſima articulariter, nimirum à parte anteriore per ſymphyſin, poſteriore verò per gynglymum.

Ligamenta verò earum duplicia ſunt, alia eas ſuperius & inferius alligant ſuntque craſſa & mucoſa, alia membranea, atque ab epiphyſibus tam acutis quam transverſis, quibus firmius proceſſus connectuntur.

Sed ut in ſpecie ſingulas vertebras recenſeamus, occurrunt primò earum in cervice communiter ſeptem, in longo collo octo, denotatque pronitatem ad phthiſin ob anguſtius effectum thoracis, defectu unius ſpatium, bruta autem ut plurimum tantummodò ſex habent; vertebræ hæ colli quo ſunt ſuperiores, eò ſubſtantiæ ſunt ſolidioris, durioriſque, quin & tenuioris: vocatur autem ex his

1. Atlas, quod caput ſuſtentare videatur.

2. Epiſtropheus à vertendo, ex cujus medio corpore procedit appendix ſeu proceſſus teres inſtar dentis canini, circa quam caput cum prima vertebra movetur, quam ob cauſam hæc appendix dens appellatur, quo nomine Hippocrates totam hanc vertebram inſignit.

3. Axis; reliquæ propriis nominibus hactenus deſtituuntur.

Harum duæ primæ occipitio per ligamenta junguntur, ut robuſtè capiti adfirmentur, hæ duæ quoque potiorem capiti motum conciliare creduntur, ita ut motus capitis in orbem gyrabilis fiat ſupra primam, antrorſum verò & retrorſum ſeu annuitionis & renuitionis mediante ſecunda; flexura verò capitis lateralis ſeu dextrorſum & ſiniſtrorſum ab omnibus æqualiter proficiſci videtur.

Dorſi vertebræ ut plurimum ſunt duodecim, quibus coſtæ totidem à latere quolibet æquè in fœminis ac viris articulantur. Vertebræ hæ craſſiores ſunt quàm cervicis, nec non ampliores, molliores & rariores, differunt quoque à præfatis, quod ſpina ferè in omnibus ſit longior, ſimplexque & neutiquam diviſa, non omnes tamen eodem modo ſunt ſpinoſæ, decima enim, undecima & duodecima obtuſiores habent ſpinas, reliquarum ſuperiorum thoracis ſpinis; ſpina quoque decimæ verte-

vertebræ recta magis retrorſum porrigitur, quam ſuperiorum vertebrarum ſpinæ.

Lumborum vertebræ quinque ſunt, raró ſex, craſſitudinem & magnitudinem habent inſigniorem prædictis, magisque ſunt foraminata, ſunt etiam proceſſus transverſi majores, obliqui veró aliter diſpoſiti, quippe qui ſibi invicem non incumbant, ſed accumbant potius; ſpinoſi autem magis rectum obtinent ſitum; motus his vertebris laxior eſt quàm dorſi, ut facilior inclinatio ad terram fieri poſſit.

Os ſacrum his ſubjacet, hinc ita dictum, quod omnium in ſpina ſit maximum, & dorſi veluti baſis ſacraque anchora, eſt enim latum & immobile, ac totam ſpinam firmat.

Vertebræ ejus ob ſimilitudinem non uſum ita vocatæ, quinque ſunt, nonnunquam ſex, in pueris haud difficulter ſequeſtrabiles, in adultis veró adeó conglutinatæ, ut os unicum continuum appareant.

Perdurum eſt hoc os, non tamen ſolidum, intus ſucco medullari turgens, foramina hîc non ut in ſuperioribus vertebris in lateribus ſed in parte antica & poſtica ſe exhibent.

Os coccygis ſive cuculi, à figurâ roſtri hujus avis ita vocatum huic ſupponitur, eſtque os minutiſſimum, conſtans ex tribus vel quatuor oſſibus, nec non duabus cartilaginibus. Situm eſt in infima totius ſpinæ parte, ex ampliore baſi in mucronem deſinens, eoque roſtrum cuculi repræſentans, imprimis in maſculis, in quibus magis introrſum vergit pro ſuſtinendo inteſtino recto, unde etiam pueri propter hujus oſſis humiditatem ſæpius procidentiam ani experiuntur, in fœminis plus extrorſum tendit ad ſuſtinendum uteri collum, majusque ſpacium conciliandum.

Os innominatum coxæ vel ilium ad oſſis ſacri latera jacet, ex tribus conſtans oſſibus, ilio, pubis & iſchio interventu cartilaginum copulatis, ita ut ante ſeptimum ætatis annum agglutinatio tribus diſtingvi lineis queat, in adultis autem in unum coaleſcat; magnitudo ejus conſpicua eſt, magis tamẽ in mulieribus quàm viris, ita ut hinc ipſis nates latiores.

Geminum eſt hoc os, ſcilicet quovis in latere unum, triplicatum tamen ſeu tribus partibus conſtans, quarum prima ſuperior ampliſſima ſacro oſſi mediante cartilagine contexta, atque per validiſſimum membraneum ligamentum alligata, ilium vocatur; ſecunda pars poſtica interior os coxendicis, coxæ vel iſchium. Tertia denique antica ac pariter loco infimo locata os pubis vel pectinis.

Os iſchion amplam & profundam habet cavitatem, quæ pyxis vel acetabulum, (ejus veró proceſſus cartilagineus ſupercilium) vocatur, cui caput illud inſigne oſſis femoris inarticulatur, quod ſubinde ab internis defluxionibus, nimium lubricatum, vel externâ vi propulſum è ſua cavitate excidens, luxationem vel ſubluxationem patitur, unde dolor iſchiaticus ſeu coxendica paſſio, de qua ſupra cap. 171. actum eſt.

Os

Os ilium in muliere quàm viro amplius parte ſui ſuperiore ſemicirculum refert, qui vocatur coſta & ſpina oſſis ilium, interius verò excavatum eſt, diciturque hæc cavitas hujus oſſis coſta, exterior autem ejus convexitas dorſum oſſis ilii audit, os coxæ cum oſſe pubis circulum fermè efficit, interiores ejus partes magis diſtant in mulieribus quàm viris, pro liberiori fœtus excluſione.

Ab hoc oſſis ſacri ſtatumine laterali rurſus aſcendimus ad trabes laterales vertebrarum dorſi ſemicirculares, nimirum coſtas, quarum in utroque latere duodecim ſunt, figura arcum referentes, dividunturque in veras extremitatibus ſuis cartilaginea ſternum attingentes, & cum eo unitas, & ſpurias, os ſterni neutiquam contingentes.

Veræ, quæ etiam rotunditati circulari propius accedunt, ſunt ſeptem ſuperiores, atque etiam cum ſterno habent genuinam articulationem, & cum vertebris gemino tuberculo, ſpuriæ ſunt quinque inferiores ſternon ideò non attingere creditæ, ut ventris imi dilatatio melior eſſe poſſit.

Sternum hoc eſt anterius os pectoris thoracem claudens, & cordi pro ſcuto inſerviens, conſtatque variis partibus, quæ in pueris & junioribus non facilè certo deſcribi numero poſſunt, in adultioribus autem ferè in tres diſtingvuntur, quorum primum ſeu ſupremum peramplum eſt; ſecundum multò eſt longius at minus latum; tertium minimum & prioribus longitudine cedens, ut & tenuitate, quo craſſius eſt ſecundum, eoque primum.

Tribuitur huic oſſi figura enſis, ſeu pugionis antiquorum, cujus ſuprema pars nodum cum manubrio exprimat, media ipſum enſem, ultima cum ſua cartilagine mucronata, enſis mucronem, hinc etiam os gladioli dicitur & enſiforme.

Thoracem claudunt claviculæ, claves vel jugula etiam dictæ, quarum duæ ſunt, utrinque una, in pectoris ſummo transverſim ſub imo collo ſitæ.

Connectuntur cum ſterno & ſcapulæ proceſſu ſuperiore per cartilaginem, cum illo conjunctione ſimplici, cum hac autem duplici.

Scapulæ os ſeu omoplata, barbaris ſpatula dictum, eſt os tenue & latum, numero utrinque unum, figuram ferè triangularem exhibens; partes ejus variæ ſunt, interna pars cava eſt, externa gibba, quæ teſtudo nuncupatur, & dorſum ſcapulæ.

Proceſſus ipſi tres ſunt. Primus eſt ſummum humeri, quo cum clavicula jungitur. Secundus minor, inferiorque nec non acutus, quo humeri os in ſede ſua continetur. Tertius breviſſimus cervix dictus, in ſuo extremo cavitatem ſuperficialem obtinens, in quam caput humeri inſeritur, hocque proceſſu nec non cavitate mediantibus ſcapula cum brachio jungitur.

Adhæc epiphyſes ſeu appendices quinque poſſidet, quarum prima in angulo inferiore ſcapulæ circa ſpinas vertebrarum locatur. Secunda

ad ſpinæ principium; tertia in ſpinæ veluti medio, aliàs criſta vocata. Quarta in acromio. Quinta in ſcapulæ ipſius baſi.

Hisce itaque recenſa ſunt oſſa trunci, reſtant nunc quæ ad artus pertinent ſuperiores & inferiores, qui à plurimis ſimpliciter manus & pedes vocantur.

Dividuntur autem in humerum ſeu brachium, cubitum, & manum extremam.

Humerus eſt os brachii ſummum ſeu primum & maximum, validum, teres, atque inæquale ſuperiore parte appendicem habens ſeu caput magnum, rotundum, cartilagine veſtitum, eâque admodum læve factum, & cum ſcapula per diarthroſin articulatum, quod caput humeri nuncupatur.

Pars inferior articulatur cubito, ubi duo occurrunt proceſſus, quorum externus minor cartilagine obductus metacarpi nec non digitorum manus extenſoribus muſculis dat initia; alter verò internus carpi digitorumque flexionibus ſuum exortum impertiens duos ſinus habet, anteriorem minorem, poſteriorem verò ampliorem, circa quam tanquam trochleam ulna volvitur.

Cubitus ab incubando ita dictus, quod naturaliter homo ſedendo capite cubito innitatur & incumbat, è gemino conſtruitur oſſe, humero breviore, & utrinque appendicem habente, quorum primum inferius & majus dicitur ulna, eò quòd ubique ferè mos ſit in defectu ulnarum civilium menſurationem ad hanc partem inſtituere, aliàs ſimpliciter cubitus, barbaris focile majus, alterum ſuperius & minus radius item focile minus appellatur.

Proceſſus ſupernè duos habet veluti triangulares, cartilagine obvelatos, quorum minor atque acutior anterius ſituatur, major autem retuſiorque Ancon & Olecranon veteribus dictus, poſteriori parte.

Advertuntur quoque ſinus duo, quorum minor externus caput radii à latere admittit; alter major cavitate ſua ſemicirculum referens, ideòque ſigmoides appellatus trochleam humeri excipit.

In capite ulnæ inferiore extrorſum iterum proceſſus occurrit, ſub initium manus extremæ nodum efformans ſeu proceſſum acutum, ſtyloidem ſeu ſtyliformem propterea appellatum.

Notatur & hoc in capite ſinus rotundus, partem excipiens manus, qui pariter ut duo ſuperiores cartilaginis obductione multum ditatur.

Radius ſeu alterum cubiti os ulnâ multo minus eſt, imprimis parte ſuperiore, at inferiore multò latius.

Manus extrema tribus conſtat partibus diſtinctis, carpo, metacarpo & digitis.

Carpus barbaris raſſeta ex octo componitur diverſæ magnitudinis & figuræ oſſiculis, & hactenus certa denominatione non inſignitis, quorum quatuor inferius locantur, totidem oſſibus metacarpi per ſynarthroſin oppoſita. Quatuor autem ſuperius, è quibus tria cubito ac radio

dio committuntur per diarthroſin, quartum extra ordinem intrinſecus antrorſumque quadantenus à latere tertii oſſis poſitum eſt.

Metacarpus, qui & metacarpium, poſtbrachiale, & palma dicitur, conſtat oſſibus quatuor (vel ſi primum pollicis connumeretur, quinque) oblongis & gracilibus, oſſa digitorum magnitudine quidem ſuperantibus, at inter ſe admodum inæqualibus; quorum maximum eſt, quod indici ſubſternitur, minus quod digito ſecundo, & ſic ulterius, dimenſionis ratione inſtitutâ, reſpondentque proportione digitis ſubjacentibus.

Digitorum oſſa quindecim ſunt, continet enim pollice connumerato quilibet eorum oſſicula tria; præterea quoque circa articulos oſſa ſeſamoidea X. XII. XV. vel etiam XX. reperiuntur, quæ pro oſſium, quibus adhærent diverſitate, diverſæ magnitudinis ſunt, majora tamen in pollice quàm aliis digitis.

Artus inferior à plerisque ſimpliciter pes vocatus pari modo in tres dividitur partes, nempe femur, tibiam & pedem extremum.

Femur à ferendo eò quod animal ferat, ita dictum utrinque unicum eſt, & unico conſtat oſſe, ſed totius corporis maximo & longiſſimo, externa & antica parte magis gibbo, internâ & poſticâ plus ſimo. Deſcendit enim obliquè inferiora verſus ad genu, quod inceſſus legitimus ita exigit, ac in fractura hujus oſſis probè notandum, ne talis ſitus permutetur.

Conſpicuas ſuperius & inferius habet appendices, proceſſibus ſuis junctas; ſuperior epiphyſis magnum globoſumque caput femoris efficit, cervice valida ſuffultum, quod oſſis innominati acetabulo inſeritur.

Sub cervice femoris duo occurrunt proceſſus, quorum exterior trochanter ſive rotator major, interior trochanter minor appellatur.

Inferior femoris appendix duobus capitibus protuberat, quorum internum craſſius; externum latius ac depreſſius tibiæ ſubjectæ ſinibus inarticulantur.

Inter caput utrumque ſinus offenditur magnus, tam antè quàm retrò. Anterior, qui & planior & minor, atque admodùm lævis, nec non cartilagine obductus eſt, ac patellæ tuberculo interius committitur; Poſterior autem qui & major & profundior partim tibiæ tuberculum, nec non cum ipſo ligamentum, quod à femore proficiſcitur, atque huic tuberculo inſeritur, admittit, partim verò vaſa ad inferiora tendentia ad ſua loca deducit.

Appoſita ſunt inferioribus femoris appendicibus poſterius oſſa duo ſeſamoidea ad tutanda muſculorum gaſtrocnemiorum principia in motu validiore.

Mola ſeu patella impoſita eſt articulationi femoris & tibiæ ad articulum iſtum firmandum, ne femur labatur ad anteriora, & luxetur, vel homo collabatur, eſtque os parvum figuræ umbonis circularis, vix duos digitos transverſos latitudine adæ-

 quans;

quans; vocatur etiam ſcutum genu vel ſcutiforme os, item rotula.

Tibia eſt pars cruris inferior inter genu & talum, conſtans duobus oſſibus, quorum majus & interius propriè tibia dicitur, item canna major & focile majus; alterum verò fibula, ſura, canna minor & focile minus.

Oſſa hæc extremis ſibi invicem junguntur, in medio autem ſeparata ſunt; tibia multò major eſt fibulâ & craſſior ſuperiore parte proceſſum in medio habet à femoris cavitate exceptum, duoſque ſinus pro capitibus femoris cum tibia articulandis. Inferiore verò multò minor eſt, proceſſus tibiam cum talo conjungens.

Antica ejus pars acuta & longa exiſtens ſpina dicitur, efformans figuram quaſi triangularem & adeò acutam, ut cultri ferè aciem æmuletur, unde ad quamlibet tibiæ in anteriori parte vehementem alliſionem immenſus dolor percipitur, eò quod ab hac acutie cutis & perioſteum quaſi ſcindantur.

Parte inferiore in latere interno proceſſus prominens occurrens malleolus internus nominatur, proceſſus verò fibulæ malleolus externus.

Fibula ſeu os ſuræ eſt alterum tibiæ os longè minus, & tenuius exterius tibiæ attextum, ut radius cubito.

Caput ipſius ſuperum rotundum ad genu non protenditur, ſed citerius deſinit, inferiore autem parte infra tibiam deſcendit, atque ſic cum tibia eandem longitudinem aſſequitur.

Pes extremus eodem modo ut manus in tres diſpeſcitur partes, nimirum in tarſum, metatarſum, & digitos.

Tarſus prima eſt pars, tibiæ ſubjacens, cujus oſſa ſeptem ſunt, magnitudine figuriſque permultum diſcrepantia. Primum eorum talus ſeu aſtragalus item os baliſtæ & quatrio nominatur, ad pedis motum plurimum faciens, & baſis inſtar oſſibus tibiæ ſubſtratum, atque ad latera utrinque malleolos ſuſcipiens.

2. Calx calcaneus, os calcis vel calcar dictum.

3. Naviculare ſeu cymbiforme.

4. Cuboides ſeu teſſeræ.

5. 6. 7. Oſſa cuneiformia, ſeu ſphænoidea.

Metatarſi vel plantæ oſſa quinque ſunt oſſibus tarſi cohærentia, ſitumque inter tarſi oſſa digitoſque medium habentia.

Oſſa Seſamoidea etiam in internodiis pedum ut manuum reperiuntur X XII. interdum XV. vel XX. ſuntq; oſſicula perexigua ſeſami ſemini reſpondentia forma ex parvitate, unde ipſis nomen. Minora ſunt his quæ in digitis manuum ſunt, niſi in pollice pedis, quippe qui major ſit pollice manus.

Interdum etiam oſſiculum ſeſamoideis ſimile in tarſo pedis reperitur, ad externum ſcilicet latus articulationis quinti oſſis metatarſi.

Digitorum pedum oſſa XIV. ſunt, pollex enim pedis duo tantum oſſa habet.

Nunc

Nunc ad inſtitutum deſcriptionis fractorum oſſium redeamus.

Signa fracturæ oſſis ſimul vulnere cutis & carnis concomitatæ manifeſta ſunt, viſuque & tactu deprehenduntur.

Aſt ſi fractura ſub cute integra facta ſit, tactu & auditu diſcerni poteſt, pars fracta enim accuratè contrectata inæqualitatem quandam exhibet, & attacta acerbius dolet, nec inflectionem membri ſuſtinet, in quo fractura eſt. Nec ullo modo ſua functione fungi poteſt, & ſi pars fracta hinc inde flectatur, aliquis colliſionis oſſis fracti ſtrepitus ſubinde obauditur, an verò ſit luxatio vel fractura, hoc modo dignoſcitur, quod in luxatione adhuc aliqualis functio læſi membri ſuperſit, ex. gr. ſi luxatum ſit os tibiæ, æger aliquantillum licet magno cum dolore luxato oſſi inniti poteſt, fracto autem nullo modo, adhæc luxatio ſemper ſit in articulis, fractio verò diverſis in locis.

Loquitur etiam de fractura & luxatione Hippocrates ſequentibus aphoriſmis:

Oſſibus fractis plurimum proſunt calefacientia. *lib. 5. aph. 22*

Imprimis ſi oſſa fracta ſint nudata. *5. 22*

Calida in gradu caloris ſuppuratorii oſſibus fractis ſunt amica & decretoria. *5. 22*

Frigida verò inimica & interemptoria. *5. 22*

Os quodcunque vel cartilago in corpore præciſa non coaleſcunt neque augentur. *7. 28*

Oſſis præciſio in vacuum penetrans delirium excitat. *7. 24*

Ab oſſis nudatione eryſipelas ſuperveniens malum. *7. 19*

Ex oſſe ægrotante caro livida, malum. *7. 2*

Vertebræ in occipitio introrſum luxatio pueris grandiuſculis familiaris. *3. 26*

Prognoſin quod attinet, fractura ſimplex, & per transverſum contingens omnium facilimæ eſt curationis, difficilioris verò eſt fiſſura ſeu fractura per longitudinem, vel obliquitatem accidens majoremque dolorem excitat, omnium difficilima eſt fractura reſidens, qua nimirum defiſſio fit ab oſſe, defiſſæque partes acuminatæ extrorſum per carnem & cutem pungunt, easque vulnerant.

Quælibet fractura in medio oſſis & per medium contingens imprimis in oſſe tibiæ femoris, brachii, humeri, digitisque facilioris eſt curationis, minorisque periculi, at quæ fit circa caput articulumve alicujus oſſis, ea difficilior eſt, & quo propinquior eſt ejusmodi capiti, eò eſt difficilior & periculoſior, Plus quoque negotii & periculi faceſſit fractura ſimplex quàm complicata, imprimis in brachio & crure, ubi duo oſſa oblonga concurrunt, ſi nimirum unum eorum ſaltem frangatur, alterum verò integrum permaneat, at ſi utraque ſimul frangantur, & fracturam duplicem efficiant, majus periculum & difficultatem pariunt, amiſſionemq; functionis iſtius membri minantur.

Fracturæ coſtarum admodùm periculoſæ ſunt, ſolent enim concitare febrem, inflammationem & ſuppurationem.

Curatio oſſium fracturæ ſi differatur ultra diem ſeptimum, ſyderationes & gangrænæ periculum imminet, præſertim ſub ſtricta nimis deligatione.

Curationis ſcopus fractorum oſſium in quatuor conſiſtit præcipuis operationibus manualibus, quæ ſunt:

1. Extenſio, debent enim duæ diffractæ partes fortiter à ſe invicem diſtrahi, ut in ſpacium ſuum quodlibet reponi & coaptari poſſit.

2. Coaptatio artificioſa, neceſſe enim eſt, ut partes jam extenſæ accuratè in priorem ſuum ſitum reponantur, aptè conformentur, & deligatione in cohærentia detineantur.

3. Decens deligatio, oportet enim repoſitas & conformatas jam partes ligaturis retineri, ne iterum ab invicé diſcedant, detorqueanturve.

4. Conveniens ſitus unà cum applicatione externorum & internorum medicamentorum, opus enim eſt, ut deligata jam pars molliter & tali poſitione quieſcat, ne ulla ligaturæ oſſiumque coaptatorum diſtortio cauſetur.

Extenſio autem ita celebratur: quando chirurgus in fractâ parte inæqualitatem, protuberantiamve advertit, ita ut una ſuper alteram promineat, aut diſtorta ſit, tunc à duobus robuſtis utrique parti injicitur mantile ſeu faſcia, vel vinculum robuſtum, iſtæque duæ partes à ſe invicem diſtrahuntur una ſurſum, altera deorſum, quod quidem ſine dolore fieri nequit, Chirurgus verò inter diſtrahendum alterâ manu ſimul membrum tenet, alterâ verò utramque partem iterum accuratè & ad amuſſim coaptat, & quodlibet in ſuum locum & ſitum dirigit, quod ex æqualitate coaptatæ partis & doloris remiſſione animadvertitur.

Coaptatio hunc in modum inſtituitur; partes à ſe invicem diſtractæ in eundem locum & ſitum priſtinum reponuntur, omnisque inæqualitas & extuberantia volâ manus leniter & ſvaviter ad æqualitatem comprimitur & reducitur.

Deligatio hac ratione perficitur: quum utraque pars fracti oſſis in priorem ſuum ſitum eſt repoſita, tunc ferulæ ſeu aſſerculi aliquot apponuntur, deſuperque duæ faſciæ linteæ circumvolvuntur, & mediocriter aſtringuntur, ne partes repoſitæ iterum elabantur, ſed ferulis iſtis & faſciis in loco ſuo firmiter retineantur.

Situatio partis deligatæ talis obſervatur, ut membrum fractum planam & mollem poſitionem obtineat, aliquantulum tamen elevatam ſed non nimiùm, aliàs membrum depreſſionem quandam ſeu curvaturam nacturum eſſet, non etiam nimis deorſum pendeat, alioquin membrum tumidum evaderet; proinde in ſituatione membri medium eſt tenendum.

Sed de his Chirurgorum fuſiora ſcripta, ipſaque manualis operatio luſtranda.

DE LUXATIONE; Germ. Verrenckung.

LUxatio vel dislocatio eſt, quando duo oſſa inter ſe coarticulata, atque ligamento connexa è ſede ſua exarticulantur, qua exarticulatione motus iſtius membri voluntarius, uſusque tamdiu depravatur vel ſuspenditur, donec os dislocatum in ſedem ſuam reponatur.

Luxatio iſta non fit niſi in articulis, articulus autem eſt conjunctio duorum oſſium, ubi nimirum unius extremitas, quæ caput ſeu tuber dicitur, alterius extremitati cavæ, quæ acetabulum dicitur, inſeritur, nerveoque vinculo robuſtiſſimo connectitur, quod ex oſſis utriusq; cartilaginibus, quibus extremitates oſſium obductæ ſunt, producitur. Ob laxationem autem iſtius vinculi à diæta perhumida, vel ex violenta commotione interdum caput alicujus oſſis ex ſuo acetabulo extruditur vel excidit, quæ extruſio ſeu elapſio ſi penitiſſimè facta ſit, luxatio vocatur, ſi verò os diſtortum non totaliter elapſum fuerit, ſed in margine acetabuli adhuc hæreat, ſubluxatio appellatur, Germ. die Verſtauchung.

Poteſt autem luxatio contingere in omnibus oſſium coarticulationibus voluntario motui dicatis, in quibusdam tamen facilius & cum minori periculo, in aliis difficilius, & periculoſius. Omnium facilimè & celerrimè imò ſæpius ſpontè luxatur os femoris & coxæ. Item coarticulatio humeri cum ſcapula, humerique cum brachio, nec non brachii cum carpo, digitorumque coarticulationes, ut & femoris & tibiæ in genu.

Rarior verò & difficilior eſt luxatio tali & oſſis calcis, inferioris maxillæ, vertebrarum ſpinæ dorſi, oſſium pectoris, imprimis autem vertebrarum cervicis, quæ citam mortem inferre ſolent, imò quælibet vertebrarum luxatio lethalis periculi plena eſt, ob convulſionem, quâ plerunque magno cum cruciatu ante diem quartum miſerè intereundum eſt.

Omnes autem luxationes fiunt quintuplici modo, ita ut caput oſſis excidens ex acetabulo cadat vel

1. antrorſum, aut
2. retrorſum, aut
3. extrorſum, aut
4. introrſum, aut
5. ſurſum, uti contingere ſolet in capite humeri, quod ſurſum, vel antrorſum, vel deorſum in alas luxatur, vertebræ nonnunquam introrſum, aliquando extrorſum, maxilla ſemper antrorſum, articulus genu ob patellam antrorſum luxari nequit, ſed retrorſum, interdum etiam introrſum vel extrorſum. Quonam autem modo quælibet luxatio facta ſit, ex inſpectione innoteſcit.

Cauſæ luxationum ſunt: vehemens lapſus, ictus, incuſſio, diſtortio, diſtenſio, diſtractio: quædam etiam ab internis defluxionibus proficiſcuntur, imprimis luxatio coxendicis & vertebrarum cervicis. Cauſæ luxationis.

Prognoſin quod attinet, vertebrarum luxatio levisque diſtortio, ut Prognoſis.

ut & oſſium pectoris, gibbum producere ſolet, quælibet luxatio facilè contingens etiam facilis eſſe curationis conſveſcit, & vice versâ, omnis quoque luxatio quantò eſt propinquior principalioribus membris, tantò eſt difficilior & periculoſior. Sunt autem luxationes in corporibus teneris, puerisque facilioris repoſitionis, at non cum certa firmitate, in adultis ècontra difficilioris ſunt ſanationis, majorisque firmitudinis & conſtantiæ ſanationis, admodùm autem difficulter ſanantur luxationes inveteratæ, quæ verò ab internis defluxionibus proficiſcuntur, diuturnam curationem faceſcunt & facilè recidivant; vetuſtæ dislocationes, quæ jam callum contraxere, raro vel nunquam ſanantur, ſed cum claudicatione perennare ſolent. Repoſitiones dislocationum earum in quibus margines acetabulorum defractæ ſunt, ferè fruſtraneæ deprehenduntur, brevi enim repoſita oſſium capita rurſus elabuntur. Articuli genuum & digitorum facilè luxantur & reponuntur, femoris verò & coxæ ſcapulæ & humeri difficulter, nec à periculo immunes ſunt.

Curatio. Curatio luxationum in eo conſiſtit, ut os dislocatum in ſedem ſuam reponatur, quod fit vel manibus, vel vinculis, vel certis inſtrumentis, quocunque autem modo id perficiatur, quatuor eodem modo ut in oſſium fracturis manuales requiruntur operationes ad quamlibet vehementem luxationem, quæ ſunt 1. Extenſio. 2. Repoſitio. 3. Deligatio. 4. Conveniens ſituatio.

In extenſione obſervandum venit, eam ideò inſtitui, ut inter os elapſum & remanens, ſpacium quoddam intercedat, ne partes reponendæ ad invicem confricentur, aliàs gravia ſymptomata, vel incurabilitas cauſari poſſent.

In repoſitione neque os nec muſculus perverti debent, ſed invigilandum, ut quodlibet ad priſtinum ſitum poſtliminiò redeat, repoſitionem autem convenienter eſſe factam, ex ſtrepitu cognoſcitur, quem caput in propriam cavitatem relabens, edere ſolet, & ex conſveta figura membri, quam ut antea habere debet, propriamque præſtare functionem.

Repoſitione facta (quæ mox à luxatione inſtitui debet, antequam tumor & inflammatio partis ingruant) exterius talia medicamina applicantur, quæ inflammationem humorumque affluxum inhibeant, articulumque confortent, ne denuò elabi poſſit, quem in finem communiter ol. roſac. cum aceto roſac. mixtum applicatur, deſuperque deligatio eadem, ut in fracturis oſſium dictum eſt, adhibetur, nec ante diem ſeptimum vel nonum hæc deligatio prima ſolvitur, niſi forſan aliquod ſymptoma grave ſuperveniat, cujus gratia faſciæ eſſent ſolvendæ, parsque affecta luſtranda.

In ſituatione deligati membri pariter eadem notanda ſunt, quæ in oſſium fracturis admonita ſunt;

Sin autem inflammatio ſuperveniret, tamdiu ab extenſione abſtinendum,

nendum, donec ea reſtingvatur; interim verò mollificantibus diſcutientibusque tali inflammationi occurrendum, cujusmodi eſt hoc ungventum:

Ungventum.

℞. axungiæ porcin. ℥ſ.
ungvent. d. althæa ℥ij.
ol. roſac.
lumbricor.
lilior. alb. an. q. ſ. ad debitam conſiſtentiam ungventi.

At cum hæc melius intelligantur oculari inſpectione, tyrones chirurgicas officinas, nec non eorum pleniora ſcripta de hac materia ſibi habeant commendata.

DE GIBBO; Germ. ein Hofer oder Buckel.

GIbbus ſeu gibboſitas pariter ad luxationem pertinet, eſt enim productum imperfectæ luxationis vertebrarum dorſi oſſisve pectoris, quæ neglecta in pueris ſenſim plus incrementi capit, unde dorſi interſcapilium aut pectus paulatim magis ac magis in extuberantiam elevatur, quæ gibbus ſeu gibber vocatur.

Signa gibbi ſunt manifeſta, incipit autem in pueritia primò pronaſci tuberculum durum circa dorſi vertebras, aut in ſterno, initio quidem inſtar nucis avellanæ, ac deinde juglandis.

Cauſæ, ut dictum eſt, ſunt fermè eædem, quæ & luxationis, nimirum externa impactio violenta adverſus coarticulationem vertebrarum, quod fieri poteſt per caſum, vel percuſſionem, unde vertebræ dimoventur vel fortiter comprimuntur, ubi ſuccus vertebras nutriens mox ubertim accurrit, & in loco iſto frigidiore in excreſcentiam cartilagineam induratur, prout etiam in aliis locis à compreſſione variæ excreſcentiæ enaſcuntur, uti quotidiè in clavis pedum ferè in quolibet homine mox à compreſſione orientibus obſervamus; Non modò quoque violentia externa, ſed & interna gibbos producit, præſertim nimis vehemens tuſſis vel obſtructio aſthmatica, tunc enim motui iſti valido in tenera infantia vertebræ molliores facilè dimoventur, & gibbum producunt, de quo etiam Hippocrates: *Qui* (inquit) *ex aſthmate aut tuſſi ante pubertatem gibbi fiunt, moriuntur.*

Curatio quidem gibbi confirmati nulla eſt, incipientis autem talis eſſe debet, ut ſuccus alimentarius ad vertebras concurrens & indureſcens partim diſcutiatur & diſſolvatur, partim verò externa repreſſione à ſua excreſcentia inhibeatur, quod fieri poteſt laminis plumbi tenuiſſimis tuberculo incipiente continuò alligatis, item locum affectnm quotidiè inungendo oleis deſtillatis reſolutivis & diſcuſſivis, quale commendatur è ſtrobilis cupreſſi deſtillandum, noſtrum quidem oleum balſamoſum ſupra cap. 8. communicatum mirandum eſt diſcutiens, novimus enim excreſcentias oſſeas (Uberbein) incipientes eo eſſe reſolutas, & diſcuſſas, quid verò hic præſtet, nondum ſumus experti; ſed de his ſatis.

TEXTUS.

FRacturis oſſium, item luxationibus & dislocationibus ritè rectèque curandis & reſtituendis poſſunt conſuli Chirurgi Practici.

Oſteocolla mirabiles effectus in adultis intrò ſumpta præſtat, ſed in juvenibus non item. Vide obſervationes Fabritii Hildani.

Hoc ab arcano vel magiſterio (philoſophicè calcinato) ipſius lapidis dextrè parato evitari poſſe, ut æquè ſcilicet ſenibus ac juvenibus proſit, experientia docet.

De univerſo autem circa oſſa magiſterio hactenus obſervationes perpaucæ aut ferè nullæ fuerunt in cauſa, quo minus de iisdem aliquid veri adhuc dum referre liceat.

In luxatione 1. membrum reponatur. 2. Applicetur decoctum florum chamomillæ, hyperici, verbaſci, cum panno cæruleo.

3. Unge locum oleo ceræ.

ZODIACUS MEDICUS,

Sive

Libellus de concordantia rerum

medicarum cum zodiaco cœleſti, ſeu duodecim domibus Solis & Lunæ, earumque virtutibus influentialibus multifariis, præcipuè tamen quadruplicibus, juxta quatuor trigonos ſeu qualitates Elementares, videlicet aëream, igneam, terream & aqueam, totidemque præcipuas hominum complexiones, nimirum ſangvineam, cholericam, melancholicam ac phlegmaticam; In quo legitima ſimplicium collectio, efficax præparatio, ſpecifica miſtio, atque opportuna adminiſtratio oſtenditur, tam pro medicaminibus è mineralibus, animalibus ac vegetabilibus parabilibus, quàm ipſorum vehiculis appropriatis.

Authore

JOHANNE HISKIA CARDILUCIO,

Com. Pal. Phil. & Med. D.

PRÆFATIO.

IN toto hoc creato univerſo mera contraria cernimus, nimirum lucem & tenebras, pellucidum cœlum, opacamque terram, ſerenum diem, ac tenebroſam noctem, calorem & frigus, ac cætera ſibi invicem oppoſita, quæ perpetuò quaſi belligerando cauſa ſunt rerum orientium denuoque intereuntium, imprimis autem idipſum in noſtro corpore inceſſanter experimur, quod modò dulciſſima ſanitate gaudet, nunc triſtisſima ægritudine affligitur, jam calore diffluit, mox frigore tremit, aliarumque contrarietatum vicisſitudines identidem perſentiſcit, benignus tamen noſter Creator rationem & intellectum nobis impertivit, quibus contraria oppugnare, vel ad minimum temperare novimus, famemque cibo, ſitim potu, frigus calefactione, æſtum frigefacientibus, ægritudinem medicinâ, & id genus alia nobis infeſta eorum oppoſititiis ſuperare vel infringere didicimus, ad eum usque terminum, quem Deus vitæ noſtræ conſtituit nullo contrario ſuperabilem. Hæc tamen contrariorum ſuperatio non leve ſuperficiariumve eſt negotium, ſed operoſi ſtudii & profundi ingenii, adeò ut profundiſſimus aliisque ferè omnibus ingenioſior Hippocrates meritò exclamet: Artem eſſe nimis longam & vitam brevem, *qui tamen tum temporis, quando hæc ſcripſit, fortè ſeptuagenario major fuit, & ad minimum quadraginta circiter annos artem exercuit. Attamen cum anteceſſorum indefeſsâ indagine, terque mille annorum continuatâ experientiâ longitudo artis nobis multum facilitata & quaſi abbreviata ſit, quilibet jam ſedulus ſagaxque indagator non adeò difficulter eò pertingere valet, quò & ſibi & aliis magnoperè prodeſſe, gravesque morborum, atque aliarum nobis contrariantium moleſtiarum oppoſitiones invertere poteſt. De aliis quidem, quæ profeſſionem medicam non concernunt, impræſentiarum ſolliciti non ſumus, ſed tantummodò de contrariis*

vitæ

vitæ ac ſanitatis noſtræ, quorũ tantus eſt exercitus, ut nemo ea ſufficienter numerare vel deſcribere poſſit. Quamvis enim plurimi graviſſimi Authores, & ſupra multos alios candidiſſimus Hartmannus, atque nos in noſtra ſanitatis officina *in eundem deſcriptionem commentantes ſat prolixam morborum quamplurimorum conſignaverimus, longè tamen plures, ac magna parte etiamnum planè incogniti revera ſunt vitæ adverſarii, mortisque ſatellites nos apertè & clanculum oppugnantes; quantæcunq; autem ſunt multitudinis, omnes tamen quaternario quatuor qualitatum Elementarium, nimirum calido, frigido, humido & ſicco ſubeſſe coguntur, & tot quot ſunt, ſibi pariter oppoſita contraria habent, quibus Deo annuente infringi poſſunt; adhæc innumerabili morborum exercitui Creator ſacroſanctiſſimus quoque oppoſuit innumeras herbarum & ſimplicium copias itidem quatuor ducibus ſubordinatas, nempe trigono aëreo, igneo, terreo & aquatico, nec non ſub duodecim vexillis cœleſtium capitaneorum ſeu ſignorum zodiaci militantes, hi verò ſuo Regi Soli, ejusque conjugi lunæ, cæterisque quinque aſtralis regiminis condirectoribus ſcilicet planetis auſcultant, eorumque influentias per ſingulos menſes aliter atque aliter diſtribuunt. Quinimò non ſolùm hæc in natura ſe ita habent, ſed & in Regno gratiæ, ubi Princeps glorioſus lucis obſtat Principi gehennalium tenebrarum, bonumque malo, juſtitia peccato, virtus vitiis, & ſic conſequenter, nec diſſimili modo Sol juſtitiæ, ejusque luna videlicet Eccleſia mediante ter ſancto zodiaco duodecim Apoſtolorum, quaternarioque Evangeliſtarum influentias gratiales nobis peccatoribus diſpenſant; prout & cætera gratialia cum naturalibus miram convenientiam habent. Hæc autem ut eò melius à tyronibus capiantur, in eorum gratiam libellum hunc ſcribere, eumque* Zodiacum medicum *vocare volumus, explicaturi in eo qualitates influentiales duodecim ſignorum zodiaci, quibus cuncta ſublunaria, imprimis autem herbas, arbores, frutices ac cætera ſimplicia medica opulentant, omnia enim in terra marique provenientia, ſive calida vel frigida, ſicca vel humida ſint, ſub eorum dominium pertinent, eorundemque qualitates imitantur, atque ab ipſis gubernantur, prout etiam ſingulæ partes noſtri corporis alicui è commemoratis ſignis ſubditæ ſunt, nimirum caput Arieti, collum & fauces Tauro, brachia Geminis &c. & ſi qua ex ipſis laborat, juvanda eſt qualitate*

ſibi ſimili, morbus verò ſuo contrario depellendus, utrunque verò uno inſtanti applicando nimirum ſimplex ejusdem qualitatis cujus eſt pars ægra, & ſub idem zodiaci ſignum pertinens cujus ſympathica virtute membrum laborans roboretur, atque ſimul alterum, quod morboſo affectui ſit contrarium, tum verò etiamnum tertium his addatur, quod morboſæ materiæ ſit ſimile, eamque attrahat & ſecum educat; verbigratia: ſi quis laborat paſſione colicâ, quæ nil aliud eſt quàm humor melancholicus à vitioſo ſucco pancreatico proficiſcens, & mordicatione acidâ crucians, tunc accipe ſimplex cum inteſtinis ſymbolizans, ſeu ex eadem triplicitate phlegmatica deſumptum, valdè tamen ſiccatum, eò quod inteſtina peregrina humiditate depravatâ laborent, cujusmodi ſunt ſpinæ & oſſicula muſtelæ fluviatilis ad ignem aridiſſima facta, quorum cape tres partes, & adhuc aliud quod morbo frigido contrarium ſit, nimirum ſimplex calefaciens, at nequaquam bilioſum, aliàs contractura & mors ſequeretur, cujusmodi eſt ſemen aniſi, cumini, carvi, mentha, criſpa & ſimilia, horum alicujus ſume duas partes, atque inſuper aliud ſimplex quod materiæ morboſæ ſit analogum ſcilicet è melancholica triplicitate depromptum atque itidem ſiccum & ob ſiccitatem ſuæ naturæ humores tumultuantes non aliter ac ſpongia expreſſa aquam avidè in ſe combibens, & ſecum educens, cujusmodi eſt ſemen carduibenedicti, radix roſeti ſylveſtris & ſimilia, cujus adde unam partem, ex hisce commixtis fiat pulvis per vices pugilli vel drachmæ quantitate in vino, vel quocunque modo aſſumi queat, impotandus. Aliud exemplum ſit: ſi ſangvis venarum vel ipſum hepar calore inflammatorio ſeu febrili æſtuet, tunc prehende ſimplicis ſangvinei ex Aquario tres partes, è Cancro ſimplicis reſtinctorii (phlegmatica enim triplicitas cholericæ eſt contraria & inflammationes reſtingvit ut aqua ignem) duas partes, & tertii cujusdam affectui inflammatorio conformis, & ardorem ſangvinis allicientis & ſecum educentis, videlicet è Sagittario unam partem, ex hisce fiat potio. Ex hac ergò methodo tam veritas aphoriſmi Hippocratici: Contraria contrariorum ſunt remedia, *quam Hermetici:* Similia ſimilibus curantur, *eluceſcit. Quum autem hæc utiliſſima ſcientia, in tenebris ferè penitus ſit ſepulta, conabimur eam pro noſtro modulo paulò illuſtriorem reddere, ſimpliciaque cuique ſignorum zodiaci propria, eorundemque legitimam collectionem, miſtionem & applica-*

plicationem, nec non compoſitorum vehiculationem ex ordine recenſere, ad aliis excellentioribus ingeniis dandam occaſionem, ut nobiscum ſatagant rariorem hanc methodum nobis ab incomparabili Carichtero, ipſi verò, ut fatetur, à Johanne Wimnero præmonſtratam, reddere excultiorem. Tu verò lector æqui bonique conſulte his fruere & vale.

TRACTATUS PRIMUS,

De ſignis trigoni aërei ſeu triplicitatis ſangvineæ, ſcilicet Libra, Aquario & Geminis, ac primo de ſigno Libræ, ejusque natura, qualitate, dominio, & diſtinctis gradibus.

CUm nihil æquè Medico conducat ac cognitio Naturæ, uti fideliter admonet Divinus ſenex de vet. medic. II. *Naturæ* (inquiens) *ſcientia omni Medico neceſſaria; eſt enim* (inquit id. de arte III.) *corporum ſapientiſſima*, ordiendum ducimus noſtrum ſcriptum à primis naturæ principiis nempe Elementis; Quanquam autem perilluſtris Helmontius antiquiſſimam de quatuor Elementis doctrinam impugnet, ac tria tantùm Elementa ſtatuat, nimirum duo primigenia aërem & aquam, tertiumque terram virginem ſeu arenam quellem ex aqua productum, ignem verò ex Elementorum numero excludat, nos tamen antiquorum Philoſophorum veſtigiis inſiſtentes quatuor Elementa agnoſcimus, ſcilicet Aërem, Ignem, Terram & Aquam, per ignem tamen non intelligentes ignem noſtrum culinarium ſeu ardentem flammam, ſed ipſum calorem lucis ceu veram omnis vitæ animam ac radicem ex unico Sole ſcaturientem, niſi enim lux & calor ſolis omnia reliqua aſtra, cunctaque alia hujus creati Mundi illuminaret, & calefaceret, profectò omnia rigerent in ſtipitem immobilem, nec ullum Elementum moveretur, luce autem ſolis manifeſtè calidâ, ſolâque per ſpeculum concavum incendente triplicem ſuam virtutem ſcilicet illuminandi, ſeſe movendi & calefaciendi in totum ambitum creati orbis eradiante, omnia reliqua calefiunt & moventur, calor enim rarefacit & diffundit, datque fluxum humiditatis, flatum ſpirantem, inſpiſſationem craſſioris partis, & teporem ex motu, & ſic quatuor Elementa neceſſariò in motu ſuo à fervore Solis conſervantur: Quodlibet autem Elementum peculiarem ſuæ naturæ qualitatem edit, nempe ignis calidam & ſiccam, aër calidam & humidam ſeu potius temperatam, aër enim ex ſua natura temperatè ſiccus eſt, vapor verò aqueus ipſi perpetuò admiſtus temperatam

peratam humectationem ipſi conciliat; terra frigidam & ſiccam; aqua frigidam & humidam; & quoniam cuncta materialia ex Elementis conſtant, harum qualitatum Elementarium participia ſunt, una tamen præ reliquis dominatur, redditque ſuum ſubjectum, ſi ignea qualitas præcellit, cholericum ſeu fervidum & ſiccum, ſi aërea, temperatū ſeu calidum & humidum, ſi terrea, frigidum atq; ſiccum; ſi aquea frigidum & humidum, prout etiam in humana natura notiſſimum eſt, ac quilibet in ſe ipſo prædominium alicujus qualitatis elementaris, nimirum aëreæ ſeu ſangvineæ, igneæ ſeu cholericæ, terreſtris ſeu melancholicæ, aqueæ ſeu phlegmaticæ deprehendit. Præſident hisce qualitatibus Elementaribus duodecim ſigna cœleſtia ejusdem naturæ, ideòque in quatuor trigonos diſtincta, Libra enim Aquarius & Gemini ſunt aëreæ qualitatis; Sagittarius, Aries & Leo igneæ; Taurus, Virgo & Capricornus terreæ; Cancer, Scorpius & Piſces aquaticæ.

Gubernatur trigonus aëreus præcipuè à Planeta Jove, partimque à Sole, & peculiariter dominium exercet in auroram & matutinum tempus incipiendo hora tertia antelucana, elapſisque horis ſex, nempe circa horam nonam præmeridianam deſinendo; ſicque ipſi quoque dicatur Oriens & ortus ſolis, plagaque orientalis cum vento cardinali euro, tempusque anni vernum, atque hominis infantia, unà cum omnibus ſimplicibus Jovialibus, gratè vel amaricanter dulcibus & temperatis cum colore albo, cœruleo, aureaque flavedine.

Trigonus verò igneus regitur à Planeta Marte, cujus partem etiam Sol vendicat, & ſub ſe comprehendit tempus meridianum, cujus initium eſt à dicta paulò ante hora nona, medium ſeu ſtatus horâ duodecimâ meridianâ, finis tertiâ pomeridianâ. Adhæc accenſetur ipſi plaga meridionalis tempusque anni æſtivum, imprimis autem dies caniculares, nec non ventus cardinalis auſter ipſiusque collaterales, item ætas hominis juvenilis ab anno decimo octavo usque ad trigeſimum quintum, ut & cuncta ſimplicia valdè calida, amara & pontica, unà cum colore ruffo & ſpadiceo.

Excipit hunc trigonus phlegmaticus, cujus director eſt Planeta Mercurius, partimque luna, ac ſibi vendicat tempus veſpertinum ab hora tertia pomeridiana usque ad nonam veſpertinam, intra quod ſpatium collectio ſimplicium phlegmaticorum commodiſſimè inſtituitur, ejus juris quoque eſt occaſus, plagaque occidentalis, nec non ventus cardinalis zephyrus, item ætas humana virilis ab anno trigeſimo quinto usque ad ſexageſimum, ut & omnia ſimplicia admodùm humida, frigida, inſipida, cum colore pallido, niveo & violaceo.

Succedit huic trigonus melancholicus, cujus gubernator eſt Saturnus partimque Venus, & dominatum potiſſimum gerit tempore nocturno, ab hora nona veſpertina usque ad mediam noctem, ubi ſummus

mus vigor ejus eſt, poſtmodum verò declinat & poſt horam ſecundam antelucanam finitur, ejus quoque vendicationis eſt ſeptentrio plagaque ſeptentrionalis, ut & ventus cardinalis aquilo, nec non ultima ſenectus hominis ab anno ſexageſimo ad ejus usque mortem, item quælibet ſimplicia aſtringentia auſtera & ſicciora, una cum colore viridi, livido & atro.

Porrò cujuslibet triplicitatis primum ſignum eſt ſpirituale harmoniacum, uti ſunt Libra, Sagittarius, Cancer & Virgo; ſecundum eorum eſt ſympathicum, nimirum Aquarius, Aries, Scorpius, Virgo; tertium verò antipathicum, videlicet Gemini, Leo, Piſces & Capricornus, ut in ſequenti cujuslibet ſigni deſcriptione pluribus patebit.

De proprietate generali ſigni Libræ, ſimpliciumque illi ſubjectorum.

LIbra eſt ſignum primum triplicitatis ſangvineæ, in quo Sol menſe Septembri curſu ſuo moratur, atque æquinoctium autumnale conſtituit; eſt autem ſignum ſpirituoſum, harmoniacum, Joviale, ſangvineum, calidum & humidum ſeu potius æqualiter temperatum, adeò ut neque caliditas nec frigiditas excedat, ſequiturque temperaturam aëris, qualis is ab ortu ſpirans eſſe ſolet, ſignatura ipſius eſt amabilis color cœruleus, qualis in floribus cichorii, ſalviæ, ſcabioſæ conſpicitur, ut & albus, cujusmodi eſt flos lilii convallii, ſapor ipſius eſt dulcis cum aliquali amaritie mixtus. Dominatur præterea Libra in tractum orientalem, qui eſt inter cæciam & ſubſolanum, & in tempus matutinum, incipiens ab hora tertia antelucana, & elapſo bihorio deſinens, quo tempore Divus Petrus à cantu galli reſipuit, Dominus verò ipſius & noſter damnatus, ac decretum ſancitum eſt, ipſum tradendi Judici Romano, quorum uterque nimirum Pontifices & Judex totumque judicium & ſacerdotium ſub Jovem pertinent, prout integrum judicium de Domino noſtro Jeſu Chriſto durante dominio Joviali eſt abſolutum. Porrò herbæ hujus ſigni ſunt ſpirituoſæ in exceſſu, at in materia ſeu materialitate deficientes, odorem plerunque ſpirantes gravem ſeu fœtori quam ſvavitati viciniorem, quem acceptum ferunt ſulphuri cuidam etiamnum crudo, ſemiputrido & fœculento, admixto ipſis in primateriali earum compoſitione, à ſulphuribus enim omnis odor proficiſcitur, & ubi non eſt ſulphureitas, ibi etiam fortis odor exhalari nequit.

De partibus corporis Libræ ſubjectis, ejusque antipathia.

SIgno Libræ quoad harmoniam cœleſtem ſubjicitur hepar cum venis omnibus totius corporis, ut & regio lumborum, in hisce partibus harmoniacè operatur, per ſympathiam verò etiam aliis locis triplicitati ſangvineæ addictis ſubvenit, nimirum his quibus Aquarius & Gemini præſunt, & ſic ex propria ſua natura per omnem ſangvinem to-

tius corporis ut & in arteriis, nervis, carne & oſſibus brachiorum, manuum, tibiarum, mamillarum, omnibusque partibus ſub Aquarium & Geminos pertinentibus operatur, ad reliqua autem corporis membra ſimplicia Libræ additione opus habent.

Antipathiam verò Jovis Jovialiumque ſeu ſangvinearum partium & ſimplicium quod concernit, ea conſiſtit in Saturnina qualitare, nimirum in triplicitate melancholica, quæ in ſingulis ſignis & gradibus prædictæ ſangvineæ contrariatur, nimirum Taurus Libræ, Virgo Aquario, ac Capricornus Geminis, eaque contraria qualitate depravant & lædunt.

De ſimplicibus primi gradus Libræ, atque eorum operatione ſpeciali.

SUb primum Libræ gradum pertinent pleræque herbæ Joviales in prima ac tenera ſua pullulatione collectæ, imprimis autem ſequentes: nempe tragopogon ſeu barbula hirci, Bocksbart / Gauchbroht / cum radice ac floribus flavis; item primula veris cum ſuis ſpeciebus, Schlüſſelblume / quæ etiam herba paralyſis vel arthritica nominatur, & à quibusdam betonica alba; item herba bellis, Maßlieblein / Marienblümlein / cum omnibus ſuis ſpeciebus, quarum cum hortenſibus circiter viginti numerantur; item herba parthenium, quæ ſpecies eſt chamomillæ ejusdemque cum illa formæ, at ſvavioris odoris, alii quidem ita vocant lappam majorem, cujus quoque radix inſignes proprietates Joviales poſſidet, mirumque in modum ſangvinem mundat; aſt verum parthenium ſpecies chamomillæ eſt, quæ chamomilla vera, Germ. edel Camillen nominatur. Item tanacetum Reinfarn in prima ſua teneritudine collectum, antequam flores proferat, ita enim in umbra exiccatũ ad mundanda & carne explenda ulcera optimè inſervit in vino & aqua coctum, at ſi internum uſum ſubire debet, collectio aliter inſtitui poterit. Item aparine primum pullulans jung Klebkraut; ſeſamum Leindotter; flos ericæ Heidenblüt; ſperma ceti, Wallraht. Item herba ſion, Waſſermerck; conſolida media, Güldengünſel; meliotus, Steinklee; item chamomilla primum exoriens, junge zarte Camillen; linum ejusque ſemen, Leinſamen; fœnum græcum, Bocksshorn; mucilago pſyllii, Flöheſamen Schleim; oleum olivæ recens, friſch Baumöhl; butyrum majale, May-Butter.

Differunt autem hæ herbæ aliquantulum inter ſe, unaque alterâ non nihil eſt calidior, at pro re nata alterius additione temperari poteſt, barba enim hirci parumper caliditate excedit, verùm admiſtione jam pullulantium foliorum quercus tempore Aprilis decerptorum, vel albuminis ovorum, vel alterius rei infrigidantis, nobilem operationem præſtat in ſanatione ulcerum vel abſceſſuum, ſingulari enim virtute pollet cicatriſandi ſeu ſanationi generando cutem finem imponendi,

nendi, quod tamen abſque additione alicujus rei frigidioris non facit, ſed potius ſua caliditate ſanationem retardat, ulceraque fluidiora efficit, colligitur commodiſſimè principio Junii poſt occaſum ſolis. Idem quoque notandum venit de primula veris, quod ob ſuam calidiorem oleoſitatem, quam vehit, temperari debeat æquali ſui parte herbæ belliidis, ita enim inſigniter operatur in reſtinctione inflammationis, maturandis & ſanandis abſceſſibus, colligitur cum radice ac floribus in ſua prima teneritudine, menſe Aprilis, ſole & luna ſi fieri poſſit in ſigno Tauri morantibus, ante exortum ſolis, ſiccaturque in umbra, atque ad uſum per annum aſſervatur, tam enim interno quàm externo uſui inſervit, & quomodocunque in uſum veniat, ſingulariter ſedat dolores arthriticos; quibusdam in locis flores ejus exſiccati & minutim conciſi admiſcentur coagulo lactis, ſic enim caſei exinde formati meliorem ſaporem acquirunt. Herba Sium colligitur Sole adhuc in Geminis exiſtente circa novilunium Junii ſub exortum ſolis, & cum ipſo proceditur ut jam dictum, uſus ejus eſt pariter internus & externus, mirandam enim virtutem jovialem harmoniacam ad ea loca quæ ſigno Libræ ſubjiciuntur, poſſidet ad ſanandum eorum læſionem qualemcunque, motuque harmoniaco omnem ex ipſis contrarietatem & nocumentum ejiciendum, item ad ſuccurrendum ſympathicè locis Aquarii, ac Geminorum, nimirum thoraci, brachiis, manibus, digitis, tibiis, regioni lumborum ac renum, imò univerſo ſangvini venali. Bellis colligi poterit eodem modo ad eundem uſum, imò per totum ferè annum vireſcens invenitur, ſuâque continuâ viriditate ſingularem in eam à Deo reconditam & quolibet tempore præſentaneam virtutem teſtari videtur, quemadmodum etiam vix potentius remedium notum eſt eo quod ex foliolis hujus herbæ contra perniciosam ex hauſtu frigidiſſimo procuratam læſionem, qua innumeri ſibi interitum adſciſcunt, paratur; In hoc ergò caſu, quando nimirum quiſpiam maximè æſtuante corpore largum hauſtum frigidiſſimum aſſumpſit, è veſtigio ad hanc herbam confugiendum, colligendo ipſius recentiſſima foliola, è quibus aquâ mundâ ablutis paretur cum aceto, oleo olivæ & pauco ſale oluſculum inſtar lactucæ, quod protinus à læſo comedatur, illicòque Deo annuente in integrum reſtituetur; eximium quoque eſt contra corporis conſumptionem quotidiè manè jejuno ſtomacho per tempus aliquod comeſta. Vires bellidis inſignes.

Præparatio & *Uſus* ſingulorum ſimplicium primi Libræ gradus in eo conſiſtit, ut collectæ indicato modo herbæ, radices & flores mundentur, in umbra tenuiter explicatæ, ne putreſcant, ſiccentur, & per annum aſſerventur, pro uſu autem eorum manipulus largus in una libra vini albi, ac duabus aquæ pluvialis coquitur, donec molleſcant, tumque tunduntur in pulticulam,

quæ abſceſſui dictis in locis imponitur, nequaquam autem melancholicis ulceribus vel partibus, ipſis enim venenum eſſet futurum.

Ulcera ſubjectum os rodentia.

Quælibet autem ſimplicia primi gradus peculiariter ulceribus rodentibus partium ſangvineæ triplicitati dicatarum conferunt, quæ nimirum ſubjectum os rodunt & putrefaciunt, cum enim ejusmodi herbæ ſuperfluam ſpirituoſitatem nactæ ſint, in materia verò deficiant, oſſa verò fixa ſint & ſuperfluâ materiâ ſeu corporalitate abundent, ideò dictæ herbæ materialitatem promptè arripiunt, & ſic corruptionem oſſium abſtergunt, eaque mundant atque ita ejusmodi ulcera ad ſanationem protrahunt plusquam ullæ aliæ in rerum Natura.

De ſimplicibus ſecundi gradus Libræ, atque eorum operatione ſpeciali.

SEcundo gradui accenſentur ſequentia: nimirum chamomilla jam florens imprimis autem flores ejus, Camillenkraut und Blumen; herba alcæa ſeu bismalva, Sigmarswurtz oder Fellriß / cum floribus ac radice; item althæa antequam caulem proferat, jung Eibiſchkraut; Verbena flore citrino, gelb Eiſenkraut / videlicet verbena fœmina, ſeu eryſimum, cujus herba huc pertinet, ſemen verò ſub Arietem; Item herba ſpecierum malvæ omnium, excepta malva arboreſcente, Haſenpappelkraut; ſtœchas citrina Reinblumen; viſcus arbori tiliæ innaſcens, Lindenmiſtel; Oculi cancrorum Krebsaugen; gemma turcois Turckißſtein; Item hemerocallis rote Goldlilien; martagum Goldwurtzelkraut; Lychnis coronaria Marienröslein oder Gliedweich; amaranthus purpureus Tauſendſchön; Branca urſina, acanthus, Welſcher und Teutſcher Bärnklau; populago Goldwieſenblum.

Vires harum herbarum ſunt, quod eodem modo ut præcedentis gradus emolliant, leniant, in profundum penetrent, malignamque ac corruptivam qualitatem à parte ſana ſegregent; magis tamen ſpecificam ſuam operationem exerunt ad genus venoſum album, nimirum ad ligamenta, tendones, ac nervos in locis ſangvineæ triplicitati ſubditis, quemadmodum ſuperiorum ſpecifica operatio magis ad oſſa propendet, quæ corruptionem patiuntur, de cætero autem utraque conveniunt in emolliendo, abſtergendo, ſeparando, ac radicitus abigendo omnem contrarietatem, ſive per vulnera, ulcera vel abſceſſus eveniat, eaque ad conſtantem ſanationem & incarnationem perducendo.

Collectio horum ſimplicium inſtituitur primo die, vel ſequentibus usque ad nonum menſis Maji manè ante Solem exorientem, quæ poſtmodum in loco mundo tenuiter explicata in umbra exſiccantur, atque ad uſum aſſervantur tam externum quàm internum, pro externa tamen uſurpatione teneriora deſiderantur, ſcilicet quando primum pullulant, pro interna autem adultiora, tum enim in potionibus robuſtius operantur; aſt in qualibet triplicitate primi

primi duo gradus uſualiores ſunt ad uſum externum, tertius verò & quartus ad internum.

Præparatio & *uſus* cujuslibet hujus gradus herbæ in eo verſatur, ut vel recens vel exiccata in vino & aqua coquatur, capiendo nimirum ad manipulum vel unciam herbæ libram vini & tres libras aquæ, quibus herba optimè percoquitur, deinde jure decoctionis absceſſus vel ulcus tepidè eluitur & mundatur, ac poſtmodum herba cocta in pulticulam tuſa ſuperligatur, idque quotidiè bis reiteratur ad integram usque ſanationem.

Additionem autem quod attinet, ſimplicia quidem hujus gradus nullo additamento indigent, ſed per ſe prædictam operationem efficaciſſimè præſtant, nihilominus tamen magno cum emolumento ſequenti cum additione adhiberi poterunt; ℞. herbæ unius vel plurium hujus gradus partes ſex, è gradu ſecundo Sagittarii duas partes, atque è gradu ſecundo ſigni Cancri quatuor partes, & cum eisdem commiſtis procede ut docuimus; nil verò è triplicitate melancholica ſimplicibus Jovialibus ad externum uſum addi debet, ſunt enim invicem hæ triplicitates contrariæ, earumque ſimplicia combinata & exterius applicita etiam in parte ſana cutem putrefaciunt, multò magis in jam exulcerata ingentem corruptionem eſſent concitatura.

De ſimplicibus tertii gradus Libræ, eorundemque ſelectiori virtute.

SUb gradum hunc peculiariter pertinent ea quæ ſingulari virtute contra veneficia & incantamenta prædita ſunt, imprimis autem rubicundiſſima coralla, ſplendentis nimirum rubedinis die ſchöne liechtrote Corallen / nequaquam tamen quæ obſcuri & quaſi coccinei ſunt ruboris; item lapis gemmarius topaſius der Chryſolith oder Topaſierſtein; minera cinabarina pura & ſelecta rutilantiſſima, qualem cinabaris antimonii aliquoties ſublimata & ſubtiliſſimè trita colorem edere ſolet, quę etiam nativæ cinabaris in ejus defectu ſuccedanea eſſe poteſt, außerleſenes Zinobererz / oder an deſſen Statt der fleiſſig præparirte Spießglas-Zinober. Item viſcus corylinus & tilianinus Haſeln- und Lindenmiſtel / item victorialis, Allermannsharniſch; catanance Stärckkraut; adeps ciconiarum, Storchenſchmaltz / herba althæa cauleſcens arborique tiliæ inn aſcens, Eibiſchſtengel auf Lindenbäumen wachſend; Bellis major ſeu flos ſancti Johannis, aliàs buphthalmon in agris creſcens, Johannsblume oder Gänsblume; artemiſia alba weiſſer Beyfuß; omnes ſpecies antirrhini, Daurant oder Hundskopff; polytrichum Wiederton; ruta muraria Maurraute; medulla pullorum equorum, nec non butyrum equinum ſeu ex lacte juniorum equarum tempore Maji ebutyratum, Pferdsfüllenmarck und Butter aus junger Stuten Milch / ſo im Mäyen

gekernet worden; Sangvis canum nigrorum præſertim catellorum adhuc lactentium, ſchwartzer Hunde Blut/ und ſonderlich von ſaugenden Hündlein. Adhæc gradus hic etiam ex aliis triplicitatibus quædam ſimplicia ſibi vendicat, quæ nimirum contra veneficia compertiſſima ſunt; uti ſunt perforata ſeu fuga Dæmonum Sanct Johannskraut; plantago acuta ſpitziger Wegerich; abrotanum Stabwurtz; filix Farnkraut; fungi ſub arbore betulæ enaſcentes rubi, rote Erdſchwämme ſo unter den Bircken wachſen / ſed ea tantùm pars valet quæ intra terram latet, quæ verò extra terram protuberat, nil valet, ſed abjicienda, effodi autem debet acuminato ligno tiliannino, lunâ creſcente, ac perprobè tundi in ungven molle; item pingvedo caponum Kapaunenſchmaltz; ſangvis ex vivis talpis collectus, Maulwurffsblut lebendig von ihnen genommen; aliaque plura.

Vires horum ſimplicium præcipuæ tales ſunt, quod naturali & ingenita proprietate in ſangvinem venalem, ejusque vaſa nempe venas totius corporis operentur, potiſſimum tamen in mamillas, in quibus omnem malignitatem ipſis contrariam ſpiritualiter expellunt, ſangvinem & cruorem corporis univerſum mundificant, ejus còagulationem & obſtructionem iterum diſſolvunt & aperiunt, abſceſſus, bubones, phymata & id genus ab efferveſcenti ſangvine proficiſcentes ſuppurationes ante earum apertionem exteriori applicatione mirum in modum leniunt, furentem ex ipſis malignitatem evocant, duritiem emolliunt, ſuppuratum educunt atque expurgunt; Præterea omnem ſangvinis incraſſationem & impeditam circulationem ſive ea à veneficiis, incantamentis, terrore panico, hauſtu frigidiſſimo viſceribus maximè fervefactis repentè ſuperingurgitato, aſſumpto toxico, aliisve modis procurata ſit, denuo removent, ſangvinem ſubtiliant, obſtructionesq; tollunt, nec non veneficia annihilant.

Collectio iſtorum quorumlibet ordienda eſt circiter die decimo ſeptimo curſus Solis in ſigno Geminorum ſub primam auroram, antequam Sol exoriatur, ſique forſan incantamentis iisdem mederi quis vellet, collector prægreſſa nocte à coitu abſtineat, ſimplicia ſolus absque inſtrumentis ferreis colligat, nullius aſpectui ea objiciat, ſed in locum ſecretiorem ab omni alterius frequentatione immunem deportet, & ſiccari in umbra permittat, ad alium verò uſum hæc non adeò ſtrictè obſervari neceſſum eſt.

Præparationem & *Uſum* quod concernit, ea quæ ad internum uſum petuntur, quantum fieri poteſt optimè mundentur, ſine tamen herbæ conciſione vel vulneratione, quemadmodum enim uvæ vulneratæ vix ſine corruptione aſſervari queunt, eò quod mox per locum apertum aër intret, ſuccumque acificet & in fermentationem trahat, quod non fit, ſi uvæ integræ maneant, ſed phlegma ſuperfluum per integram

tegram cuticulam exhalat, ubi poſtmodum uva exiccata ſeu paſſa diu ſine corruptione durare poteſt. Ita etiam herbæ conquaſſatæ fermentationem meditantur, & ſic optimam virium partem exhalant. Mundatæ itaque ſic herbæ probè in umbra exſiccentur, & à muribus & felibus cuſtodiantur, ne eorum venenatâ urinâ commingantur, poſcente autem uſu ex eis pulveres, vina medicata, decocta & inſeſſus parari poſſunt, uti aliàs fieri conſvevit, aſt ſi ſuſpicio maleficii cujusdam foret, alia præparatio & applicatio cum ipſis inſtituenda venit, ſcilicet ut exſiccatio nunquam fiat ad ſolem vel ignem, neque pulveriſatio mediante ferro, ære, aliove metallo vel lapide, ſed herbæ arefactæ digitis in pulverem farinentur, vitando præcedente nocte omnem venerem, vel in mortario ligneo tiliano vel fraxineo contundantur; pingvedines hujus gradus ad ignem eliquantur, atque dein aquæ frigidæ fontanæ injiciuntur, ita enim ſuperius purior pars aquæ ſuperinnatans permanet, indeq; colligitur, impurior autem in aquam & ad fundum tranſit, uti talem eliquationem imprimis axungia urſina, adepsque catellorum, caponumque depoſcunt; ex his verò pingvedinibus & herbarum pollinibus balſama ſeu ungventa pro affectibus maleficio ſuſpectis apparantur; ſangvines verò excipiuntur linteis illotis atque iisdem poſtmodùm imbuta lintea reſiccantur, quorum deinde ſegmenta vel collo appenſa, nudamque cutem attingentia geſtantur, vel ordinario potui immacerantur, vel denique locis læſis ſuperligantur; Porrò ex integris ſimplicibus etiam ſemicupia & inſeſſus coquuntur, ubi notandum, aquam ad decoctionem neceſſariam hauriendam eſſe ante Solis exortum è quodam fluente rivo, ſecundo & nequaquam adverſo aquæ fluxu, omne enim maleficium ſaganicum contra ordinarium naturæ curſum fit, itemque contrario modo curari debet, in ejusmodi balneo vel ſemicupio patiens omni manè per duas ſi vires permittant, veſperi verò unam horam moretur, reiterando id quotidiè refervefacto eodem balneo per quatuor dies, quinto autem aliud recens cum recentibus ſeu nondum uſitatis herbis paretur, præuſitatum verò in eundem rivum evacuetur, & quicquid inſuper lavandum venit, ſive ſint lintea, ſive alia curationi neceſſaria, ex eadem ſaltim aqua fluviatili ſimplici lavanda ſunt, & nequaquam ex ullo lixivio, niſi forſan è cinere corylino paratum ſit. Præterea Edelphi ſeu arcanorum Naturæ periti, quemadmodum magnus Carrichterus hoc ſtudioſè inculcat, etiam peculiarem ignem ad quamlibet præparationem antiſaganicam ſtruunt, exquirendo nimirum aliquam arborem durioris ligni fulmine tactam, è cujus ligno ſerram confici curant, qua ſuper aliquo januæ limine multorum hominum in- & egreſſu frequentari ſolito tamdiu ſerrant ſeu fricant, donec lignum à motu incaleſcens ignem concipiat, quem fungo betulino in fomi-

fomitem parato excipiunt, eumque in foco ad finem usque curationis continuò gliſcentem ſervant, quia difficillimæ eſt acquiſitionis, quo omnem ſuam coctionem, deſtillationem, & præpararionem antimagicam inſtituunt. Talem autem ignis ſtructuram ſupervacaneam eſſe ex Helmontio videre eſt, qui libro de lithiaſi cereviſiam deſcribit, cui ſaltim vulgari modo ſurculi conquaſſati arboris betulæ incocti fuerant, efficaciſſimam tamen & probatiſſimam ad tollendam impotentiam à maleficio profectam. Liberum tamen eſto cuilibet ſequi quemcunque velit, nos enim Edelphorum placita heic tantummodò recenſemus, de cætero haud ſoliciti an placeant cuiquam vel diſpliceant, imò ne curantes quidem ullum maleficium, ſatis ſuperque nimirum experti benedictiſſimum & glorioſiſſimum nomen JESU ſufficientiſſimam eſſe omniscunque affectus morbifici panacæam, ſi nimirum ardenti fide invocatur, absque tamen neglectione mediorum à Deo adverſus infirmitates ordinatorum.

Additionem quod attinet, hujus quidem gradus ſimplicia eâ non magnoperè opus habent, ſunt enim per ſe ſatis ad dictos affectus virtuoſa, attamen ſequenti admixtione eò efficaciora & penetrantiora evadunt, ſi unius vel plurium hujus tertii gradus ſimplicium capiantur partes ſex, atq; è tertio gradu Cancrino quatuor partes, duæ verò è tertio gradu Sagittarii. Verum enim verò in caſu maleficii cujusdam accipi poterunt omnium partes æquales, procedendo cæteroquin ut dictum eſt.

De ſimplicibus quarti gradus ſigni Libræ, eorundemque virtuoſitate ſpecifica.

SUb hunc gradum pertinent, quę ſpirituoſiſſimæ ac temperatiſſimæ ſunt Jovialis & Solaris qualitatis; Imprimis autem aurum ipſum purgatiſſimum convenienter ſolutum, vel ſaltem multoties candefactum, atque in vino vel aliquo liquore reſtinctum, ſæpiusque propinatum, mirum enim in modum ſangvinem clarificat, cor recreat, & melancholiam abigit, quod ſimplicium hujus gradus proprium eſt. Item lapis rubinus, ſardius, & ſaphyrus, nec non margaritæ orientales; item lapis bezoar orientalis & occidentalis; item ſal armoniacum à ſale communi ſublimatum, ejusque flores ac ſpiritus volatiliſſimus; quamvis talia quoque ſub ſignum Sagittarii pertineant, ob ſpiritum tamen eorum jovialem ac ſangvinis mundificativum etiam hic locum habent; item radix & herba ſcrophulariæ, Braunwurtz; ſcabioſa flore purpureo nodoſo, Scabioſen mit den knöpffichten braunen Blumen; anagallis flore rubro, Gauchheil mit roten Blumen; alyſſum Aliſſenkraut; galeopſis ſeu milzadella, taube Neſſel mit weiſſen Blumen; ros ſolis ſeu rorella, Sonnentau; eryngium, Mannstreu; antirrhinum minus klein Daurant; chelidonium majus & minus groß und klein Schölkraut; flos & gummi coryli, Haſelnußbaumblüt und Gummi; gummi

gummi è radice ſcabioſæ collectum, der verhartete gummichte Safft aus Scabioſenwurtz: prope enim herbam ſcabioſæ fovea in terram foditur, donec radix ſcabioſæ in latere appareat, quæ tum inciditur, tunc ſuccus lentus emanat, atque ab aëre indureſcit in gummi, quod omni veſpere per totum Majum & Junium colligi poterit, excellens enim eſt ad abſceſſus in locis ſangvineæ triplicitatis.

Vires eorum ſunt: quod ſpiritu præpotenti Joviali & Solari donata ſint, quo efficaciſſimè operantur in arterias & muſculos, craſſumque ac vitioſum ſangvinem arterialem ſubtiliant ac clarificant, ſpiritumque arteriarum purum & ſubtilem reddunt, omnem quoque venenoſitatem infringunt atque annihilant, ac cuivis palpitationi cordis medentur, attenuando nimirum craſſitudinem ac tartareitatem ſangvinis, qualis à febre quartana, aliisque paſſionibus ſpleneticis proficiſci ac melancholiam hypochondriacam indomitam hactenus gignere ſolet, nec non cæteros affectos atrabiliarios, nempe ſcorbutum, icterum nigrum, hæmorrhoides, ficus, verrucas, varices, morphæam, lepram Arabum &c. vulgari methodo non auſcultantes. At qui efficaciam commemoratorum hujus gradus ſimplicium probè perſpectam habet, is revera quoslibet ejusmodi affectus melancholicos laudatis jam ſimplicibus exſtirpare poterit, non modò enim ſangvinem optimè depurant, ſed & ipſum novum ac laudabilem producunt, carnemque & ſubſtantiam corporis amiſſam abundè reparant, ac inſuper eadem efficiunt, quæ præcedenti gradui tertio attributa ſunt.

Collectio iſtorum variat pro diverſi uſus intentione; ſi enim ſpirituoſa interna operatio ab ipſis deſideratur, colligenda ſunt circa Feſtum aſcenſionis tempore novilunii, ſi verò ad externum uſum expetuntur ad leniendum, emolliendum, laxandam & penetrandum, collectioni invigilandam eſt ultimo lunæ quadrante, quando nimirum Sol & Luna in ſigno Geminorum ſunt, in ſummo diluculo, antequam Sol oriatur, tumque eò potentius leniunt & emolliunt, collecta quoque circa medium Junii admodum ſunt lenitiva & emollitiva.

Præparatio hunc in modum peragitur: capiendus eſt ejusmodi herbæ manipulus largus cum radice, cui ſuperfundantur libræ tres vini albi, ac tantundem aquæ, ita ut commixtorum ſint circiter libræ ſex ad majusculum herbæ manipulum; hæc optimè ſimul coqvuntur, donec dimidium ſuperſit, quod decoctum externè applicatur; ad internum autem uſum exſiccatæ herbæ in pulverem fricantur, vel cum radicibus in particulas diſcinduntur, ac ſacculo inſuta vino immacerantur, pro vino medicato; flores minutiſſimè cum puriſſimo ſacharo conciduntur ac ſubiguntur in conſervam, prout è floribus calendulæ longè efficaciſſima conſerva ad palpitationem cordis paratur; Quæ

verò curandis veneficiis præſtigiisque magicis adhiberi debent, ea colliguntur & præparantur eodem modo, ut de præcedente gradu indicatum eſt. Cætera autem quæ non ſunt vegetabilis indolis, quodlibet ſuam habet peculiarem præparationem, imò multiplices, quilibet enim pro ſuo captu peculiares manipulationes, modò meliores, ingenioſioresque, nunc ſtupidiores effingit & effingere cogitur, ſelectiores enim præparationes vix in ullo libro in omnibus apertè deteguntur, ſed ab omnibus earum gnaris paucis ſaltem & obſcuris verbis delineantur, ne indigni eis abutantur, ob incredibilem potiusque divinam quàm naturalem iſtarum rerum, imprimis autem Solis terreſtris ſeu obryzi poteſtatem in ipſo latentem, nec niſi radicali ejus ſolutione & præparatione impetrabilem, de qua plurimi Hermetici Philoſophi ſcripſerunt, at meras ferè obſcuritates: Quamvis autem rariſſima aurum Philoſophicè ſolvendi via adhuc hodiè occultiſſima ſit, nihilominus tamen etiam aliæ vulgariores auri ſolutiones, imò creberrima ejus candefactio & in liquore aliquo reſtinctio magnas vires medicas ex ipſo producunt, tanta enim harmonia homini cum auro intercedit ut & ipſum aurũ veluti geſtiat licet compactiſſimum & recluſiſſimum, hominem etiam magnetismicè & vel ſolo aſpectu recreare. Unde minimè gentium noſter æternum honorandus Dictator Hippocrates ſibi reticendum putavit genuinum præparationis auri modum, eum procul dubio in finem, ut ſuos diſcipulos alliciat plenius de hac re inquirendi, ſcribit enim lib. 1. de diæta text. 47. in hunc modum: *Qui aurum ad opus adhibent, tundunt, lavant, blando igne liquant (igne enim vehementi coit) quod ubi elaboraverunt, ad omnia utuntur*, quæ verba etiamnum hoc tempore magnam tyronibus Hippocraticis lucem ritè aurum ad opus medicum præparandi præferunt, exercitatus enim hic facilè videt, Hippocratem non loqui de auro vulgari ductili fuſo, ſed de ipſius minerâ ignem fuſionis nondum expertâ, ut verba: *tundunt, lavant*, evincunt, quæ ad aurum jam fuſum & repurgatum minimè quadrant, ſed tantummodò ad ejus æs ſeu mineram crudam & pulverabilem; hæc quando è fodinis eruitur, admixtum habere ſolet ſilicem, ſabulum, montiſque terreſtrietatem, nec non inflammabile ſulphur & arſenicum, quæ cunctis mineris adhærent, tunduntur itaque in pulverem, ac aqua ſimplici ubertim ſuperfuſâ agitantur & eluuntur, ita enim purior pars metallica ceu omnibus aliis rebus ponderoſior in aqua fundum petit, pulvis verò ſiliceus terreusve utpote levior ſupra ſcobem metallicam fertur, atque agitatione aquæ ſenſim deluviatur, calce remanente metallicâ puriori: eadem itaque etiam obſervanda veniunt in minera auri, quæ prius tundi debet in farinam, undiſque à leviori arenoſitate & terreſtreitate defluviari, deinde ſiccari & ſenſim modicè igne-

Hippocratis deſcriptio auri potabilis.

igneſcere & percandere, ut vaporabilis ſulphureitas fumusque arſenicalis exhalet, vitando tamen ignitionem nimiam, ne ſcobs jam poroſa & ſolutioni apta igne coëat, & in corpus colliqueſcat, ita enim aurum vulgi compactum inde fieret, laborque vel fruſtraneus vel longè difficilior; Calci huic auri mineralis diſpoſitæ affunditur menſtruum ſolvens, quorum diverſa in uſu ſunt, præſertim ſpiritus ſalis marini, vel gemmæ, vel ſalis centralis (ita enim vocatur ſal communis in clarificatione ſalis petræ centro mundi ſeu terræ innaſcentis remanens) elaboratiſſimus, eoque homogeneum aureum extrahitur, ulteriorique circulatione ſubtiliatur, quo ritè elaborato *ad omnia* ſeu ad morbos quoscunque tam calidos quàm frigidos, ſiccos vel humidos tanquam panacæâ univerſali Hermetici cum noſtro Divino ſvaſore utuntur, irriſis omnibus Galenicis, præ ignavia tantùm hæc contra ipſum Hippocratem negantibus, ne nimirum altius indagare & inſudare cogantur; plura de præparatione auri afferre opus non eſt, ſed remittimus lectorem ad hujus libri indicem.

Lapides autem pretioſos ſolares quod concernit, eorum tincturæ quidem pariter quoque menſtruis extrahuntur, at cum ſolummodò orientales gemmæ præſtent, nimisque caræ pro extractionibus forent, eorum ſympathicâ per geſtationem operatione contenti eſſe poterimus.

De *uſu* prædictorum ut non nulla quoque ſubjiciamus, oportet ea quæ non ſunt vegetabilia, ſemper cum ſpecificis vehiculis aſſumenda porrigere; quæ optimè è præfatis hujus gradus ſimplicibus parari poſſunt, immacerando, vel etiam decoquendo ea in vino albo vel cereviſia, atque in colaturæ unciis quatuor vel quinque aliquot guttas ejusmodi eſſentiarum liquidarum è mineralibus vel animalibus Jovialibus paratarum, vel pauca grana ſi ſunt in forma ſicca propinando.

Additionem quod attinet, quamvis ſingulæ herbæ hujus gradus neque ulla correctione nec additione egeant, convenientiſſima tamen nec non efficaciſſima earum adminiſtratio in hunc modum concinnari poteſt; accipe ſimplicis unius vel plurium ex hoc gradu tres partes, è quarto gradu Cancri duas, atque unam è tertio vel quarto gradu Sagittarii, his craſſo modo conciſis ac commixtis ſuperfunde in cantharo lapideo tot libras vini albi non admodum meraci, quot uncias herbæ ponderant, cantharoque probè obturato macerentur in cella per horas viginti quatuor, deinde omni manè & ſub ingreſſum lecti inſtilla hujus vini unciis quatuor in mundum vitrum menſarium evacuatis guttas XII. XV. vel XX. ſpiritus ſalis armoniaci rectificati, vel injice grana decem plurave florum ejusdem ſalis à rubicundiſſimis corallis, vel lapide hæmatite toties ſublimatorum, donec tincturam ſecum evehant (qui flores optimè in vitro obturati ſervandi ſunt, ne aërem attrahant, ejusque humiditate ſolvantur)

agita mixturam cultro vel calamo, ut optimè miſceantur, atque uno hauſtu aſſume ad ſupradictum internum uſum, nimirum ſangvinem mundandum &c. quod ſi externus affectus morbidus infeſtet in ullo loco huic triplicitati dicato, utpote in mammis, collo, brachiis, lumbis, vel cruribus, ſive ſint bubones, phymata, abſceſſus, cancer mammarum, morſus canis rabidi, qui peculiariter quoque huc pertinet, ſive alia à ſangvine plethorico oriunda, tunc herbæ hæ in vino & aqua decoquuntur, ut paulò ante dictum eſt, eoque decocto loca affecta fomentantur, ac deinde herbæ ad mollitiem coctæ & in pulticulam tuſæ ſuperponuntur, repetendo id quotidiè bis vel ter, nec eſt quod quis ſibi à nimio uſu commemoratorum ſimplicium metuere vellet, nullam enim in ſe noxam continent; ſed quò plus intrò aſſumuntur, eò magis proſunt.

Morſus canis rabioſi.

In medendis autem tam internis quàm externis veneficiis horum miſcendorum ſimplicium poſſunt ſumi partes æquales tam in tertio quàm quarto gradu Libræ, exempli gratia, ſi abſque ulla cauſa manifeſta vel deprehenſibili quiſpiam toto corpore extabeſcat, tunc ſæpius cauſa diabolica ſubeſt ab occulto hoſte venefico illata, in ejusmodi caſu talis homo exareſcens vel occultos dolores imperſcrutabiles patiens ad præfatum modum ſimplicia tertii vel quarti gradus ad convaleſcentiam usque potui ſuo immittat, perque novem dies continuos quotidiè bis balneetur ex iisdem herbis, ſingulis diebus recens decoctis, effuſo unà prægreſſi diei balneo cum uſitatis herbis in fluentem aquam, peracta quoque qualibet balneatione totum corpus areſcens vel locus dolens hujusmodi ungvento perungatur: ℞. axungiæ catellorum eliquatæ uncias quatuor, pingvedinis urſi uncias octo, adipis caponum uncias duodecim, recentis viſci corylini cum foliis & baccis collecti ut ſuperius doctum eſt, florum hyperici recentium ana manipulos duos, contunde omnia in mortario cum piſtillo è ligno tilianino ad ſucculentam mollitiem, expone poſtmodum mixturam calori ſolis per ſeptimanas novem, & paratum eſt hoc nobile ungventum, quo ejusmodi læſiones, dolores, aridaræ, contracturæ ac ulcera à veneficiis profecta curari poſſunt.

Ungventum cōtra læſionem ab incantamentis.

TRACTATUS II.

De ſigno Aquarii, ejus qualitate, & dominio generali.

AQuarius eſt ſignum ſecundum triplicitatis ſangvineæ, quod Sol menſe Januario percurrit, eſtque calidum & humidum in perfectione, in quo nimirum ſpiritus & materia Jovialis perfectè & æqualiter temperata ſunt, primum enim ſignum plus ſpiritus Jovialis minusque materiæ particeps eſt, tertium verò materiam præcellentem & ſpiritum deficientem habet, at in medio horum perfecta contemperatio materiæ & ſpiritus ſangvineæ qualitatis deprehenditur; Dominatur hoc ſignum

ſignum in tempus matutinum medium, incipiens circa horam quintam matutinam,& hora ſeptima deſinens,quo tempore Dominus noſter JeſusChriſtus ad Pilatum perductus & ipſi traditus fuit;Adhæc plaga orientalis lineæ æquinoctialis præciſè Aquario competit, unde ſubſolanus ſpirat, & ubi Sol tempore æquinoctiorum oritur, unà cum colore perfectè cœruleo, & ſapore perdulci. Proprietas generalis Aquarii eſt, quod ſit ſignum maſculum perfectè aëreum,& ſympathicum, cujus ſimplicia ob perfectam mixtionem & compactionem ſpiritus cum materia parcum vel nullum odorem ſpirant, quod idem etiam cæterorum ſignorum ſympathicorum ſimplicibus ſolemne eſt, eò quod ejusmodi herbæ compactam & perfectam materiam triplicitatis ſuæ nactæ ſint.

De corporis partibus Aquario ſubjectis, ejusque antipathia.

PRæſidet Aquarius venæ cavæ diſperſisque per totum corpus ramis ejusdem, exterius utrunque crus à genubus usque ad pedes ipſi ſubjicitur; herbæ igitur hujus ſigni ſympathicam operationem exercent in hepar & ſangvinem univerſi corporis,nec non in arterias pulmonum,defluxionibus bilioſis turbatas, quales in peripneumonia occurrunt, item in utramque tibiam, ſalſis ſangvineis deſtillationibus,cujusmodi eſt eryſipelas & ſimilia afflictam. Partes Aquario propriæ antipathiam experiuntur à ſigno Virginis, cujus ſpiritus frigidus & ſiccus ſangvinem in venis incraſſat, ſpiſſioremque ac ſalſiorem reddit; externus autem Aquarii locus facilè à ſpiritu Arietis ſpurio læditur, ſidente illuc perpromptè defluxione bilioſa,atque eryſipelas vel inflammationem conſimilem incendente.

De ſimplicibus primi gradus Aquarii,atque eorundem operatione ſpeciali.

SUb primum Aquarii gradum pertinent etiam quædam antecedentis ſigni ſimplicia adultiora jam facta, atq; inſuper ſequentia, nimirum herba ferula, ſic vocata, quod olim ferulæ puerorum caſtigatoriæ ex hujus herbæ caulibus pararentur, quæ apud nos in hortis colitur, Germ. Gertenkraut; Item ſphondilium ſeu branca urſina, Teutſcher Bärenklau; Verbena flore cœruleo Eiſenkraut Mänlein; Seſeli, ſeu elaphoboſcum Hirſchwurtz oder Bärwurtz;Diapenſia ſeu ſanicula mas, Sanickel; bellis flore rubro rote Maßlieben; Alchimilla ſeu pes leonis,Sinnau; herba tenera pullulantis angelicæ, jung zart Angelickraut;naſturtium aquaticum,Brunnenkreß; hedera terreſtris Gundelreben;melilotus florens,Steinklee ſo er blüet; Trifolium pratenſe gemeiner Wieſenklee; gramen ſaxatile, Graß ſo auf felſichten und ſteinichten Orten wächſt; Coralla alba weiſſe Corallen; unicornu foſſile gegraben Einhorn; ſantalum album & citrinum weiſſer und gelber Sandel; flores tiliæ Lindenblüt; tilia ſaxatilis cum omnibus,

Steinlinden mit aller Subſtantz als Wurtzel und Laub; Flos populi nigræ, Aſpenblüt; item gummi ejus ſuccinum populinum vocatum, Aſpengummi ſo auch Agtſtein genennet wird; flores platani Maßholderblüt; caricæ recentes friſche Feigen; Virga aurea, gülden Wundkraut; Bifolium Zweyblat; chærefolium, Körfelkraut; Myrrhis Buſchmören; Perfoliata Durchwachs; Anagallis aquatica Bachbungen; Cytiſus, Geißklee; Aſparagus, Spargen; Siliqua Johannsbrod; Myxa Sebeſten; Jujubæ Bruſtbeerlein; Glycyrrhiza Süßholtz; Nuces juglandes recentes, friſche Baumnüſſe; Uvæ paſſæ majores & minores groſſe und kleine Roſinen; Sacharum Zucker; Mel Honig; Amygdalæ dulces, ſüſſe Mandeln; triticum Weitzen; Zea Speltz; frumentum Indicum, Türckiſch Korn.

Vires quorumlibet hujus gradus ſimplicium præcipuè à ſale quodam puriſſimo & ſubtiliſſimo Joviali ipſis naturaliter indito proficiſcuntur, at valdè tenero ac fugaci, atque in hoc differunt à præcedentis ſigni ſimplicibus, quod illa magis turgent ſpirituoſa virtute partimque ſulphureâ crudiori, jam verò in ſecundo triplicitatis Jovialis ſigno virtus illa ſpirituoſa & ſulphurea paulatim figitur & ſalſeſcit, datque ſimplicia compactiora minusque odorata, non obſtante quod nihilominus etiam quædam in hoc gradu, ut flores tiliæ &c. ſatis fragrent; hoc enim fit quod ſerò proveniant, videlicet ſub Geminis, ſigno nimirum calido & rarefaciente, virtute igitur prædicti ſalis ejusmodi herbæ inſigniter conducunt ſangvineis tuberculis, & ſuppurationibus, inflammationibusve in prædictis ſangvineæ triplicitatis exiſtentibus locis, fervorem in ipſis reſtingvendo, dolorem leniendo, discutiendoque apoſtemationem vel emolliendo & maturando, ſi ex ipſis fiant decocta, fomenta, & cataplasmata: Interius quoque aſſumpta catarrhis bilioſis in pulmones ruentibus medentur, & purgando eos retrahunt, atque ita cauſam occaſionalem tabis removent, phthiſinque inde fieri prohibent, prout etiam externâ applicatione quamlibet inflammatoriam cholericamq; malignitatem & ſulphureitatem ex ulceribus evocant, fundumque ulcerum radicitus purgant, ita ut conſtans ſanatio ſequi poſſit.

Collectio eorum oportuna prædictæ operationis cardo eſt, niſi enim juſto tempore colligantur, radii Solis propriumque herbarum ſulphur, commemoratam ſalinam & balſamicam virtutem invertunt, colligi ergò debent herbæ imprimis autem flores, antequam plenè aperiantur ſeu floreant, ſummo manè ante ſolis ortum, ſiccarique in umbra, atque ad uſum per integrum annum ſervari.

Præparatio alia non requiritur quàm ut ſingulis manipulis largis libræ quatuor aquæ ac duæ vini affundantur, atque ad mollitiem herbarum dimidiique liquorum remanentiam decoqvantur. Si nimirum uſus externus mollificandi, leniendi vel ſimilis ea requirat, pro interno

verò

verò ſimplicia præter Solis irradiationem ſiccata in pulverem teruntur, vel pari modo in vino vel cereviſia vaſis probè lutatis coqvuntur, vel tempore fermentationis iisdem immittuntur & confermentari ſinuntur.

Uſus talis eſt ut decocto tali ad tolerantiam refrigerato loca affecta fomententur, ac dein ad emolliendum vel leniendum, herbæ in cataplasma molle tuſæ applicentur bis vel ter in die; pro intrinſeco autem uſu earum pulvis in vino vel cereviſia aſſumitur, vel etiam in aqua ſtillatitia ex iisdem herbis tempore collectionis ſedulò paratâ & aſſervatâ, potus verò, cui eadem ſimplicia incocta vel confermentata ſunt, quibuslibet paſtibus contra ſitim in ſat liberali quantitate bibuntur.

Additio convenientiſſima erit, ſi ante decoctionem pro externo uſu herbarum hujus gradus partibus ſex addantur partes quatuor è primo gradu Scorpionis, nec non binæ partes è primo gradu Tauri, ac de reliquo procedatur ut dictum eſt, pro interno autem uſu ex hisce gradibus poterunt omnium accipi partes æquales, vel etiam ex ſequentibus hujus ſigni gradibus nempe ſecundo, tertio vel quarto, ſed ſi in hoc ſigno ex altiori gradu quid capis, etiam addendum ex pari altitudine gradus Tauri vel etiam Virginis itemque Scorpii eſto; exempli gratia ſi vehemens catarrhus è capite ad pectus vel pulmones decumberet, futuramque phthiſin minaretur, capies ex hoc gradu naſturtii aquatici vel florum tiliæ manipulum unum, ſummitatum recens pullulantium foliorum quercus junioris è gradu primo Tauri tantundem, atque ex gradu primo Scorpionis violæ trinitatis itidem manipulum unum, ex his parabis pulverem, cujus commixti dimidiatam vel integram drachmam omni manè & veſpere pro una vice in vino vel cereviſia vel aqua ex eisdem herbis deſtillata propinabis, turbasque bilis & ſangvinis ſedabit, catarrhumque eradicabit, imò ſolus naſturtii aquatici expresſus ſuccus quarta vel quinta ſui parte aceti vini vel ſcilliciti, modicoque oleo olivæ & tantillo ſalis menſarii contemperatus, & cochleatim per vices bibitus catarrhos pectoris biliosos infringit, apoſtemata pleuritica rumpit, æſtum febrilem extingvit, ut multoties experti ſumus.

De ſecundo gradu Aquarii, ejusque ſimplicibus.

HUjus gradus præcipua ſimplicia ſtipendiaria ſunt ſequentia: ſcilicet ſpecies omnes geranii exceptâ unâ odoris fœtidi puteis innaſcente, Storchenſchnabel; item ſideritis, wilde Salbey oder Gliedkraut; cum omnibus ſpeciebus quarum multæ ſunt, partim floribus flavis, partim albis, cœruleis vel rubeis; item urticarum ſpecies omnes urentes, brennende Neſſeln; nec non urtica mortua flore rubeo. taube rote Neſſel; Item cuſcuta tam vulgaris quàm thymo adnaſcens, quæ epithymum vocatur, Seiden oder Filtzkraut; item conſolida regalis ſylveſtris

veſtris flore luteo wilde Ritterſporen mit gelben Blumen cum omnibus ſpeciebus; item ſalvia hortenſis major & minor ſeu acuta, groſſe und ſpitzige Salbey; Item Rhabarbarum monachorum Münchrabarber; Lapathum rubens roter Ampfer; Verbaſcum nigrum, ſchwartz Wullkraut; Item ruta ſaxatilis ſeu moly Homericum, Steinraute; Aparine, Klebkraut; Enula campana, Alandwurtz; Parietaria, Tag- und Nachtkraut / Glaskraut; Manna optima, die beſte Manna.

Vires harum herbarum ſpeciales ſunt, quod peculiariter hepati quocunque modo ægrotanti ſubveniant, ejusque impuritates expurgent, intemperiem calidam corrigant, heparque quaſi renovent, quem in finem parandæ ſunt ex ipſis potiones, aliaque medicamina introaſſumenda, interno enim uſui maximè conveniunt, poſſunt tamen etiam extrinſecus applicari, iisdem enim viribus cum præcedentibus pollent, at in omnibus, fortioribus, adeò ut etiam ordinem tertii gradus mereantur, nimirum quoad exteriorem applicationem ad reſtingvendas bilioſas inflammationes, leniendos & ſanandos absceſſus ſangvineos, tubercula, phymata, furunculos, & quæcunq; ingruendo paroxyſmum ferè tertianæ conſimilem excitant, uti bubonibus & eryſipelati ſolemne eſt, horum inſultum inflammatorium extingvunt, fervorem bilioſum ex locis affectis extrahunt, duritiem emolliunt, ſuppurationem citò expediunt, ulcera ab omni pravitate repurgant, atque ad ſanationem perducunt.

Collectionis tempus commodiſſimum eſt Sole morante in Geminis, Lunâ verò in Cancro, primo diluculo, dum nobiliſſimo rore majali etiamnum madent, cujus cum madore quoque, antequam Sol affulgens eum abliguriat, mox domum deportentur, & in conclavi perflabili umbroſo tamen, & à pulverulentia, murium ac felium permerdatione & amictione tuto exſiccentur, quin imò ne ab inſectis campeſtribus impuritatem quandam retineant, longè melius eſſet etiam quantitatem aliquam ipſius roris majalis colligere, quod fit magnis lodicibus vel mappis mundiſſimis, ſegetibus tritici ſuperexplicatis, & expreſſis, ex eoque herbas & flores abluere, ac deinde in umbra exſiccare, longiſſimè enim præſtaret eas abluere humore cœleſti quàm terreſtri. Verum hæc obſervanda tantummodò veniunt ad uſum internum, ad externum verò non magni refert, an tanta cum ſcrupuloſitate ſeligantur.

Præparatio ferè eadem eſſe poteſt cum ſuperius commemoratâ in decoctione & applicatione externa, pro interno autem uſu diverſa cum ipſis præparatio inſtitui poteſt, parando nimirum ex recentibus floribus conſervas, ex arefactis verò pulveres, poſſunt quoque vino immacerari, vel tempore vindemiæ cum muſto fermentari, & ſic excellens vinum medicatum obtineri ad præcipuos hepatis affectus morboſos; è quibusdã etiam extracta & eſſentiæ

per artem ſpagyricam concinnari queunt.

Uſum quod attinet, inſtituatur is ad normam de antecedenti gradu indicatam, cæterùm quoque notandum venit, in ejusmodi jam præſcriptis præparationibus non modo efficaciſſima medicamina haberi ad quoslibet affectus hepaticos, verùm hæc ſimplicia nimirum ex ipſis parata decocta vel vina medicata, aquasve ſtillatitias etiam inſervire pro convenientiſſimis vehiculis aliorum medicaminum ſpagyricorum nimirum tincturæ corallorum, elixiris proprietatis, eſſentiæ chalybis & ſimilium.

Additio pari modo conſiſtit in ſecundo gradu Virginis & Scorpionis eodem modo ut in præcedentis gradus explicatione eſt monſtratum.

De ſimplicibus tertii gradus Aquarii.

HUic gradui præcipuè ſubdita ſunt quæ ſingularem inditam habent qualitatem confortandi hepar ut ſunt omnia eupatoria ſeu potius hepatoria, quorum tria ſunt, quæ ab aliquot retro ſeculis hoc nomine nota ac decantata ſunt, nimirum 1. eupatorium Græcorum ſeu agrimonia Odermennige / oder Heil aller Welt; 2. eupatorium Meſuæ ſeu ageratum, Leberbalſam; 3. eupatorium Avicennæ ſeu herba Kunigundis, Kunigundiskraut; item matriſylva, herba ſtellaris, cordialis Sternleberkraut / Waldmeiſter / Hertzfreud; item trifolium magnum vel aureum edel Leberkraut; item omnes ſpecies hormini, alle Scharlachkräuter / præſertim illa quæ vulgo gallitricum ſeu centrum galli, à Matthiolo autem matriſalvia nominatur, wilder Scharlach oder wolriechende wilde Salbey; item nuces Indicæ, Indianiſche Nüſſe; item glycypicron Bitterſüß / Je länger je lieber; rhodia radix Roſenwurtz; cichorium ſylveſtre Feldwegwart; mentha ſaracenica tenera junge Frauenmüntz; alchimilla argentina weiſſer Sinnau; omnes ſpecies ſcabioſæ alle Scabioſengeſchlecht; item trifolium flore purpureo, brauner Klee; item omnes ſpecies loti ſylveſtris flore luteo, alle Kleearten mit gelben Blumen; item ſalix vitellina dulcamara, gele bitterſüſſe Weiden / oder Flachsweiden; item humor ille roridus perpetuò herbæ roris ſolis adhærens; item vitriolum martis, cunctaque ſimplicia vel etiam compoſita quæ dulcedinem cum amaritie aliqua conjunctam habent, ut conſerva abſynthii, cortices aurantiorum conditi & ſimilia: item lumbrici terreſtres, Regenwürme / formicæ ruffæ, rote Ameiſen.

Vires horum ſimplicium ſunt, quod mirandum in modum hepar debile confortent, atque ad quamvis ejus ægritudinem & ſangvificationis defectum valeant, hepar enim langvens reſtituunt, novum ſangvinem fabricant, ſpiritum arteriarum ſubtiliant, corporis extabeſcentiam auferunt, ac deperditam carnis & ſangvinis ſubſtantiam tam in corpore quàm vulneribus & ulceribus potenter regignunt, adeò ut nequa-

quam, is qui legitimè illis utitur, ullo pacto extabeſcere vel tabe interire queat, quicunque igitur corporis tabiditatem à catarrho ullo bilioſo oriundam incurrit, is ad præfata ſimplicia tantummodò confugiat, ipſisque largiter tam per ſe quam in cibis ac potulentis utatur, brevique eorum vim in progignenda nova corporis carnoſitate & maſſa ſangvinea experietur abundè; adhæc reſpirationem facilitant ac pectus purgant, omnemque reſpirandi difficultatem à catarrho bilioſo vel ſplene flatuoſo proficiſcentem, vel etiam in fœminis à tumultuante utero cauſatam abigunt, & in ſingulis hisce caſibus ad miraculum opitulantur, cuilibet quoque incipienti hydropi, nec non vertigini ab effervescentia ſangvinis ortæ medentur. Pari modo etiam externas inflammationes extrinſecus applicata extingvunt, abſceſſus leniunt, maturant, emolliunt, aperiunt, mundificant ac ſanant, & ut ſummatim dicamus, nullæ ſunt herbæ aliæ in toto univerſo ſale puriori præditæ ad generandum carnem & ſangvinem abundantiorem, quæve tam innoxiæ ad uſum internum externumque eſſent, atque heic commemoratæ.

Contra corporis extenuationem.

Collectio in hoc gradu pro intentionis diverſitate variat, ſi enim ex ipſis interna medicamina paranda ſunt, commodiſſimè colliguntur ſub novilunium Junii ejusque primum incrementum, ſi verò ad externam reſtinctionem & emollitionem expetantur, ſub ejusdem decrementum, horis ut ſuperius dictum diluculanis.

Præparandi norma è ſuperiori deſcriptione pateſcit, poſſunt enim ex ipſis fieri pulveres, ſucci expreſſi, vina medicata, conſervæ ac condita, ſingulæ enim ex hisce ſalutaribus herbis inſtitutæ præparationes ad deſideratum ſcopum deducunt, eſt tamen adhuc ſecretior methodus ad curandam tabem ex hisce hepaticis ſimplicibus inſtituendā nobis multum commendata, quod nimirum ſub æquinoctium vernum colligi debeat ſufficiens quantitas aquæ pluvialis tum temporis ſive in Martio depluentis, aſſervarique donec etiam prædictæ herbæ recens è terra progerminent, quæ tum collectæ aſſervatæ aquæ pluviali immittantur, ut invicem fermententur, quo facto aqua decantata loco potus ordinarii inſerviat cum tabe luctanti, quem hæc prima naturæ viriditas ſangvinea penitiſſimè in integrum reſtituat.

Vitriolum autem martis ita præparatur; accipe ſtagmatis vitrioli vel ſulphuris communis quorum illud oleum vitrioli, hoc verò ſulphuris per campanam vulgò nominantur, partem unam, aquæ pluvialis vel quod melius foret cichorii vel alterius ſimplicis hepatici ſtillatitiæ partes quatuor, hisce commixtis injice limaturam martis in vitro, ac ſuper arenam calidam ſolvi ſine, peracta ſolutione liquorem per chartam filtra, antequam perfrigeretur, aliàs chartam non facilè pertranſit, filtratam ſolutionem ad cuticulam

Vitriolum Martis.

culam evapora, & reliquum in frigido in cryſtallos ſubdulces concreſcere permitte, quæ mirum in modum cunctis defectibus hepatis atque etiam ſplenis conducunt. imprimis autem contra utriusque obſtructiones.

Lumbrici terreſtres. Lumbrici terreſtres verò abluuntur vino, atque in furno piſtorio non exceſſivè calente exſiccantur, ut teri poſſint in pulverem, vel etiam in vino vel cereviſia coquuntur donec crepent, illudque jus lumbricium per aliquot ſeptimanas jecinoroſis, præſertim hydropicis atque ictericis ingenti cum emolumento propinatur.

Formicæ. Formicæ colliguntur ollâ intus melle vel ſacharo in liquorem melliformem diſſoluto obductâ, imò ipſum mel injectâ particula panis in meras formicas transmutatur, quæ deinde in vino malvatico vel alio dulci generoſo macerantur & deſtillantur unà cum vino in liquorem contra corporis conſumptionem valdè efficacem & decantatum.

Uſum & *additionem* quod attinet, quanquam hujus gradus herbæ per ſe & ſine ulla alterius rei additione ſat virium habeant, longè tamen efficacius & deſideratius operantur, ſi ad ſesqui manipulum hujus gradus, manipulus ex tertio gradu Cancri ac tantundem è tertio vel quarto gradu Tauri accedat; ita enim pro interno quàm externo uſu aptum præbent compoſitum, ex quo potiones vulnerariæ, atque externa lavamenta, ac cataplasmata emollitiva & ſanativa coqui poſſunt, veruntamen ſi occurrat ullum vulnus vel ulcus diaphragmate ſuperius, tunc etiamnum cum ſalute præſentiori additio è gradu quarto ſignorum ſpiritualium ordinatur, accipiendo nimirum ex hoc vel ſubſequente gradu Aquarii ſesquimanipulum, è quarto gradu Libræ ſemimanipulum, ex quarto gradu Cancri manipulum, ac dimidiatum manipulum è tertio vel quarto gradu Sagittarii, atque ex his commixtis coquatur potulentum vulnerarium, quo nullum aliud ſublimioris efficaciæ eſſe poteſt, deſignatæ verò heic herbarum conciſarum quantitati affunduntur libræ quatuor vini albi non admodum meraci, totidemque aquæ fontanæ, ac totum hoc bullitur in canthara lapideo paſtâ farinaceâ oblito, atque in balneum locato per duas vel tres horas, ac deinde colatura largiter propinatur, quin imò etiam cum mera cereviſia vel aqua talis potio parari poteſt, quæ non modò omnem noxam è vulnere vel ulcere, ſed toto quoque corpore eliminat, ſuamque virtutem ſanativam celerrimè in vulnere præſentem demonſtrat, ubicunque illud in corpore exiſtat, illudque mundificat, carne explet, atque ad ſanitatem conſtantem radicitus perducit.

De cæterorum autem *uſu* notabitur, ſcilicet quæ non ſunt indolis vegetabilis, ea magis convenire in morbis hepatis internis ac diuturnis, ac propinanda eſſe in decoctis indicato jam modo paratis, vel vinis medicatis, ceu in appropriatiſſimis vehiculis, diſſolvendo nimirum gra- Affectus hepatici.

na ſex ad decem vitrioli martis vel ſemidrachmam pulveris lumbricorum in unciis quatuor ejusmodi decocti vel vini medicati, totumque jejuno ſtomacho ebibendo, & deſuper per tres horas jejunando. Talique uſu per aliquot hebdomadas continuando, interjecta ſingulis octiduis corporis modeſta evacuatione, quam affectibus hepaticis ſpecificam præbet ſuccus iridis, cujus uſus eſt, ut recens ovum gallinaceum perforetur, albumen ex eo extrahatur, vitellus autem intus relinquatur, atque inſuper ſucci irini quantitas ejusdem vitelli intromittatur, & cum vitello probè permiſceatur, deinde ovum in cineres ignitos collocetur, ut mixtura parum torreatur, ac poſtmodum una vice hauriatur; hoc modo obſtructio hepatis, cachexia & ſimiles affectus feliciter tolluntur.

De ſimplicibus quarti gradus Aquarii.

SUb gradum hunc pertinent ſequentia ſimplicia: videlicet cardiaca Hertzgeſpann; ſcorzonera Schlangenmord; galega ſeu ruta capraria Geißraute; echium wilde Ochſenzunge; pulmonaria aurea gülden Lungenkraut; conſolida media, gülden Günſel; ſpecies ſaniculæ quæ vocatur auricula urſi Bärſanickel; poma cydonia matura zeitige Quittenäpfel; poma citria Zitronen; mala aurantia Pomerantzen; ſcordium Lackenknoblauch; gummi maſtiche Maſtix; radix lappæ majoris groſſe Klettenwurtz; radix dipſaci ſeu labri veneris Kartendiſtelwurtzel; item mumia, præparirtes Menſchenfleiſch von einem jugentlichen juſtificirten oder erſchlagenen Menſchen; ſperma ceti aceto deſtillato ſolutum & clarificatum, Wallraht ſo mit diſtillirtem Eſſig aufgelöſet / filtrirt und wieder congelirt worden; folia coryli nec non viſcus ejusdem, Haſelbaumlaub und Miſtel / ſed hæc duo ad externa lavamenta ſaltem veniunt.

Vires horum ſimplicium conſtant ſale efficaciſſimo & penetrantiſſimo, quo venenoſitatem quamlibet calidam & ſiccam debellant, atque ex parte etiam venenum frigidum & ſiccum deſtruunt. Adhæc cuilibet conſumptioni medentur, hepar mirum in modum roborant, cerebroque ſangvini & arteriis conducunt, vapores malignos & putridos abſumunt, nec non catarrhos bilioſos, carnem & ſangvinem abundè generant, dantque potiones peroptimas vulnerarias & decocta emollientia, lenientia, mundificantia, & ſanativa, denique ulcera manantia & fiſtulas virtute ſiccandi pollent, atque ad firmam ſanationem perducendi, educendique ex ipſis omnem pravitatem, quæ ejusmodi manationis cauſa exiſtere ſolet.

Collectionis tempus diverſum eſt, ſi enim ad emolliendum expetuntur, colligantur menſe Majo ſub primam auroram, & in pleno roris madore, vel etiam ultimo quadrante Septembris; At ſi pulveres ſiccantes ex ipſis parandi ſint, acquirantur circa novilunium Juniale vel Juliale,

ſeu

ſeu lunâ in alterutro hoc menſe jam noviter creſcente, ita enim maximam ſiccandi vim præſtant, poſſunt quoque ad eosdem pulviſculos ſiccatorios ex ipſis parandos biduo vel triduo ante plenilunium Junii vel Auguſti decerpi, Sole in Virgine vel etiam in Cancro exiſtente.

Præparatio eorum varia eſſe poteſt, vel enim neceſſitate efflagitante mox à recenti decerptione ad uſum adhibentur, vel pro futura requiſitione in umbra exiccantur, ac deinde vel minutim conſcinduntur, vel in pulverem comminuuntur, ac per cribrum transmittuntur in impalpabile pollen, vel etiam mox in ſua recentia veſicæ vel cucurbitæ deſtillatoriæ immittuntur, & per deſtillationem ex ipſis aqua ſtillatitia prolicitur, quam viribus mediocrem exſudant ſatisque copioſam, at non itidem oleum, ſunt enim compactæ & ſalinoſæ naturæ, quæ inepta eſt ad oleoſitatem, quippe quæ in ſulphurea & fragranti pingvedine conſiſtat, at melius ſtillamen ex illis obtinetur, ſi pars recentium herbarum in pultem ſucculentam prius tundatur, omnisque ſuccus prælo extorculetur, cujus tantum alii herbæ non tuſæ ſuperfundatur, ut in eo quaſi in jure coqui & macerari queat, atque ita decenti maceratione peractâ deſtillatio abſolvatur.

Additio ex ſignis ſpiritualibus mirè eorum operationem adauget, ac veluti longè potentius ſpecificat, ſi nimirum ſex partibus ex hoc gradu addantur partes quatuor è quarto gradu Cancri, partesque binæ è tertio vel quarto gradu Sagittarii, poterit tamen additamentum etiam ex tertio vel quarto gradu Scorpii, primoque vel ſecundo Arietis deſumi.

Uſus pari modo diverſus eſt, vel enim herbæ cum ſua convenienti additione pulveriſatæ matutino, merendino & veſpertino tempore cum vino, cereviſia, vel earum propria aqua ſtillatitia ſacharo parum dulcorata pondere ſcrupuli, vel dimidiatæ vel etiam integræ drachmæ aſſumuntur, vel ex ipſis potui immaceratis vel tempore fermentationis unà dolio injectis vinum vel cereviſia medicata concinnatur, taliſque potus pro potione vulneraria, vel ſangvinis mundificativâ præfatis horis bibitur, vel etiam in eundem finem decocta & apozemata ex iisdem adornantur, nec non ipſarum pollen ferculis inſpergitur, vel ſubinde in ovo tremulo ſorbetur, vel quocunque modo introvehantur, modò earum vis peregrina adulteratione non infirmetur. *Pro exemplo:* ſi quis laboret palpitatione cordis, ex terrore panico, vel gravi mœrore, vel diæta pravorum craſſorumve eduliorum, vel ingurgitato potu frigidiſſimo corpore æſtuante ſibi introducta, tunc ex hoc gradu capiantur radices ſcorzoneræ vel herbæ ſcordii vel contrajiervæ unciæ tres, è quarto gradu Cancri radicis pœoniæ maris, vel linariæ vel oculorum cancri unciæ duæ, atque è tertio gradu Sagittarii radicis filicis, vel herbæ aſarinæ quæ ſpecies eſt hede-

ræ terreſtris ſylveſtris montibus increſcens, uncia una, hæc poſſunt minutim conſcindi, parsque in ſubtilem pulverem teri, pars verò vino immacerari, cum eoque poſtmodum etiam pulvis aſſumi. Eadem etiam obſervari poſſunt in expellendo veneno, medenda corporis conſumptione, ſubtiliando ſangvine craſſo melancholico, ſanandis ulceribus pravis, in talibus enim & ſimilibus caſibus accipi poterunt radicis lappæ majoris, vel optimæ mumiæ, vel galegæ ſex partes, vincetoxici vel aſari vel croci duæ partes, atque è Cancro matricis perlarum, vel radicis ſeminisve apii vel petroſelini & ſimilium quatuor partes, & de reliquo procedi ut dictum eſt. Cæterum in præfatorum decocto vel infuſo tanquam vehiculo appropriato etiam alia compoſita huc facientia propinari queunt, nimirum elæoſacharum cinamomi, conſerva florum calendulæ (quæ efficaciſſimum ſpecificum eſt in palpitatione cordis) eſſentia ambræ, bezoarticum animale ſeu pulvis viperarum, mixtura ſimplex, balſamus tartari, ſpiritus cremoris tartari rectificatus &c.

TRACTATUS III.

De ſigno Geminorum, ejusque proprietate & dominio generali.

GEmini ſunt ſignum tertium & ultimum triplicitatis ſangvineæ, in quo Sol menſe Majo usque ad medium ferè Junium moratur; ſignum hoc calidum & humidum exiſtit in declinatione, in ipſo enim complexio calida & humida retrograda fit, ac paulatim in Martialem, cholericam, fervidam & ſiccam immutatur, hinc ſimplicia hujus ſigni quò proximiora ſunt ultimo ſeu quarto gradui, eò magis fiunt participia caloris fundentis, & per ſeceſſum laxantis, qui demum in ſignis cholericis plenè purgat & violenter deorſum trahit, calori enim proprium eſt liquare & fundere, ſuaque vi calefaciente inſtar cucurbitulæ ſcarificatoriæ attrahere, uti hoc in qualibet ignis aduſtione palam fit, urens enim calor mox attrahit lympham & ſucculentiam corporis, quæ etiam promtpè accurrit ad uredinem eluendam, ac cuticulam exteriorem attollit in veſicas lymphâ attractâ repletas; idem ergò etiam intus in corpore à valdè calefactivis rebus patrari ratio dictitat, eò quod vehementia purgantia nihil aliud ſint quàm veſicatoria interna, ad quorum uredinem ſucci corporis accurrunt, ac deinde per ſeceſſum deturbantur. Signum itaque Geminorum eſt aëreum, maſculum & antipathicum, in quo ſpiritus Jovialis antea in Aquario perfectè calidus & humidus atque in ſpiritu & materia æqualiter temperatus, paulatim remittit & retrograditur, fitque materialior & ſalſior, ſuisque ſimplicibus ejusmodi proprietatem imprimit, quæ materialis, ſalinea, tartarea & declinanter ſulphurea exiſtit, & ſponte naturali deorſum fertur, eò quod ſpiritus Jovis pedetentim in hoc ſigno ex ſuis ſimplicibus recedit,

dit, eaque dimittit, quælibet autem materia quantumcunque ſit ſubtilis, ſi ſpiritu privatur, ad inferiora tendit; deficiunt ergò herbæ Geminorum in ſpirituoſitate, verùm hic defectus ex ſuperioribus Libræ ſimplicibus ſuperfluo ſpiritu abundantibus facilè redintegrari, taliſque compoſitione plurimum ad hominis ſanitatem præſtari poteſt. Porrò herbæ hujus ſigni ut plurimum ſvavem, ſed non adeò fortem odorem ſpirant ob earum materialitatem prædominantem, ſignatura coloris earum conſimili modo à cœruleo & albo in declinatione eſt, tenditque ad colorem ſardii. Dominatur hoc ſignum in ſpatium temporis matutini proximè meridiem præcedens, ſcilicet ab hora ſeptima matutina usque ad nonam præmeridianam, quo tempore ſummus Judex vivorum & mortuorum à Judice injuſto Joviali examinatus, ad Herodem miſſus, & ab utroque innocens inventus, & nihilominus in gratiam plebis ad mortem damnatus eſt, ita ut circa finem dominii Jovialis etiam judicium ſangvinarium ſit abſolutum, ac ſententia mortis Chriſti prolata, quo etiam Judas pretium ſangvinis retulit ad Pontifices, qui eo agrum ſangvinis emerunt, ſub hoc dominio finali ſangvineo etiam Judas injuſtus ſui ipſius Judex factus eſt, & ſe ad ſtrangulationem condemnavit, & ſic utrunque judicium ſub Præſide judiciorum Jove eſt finitum. Ubi poſtmodum carnificina mortifera eodem puncto ſequuta eſt, quando trigonus igneus dominari incipit. Denique orientalis quoque plaga, quæ eſt inter vulturnum & auſtrum ſeu ubi Sol tempore hyberno oritur, Geminis dicatur, unà cum dulcedine obtusâ.

De partibus corporis humani ſigno Geminorum ſubjectis, ejusque antipathia.

DOminium tertiæ materiæ Jovialis ſeu Geminorum præcipuè agnoſcunt venæ hæmorrhoidales nec non menſtruales cum omnibus meatibus purgationis menſtruæ; exterius verò utrunque brachium ab axilla usque ad carpum manus; partes hæ Geminis dicatæ per antipathiam læduntur à tertia materia Saturni, nimirum Capricorno, qui ſua frigida & ſicca contrarietate ſangvinem harum partium incraſſat ac depravat, taliſque ægritudo ex viridi rutilat, datque in venis flavedinem ſeu ictericam pasſionem.

De ſimplicibus primi gradus Geminorum, eorundemque operatione ſpeciali.

GRadui huic ſubſunt ſequentia: videlicet herba alſine, Hüner-darmkraut oder Vogelkraut; Herba & ſemen althææ, Eibiſchkraut und Samen; malva in prima ſua teneritudine, junge Pappeln; Borrago, Borrichkraut mit Blumen und allem; Bugloſſa cum toto, Ochſenzungen mit allem; cochleæ nigricantes, ſchwartze Schnecken; fungi teneriores ſub betula naſcentes, Birckenſchwämme; Viola trinitatis Freiſamkraut/ Denck-

blümlein

blümlein oder Stieffmütterleinblu-men; Petroſelinum Peterſilien; herba & radix alceæ Sigmarskraut und Wurtzel.

Vires horum ſimplicium admodum debiles ſunt, imò omnibus aliis ſub hoc ſignum pertinentibus debiliores, eò quod ſal ipſorum valdè ſit inefficax & debileſcens, atque ipſorum ſulphur omni ſpirituoſitate deſtituatur, qua ex cauſa quoque odore carent, exiguam itaque virtutem exerunt, niſi per aliorum additionem acuantur, ubi nihilominus tantummodò pro externa applicatione inſerviunt, nimirum ad reſtingvendum inflammationem, nec non ad emolliendum, atque à ſuperioribus ad inferiora trahendum, quod naturæ eorum proprium eſt, parum autem extergunt & purgant imò ad internum uſum vix valent, non obſtante quod vulgo pleraque eorum imprimis autem borrago & bugloſſa ad internum uſum commendatiſſima ſint, & inter flores cordiales referantur, hoc enim non niſi ab errore craſſo proficiſcitur, & ſi quis ſedulò adverteret, fruſtraneam horum in debilitate cordis præſcriptionem ut plurimum ſi non ſemper eſſet deprehenſurus, certum enim eſt cuncta heîc conſignata pro interno uſu parum ſervire, niſi aliis efficacioribus additis habilitentur.

Notanda de borragine & bugloſſa.

Collectio ipſorum molienda eſt in univerſum tempore Majali, lunâ decrementum patiente.

Præparatio & *Additio* talis obſervari vult, quod harum herbarum recens collectarum accipiantur tres partes, è gradu primo Cancri vel Piſcium binæ partes, atque è primo gradu Sagittarii vel Leonis una pars; vel diſpenſentur in hunc modum: cape ex hoc gradu ſeſquimanipulum, & tantundem ex primo gradu Libræ, unam verò partem è primo gradu Cancri, paremque quantitatem alterius herbæ ejuſdem ſigni, ita ut duæ diverſæ herbæ è Cancro petantur, conſimilique modo bina diverſa ſimplicia è primo gradu Sagittarii in pari quantitate (ſcilicet ſingulorum manipulus) ſumantur; tumque cunctis his ſuperfundantur vini & aquæ fontanæ libræ ſex, in eiſque optimè coquantur.

Uſum quod attinet, mediante hac additione maturant, emolliunt, mundificant & ſanant in brachiis iiſque locis huic triplicitati ſubjectis atque externis affectibus laborantibus, ſi tali decocto fomententur, ac poſtmodum herbæ decoctæ & ad mollitiem tuſæ tepidè ſuperligentur, idque quotidiè bis vel ter repetatur. At ſi quis ex hoc gradu internum uſum concinnare vellet, addenda deſumat è tertio vel quarto gradu Cancri & Sagittarii, tumque pro interno refrigerio biliſque reſtinctione operam præſtabunt non contemnendam.

De ſimplicibus ſecundi gradus Geminorum.

CONgruunt huic gradui præcipuè hæc: nempe ſpecies omnes ſatyrii alle Geſchlecht der Knabenkräuter; polypodium Engelſüß; ornithogalum Feldzwiebel; anchuſa

rote

rote Ochſenzunge; aſphodelus, haſtula regia Affodillen; clinopodium Wirbeldoſt; herba filicis fœminæ Farnkrautweiblein; grana chermes Scharlachkörner; cichorium verrucarium Wartzenkraut; herba lappæ majoris adhuc tenera exiſtens jung Klettenwurtzelkraut; cornua cervi primum pullulantia junge Hirſchkolben; folia liliorum alborum weiſſe Lilienblätter; urina catellorum lactentium junger Hündlein Urin; liquor ſalſus butyro ſalito innatans friſche Saltzlacke von eingeſaltzener Butter.

Vires harum rerum ſunt, quod præcedentibus ſint aliquantulum ſalſiores, & materioſiores, comitatæ tamen nonnullâ ſpirituoſâ flatulentiâ, quam ob cauſam prioribus potentius agunt, majoremque reſtingvendi & æſtum ſedandi poteſtatem ſurſum & lateraliter ex ſe edunt, in partes circumjacentes, quoniam verò in ſpirituoſitate Joviali deficiunt, & ejus ſaltem parum poſſident, ideò defectum ſuum attrahendo ad ſe quamlibet peregrinam ſpirituoſitatem reſarcire ſatagunt, propinatæ igitur hiſce, qui aurâ maligna volatili vexantur, eaque valdè anguntur & debilitantur, ſylveſtrem auram ad ſe attrahunt, ſuaque ſalſedine ſecum deorſum trahunt & educunt, obrutæ autem antea partes ac vires ab ea liberantur ac natura confortatur, modicumque ſpiritus Jovialis, quo etiamnum vigent, unà partes ſangvineæ triplicitati addictas adjuvat & corroborat, undê duplici cauſa naturæ humanæ hæ ſimplicia accepta ſunt, ac cordi vires communicant, adhæc pernobiles potiones vulnerarias præbent, atque externa applicatione vim optimè emolliendi & ſanandi præſtant.

Collectio pro obtinenda jam dicta ſpirituoſa operatione potionisque vulnerariæ paratione præſumenda eſt die prima, ſecunda vel tertia menſis Maji Sole jamjam exorturo; pro intentione verò perſanandorum ulcerum antiquorum, abſceſſuumque ſangvineorum ſtudendum eſt collectioni à die octava usque ad duodecimam creſcentis lunæ Junialis.

Præparationem & *additionem* quod attinet, pro interno uſu ſumantur ex hoc gradu partes tres, ex ſecundo gradu Cancri partes binæ, atque ex primo vel ſecundo gradu Sagittarii pars una, eaque ſive ſint recentia vel in annuam aſſervationem legitimè exſiccata in vino vel cereviſia decoquuntur vel infunduntur, colaturaq; ad præfatum deſiderium propinatur, pro externa verò applicatione ad tres partes hujus gradus addantur duæ partes è ſecundo gradu Leonis, unaque è ſecundo Piſcium, atque hæc invicem mixta decoquuntur in vino & aqua.

Uſus ſi ſit internus, decoctio ſemper debet fieri in vaſis clauſis, ſcilicet in cantharo lapideo paſta farinacea in commiſſura operculi ſui oblito atque in balneum bulliens collocatô, vel in olla eodem modo firmiter operculata, & ſubſtructis prunis ſuperlocata, coctione autem peracta jus colatum in cella aſſervatur, aliquotiesque in die de eo bibitur; ex-

terni verò uſus decoctum in aqua & vino factum applicatur ut ſuperius doctum eſt.

De ſimplicibus tertii gradus Geminorum.

Huic gradui ſimplicia ſequentia ſtipendiantur: nempe ſpecies omnes valerianæ Baldrian mit ſeinen Geſchlechten; barba caprina ſeu regina prati Geißbart; rhaponticum verum, & rhaponticum vulgare ſeu centaurium majus, Raponticwurtz/ und groß Tauſendgülden; mechoacanna Mechackanwurtzel / weiſſe Rabarber; Aliſma Engeltranck; urtica mortua flore rubro todte Neſſeln mit roten Blumen; mentha ſaracenica Frauenmüntze; Arum Aronwurtz; Myrrha Mirren; dracontium cum omnibus ſpeciebus Drachenwurtz mit allen Geſchlechten; ruta muraria Maurraute; plantago alba arnogloſſa vocata weiſſer⸗oder Schafzungen wegerich; chelidonium minus klein Schölkraut/Feigwartzenkraut; ornithogali ſpecies omnes alle Feldzwiebeln Geſchlecht; macis Muſcatenblüt; thus, ſeu olibanum Weyrauch; ſtyrax liquida flüſſiger Storax; terebinthina Cyprica Cypriſcher Terpentin; cheiri, leucoium luteum gelbe Veyeln.

Vires horum ſimplicium præcipuæ ſunt, quod operationem ſuam maximè exercent in venas & ſangvinem, ubi omnem peregrinam noxam ſangvini venali veniſque vaporetenus communicatam reſolvunt, deorſum trahunt, & è corpore expurgant, ſuntque præcedentibus efficaciora in reſuſcitandis viribus debilitatis, nec non medendis deliquiis, revocandis menſtruis ſuppreſſis & corrigendis, natisque inde vitiis, nimirum cachexiâ, tumore hydropico aliisque remedendis; Inſuper dant eximias potiones vulnerarias, reſtaurativas & corroborativas, nec non dejectarum virium reſuſcitativas, confortantque cor & naturam; uno verbo conducunt ad quamlibet internam morboſitatem, in ipſis enim prorſus nulla malignitas qualitasve venenata reperitur, quemadmodum in aliis duobus gradibus ultimis ſignorum antipathicorum, nimirum Leonis, Capricorni & Piſcium ſemper malignum & venenatum quid offenditur, ac propterea neceſſariò correctionem adhibere oportet.

Collectio pro diverſa intentione diverſa eſt, ad curationem enim internorum affectuum ſingula colligantur Sole exiſtente in Geminis, die circiter novilunii tertio, quarto vel usque ad ſextum; ad potiones vulnerarias itidem acquiruntur luna creſcente menſis Maji, ſi nimirum ejuſmodi potio pro ſanandis ulceribus inveteratis parari debeat, recentibus autem vulneribus, ſecundo vel tertio die à plenilunio, poſt occaſum Solis. Si verò decoctum emollitivum ex ipſis parandum eſſet, carpantur quadrante lunæ ultimo Majali, vel circa novilunium Juniale, eodemque modo etiam decerpantur ad purgandum, ulceraque eluenda & mundificanda.

Præ-

Præparationem & *additionem* quod concernit, quandoquidem herbæ hujus gradus quoad ſpirituoſitatem Jovialem defectuoſæ ſunt, convenientiſſimè è propria triplicitate, nimirum ex Libra & Aquario fortiorari queunt, è quibus ſuper fluo ſpiritu abundantibus ſpiritum Jovis denuò aſſumunt, & in ſua proprietate quaſi reviviſcunt, capiendo nimirum ex hoc gradu alicujus herbæ manipulum unum; ac tantundem è tertio vel quarto gradu Libræ, atque è tertio gradu Aquarii itidem manipulum, vini & aquæ ana libras tres, vel accipiantur ex hoc gradu tres partes, duæ è quarto Cancri, atque una è tertio vel quarto gradu Sagittarii, vinumque & aqua ut dictum eſt, ex eisque per decoctionem paretur potio, cujus hauſtus aliquoties in die ſorbeatur; fiat quoque ex hisce in umbra arefactis pulvis in ejusmodi decocto vel eorundem aqua ſtillatitia aſſumendus, ulceribusque inſpergendus; At pro decoctis emollificativis, ulcerumque mundificativis additamentum eſſe poterit è tertio gradu Scorpii vel Cancri, atque è ſecundo vel tertio Arietis vel Sagittarii.

Uſus talium decoctorum internus eſt pro ſanandis ulceribus inveteratis recentibusque vulneribus, confortatione cordis, mundificando ſangvine à catarrhali efferveſcentia aliaque depravatione, eâque per inferiora expurgandâ, item in corrigendo quolibet vitio menſium inordinatè fluentium vel planè ſuppreſſorum; Adhæc etiam talium herbarum pulvis in iisdem decoctis vel etiam aliis vehiculis ad eundem finem intrò accipitur; de uſu autem eorum quæ ſunt in ſubſtantia reſinoſa liquida, uti eſt terebinthina, notandum venit, ea ante internam aſſumptionem vel liquidiora, vel ſicciora facienda, alias aſſumptioni minus apta ſunt; diſſolvenda itaque eſt terebinthina piſtillo in mortario, adjecta particula vitelli ovi, & pro intentionis diverſitate aquâ ſtillatitiâ conveniente, ſcilicet ſcabioſæ ad pectus, artemiſiæ ad uterum, apii ad veſicam, partitim & per vices affuſâ in ſextupla ad terebinthinam proportione, miſturam continuo ſubagitando, donec omnia in liquorem cadentem lactis cremori ſimilabilem abiverint, cujus uncia una vel altera pro vice bibitur; vel etiam talis reſina liquida prius in calore exſiccatur, donec friari poſſit in pulverem, ejusque ſcrupulus vel ſemidrachma pro doſi accipitur,; verum enim verò cum in ejusmodi exiccatione optima pars nimirum oleum fragrans balſamicum inutiliter exhalet & pereat, quod tamen in experientia omnem intentionem huic gradui aſſignatam fermè ſolum adimplet, melius utique eſt tales reſinas prius legitimè deſtillare in oleum, ubi poſtmodum quodlibet, nimirum oleum deſtillatum & reſiduum colofonium indicato hic modo uſurpari queunt, quæ verò ab ipſa natura in reſinam aridam redacta ſunt, ut myrrha & thus, ea tantummodò ſelecta tam intus quàm exte-

rius cum ſuo convenienti additamento adminiſtrabuntur.

De ſimplicibus quarti gradus Geminorum.

HUjus gradus ſimplicia ſubgregaria ſunt hæc: ſcilicet rhabarbarum verum die rechte groſſe Rabarber; chamædris cum omnibus ſpeciebus Gamanderlein mit allen Geſchlechten; caſſia ejusque pulpa Caſſien und ihr ausgezogenes Marck; chamæpitys, iva arthetica Schlaſkräutlein/Je länger je lieber; Teucrium Batengel; viola ſine odore Hornungsveyeln; reſta bovis Stallkraut/Hauhechel; ruſcus Mäusdorn; trochilus, paſſer troglotites, regulus Zaun-Schneekönig; partheniū edel Camillen; chamomilla minor kleine Camillen; ſemen urticæ majoris groſſer Neſſelſamen; ſal gemæ Steinſaltz; ſemen cynosbati, Hagenbuttelnkern; oniſci exſiccati gedörrete Kellereſelgen; terebinthina exiccata, gedörreter Terpentin; herba caucalis wilde Peterſilgen; crithamum marinum, Bacillenkraut/Meerfenchel; pecten veneris Hechelkamm; gingidium Syriſcher Körfel; myrobalani citrinæ gelbe Myrobalanen; Lapathum rubrum roter Ampffer; ſtercus equinum Majale à paſtu meri graminis collectum, Roßkoht geſamlet im Anfang deß Meyen/ wenn ſie eitel Gras freſſen; ſemen lappæ majoris & minoris groſſer und kleiner Klettenſame &c.

Vires harum rerum ſunt, quod maximè abundent ſale Joviali ſubtiliſſimo, penetrantiſſimo, omnibusque ſangvineæ triplicitatis partibus promptiſſimè communicabili, triplicitas enim ſangvinea, in ſigno Libræ præcipuè ſe exhibet ſpirituoſam ſeu mercurialem, in Aquario animalem ſeu ſulphuream, id eſt ſulphure ſive animâ divitem, ſulphur enim & anima idem ſunt, atque in Geminis corpoream ſeu ſalſam, corpus enim & ſal unum & idem ſunt, hæc autem virtus Jovialis ſalſa in quarto hoc gradu maximè dominatur, ſuâque vi reſolvente & penetrante agit in hepar ſangvinemque venalem & arterialem totius corporis, & ubicunque lentus mucus, fœculentia & tartarea coagulatio latet, & permeabilitatem ſangvinis & ſuccorum corporis impedit, ſalina hæc virtus talia incidit, reſolvit, ac partim per ſeceſſum, partim per vias urinarias, partim verò per transſpirationem educit, atque ita radicem podagræ, arthritidis & calculi tam renum quàm veſicæ averruncat, ſi rectè & debito tempore hisce uti quis norit. Hoc pacto quoque hæc ſimplicia cor confortant, ac palpitationi ejus medentur, cum enim palpitatio ut plurimum à tartarea feculentia ſangvinis, rarius à ſuperfluo ſucco pericardii proveniat, ſimplicia hæc utrinque cauſam tollunt, purgando nimirum & ſubtiliando ſangvinem, trahendoque ſimul ſuperfluam corporis lympham ad receptacula urinaria, denique convenientiſſima ſunt ad potiones vulnerarias, ſalſedine enim ſuâ acetificationem vulnerum & ulcerum inhibent, & factam mortificant, & ſic ſanationem ſine pravis

pravis accidentibus, quæ ab unico acido corruptivo reſultant, expediunt.

Collectio eorum peragitur initio menſis Maji, Sole etiamnum in Tauro hoſpitante & jam jam exortum parante, in pleno madore rorali. Melius tamen noſtro judicio foret ipſis dominii hujus ſigni horis collectione defungi ſcilicet inter ſeptimam & nonam præmeridianam, ros verò ſeorſim tempore dilucułano colligendus foret, eoque herbæ reinſuccandæ, ſeu iterum humectandæ, ac demum in umbra reſiccandæ.

Præparatio fit per exiccationem in umbra, niſi neceſſitas urgeat eis recentibus uti, hacque ratione quædam ſine ulla alia additione tantummodò potui ordinario ſeu vino immittuntur, cujus immacerationis colatura deinde continuò per aliquot hebdomadas bibitur, imprimis autem ita inſervit chamædris, ut nimirum ejus manipulus mediocris pro vice vini menſuræ uni ſeu duabus libris imponatur, illudque vinum potui inſerviat, donec herba viribus exhauriatur, quod fiet intra biduum vel triduum, ſicque c[illegible]s erit ut ſemper die tertio vel quarto prior herba probè exprimatur & abjiciatur, alteriusque recentis manipulus denuo indatur, ac reaffuſo vino alio ejusmodi potus continuetur, purgabitque ex omnibus corporis partibus omnem impuritatem tartaream, podagricam & calculoſam; quod idem etiam præſtat viola ſine odore, item parthenium, recensque arthritica iva; quædam verò in hoc gradu ſylveſtrem quandam cruditatem in ſe vehunt, quæ pari quidem modo etiam purgat, ſed plus lædit quàm juvat, ideòque extrahi debet, antequam ita vino imponantur, è quorum claſſe eſt rhabarbarum & lapathum rubrum, quæ parum extrahi debent ſuperfuſâ æquali parte vini albi haud meraci & aquæ, & ubi intra paucas horas ejusmodi feritatem in vinum lymphatum depoſuerint, optimè erunt correcta ad hunc uſum cum ipſis inſtituendum.

Ejusdem indolis eſt etiam ſtercus equorum primâ graminis genitura paſtorum, collectum in paſcuis circa finem Aprilis, initiumve Maji & jam recens per noctem in vino albo dulciculo maceratum, cujus vini colatura quantitate unius vel alterius cochlearis pro vice hauriatur, ab his qui vulnerati vel ulcerati ſunt, & mox in vulnere operatur, multumque ſolatur phthiſicos, ſi ejusmodi maceratio præfati ſtercoris cum vino malvatico inſtituatur, & ſi poſt macerationem etiam deſtillatio accedat, liquor prolicitur, qui craſſum ſangvinem mundificat, palpitationem cordis tollit, & tartaream impuritatem è corpore educit. Stercoris equini dotes.

Quædam etiam in hoc gradu mirâ virtute pollent calculum veſicæ & renum atterendi, imprimis autem paſſerculus troglotites, qui adeò ſubtilis eſt ſubſtantiæ, ut brevi admodum quemvis calculum abſumat, modò quis ipſius debitam præparationem non ignoret; quæ ſine ullo igne vel Solis calore perfici debet, Paſſerculus troglotites.

 nimi-

nimirum cum aceto & herbis diureticis, cujusmodi in hoc & tertio Cancri gradibus habentur, vulgò autem dictum paſſerem incinerant vel etiam crudum evulſis pennis ſale conditum devorant, ad hanc verò præparationem capiendus & unà cum herbis & aceto imponendus eſt circa primam diem Maji, præparatæque eſſentiæ omni manè jejuno ſtomacho aliquid aſſumendum, & atteretur calculus ſine ulla veſicæ læſione & absque ullo membrorum periculo vel dolore.

Cæterum ex hisce herbis etiam eximia parantur lavamenta ad vulnera & ulcera, at pulveres ſarcotici vulneribusque inſpergendi ex hisce non fiunt, ſed tantummodò è ſignis ſympathicis.

Inſervire hæc etiam poſſunt pro vehiculis aliorum compoſitorum ad eosdem affectus efficaciſſimorum, cujusmodi eſt ſpiritus cremoris tartari rectificatus, mercurius dulcis, præcipitatus aureus, quæ mirum in modum ſangvinem mundificant, & ſanationem ulcerum promovent, uti ſæpiſſimè experti ſumus, ad corrigendos autem menſes inordinatè fluentes eximium eſt vitriolum Martis, granis aliquot in vino medicato ex hoc gradu concinnato quotidiè aſſumptum; item pulvis lumbricorum terreſtrium à ℈ſ. ad ℈j. cum ſucci calendulæ ℥j. acceptus; ad calculum atterendum eximiè valet ſpiritus ſalis marini vel gemmæ magno igne extortus & rectificatus, qui nomine balſami ſalis Helmontii nobis ad hunc affectum multum commendatus fuit, unà cum ſequenti communicatione ſecreta ſub nomine *liquoris calcis vivæ* tanquam certiſſima adverſus calculum, chiragram & podagram, quam quidem nondum experiri licuit, communicamus tamen candidè ut accepimus, nec de ejus ſucceſſu dubitamus, ceu verò fundamento innitentis: ita autem ſe res habet: Liquor calcis vivæ.

Accipe calcem vivam recentem, cui tritæ ſuperfunde in vitro paulatim acetum vini acerrimum ad ſupereminentiam trium vel quatuor digitorum, & ſubſtructo igne coquantur ad unam vel alteram ebullitionem, poſtmodum frigeſiant, & quieſcant, donec calcea farina ad fundum reſederit, acetum decantatum filtra, & omnem humiditatem evapora, reſiduum in crucibulo perure, ut omnis acor aceti exſpiret, offam remanentem vitro infer, ac ſuperfuſo ſpiritu vini materiam in arena calida fove, donec eſſentia extracta ſit, filtra tum ſpiritum vini liquore calcis impr ægnatum, & ſi non promptè per filtrum mearet, plus ſpiritus vini affunde, vel etiam vini Hiſpanici vel Rhenani, ut dilutum chartam filtri perfluere queat, deinde partem ſuperflui humoris evapora, vel per alembicum abſtrahe, ad juſtam tincturæ vel eſſentiæ conſiſtentiam, quam obturatam ſerva ad *uſum*, qui talis eſt: in calculo propinantur hujus liquoris guttæ 7. in vino optimo (vel potius in vehiculo indigitato jam modo è quarto hoc gradu Geminorum adornato) manè & veſperi. In chiragra & podagra accipia-

cipiatur hujus liquoris ℥j. vini albi (vel potius jam edocti medicati) libram, urinæ propriæ ℥VIII. quibus miſtis locum affectum manè, meridiè & veſperi lava, & intinctis linteolis fove, tamen vomitorio, vel purgativo, vel ſudorifero, vel omnibus his ſimul prægreſſis.

Communicationem hanc ab alio amico paulo aliter parandam accepimus, quam itidem non reticebimus, ut videat lector noſtrum candorem, & bono publico inſerviendi amorem; in hoc autem modo, quando acetum calci vivæ ſuperfuſum eſt, mixtura debet agitari baculo continuò, deinde verò bona copia aquæ pluvialis conſimiliter affundenda, ac totum probè coquendum & bulliendum eſt, ut aqua ſalem calcis vivæ & aceti in ſe poſſit transſolvere omnem, tum coctura refrigeſcat & reſideat, ac poſtmodum decantetur, filtretur atque ad ſiccitatem evaporetur, reſiduum alii ollæ devitreatæ credatur, & ignis calori adhibeatur, & quando materia à calore funditur inſtar butyri, accendatur adhibita flamma, ardebitque inſtar ſpiritus vini, protinus tamen flammam ſuperinjecto operculo ſuffoca ſeu extingve, ac deinde materiam ſubagita, donec refrigeſcat, tum affunde ſpiritum vini, ac macera per diem & noctem, & ſpiritus vini colore flavo tingetur, quem defunde & alio affuſo extractionem continua, donec omnis eſſentia fuerit extracta, quam in vitro obturato aſſerva, ac contra calculum ejus guttas XX. vel XXX. in aqua hederæ terreſtris pro vice exhibe, eum enim atterit, ulcera miraculosè ſanat, carnem putridam abſumit, ſanam verò neutiquam lædit ſeu cauterizat, gangrænam reſtingvit, additione mercurii dulcis maculas, facieique ruborem delet, quid autem in calculo, podagra & chiragra hactenus præſtiterit, dici nequit.

TRACTATUS IV.

De triplicitate ſecunda nimirum Cholerica, ejusque ſignis videlicet Sagittario, Ariete & Leone.

ABſolutis jam ſignis vernalibus, orientalibus, matutinis, aërique ſangvini & juventuti puerili reſpondentibus, accedimus ad æſtiva, meridionalia, fervida, meridieique, choleræ & virilicati juvenili æquata, quibus cum omnia ſimplicia valdè calida, ſulpurea, amara, urentia & pontica, ut & morbi calidi, nempe ſangvinis ſpuitio, hæmorrhagia narium, febres acutæ, phrenitis, pleuritis, bubones, anthraces & ſimiles harmonizant, ſuamque qualitatem Elemento ignis acceptam ferunt; quemadmodum autem ignis ab aqua extingvitur, ita etiam ſimplicia calida, morbique æſtuoſi ab ipſis oppoſitis rebus frigidis & humidis infringuntur & ſuperantur; habet autem trigonus igneus pari modo ſigna tria nempe Sagittarium, Arietem & Leonem, quibus omnia totius mundi calida, ſcilicet regiones ſqualidæ, meridionales, æſtas & æſtus, fulgura & tonitrua, cunctaque

que

que ſimplicia calefactiva ſubjiciuntur, de quibus jam ex ordine agemus.

De primo ſigno cholerico, nempe Sagittario, ejusque proprietate & dominio generali.

SAgittarius eſt ſignum primum triplicitatis cholericæ, in quo Sol menſe Novembri curſu ſuo occupatur usque ad Solſtitium hyemale, eſtque ſignum ſpirituoſum, harmoniacum Martiale cholericum, calidum & ſiccum juxta naturam ignis, præſidetque tempori meridiano initiali, tractuique meridionali, unde euronotus ſpirare ſolet, ac dominari incipit ab hora nona præmeridiana, usque ad undecimam meridionalem, quo tempore Salvator noſter crudeliter flagellatus, coronæ ſpineæ violenta adactione laceratus, & ſic per totum corpus undique vulneratus & perſauciatus, deindeque ad ſupplicium raptus & propriam crucem bajulare coactus eſt. Quemadmodum autem trigonus igneus ignem æmulatur, atque ita ipſi color rubeus, rutilus & flammeus, saporque amarus & felleus competit, ita viciſſim Sagittarius in hisce ſibi primitias vendicat, ſcilicet ruborem initialem, qualis in chryſolitho, croco & ſimilibus conſpicitur, nec non inceptionem amaritiei, dulcedine ac ponticitate aromatica mixtam, qualem guſtata angelica, raphanus, liguſticum, aliaque ſimplicia Sagittario ſubjecta lingvæ ſentiendam præbent; & ſicuti in omnibus creatis tria diſtincta principalia notantur, nimirum ſpiritus, anima & corpus, ſeu mercurius, ſulphur & ſal; ita triplicitas cholerica, hanc legem pariter ſervat, & juxta hæc tria magna rerum Principia tria quoque ſigna habet, quorum primum repræſentat ſpiritum, medium ſulphur, & ultimum ſalem; & ſic Sagittarius ſpirituoſitati cholericæ præſidens mera ſimplicia ſpirituoſa, ſudorifera & totum corpus humanum intrò accepta peragentia profert, quæ & pleraque odorifera ſunt ſeu odorem exhalant, eò quod Sagittarius eſt ſignum apertum, ſpirituale & calidum, in materialitate deficiens, in ſpiritualitate verò abundans.

De partibus humani corporis Sagittario ſubjectis, ejusque antipathia.

SAgittarius harmoniacum dominium exercet in ipſam fellis ſubſtantiam ejusque veſiculam biliariam, item in calorem hepatis, ejusque virtutem balſamicam, quorum utrunque à felle conſervatur, adhæc virtus perſpirativa fellis per omnes arterias, membranas & poros cutis in univerſo corpore ſe extendit, ſine qua earum facultas motiva & expulſiva conſiſtere nequit; Exterius Sagitttarius præeſt coxis & utrique femori ab ingvinibus usque ad genua, ut & ſuris ambabus. Antipathia autem cholericæ triplicitatis quemadmodum ſemper in phlegmatica conſiſtit, ita primum illius ſignum Sagittarius primum ſignum phlegmaticum nimirum Cancrum ſibi oppoſitum habet perpetuumque antago-

antagoniſtam perſentiſcit, Aries verò Scorpionem & Leo Piſces, & ſic identidem unum alteri contrariatur, qua contrariatione ſibi invicem obviante ſal rodens naſcitur, unde varia ulcera corroſiva ſubinde generantur.

De ſimplicibus primi gradus Sagittarii, eorundemque operatione ſpeciali.

SUb hunc gradum principaliter pertinent ſequentia, ſcilicet urtica nigra ſchwartze Neſſel; lampſana, raphanus ſylveſtris Heiderich; raphanus Rettich; armoracia, raphanus major Meerrettich / Kräen; turiones lupuli junger Hopffen; ſmirnium wilder Liebſtöckel; cochlearia Löffelkraut; naſturtium hortenſe & aquaticum teneriora junger Garten- und Brunnenkreß; erucula Miſtſenff-kraut; ephemeron colchicum Wieſenzeitloſen; clematis tertia jam pronaſcens & ejus flores unzeitige Leinen und ihre Blüt; item ejus florum aqua ſtillatitia ausgebranntes Leinenblütwaſſer; ſuccus allii Knoblochſafft; Imperatoria ſylveſtris Buchholder; aſa dulcis Benzoin; nuces juglandes veteres earumq; oleum alte Baumnüſſe und ihr Oel; oleum olivæ vetuſtum altes Baumöl; oleum momordicæ Balſamäpffelöl; ſtercus anſerinum & vaccinum Gänſe- und Kühkoht.

Vires harum rerum ſunt, quod quidem in earum ortu ſpiritualitas Sagittarii ipſis introducta ſit, at materialitas ipſarum etiamnum eſt cruda & Saturnina, nec à Sagittario plenè ſubacta, conſtant itaque ferè tali mixtura, quæ ſpirituoſitate calefaciente & ſiccante abundat, materiâ verò ſeu corpore adhuc humida ſunt & frigida, hinc eximiè conveniunt hisce partibus, quæ à bile læduntur, nimirum pulmonibus, ſtomacho, femoribus, & ſuris, & quoniam miſtura in ipſis concurrit volatilis ſpiritualitatis & materialitatis, ideò ſale volatili ditiſſima ſunt, eoque ſalſedinem fixam ſcorbuticam ab alimentis ſalitis, fumatis, plurimoque ſale fixo refertis & ſpiritu ardente carentibus profectam oppugnant, reſolvunt, ſangvinique ſuam circulatoriam meabilitatem reddunt, atque ita genuinum ſcorbuti ſunt antidotum;

Porrò hæc quoque primi gradus ſimplicia innata qualitate contra hydropem à bile, ictero vel tertiana provenientem valent, ſi nimirum recentiſſima & ſucculenta nudis pedum plantis ſupponantur, atque ita in ſoccis geſtentur, ita ut inceſſanter cutem attingant, ſic enim aquam bilioſam hydropicam per cutem eliciunt, & hydropem curant, extrahunt quoque cauſam materialem tumorum, & humorum malignorum, apoſtemataque aperiunt, quæ aliàs omnem apertionem recuſant, abſceſſus cholericos emolliunt, apertos mundificant, carne abundè explent, omnemque affluxionem bilioſam, calorem & malignitatem extrahunt, & ulcera ad conſtantem ſanationem perducunt.

Collectio eorum inſtituitur principio menſis Junii, aut Sole morante

in Geminis, lunâ verò in Cancro, aut luna in Leone exiſtente, Sole autem in Cancro, inſtante jam Solis ortu, dum quælibet adhuc rorida ſunt, & ita in optima ipſorum ſucculentia pro uſu externo convenientiſſima ſunt, at pro interno meliora ſunt, ſi colligantur in pleno Sagittarii dominio, ſcilicet circa horam decimam meridionalem, ita enim ſalſedo eorum volatilis contra ſcorbutum efficaciſſima eſt.

Præparatio & *additio* talis eſto: exſiccentur hæ herbæ in umbra, & ad uſum ſerventur, urgente tamen neceſſitate etiam in ſua recentia & ſucculentia mox adhibentur, ubi ad externam emollitionem in pultem tunduntur, cui non nihil olei, vel butyri majalis, vel axungiæ vel lardi, vel aquæ mellis, vel ſucci expreſſi ſubmiſcetur, atque ita applicatur, obſervata prius convenienti additione, ita ut ad tres partes hujus gradus accipiantur duæ è primo gradu Libræ, unaque è primo Tauri, ſi verò cuncta ſint ſiccata, coquuntur prius ſimul in vino ad mollitiem, ac tum præfata pingvedine contemperantur.

Uſum quod concernit, ſuperligatur hæc puls ſeu mixtura tumori vel abſceſſui à bile profecto, inſtar cataplaſmatis, donec emolliatur vel rumpatur, vel ad extrahendum calorem, tumiditatem, vel humoris affluxum, ulcerationem leniendam, maturandam & ſanandam; ad medicandum verò hydropem ſaltem herbæ teneræ recentes ſoccis & calceis imponuntur, ut nudis pedum plantis iis ſuperincedatur, & tam eundo, quàm ſtando, ſedendo vel jacendo earum uſus per aliquod tempus continuetur, ac omni manè & veſperi recentium herbarum impoſitione repetatur. Clematis tamen ejusque flos veſicant, ac proinde vim ejus veſicatoriam mitigari prius ante impoſitionem convenit, admixto ſucco raphani vel armoraciæ.

Poſſunt etiam hæc ſimplicia cremari in cinerem, cujus manipulus largus vel quantitas duorum ovorum gallinaceorum in mundum linteolum ligetur, ac filo in cantharo ordinarii potus pendens continuò ſervetur, vinum autem illud ſeu potus, cui impendet nodulus, contra ſitim affatim bibatur, replendo cantharum poſt quamlibet potationem, & ſingulis quatriduis nodulum recenti cinere renovando; Imprimis autem ad talem incinerationem præſtans eſt flammula Jovis, & quædam alia è Libra ſi ita incinerentur, ſcilicet chamomilla, tanacetum, barba capri, imò ferè cuncta cinerem ſale alcali divitem præbentia, cujusmodi præcipuum eſt ipſum vitis lignum & folia incinerata; attamen cineres è ſimplicibus Jovialibus magis conveniunt hydropi à palpitatione cordis ſeu vitioſo ſangvine oriundo, è ſimplicibus autem Martialibus illi, qui ictero vel tertianæ bilisve redundantiæ acceptus fertur.

Pro curando autem ſcorbuto accipi poterunt ex hoc gradu armoraciæ, vel cochleariæ, vel ex ſequenti gradu ſinapi vel abſynthii, tres partes,

partes, è Libra tanaceti, vel herbæ ſii, vel ex Aquario naſturtii aquatici, vel hederæ terreſtris, vel è Geminis ari vel chelidonii minoris duæ partes, atque è Tauro corticis tamariſci, vel è Virgine fumariæ, vel centaurii minoris, vel cardui benedicti una pars, coquantur hæc in lacte vel ſero caprino, ac de colatura affatim bibatur, vel etiam immacerari poſſunt vino, una cum impenſione particulæ ſtercoris anſerini, ac de vino hoc dietim hauriri, eò etiam melius ac citius curatio ſuccedet, ſi manè & veſperi in hauſtu ejusmodi vini guttæ decem vel duodecim ſpiritus ſalis armoniaci vel ſalis marini, dulcificati vel alterius ſalis volatilis aliquot grana ſorbeantur.

De ſimplicibus ſecundi gradus Sagittarii, ac ſpeciali eorum operatione.

Huic gradui ſubſunt peculiariter hæc ſimplicia nempe radix ſeu bulbus allii in ſua prima teneritudine junge zarte Knobloch wurtzel oder Häuptlein; porri radix & herba Lauch mit Wurtzel und Kraut; ſinapi cum herba & ſemine gemeiner Senff mit Kraut und Samen; liguſticum Liebſtöckel und deſſen Safft; baccæ juniperi & earum ſuccus Wachholderbeer und ihr ausgepreſſter Safft; Imperatoria Meiſterwurtz und deren Safft und Waſſer; bibinella, pimpinella, ſaxifraga major & minor Bibernell / Steinpeterlein groß und klein; larix Lerchenbaum; fungi albi & ruffi ſub betula naſcentes Schwämme unter den Birckenbäumen; gummata ammoniacum, galbanum, opopanax & ſagapenum gummiſche Säffte alſo genannt; item angelica rubra rote Angelic; abſynthium juvenculum junge Wermutſchüßlinge.

Vires harum rerum ſunt, quod conſimili virtute emolliendi cum antecedentibus præditæ ſint, iisque etiamnum majoribus & efficacioribus, adeò ut ab hisce omnes bubones, durities & ſcirrhi, qualescunque etiam ſint, remolliri, reſolvi & diſcuti queant, imprimis autem Deo annuente contumaciſſimis aliàs affectibus ſpleneticis pro certo medentur, quamlibet enim ſplenis inflationem, indurationem & ſcirrhificationem diſſolvunt, attenuant diſſipantque, unâque operâ febrem quartanam harum paſſionum productricem ſine ulla alterius viſceris noxa perfectè curant, & fibricitùs eradicant, quantascunque radices & fibras profundas egerit tam in maribus quàm fœminis, qua in operatione infandæ ſunt virtutis, idque ſolummodò per externam inunctionem; Quædam etiam intrò hauſta paris ſunt cum ſuperioribus efficaciæ in evellendo ſcorbuto.

Collectio quorumlibet inſtituitur menſe Junio, Sole & Luna in Cancro currentibus, tempore auroræ, dum etiamnum madent rore, ita enim in ſua ſucculentia mollefactiva præfato uſui externo accommodatiſſima ſunt, ad internam verò efficaciam ſalinam volatilem præſtandam ſatius colligerentur ſub dominium hujus ſigni meridianum.

Præparationem ad commemoratum uſum externum hanc ſubeunt: contunduntur herbæ ac radices in ſua recenti ſucculentia, tumque cum ſua legitima additione uſui adhibentur, vel etiam earum ſuccus validè extorculatur, qui herbarum loco intentioni ſervit, atque etiam pro futura neceſſitate reponi & aſſervari poteſt, dummodo prius paulùlum coquatur, & poſtmodum reſidentiam feculentiæ facere permittatur, ubi clarior pars in aliud vitrum ſtricti colli decantatur, ac deinde aliquid olei olivæ ſuperfunditur, quod ſuperinnatans ſucco exſpirationem ejus inhibet, & ſic à corruptione eum præſervat; è quibusdam etiam loco ejusmodi ſucci aqua per deſtillationem evocatur, ſcilicet è liguſtico, imperatoria & bibinella; quædam per coctionem efficaciora redduntur, ut baccæ juniperi, quæ in aqua leviſtici vel alterius hujus gradus coquuntur, donec omnis aquoſitas evanuerit, ac deinde oleagineus ſuccus exprimitur; quædam ſpiritu vini ſolvuntur, & in eſſentiam rediguntur externæ inunctioni aptam ut fungi ſub betula creſcentes, quibus menſe Majo collectis ſpiritus vini ſuperfunditur, eoque ſolvuntur, talisque ſolutio obturata aſſervatur.

Additio petenda eſt è ſecundo gradu Libræ & Tauri hac nimirum ratione ut contuſi ex his herbis pulpamenti vel expreſſi ſucci accipiantur tres partes, è Libra duæ partes atque è Tauro una pars, quorum mixturæ molliter tuſæ attemperatur aliqua pingvedo, nimirum vetuſtus adeps porcinus, vel oleum momordicæ, vel pingvedo ciconiæ, vel alia, & ex omnibus commixtis concinnatur ungventum, quod ad emolliendum prominentes externas durities & ſcirrhos ſat efficax eſt, ad penetrandum verò in profundum, nidumque febris quartanæ diſſolvendum fortiorari ejusmodi ungventum debet præfato ſucco baccarum juniperi oleagineo per excoctionem & extorculationem parato, vel etiam oleo earundem ſtillatitio; notandum tamen non modo hujus gradus ſimplicia ſed & reliqua addenda in prima ſua teneritudine ſeu infantia lactea ad ejusmodi ungventa accipi debere, ita enim omnium optimè mollificant, & per poros ad profundum penetrant.

Uſus perſiſtit in ſedula duritierum adunctione, quem in finem ungven in ſcutella vel calore prunarum, vel ſuppoſitæ ardentis candelæ calefieri parumper ſinitur, eoque liquefacto ſcirrhus, nodus, vel bubo gallicanus optimè & ſæpius perlinitur, in profliganda verò quartana ejusmodi perunctio debet fieri edocto jam ungvine fortiorato, inungendo nimirum eo ad calefactam fornacem totam ſpinam dorſi, regionemq; lumborū & lienis, nec non circa foveam præcordialem, & ubicunque in latere ſiniſtro tenſio, inflatio, punctio vel durities ſentitur; imprimis autem ad eandem perunctionem eximius eſt liquor præfatus ex fungis betulinis unà cum ſpiritu vini toti dorſi Quartanæ curatio.

dorſi ſpinæ illinendo ſtudiosè infri-ctus; adhibitis tamen etiam internis medicamentis contra quartanam facientibus, quæ tamen aptius è ſignis ſympathicis parabuntur, nimirum Ariete, Aquario & Virgine, capiendo nimirum ſummitatum abſynthii tres partes, rutæ murariæ vel ſcorzoneræ duas partes, carduibenedicti unam partem, (carduus tamen benedictus & abſynthium prius corrigi debent ſuperfuſo per duas horas aceto vini, & poſtmodum herbæ exemptæ reſiccari) ex hisce arefactis & invicem miſtis fiat pulvis, cujus quotidiè manè & veſperi drachma dimidiata vel integra in vino per aliquot dies impotetur, vel quod melius eſt ex iisdem herbis incineratis ſal extrahatur, capianturq; ſalis abſynthii gran. XV. ſalis carduibenedicti gran. X. ſalisque urticæ vel alterius ex Aquario gran. V. tartari vitriolati gran. VI. aſſumantur hæc una vice immediatè ante paroxysmum, vel ex hisce recentibus herbis deſtillentur ſingulæ ſeorſim earum aquæ, tumque recipiantur aquæ abſynth. ℥VI. rutæ murar. ℥V. card. bened. ℥ſ. ſalium jam commemoratorum & ſpir. ſalis armoniaci an. gran. XVIII. ſyr. papaveris errat. ℥ſ. theriacæ Androm. ℈IV. miſce & exhibe una vice paroxysmo jam inſtantaneo; & ſi poſt primam hanc exhibitionem febris non deſinat, eam etiam ſecundò & tertiò repete, interjecta quoque corporis evacuatione per infuſum rhabarbari, radicis polypodii, ſeminisque aniſi.

De ſimplicibus tertii gradus Sagittarii, atque ipſorummet virtute ſpecialiori.

GRadui huic accenſentur: chelidonium majus, Großſchölkraut; petaſites Peſtilentzwurtz; aſarum Haſelwurtz; Carlina, chamæleon, cardopatium Eberwurtz; Vincetoxicum Schwalbenwurtz; Lignum guajacum Frantzoſenholtz; Saſſafras Fenchelholtz; fraxinus Eſchernholtz; lignum juglandinum Welſchnußbaumholtz; beta rubra, roter Mangold / Ranwurtz / rubia tinctoria Ferberröte; auricula muris major, groß Mäusöhrlein; ſucciſa, morſus diaboli, Abbißkraut; lappa rubra rote Klettenwurtz; aſarina wilde Gundelreben; filix mas Farnkraut und Wurtzel; radix curcuma Gelbſuchtwurtz; crocus Safran; coris Erdkiefer; item lapis bezoar Gifftſtein; antimonium fixatum ſeu diaphoreticum Schweiß-treibendes Spießglaspulver.

Vires ſimplicium jam recenſorum ſpeciales ſunt, quod ſpirituoſiſſima qualitate expulſivâ prædita ſunt, quemadmodum enim igne ſubtilius nihil eſt, quippe qui calore ſuo omnia licet ſolidiſſima, ipſumque vitrum penetret, quod tamen cæteris Elementis permeationem denegat, ita hoc ſignum ſpirituoſum igneum etiam cæterarum triplicitatum ſigna ſpiritualia ſubtilitate ſpirituoſa multis paraſangis ſuperare neceſſum eſt, in hoc verò tertio & ſubſequente quarto gradu hoc ipſum ſummè ſpirituoſum exiſtit, ita ut

nihil melius in toto Mundo reperiri queat hiſce ſimplicibus ad expellendam è toto corpore malignitatem qualemcunque, ſive ex peſtilenti, ſeu gallicano contagio inſpirata ſit ſive ab ictero, febribusve epidemicis vel alia quacunque cauſa ortum ducat, omnes enim malignos, venenatos & noxios humores, & quicquid inter pellem & carnem depravati & naturæ corporis contrarii hæret, idipſum per poros expellunt, totum enim corpus ſubtili & ſpirituoſa ſua facultate pervadunt, bonumque à malo ſegregant, adhæc quoque inſignia ſunt ad potiones vulnerarias, ac celerrimè efficaciam ſuam ſanativam in vulnere oſtendunt, ſinoviam quoque ſeu fluxum humoris glarealis ubivis in corpore perpromptè ſiſtunt.

Collectio eorum ordienda eſt menſe Majo, Sole & Luna in Tauro, ceu ſigno in virtute ſanativâ maximè ſpirituali exiſtentibus, ſeu circa finem Martii, inter horam nonam & decimam præmeridianam, circa quod tempus hujus ſigni influxio potentiſſima eſt.

Præparatio & *additio* hoc modo obſervandæ veniunt: ſiccantur hæ herbæ imprimis in umbra, ut peregrinum phlegma, quod ad expellendum ſudorem inutile eſt, abſumatur, tumque ex hoc gradu accipiuntur partes tres, ex tertio vel quarto Libræ gradu binæ, atque una pars è tertio gradu Tauri, quibus vel ſingulis ſeorſim, vel prius inter ſe commixtis pulveriſatis dimidiata vel integra drachma in convenienti vehiculo aſſumitur, vel etiam commixtarum iſtarum herbarum ſingulis manipulis ſuperfunditur circiter ſeſquilibra vini vel cereviſiæ, ita ut pro quatuor manipulis ſex libræ ad minimum vini accedant, quibus ex herbis decoctum paratur, vel etiam per ſimplicem in vino infuſionem ex ipſis vinum medicatum concinnatur; poſſent etiam tempore vindemiarum manipuli harum herbarum circiter viginti vel plures doliolo immitti, ac reliquum dolioli ſpacium recenti muſto impleri, atque invicem fermentationem ſubire permitti. Ita enim efficaciſſimus potus ad præfatam intentionem obtineretur. Veruntamen ad peſtem alia præparatio requiritur, videlicet ut ejusmodi herbæ in aceto vini coquantur vel infundantur, illudque acetum tam ad præſervationem quàm curationem peſtis & epidemicorum morborum bibatur; peſtilens enim infectio in putredine & corruptione univerſali humorum & ſpirituum corporis humani conſiſtit, omnis autem putredo & corruptio eſt incipiens aciditas volatilis, ut manifeſtiſſimum fit in vino jam jam incipiente aceſcere ſeu in acetum transmutari, nullum enim vinum eſt, quod non priusquam acetum fit, per totam ſuam ſubſtantiam vermiculeſcat, quamprimum enim leviuſcula aciditas in vino, imò etiam in caſeo, carnibus, aliisque rebus putreſcibilibus incipit, totam vini ſubſtantiam immutat in innumerabilem multitudinem vermiculorum, adeò ut in toto vini

concavo

concavo mera motitatio, vivaque ſurſum & deorſum ſe movens reptitatio conſpiciatur; quando autem vinum jam verè aceſcit & in acre acetum permutatur, tunc vermiculi in ipſo amplius vivere nequeunt, ſed ab acri aciditate interficiuntur, & ad unum omnes ad fundum vaſis ſidunt ſpecie fecum, quæ mater aceti vocantur, uti hæc omnia accuratè obſervavimus, & manibus noſtris experti ſumus; ſtatuimus ergò etiam peſtem eſſe corruptionem acificantem, & per aërem ab uno ad alium transportabilem, quæ reſpirando leviter intrò trahitur, & per vaſa pulmonum ſangvini inſpiratur, ac cordi & ſtomacho communicatur, ubi duplici cauſa protinus hominem proſternit, unâ quidem quod vel omnium leviſſima aceſcentia ſangvinem ingrumet ſeu coagulet, cujus coagulatio, ni illicò expellatur, confeſtim ejus circulationem impedit, ac tandem planè ſiſtit atque ſic neceſſario jugulat, alterâ verò quod hujuſcemodi aceſcentia ſtatim in ſangvine & ſuccis corporis putredinem vermicularem producat, uti idipſum quilibet aceſcens caſeus vel caro manifeſtum facit, quâ habitaculum vitæ brevi corrumpitur; utrumque autem acre acetum inhibet, non quidem quod acor ipſius in ſangvinem feratur, ita enim ipſa peſte citius interfecturus eſſet, quia omne acidum momentaneè ſangvinem coagulat, & volatilitatem ſalis animalis, ſine qua animantium vita perſiſtere nequit, fixat, ſed propterea quod aciditas principaliſſimus ſtomachi balſamus ſit, omnemque contagii corruptionem, quæ graſſante peſte mox in ſtomacho incipere, omnia morbi initialia ſymptomata evincunt, extemplò corrigat, morbi phlogoſin inflammatoriam in ipſo potenter reſtingvat, & efficaciſſima aciditate, in qua præcipua concoctionis ejus vis conſiſtit, ipſum roboret, roborato itaque tam inſigniter ſtomacho omnia mox membra novum robur ab ipſo mutuantur, ſuumque hoſtem aggrediuntur & expellunt, imprimis autem facultas Saturnina ab iſto ſtomachi acore in ſua virtute ſtiptica roboratur, eâdemque reliqua membra denuo confortat, ne ab infectione corruptiva & diſſolutiva deſtruantur, Saturnus enim omni corporeitati præſidet, & quamdiu in aliquo ſubjecto, virtus Saturnina ſtiptica prædominatur, tamdiu illud neque à vermibus nec alio modo facilè corrumpitur, quamprimum autem illa remittit, ſubjectum illud fit carioſum & à contraria qualitate in atomos & prioris formæ corruptionem diſſolvitur; omnino itaque adverſus peſtem & febres malignas neceſſum eſt, ut tum harum herbarum præparatio cum acerrimo vini aceto inſtituatur, efficaciſſimæ autem iſtæ herbæ contra omnem corruptionem deprehenduntur, quæ ſemper ſeu tam hyeme quàm æſtate virent, tota enim talium ſignatura peculiarem in hac re virtutem indicat, nam nec frigus, nec æſtus, nec vermes eas lædunt, nec pecora iis veſcuntur, nec ariditas

Egregium acetum bezoarticum.

loci

loci natalis ſuccum ipſis denegat, licet ipſis rupibus innaſcantur; tales autem in omnibus triplicitatibus habentur, nimirum in ſangvineâ, ruta muraria, bellis, viſcus corylinus, naſturtium aquaticum; In cholerica chelidonium majus, ruta hortenſis, juniperus, aſarum, laurus ejusque baccæ; In melancholica pyrolis, vincapervinca, erigeron, lingva cervina, hedera arborea, viſcus quercinus; In phlegmatica ſedum majus & minus, viſcus pininus, pinique folia, anagallis aquatica, buxus: ex his ſelectiora aceto imponantur aliaque contra peſtem decantata ut allium, ſcordium, ſabinæ folia, neque etiam magnoperè refert proportionem herbarum ad invicem adeò ſtrictè obſervare, acetum enim omnia corrigit, atque ex iisdem optimam partem extrahit, imò ſolum ſimplex vini acetum in ejusmodi caſibus plurimos ſervavit.

Uſus harum rerum internus ad omnia convenit, ubi diaphæreſi vel etiam inſenſili transſpiratione opus eſt, imprimis autem in febribus, pleuritide, eryſipelate, œdematicâ, cachectica & hydropica conſtitutione, menſium retentione &c. ubi ex hisce pulveres, vina medicata, & ſimilia parantur, pulverisque ſcrupuli duo vel tres pro vice in conſimili vino medicato, vel ſimplici vel in aqua ex iisdem deſtillata, vel in earundem decocto impotantur, idque manè jejuno ſtomacho, atque in lecto vel laconico ſudor expectatur, idemque omni die per aliquod temporis ſpatium continuatur, notandum etiam, ſi morbus ſit lentus vel diuturnus ut icterus, lues venerea & ſimiles, etiam lentè in ipſo ſanando eſt procedendum, doſisque minor pro una vice accipienda, ita enim hæc ſimplicia pedetentim ex fundamento ſanant. At ſi morbus ſit præceps celer, venenatus, & peracutus, ibi mox prima vice ingenti doſi ipſi occurrendum, ut ſtatim omne venenum debelletur, aliàs diutius in corpore manens ipſum immedicabiliter lædit & deſtruit. Potiones verò vulnerariæ ex iisdem herbis concinnatæ crebrius in die, parcis tamen hauſtibus ſorbentur; ex. gr. ℞. pro potione vulneraria rad. filicis, vel betæ rubræ, vel vincetoxici tres partes ex hoc gradu, è tertio gradu Libræ ſcabioſæ, vel ſcrophulariæ, vel oculorum cancri duas partes, atque è Tauro vincæpervincæ, vel quinquefolii unam partem, coque hæc in vino, vel cereviſia vel aqua, & nobilem edet operationem. Eadem etiam ad morbum Gallicum valent, ſed patiens ſubinde quoque purgari debet, ipſique mercurio præcipitato ſalivatio excitari. In peſte exhibeatur ʒj. vel ij. elect. diaſcordii, vel ℈j. pulveris viperarum in ℥iſ. vel ij. prædicti aceti bezoartici, ſingulisque horis decem vel duodecim eadem aſſumptio repetatur, tribus vel quatuor diſtinctis vicibus, quò malignitas probè expellatur & expugnetur.

De

De ſimplicibus quarti gradus Sagittarii, atque eorundem ſpeciali operatione.

GRadui huic adjudicantur ſequentia: ſcilicet nux vomica ſeu metella Kråenåuglein; euphorbium ein Gummi oder Safft alſo genannt; ſcilla Meerzwiebel; ruta ſylveſtris wilde Rauten; vitis alba ſeu bryonia Baumwinden oder Zaunrůbe; locuſtæ betulinæ junge Birckenſchößlinge; naſturtium in hortis ſiccis pronaſcens Kreſſe ſo in truckenen Gårten wåchſt; ſemen thlaſpi Baurenſenff; cyclamen Schweinsbrobt; antimonii flores, crocus & vitrum allerhand præparirte Pulver aus Spießglas/als flores, Glas und crocus, oder Saffran-fårbiges Brechpulver; ſulphur viride ſeu calx vitrioli per lixivium præcipitatum der grüne Schwefel oder Pulver ſo durch eine Lauge aus blauem Vitriol præcipitirt wird.

Vires harum rerum ſunt, quod ad eosdem affectus ac ſuperiores valeant, ſed in omnibus longè potentius operentur, eò quod ſuperfluo ſpiritu abundent, minus tamen cum ſua materia proportionato; hinc ſubſtantia earum alicujus corroſivitatis particeps eſt, nec usquequaque tuto intrò ſumitur, ſed potius neceſſe habet, ut prius in eſſentiam ſeu extractum redigatur, ac tum demùm cum ſua legitima additione uſum internum ſubeat: imprimis autem hæc ſimplicia mirum in modum adverſus peſtem conducunt, tam ad præſervandum quàm curandum; adhæc etiam purgativam qualitatem in ſe vehunt, magis tamen ſurſum quam deorſum pellentem, imprimis autem antimonium & alia mineralia hujus ſortis exiſtentia ob ſibi connatum ſulphur ponticum ſemper ſurſum vellicant.

Collectio eorum ut antecedentium fit menſe Majo vel ſub finem Martii, quicquid autem in ſuo exortu ſeu prima pullulatione ejusmodi virtutem ſulphuream urentem edit, eodem etiam tempore acquirendum eſt, quæ verò ſunt è ſorte mineralium & metallorum, ea ſemper æqualem præſtant operationem, nec uno tempore quàm alio melioris ſunt collectionis, niſi quod antimonii præparationes optatius ſuccedere tempore ſereno quàm nubilo credantur, ac vitrum ex eo longè optimum parari eo ipſo die, quando Sol ingreditur Leonem, poſſumus tamen teſtari, nos hactenus in noſtris præparationibus antimonialibus planè nullum obſervaſſe tempus, ſemper tamen æqualiter efficaces deprehendiſſe in virtute ſanativa, atque adverſus febres malignas tam potentes, ut plerunque eas paucis horis profligent, modò mox in morbi principio exhibeantur, verùm in vegetabilibus res longè aliter ſe habet, cum ferè indies aliam mutationem in viribus patiantur, ac proinde ſedulò eorum collectioni attendendum.

Præparationem & *additionem* quod attinet, herbæ hujus gradus in umbra perſpirabili, à felium tamen acceſſu haud inquinabili ſiccantur,

& ad uſum reſervantur, neceſſitate autem flagitante harum herbarum largus manipulus in libra acris aceti vini operculato vaſe tamdiu coquitur, donec aceti dimidium abſumatur; quo facto ex hoc gradu accipiuntur partes tres, exempli gratia gummi euphorbii tres drachmæ, è quarto gradu Libræ ſcrophulariæ vel ſcabioſæ duæ drachmæ, atque è quarto gradu Tauri lappæ minoris, vel terræ ſigillatæ pars una, hæc pulveriſata probè invicem miſcentur, hujus mixturæ grana X. XII. vel XV. prout patiens magis vel minus robuſtus eſt, in ſesqui uncia vel duabus laudati jam aceti decocti vel ſuperius commendati bezoartici ægro infecto propinantur, ac tum is ſudare jubetur; vel accipiantur euphorbii ℥VI. maſtic. ʒiij. florum millefolli ʒiiiſ. croci optimi gran. VI. vel omiſſo croco aſſignatæ hic quantitati euphorbii addantur ſcordii & ſummitatum millefolii an. ℥ſ. fiat ex omnibus pulvis, cujus ℈j. vel ʒſ. in laudato aceto ægro robuſtiori exhibeatur, exhibitioque hæc aliquoties repetatur, & ipſum verè liberabit, ſive ab acceptione hujus mixturæ ſudet vel non, parum refert, nihilominus enim omnem venenoſitatem in homine mortificat, ac per inſenſilem transſpirationem exturbat.

Antidotum peſtis.

Antimonii præparatio.

Præparatio verò antimonii in eo conſiſtit, ut redigatur in ſubtiliſſimos atomos, quod fit per ſublimationem, vel per coctionem in acerrimo lixivio, donec lixivium rubedine tingatur, in quod tum colatum infunditur acre acetum, & flores antimonii ruffi ſeu crocei præcipitantur, qui exſiccati huic uſui inſerviunt, ſed parum pro doſi ſufficit, nimirum grana V. vel VI. quibus è Libra oculi cancri, vel è Geminis myrrhæ ℈j. & è Tauro terræ ſigillatæ ℈ſ. addantur, totumque in hauſtu dicti aceti impotetur, imò ſoli illi flores antimonii ad gran. VI. vel vitrioli albi ʒſ. in vino accepti omnibus ferè ſatisfaciunt.

Uſus internus eſt quod tempore peſtilenti pro præſervatione quotidiè manè jejuno ſtomacho unum vel alterum cochlear plenum commemorati aceti vel ſolum, vel particulâ deſignatæ hic miſturæ unà cum illo bibatur; pro curatione autem indicato jam modo procedatur.

Porrò loco harum rerum etiam alia efficaciſſima in eodem aceto bibi poſſunt, nimirum ſpiritus rectificati cremoris tartari unum cochlear, hujus aceti bezoartici tria cochlearia, vel ſulphuris communis flavi ʒſ. ad ʒj. ſubtiliſſimè triti vel florum ejus cum ℥iſ. dicti aceti, vel ʒſ. pulveris viperarum, vel ʒij. electuar. diaſcordii, vel ℈ſ. præcipitati aurei, vel etiam mercurii per ſe præcipitati, non nulli quidem pluris faciunt præcipitatum mercurium veneris, & ipſum ferè pro ſpecifico peſtis habent, uti idem etiam affirmat Author diſquiſitionis Helianæ, ſcribens mercurium veneris cum oleo vitrioli & ſpiritu vini præcipitatum fore præſtantiſſimum turbit minerale, quod ſaltem cum ſacharo roſarum ſumptum in quantitate piſi eximium

Turbith minerale è mercurio Veneris paratum eſt ſpecificum peſtis.

um & expertum eſſe contra peſtem remedium, etiam poſt infectionem, & quidem citra omne periculum, priusquam elabantur 24. horæ, teſte propria in ſuis, cogente periculo ac cæteris omnibus deficientibus, inſtitutâ experientiâ; Verùm cum quilibet mercurius præcipitatus potentiſſimè reſiſtat omni putredini, peſtis verò mera putredo ſit, non poteſt non quilibet præcipitatus peſtilenti infectioni mirum in modum adverſari; negandum quidem non eſt, in cupro vim peculiarem contra peſtem & putredinem latere, nunquam enim in viciniis fodinarum cupri peſtis graſſata ſcitur; at idem etiam de fodinarum cinabaris & mercurii circuitibus certo conſtat, nullum unquam contagium peſtilens ad minimum ibi ſævire potuiſſe, eam ſolum ob rationem quod putredinem non patitur, eandem verò virtutem quemlibet præcipitatum præſtare notiſſimum eſt; nihil enim potentius omnes in corpore humano vermes, lumbricos & aſcarides exterminat mercurio quocunque ferèmodo parato, quid ni ergò mercurius quoque domitor ſit virus peſtiferi tam præſervando quàm curando? ſi tamen quis pluris æſtimet præcipitatum è mercurio veneris currente paratum, eo fortè argumento inductus, quod in tali præcipitato non modò omnis virtus argenti vivi, ſed præterea quoque ea quæ peculiariter in cupro latet, congregatæ ſint, is non adeò difficulter talem veneris mercurium obtinere, ac deinde præcipitare poterit modo ſuprà pag. 912. à nobis fideliter, uti ex comunicatione accepimus, conſignato, quem etiam dignum judicamus hic denuò & paulò circumſtantioſius deſcribere: Prehende igitur limaturæ cupri & pulveriſati ſalis armoniaci ana ℥j. mercurii ſublimati à ſale communi & vitriolo ℥ij. permiſceantur & ſubtiliter invicem terantur mercurius ſublimatus & ſal armoniacum, ac prius limatura ponatur in crucibulum, ac tum reliqua miſtura ſuperimponatur, collocando mox crucibulum in medio prunarum mediocriter gliſcentium in foco, vel aëre libero, (cautis tamen naribus, ne ab iſta venenata miſtura noxius fumus intrò trahatur) Quum ergò mixta hæc calorem ignis ſenſerint, ſal armoniacum cum ſublimato incipient aſſurgere in fumum, ac paulò poſt etiam cum cupro fundi & fluere, tumque indulto ſaltim iſtiusmodi fuſioni quinque vel ſex momentorum ſpatio, crucibulum illico ex igne ſurripiatur, & ſponte refrigeſcere ſinatur, tandem verò ſuper patina crucibulo diffracto mercurius currens exceptus per pannum exigendus, ulteriusque more conſveto mundandus, & demum vel per ſe vel beneficio minorum ſiliculorum præcipitandus venit; contradictum quidem dudum eſt huic mercurio, quod non ex ſimplici cupro producatur, atque ita immeritò mercurius veneris nuncupetur, at ſi modò in operatione ſui teſtimonii prærogativam adimpleat, de cætero facilè contenti eſſe poſſumus; quum autem cuprum in tota ſua ſubſtantia

valdè ſit auſterum & mordax, & ſic etiam acrem qualitatem huic mercurio imprimat, isque in præcipitatione etiamnum ponticior evadat, conſultum foret eundem ante ipſius uſum ſpiritu vini (qui omnia acida & corroſiva infringit & dulcificat) edulcorare, ſuperfundendo ipſum bis vel ter & poſt viginti quatuor horarum macerationem iterum decantando, ac demum præcipitatum exiccando. Dantur ejus vel alterius grana ſex in conſerva roſarum, vel theriaca, vel rob ebulino, ſambucinove, ac deinde ejus operatio in lecto expectatur, quæ fit in quibusdam per vomitum, in aliis per ſudorem, in aliis per ſalivationem, in omnibus tamen putrilaginem febrilem & verminoſam disturbat, coagulationem & impeditam ſangvinis circulationem diſſolvit, contagium luis venereæ & lepræ incipiens omni alio citius expungit, & multa alia præſtat vix antea ſperata, præſtabitq; Deo annuente hac methodo accedente etiamnum inſperatiora.

Ruptiva bubonum. Exterius bubonibus & anthracibus peſtiferis duo contraria, ex oppoſitis nimirum ſibi invicem duabus triplicitatibus deſumpta ſuperponi poſſunt, quæ contrarietate mutuâ effervefcendo citam putrefactionem excitant, qua bubo mox corrumpitur & rumpitur; talia contraria petuntur vel ex triplicitate cholerica & phlegmatica ſimul, vel ex ſangvinea & melancholica, quæ ſemper ſibi invicem adverſantur; exempligratia ſi ex Aquario accipiuntur caricæ, & ex Tauro baccæ recentes halicacabi, & in pari quantitate contunduntur in pulticulam, bubo ab ejus applicatione mox aperitur; idem præſtant eſula vel colocynthis ex Ariete, & mercurialis, vel atriplex ex Scorpio; vel ex Sagittario ſuccus vel raſura raphani, & è Cancro anagallis aquatica; vel ex Capricorno napellus vel uva inverſa & ex Libra althæa vel malva aliave (Capricorni tamen ſimplicia ultimi gradus ut napellus prius corrigi debent à ſuo venenato frigido terreſtri ſulphure, coquendo ea prius parum in aceto vinoque, modico ſimul adjecto ſale, & abjecto liquore ipſa ſunt correcta) hæc vel conſimilia contraria ſucculenter contuſa anthraci nudo parum calefacta ſuperligantur, & brevi omnem venenoſitatem extrahunt; idipſum quoque potentiſſimè efficit emplaſtrum magneticum ſuperius de peſte deſcriptum; Conſimilis contrarietas etiam intercedit inter ipſum carbunculum peſtilentialem, qui igneus, cholericus & Martialis eſt, & ſaphirum qui aqueus & lunaris eſt, ideòque ſi genuinus ſaphirus lentè admodùm carbunculo aliquoties circumducitur, carbunculus hac circumductione planè mortificatur, & è ſuo loco excidit, ulcus relinquendo ſanandum ut aliud; in defectu ſaphiri eandem operationem ſupplet lapis cryſtallus pari modo aqueus & Mercurialis exiſtens, ſed ita circumduci debet anthraci, ut radii ſolis eum perlucentes unà carbunculum circumſcribant; porrò venenum bubonum

Saphiri virtus.

bonum & carbunculorum etiam extrahitur à rebus conſimilibus, nempe ab exſiccatis bufonibus prius aceto madefactis, ſed bufones in exſiccatione transfigantur per medium caput, aliàs minus efficaces ſunt ad venenum peſtilens (quod terreum & frigidum eſſet conſimilis cum bufonibus naturæ) attrahendum.

TRACTATUS V.

De ſigno ſympathico Arietis, ejusque proprietate & dominio generali.

ARies eſt ſignum ſecundum & medium triplicitatis cholericæ, in quo Sol menſe Martio volvitur, & eundem ingrediens longitudinem diei & noctis per totum terrarum Orbem æqualiter dividit, ac ſic æquinoctium vernum conſtituit; ſignum hoc calidum & ſiccum eſt in perfectione, ita ut ſpiritus & materia æquali proportione miſta ſint, & in ſummo utriusque vigore conſtituta; quamvis autem in aliis ſignis ſympathicis herbæ ipſorum parvi vel nullius ſint odoris ob perfectam earum coadunationem & compactionem materiæ & ſpiritus, ſalisque prædominium, qui ſulphur in ſe concluſum tenet, ita ut parum odoris ex ſe ſpargere queat, ubicunque autem ſulphur abeſt, ibi odor adeſſe nequit; nihilominus tamen in hoc ſigno cholerico ſympathico ſe res ita non habet, eò quod hæc triplicitas ſulphurea eſt, quum ergò in Ariete ſulphur prædominetur, herbæ ipſius fortem odorem emittunt, eò quod oleo ſulpureo abundent; Dominatur Aries in meridiem ſeu plagam meridionalem, ipſumque ventum cardinalem auſtrum, nec non in tempus punctuale meridiei, incipiens hora meridiana undecima, & exacto bihorio deſinens, quo tempore agnus Dei ipſo puncto ſummi dominii cholerici ſcilicet horâ noſtrâ duodecima in loco calvariæ id eſt Arieti capitis præſidi proprio aræ crucis affixus eſt, Sole in Arietem ingreſſo, & jam in medio cœlo verticaliter exiſtente, qui tamen horrendo ſpectaculo exhorruit quaſi, & ſuum lumen per tres horas amiſit, quibus finitis nimirum circa finem Dominii cholerici Salvator noſter mortuus eſt, cujus tum pretioſiſſimi ſangvinis profuſi color ruberrimus huic ſigno proprius nos ſemper commonefacere debet; etenim in colore rutilo ipſi pariter competit faſtigium, nimirum rubedo lapidis granati & rubini, unà cum amaritie primùm aromaticâ, ac demum felleâ, qualis in aromatibus ſtomachicis, ac denique abſynthio, colocynthideque guſtabilis eſt, quâ etiam amaritudine, ſeu ipſo felle Dominus noſter hoc Arietis dominio durante fuit potatus.

De corporis partibus Arieti ſubjectis, ejusque antipathia.

PEr ſympathiam Arieti ſubjicitur fundus ventriculi, ipſiusque facultas concoctiva, itemque fellis pars ſalleſcere incipiens & porracea, nec non choleræ admiſtio per venas

nas & arterias delata, unà cum facultate ſtimulatoria, cui venæ meſenterii ſuam operationem acceptam ferunt, imò tota fellis acredo, imprimis autem quæ in vaſis & meatibus urinariis dominatur, qua mediante Aries humores ſeroſos deorſum trahit propellitque ad veſicam lotialem, quin & quælibet vis expulſiva Arietis ſympathica operatione opus habet, imprimis autem ipſius quoque ſunt meatuli, per quos ſordes illæ amaricantes ad aures vaporant; exterius dicatur ipſi caput, facies & aures. E converſo ſingulæ partes Arieti ſubditæ per antipathiam læduntur à ſecunda materia phlegmatis, nimirum ab humore Scorpionico pituitoſo, coloris hyacinthini, hiſce partibus viſcoſitatem anguſtantem & obſtruentem ſemper minitans, & à contrariante Arietis operatione vapores phlegmaticos ſuſcitans, unde caput ſæpius gravatur, & catarrhis obruitur.

De ſimplicibus primi gradus Arietis, eorundemque operatione ſpeciali.

SUbarietica primi gradus ſimplicia præcipua ſunt: betonica Betonien; Veronica Ehrenpreiß; menthæ ſpecies omnes, ſcilicet mentha ſativa, criſpa, calamintha, mentaſtrum alle Geſchlecht der Müntzkräuter als Gartenmüntze/krauſe Müntze/Ackermüntze / Roßmüntze; aſtrion Blauſternkraut; tuſſilago Huflattich; aniſum Aniß; hæc magis inſerviunt maſculis; fœminino autem ſexui hæc: artemiſia alba & rubra weiſſer und roter Beyfuß; caſtorium Bibergeil; matricaria Meterkraut; meliſſa Meliſſen; ſerpillum Quendel; urtica mortua taube Neſſeln; fœniculum Fenchel; radix rhodia Roſenwurtz; meum Berwurtz/Mutterwurtz; Promiſcua ſunt: cuminum Kümmel; carum Mattenkümmel; ſeſeli, ſiler montanum Roßkümmel; caprifolium, periclymenon Geißblat/ Waldwinde; doronicum Gemſenwurtz; lilium convallium Meyblümlein; hyſopus Iſop; vitex Schafmülle und deſſen Same; anethum Dill; ruta hortenſis Weinrauten; camphora Camfer; zedoaria Zittwer; galanga Galgan; calamus aromaticus Calmuß; cyperus wilder Galgan; angelica Bruſtwurtz; agallochum Paradißholtz; grana paradiſi Paradißkörner; cardomomum Ladanum ein Safft alſo genannt; zingiber Ingber; nux moſchata, Muſcatnüſſe.

Vires iſtarum rerum ſunt, quod quidem perfectionem ſpiritus cholerici nactæ ſunt, attamen ſalſedo eorum præpungit ac proprium ſulphur uno gradu ſuperat, ita ut ſulphureitas tantum ſimplex ſeu unius partis, ſalſedo verò duplex ſeu in bina parte cenſeri poſſit, hancque ob ſalis prærogativam etiam ſecundo Virginis gradui adnumerandæ ſint, ob odorem verò ſulphuris nuntium huc referuntur; dupliciter itaque ſtomachum mirum in modum roborant, ratione enim ſulphuris ſalſi pingvedine oleoſa non abundant, quippe quæ ventriculi concoctioni plurimum obluctetur, atque ita ventriculo grata ſunt, eundem ſvaviter Stomachica inſignia.

viter

viter calefaciunt, ratione verò ſalſedinis non completæ facilè propria ſponte in ventriculo aceſcunt, prout idem in acetificio probari poteſt, ſi enim vino in acetum transmutando ejusmodi aromata ſimul injiciantur, citius in acerrimum acetum id mutatur, eò quod eorum ſalſedo connata jam ante ad aceſcendum propendeat: idem ergò cum etiam in acificante ventriculo fiat, non poſſunt non inſigniter concoctionem locupletare, ea enim potiori parte à fermento ſtomachi acido peragitur, quæ plus ullo calore alimenta arrodit, incidit & in cremorem diſſolvit; peracta autem ventriculi concoctione eadem ſalſedo ex acido remigrat in ſalſum cholericum ſeu lixiviale, eoque omnem obſtructionem venarum meſenterii, viarumque urinæ deobſtruit; ob ſiccantem verò virtutem etiam ſpleni valdè conducunt, humiditatem ejus ſuperfluam & inflativam exſiccando & abſumendo; præterea pectoris ſaburram pituitoſam ſua ſalſedine & virtute antipathica diffundunt, & expectorationi obedientem reddunt, uterum calefaciunt & purgant, fellis & hepatis æſtum ſedant, catarrhos capitis deorſum trahunt, denique ſaluberrimas potiones vulnerarias præbent, præſertim in vulneribus capitis, oppidò enim mundificant, carnem puram & ſubtilem producunt, internaque viſcera confortant.

Collectio omnium peragenda eſt circa finem canicularium, biduo vel triduo à plenilunio ſub ipſum tempus meridionale.

Præparatio & *additio* hunc in modum ſe habent; abluuntur herbæ abſque contuſione vel vulneratione, ac tum in umbra ſiccantur, tumq; tribus earum partibus adduntur partes duæ è primo gradu Aquarii, atque una pars è primo Virginis, quæ itidem juſto tempore collectæ ſint, uti ſuo in loco indicatur, ex his invicem mixtis paratur pulvis, cujus dimidiata vel integra drachma omni manè & veſperi modo quocunque aſſumitur, ſive in tragea, vel juſculo, vel vino id fiat, poterunt etiam herbæ ſiccatæ in vino vel cereviſia decoqui, & de colatura bibi.

Uſus per exemplum magis innoteſcet: ut ſi quis laboret debilitate ſtomachi vel inappetentiâ, tunc accipiet zedoariæ vel calami vel utriusque ſimul drachmas ſex, foliorum angelicæ vel hederæ terreſtris vel ſeſeli drachmas quatuor, ex Virgine quinquefolii, vel conſervæ roſarum vitriolatæ drachmas duas, infundantur craſſo modo conciſæ in vino, vel pulveretenus cum vino aſſumantur. Vel ℞. ſiſymbrii ſeu menthæ aquaticæ tres partes, ſaniculæ duas partes, radicis lappæ majoris unam partem, fiat ex his arefactis conciſis pulvis, qui manè & veſperi comeſtus ulceribus ſanandis confert, ſtomachum mundificat, ejus concoctionem adjuvat, atque inſuper etiam alios cibos ſanationi ulcerum ſalutares efficit.

Vel ſi fœmina eſſet vulnerata, tunc ℞. artemiſiæ rubræ manipulos

tres,

tres, florum tiliæ mij. ſideritidis mj. ad hyſtericam paſſionem cape ſerpilli vel radicis rhodiæ tres partes, hederæ terreſtris duas, conſolidæ mediæ unam partem, & procede ut dictum eſt.

Notandum etiam, ſi vulnus ſit in capite, ſemper ex Arietis primo vel ſecundo gradu baſin eſſe ordiendam, additionem verò vel ex Libra & Tauro vel Aquario & Virgine ſeligi poſſe.

De ſimplicibus ſecundi gradus Arietis, eorundemque operatione ſpeciali.

HUic gradui attribuuntur ſequentia: ſcilicet ſolidago Saracenica Heidniſch Wundkraut; ebulus Attichkraut und Wurtz; millefolium Schafgarbe; hypericon, perforata, fuga dæmonum Johannskraut; diptamnus albus vulgaris & Creticus gemeiner und Cretiſcher Diptam; origanum Doſten; ſeriphium Wellſamen / Wurmkraut; piper album & nigrum weiſſer und ſchwartzer Pfeffer; ſuccinum album & flavum weiſſer und gelber Agtſtein; marrubium nigrum ſchwartzer Andorn; abſynthium vulgare gemeiner Wermuth; lyſimachia flore luteo Weiderich mit gelben Blumen; Huc pertinent etiam liquores balſamoſi & eximiè conſolidativi, quales ſunt: balſamus de Mecha ſeu verus peruvianus, de Tolu, factitius ſulphuris, item folia perfoliatæ in ſpiritu vini infuſæ ſeu maceratæ, quæ ita integra ex ſpiritu vini accepta & vulneribus impoſita mirandum in modum vulnera ſanant, ut vix cicatrices remaneant.

Vires iſtorum ſimplicium ſunt, quod ſalis ſaltem unam, ſulphuris verò duplam partem habeant, ſal tamen eorum miræ eſt ſubtilitatis, adeò ut ejus virtute omnem ulcerum bilioſitatem ad ſe protrahant & annihilent, ſcilicet quicquid inflammatoria caliditate igneo iſtarum rerum ſulphuri conſimile exiſtit, idipſum tanquam ſui ſimile ad ſe alliciunt, quemadmodùm aqua glacialiter frigida vel nix gelu è pergelatis membris, ſpiritus autem vini vel alia ignea ignis ambuſtionem ceu ſui ſimile è membris extrahunt; præterea ex hoc gradu inſignes potiones vulnerariæ & ulcerariæ coqui poſſunt, præſertim ad ulcera peſtilentialia; quædam etiam infectionem peſtiferam jam hauſtam iterum expellunt, præſertim millefolium, ſi ejus partes tres, chelidonii minoris vel ſcrophulariæ partes duæ, & chelidonii majoris pars una coquantur in aceti vini & aquæ chelidonii æqualibus partibus, donec dimidium vel tertia pars liquoris ſuperſit, ejusque hauſtulus bibatur, ac bis vel ter reiteretur, tunc omnis noxa peſtilens expellitur, ac homo à periculo liberatur. Idem etiam præſtat lyſimachia in tripla, cum ſcrophulariæ vel ſcorzoneræ dupla, & florum cydoniorum vel ſeminis eorum una parte in aceto & ſcrophulariæ aqua cocta & bibita. Peculiare quoque ad peſtem eſt ſuccinum, atque etiam geſtatum ab ipſa præſervat, ſi eo omni manè ſeptem Peſtis remedia.

principaliora loca pulſuum, nimirum ad utraque tempora, carpos, malleolos, & ſiniſtram mammam fricentur ad calorem, nec minus potenter præſervat ipſius oleum deſtillatum, ſi ejus gutta quotidiè manè & veſperi naribus affricetur, & ſi peſte jam correptus quis ſit, ejus integer ſcrupulus in aqua carduibenedicti exhibeatur.

Collectio omnium fieri debet circa finem menſis Julii vel principium Auguſti, ferventibus nimirum diebus canicularibus, hæc enim ſalamandrina qualitas huic ſigno propria eſt, quod in fervore potiſſimum vigeat, dominando imprimis menſe Julii ac tempore meridionali, hinc etiam eodem collectio obſervanda.

Præparatio & *additio* talis ipſis debentur; ſiccantur nimirum in umbra perflabili, ut proprio phlegmate exuantur, ita enim tam intrinſecè quàm forinſecus magis attractiva fiunt, præſertim ad externa ulcera æſtuatoria, ablato enim exſiccatione eorum ſpiritu phlegmatico, ſuum defectum refarcire percupiunt, ac ſui ſimile nimirum inflammatoriam qualitatem ulceri inſperſa ex eo attrahunt ac demoliuntur, adduntur autem tribus eorum partibus, duæ è ſecundo gradu Aquarii, atque una è ſecundo Virginis, quæ tum decoquuntur in vino & aqua, atque ulcera maligna iiſdem fomentantur & eluuntur, ac deinde pulvis inſpergitur, qui tamen paululum plus æquo ad ignem ſiccari, & parumper uſtulari debet, absque tamen aduſtione vel combuſtione, ſed ut tantùm particula proprii ſpiritus exhalet, quam deperditionem poſtmodum redintegrare volens alienum æſtum ex ulcere elicit, & id malignitate privat.

Uſus ex jam indicatis conſtat, quod nimirum harum herbarum ariditatio ad externum uſum fortius & cum quadam uſtulatione ſubſtantiæ inſtituenda ſit, ad uſum verò internum illa fiat communi modo, ut ſaltem phlegma ſuperfluum exſudet, ſic enim activiora evadunt ad operandum per ſudorem.

De ſimplicibus tertii gradus Arietis, ac ſpeciali ipſorum operatione.

SUb hunc gradum pertinent, quæ ſulphur Martiale adeò fervidum obtinuere, ut intrò accepta mox in ſtomacho violenter attrahant, & confertim affluentes humores ſurſum & deorſum ejiciant, qualia ſunt: ſambucus gemeiner Holder; ſambucus cervinus Wald- oder Hirſchholder; ſambucus paluſtris Schwelcken; eſulæ ſpecies omnes alle Wolffsmilch-geſchlechter; ricinus, cataputia major Wunderbaum; lathyris, cataputia minor Springkörner; gratiola, gratia Dei wild Aurin; laureola, daphnoides, mezereum, chamelæa, coccum gnidium Kellershals; agaricus Lerchenſchwamm; colocynthis Coloquinten; cucumis aſininus, ejusque ſuccus elaterium Eſelkürbs; hermodactylus Zeitloſen; liguſtrum Beinholtzblumen; ſcammonium ejusque ſuccus diagridium Scammonien; ſmilacis ſpecies die Windengeſchlechter;

ſchlechter; ſarſaparilla ſo auch ein Smilax; peucedanum Harſtrang/ Säufechel; rhamnus ſolutivus, ſpina infectoria Kreutzbeer/Wegdorn; nerion Oleander; cartamus, cnicus wilder Saffran; cannabis cum tota ſubſtantia Hanff mit aller Subſtantz; anagyris Stinckendbaum; ſtaphiſagria Leuſekörner.

Vires iſtarum rerum ſunt, quod præcedentibus ſint fervidiora, tres enim partes ſeu triplum ſulphuris habent, & unam ſolummodò ſalis, ferviditate itaque ſua validè attrahunt juxta naturam calidorum, quæ ſemper attractiva ſunt, frigida verò repercuſſiva, uti etiam idipſum aër ambiens quotidiè demonſtrat, valdè enim calidus exiſtens qualis eſt hypocauſtorum vel balneorum cutem attrahendo rubificat, frigidus verò hyemis repercutiendo pallorem & tremorem inducit, quum ergò hæc ſimplicia impota ventriculum præcipiti uredine afficiant, & inſtar cucurbitulæ calefactæ fortiter attrahant, non poteſt non celer humorum accurſus mox meditari exitum, & partim ſurſum partim verò deorſum ferri, accedit, quod etiam ſapore nauſeoſo prædita ſint, quem ventriculus abhorrens ſe motu convulſivo contrahit ad ea celeriter expellendum, & allicita corporis lymphâ copioſâ ingrati ſaporis ſtigma eluendum, conſtant enim mixturâ partim ſulphurea, partim ſalſa, partim olida, partim fragrante, partim acida, partim alcalica, atque ita naturæ adverſâ, cujus exemplum habemus in aqua communi, quæ quamvis ventriculo ſit familiariſſima, attamen in ſtatu exiſtens quo nec calida nec frigida eſt, nimirum tepida mox fit nauſeabilis. Naturæ ergò noſtræ hæc ſimplicia valdè ſunt adverſa, noxia & quodammodo venenata, niſi prius à ſua furente fervididate & nauſeoſitate corrigantur, correcta autem fiunt ſaluberrima ad expurgandum è corpore humores catarrhales, podagricos & hydropicos; pro externo verò uſu vix ullis aliis cedunt in celeri ruptione bubonum ac phymatum peſtilentialium, quorum furorem pravitatemq; omnem ſopiunt, leniunt, emolliunt, & ulcera optatè perſanant.

Collectio eorum inſtituenda eſt eodem modo ac tempore, ut de antecedentibus eſt edoctum.

Præparatio & *correctio* pro interno uſu hoc modo peragitur; collecta hæc ſimplicia convenienti tempore minutim conſcinduntur, ac vitreæ cucurbitæ immittuntur, tumque optimi vini albi ſpirituoſi vel ipſius ſpiritus vini non correcti tantum ſuperfunditur, ut ad aliquot digitorum transverſorum altitudinem emineat, quo facto cucurbita clauditur alembico cœco adlutato, ne quid exſpiret, & in locum tepidum locatur per ſeptimanas tres, quatuor vel quinque, at nequaquam diutius, ut probè invicem macerentur, & elapſo hoc tempore alius alembicus apponitur, omniſque liquor per deſtillationem evocatur, qui ſecum veram iſtarum rerum eſſentiam purgativam per alembicum vehit, quæ ſine ullo damno vel periculo

riculo intra corpus datur, corrigi tamen etiamnum ulterius debet è tertio gradu Aquarii & Virginis: exempli gratia ℞. ſcammonii, vel lactis eſulæ, vel alterius ſimplicis hujus gradus partes tres, ſucci expreſſi malorum cydoniorum maturorum partes duas ſucci herbæ prunellæ vel conſolidæ mediæ partem unam, mixta pone in vitro in arenam, quotidiè movendo, donec humiditas aquoſa evaporet, tunc affunde vinum malvaticum, vel ſpiritum vini non rectificatum; digere vel macera hæc invicem per tres vel quatuor ſeptimanas, ac deinde ſpiritum in appoſitum vas recipiens deſtilla; vel ℞. turbit minutim conciſi duas uncias, agarici drachmas quatuor, hermodactyli ʒij. myrrhæ ℥iſ. radicis ariſtolochiæ longæ unciam, hisce conciſis vel craſſo modo contuſis ſuperfunde vini malvatici vel ſpiritus vini non rectificati, q. ſ. digere & procede ut dictum eſt; obtinebis eſſentiam ſpirituoſam ſine ullo periculo vel moleſtia purgantem, & convenientem in apoplexia, epilepſia, aliisque gravibus affectibus, accipi poteſt ad dimidiatum vel integrum cochlear plenum in aqua ſcorzoneræ & carduibenedicti, vel aliis ex indicatis paulò ante gradibus huic ſigno aptis. Quædam verò in hoc gradu aliam præparationem habent, nimirum ſambucus comunis & cervinus, liguſtrũ, ſalix lutea, anagyris & ejusmodi lignoſa hujus gradus deſtillantur per deſcenſum in liquoré vel oleum, vel etiam cortices radicum eorum areſacti in pulveré teruntur.

Purgativum egregium.

Additionem & *uſum* quod attinet, hæc ſimplicia ſemper adjunctionem requirunt ex Aquario & Virgine, ſumendo ex hoc gradu novem partes, è tertio gradu Aquarii ſex partes, ac tres partes è tertio gradu Virginis, è quibus invicem mixtis ſubtiliſſimus fit pulvis ulceribus inſpergendus, vel etiam emplaſtris ſubmiſcendus; commemorata verò olea per deſcenſum deſtillata pro ulceribus contumacibus & rodentibus inſerviunt, ut iisdem intus & in ambitu ſæpius colliniantur, ipſorum enim ſale volatili oleoſo acor ulcerum rodens ceu ſuo contrario mortificatur, malignitasque edomatur, ita ut deinceps libenter ſanationi auſcultent. Pro aperiendo verò bubone peſtifero accipitur ſimplex quoddam ex hoc gradu, nempe eſulæ, vel colocynthidis vel bulbi hermodactyli pratenſis quantum placet vel ſufficiens videtur, è tertio gradu Scorpii avenæ decorticatæ, vel ipſius farinæ, vel foliorum buxi, vel etiam foliorum braſſicæ, vel lenticulæ paluſtris, vel è ſecundo gradu gummi tragacanthi, vel axungiæ piſcium vel albuminis ovi, ſingulorum partes æquales, hæc ita recentia contunduntur invicem in cataplasma, quod buboni applicatur, brevique ipſum putrefaciendo perforat; nec minus quoque pro aliis absceſſibus & phymatibus difficilis ruptionis inſignia mollitiva & aperitiva ex hisce ſimplicibus concinnari poſſunt, ſi è primo vel ſecundo Libræ & Tauri gradibus additio petatur.

De ſimplicibus quarti gradus Arietis, eorumque operatione ſpeciali.

GRadui huic ſubtenentur ſequentia : videlicet majorana Majoran; roſmarinus Roßmarin; ſatureja Sadaney/Fiſchkraut; helleborus albus weiſſe Nießwurtz; marrubium album weiſſer Andorn; capparis cortices Kapernrinden; turbith eine Wurtzel alſo genannt; ranunculus urens brennender Hanenfuß; cinamonum recens friſche ſcharffe Zimmetrinde; naſturtium ſylveſtre Ackerkreſſe; ſpica Spienarden; abrotanum Stabwurtz / Abrauden; calamenthum, mentha arvenſis Korn-müntze; pulegium agreſte Kornpoley; polium wilder Roßmarin; thlaſpi Baurenſenff / Beſenkraut; alliaria Knoblochkraut / Leuchel; ameos Ammeyſamen; pyrethrum Bertram.

Vires horum ſimplicium ſunt, quod tantoperè ſulphure abundent ut vix quintam reſpectu ejus ſalis partem contineant, neutiquum ergò externus eorum uſus ulceribus convenit ob nimiam eorum ferviditatem, quæ non niſi inflammationem in ipſis concitatura & bilioſitatem meram attractura eſſet, internum verò uſum quædam ex ipſis ſubire poſſunt, ſi debito tempore colligantur, & convenientem additionem nanciſcantur, nimirum marrubium, roſmarinus, majorana, ſpica, ſatureja, cinamomum, abrotanum, reliqua non niſi correcta & in eſſentiam redacta intrò ſunt ſumenda; eſſentia verò ipſorum caput, & reliqua huic triplicitati ſubjecta membra purgat, & pituitam, mucum, ac catarrhoſam collectionem deorſum trahit, & ſic cauſam præcipuam apoplexiæ, epilepſiæ, aurium tinnitus, vertiginis, deſtillationis in thoracem aliorumque defalcat.

Collectio iſtorum quæ in ſubſtantia interno uſui apta ſunt, molienda eſt menſe Aprili, antequam flores eorum aperiuntur, ita enim paulo teneriora & minus ferventia ſunt, quamvis etiam hoc parum juvet, mox enim in prima progerminatione valdè fervida ſunt, nihilominus colligenda tamen ſunt in prima teneritudine, at ſi in eſſentiam per deſtillationem redigenda ſint, colligantur ut præcedentia diebus canicularibus, vel circa diem Bartholomæi, tum enim ſulphure ditiſſima ſunt, & penetrantiorem præbebunt eſſentiam, commodè etiam quæ interno uſui in ſubſtantia deſtinantur, decerpi poſſunt Sole currente in Virgine, & Lunâ in Libra, triduo vel quatriduo à plenilunio, ſub primam auroram, & in plena roriſidate, tum enim ſulphur in ſalem commutatur, ſed quocunque modo pro eſſentia eorum educenda petuntur, magis convenit genuina hujus ſigni conſtellatio, ſcilicet tempore ferventiſſimo, & ſole verticali exiſtente ſeu ipſa meridie, ita enim maximè ſulphurea ſunt & oleoſa.

Præparatio eorum, quæ non in ſubſtantia interius exhiberi apta ſunt, eadem eſt ac præcedentium, ſcilicet ut cum generoſiſſimo vino vel ſpiritu vini per ſeptimanas tres

vel

vel quatuor digerantur, ac deinde in eſſentiam deſtillentur; iſtorum verò quæ etiam ſubſtantialiter intro ſumuntur, ut marrubium &c. nulla alia eſt, niſi ut poſt collectionem (quæ etiam celebrari poteſt Sole in Tauro & Luna in Geminis moranti-bus) in umbra exſiccentur, & vel pulveriſentur, vel decoquantur; ſingula quoque ad internum uſum ſubſtantialiter valentia, per deſtillationem ſvaviſſimum ac fragrantiſſimum oleum exſudant, nempe majorana, rosmarinus &c. in quibus præparandis ſic procedendum eſt; primò acquiritur herba circa ejus maturationem, ſeu quando jam maturum habere ſemen videtur, & ſi ſufficiens herbæ quantitas haberi poſſit, capiantur ſaltem ejus ſummitates cum ſemine, & conſcindantur vel conquaſſentur, vaſique ſat capaci imponantur, affundendo unà quantitatem aquæ communis (quidam etiam aliquid ſalis menſarii aſpergunt, alii non) atque ita commixta per aliquot dies ſcilicet octo, decem vel quatuordecim macerari ſinantur; deinde totum veſicæ indatur, ac lutatis commiſſuris deſtillatio inſtituatur, & tranſcendit aqua ſtillatitia cum ſupranatante oleo ſvavi, quod per tritorium ab aqua ſeparetur, deſtillatio recentis herbæ in veſicam impoſitione continuari, priorisque deſtillationis aqua, à qua oleum ſeparatum jam eſt, loco vulgaris aquæ denuo ſuperfundi poteſt, donec ſufficiens olei quantitas elaborata ſit, quæ ſeorſim aſſervetur, aqua verò deſtillata pari modo cuſtodiatur, inſervit enim pro optima iſtius herbæ aqua ſtillatitia. Virtutes horum oleorum generales ſunt, quod partibus Arieti propriis mirè conveniant, præſertim capiti affectibus frigidis divexato, ſi aliquot guttæ vertici inſtillentur, idque per aliquod tempus quotidiè manè & veſperi continuetur, ita enim caput frigidum calefaciunt, valentque ad vertiginem, diſpoſitionem apoplecticam, epilecticam, & paralyticam, tremorem membrorum, aliaque à frigiditate cerebri provenientia præſervanda, intrò accepta ſudorifera ſunt, & putredini venenoque peſtis reſiſtunt.

Additio eorum eſt ex iisdem ſignis ac ſuperiorum, nimirum ad tres partes hujus gradus adduntur è quarto gradu Libræ pariter tres, & è quarto gradu Tauri totidem, atque ex his coqvuntur potiones ſudoriferæ & vulnerariæ, poſſunt quoque ex ipſis parari pulveres pro interno uſu, pro externo autem parum valent, & pauca tantummodò ex iis, cur autem hic æquales partes ex aliis gradibus addi debeant, ratio eſt, quod hæc ſimplicia nimis ſulphurea ac fervida ſunt, ideoque majori additione, & quidem merarum herbarum vulnerariarum compeſci debent, nimirum quoad externum uſum, ubi quantum nimis calida noceant, cancer apertus ſeu ulcus cancroſum docet, qui rebus fervidis applicitis adeò irritatur, ut tantum uno die erodat & putrefaciat, quantum aliàs quatuor diebus.

Uſus deſtillatæ cum ſpiritu vini

eſſentiæ eſt, quod totum corpus evacuet absque ullo periculo vel tormine, convenit itaque ad morbos graves, nempe epilepſiam, apoplexiam & conſimiles, olea verò ex ipſis deſtillata pariter ſecurè impotari, & exterius magno cum emolumento adungi poſſunt; Denique decocta bibuntur ad expellendum ſudorem, calefaciendum pectus, uterum, aliosque affectus remedendos.

TRACTATUS VI.

De ſigno antipathico Leonis ejusque proprietate & dominio generali.

LEo eſt ſignum tertium & ultimum triplicitatis cholericæ, in quo Sol menſe Julio fungitur curſu, tumque temporis æſtum arefactivum graminis & frugum in hoc ſigno igneo concitat, ita ut meti opus habeant, & quoniam canes à tanto æſtu mirè afficiantur, menſi illi Leonico nomen dierum canicularium inditum eſt; Signum ergò hoc calidum & ſiccum eſt in declinatione ſpiritu nimirum cholerico, qui antecedente in ſigno cum materia æqualiter dominabatur, decrementum patiente & retrogradiente, hinc ſigni hujus ſimplicia quò altioris ſunt gradus, ſeu quarto & ultimo gradui propinquiora, eò minus ſpiritus cholerici ac tanto plus materiæ continent, quæ materia ſulpur craſſum & aqueo-terreſtre exiſtit, in gradu ultimo tantopere excedens, ut nil præter ejusmodi ſulphur veſicans & cauſticum relinqui deprehendatur. Dominatur Leo in plagam meridionalem, quæ eſt inter auſtrum & africum, ventumque collateralem ab iſto tractu flantem, nec non in finem temporis meridiani, ſcilicet ab hora prima usque ad tertiam pomeridianam, quo ſpatio Rex gloriæ ſeptem verba in cruce locutus & circa finem dominii cholerici cum magno clamore mortuus eſt, ubi ad ejus mortem terra tremuit, rupes disſiluerunt, ſepulchra ſe aperuerunt, Solque amiſſam lucem recuperavit. In colore rubeo Leoni pari modo ruffedo remittens convenit, in bipartito tamen decurſu conſtituta, nimirum in rubigine obſcura ſeu fuſcedine, ubi pars exuſta ex atro rubet, atque in rubore pallescente, ubi tinctura rubicunda paulatim remittit & pallorem rufum excocti lateris repræſentat, prout ejusmodi colores in gagate & amethyſto conſpicui ſunt; ſapor ipſius conſimiliter eſt amarities aduſtoria, qualem edunt offæ in fundis ollarum aduſtæ, gentiana, fel porraceum, cinis tartari & calx viva recens,

De partibus humani corporis Leoni ſubjectis, ejusque antipathia.

LEoni ſubjicitur fellis pars ſalſa & tartarea ab archeo peculiari canali deſtinata ipſusque ejus canalis ſeu meatus ad duodenum porrectus, unà cum fermento felleo ſalſificante, quo demum humores craſſi biliosi omnisque acor per antipathiam commutantur in ſalem ſalſum ſulphureum, inteſtina abſtergentem,

tem, excrementa colorantem, & ad excretionem ſtimulantem; item os ſternum, coſtæ & membrana eas obcingens pleura. Exterius ipſius cliens eſt utrumque hypochondrium unà cum temporibus. Antipathia Leonis conſiſtit in tertio ſigno phlegmatico, ſcilicet Piſcibus, cum quo in perpetua contrarietate verſatur, ita ut à tali colluctatione partibus cōmemoratis humor quidam pſeudophlegmaticus colorem chalcedonii mentiens producatur, eas obruens & lædens, prout etiam alimenta ſub Scorpium pertinentia nimirum dulcia craſſa & viſcoſa, uti ſunt lac, caſeus &c. nimis diu & copioſè devorata meatus fellis facilè obſtipant, imò in ipſa ejus ſubſtantia concretionem lapillorum ſubatrorum generant, unde icterus, tertiana, aliique affectus biliosi gignuntur.

De ſimplicibus primi gradus Leonis, eorundemque operatione ſpeciali.

SUbtribuuntur huic gradui ſequentia: nimirum thymus Welſcher Quendel / Thymian; lavendula Lavendel; baſilicum, ocimum Baſilien; nardus Celtica Celtiſch Nardenkraut; ſpica domeſtica Spicnarden / groſſer oder Mänlein Lavendel; lignum colobrinum Grieſholtz; cypreſſus Stabwurtzweiblein; ſoldanella Meerköhl; ſtachys riechender Andorn; caryophylli Würtznägelein; ſaponaria, herba lanaria Seifenkraut; plantago aquatica alba weiſſer Waſſerwegerich; hyſopus aquaticus Waſſeriſop; ſchænanthum Kamelheu / Kamelſtroh; herba kali, Saltzkraut / Glaskraut; capparis, Kapernkraut und Wurtzel; item calamentum, pulegium agreſte, ſpica, turbith, ſmilax, & ſimilia propriè huc pertinent, at quia leviter corrigi poſſunt, ſub quarto gradu Arietis ea recenſuimus.

Vires iſtarum rerum ſunt, quod ſulphure quodam inflammatorio refertæ ſint, quod præter earum naturam in prima earundem compoſitione accidentaliter ipſis impreſſum & tantoperè conſubſtantificatum eſt, ut etiam in prima earum pullulatione & progerminatione mox accidentalis hujus ſulphuris uredinem guſtui manifeſtam faciant, naturæ tamen & proprietati ipſarum alienam, & per primum compoſitionis motum introductam, & quamvis in aliis herbis opportuna collectio ipſas multum corrigat, in hiſce tamen ea nihil juvat, ſed citius omnino corrumpuntur vel emoriuntur, quàm ut quicquam per collectionem ullam correctivè alterarentur; ſemper itaque maligna quædam uredo, ſeu inflammatoria venenoſitas in ipſis concurrit, quâ plurimo ipſarum interno uſu demum valdè lædunt, prout hi qui nimis crebrò & largius caryophyllorum comeſtioni dediti ſunt, facilè demum lethalem tabem incurrunt, niſi peculiaris quædam concordantia humoris radicalis cum caryophyllis intercedat, quod etiam de ſpica, lavendula, ocimo & aliis judicandum; quædam earum etiam ſubſtantiam aqueam, & malignam groſſitiem habent,

bent, ita ut non poſſint non interno largo uſu nocere, quin imò etiam plurimus externus earum uſus promiſcuus nequaquam tutus eſt, qvum enim ſpiritus cholericus in ipſis ſit in declinatione, & paulatim has herbas relinquat, promptiſſimè alium ſpiritum ſpurium venenatum arripiunt, imprimis ſi plurimum tractentur in iſtis locis ubi copioſi vapores terreſtres humidi elevantur, uti fit in cellis, fornicibus non ſtratis, caſtris uliginoſis, & tractibus cœnoſis, ubi ſi herbæ fortè multum crementur vel tractentur, ab iſtis limoſis vaporibus facillimè ſpiritum ſpurium fracidum combibunt, & veram peſtem citò pariunt, mox feraliter graſſantem, ut multoties ingenti cum calamitate experientia inter exercitus docuit, qui in regionibus harum rerum fertilibus rem militarem fecere. Studiosè itaque cavendum eſt ne dictis in locis, aliisve lacunoſis antris, vel recentibus terræ udæ foſſis vel copiosè incendantur, concrementur, vel tractatione odorabiles reddantur, ſed potius in omni aura terreo halitu vaporosâ ſollicitè evitentur. Abſit etiam uſus earum ad ullum ulcus, niſi prius probè corrigantur, neque etiam interno uſui aptæ ſunt absque prægreſſa correctione.

Peſtis à vaporibus terræ.

Collectio ut dictum parum quidem hæc ſimplicia meliorat, colligi tamen poſſunt morante ſole in Piſcibus & lunâ in Cancro.

Præparatio talis adhibenda eſt; ſuperfundatur ipſis vinum album ſpirituoſum ſeu forte, ut aliquot digitis transverſis ſupereminеat, & ita relinquantur per noctem, ſequenti manè vinum decantetur, quod jam ſulphur præfatum inflammatorium in ſe traxit, eſtque abjiciendum, vel alii uſui impendendum, herba autem vino exempta lentè exſiccetur, & jam præparata ſeu correcta eſt, atque hoc modo quælibet ſimplicia ſuperabundanter calida vino forti corrigenda ſunt, neutiquam verò debili vel lymphato, quippe in quo calor furens talium herbarum ſaltem eò magis invaleſceret, poſſent tamen ejusmodi herbæ pari quoque ratione corrigi propria ſuperfusâ aquâ ſtillatitia, in qua & vino forti earum furor miteſcit, in debili vero liquore vel ex contraria triplicitate petito adhuc magis ferocit, & in ſua contrarietate obfirmatur.

Additio deſumenda eſt ex Aquario & Tauro hoc modo: ℞. herbæ indicata jam ratione correctæ partes ſex, è primo gradu Aquarii vel Libræ quatuor, atque è primo gradu Tauri vel Virginis partes binas, atque ex his para decoctum, vel pulverem, vel prout uſus poſtulabit.

Uſus eſt ad partes huic triplicitati ſubditas, ſuisque contrariis, videlicet triplici materia phlegmatica gravatas & infirmatas, uti capiti fit per catarrhos pituitoſos, vertiginem, lethargum, conſtitutionem apoplecticam, doloresve, meatibus fellis & urinæ per obſtructionem, lithiaſin & ſimilia, in hisce caſibus harum herbarum decocta, vel aquæ deſtillatæ, eſſentiæ & extractæ ſæpius bibuntur, earumque pulveres in

in dictis liquoribus invehiculantur.

De ſimplicibus ſecundi gradus Leonis, eorundemque operatione ſpeciali.

GRadui huic ſubjiciuntur ſequentia: ſcilicet centaurium minus klein Tauſendgülden / Fieberkraut; gentiana major & minor groß und kleiner Entzian; cruciata Modelgeer; angelica montana Berg-Angelic; bibinella ſylveſtris ſaxatilis flore albo wild Steinbibernell mit weiſſen Blumen; aſa fœtida Teuffelsdreck; herba venti Kuchenſchell; anemome alſo genannt; aloëpatica ein Safft alſo genannt; perſicaria Flöhkraut; pſyllium Flöhſamen; helleborus Nießwurtz; uva inverſa Einbeer; bifolium Zweyblat.

Vires iſtarum rerum ſunt inſignes, ſunt enim commemorata hæc ſymplicia permixtæ ſubſtantiæ, quæ nimirum non modò huc ſed & ſub ſecundum gradum Sagittarii pertinent, conſtantque ex aquoſa terreſtritate & amariſſimo felle terræ, invicem à ſpiritu Sagittarii conflatis in unum corpus, quod in ſale & ſulphure commixtum eſt, ſed nullum ferè ſpiritum reliquum habet, redintegrari tamen poſſunt ſpiritu alieno addito, ubi ergò talis ingenioſa ſpiritus reparatio acceſſerit, admirandam hæ herbæ edunt virtutem in quibusvis morbis tartareis, nimirum in atterenda calculoſa concretione, reſerandisque meatibus urinariis obſeſſis, incidendo & expectorando muco pulmonum, causâque tuſſis & aſthmatis removenda; obſtructiones hepatis, lienis & fellis quoque efficaciſſimè deobſtruunt, natumque inde icterum, æſtum, tertianam, & ſimiles affectus tollunt, febrem quartanam potenter abigunt, & ad ipſam curandam maximè valent, ventriculum mirè roborant, & ad parandas potiones ſudoriferas & vulnerarias apprimè inſerviunt, ex connata natura multam & laudabilem in vulneribus carnem ex fundamento progignendo.

Collectio oportuna fit Sole exiſtente in Tauro & Lunâ in Geminis, tempore matutino ante Solis exortum, tunc enim in integerrima ſunt ſucculentia & potentia, colligi tamen quoque poſſunt in principio menſis Maji, vel fine Auguſti, hoc tamen perpetuò in triplicitate cholerica notandum, quod ſi intentio ſit corpus intrinſecè calefaciendi, pituitam craſſam fundendi, malignitatem expellendi & ſudorem ciendi, collectionem inſtituendam eſſe termino hisce ſignis proprio, ſcilicet paulò ante meridiem, in meridie, & proximè poſt meridiem, tum enim vis ignea in ipſis in ſummo eſt vigore.

Præparatio & *additio* ita ſe habent; ſiccantur hæc ſimplicia in umbra: tumque ex hoc gradu accipiuntur partes tres, è quarto gradu Libræ vel primo Aquarii partes duæ, è quarto vel tertio gradu Tauri vel Virginis una pars, ex his conciſis fiunt decocta, pulveres, pedilavia &c. exempli gratia: ſi quis laboret quartanâ, tum cape ex hoc gradu centau-

rii minoris, vel herbæ hellebori nigri, at non radicis manipulos tres, è quarto gradu Libræ chelidonii minoris, vel anagallidis flore rubro, vel ex Aquario ſaniculæ, vel naſturtii aquatici manipulos duos, è quarto gradu Tauri auriculæ muris, vel ex Virgine cardui benedicti manipulum unum, ex his conciſis & commixtis manipulus unus vel duo decoquantur in vino, ejusque hauſtum largum fervidum propina ante paroxyſmum, reliquum herbarum in alio vino albo infundatur vel maceretur ut fiat vinum medicatum, loco potus ordinarii bibendum; poteſt quoque pars infundi in ſpiritu vini, & ubi is eſſentiam herbaceam in ſe combiberit, hoc liquore eſſentiali tota ſpina dorſi nec non regio lienis probè allini & confricari; continuato autem quotidiè per aliquot dies horum uſu corpus deinde evacuetur infuſo rhabarbari, obſervata ſimul legitimâ diætâ.

Uſum quod attinet, pulveres præſcripto jam modo compoſiti ferculis inſperguntur, atque ita cum cibis & potu intrò vehiculantur, decocta ex ipſis concinnata & refrigerata contra ſitim bibuntur, atque etiam iisdem loca, ubi æſtuoſitas evocari, & bilioſa ulcera cicurari debent, fomentantur & eluuntur, parantur quoque ex ipſis eundem in modum, ut de gradu ſecundo Sagittarii affatim doctum eſt, ungvina & linimenta ad emolliendas durities, & edomandam febrem quartanam, per crebram nimirum ad calorem fornacis externam adunctionem, dicto in loco ſuperius indicatam, quædam verò magis ob externam ſanandi virtutem huic gradui accenſentur, ut radix hellebori, uva inverſa, bifolium, quæ mirè carnem generant & ſanant.

De ſimplicibus tertii gradus Leonis, atque ipſorummet virtute ſpecialiori.

ADjudicantur huic gradui ſequentia: nempe naſturtium hortenſe Gartenkreß; vitis ſylveſtris ſeu nigra Waldreben; iberis Beſenkraut; pulegium Poley; cotula fœtida Hundscamillen; calamenthum Kornmüntze; piperitis, lepidion Pfefferkraut; ſiliquaſtrum Spaniſcher Pfeffer; urtica acuta Heiter-neſſeln; cantharides Spaniſche Mücken; paſtinaca ſylveſtris wilde Peſtnachen; naſturtii ſemen Kreßſamen; ranunculus urens brennender Hanenfuß; flammula Jovis Brennkraut; vermicularis Maurpfeffer; & quicquid veſicat, ut cyclamen, dracunculus, ſcylla, pyrethrum, cortex arboris juglandis, ſtaphiſagria, lac tithymalli & cataputiæ, ſapo niger, item magnes arſenicalis.

Vires harum rerum ſunt, quod ſpiritus cholericus ex ipſis majorem partem receſſerit, ipſasque deſtituerit; quo fit, ut perpaucæ earum ultra Julium perennent, pleræque verò brevi intereant, ferè enim nil quicquam in ipſis reſtat præter ſubſtantiam uſtulatoriam, ad veſicandum & cauteriſandum uſualem, omnia quoque veſicantia ſub hunc gradum pertinent, cunctaque huc pertinentia

tia veſicant, quædam tamen ex hic commemoratis ſi tempore primæ eorum infantiæ, quando nimirum jam pridem progerminant, atque etiamnum tenerrima & ſuccoſa ſunt colligantur, & debitè corrigantur, nec non alieno ſpiritui copulentur, cum in ſua propria ſubſtantia ferè omni ſpirituoſitate priva ſint, tunc inſerviunt ad exſiccandam ſuperfluam humiditatem, & reſtingvendam caliditatem, ſuccus quoque recens ex ipſis expreſſus vel herba ad mollitiem contuſa affluxum ulcerum bilioſum attrahit & evocat; quædam etiam internum uſum ſubire poſſunt, devitatis tamen his, quæ validè veſicant, potenter enim urinam trahunt & menſes, partumque educunt, expectorationem promovent, catarrhalem collectionem ac pituitam lentam diſſolvunt & plura talia præſtant.

Collectio ad jam laudatam operationem præſtandam ſcilicet reſtingvendi & bilioſitatem evocandi pertractanda eſt Sole morante in Tauro, lunâ verò in Geminis vel Cancro atque in ejus quadratura ultima, antequam floreant vel flores omnino abſolvant, ante Solis exortum. At ſi ad veſicandum & cauteriſandum expetantur, colligantur currente Sole in Cancro & lunâ in Leone, vel ſi vehementius rodere debeant, Sole Leoni & lunâ Virgini immorantibus paulò ante plenilunium, ac ſub ipſam meridiei toſtionem.

Præparatio hæc in his quæ interno uſui apta ſunt, obſervetur, quod prius ipſorum ſylveſtris uredo extrahi & corrigi debeat, quod fit ſuperfuſo ipſis vino meraco, & quo uredinoſior ejusmodi herba ſit, eò meracius & fortius vinum ſit neceſſe eſt, vel loco vini ex conſimili herba prius aqua deſtilletur, & alteri herbæ pro tali correctione ſuperfundatur, ac per noctem eadem in illa maceretur, vel ſi feſtinandum foret unâ vel alterâ ebullitione coquantur, tumque illud vinum vel aqua ſtillatitia decantetur, atque aliud reaffundatur, ac tum demum cum ſua convenienti additione decoctum ex ipſis paretur.

Additionem quod concernit, ſumuntur ex hoc gradu jam præparatorum partes tres, atque è quarto gradu Libræ vel Aquarii partes binæ, nec non una è tertio gradu Tauri vel Virginis, quæ commixta uſui accommodantur.

Uſus pro re nata varius eſt, ea enim, quæ in vino dicto modo correctionem ſuſcipiunt, ſalutariter intrò dantur ad ciendos menſes, diſcutienda vel rumpenda interna apoſtemata, vel cruorem extravaſatum & in alienis cavitatibus congelatum, mundandas vias urinarias, & ſimilia, in hiſce caſibus decocta eorum bibuntur, pulveresque ex ipſis parati in cibis & potu aſſumuntur, qui tamen ſemper è correctis his ſimplicibus parari debent, ut prius ſuam acredinem adventitiam in vinum affuſum deponant, vinum autem abjiciendum non eſt, ſed ad eosdem uſus deſtillari poterit, in deſtillatione enim plerunque omnis ejusmodi acredo evaneſcit, vel in fundo vaſis

deſtillatorii remanet, ita ut tale vinum deſtillatum vel aquæ ipſorum ſtillatitiæ ſine metu bibi poſſint; quæ verò exterius ad veſicandum vel cauteriſandum uſualia ſunt, etiam diverſo modo adhibentur, cantharides enim fermento prius miſcentur, naſturtium verò ejusque ſemen ſpiritu vini impaſtantur, ranunculus unà cum radice, herba verò venti & reliquæ absque radice uſum cauſticum ſubeunt.

De ſimplicibus quarti gradus Leonis, eorundemque operatione ſpeciali.

Sub hunc gradum pertinent ſequentia: ſcilicet ſpartium cum omnibus Pfriemen mit aller Subſtantz; arbor betulæ cum tota ſubſtantia, der Birckenbaum mit Allem; laurus cum toto Lorbeerbaum mit gantzer Subſtantz; ſalix major viminalis die groſſen Bandweiden; calx viva recentiſſima friſchausgebrennter lebendiger Kalck ſo nicht gelöſcht iſt; buxus Buchsbaumholtz; radices vitis annoſæ alte Weinſtockswurtzeln vom weiſſen Wein; hederæ arboreæ lignum Epheuholtz; clematis Lehnen oder Waldreben; caules cannabis Hanffſtengel; lignum agrifolii Stechpalmholtz.

Vires harum rerum ſunt, quod ſpiritu cholerico omninò ſint exutæ, ac mera craſſa ſubſtantia materialis ſuperſit naturæ alcalioſæ & cauſticæ, proinde hæc ſimplicia nullatenus valent pro interno uſu, ob nimiam eorum corroſivitatem & bilioſam ſubſtantiam, at ſi pro externo uſu per deſcenſum in olea deſtillentur, quemadmodum more communi è ligno juniperi oleum deſtillatur, tunc miræ ſunt efficaciæ ad perſananda ulcera obſtinata; pleraque etiam eorum omnibus aliis citius corrumpuntur, eam ob rationem, quod admodum ſint poroſa, & naturæ igneæ, quum autem aër frigidus per apertos eorum poros facilè in ſubſtantiam ingrediatur, frigiditate ſua eorum caliditati contrariatur, eaque ad corruptionem perducit, ſive herbæ ſint, ſive arbores. Cæterum quum omnia ſint calidæ & igneæ naturæ, ſuâ igneitate veneficiis, præſertim autem ligatæ virilitati ſeu impotentiæ per incantamenta introductæ adverſum eunt, eamque diſſipant, diſſolvunt & annihilant, omnia enim maleficia & opera Sathanica non niſi à tenebris & Saturnina frigiditate proficiſci poſſunt, quemadmodum ergò ignis flammans tenebras illuminat & diſſolvit, ita ut oculi ferè ac in die in ipſis videre poſſint, ita ejusdem proprietatis eſſe ſimplicia ignea neceſſum eſt, ut nimirum ejusmodi præſtigias & ligationes Saturninas fundant & diſſolvant. Ajunt enim maleferiatos attendere, ubi is quem impotentem reddere percupiunt, ſuam urinam in aliquo angulo emittere ſoleat, reddito ergò lotio ipſos mox adeſſe, & illo in loco, ubi urina in terra ſtagnet, confectum è ligno Saturnino ſcilicet quercino, vel prunellino ſeu de prunellis ſylveſtribus paleolum ſeu clavum in urinam etiamnum tepentem ipſamque terram

ram intrudere, pedibusque penitus inculcare, donec paleolus non amplius cerni poſſit, unde protinus is, cujus urina ſit, ad exercendam venerem planè fieri impotentem; ligna autem ſeu arbores & frutices prioribus contrariantes ſeu calidiſſimæ naturæ exiſtentes, uti ſunt, betula, laurus, ſpartium, &c. hæc ludibria iterum diſſolvere, ſi nimirum æger ex tenerioribus earum ramuſculis, viminibusve faſciculum colliget in modum ſcoparum in eumque inverſum, ſeu ramuſculorum apices ſurſum verſos urinam ſuam emittat, ut per dictos ramuſculos & caudicem ſcoparum ad terram defluat, ita enim uno inſtanti faſcinum fore diſſolutum.

Collectio ad exurendum oleum quidem parum refert quo tempore inſtituatur, ſemper enim igne exprimente ferè æquale oleum ſtillant, colligi tamen poterunt, ut jam dicetur; ad abigendum verò faſcinum commodiſſimum fore exiſtimamus tempus matutinum aurorale, tum enim ſumma virtus Jovialis veneficiorum præcipuus antiluctator condominatur, & ita virtutem antiſaganicam neceſſariò augebit.

Præparatio vulgaris & ipſis ruſticis uſitata eſt, quod interiores & ſucculentiores harum rerum cortices menſe Januario ad finem tendente, vel principio Februarii, vel tempore Aprilis deglubantur, atque in umbra exſiccentur; quo facto ingens olla duodecim circiter menſurarum Auguſtanarum capax iisdem impletur ad ſupremum usque, deinde rotunda lamina ferrea ad magnitudinem ollæ parata, & undique foraminibus magnitudinem lentium æquantibus pertuſa margini ollæ inaptatur, & luto ſapientiæ firmiter agglutinatur, & ſiccari permittitur, poſtmodum alia olla priori magnitudine reſpondens, & in cujus marginem prior intret, in terram usque ad marginem infoditur, priorque olla inverſa margini poſterioris inoſculatur, ut ambo margines conjungantur, ubi tum pari modo luto combinantur, commiſſuraque optimè oblinitur, & ſicceſcere permittitur; tandem verò circum ollam ſuperiorem ignis circularis eminus ſtruitur, ita ut circumcirca ignis tribus ſpithamis ab olla diſtet, elapſo autem horæ ſpatio ignis propius admoveatur, nondum tamen ollam attingens, tertiâ verò hora ab ignis ſtructura is demum ollam omnino contingat, & per horam dimidiatam modicè percandefaciat, ut omnis oleoſitas è corticibus exprimatur, quæ per foraminula laminæ interjectæ in ollam inferiorem vacuam ſtillat; tum denique omnem remove ignem, ac ollam prorſus refrigerari ſinito, demumque lutum cautè ſepara, ne quid ejus in inferiorem ollam in oleum decidat; oleum hoc nobile in vitrum mundum evacua, & in ſole aliquandiu ſtare permitte, ut ferior ignis impreſſio exſpirare queat.

Deſtil- andi nodus er de- cenſum nti- uus..

Ad hanc normam exuritur oleum è corticibus betulæ, ramorum & radicum lauri, ex integris ſe-

gmentis ligni buxi, & ſalicis majoris viminalis, pluribusque aliis.

Recentiorum deſtillatio per deſcenſum.

Chymici verò neglecto hoc modo deſtillationis antiquo & laico aliam viam compendioſiorem excogitarunt; accipiunt enim duas retortas vitreas ampla colla habentes, ut ſegmenta corticum & ligneolorum promptè indi poſſint, quibus luto undique loricatis & reſiccatis lignum in meras particulas ſciſſum vel raspatum injiciunt, alterutramque retortam in capellam vacuam furni deſtillatorii ſuper margine fractæ cujusdam ollæ collocant, ac capellam operculo tegunt, ut calor intus maneat, & undique retortam feriat, & ſic brevi omne oleum exſpirat in appoſitum vas recipiens, & ubi nil amplius exſtillat, retortam è capella tollunt, & alteram impletam reimponunt, & deſtillationem continuant, priorem interim ab exuſtis ligneolis evacuantes, & recentibus denuo implentes, donec ſufficientem olei quantitatem nacti ſint, ſtillantq; hoc modo lignum corylinum, buxinum, guajacum & alia, item olea communia expreſſa, nimirum lini & alia, addito tamen pulvere quodam ſicco ebullitionem olei impediente, cujusmodi eſt caput mortuum vitrioli, lateres triti, cineres elixiviati, ſal culinarius & ſimilia, eodem quoque modo deſtillari poteſt ſulphur commune in oleo lini vel alio prius per coctionem diſſolutum, & capiti vitrioli mortuo imbibitum, ſed ingentem ſpirat fœtorem, & aliquoties rectificandum eſt, antequam è ſua ſubſtantia butyracea in oleiformem redigatur; item cera, ac oleum olivæ, in quo lateres igniti reſtingvuntur, ut in ſuam poroſitatem oleum ſorbeant, qui deinde comminuuntur, & hac ratione è retorta capellæ vacuæ illocatâ deſtillantur, plurimaque alia pingvia & oleoſa conſimili methodo deſtillari poſſunt, ubi ferè ſemper exſtillans oleum planè igneum fit & alcalioſum ab affuſis enim acidis tumultuatur inſtar calcis vivæ vel cineris tartari, & adnumerandum eſt quarto gradui Leonis.

Huic quoque loco aſſignari posſunt liquores è quibuslibet ſalibus deſtillati, qualia ſunt ſal petræ, vitriolum, alumen, ſal communis, ſal gemmæ, ſal armoniacum, quamvis enim talia corpora ſalina nil verè oleoſi & pingvis habeant, neque etiam in ſua ſubſtantia huc pertineant, ſpiritus tamen ex illis proliciti maximè ignei ſunt, & urendo operationem ipſius ignis flammantis quodammodò præſtant, imò quidam ex hisce liquoribus reipſa incendunt, & flammam actualem producunt, oleo enim ut vocant vitrioli ſuperfuſo rectificato ſpiritu vini, illicò ſpiritus vini concipit flammam, ardetque usque ad conſumptionem, item ſi particula lanæ imbuatur una vel altera gutta olei ſuccini, ac poſtmodum etiam aliquid dicti olei vitrioli adſtilletur eidem lanæ imbutæ, momentaneè flammaliter ardet; at diverſo modo præfata ſalia deſtillationi ſubjiciuntur, ſalipetræ enim æqualis portio calcinati vitrioli additur, vel triplum alicujus

cujus ſicci pulveris, ſcilicet laterum, vel terræ figulinæ, vel dimidium aluminis calcinati, & ita ſenſim ex retorta laricata deſtillatur, datque ſpiritum omnium acerrimum, qui vocatur ſpiritus nitri, & colore ex atro rubicundo tranſcendit, additione tamen vitrioli vel aluminis calcinatorum tranſſtillans ſpiritus aqua fortis nuncupatur, ſolvitque argentum, cuprum, argentum vivum, ferrum, chalybem, & ſtannum, plumbum verò ſi ſolvere debeat, neceſſe eſt dimidium vel plus aquæ fontanæ adjicere, ſolum autem aurum non attingit, aſt ſi quarta ejus pars ſalis communis vel ſalis armoniaci in eâ ſolvatur, vel à ſale communi vel gemmæ ſaltem ſemel deſtilletur, tunc aurum promptè ſolvit, & argentum illæſum relinquit, vocaturque tum aqua regis & chryſulca. *Sal maris* verò vel *gemmæ* miſcetur tribus, quatuor, quinque vel ſex partibus boli armeni ſaltem ita in ſicca forma eadem conterendo, & deſtillatur ex ipſo ſpiritus igneus percupidè ſolvens aurum, argentum verò integrum relinquens, alii tamen ſalem prius ſolvunt taleolis raphani adjectis, & poſtea alicui terræ liquorem impaſtant, formantque inde globulos, quos in umbra ſiccatos ex retorta ignis tortura pellunt. Vitriolum tam viride quàm cœruleum prius evaporatur ad ignem vel calorem ſolis, donec ſuperflua humiditas evaporarit, tuncque duplici modo deſtillatur, uno, addendo ipſi æqualem partem ſalis petræ, & deſtillando tum ſpiritum geminum in appoſitum vas recipiens, in quo tantum ſit aquæ communis, quantum vitriolum in calcinatione humiditatis amiſit, ubi ſpiritus is duplex prodiens aqua fortis appellatur; altero ſine ulla additione, indendo nimirum ſaltim vitriolum calcinatum retortæ Waldenburgicæ, vel alii ignem tolerantis, atque per plures dies fortiſſimo igne ſpiritum in receptorium magnum adlutatum urgendo, qui ſpecie nebulæ lacteæ confertim tranſit, una cum guttis rubris, quæ ſeorſim colligi, vel demum abſtracto ſpiritu albo in fundo in forma olei ponderoſi ex nigro puniceı obtineri poſſunt, oleum tamen commemorato ſpiritu longè acrius eſt; ejusdem ferè cum illo virtutis ſpiritus ex incenſo ſulphure communi confit, quando nimirum fumus ipſius flammæ ardentis excipitur, qui in liquorem acerrimum reſolvitur, atque oleum ſulphuris per campanam vulgò vocitatur. *Alumen* quum ſit ſpecies quædam vitrioli, per ſe deſtillatum quoque ſpiritum edıt cum ſpiritu vitrioli convenientem, & ad urendum ignavum, at ſi alumini calcinato portio nitri addatur, vera aqua cauſtica ſeu fortis metalla ſolvens inde emergit. *Sal armoniacum* duplicem in ſe ſpiritum vehit, alterum acidum, alterum urinoſum. acidus difficilius paratur impaſtatione ſoluti in aqua ſalis armoniaci cum argilla, inde faciendo globulos, vel immerſione laterum ignitorum, ac per retortam deſtillando, urinoſus verò admiſtione calcis vivæ recentis, vel ſalis

Marginal notes (left): Aqua fortis. — Aqua regis. — Spiritus ſalis marini & gemmæ. — Spiritus & oleum vitrioli.

Marginal notes (right): Oleum ſulphuris per campanam. — Spiritus aluminis. — Spiritus ſalis armoniaci.

ſalis tartari, alteriusve rei lixivialis, qua aciditas ſalis armoniaci ſaturari poſſit, unà cum aſperſione humiditatis cujusdam, ut ſalia ſuſcitentur, & deſtillando leni calore per alembicum, proditque copioſus ſpiritus lixivialis fugaciſſimus, uterque ſpiritus igneus eſt, acidus quidem igneitate flammarum ignis, quæ ſemper acidæ ſunt, alter igneitate ſalis cinerum, quæ ſemper lixivialis exiſtit.

Butyrum antimonii. Huc etiam referri poteſt *butyrum antimonii*, ſeu liquor ſpiſſus & ponderoſus, ex mercurio ſublimato & antimonio invicem tritis deſtillatus, qui in frigore concreſcit inſtar glaciei, in calore funditur & oleoſus aſpectui apparet, ſed pari modo nil veræ pingvedinis ipſi ineſt, at igneitatem ſuam ſpiritui ſalis & vitrioli acceptam fert, quando enim mercurius à ſale communi & vitriolo calcinato ſublimatur, eorum ſpiritus ſalinos volatiles ſecum ſurſum rapit, & ab ipſis calcinatur in pulverem niveum adeò igneum ſeu corroſivum, ut ferrum & chalybem citiſſimè penitus diſſolvat, in commixtione verò cum pulvere antimonii iſti ſpiritus ſalini mercurium dimittunt, & antimonium naturæ ſalinæ propinquius arrodunt, & ſecum in deſtillatione transvehunt in liquorem ſpiſſum planè igneum, ita ut carnem & cutem perurat, & loco potentis cauterii inſerviat. Liquores hi cuncti planè ignei ſunt, & per ſe absque pernicie intrò dari nequeunt, aſt in aliis vehiculis ferè cujuslibet guttæ aliquot pro vice aſſumi queunt, tumque ſtomachum mirè roborant, langventem appetitum excitant, æſtum febrilem reſtingvunt, putredini reſiſtunt, obſtructiones reſerant, calculoſam accretionem ſenſim atterunt, vias urinarias abſtergunt, ſtranguriam atque alia urinæ incommoda tollunt, exterius ad cauteriſandũ & eſcharas inurendum inſerviunt, bubones mox perſcindunt, verrucas & clavos abſumunt, cariem oſſium celerrimè abradunt, gangrænam ſiſtunt, & plurimi uſus ſunt, modò quis legitimè adhibere ea norit

Mercurius ſublimatus.

Additionem ſuperioris per deſcenſum parati olei quod attinet, ea hoc modo concinnanda eſt: ℞. præfati olei è corticibus betulinis vel alterius deſtillati tres partes ſeu tres lothones, è tertio vel quarto gradu Aquarii herbæ conſolidæ mediæ, vel agrimoniæ, vel alchimillæ, vel mumiæ pulveriſatæ duos lothones, è tertio vel quarto gradu Virginis ariſtolochiæ longæ, vel tormentillæ, vel nicotianæ unam partem ſeu lothonem, fac ex hisce addendis pulverem, eumque oleo immerge, habesque nobiliſſimum balſamum ſiccativum & conſolidativum.

In defectu autem ſuperiorum oleorum herbarumve non minori cum fructu conſimile quid parari poteſt ex liquoribus igneis ſalinis paulò ante commemoratis, qualiscunque eorum ad manus ſit, exempli gratia: cape ex hoc gradu ſpiritus nitri, vel aquæ fortis vel chryſulcæ, vel butyri antimonii, partes tres verbi gratia uncias duodecim probè rectificatas, ex Aquario olei chamomillæ

millæ partes duas ſeu uncias octo, & ex Virgine olei roſati partem unam ſeu uncias quatuor, infunde liquorem igneum vitro anguſti oris, ac deinde mixta olea modeſtè ſuperfunde, ut liquori igneo ſupernatent, impone vitrum cum oleis & ſpiritu igneo arenæ calidæ, augendo furni calorem, ut vitrum cum liquoribus ſenſim magis ac magis incaleſcat, demumque aliquantulum ebulliat, vel jam jam ebullitionem minetur, & ſpiritus igneus furſum à calore vectus à ſupernatantibus oleis capitur, eaque ab ipſo incraſſantur, & in rubeam ſubſtantiam balſamicam percoqvuntur, quam ab aqua ignea ſepara; in defectu præfatorum oleorum, locum eorum alia quævis nempe papaveris, nymphææ vel aliud, imo vel ſaltem oleum commune ſuppleant, nihilo ſecius enim laudabile balſamum ulcerarium exinde fiet, at liquor igneus benè rectificatus nempe ſpiritus nitri, qui reliquis præſtat, vel alius prædictorum ſemper adeſſe debet, quibus tamen deficientibus intra duas horas ſpiritum nitri deſtillare poteris, modo vas recipiens ſat magnum tibi ſuppetat, in quo ſic procedendum; Habeas in promptu retortam terream in tergo tubulatam, vel ſi deſit tubulus, ipſus eam pertundas aliquo inſtrumento ferreo, ut acquirat in tergo foramen exiguum; retortæ huic immitte duas vel tres libras puriſſimi nitri, ac retortam unà cum nitro furno deſtillatorio incamera, ita tamen ut tubulus à tergo promineat, & injectioni per illum locus ſit, tum ſtrue ignem tam validum, ut nitrum ſaltem liqueſcere poſſit, vas recipiens cum particula alicujus aquæ quidem collo retortæ firmè adluteetur, parvum tamen foraminulum apertum relinquatur, ipſique ligneolum inaptetur, quo foraminulum poſſit obturari claudique, & extracto ligneolo rurſus aperiri, ante ſingulas autem injectiones ligneolum extrahe, & ſedatis ſpiritibus importunis foraminulum iterum claude; quum ergo nitrum jam fluere in retorta conjecturandum fuerit, injice per tubulum fruſtulum ſulphuris communis inſtar piſi majoris vel dimidiatæ fabæ, ardebitque in retorta, & ſpiritus nitri copioſos in receptorium propulſabit, ita ut per apertum foraminulum aura ſibilans efflaverit, qua reticente foraminulum claude, & etiamnum expecta, donec major pars transgreſſorum ſpirituum ſedata fuerit, tum iterum aperi foraminulum, & denuò fruſtulum ſulphuris injice, idque continua, donec nil amplius ſpirituum egrediatur, tunc ſpiritum nitri habes adhuc ſemel tamen deſtillandum ſeu rectificandum, quod autem in retorta manſit, pro lapide prunellæ inſervire poterit.

Deſtillatio breviſſima ſpiritus nitri.

Uſus ſuperioris olei correcti eſt ad ulcera obſtinata, ut impoſitione hujus olei mundentur & detergeantur à putrefactiva malignitate, imponitur ergo iſtud intinctis in illud panniculis lineis, accipiuntur etiam corticum arborum hujus gradus 6. partes, herbæ alicujus è quarto gradu Aquarii 4. partes, & cujusdam è

quarto gradu Virginis 2. partes, ex his commixtis fit pulvis inſpergendus ulceribus manantibus, inſperſoque pulveri intinctum prædicto oleo linteolum ſuperimponatur.

Pari modo quoque balſamus ulcerarius linteolis ulceribus pravis imponitur, omnemque corroſivitatem abſtergit mundificat & ſanat. Utrobique enim par ratio eſt abſtergendi & mundificandi, in oleo enim per deſcenſum parato una cum pingvedine etiam acredo ignea à vi ignis introducitur, quæ poſtea ulcera mundificat, in altero balſamo ulcerario ejusmodi acredo à ſpiritu igneo inſpiratur, in utroque ergo æqualem virtutem abſtergendi & ſanandi eſſe neceſſum eſt.

TRACTATUS VII.

De triplicitate tertia ſcilicet phlegmatica, ejusque ſignis nimirum Cancro, Scorpione ac Piſcibus.

DEcurſis jam ſignis meridionalibus ſudoriferis & urentibus, conferimus nos ad veſpertina refrigerativa & humectativa & noſtræ ſiticuloſitatis à ſqualore meridiano illatæ reſtinctiva, ſigna hæc reſpondent tertiæ diei parti videlicet veſperæ & ætati hominis conſiſtenti, competit quoque ipſis tractus mundi occidentalis, unà cum vento car dinali ab occaſu ſpirante, ſcilicet zephyro, item Elementum aquæ, & tertia anni pars, nempe autumnus nec non temperamentum phlegmaticum, omnesque morbi & affectus pituitoſi & humidi, præſertim autem hydropis ſpecies omnes, excepta tympanitide, item inflationes, œdemata, aſthma humidum, catarrhi, præſertim ſuffocativus, febris quotidiana, lienteria, diarrhœa, cæliaca paſſio, gonorrhœa, ſterilitas, fluor uterinus, rupturæ, uteri procidentia, cachexia, ſuffocatio uterina, fiſtulæ & ulcera manantia, item herbæ & ſimplicia frigida & humida, & quæ ſaporem aquoſum, dulcedinem dilutam, acidulam, vel inſipidam edunt. Præſidet autem triplicitati phlegmaticæ Luna, atque etiam Mercurius, qui omni humiditati & rerum ſuccis dominantur, ac perpetuò inclinant excitare ventorum occidentalium procelloſos flatus, turbines, inundationes, imbres, pluvias, agrorum & pratorum ſubmerſiones, aliaque, quæ iſtis planetis humidis & turbulentis prædominium exercentibus, ventisque occiduis diu flantibus, ſequi ſolent, ſcilicet merus humiditatis exceſſus, qui ferè ſemper flatum diutinum zephyri ejusque collateralium comitem habet, ita ut fas ſit ſuſpicari diluvium olim ab occaſu, ejus diſcuſſionem verò ab euro proveniſſe.

De primo ſigno phlegmatico, ſcilicet Cancro, ejusque proprietate & dominio generali.

CAncer eſt ſignum triplicitatis phlegmaticæ primum, harmoniacum & ſpirituoſum, in quo Sol menſe Junio currit, illudque ingrediens Solſtitium æſtivum efficit, metamque extremam curriculi ſui latitudina-

tudinalis, quæ vulgò tropicus Cancri nominatur, eſtque ſignum Mercuriale phlegmaticum, frigidum & humidum juxta naturam aquæ, præſidens tempori veſpertino initiali, quo tempore latus Domini noſtri jam mortui lanceâ perfoſſum eſt, & effluxit ſangvis & aqua, ſcilicet ſub dominio hujus ſigni aquatici, quo fortaſſis ſpatio etiam die præcedente Apoſtolis cœnam paſchatis paraturis amphora aquæ prælata eſt ad ædes usque quas quærebant; Præeſt Cancer quoque tractui occidentali, unde africo favonius flare ſolet, nec non colori hyacinthino, atque ex flavo pallido, ſapor ipſius dulcedo eſt phlegmatica aliquantulum ſalſa & mucoſa, phlegma enim ubique pituitam lentam & lubricam ſuccis phlegmaticis indit, cujus ergò plerunque alvum laxant, ob lubricam eorum ſubſtantiam, qua ventriculum & inteſtina relaxant, oleoſa verò & ſulphurea ejusmodi ſimplicia non ſunt, ſed mercurialia, ſeu plurimo ſucco phlegmatico unà cum pauco ſale turgida, ac proinde odorifera & fortiter fragrantia eſſe nequeunt, fortis enim odor ab oleoſitate ſulphurea venit, non tamen odoris omninò expertia ſunt, eo quod Cancer eſt ſignum ſpirituoſum apertum, ubi aura facilè exhalare poteſt. Frigiditas tamen hic prædominans odorem plerunque captivum tenet, niſi calore Solis vel artificiali exhalatio ejus magis excitetur. Cæterum cum Cancer ſit ſignum frigidum & humidum in ſpiritu, idcircò ſimplicia ejus plus ſpiritualiter quàm materialiter refrigerant & humectant, ac ſimul prædita ſunt ſalſedine ſubtili & penetrante, quæ ſua penetratione humiditatem lubricantem eorum introrſum in profundum vehit, ubi ratione ſalſedinis latitantes durities & coagulationes incidunt, ratione verò humiditatis lubricantis mollificant, & ita demum penitus eas diſſolvunt, mirè ergò valent ad emolliendum, & disſolvendum quemlibet calculum, arenam, coagulationem tartaream, nodos, tenacesque lentores & viſciditates.

De partibus corporis Cancro ſubjectis, ejusque antipathia.

SPiritui Cancri ſubeſt ipſum cerebrum, & quicquid ab eo originem trahit, ſcilicet ſpinalis medulla, nervi, tendones, ligamenta, cartilagines, totumque genus venoſum album, cum ſuo ſucco glareali; item pulmones, thoraxque nec non orificium ſtomachi ſuperius, itemque oculi, ut & vaſa lymphatica, glandulæque totius corporis phlegmaticæ, quas moderni anatomici diſtingvunt in conglomeratas, & conglobatas intusque cavatas, quarum præcipuum uſum eſſe exiſtimamus, ut per totius corporis ſuccum lymphalem omnem ſaporem ſalſum & acrem fermentent in dulcedinem inſipidam, nam etſi homo quilibet ſalem cibarium quotidiè in omnibus cibis liberaliter comedat, atque is quoque in omnibus liquoribus adeò penitiſſimè ſolvatur, ut per

omnia filtra cum iisdem percoletur, nihilominus tamen ne tantillũ ſaporis ſalſi in ſaliva oris, per quod tamen quotidiè ingeritur, deprehendi poteſt, ubi interim urina ſalſiſſima eſt, probabile itaque eſt, glandulas in ſucco corporis lymphali omnem ſalſedinem per fermentationem transmutare in ſaporem inſulſum, aliàs enim fieri non poſſet, quin ſal in tam tenui & claro liquore ſolutus per totum corpus cum illo feratur, at planè nil ſalſi nec guſtu nec evaporatione lymphæ advertitur, ſequitur ergò quod fuerit in dulcedinem transmutatum, id quod etiam maximè neceſſarium erat, cuncta enim organa in continuo motu verſantia liquore quodam vel tenui ungvento lubrico, lubricanda ſunt, ne motus ob ariditatem inhibeatur, cum ergò lingva, oculi, articuli, cordis pulſus inceſſanter moveantur, perpetua lubricatione opus habent, cui uſui iſta lympha glarealis, ſeu ſinovia apprimè inſervit, debetque omni carere acredine, ne mordendo calorem attrahat, eoque lympham acificet, & grumeſcere faciat, quo motus impeditur, prout in podagra videre eſt.

Antipathia verò Cancri conſiſtit in Sagittario, qui tam partium commemoratarum, quàm herbarum Cancro dicatarum adverſarius eſt, iſtasque herbas tempore ſui regiminis ſcilicet menſe Novembri vel ex parte, vel omnimodè flaccidas reddit, his exceptis, quæ in frigiditate perfectæ ſunt ut ſempervivum &c. quas lædere nequit, ſed in viriditate ſua tam æſtate quàm hyeme perennant; nec minus is dictas partes lædit Cancro ſubjectas, reſolvens eas ardore cholerico, unde ſal rodens naſcitur, à quo fiſtulæ & ulcera ſuſcitantur. Hisce itaque partibus abſceſſus vel ulcera patientibus adhibendum nil eſt, quod ſub Sagittarium pertineat, contrarium enim ipſis eſt, easque trahit ad putrefactionem, id quod in ſingulis triplicitatibus quoque obſervandum venit, ne nimirum quicquam ulli ulceri applicetur, quod è gradibus ſigni parti illi, in qua ulcus eſt, contrarii deſumptum ſit.

De ſimplicibus primi gradus Cancri, atque eorundem operatione ſpeciali.

PRimo gradui accenſentur: alſine, morſus gallinæ, Hünerdarm; gallion Megerkraut; flores ſalviæ, Salbeyblüt; braſſica Köhlkraut; braſſica capitata, Kappeskraut; anagallis flore albo & cœruleo, weiß und blau Gauchheilkraut; rapa adhuc tenera, junge weiſſe Rüben; fabæ herba tenera, jung Bonenkraut und Blätter; ranunculus inſipidus ſüſſer Hanenfuß; gramen vulgare dumetis increſcens, gemein Heckengras; carduus mariæ ſeu ſpina alba in prima teneritudine, junge Vehediſtel; ſcrophularia alba fluminibus innaſcens, weiſſe Braunwurtz ſo in flieſſenden Waſſern wächſt; herba tenera lentium, antequam floreant, junges Linſenkraut vor ihrer Blüt; lenticula paluſtris, collecta ante Junium, Meerlinſen vor dem Brachmonat geſamlet;

cinara ſeu ſcolymus in prima ejus teneritudine jung Strobildorn oder Artiſchock; lactuca adhuc tenera junger Lattich; folia nymphææ ante Junium collecta, Sehblumenblätter vor dem Brachmonat geſamlet; blitum in prima teneritudine decerptum junger Meyer.

Vires iſtarum rerum ſunt, quod mirâ virtute harmoniaca & ſympathica polleant ad ſuccurrendum partibus Cancro attributis, nimirum pectori, pulmonibus, atque orificio ventriculi, ſi iſtis locis inflammatio vel apoſtematio exoriatur, tum enim omnem æſtum potenter reſtingvunt, ſuppurationem promptè expediunt & læſionem ſanant; adhæc etiam panaritium ſeu digitorum abſceſſum quem paronychiam vocant, & intus vermiculum alere credunt, mortificant, inſigniterque emolliunt, Cancro quoque mammarum ſubveniunt; verum enim verò exterius tantummodò iſta ſimplicia adhibere convenit, interno enim uſui minus apta ſunt, eò quod materia eorum nimis ſit imperfecta.

Collectionis eorum convenientiſſimum tempus eſt in prima teneritudine & ſucculentiâ ipſorum, inter finem Aprilis & principium Junii, Sole nimirum in Tauro, Luna verò in Geminis, aut Sole in Geminis & Lunâ in Cancro exiſtentibus, tempore dominii ſignorum phlegmaticorum, ſcilicet inter horam tertiam pomeridianam usque ad horam octavam veſpertinam, at non ſerius, hisce enim horis quando Sol choleram ſuperavit, ſpiritus Cancri ſuis ſimplicibus potentem influentiam inſpirat ad præfatam operationẽ efficiendam. Eadem verò hæc Cancri ſimplicia, quando poſt menſem Junium colliguntur, non amplius ad Cancrum pertinent, ſed tum primum gradum Scorpii conſtituunt, ſeu iſtius gradus operationem adimplent.

Præparatio eorum conſiſtit in correctione ſuperflui phlegmatis, quo cuncta hæc abundant, quæ hujusmodi eſt, ut ſtatim injiciantur aquæ fontanæ recentiſſimè hauſtæ, in eaque una vel altera ebullitione coquantur, modeſtè tamen, ne eorum ſubſtantia lædatur, ſeu per nimiam coctionem penitus exhauriatur, quo facto confeſtim ab addita aqua prorſus exprimantur, jam enim ſuperfluum phlegma in iſtam aquam depoſuerunt, & externæ applicationi inſerviunt, braſſicæ quoque ſpecies in hunc modum paratæ ut & aliæ hujus gradus herbæ oleraceæ nunc ſalutare olus exhibent, ſi abjecta hac prima aqua correctoria, alia recens reaffundatur, coctioque ulterius compleatur; ad uſum autem medicum externum etiam hac correctione non egent, ſi maturè ante Junium colligantur, ſed tantummodò ſequenti

Additione hac ulterius ad præfatam operationem habilitantur, ſi accipiantur præfatæ maſſæ herbaceæ parumper excoctæ partes tres, è primo gradu Tauri, qui ſalem attractivum ipſis impertit, partes binæ, atque è primo gradu Libræ penetrationem & temperaturam ipſis largientis,

entis, impedientisque ne fortè venis ſangvinis noxa quædam inde exurgut, pars una, hæc invicem commixta in ſucculentam pulticulam contunduntur.

Uſum quod attinet, applicatur hoc cataplasma tepidè cancro mammarum, vel ſi orificium ventriculi æſtu affligeretur, ſupra foveam cordis absque alia adjectione, at ſi abscesſus vel ſuppuratio quædam emollienda foret, tum etiam pingvedo quædam huic mixturæ attemperari debet, ſcilicet butyrum Majale, vel oleum vetuſtum, pro panaritio verò maſſa hæc albumine ovi impaſtatur.

Panaritii remedium.

De ſimplicibus ſecundi gradus Cancri, eorundemque operatione ſpeciali.

SUb hunc gradum pertinent ſequentia: nempe folia mali tenera, nec non flores & viſcus ejus jung Apffelbaumlaub / Blůt und Miſtel; item folia tenera pyri, flosque ac viſcus jung Birnbaumlaub / Blůt und Miſtel; folia populi nigræ tenera ac flores nec non viſcum jung Aſpenlaub Blůt und Miſtel; folia juvencula nec non viſcus ſalicis jung Weidenlaub und Miſtel; item quicquid pinus profert, ſcilicet gummi cum conis, viſco & ſucco ex ipſis expreſſo Alles was am Fichtenbaum zu finden / als Laub / Zapffen / Hartz / Safft / Miſtel; item viſcus abietis ejusque reſina Tannemiſtel und weiſſes Hartz; oxyacanthæ folia juvencula, flores, viſcus & quicquid in ipſa immaturum eſt Hagdornblůt / junges Laub / Miſtel und all ſein Unzeitiges; trifolium acetoſum, alleluja Saurklee; gummi tragacanthum ein Hartz alſo genannt; omnes piſces fluviatiles & piſcinales, cum carne axungia & tota ſubſtantia alle Fiſche die in Flüſſen und Bächen ſich enthalten/mit allem Zugehör / als Schmaltz und Fleiſch; albumen ovorum Eyerklar; medulla taurina & bovina recens friſches rindern Marck.

Vires iſtarum rerum ſunt, quod plus aliis ſimplicicibus, quæ in triplicitate phlegmatica habentur, emolliunt & reſolvunt, poſſuntque ex ipſis concinnari balſama & compoſita remollitiva in ſupremo gradu, quæ exterius applicata vel illita in profundum penetrant, omnemque membris vel juncturis quibuslibet impactam duritiem vel congelationem reſolvunt, emolliunt, perterebrant, & discontinuant, ſive ſit calculus, vel arena, nodus, ſcirrhus vel qualiscunque induratio, idque tam potenter, ut à nullis aliis rebus ſuperari queant, at non niſi pro externo uſu valent, nec intrò dari debent.

Collectio viſcorum commodiſſima eſt Sole morante in Piſcibus, Lunâ verò in Ariete, tempore matutino, quæ verò tum temporis nondum progerminarunt, captanda ſunt ut ſuperiora.

Præparatio & *additio* tales præmittantur: accipiantur ex hoc gradu tres partes, atque ex ſecundo gradu Tauri binæ partes, & una portio è ſecundo Libræ, hæc in recenti ſucculentia ſumpta optimè invicem contun-

contunduntur in pulticulam mollem, addendo ſimul nonnihil axungioſi uti ſunt butyrum Majale, adeps porcinus, oleum commune vetuſtum & ſimilia, quatenus affectus pingvedinem ſuffert, quibusdam enim omnia pingvia ſunt inimica, ſcilicet abſceſſibus phlegmaticis & ſangvineis, quo in caſu pingvedini alius ſuccus eſt ſubſtituendus, ex. gr. vinum & aqua æqualibus partibus, vel quod melius eſt, viſca hujus gradus quæcunque placent colligantur quatuordecim diebus ante ſolſtitiũ hyemale vel æſtivum, quibus conquaſſatis vel contuſis mox à collectione, & cucurbitæ vitreæ immiſſis ſuperfundatur vinum album rhenanum vel aliud generoſum ad eminentiam aliquot digitorum transverſorum, tumque cucurbita alembico cæco muniatur, & undique in commiſſura claudatur, ne materia reſpiret, & factæ foveæ in fimo equino imponatur, in eaque ſervetur ad minimum per integrum menſem, ut per digeſtionem materia recludatur, quæ ideò ſi occaſio permittat, continuari poteſt à ſolſtitio collectionis usque ad alterum, ſcilicet per ſemeſtre ſpatium, deinde verò vinum hoc imprægnatum deſtillatione transvocetur, talisque eſſentia ſtillatitia poſtmodum loco pingvedinis recentibus contuſis ſimplicibus impaſtetur, & obtinebitur mixtura indicibilis virtutis ad reſolutiones jam laudatas expediendas.

Uſus eſt ad leniendum, maturandum, emolliendum & mundificandum abſceſſus & ulcera, in ſummo gradu, ſi indies ejusmodi cataplasma renovetur, omnem enim immunditiem, & accidentalem peregrinam pravitatem extrahit, poſſunt quoque ex iisdem ſimplicibus & eorum corticibus pulveres parari & inſpergi, inſerviunt etiã decoctioni in vino & aqua pro fomentatione & eluitione ulcerum, internus autem eorum uſus evitetur. Exempli gratia capias ex hoc gradu viſci oxyacanthini, vel populini ſeu populi nigræ partes tres, baccarum halicacabi partes duas, è Libra herbæ juvenculæ althææ vel malvæ unam partem, contunde hæc ſucculenter, & ſi natura ulceris fert, adde non nil adipis, & commiſce ea in cataplasma indies bis renovandum, purgabitque ulcus, mollificabit & mitigabit ut nihil ſupra, quod ſi ulcus inde vel minimum fœteret, tunc omitte pingvedinem, non enim eam ferre poteſt, & ejus loco miſturam laudatam vino & aqua vel expreſſo horum ſimplicium ſucco contempera, vel ſi obſtinata durities ſcirrhoſa adſit vel nodus, præfatam deſtillationem inſtitue, vel vinum cum ipſis per ſex menſes digeſtum absque deſtillatione ſolummodò decanta, eoque cataplaſmata inſucca.

De ſimplicibus tertii gradus Cancri eorundemque operatione ſpeciali.

SImplicia hujus gradus in tres claſſes diſtingvuntur, quarum una ad potiones internas expulſivas, & vulnerarias ſervit; altera ad externam conglutinationem & conſolida-

ſolidationem vulnerum venarum & nervorũ, nec non aquas ophthalmicas, item ad extractionem rerum infixarum, nempe ſpinarum, aculeorum & feſtucarum, refirmationem articulorum dislocatorum &c. tertia ſuperfluè humida & aquoſa continet, quorum uſus eſt ad ſedandam ſitim, reſtingvendum æſtum & ſimilia.

Primæ claſſis ſimplicia ſunt: apium Epfich oder Waſſerepfich; petroſelinum ejusque ſemen Peterſilien oder Gartenepfich und deſſen Samen; folia pini eorumque ſuccus Forenbaumlaub und Safft; gramen paluſtre Waſſergras; naſturtium vulgare juvenculum gemeiner junger Brunnkreß; anagallis aquatica Waſſerbungen; ſalix ſaxatilis Steinweiden; ſalix rubra rote Weiden; ſalix rubea viminalis rote Bandweiden; fragum Erdbeer; berberis ejusque folia & fructus Erbſelenſtrauch / Laub und Beer; ſaxifraga alba & rubra weiſſer und roter Steinbrech; digitalis major & minor groß und klein Fingerhütleinkraut/oder Waldglöcklein; milium ſolis Meerhirſen; hæc dant ſpirituoſas internas potiones.

Secundæ claſſis ſunt: oſſicula lucii pulveriſata gepulvert Hechtbein; fungi ſambuci pulveriſati Holderſchwämme gepulvert; pulvis viſci pini Fichtenmiſtelpulver; pulvis ardeæ combuſtæ Reyer zu Pulver gebrannt; cannæ ſpecies omnes alle Rohrkräuter und Wurtzel; gladiolus ſegetalis braun Schwertel; junci ſpecies omnes alle Binſengeſchlecht; gnaphalium Ruhrkraut; ſpatula fœtida Wantzenkraut; euphraſia Augentroſt; narciſſus Narciſſenblumen; oculi cancrorum nempe menſe Junio ſpontè exeuntes die Krebsaugen/ ſo im Brachmonat von ſelbſten herauskommen; margaritæ pretioſæ quò vetuſtiores, eo efficaciores die edlen Perlen je älter je beſſer; ſubſtantia alba pellucida matris perlarum die weiſſe durchſcheinige Subſtantz der Perlenmutter; pars alba ſplendida concharum das weiſſe Glitzende der Muſcheln und Meerſchneckenhäuslein; vitriolum album Galitzenſtein; vitriolum viridiſſimum Hungaricum der grasgrüne Ungariſche Vitriol; tutia, cadmia præparata Augennicht; flores zinci, ſublimirte Blumen von Zinck; ceruſſa, Bleyweiß; lithargyrium Glette; item nervi ex ipſis animantibus vivis exciſi & in umbra exſiccati, die Sehnen der Thiere lebendig aus ihnen ausgeſchnitten und im Schatten gedörret; item ipſum cranium humanum ſiccatum & pulveretenus intrò ſumptum, quod valdè vitioſos caput gravantes humores in ſe ſorbet, partesque phlegmaticas iisdem liberat, gedrucknetes Hirnſchalenpulver eines Juſtificirten / ſo die fremden ſcharffen Feuchten ſo epilepſiam, aſthma &c. machen / an ſich ziehet; hæc ſuppeditant collyria, attractiva vitioſi humoris.

Tertiæ claſſis ſunt: portulaca Portzelkraut; rapunculi ſpecies omnes Rapuntzel mit allen ſeinen Geſchlechten; ſedum minus Mauerpfeffer; craſſula Fettehenne; folia nymphææ Seeblumenblätter.

Vires

Vires primanorum ſunt, quod ſalſedine puriſſima nitroſa & diuretica ſcateant, quæ harmonicè & ſympathicè omnibus partibus phlegmaticæ triplicitati ſubjectis ſcilicet cerebro, nervis, ſpinali medullæ, glandulis, ſtomacho, pulmonibus, omento, inteſtinis, renibus, veſicæ, cartilaginibus, ligamentis, omnibusque articulis præſertim manuum & pedum ſpirituali virtute ſuccurrit, ſuccum eorum, qui quaſi ſangvis nervalis ſeu generis venoſi albi eſt, & vulgo aqua glarealis, ab Edelphis verò ſinovia appellatur, à peregrina ſalſedine ſeu acri admiſtione per urinam repurgat, ſemper enim ſuccus generis venoſi albi inſipidè dulcis eſſe debet, cujusmodi ſaporis eſt albumen ovorum, quamprimum enim ſaporem acrem aſſumit, totus inde motus generis venoſi albi graviter afficitur, acredo enim in ventriculis cerebri ſuſcitat paſſiones epilepticas, in principio nervorum apoplecticas, in cerebello lethargicas, in ſpinali medulla vehementiſſimam ſuccuſſionem febrilem inſtar quartanæ (ut in proprio corpore experti ſumus) in pulmonibus aſthma ſiccum, hanc autem ſalſedinem acrem hæc ſimplicia deorſum trahunt ad meatus urinarios, & glandulas corroborant, ut ſuo munere rectè fungi poſſint, ſcilicet fermentandi omnem in ſinovia ſalſedinem acrem in dulcedinem inſipidam, adhæc virtute ſua diuretica & nitroſa aperiunt quoque obſtructiones hepatis & lienis, ac ſangvinem à ſuperfluo ſero mundant, coagulationes tartareas, nephriticas & ſcorbuticas diſſolvunt, & ad ſanationem omnium vulnerum totius corporis miram vim contribuunt, idque potiſſimum per rectificationem ſinoviæ, quæ eodem modo ut gummi arborum inciſionem corticum ſua ſucculentia gummea ogglutinat, & demum novis libris obducit, diſſectam pellem ſua propria lachryma implet, ac brevi in cruſtam gummeam indureſcit, novamque ſub iſta cutem generat, ita ut magna arte chirurgica ad ulla vulnera ſananda haud opus ſit, modò ſinovia vitio non laboret, uti in vulneratis facilè contingit, tam enim à turbulento ſplene admiſtione acerbâ quàm felle ponticâ leviſſimè depravari poteſt, quam hæc ſimplicia inhibent, bilis fervorem imprimis reſtingvendo, & omnem peregrinam acredinem ad vias urinarias anthliando.

Vires ſecundanorum ſunt, quod tota eorum ſubſtantia conſtet ſalſedine mercuriali ſeu phlegmatica exſiccatâ atque ideò attractivâ, quemadmodum aqua in ſpongiam ſiccata, aquam humidam attrahit, & in ſe combibit; hæc ſimplicia eâdem cum glandulis noſtris virtute prædita ſunt, ſcilicet fermentandi acredinem in dulcedinem aqueam ſeu inſipidam, idque tam potenter, ut ſi iſtorum plerisque tritis liquor acidus ſuperfundatur, eum planè transmutent in inſipidè dulcem, trahunt enim ad ſe acredinem, eamque annihilant, hanc ergò ob cauſam generi venoſo albo, imò & rubro diviſo validiſſimè ſubveniunt, ſcilicet vul-

neratis nervis, juncturis & venis, cum enim in omni ſolutione continui aër externus confeſtim intret, & ſemper acerbitatem in ſe vehat, quâ ſangvinem grumificat, & genus venoſum albũ ſpasmicat, iſta autem ſimplicia auſteritatem & aciditatem ad ſe trahant & annihilent, idcircò dictis partibus læſis potenter opem ferunt, quæ & ſuum amicum ſibi harmoniacum ſequentes, in puncto ejus attractivo iterum cohærent & combinantur; ex eodem quoque fundamento membris luxatis & dislocatis ſubveniunt, & repoſitionem eorum promovent, cum enim in omni luxatione mox ſinovia acrimoniam concipiat, ut ingens dolor teſtatur, ipſa autem acredinem ad ſe trahant, partes luxatæ recreantur, & tractione harmoniaca ſublevatæ pari modo ſe movent ad repoſitionem in priſtinam ſedem capeſſendam. Ex conſimili ratione etiam infixas ſpinas & intruſas feſtucas rurſus extrahunt, eò quod iſta pariter mox acredinem ab aura auſtera ſimul illabente ſuſcipient, quam hæc ſimplicia ad ſe trahendo, unà rem infixam exoticam extrahunt. Iisdem quoque de cauſis ad quoslibet oculorum affectus valent, eò quod omnem acredinem ex ipſis abigant, quæ oculis tam hoſtilis eſt, ut ne minimum peregrinum pulviſculum eam ob cauſam ferre queant, quod ſtatim liquori motum oculorum continuum lubricanti ſit impedimento, ac proinde acrimoniam pariat, cum ergò ferè nihil ſit, quod oculis involans non moleſtet, ideò in proverbium abiit: *Nihil oculis conducit*, cum autem laudata ſimplicia & imprimis cadmia præparata ſeu tutia mirè oculos juvet, dudum nomen nihili ipſi eſt impoſitum. Ob mirandam ergo ipſis cum oculis intercedentem harmoniam non modò longè optima ad omnes oculorum affectus præbent collyria, ſed & eminus ipſorum aſpectui objecta viſui conferunt. Denique in eſſentiam liquidam redacta affectus cerebri graves videlicet epilepſiam, apoplexiam, vertiginem, lethargum curant, cauſam eorum ſcilicet acredinem annihilando.

Tertianorum vires ſunt quod exuberent humiditate mercuriali, atque ideò potenter reſtingvant omnem internum æſtum & ſiticuloſitatem, ſanentque præterea læſionem renum, urinamque cruentam.

Collectio eorum, quæ ad internas potiones petuntur, convenientiſſima eſt menſibus Junium præcedentibus, tempore matutino rorido, ita enim à dominio joviali eò magis in ſua operatione ſpirituali roborantur, ſi verò ſuccurrere debeant oculis, nervis & curationi vertiginis, tunc decerpi volunt circa ingreſſum ſolis è Cancro in Leonem, vel biduo poſt, tempore pomeridiano, Sole jam ad occaſum vergente, tum enim ipſo phlegmate dominante ad præfatas operationes efficaciſſima ſunt.

Præparatio & additio primanorum ſunt, ut pro interno uſu in umbra ſiccentur, tumque ex hoc gradu capiantur tres partes exempli gratia

ſeſquimanipulus, è tertio gradu Tauri duæ partes ſeu unus manipulus, atque è tertio gradu Libræ una pars ſeu dimidiatus manipulus, quibus conciſis ſuperfundantur duæ libræ vini albi, ac tantundem aquæ, vel integra hæc quantitas cereviſiæ, vel prout placuerit, & coquantur in potionem; pro externo verò uſu ſubtiliſſimè pulveriſantur, vel etiam decocta ex ipſis concinnantur pro fomentis inſeſſibusque, fiunt quoque ex ipſis cataplasmata.

Secundanorum verò, ut ea quæ ſuccoſa ſunt nimirum herbæ recentes & radices, deſtillentur è cucurbita in humorem aqueum, ex reliquis parentur ſubtiliſſimi pulveres, & aquis ſtillatitiis hisce injiciantur, quædam etiam integra aſſervantur, ut aſpectu oculis ægris ſubveniant, vertiginem tollant, luxationem reſtituant, exempli gratia deſtilletur ex recenti euphraſia vel narciſſo aqua, cujus recipe tres uncias, è tertio gradu Tauri aquæ ſtillatitiæ roſarum uncias duas, atque è Libra aquæ lunariæ, vel roris ſolis vel victorialis vel florum ſcabioſæ unciam unam, quibus commixtis injice vitrioli albi drachmam, tutiæ & lapidis calaminaris ana ʒſ. ſalis communis ℈ij. hæc commixta bulliant paululum, ac deinde aqua filtrata aſſervetur, pro aqua ophthalmica, poteſt quoque ante coctionem albumen unius vel alterius ovi ſimul infundi, & unà coqui ac poſt coctionem validè in aquam exprimi.

Collyrium egregium.

Tertianorum verò, ut eorum tres partes, ac duæ è tertio gradu Tauri, unaque è Libra coquantur in aqua, exempli gratia ad mictionem ſanguinis cape recentis portulacæ ſeſquimanipulum, ſaniculæ albæ, vel foliorum roſarum manipulum, ſcabioſæ ſemimanipulum, coque hæc in aqua fontana, de quo affatim bibatur; ad ſedandam ſitim & internum æſtum adde potionem aceti.

Uſus primanorum eſt, ut eorum decocta ad ſupradictos affectus ſæpius in die bibantur, ac ſubinde etiam pulveris eorum drachma ſemis vel integra aſſumatur.

Secundanorum verò eſt, ut in ſubtiliſſimum & impalpabilem pulviſculum cribrata inſpergantur ulceribus rodentibus mitigandis & mundandis, item diſſectis nervis & venis, poſteaquam ambæ partes diviſæ ad invicem rejunctæ fuerint, ut ſe mutuò contingant, tunc enim inſperſus pulvis diviſionem iterum contrahit & combinat, ut dennò coaleſcant, ad partes luxatas uſus eſt, ut in integra ſubſtantia ſuperligentur, exempli gratia in luxatione alterutrius brachii vel coxæ exſcindantur vivæ alci nervi crurum anteriorum & poſteriorum ſpithamæ diſtantia infra genua, & ita extracti integri in umbra exareſcant, & ubi luxatum fuerit femur, alligetur integer nervus aridus poſterioris cruris, anterioris verò oſſi humeri vel cubiti luxato, & tractione harum rerum harmoniaca brevi reponentur. In debilitate viſus & vertigine dicta ſimplicia ad ſpondam lecti ſuſpendantur, & crebrò aſpiciantur; in ophthalmia & quibuslibet oculorũ affe-

affectibus manè & ſerò una vel altera guttula paulò ante deſcriptæ aquæ ophthalmicæ angulis ocularibus inſtilletur. Reliquus utendi modus ex adductis facilè innoteſcit.

De ſimplicibus quarti gradus Cancri, atque eorundem ſpeciali operatione.

SImplicia hujus gradus conſimiliter in claſſes tres diſpeſcuntur, quarum prima talia continet, quæ itidem ob internas potiones vulnerarias & ulcerarias, nec non deobſtructivas, & reſolutivas tartareæ concretionis inſerviunt; ex ſecunda medela laborantium nervorum, juncturarum, læſarumque venarum, ut & pro defalcando ſpasmo vertigine & viſus obſtaculis removendis depromitur; tertia ejusmodi ſimplicia ſuppeditat, quæ nimia humiditate aquea turgent, exponuntur itaque ignis toſtioni non tamen adurenti, ſed tantummodò ariditanti, qua in aridiſſimum pulverem redacta poſtmodum ulceribus præhumidis ac fiſtulis manantibus inſperguntur, ubi amiſſam ſuam per ignem humiditatem reſarcire conantia, fiſtularum humiditatem in ſe ſorbent, & ita paluſtrem ulcerum pravitatem avertunt.

Primæ claſſis ſimplicia ſunt: linaria Harnkraut / Krebskraut; conſolida regalis Ritterſporn; equiſetum, cauda equina Roßſchwantz / Katzenſchwantzkraut; umbilicus veneris, cotyledon Nabelkraut; parietaria, herba muraria, urceolaris Tag und Nacht oder Glaskraut; aſparagi ſpecies omnes alle Geſchlecht der Spargen; radix junci Bintzenwurtz; radix gnaphalii Ruhrkrautwurtz; herba pœoniæ Peonienkraut; radix cannæ Rohrwurtz; hæc ſunt apta pro parandis potionibus, ante omnia verò huic ſummo ſpirituoſitatis phlegmaticæ gradui accenſendus venit ipſe mercurius ſeu argentum vivum, ut & corpus lunæ ſeu puriſſimi argenti, quippe quæ legitimè præparata omnes hujus gradus vires præſtent.

Secundæ claſſis ſunt: radix tribuli aquatici Waſſernüſſewurtz; radix omnium ſpecierum nymphææ aller Sehblumenwurtzel; filix aquatica Waſſerſarn; radix typhæ Liſchkolbenwurtzel; gnaphalium albâ radice Mattenflachs mit der weiſſen Wurtzel; item quælibet herbæ ſub aquis creſcentes alle Kräuter ſo unter dem Waſſer wachſen; lapis percarum in capite repertus Berſichſtein; lapilli carpionum Karpenſteinlein; oſſicula & ſpina gobii ſeu muſtelæ flaviatilis Ahlraupenbein und Gräten; oſſicula circa os truttæ Fohrenbeinlein von ihren Mäulern; intetior alba pars oſtrearum das innerliche Weiſſe in den Auſternſchalen; lapilli cancrorum ac tota cruſta Krebsſteine und Schalen; hæc inſerviunt oculis, læſisque venis & nervis.

Tertiæ claſſis ſunt: gluten de aquatico ſeu mucilago ranæ, quando frigidiſſimâ hyeme rana effoditur, & ſub plenilunium palo affixa per noctem radiis lunæ objicitur, mutatur in mucilaginem ad ſanandum cancrum efficacem Froſchleim ſo den offenen

ſenen Krebs heilet; heliotropium, herba cancri Krebsblume; ſempervivum majus & minus groß und kleine Hauswurtz; umbilicus veneris minor klein Nabelkraut; radix arundinis Rohrwurtz; pellis & tota ſubſtantia leporis in pulverem uſta das Fell und Alles was am Haſen iſt zu Pulver gebrannt; pulvis cancrorum, qui vivi in cinerem ſunt combuſti Krebspulver aus lebendig zu Pulver gebrannten Krebſen; ſperma ranarum Froſchleich; pulvis ex vivis ranis in cinerem combuſtis Froſchpulver aus lebendig zu Pulver gebrannten Fröſchen; teſtæ concharum & cochlearum Muſcheln- und Schnecken-häuslein; hæc dant pulveres ad ſiccandas fiſtulas.

Vires primanorum ſunt: quod easdem operationes ac de præcedentibus primæ claſſis indicatum eſt, etiamnum fortius præſtent, poſſuntque ex ipſis longè efficaciſſimæ potiones ad inveterata ulcera in locis triplicitati phlegmaticæ ſubjectis exiſtentia parari, præſertim verò ad fiſtulas, in quibus ſcaturiginem humiditatis emanantis exſiccant, taliaque ulcera & fiſtulas radicitus ſanant, aſt eorum uſus per aliquot menſes continuari debet, atque exterius pulvis ſequentis tertiæ claſſis quotidiè ulceribus inſpergi, non modò enim humiditatem ulcerum in ſe ſugit & ulcera exſiccat, ſed & rodentem acredinem putrefactivam extingvit & annihilat; præterea hæc ſimplicia primaria juſto tempore collecta & in umbra aridiſſima reddita ſi deinde pulveretenus intra corpus ſumantur, pluribus de cauſis pituitoſas defluxiones exhauriunt, primo enim id faciunt ob connatam ſibi puriſſimam ſalſedinem, qua ſuperfluum corporis ſerum deorſum trahunt ad vias urinarias, ſecundò ob ſuam exiccationem, cum enim propriam humiditatem amiſerint, alienam jam & quidem ſui ſimilem jam appetunt, & ſic ſpiritus eorum ſiticuloſus fortiter eam attrahens & in ſe ſorbens eo ipſo partes humore & ſpiritu alieno phlegmatico gravatas liberat, uſu nimirum ejusdem pulveris per ſufficiens temporis ſpatium continuato, unà cum horum ſimplicium decoctis vel potibus medicatis, quod etiam de præcedenti gradu in omnibus notandum, ejusdem enim ambo operationis ſunt, hæc tamen aliquantulum fortioris & ſpirituoſioris.

Secundanorum verò ſunt, quod eodem planè modo, ut de præcedentibus ſecundanis dictum fuit, valeant ad quælibet oculorum vitia amolienda, item ad inſultus ſpasmi præcidendos, vertiginisque, nec non ad ſanationem nervorum, juncturarum & venarum inciſarum.

Tertianorum autem ſunt, quod humiditate aquoſa exuberante turgeant, qua ſi per fortem neutiquam tamen aduſtivam exiccationem orbantur, ſiticuloſa tunc fiunt alienæ humiditatis, eamque inſtar ſiccæ ſpongiæ promptè combibunt, & ſic apta ſunt ad exiccandas fiſtulas & ulcera putrida manantia, ſi per aliquod tempus quotidiè ipſis pollinetenus inſpergantur, ac ſimul prima-

 norum

norum largus interior uſus accedat.

Collectionem quod attinet, ea in omnibus obſervetur ut de præcedentibus ſecundanis dictum fuit.

Præparatio & additio primanorum ſunt: ut in aura libera umbratili aridiſſima fiant, tumque accipiantur ex hoc gradu tres partes exempli gratia equiſeti vel radicis & herbæ pœoniæ tres unciæ, è quarto gradu Libræ ſcabioſæ vel anagallidis rubræ, vel chelidonii minoris uncia una, ſeu una pars; atque è quarto gradu Tauri auriculæ muris, vel ſenecionis, vel vincæpervincæ duæ partes ſeu unciæ binæ, hæc decoquantur vel parentur, ut ſuperius traditum fuit.

Mercurii verò ſeu primarii ducis omnium rerum phlegmaticarum præparationes variæ ſunt, & ferè omni tempore æqualiter operantur, nec magnoperè refert quocunque modo ſit præparatus, modò vertatur in pulverem, qui tamen ſi menſtrua vel liquores acres acceſſerint optimè edulcorari debet, præcipitatur enim ſpiritu nitri rectificato, nec non oleo vitrioli veneris & Martis, imò proprii ſulphuris acredine vitriolacea ab externo igne excitatâ, qua per ſe ſine ulla alia additione, tempore tamen longo præcipitatur in pulverem rubrum, quod etiam fit ſi prius auro vel argento amalgametur, ita enim dat præcipitatum efficaciſſimum, at ſæpius ejusmodi amalgama vitro eximi & denuò conteri debet, aliàs difficillimè præcipitatur, manentque granula metalli diu integra, nec per ſe in pulverem impalpabilem converti volunt, niſi crebra trituratione eò promoveantur. Sublimatur quoque mercurius à vitrioli cœruleo parum calcinato, & ſale marino vel gemmeo, à quibus ſemper recentibus bis vel ter in cucurbita vitrea vel lapidea vi ignis elevatus fit maſſa nivea, at valde corroſiva, & ab interno uſu prorſum exulare jubenda, donec prius corroſiva ejus qualitas ſemoveatur, quod & diverſo modo facilè fit, ſi enim conteritur cum pari ferè quantitate argenti vivi currentis purgati, & denuò aliquoties ſublimantur, ambo mutantur in maſſam cryſtallinam planè inſipidam, quæ vulgò mercurius dulcis vocatur, & propriiſſimis hujus triplicitatis virtutibus & proprietatibus ſcilicet fermentandi acredinem corporis lymphalem in dulcedinem inſipidam ditiſſima eſt, imò proprio exemplo talem acredinis dulcificationem præmonſtrat, antea enim tanta acredine pollebat, ut non modò pellem & carnem perroderet, ſed & duriſſima metalla ſcilicet ferrum & chalybem penitus diſſolveret, ſolo autem mercurio vivo addito talis acredo miteſcit, & commutatur in dulcedinem inſipidam, id quod etiam aliis mediis haud difficulter obtinetur, ſcilicet ſpiritu vini, ſale tartari, ferro & chalybe, aliiſve rebus acrimoniam ſalſam combibendi & attrahendi facultate præditis, ita ut hoc modo mercurius ſublimatus exhiberi poſſit tam in forma ſicca quam humida, modò albus nunc citrinus jam rubeus apparens, prout tales præparationes

tiones abunde in indice hujus libri evolvi poſſunt.

Argentum autem ſeu Luna metallica pari modo variè præparatur, ut ipſius tinctura cœrulea in forma potabili ſeu liquida obtineatur, cujus præparationis unus vel alter modus haud poſtremus itidem in indice hujus libri indicatur; hujus tamen loci non reticebimus præparationem quandam argenti huc maximè facientem, nobisque plurimum commendatam, quamvis nondum in uſum à nobis vocatam, ſcilicet parandi ex argento pilulas hydropicas hunc in modum: cape ſpiritus nitri rectificati uncias tres, argenti cupellati ſeu puriſſimi in lamellas diducti vel granulati unciam unam, ſolve argentum in fiola vel cucurbitula, & quando jam omninò eſt diſſolutum, effunde ſolutionem in aliud vitrum, ad evaporationem aptum, vel per alembicum omnem humorem abſtrahe ad ſiccitatem usque, perinde enim eſt an evaporetur vel deſtillatione abſtrahatur; quo facto reſiduo ſuperfunde tantum aquæ roſarum ſtillatitiæ, ut eo poſſit rurſum penitus diſſolvi, ſolutionem filtra per chartam emporeticam, ac tum iterato ad ſiccitatem evapora vel deſtilla. Tum accipe binas uncias nitri clarificati, easque in aqua roſarum diſſolve, ac filtra, deinde aquam per alembicum deſtilla, usque ad ſiccitatem ſalis, nitro reſiduo adde evaporatum argentum, & deſtillatam à nitro humiditatem roſaceam huic mixturæ reaffunde, vel quodlibet prius ſeorſim reſolve, ac dein ſolutiones filtratas conjunge, atque ad ſiccitatem ſalis totum iterum evapora, cavendo tamen ſub finem evaporationis, ne nimium incaleſcat, alioquin fulminando periret. Denique omninò perfrigerari ſine, maſſamque evaporatam inde mortariolo vitreo vel marmoreo, nequaquam autem metallico, additisque duabus unciis optimæ farinæ triticeæ aſperge tantum aquæ roſarum, ut ſaltim ex utroque fieri poſſit paſta, quam piſtillo optimè ſubige, ut æqualiter miſceantur, maſſamque pilularem conſtituant, è qua pilulas magnitudine piſi efforma, easque inter duas chartas lentè in umbra exicca, atque in pyxide lignea reconde. *Uſus* harum pilularum lunarium eſt ad expellendum è corpore lympham ſtagnantem, uti fit in obſtructionibus hepatis, lienis & glandularum, nec non conſtitutione cachectica & hydropica, imò ipſa lacuna anaſarcica vel aſcitica jam præſente, in ejusmodi caſibus ſaltem unica harum pilularum manè jejuno ſtomacho deglutitur, atque elapſo bihorio juſculum carnis calidum ſorbetur, cui inſtillatæ ſint guttæ decem ſpiritus ſalis marini vel gemmei rectificati, & evacuabit ſtagnantem laticem per dejectiones ſeroſas & crebram mictionem, altero die idem in omnibus repetatur, & ita ad convaleſcentiam usque continuetur, ſi nimirum ſtagnatio lymphæ multa adſit, in minori verò, vel debiliori ægri ſtatu ſingulis biduis vel triduis reiteratio ſufficit. Toto autem curationis tempore potus ordina-

Pilulæ hydropicæ.

ordinarius paretur ex incoctione vel infuſione ſimplicium *primæ claſſis* hujus vel antecedentis gradus, & ſi non ſat copioſa mictio adeſſe videatur, in quolibet hauſtu etiam guttæ aliquot rectificati ſpiritus ſalis propinentur, additis ſubinde aliquot granis ſalis abſynthii prius recenter in crucibulo candefacti.

Uſus primanorum hujus gradus eſt, ut eorum decocta & pulveres quotidiè aſſumantur ab ægris, in locis huic triplicitati ſubjectis vulneratis vel exulceratis, item in affectibus pulmonum, ſplenis, fellis, articulorum, renum & veſicæ, ubi notandum, quod, ſi etiam alia arcaniora ad eosdem affectus ſuppetant, hæc decocta vel vina medicata pro illorum appropriatis vehiculis inſerviant, quibus impotentur, exempli gratia ſi quis laboret calculo, tunc idem laudatus ſpiritus ſalis ſumma vi ignis extuſus tanquam inſigne ſpecificum in ejusmodi vehiculis quotidiè imò in omnibus ferè hic mentionatis affectibus (excepta pulmonum læſione, ubi optimus balſamus ſulphuris ſuccedat) exhiberi poteſt vel purus putus ad guttas X. pro vice, vel magis in hunc modum ſpecificatus: ℞. calculi humani exſecti vel ejus loco ſedimenti matularum arenoſi abraſi & exſiccati, lapidis ſpongiæ, Judaici, lyncis, oculorum cancrorum ana q. pl. ſuperfunde ſpiritum ſalis q. ſ. & ſolvi ſine in calore quantum velit, ſolutiones filtra, & ad ſiccitatem deſtilla, abſtractum liquorem reſiduo reaffunde, & ſolutionem claram decanta, cujus quotidiè aliquot guttæ in præfatis decoctis exhibeantur.

Specificum contra calculum.

Reliquarum claſſium reliquus uſus idem eſt ac præcedentis gradus deſcriptio docuit.

TRACTATUS VIII.

De ſigno Scorpionis, ſecundo nimirum phlegmaticæ triplicitatis & ſympathico, ejusque proprietate & dominio generali.

SCorpius eſt ſignum medium trigoni phlegmatici, in quo Sol menſe Octobri volvitur, qui autumni medium & quaſi cacumen eſt, & extrema vegetabilium veſpera, quâ viriditas naturæ veluti dormitum it, folia & fructus arborum, ac uvæ ſi non vindemiantur, decidunt ſponte, & cum plerisque vegetabilibus exareſcunt; ſignum hoc eſt frigidum & humidum in perfectione, in quo nimirum ſpiritus & materia mercurialis ſeu phlegmatica perfectè & æqualiter mixta ſunt, hujusq; triplicitatis ſimplicia tam ſpiritualiter quàm materialiter in ſummo gradu frigefaciunt & humectant, atque ita tam interno quàm externo uſui perapta ſunt, ſcilicet priores duo gradus, quorum uſus internus potiſſimum valet ad reſtingvendum internum æſtum febrium acutarum, atque alium quemvis, verùm ad potiones vulnerarias non ſat efficaces ſunt hæ herbæ, niſi præcedentium ſpirituoſarum additione fortiorentur, reliqui duo gradus poſteriores ſuppeditant externa tantummodò

modò medicamina ad tumores, ulcera & abſceſſus medicandos, in hisce locis, qui huic triplicitati ſubſunt; Dominatur autem Scorpius in tempus veſpertinum medianum, quod incipit hora quinta pomeridiana, deſinitque bihorio elapſo, nempe hora ſeptima, quo tempore Salvator noſter linteis involutus & ſepultus eſt; dicatur Scorpio quoque tractus occidentalis punctualis lineæ æquinoctialis, ubi Sol menſe Septembri occidit, & unde ipſe ventus cardinalis occiduus videlicet zephyrus flare ſolet, qui apud nos qualitatem hujus ſigni ſat benè explicat, ſemper enim ejus flatum aura frigida pluvioſa & plerunque tempeſtuoſa comitatur, color ipſius eſt albedo pallida, qualis in lapide cryſtallo elucet, ſapor eſt dulcedo aquatica ſenſim auſtereſcens, qualis in pomis, atriplicibus & ſimilibus ſimplicibus Scorpionicis guſtabilis eſt, pleraque enim aquosè & inſipidè dulceſcunt, vel ſenſim aciduleſcunt, more hujus triplicitatis, quæ exacto hoc ſigno declinat, & ſenſim in acerbam melancholicam tranſit. Odor hisce rebus parcus vel nullus eſt, eò quod non modo ſigna perfecta ſua ſimplia reddant compacta, atque ita parum exſpirabilia, verùm etiam ob frigiditatem, quæ hic dominatur, & odorem captivum tenet, imò ferè nullum concedit, fortis enim & fragrans odor ſulphuri competit, mercurio verò hujus triplicitatis directori, nequaquam.

De partibus corporis Scorpio ſubjectis, ejusque antipathia.

SUbjicitur Scorpioni membrana ventriculi alba, ut & peritonæum, meſenterium & omentum, partimque pulmo, item pylorus ſeu inferius ventriculi orificium; exterius pudenda utriusque ſexus totaque eorum regio; antipathia autem Scorpii partiumque phlegmaticarum dependet ab Ariete ejusque humore bilioſo, à quo ipſa facilè inflammantur, præſertim verenda, quæ ejusmodi bilioſo Arietis affluxu promptè incenduntur, ulceraque erodentia & putrefactiva Gallicana contrahunt, ubi perpetuò notandum, his in locis exulceratis nunquam aliquid eſſe applicandum, quod ſub Arietem pertineat, omnia enim talia antipathica adhuc majorem & maligniorem putrefactionem in illis concitant, & ad totalem corruptionem ea trahunt; hujusmodi verò ulcerum Scorpionicorum color viridiuſculus eſt, tenditque ad virorem ſmaragdi.

De ſimplicibus primi gradus Scorpii, ac eorum operatione ſpeciali.

SUb hunc gradum pertinent ſequentia: ſcilicet ſorbus ſylveſtris major & minor groß und kleiner Mehlbaum; oxyacantha, acuta ſpina Hagdorn; item pleraque ſimplicia primi gradus Cancri poſt Junium collecta ut ſunt: gallion Megerkraut; anagallis flore cœruleo blaues

Gauchheilkraut; braſſicæ ſpecies omnes alle Kabskohlkräuter; alſine Hünerdarm; carduus Mariæ Vehediſtel; lenticula paluſtris Meerlinſen; blitum Meyer; atriplex canina (quæ appenſa vermiculos ex ulceribas putridis ejicit) Hundsmelten / guter Heinrich; ranunculus inſipidus ſüſſer Hanenfuß; hæc exterius valent, poſſuntque applicari ulceribus, & pulveretenus inſpergi, è ſequentibus verò parantur internæ potiones: uti ſunt petroſelini ſpecies omnes alle Peterſilien geſchlechter mit Allem; cruciata minor klein Modelgeer; folia vitis viniferæ albæ Laub von weiſſen Weinſtöcken; ſuccus cancrorum contuſorum expreſſus Safft von zerſtoſſenen ausgedruckten Krebſen; ſerum lactis caprini & ovilli Molcken von Geiß- und Schafmilch; fungi teneriores ſalicibus adnaſcentes zarte Weidenſchwämme.

Vires iſtarum rerum ſunt, quod ea quæ internis potionibus inſerviunt, ſingulari excellant virtute omnem inflammati pulmonis æſtum reſtingvendi, & bilioſas in illum incumbentes fluxiones ſiſtendi & removendi; ubicunque ergò phthiſis ex tali occaſione incipit, ibi hæc propinata labem corrigunt, & ſedato fervore periculum avertunt; cætera verò quæ ad potiones inepta ſunt, proficua exterius deprehenduntur ad ulcera in iſtis locis exiſtentia, ubi plurimæ venæ concurrunt.

Collectio eorum commodiſſima eſt inter Julium & Octobrim circa veſperam ſeu horam ſextam veſpertinam, prout etiam ſimplicia primi gradus Cancri hoc modo collecta pari modo ad hujus gradus vexillum referenda ſunt.

Præparatio & additio aptorum interno uſui ſunt, ut eorum in umbra arefactorum vel etiam recentium accipiantur partes ſex, è primo gradu Virginis partes quatuor, nempe plantaginis acutæ, vel lappæ majoris, & è primo gradu Aquarii ſaniculæ albæ vel hederæ terreſtris partes binæ, hæc commixta & conciſa coquantur vel in vino & aqua, vel mera cereviſia, fiatque juſtum decoctum ad bibendum contra ſitim idoneum, paretur quoque ex iisdem pulvis cribratus, ex reliquis verò itidem fit pulvis præſertim ex radicibus arborum huc pertinentium ulceribus inſpergendus.

Uſus eſt ut ſi quis malè habeat pulmonibus, mordacemque catarrhum vaſa reſpirationis anguſtantem, tuſſimque, phthiſin & carnoſæ corporis ſubſtantiæ contabeſcentiam jam molientem perſentiſceret, bibat is heic edocta decocta ſedulò, laudatosque pulveres eorundem in aqua ſcabioſæ vel è contuſis vivis cancris recentiſſimè è rivis captis deſtillata dietim impotet. Nec ſanè opus eſt additionem melancholicæ herbæ ſolummodò è primo Virginis gradu ſeligere, verùm quoque non minus virtuoſæ ſunt ex reliquis Virginis vel etiam Tauri gradibus, unaque alterà in hac operatione fortior, & pro majori vel minori pulmonum læſione accommodatior vel inhabilior eſt; tria enim in ejusmodi caſu neceſſaria ſunt, primò ut è Scor-

Remedia contra phthiſin.

è Scorpio vel Cancro inflammatio reſtingvatur, ſecundò ut è Virgine vel Tauro conglutinatio quæ frigida & ſicca eſſe debet, petatur. Saturnus enim aſtringens præ cunctis aliis conſolidationis & conglutinationis author eſt; tertiò ut addantur quæ pulmoni grata ſunt, cujusmodi ſunt dulcia, ſcilicet ſacharum, mel manna, paſſulæ, liquiritia & ſimilia ex Aquario deſumenda, pulmo enim unicè dulcibus delectatur; huic fundamento omnia vulgaria experimenta innituntur, & iisdem interdum fortuitò in affectibus pulmoniacis egregia præſtantur, ita ut unus decocto braſſicæ rubræ, alter ſantali rubei, tertius ſummitatum quercus, quartus conſervâ roſarum & ſimilibus ex hoc fundamento caſualiter depromptis incipientem phthiſin profligarit. At cum poſtmodum imitatores idem tentantes, nullum harum rerum fundamentum vel talia parandi, miſcendi vel adminiſtrandi ordinem ſciverint, ideò quamplurimi iisdem experimentis parum vel nihil profecerunt.

Reliquorum pulverum, præſertim è corticibus arborum paratorum *Uſus* eſt, ut inſpergantur locis Scorpii exulceratis, obſcœnisque vulvæ, ani & pudendorum rhagadibus, quibus mundantur, ſiccantur & ſanantur.

De ſimplicibus ſecundi gradus Scorpii, atque eorundem operatione ſpeciali.

HUic gradui adjudicantur ſequentia: videlicet prunus cum tota ſubſtantia & fructibus, Pflaumenbaum mit aller Subſtantz und Frucht; pomus ſylveſtris, ejusque folia & flores, Holtzapffelbaum/Blüt und Blätter; imò quorumlibet pomorum tam acidulorum quàm dulcium arbores, flores & folia, aller Aepffel Geſchlecht ſüß und ſauer/nebſt Holtz/Blüt und Blättern; fraxini pars intra terram exiſtens, reliqua enim extans Sagittario ſubeſt, das Theil am Eſchernbaum ſo in der Erden ſtehet/ das auſſenſtehende aber gehöret unter den Schützen; ceraſorum dulcium arbor, flores & folia, ſüſſer Kirſchen Holtz/Blüt und Blätter; paſtinaca alba & flava weiſſe und gelbe Möhren; Oſtreæ Auſtern; quælibet concharum ſpecies, alle See- und andere Muſcheln; cochleæ rubræ, & quarumlibet teſtæ, rote Schnecken und allerley Schneckenhäuſer; creta albiſſima, ſchöne weiſſe Kreiden.

Vires harum rerum ſunt, quod propter earum ſubſtantiam nimis craſſam parum interno uſui valeant, niſi quod radices & fructus p[illegible]ius per coctionem parata ſatis laudabile corpori impertiant nutrimentum, idque adhuc in quibusdam melius, ſi prius à ſuperfluo phlegmate corrigantur, poma enim quælibet in ſegmenta conſciſſa & ab omni humiditate ſenſim exſiccata, poſtmodum per coctionem ſalubriora & ſapidiora abeunt in fercula, quàm ſi mox ab arbore cruda, & proprio phlegmate turgida coquantur, quod etiam ruricolæ norunt, & magnam pomorum copiam ita pro cibo exiccant,

cant, nec dubium eſt quin etiam ex iiſdem per coctionem & fermentationem melius potulentum parari poſſit, quàm vulgo fit ex crudo eorum ſucco expreſſo & in doliis fermentato, ex incorrecto enim phlegmate etiam ejusmodi potus utplurimum flatulentus & torminifera pravitate refertus exiſtit, ob nimis phlegmaticam ejus cruditatem & ſpiritus ardentis penuriam. Reliqua craſſiora magis uſui externo conveniunt, dantque emollitiva & maturativa in externis affectibus verendalibus tam hominum quàm jumentorum, teſtaceorum quoque pollen pollet in affectibus oculorum, eorumque conſumit incipientem ſenſim ungvem per aliquod tempus ipſis ex canaliculo pennæ quotidiè inflatus, uti ipſi talem operationem in equo vidimus, retinent quoque ex parte qualitates Cancri, ſcilicet fermentandi acredinem in dulcedinem inſipidam, & reliquas ſuperius conſignatas, ſegnius tamen niſi interventu præparationis habilitentur, quâ mediante etiam redigi poſſunt in febrifugum, abiguntque febres per ſudorem, tollunt orexin & ſimilia.

Collectio vegetabilium hujus gradus capeſſitur circa initium & medium autumni horis veſpertinis ante occaſum Solis, teſtacea verò ſemper eandem operationem præſtant quocunque tempore colligantur.

Præparatio horum quæ ſunt vegetabilis ſortis, præcipua eſt, ut eorum tribus partibus *addantur* duæ partes è ſecundo vel tertio gradu Virginis, atque una pars è ſecundo vel tertio gradu Aquarii, ac in ſufficienti aquæ quantitate coquantur pro fomentis ac balneis, è fructibus & radicibus coctis vel aſſatis poſſunt etiam fieri cataplasmata emollientia & maturantia, additione ipſis facta è primo vel ſecundo gradu Tauri & Aquarii, lignea verò hujus gradus cum eorum corticibus, foliis ac floribus inſerviunt ad balnea,& fomenta malignitatis extractiva. Teſtacea autem teruntur in ſubtiliſſimos pulveres, putridis ulceribus inſeminandos pro mortificanda eorum acredine rodente & putrefactiva, pro interno autem uſu parùm efficacia ſunt, niſi ulteriori præparatione plus ſubtilientur, ſcilicet in hunc modum: ℞. teſtacea concharum vel cochlearum, imprimis autem longiusculas illas concharum teſtas, quæ prope lacus & piſcinas frequentes ſunt, & fruſto vitri acuto, vel cultro omnem nigredinem & mucum abrade, donec teſtæ mundiſſimæ & quodammodo transparentes fiant, tunc contunde & cribra eas in pulviſculum præ ſubtilitate difflabilem, vel ſi citius & fortius operari debeat calcina eas in crucibulo, donec ſint niveæ, absque tamen extrema ignis peruſtione, qua abituræ eſſent in veram calcem vivam, ad externum tamen uſum pariter non contemnendam, aqua enim reſtinctionis ejus imò & cujuslibet recentis calcis jam jam reſtinctæ, acredinem ulcerum rodentem præ omnibus hisce efficaciter mortificat, ambuſtionem ignis ſanat & plura

Febrifugum.

plura alia commoda præſtat; è calcinatis hisce teſtis fac ſubtilem pulverem, in obligato vitro aſſervandum, ne aërem attrahat, qua in ſua virtute minueretur.

Uſus hujus pollinis teſtacei non tantùm eſt ad mundanda ulcera putrida, verùm etiam inſervit pro febrifugo egregio exhibendo paulò ante paroxyſmum febris cujuslibet intermittentis, ut ejus actio unà cum paroxyſmo agere incipiat, ita enim invicem pugnando febris annihilatur, præcedere tamen debet corporis evacuatio per vomitum vel ſeceſſum, ne impuritate corporis actio remedii inhibeatur. Dantur hujus pulveris ſcrupuli duo in decocto præcedentis gradus ſimplicium, vel cereviſia ſaltim fervida, vel cum rob ſambucino, expectato deſuper in lecto ſudore.

De ſimplicibus tertii gradus Scorpii, ac ſpeciali ipſorum operatione.

ACcenſentur huic gradui ſequentia: nimirum favus mellis communis Honigwaben; item favus crabronum & fucorum Honigroß von Hornissen und Hummeln; berberis domeſtica Saurachbaum; berberis ſylveſtris Erbſelenſtrauch; radix & cortex buxi Buchsbaumwurtzel und Rinden; buphthalmus Rinds-auge/Sterckkraut; bubonium, aſter atticus Sternkraut/Schartenblum; item omnia ſub ſecundum gradum Cancri pertinentia, ſi Junio præterlapſo colligantur, ut folia, & viſcum mali Apffelbaumlaub und Miſtel; folia & viſcum pyri Birnbaumlaub und Miſtel; folia populi nigræ nec non viſcum Aſpenlaub und Miſtel; folia & viſcum ſalicis Weidenlaub und Miſtel; folia, coni, gummi & viſcum pini Fichtenlaub / Zapffen/ Safft/Hartz und Miſtel; viſcus & reſina abietis Tannenmiſtel und Hartz; folia & viſcum oxyacanthæ Hagendornlaub und Miſtel; omniaque reliqua ſub ſecundum Cancri gradum ſuperius relata. Item parthenium menſe Octobri collecta edel Camillen im Weinmonat geſamlet; ſabina Sevenbaum auch alſo geſamlet; verùm folia ſabinæ prius per extractionem corrigi debent; item avena viridis in Junio collecta grüner Habern.

Vires harum rerum ſunt valdè inſignes ad inflammationes, tumores, abſceſſus & ulcera pudendorum, mammarum & pedum, eadem enim reſtingvunt, emolliunt, maturant, aperta mundant & ſanant, herbæ hujus gradus etiam intrò ſumi poſſunt, verum antea à ſuperfluo phlegmate corrigi debent, tumque orexin ſeu ardorem ventriculi ſedant.

Collectio inſtituenda eſt menſe Octobri, Sole Scorpium percurrente, cuncta quoque ſimplicia ſecundi gradus Cancri eodem hoc tempore vel ſaltim Junio jam præterlapſo collecta hujus gradus municipia fiunt.

Præparatio & *additio* eorum quæ etiam internum uſum ſubire poſſunt, ita inſtituantur, ut prius à mucilagine phlegmatica ſibi ſemper con-

nata corrigantur, quod fit, ſi in recentiſſima aqua fontana paululum una vel altera ebullitione coquantur,tum mox aquâ incoctiònis decantatâ ſubſtantia herbacea ab imbibita etiamnum aqua probè exprimatur, id quod ferè in omnibus herbis phlegmaticis ſive cibo vel uſui interno medico inſervire debeant, advertendum, ut ſemper prius ſuperfluo phlegmate liberentur,inhæret enim ipſis lubrica quædam mucilago, quæ ventriculum & imprimis pylorum atque inteſtina nimium perfrigerat & relaxat,ut ſuo munere haud rectè fungi poſſint, & facilè in profluvioſam ægritudinem prolabantur, at hoc modo iſta lubricante mucilagine detractâ, reliqua ſubſtantia ſi cibaria ſit, aliâ aquâ vel carnis juſculo ad ſufficientiam usque percoquitur, fitque cibus ſvavis & ſalubris, ad internas autem potiones ejusmodi ſubſtantiæ, à qua jam phlegma per excoctionem detractum eſt, capiuntur tres partes ſeu ſesqui manipulus,è tertio gradu Virginis ariſtolochiæ longæ, vel rotundæ vel conſolidæ mediæ duæ partes ſeu manipulus, & è tertio Aquarii alchimillæ vel ſcabioſæ una pars, & inditis his cantharo lapideo ſuperfunduntur aquæ recentis & vini albi æquales partes, atque in balneo coquuntur etiamnum per duas vel tres horas, cantharo oblito paſtâ farinaceâ, atque deinde in cellam locantur ad refrigerandum. Ad externum verò uſum non opus eſt abstractione phlegmatis, verùm hæ herbæ cum commemorata additione mox in vino & aqua ad mollitiem decoquuntur.

Aſt ligna hujus gradus eorumque cortices in duabus ollis per deſcenſum,vel in retortis per lateralem deſtillationem in oleum deſtillantur, eodem planè modo, ut ſupra de quarto gradu Leonis ſufficienter præmonſtratum eſt. Lignum denique exuſtum vel à deſtillatione reſiduum, vel etiam aliud recens etiam igne aperto uritur in cinerem,probè ab acceſſu omnis humiditatis cuſtodiendum, quippe qui etiamnum peculiaris ſit utilitatis.

Uſus decocti correcti internus eſſe poteſt, ad ſedandum æſtum interiorum viſcerum phlegmaticorum, ſcilicet pulmonum & ventriculi,imprimis autem contra orexin valet, idque vel maximè ſi baſis decoctionis avena virens & adhuc florens ſit, collecta nimirum menſe Junio, & eodem modo prius dephlegmata, tantoperè enim contra hunc affectum conducit, ut etiam cruda ſimplex avena decorticata, ſi ejus viginti granula per ſe comedantur, omnem ardorem ſeu orexin ſtomachi tollat, eadem avena cum ſua legitima additione etiam quibuslibet affectibus externis mammarum,pudendorum, & pedum potenter ſuccurrit, ſcilicet ardorem reſtingvendo, duritiem emolliendo, maturando & perſanando, maximè autem hæc decocta valent ad bubones obſcœnos Gallicanos, cambuccas, omnemque exulcerationem mentulagricam, talia enim jure ejusmodi decocti tepido eluuntur, fomentantur, Remedia contra orexin.

tur, & cataplaſmate decocti foventur, idque quotidie bis vel ter, & ſi ulcera pudendorum vel mammarum contumacia adſint, præfatum oleum per deſcenſum paratum intinctis in illud linteolis dietim imponitur, inſeritur quoque dictus cinis apertis ulceribus omnifariis phlegmaticis, ut pravitas & ulginoſitas eorum edometur. Verumenimverò ſi talia ulcera à vera lue venerea eſſent, tunc ſupradictus potus non convenit, ſed debet concinnari è tertio gradu Sagittarii vel primo Arietis, ſummisque gradibus Libræ & Tauri, ac per aliquot ſeptimanas continuo bibi, interjecta ſubinde corporis evacuatione, per mercurium præcipitatum vel ſequentem aquam vitæ purgativam: ℞. ſarſæparillæ ℥iij. hermodact. ℥iſ. diagrid. granor. ſambuci an. ℥j. contunde hæc invicem, inditisque vitro ſuperfunde vini albi generoſi libras quatuor, obtura vitrum optimè, ſine in loco tepido vel radiis ſolis mixturam macerari per tres hebdomadas vel quatuor, ac deinde deſtilla per alembicum, & obtinebis eſſentiam radicaliter purgativam, cujus omni manè & veſperi cochlearium plus minus exhibe per tres vel quatuor dies, prout operabitur, ac deinde ad tempus purgationem intermitte, ac potum ſudorificum continua, de quibus ſuo in loco plura.

De ſimplicibus quarti gradus Scorpii, atque eorundem operatione ſpeciali.

GRadui huic ſubſunt ſequentia: ſcilicet atriplex hortenſis Gartenmilten/ weiß und rot; atriplex ſylveſtris, wilde Milten; atriplex marina, Meermilten; atriplex canina Hundsmiltē/omnesq; atriplicis ſpecies; item ſpinachia, Binetſch; mercurialis ſpecies omnes Bingelkraut mit allen Gattungen; Sena Senetkraut mit allem; chryſanthemum Stärckkraut; poma aurea Goldäpffel; favus apum ſylveſtrium Roß von Erdweſpen; ribes alba & rubea, weiſſe und rote Johannsbeer; pruna damaſcena Zwetſchken; radix & flos ephemeri colchici Zeitloſenblumen; flos croci ſylveſtris wild Safranblüt.

Vires harum rerum ſunt, quod in ſumma ſpiritus & materiæ phlegmaticæ perfectione conſtitutæ deprehendantur, omnesq; ſupra modum virtute conſolidativa præditæ ſint, refrigerant enim, laxant & emolliunt, leniunt, concoquunt, & maturant incredibili modo, mundantque & conſolidant ulcera in locis Cancri, Scorpii, Aquarii & Piſcium exiſtentia, ſcilicet in mammis, pudendis, tibiis & pedibus, cuncta quoque ventrem laxant, & in majori copia exhibita plenè purgant, idque non modò in hoc ſed & aliis phlegmaticorum ſignorum gradibus, plurimi enim ſine ullis peregrinis purgantibus integram corporis evacuationem mediantibus ejusmodi ſimplicibus phlegmaticis, ſcilicet ſucco vel jure braſſicæ vel mercurialis, vel cucurbitæ & ſimilibus inſtituere norunt, non aliter ac ſi infuſum ſenæ, vel aliud exoticum purgans propinaſſent, hæc tamen planè

alio

alio modo ventrem ſubducunt, quàm rhabarbarum, jalappa & ſimilia, illa enim ſua ignea qualitate ſuccos corporis fundunt, inſtar veſicatorii attrahunt, & ab omnibus locis convocant, imò ipſi ſucci corporis accurrunt ad uredinem reſtingvendam, & nauſeoſum purgantium ſaporem eluendum, hæc verò phlegmatica non tantùm ferè penitus per coctionem in liquamen liquidum abeunt, verùm etiam ſuâ frigida & humida qualitate vapores halituoſos aliàs copiosè per inſenſilem transſpirationem per poros cutis difflabiles reſolvunt in humoré liquidum, non aliter ac frigidum ſpeculum ori objectum, halitum reſpirationis, alioquin inviſibiliter evaneſcentem, condenſat & in viſibilem aquam reſolvit, guttatim in ſpeculo decurrentem, & ut ventus occidentalis frigidus & humidus exiſtens vapores inviſibiliter in aëre hærentes propediem condenſat in nebulas & craſſas nubes mox pluviosè depluentes; præterea phlegmatica ſimplicia ferè tota conſtant ſucco mucilagineo lubricante, qui ventriculum & inteſtina relaxat & lubrica reddit, ut ingeſta rectè conficere nequeant, ſed ſemicrudè e emittere cogantur, velut in cœliaca paſſione, adeò ut hinc talia ſimplicia plus uno modo evacuativa ſint, inter quæ & ſenam referimus, more enim aliorum phlegmaticorum planè nullum frigus perferre poteſt, ac ſymptomata frigida excitat, nimirum tormina & flatus præſertim in frigidioribus ſcilicet fœminis, per coctionem quoque ejus vis purgans minuitur, non quod evaneſcat & vaporetenus exhalet, ſed quia cruditas phlegmatica lubricans & relaxans coquendo aliquantulum maturatur, ut etiam in aliis phlegmaticis ſolemne eſt, braſſica enim aliàs ſat fortiter laxans per diutinam coctionem adeò cicuratur, ut poſtmodum ventrem ſiſtat. Non tamen ideò rejicimus uſum rerum phlegmaticarum internum, ſed diſtinctionem faciendam volumus inter rem medicam & nutrimentalem, ita ut ſi pro nutritione hæc ſimplicia expetantur, eorum vis laxativa ipſis prius dematur; eſt enim ad nutriendum inutilis, imò noxia, cum concoctioni legitimum tempus haud concedat, ſed ingeſta præmaturè ejiciat, ſi verò ad uſum medicum pro corpore evacuando, in iſtis nimirum hominibus, quorum vaſa nimiâ infarctione turgent, vel ſucci ex limoſis meatuum obturationibus ſtagnant, tunc ipſorum virtus evacuativa multa coctione neutiquam caſtretur, ſed potius pro re nata fortioretur, ut largum ventris fluxum concitare queant, nam ſi ipſa natura ſæpiſſimè diarrhœam excitat cum magna ſalute, quidni & arti ſagaci naturam ſequi juſſæ in ſimilibus caſibus, ubi è re eſſe conjiciendum eſt, idem liceret?

Collectio ad uſum medicum aptiſſima eſt Sole exiſtente in Scorpione, inter horam quartam & octavam veſpertinas, ad nutritionem verò quando in optima ſunt viriditatis ſubſtantia.

Præpa-

Præparatio & *additio* tales adhibendæ ſunt: capiantur ex hoc gradu tres partes exempli gratia herbæ mercurialis manipuli tres; è quarto gradu Virginis ſerpentariæ majoris, vel centaurii minoris vel ophioglosſi manipuli duo, atque è quarto gradu Aquarii foliorum coryli vel malvæ manipulus, coquantur hæc in æqualibus partibus vini & aquæ fontanæ, vel duabus vini albi & tribus aquæ usque ad herbarum mollitiem, quo facto jus decantetur, at ſi ullum ulcus vel fiſtula in tibiis, mammis, pudendis vel pedibus exiſteret, illud hoc jure ad tolerantiam calente ſedulo eluatur, & ſine modeſtia ſurſum deorſumque confricetur, ac demum coctæ herbæ in modum cataplasmatis in ipſum ulcus deſuper applicentur, & tepefacto linteo alligentur, idem omni manè & veſperi repetendo.

Ad internum autem uſum ſemper ea quæ intrò ſumi valent, prius paululum in recentiſſima aqua fontana paululum coquantur, nón diu tamen, ne etiam eſſentialis virtus eliciatur, ſed ſaltim ſuperfluum phlegma deponatur, tumque herba mox exempta in altera recenti aqua vel juſculo in legitimum ferculum coquatur, quod pro laudabili nutrimento tutò comedi poteſt, decantata verò primæ ebullitionis aqua inſervire poſſet in ventris aſtrictione, ſi ejus ſubinde hauſtus bibatur, laxat enim inſtar decocti ſenæ, præſertim ſi decoctio in ſero caprino fiat, ſuntque qui in obſtinata ventris inobedientia ad mercurialem tanquam ad ſacrum anchoram confugiunt, acceptantes ejus circiter manipulum, ac foliorum betæ tantundem. Coquuntque hæc in juſculo communi, ejusque horæ intervallo ante paſtum hauſtum bibunt, quo non tantum pro iſta vice ſed & de futuro laxioris alvi fiunt.

Uſus prædicti decocti eſt, ut ulcera phlegmatica eo per aliquod tempus quotidiè laventur & cataplaſmate herbaceæ ſubſtantiæ percoctæ tepidè obligentur ad ſanationem usque, quæ brevi ſequi ſolet, expurgant enim omnem pravitatem funditus, & cavitatem nova carne explent mirabiliter, at ſi ſimul fiſtula dictis in locis adſit, tunc qualibet ulceris elotione etiam aliquid pulveris è quarto gradu Cancri, ſcilicet torrefacti ſempervivi, vel fungi ſambucini, vel exuſtarum ranarum, vel oſſiculorum piſcium, vel combuſtarum halcyonum (gebrannt Eisvogelpulver) vel ardearum, vel ſimilium in quarto gradu Cancri conſignatorum inſpergatur; hæc autem inſperſio pulveris ſuccedat impoſitioni cataplasmatis herbacei horæ ſpatio ab impoſitione elapſo, quando nimirum cataplasma ſiccefcit. Fiſtularum curatio.

At ſi fiſtula alio in loco exiſteret videlicet in genu; tunc pulvis inſpergendus aliter parari deberet, eò quod genua ſub Capicornum pertinent, ideoque inſpergendo pulveri aliquid addendum foret ex triplicitate melancholica deſumptum, uti ſunt; pulvis combuſtæ talpæ, vel corticum quercus, vel telæ aranearum & ſimilia, quæ tamen nullate-

nus prorſum incinerari ſeu exuri debent, ita enim omnis virtus periret, & ſaltem alcali cinerum remaneret, ſed torreantur tantummodò & parùm adurantur, ut ſpiritu humido priventur, & friari poſſint in pulverem, qui injectus ulceri fluido humiditatem deperditam reſarcire cupiens ſuperfluum ulceris humorem in ſe ſorbet, & ſanationem expedit, hujuſcemodi itaque pulveris ſcilicet talpæ vel viſci querni cape unam partem, & ſesqui partem è Cancro, nempe pulveris ſempervivi vel herbæ cancri, commiſce, tum etiam lavamentum aliter para, capiendo ex hoc gradu ſcilicet mercurialis tres partes, morſus diaboli duas partes, coque hæc in tribus partibus aquæ fontanæ & duabus vini albi, decocto elue fiſtulam, ac deinde herbam contuſam ſuperliga, & ubi cataplasma ſicceſcit, prædictum pulverem inſperge, atque idem in omnibus quotidie bis vel ter reitera.

Sin autem alterutrum femur foret fiſtulatum, quacunque parte inter ingvina & genua fiſtula extaret, tunc iterum pulvis injiciendus aliter conſtare deberet, exempli gratia cape viſci betulini unam partem, herbæ cancri toſtæ duas partes, miſce & inſperge. Interea quoque opus eſt ut evacuatio corporis hanc externam applicationem ſemel atque iterum præcedat, ubi mercuriales purgationes, ſeu ex argento vivo legitimè præparato baſin purgationis fundantes omnia alia ſuperant, uti nos ſumus affatim experti, atque etiam aliorum Archiatrorum multiplici experientiâ certiorati.

TRACTATUS IX.

De ſigno antipathico Piſcium, ejusque proprietate & dominio generali.

PIſces ſunt ſignum tertium & ultimum triplicitatis phlegmaticæ, in quo Sol menſe Februario usque ad ingreſſum ſuum in Arietem volutione ſua occupatur, atque ita in hoc ſigno curſum per duodecim ſigna abſolvit, ac jure merito anni finem facit atque novi anni initium in Martio, eſtque planè inordinatum & contra curſum Naturæ à Julio Cæſare inſtitutum Calendarium Romanum, quod novum annum inchoat, antequam prior ſit elapſus vel verè finitus, ſed potius dies ultimus curſus ſolis per duodecim ſigna debebat etiam eſſe ultimus anni & menſis Februarii; Is autem ipſe dies, quo fit ingreſſus Solis in primum ſignum zodiaci ſeu Arietem, primus dies ſequentis novi anni & Martii haberi conveniebat; ſignum hoc eſt frigidum & humidum in declinatione, ſcilicet in quo ſpiritus phlegmaticus ſenſim ceſſat, materialitas verò ſuperflua & exceſſiva eſt, & paulatim in terreſtrem ſeu frigidam & ſiccam mutatur; hujus itaque ſigni ſimplicia absque valida correctione pro interno uſu parum valent, imò in duobus gradibus poſterioribus ſulphur terreſtre narcoticum & frigidum aſſumunt, homini internâ acceptione noxium & in gradu hujus

jus ſigni extremo omnino lethiferum. Præſidet hoc ſignum tempori veſpertino finali, incipienti hora ſeptima, nonâque veſpertinis deſinenti, quo tempore Salvator noſter cœnam paſchatis cum Apoſtolis cœnavit, ac Sacramentum Cœnæ Dominicæ inſtituit, diſcipulorum ſuorum pedes lavit, & à Juda proditus eſt: Denique ultimum hujus trigoni terminum laude & gratiarum actione Divina nobis in exemplum concluſit canendo cum Apoſtolis hymnum; Dominium itaque ſigni Piſcium verus terminus veſperæ Europæorum eſſe debebat & noctis principium; competit quoque ipſi tractus occidentalis qui eſt inter corum & favonium, item pallor verſicolor, qualis in lapide opalo, floribus papaveris & ſimilibus elucet, ſapor ipſius eſt dulcedo aquoſa ſtupida & ſenſim acerbeſcens, qualem papaver, cucurbita, aliaque hujus gradus ſimplicia lingvæ guſtabilem faciunt, qui demum in narcoticis abit in amarorem ſylveſtrem nauſeabilem, imò furentem ſaporum pugnam, ſumma enim frigiditas tandem omnia congelare ſatagens, & obluctantem rerum medullam vitalem ſentiens, quæ congelari non vult, eam violentâ frigiditate adoritur, cui illa ſe pro viribus opponit, & ex iſta lucta furens ſapor frigidus emergit, & abominabilis amarities, calidam nimirum rerum ignearum amaritudinem mentiens, & tamen extrema perfrigeratione ſtupefaciens.

De partibus corporis Piſcibus ſubjectis, antipathiaque eorum.

SIgno Piſcium ſubjiciuntur inteſtina tam tenuia quàm craſſa, itē uterus ipſiusque collum, & veſica urinaria; exterius verò pedes, una cum nervis tibiarum. Antipathia autem Piſcibus intercedit cum ſigno Leonis, cujus acredo fellea hiſce partibus inimica, atque ad eas delata roſionem ulcerantem excitat, & defluxiones phlegmaticas ad loca ulcerata convocat; facile etiam hæc loca læduntur à frigore glaciante, præſertim pedes, eò quod iſta quæ huic ſigno ſubſunt, defectum habeant ſpiritus phlegmatici, & ob paucitatem ſpirituoſitatis debilia ſint, nec glaciationi reſiſtere queant, quemadmodum aqua communis ſimplex faciliimè glaciatur, ſalſa verò & ſpirituoſa non facilè, ob fortem reſiſtentiam ſpiritus. Nec minus promptè hæ partes quoque inflammationem ſuſcipiunt, præſertim tibiæ, eò quod in ipſis Aquarii ſedes ſit, cujus adverſarius eſt Saturnus ſeu Virgo, & per antipathiam loca Aquarii ex levi occaſione afficit, imprimis in tibiis, quæ ex ea adverſitate facilè inflammantur, ubi nervi ſimul patientes ab inflammatione haud difficulter corrumpuntur, ſunt enim frigidiores & perpaucæ ſpirituoſitatis, nec magnoperè incendio reſiſtere poſſunt, hinc fit quod inflammationes crurum leviter in gangrænam terminentur.

De ſimplicibus primi gradus Piſcium, eorundemque operatione ſpeciali.

SUb hunc gradum pertinent ſequentia: nimirum potamogeton Samkraut; flos frumenti, cyanus blaue Kornblumen; lentes Linſen mit aller Subſtantz; mala perſica absque nucleis Pferſingäpffel ohne die Kerne; carduus eſculentus, cinara, ſcolymus Strobildorn / Artiſchock; mala inſana, poma amoris Melantzen; lenticula paluſtris Meerlinſen; piſcis perca Berſichfiſch; cucumeres Gurcken; citrulli, anguriæ Angurien; melones Melonen.

Vires harum rerum ſunt, quod interno uſui medico parum idonea ſint ob nimis abundantem earum materialitatem, exterius verò refrigerant, & inflammationes ſedant, aquæ earum deſtillatæ abſterſivâ qualitate præditæ ſunt, qua cutem mundant, dentes dealbant, atque eorum dolorem tranquillant, quædam ex hisce vulgò etiam comeduntur, at cum exigua utilitate, lubricante enim & nimium perfrigerante phlegmate ſcatent, qua interiora viſcera relaxant, & alvum iſta lubricatione proritant, præſertim ſi crudè devorantur, uti ſolent cucumeres & melones, nec non mala perſica, merâ enim cruditate aqueâ mucilaginosâ conſtant, quæ non modò concoctionem reſpuit, ſed & aliorum meliorum alimentorum digeſtionem turbat, eaque præmaturè exturbat, pravos ſuccos in corpore gignit, ad putreſcendum proclives, febriumque incenſionem, quibus multi eorum immodico uſu interierunt, at ſi aliquandiu in aceto prius macerantur, inſigniter corriguntur, ut jam vulgò notiſſimum eſt; optima autem omnium phlegmaticorum, quæ coctioni culinariæ uſitata ſunt, correctio in eo conſiſtit, ut prius in aqua puriſſima parum bulliant, ut ſuum phlegma deponant, tum priori aquâ abjectâ, recenti reaffuſo jure demum percoquantur.

Collectio horum ſimplicium, pro externa refrigeratione fieri debet poſt menſem Junium, ante ipſum enim collecta potius ſub Cancrum pertinent, prout viciſſim Cancri genuina ſimplicia huc referenda ſunt, ſi Junio jam prætergreſſo, vel florendi eorum termino præterlapſo decerpantur, conquirenda tamen ſunt ante maturationem, quando etiamnum viridia & ſucculenta ſunt, piſces verò hujus gradus per totum ferè annum huic uſui inſerviunt. *Præparatio* recentium herbarum eſt, ut in ſucculentum cataplasma contundantur, unà cum *additione* è Geminis & Tauro petitâ, ut hoc modo alieno ſpiritu habilitentur, cum proprio ſpiritu ferè careant, & ne nimia ſua frigiditate per ſe noceant; capiantur itaque ex hoc gradu tres partes, ex ſecundo Geminorum una pars, & è tertio Tauri duæ partes, hæc in pulticulam tuſa æſtuantibus locis applicentur, recentes quoque & ſucculentæ herbæ prælo poſſunt exprimi, ſuccusque expreſſus recenti herbarum quantitati affundi, at-

que ſic ex ipſis aqua deſtillari poteſt.

Piſcium verò hujus gradus oſſicula & ſpinæ mundantur vel coquendo in aqua vel abluendo, tumque exſiccantur, atque in pulverem teruntur pro uſu aſſervandum.

Uſus hujus pulveris eſt ad dealbandos dentes, qui eo mediante linteolo probè ſurſum deorſumque fricantur, donec flava, vel atra eorum ſpurcities probè defricetur, & ſi radicibus dentium ſemioſſea cruſta adſtata ſit, uti plurimis ſolet, ea cultro abradenda, hic enim pulvis ipſam tardè admodum defricaret, at deraſioni cultri vel alterius metallici durioris inſtrumenti mox cedit, tumque demum decruſtatæ dentium radices pulvere conſimiliter probè & diu confricentur, deinde verò os præfata hujus gradus aqua quadam ſtillatitia optimè colluatur, hæc autem dentium frictio & collutio aliquoties repetendæ ſunt, & brevi dentes bellè dealbabuntur, poteſt quidem etiam ex aliis rebus ſcabris ſcilicet pumice, tartaro vini crudo, lateribus, oſſe ſepiæ, corallis & ſimilibus in pulverem tritis ejusmodi dentifricium parari, eoque itidem dentes dealbari, at jam laudatum melius eſt, non modò enim dentes mundat & dealbat, ſed & peculiariter ipſis conducit, & eorum dolores demulcet.

Ad ſedandas verò inflammationes præfatum cataplasma tepidè applicatur, & exactis aliquot horis reiteratur, efficacius quoque evadit, ſi parte cremoris lactis (Milchraam) contemperetur, idem etiam præſtat mitius tamen commemorata aqua, quadruplicatis linteolis in eam tepefactam intinctis ſæpius locis inflammatis applicata. Ad abſtergendam verò & nitidam reddendam cutem prædictarum rerum aquæ bis vel ter deſtillari debent. Ita enim eò abſterſiviores redduntur, præ reliquis tamen præſtat aqua cyani & lentium tam ad nitorem cuticulæ quàm dentium alborem conciliandum.

Commemoratæ aquæ hujus gradus ſtillatitiæ adhuc longè potentiores fiunt ad reſtingvendas inflammationes, ſi prius per propriarum herbarum combuſtarum cineres, vel alios lixiviali ſale divites, quales ſunt cineres fagini, querni, palmitum vitis, ſalicis, vel etiam per calcem vivam colentur, ita enim præter connatam ſibi frigefaciendi qualitatem etiam igneam arripiunt, quæ quamvis ſit calidiſſima, tamen non minus potenter frigefacit & inflammationes reſtingvit quàm altera illa frigefaciens, extrahit enim à loco inflammato ſui ſimile nimirum uredinem, eâque locum liberat, non aliter ac aqua frigida ex ovis vel pomis glaciatis frigus, & ſpiritus vini ex ambuſtis incendium ceu ſui ſimilia eliciunt & annihilant, hac igitur ratione præfatæ aquæ dupliciter reſtinctioni inflammationis aptæ fiunt, qualitate enim frigidâ & humidâ ardorem oppugnant & extingvunt ut aqua flammam, igneâ verò eum penitus extrahunt tanquam ſui ſimilem, valentque mirum in mo-

dum ad ignem perſicum, eryſipelas, ipſamque gangrænam incipientem, ſed quò vehementior inflammatio adeſt, eò plus ditandæ ſunt iſtæ aquæ ſalſedine ignea lixiviali, perçolando nimirum eas aliquoties per præfatos cineres, in defectu autem cinerum accipe ſalis petræ & tartari vini crudi æquales partes, tere eas invicem in pulverem, quem admotâ prunâ vel ferro ignito ſuper laminâ quadam vel marmore plano incende, & ſic confeſtim detonatione abeunt in maſſam ſeu ſalſedinem igneam lixivialem, quam contunde ejusque manipulum in libram circiter hujusmodi aquæ, vel ſi nulla earum ad manus ſit, ſaltem in vulgarem fontanam conjice, ac parum invicem coque, ut ſaltem ſalſedo in aqua liqueſcere poſſit, tumq; aquam cola, & intinctis linteis loco inflammato applica, intinctionem ſæpius reiterando, ſi tamen ad gangrænam adhibere eam velis, oportet prius locum ipſius profundè ſcarificare, ut liquor eò citius ingredi poſſit, & tunc eam potenter ſiſtet, eò quod ſalſedo lixivialis per flammam ignis omni pingvedine inflammabili ac ſpiritu proprio evaporabili orbata ſit, ideò ſpiritum alienum inflammationem facientem è loco inflammato ſcarificato avidè attrahit, ac loco amiſſi proprii in ſe ſorbet, quo abſorpto inflammatio ceſſat, hoc autem ita ſe habere, quilibet mox experiri poteſt, ſi ulli cineri, vel ſalſedini lixiviali ſuperfundat ſpiritum quemcunque vehementi igne deſtillatum, ſcilicet vitrioli, nitri, ſalis, vel alium, tanto enim appetitu is à ſalſedine exuſta combibitur, ut magnum ſtridorem excitent, imò quamlibet aciditatem lixivialia cum ebullitione arripiunt, eò quod aciditas ſitim reſtingvat, omnia autem exuſta ſiticuloſa ſint, idcircò acida confeſtim cum ſtridore combibunt; idem ergò etiam in loco inflammato faciunt, ſorbendo in ſe ſpiritum alienum inflammabilem, qui ſemper acidus & mordax eſt, uti hoc quilibet vapor fumoſus ab igne aſcendens docet, nunquam enim non oculos mordet, & ſi capi poteſt, ſaporem acidum præbet, more flammæ ſulphuris communis per campanam exceptæ, qua nil ſapit acidius. Laudatus ergò liquor lixivialis ejusmodi inflammationes optimè reſtingvit, ſive ſolis linteis applicetur, ſive prius oleo roſaceo contemperetur, donec invicem lacteſcant, quæ mixtura lac aureum nominatur, ac mirè ardorem eryſipelatis linteis appoſita ſiſtit, præſertim in tibiis Aquario quidem ſubjectis, at propter nervos hujus ſigni clientes, ut plurimum etiam hiſce ſimplicibus auſcultantibus; Cæterum præfatis hujus gradus aquis deſtillatis etiam urina noſtra accenſeri poteſt, tanquam veſicæ urinariæ huc pertinentis excrementum, per calcem vivam enim colata prædictis aquis non cedit, & peculiariter pedibus inflammatione podagrica laborantibus levamen affert.

Gangrænæ curatio.

De ſimplicibus ſecundi gradus Piſcium, ac eorum operatione ſpeciali.

HUc pertinent: geranium puteis innaſcens Storckenſchnabel ſo in Brunnen wächſt; rapa majora groſſe weiſſe Rüben lang und rund; napi Steckrüben; cucurbita Kürbs; cucumeres majores groſſe Gurcken; braſſica capitata Kappeskohl; fagus cum tota ſubſtantia Buchenbaum mit Blättern/Frucht und allem/ angvillæ caro & ſpina Ahlfleiſch und Gräten; barbonum piſcium oſſicula, der Barbenfiſche Beinlein und Gräten; momortica, balſamina, viticella Balſamäpffel; atriplex ſylveſtris Schoßmalten.

Vires harum rerum ſunt, quod inſigniter conducant pedibus inflammatis, dolentibus & tumore calido turgidis, in hisce caſibus virtute his affectibus contraria agunt, quemadmodum aqua extingvit ignem, nec minus potenter ſuccurrunt pedibus à frigore læſis & pergelatis, ubi gelu tanquam ſui ſimile extrahunt, quod etiam alia frigida præſtant, ſi enim pergelato atrociſſimâ hyeme naſo, vel alii parti nix applicatur, vel aquæ frigidiſſimæ pars gelu enecta immergatur, gelu ab applicato hoc frigore extrahitur, internusque partis calor ſenſim multa cum punctione regliſcit, & ſi poma, ova, rapa & ſimilia pergelata injiciuntur aquæ frigidiſſimæ, gelu adeò fortiter ab aqua frigida extrahitur, ut circumcirca denſa glacies exteriorem injectæ rei partem circundet; econtra ſi quis alicubi corporis ambuſtionem ab igne patiatur, & locum ambuſtum mox igni cominus adhibeat, ita ut calor ignis in parte ambuſta probè ſentiatur, tunc fervor ignis extraneus læſionem ab igne illatam ceu quid ſui ſimile iterum evocat non tamen absque dolore ingenti, non modò enim ignis propè admotus de novo urere videtur, verùm etiam æſtus inflictus retroceſſione ſuâ dolorificè uſtulat, at ſi patiens aliquandiu id ſuſtinet, omnis ſenſim dolor & læſio evaneſcit.

Collectio fit menſe Octobri, ſeu quando hæc matura ſunt, ubi per hyemem aſſervata virtutem hanc retinent.

Additio & Uſus tales ſunt: quandoquidem hæc ſimplicia omnis ſpirituoſitatis expertia ſunt, habilitanda veniunt è tertio gradu Tauri & ſecundo Geminorum, vel primo ſecundove Aquarii, exempli gratia, ſi inflammatio bilioſa in alterutro pede, eorumve digitis exoriretur, qualis eſt paronychia ſeu apoſtematio ungvium in pedibus, tunc ex hoc gradu accipe foliorum cucurbitæ, vel quod melius eſt, atriplicis, ſesquimanipulum, ex Aquario mellis duo vel tria cochlearia, atque è Tauro piloſellæ minoris dimidiatum manipulum, coque hæc in ſufficienti aqua ad pulticulam, quam molliter contuſam tepidè applica, extrahit ardorem & dolorem, mel enim naturæ calidæ exiſtens ſui ſimile attrahit, hæc verò ſimplicia contrario modo igneam caliditatem extingvunt.

Si

Si verò dolor à cauſa frigida adeſſet, tunc ex hoc gradu cape integram cucurbitam majorem recentem & benè maturam, perfora eam ſtylo ferreo vel ligneo duobus vel tribus in locis, poſtea ſuſpende eam in aëre libero umbratili, ut probè ſiccetur, tum eam in minutiſſimas partes conſcinde, quarum accipe tres partes ſeu uncias ſex, è tertio gradu Tauri ſucci potentillæ, vel foliorum roſarum ſylveſtrium quatuor uncias, è ſecundo gradu Geminorum ſucci lappæ majoris duas uncias, olei lini uncias octo, coque hæc ſimul, donec ſucci conſumantur, reliquum fortiter exprime, hoc oleo locum dolentem ſæpius calidè perunge, extrahit omnem doloroſitatem non ſolum è pedibus ſed & cruribus & femoribus.

Si verò tempore hyberno ab atroci frigore pedibus pergelatio accidat, tunc locus ultra modum perfrigeratus exulceratur pravis ulceribus, in hoc caſu accipe ex hoc gradu bonam quantitatem raporum majorum in fruſtula conciſorum, coque ea in tribus partibus aquæ & una parte vini albi, ad mollitiem, decoctione factâ crura & pedes ſuper vaporem iſtius decocti colloca, ut ejus halitu tepido afflentur, & teporem remiſſum, at nequaquam fortem initio ſuſcipiant, donec paulatim intepeſcant, tunc crura penitus decocto immergantur ad genua usque, quod ideò in majori quantitate apparandum eſt, demumque rapa decocta loco affecto applicentur, idque ſæpius reiteretur, quousque cruribus ſenſatio redeat, tum cape è Geminis liquoris in ollis butyri maialis ſalſi fluctitantis, quantum ad manus ſit, raporum ex hoc gradu tres manipulos, è Tauro vincæpervincæ duos manipulos, mercurialis quatuor manipulos, aquæ tres partes, vini albi unam partem, coque ea ad mollitiem, eoque decocto crura quotidiè calidè fomenta, & ſi crura aperta foramina ulcerata acquirant, ea elue aqua foliorum quercus, ac deinde pulverem è combuſta ſiligine inſperge (ſiligo in ollulis obtectis aduratur tantum ut humiditatem aliquam emittat, non autem omnino in cinerem concremetur) cape quoque pulverem olibani, farinam ſiliginis, & herbam mercurialis, coque ea in duabus partibus aquæ & una vini in cataplaſma, quod ſuperpoſitum ulcus ad ſanitatem perducit.

De ſimplicibus tertii gradus Piſcium, atque eorundem operatione ſpeciali.

Huic gradui ſubſunt ſequentia: nempe Coriandrum, gemeiner Coriander; melanthium, nigella cum ſpeciebus omnibus ſchwartzer Coriander mit allen Geſchlechten; papaver album & nigrum weiſſer und ſchwartzer Magſamen; papaver erraticum, Klapperroſen / rote Kornblumen.

Vires iſtorum ſimplicium ſunt, quod præcedentibus etiamnum ſint frigidiores & materialiores, pro intrinſeco itaque uſu nequaquam tuta ſunt, ſed aliquo modo venenata,

abun-

abundant enim ſulphure terreſtri frigido, quod intrò acceptum vivificatur, ſuperiora petit, cerebrum gravat, ſangvinem incraſſat, ejusque circulationem hebetat, atque arterias inficit, abſtinendum igitur eſt ab incorrecta eorum interna aſſumptione, imò etiam à vulgatam correctionem paſſis, qua nimirum Pharmacopœi papavera ſaltem ſacharo ſarcinant, atque ita ſua diacodia ſtupida parant, quæ quàm noxia ſint, ipſimet etiam optima valetudine fruentes brevi adverſuri eſſent, ſi per aliquot dies iſta largiter aſſumerent, at ſi prius debita correctio hisce accedat, tunc ſine damno propinari poſſunt, roborantque ſtomachum, internum æſtum reſtingvunt ac ſomnum placidum conciliant, absque tali autem correctione tantummodò exterius valent pro repercuſſivis, incipientem enim inflammationem & apoſtemationem validè ſua ingenti frigefactione extingvunt & repercutiunt, dolorem capitis ſedant æſtuatorium, interius verò incorrecta accepta ſtupefaciunt, inſaniam pariunt, ſomnumque lethiferum perfacilè conciliant.

Collectio eorum pro externa refrigeratione inſtituenda eſt menſe Majo & Junio, quando in optima ſunt ſucculentia, ſemina verò, quando maturuerunt, Sole jam jam occubituro.

Correctio horum ſimplicium præſertim verò uſualium hujus gradus ſeminum pro interno uſu talis nunquam non adhiberi debet: imponantur vaſi ſat capaci lapideo vel devitreato, at nequaquam metallico ipſisque ſuperfundatur acetum vini acre, & aqua limpidiſſima fontana frigida æqualibus partibus, ut aliquot digitorum transverſorum altitudine ſupereminëant, & ita relinquantur in maceratione per horas viginti quatuor, quibus elapſis ſemina, decantato liquore, in loco calido, at non in radiis ſolis ſenſim reſiccentur, & ad omnia verè ſunt correcta, herbæ quoque eodem modo correctæ, & reſiccatæ ad uſum aſſervari poſſunt, vel mox pro decoctis, aliisque ulterioribus præparationibus adhiberi: ſemen coriandri & nigellæ hoc modo correctum fit calidum & ſtomachicum, ſemina papaverum evadunt tuta & tranquillativa, posſuntque lacti incoqui vel aliis modis aſſumi, ſedantque tuſſim & raucedinem, arteriam aſperam lævigant, expectorationem expediunt, defluxiones acres à pulmonibus depellunt, catarrhos ſiſtunt, quietem & ſomnum inducunt.

Pro externo autem uſu ſufficit, ut herbæ teneræ & virides additione aliarum convenientium herbarum corrigantur, ſcilicet tribus ex hoc gradu partibus adduntur duæ partes è tertio gradu Tauri vel Capricorni, & una è tertio Geminorum; exempli gratia ſi quis æſtuante capitis dolore laboret cum immodicis vigiliis, tunc capiantur ex hoc gradu herbæ cum tenellis capitibus papaveris manipuli tres, herbæ potentillæ vel arnogloſſæ vel virgæ paſtoreæ manipuli duo, chelidonii minoris manipulus, coque hæc in aqua fontana,

tana, & refrigerato decocto patientis pedes immergantur per unam vel alteram horam, poteſt quoque portio herbarum iſtarum in pulticulam tuſa, & aceto parum irrorata pulſibus & temporibus applicari, at ſi ſomnus exinde ſequatur, ab hoc uſu deſiſtendum, pergente autem defectu ſomni accipe ſemen nigellæ, contunde in pulverem, cui affunde tantum olei roſacei, ut fieri queat pulticula juſtæ conſiſtentiæ, quam in modum emplaſtri vertici applica, ut ipſam ejus cavitatem ſuturamque coronalem ſubintret, & ſomnum conciliabit, quo adventante mox hoc cataplaſma removeatur. Veruntamen in ejusmodi caſu, flagrante nimirum ſimul vehementi interno incendio febrique acuta, etiam interna reſtinctoria in uſum vocentur, de quibus alibi egimus.

Poſſunt quoque ex hiſce herbis ſucculentis aquæ deſtillari absque præfata additione, quæ ſimili modo exterius potenter refrigerant, æſtum & dolorem capitis ſopiunt & ſoporant, ſaltem linteis applicata, poſſunt quoque modicè bibi, admixtâ tamen prius portione aceti, vel aliquot guttis ſpiritus vitrioli, & potenter reſtingvent.

De ſimplicibus quarti gradus Piſcium, atque eorundem operatione ſpeciali.

GRadui huic adjudicantur ſequentia: ſcilicet omnes ſpecies ſerpentum præſertim viperæ, alle Schlangen Geſchlecht/ und ſonderlich die Naterſchlangen; torpedo piſcis, ein Fiſch alſo genannt; ſolanum album, weiſſer Nachtſchatten/ſolanum hypnoticum Dollkraut; papaver cornutum gehörnter Magſamen; Opium fremde ausgedrucknete Magſamenmilch; mala inſana Dollåpffel; ſtramonia Stechåpffel; pes anſerinus Gansfuß / Sautod; cicuta, Schierling/ Wůterich; ſemen hyoſcyami Pilſenſamen; napellus Eiſenhütlein; uva inverſa, Wolffsbeer.

Vires harum rerum ſunt, quod ad unam omnes venenum vehant, quod in ſulphure terreſtri aquoſo conſiſtit, atque ingentem & exceſſivam frigiditatem inducit caloris noſtri nativi ſuffocativam, atque ideò neque pro interno nec externo uſu conveniunt, ubi tamen legitimè correctæ fuerint, magnarum ſunt virium extrahendi externâ applicatione venenum, quando nimirum bubonibus & anthracibus peſtilentibus, ſtigmatibusque & furunculis malignis adhibeantur, tunc ſorpto ad ſe veneno peſtifero hominem alioqui eo procul dubio interiturum liberant, ac toxicum tanquam ſui ſimile vi magnetica ad ſe trahunt, nilque maligni in ejusmodi ulcere peſtilenti relinquunt. Quædam etiam partim per hominum audaciam, partim per fortuitam inde ſeqvutam ſalutem dudum intrò dari cœpta ſunt, ſcilicet caro viperarum præparatarum, opium correctum & ſemen hyoſcyami album, quę hactenus ſæpè ſpe majora ad reconvaleſcentiam fecere, nec dubium eſt quin etiam reliqua, ſi ſumma correctio eorum innoteſceret, adeò mitigari

gari poſſint, ut incredibili cum fructu tutoque intra corpus queant exhiberi.

Correctio eorum ad quemlibet uſum externum hæc eſt, imponantur vaſi lapideo vel devitreato, ac ſuperfundantur ipſis partes tres aquæ fontanæ limpidiſſimæ, duæ partes aceti vini acerrimi, & una pars vini albi non fortis, ad eminentiam ali quot digitorum transverſalium, & ita relinquantur in infuſione, ſicque ſulphur eorum ſtupefactivum partim extrahitur, & in ſuperfuſum liquorem ſecedit, partim verò mitigatur, ut per externam applicationem haud noceat.

Uſus eſt, ut ipſis additio fiat è triplicitate contraria ſcilicet cholerica, imò pleraque etiam ob ſulphur eorum terreſtre ſub Capricornum pertinent, atque ita pari modo ſangvineam triplicitatem contrariam habent, poſſuntque tam ſangvineis quàm cholericis ſimplicibus additis huic uſui inſervire, exempli gratia napello hoc modo correcto poteſt addi pars æqualis ficuum recentium vel teneriorum foliorum malvæ aliorumve ex Aquario, vel etiam ranunculi viridis & ſuccoſi, vel alterius ex Leone, vel addantur ficus ex Aquario, & è cholericis ſuccus raphani ſimul, hæc probè contundantur in pulticulam, quæ buboni ſuperimponatur, & à duobus contrariis ſibi invicem nuptis mox excitatur putredo bubonem reſolvens, & virus evocans.

Bubonum ruptivum.

Serpentes & viperas quod attinet, quamvis ultra bis mille annos celeberrimus ſit eorum uſus internus, attamen perpetuò de ipſis notandum, non temerè & quavis levi de cauſa quicquam viperei intrò accipiendum, non tantum ob contrariam eorum qualitatem cum temperamento humano, & veneficam frigiditatem, verum adhuc magis ex reſpectu reverendiſſimæ divinæ ordinationis, & immutabilis ipſius decreti expreſſis verbis in ſacris literis Gen. 3. promulgati: *Pono inimicitias* inter ſerpentem & mulierem, interque ſemen ſerpentis & ſemen mulieris &c. cum ergò meritò pro hoſte habeamus quem noſter Auguſtiſſimus Imperator hoſtem declarat, cur non multò magis per omnem vitam omnem ſerpentum prolem ceu nobis irreconciliabiliter hoſtilem devitemus, quandoquidem ipſe ſacroſanctiſſimus Creator ſerpentem noſtrum inimicum declaravit, & maledictum pronunciavit? neſcimusne quid noſter Imperator in hos ſtatuat, qui poſthabito ipſius promulgato decreto cum inimicis colludunt? an fortè Deus Deorum terribiliſſimus, qui hunc ordinem tam ſtrenuè in hisce inferioribus ſervat, & cujus comparatione etiam Rex totius Orbis maximus lixâ vilior eſt, expreſsè à ſe interdictorum nullam rationem habebit? attamen cum viciſſim quoque æquum ſit inimicorum ſpoliis uti, utique non abſonum erit, captos & interemptos hos inimicos dono ſingulari, quod intra ſe reconditum habent, ſpoliare, & in noſtrum uſumfructum convertere; donum iſtud conſiſtit in

virtute alexipharmacâ & venenorum frigidorum attractiva, qua ſerpentes tanto magis pollent, quanto venenatiores ſunt, attrahunt enim venenum frigidum in ſe, ceu ſui ſimile, qui ergò rectè eos applicare norit, magna ipſis præſtare poteſt in curatione peſtis, febrium malignarum, lepræ, & ſimilium à veneno frigido oriundorum affectuum, decantatur quoque in hydrope, pleuritide, phthiſi incipiente, ut & intoxicatione à bufonibus, araneis & gliribus.

Præparatio ſerpentum & viperarum vulgata hæc eſt, quod ipſas capiant in Martio, antequam ova pariant, degentes nimirum in locis montanis, at non paluſtribus, captas non diu ſupervivere ſinentes, ſed mox capitibus & caudis cum inteſtinis & felle, quæ vulgo venenum creduntur, reſectis & abjectis, reliquum corpus excoriatum in clibano non vehementer calido, vel ſuperpoſitâ prunis leniter gliſcentibus patellâ hinc inde bacillo vertendo & de loco ad locum agitando paulatim exſiccantes, donec friari poſſint in pulverem; Iſta autem rejectitia interanea ſi aliis carnibus involuta canibus & felibus projiciantur, devorantur ab illis absque ullo vitæ detrimento, ſimiliterque ſi ſeorſim exſiccentur, & aliis pecoribus, lue pecuinâ graſſante cum ſale certis vicibus pulveretenus lambenda dentur, iisdem non modò non læduntur, ſed & à lue præſervantur & curantur, ſequitur ergò hæc reliquis haud venenatiora, nec venenum, quo demorſi à viperis læduntur, propriè hisce partibus ſcilicet capiti caudæ ac felli tribuendum eſſe, ſed potiſſimum ab idea iraſcibili, ejusque ſpiritu furibundo in iratis viperis effervescente proficiſci; probatur idem quoque ſuffocatione integrarum viperarum in vino, ſi enim venenatius quid ineſſet, bibitum æquè noceret, ac illud vinum cui alia venena, ut ſunt arſenicum, napellus &c. immacerata ſunt, quod tamen non fit, palam itaque eſt opinionem vulgatam in hac re eſſe falſam.

Verùm enim verò ſunt nihilominus omnes ſerpentes & eorum ſpecies ſeriò à Deo maledictæ, & in ſignum maledictionis ſerpere juſſæ, magna ergò benedictio à rebus maledictis expectari nequit, ac noſtro judicio utendum hisce non eſt, niſi in caſibus deſperatis, aliisque remediis denegatis.

Objicietur hic fortaſſis theriaca, quæ tantas ſuas vires potiſſimum viperis acceptas ferat, atque à tyro ſeu ſerpente nomen acceperit, quibus reſpondemus, etiam hoc falſum eſſe; trochiſci enim viperini quas theriacæ admiſcent, conſtant pauca carne viperarum coctâ, quæ optimas ſuas vires in juſculum decoctionis deponit, quemadmodum vulgaria carnis juſcula meliores ejus vires continent, & plus ægris commendantur ipsâ decoctâ carne, hæc excocta caro viperea optima parte ſpoliata cum magna quantitate micæ panis formatur in trochiſcos, qui poſtmodum theriacæ adduntur, theriacam autem inde nil quicquam melio-

meliorari; inde conſtat quod Mithridatium iſtis trochiſcis omninò carens theriacæ viribus haud cedat, & utrumque ferè ab omnibus æqualium earundemque virium æſtimetur.

Pergentibus autem iisdem inferre, noſtram quidem theriacam antiquiſſimâ eſſe inferiorem, eò quod olim viperæ aliter præparatæ & admixtæ fuerint, equidem non contradicimus, ſed potius id ipſum conſtanter affirmamus, veteres theriacam aliter præparaſſe, laudant enim mirum in modum ſua ſalia theriacalia, quorum præparatio ſequens fuiſſe fertur: accepere viperas quatuor recentiſſimè captas, eisque ollæ ſat capaci novæ ex optima terra confictæ impoſitis ſuperinjecere ſalis Ammoniaci, aut loco ejus vulgaris albiſſimi libras viginti, quibus injectis addiderunt quoque trochiſcos ex gentiana, ariſtolochia rotunda, centaurio minore, cardamomo, marrubio, ſcordio, apio, chamædry nec non ſemine rutæ domeſticæ cum melle confictos, additis etiamnum quinque ſcillis permagnis minutim conciſis, quibus omnibus denuò libras ſalis viginti ſuperadjecerunt; tumque ollam operculo undique foraminulato contectam luto munivere, commiſſurasque clauſere, luto autem probè ſiccato ignem ſubſtruxerunt initio lentum, ac ſenſim intenſiorem, donec fumus per vaſis ſpiracula elevatus, viperarum comburium denunciaret, cujus afflatum à naribus arcebant, ne veneficam noxam haurirent, flammâ autem jam undique luculentâ factâ noverunt partes volatiles nunc eſſe abſumptas; ſiverunt itaque ignem ſpontè decedere, ac vas per horas viginti quatuor refrigefieri, quibus elapſis & aperto fictili materiam evacuatam tenuiſſimèque tritam cribro transcuſſere, ſubtritis ipſi denuo ſemine rutæ, fœniculi, coriandri, granis juniperi, menthâ & pipere longo, nec non aliis ſimplicibus quæ alioquin theriacæ compoſitionem ingrediuntur, fuitque hoc ſal theriacale antiquorum, uti hæc omnia ex ipſo Galeno & Aëtio demonſtrari poſſunt; quibus apertiſſimè liquet ſal Ammoniacum antiquorum nil aliud fuiſſe quàm ſpeciem optimam ſalis communis, cum in hac præparatione ambo pro uno & eodem habeantur, optimum verò apportatum fuit ex illis oris, ubi templum Jovis Ammonii cultum fuit, à quo etiam gummi Ammoniacum nomen ſortitum eſt, quod iſtæ regiones Jovi Ammonio ſacræ optimam ſuppeditarent, nec non ſalem communem aliis ſortibus præſtantiorem, uti hodie ſal Hiſpanicus Gallico aliisque multis præſtat, expetitus ergò iſte ſal Ammonicus fuit ad medicamina, quia maximè acris, nimirum in arena Lybiæ à fervidiſſimo ſole excoctus, in ejus autem defectu ſubſtituebant ſalem alium communem quemvis candidiſſimum, prout iſte proceſſus clarè indicat; hæc præparatio ſalis theriacalis â quibusdam neotericis præſertim Zwelfero exploditur tanquam ſtupida & ineptiſſima veterum inſcitiam ridiculo ſpectaculo

ctaculo depingens, ſed quàm immeritò, tam liquebit jam ex hiſce ut palpari poſſit; prælaudati enim Authores vires hujus ſalis & ejus uſum ad longum deſcribentes præcipuè eum commendant contra corruptionem humorum, unde phthiriaſis oriatur, nec non lepra, impetigo fera, aliaque corruptiva cutis vitia, item contra virus beſtiarum & peſtiferum, lithiaſin, vertiginem, morbum comitialem, icterum, hydropem, colicam, febres, tabem & ſimilia ex corruptis humoribus provenientia mala, quid autem magis confert adverſus quamlibet corruptionem & putrefactionem ſale communi? hinc eo carnes ad tempus aliquod aſſervandæ undique conſperguntur, fiuntque ipſo tutæ contra putredinem & vermiculationem, præfati autem affectus præſertimque peſtis quid ſunt aliud quam putredo & humorum corruptio, optimè ergò ipſis occurritur ſale communi, hoc cum probè veteres cognorint, acceperunt ad hanc operationem ſalem communem optimè candefactum, ne ſordes alienæ corruptioni itidem obnoxiæ ipſi adhærerent, huic candefactioni quoque quædam alia adjecerunt, ſi fortè ex ipſis ſal viribus augeretur, at præcipuus ſcopus conſiſtit in ſale candefacto, licet cætera cuncta omitterentur, per libras autem non præciſè libras civiles intellectas volunt, ſed quod ad ſingulas aliarum rerum partes accipiantur partes ſalis quadraginta, quid ergò reprehendendum eſt in hac ingenioſiſſima præparatione? aut quid efficacius contra omnem putredinem ſubſtituendum, an fortè novorum irriſorum ſalia neoterica theriacalia? ah utinam ſub pœna capitali ipſorum authoribus injunctum fuiſſet carnem recentem iiſdem per aliquod tempus conſervare, & procul dubio mox ipſis innotuiſſet propria inſulſa ſtupiditas, ubi è contra ſale hic edocto in omni recenti carne conſervationem etiam ad aliquot annos præſtare potuiſſent; nonne ergò quod carnem extra nos conſervat à corruptione, idem etiam in nobis faciet? quod autem ipſum vocarint ſalem theriacalem, atque expreſſis verbis ſcripſerint ſali huic jam candefacto addi debere eadem ſimplicia, quæ alioquin theriacam ingrediantur, quid aliud quæſo deſignat, quam quod iſte ſal theriacalis baſis ac fundamentum eſſe debeat theriacæ decantatiſſimæ, cum ſal iſtam intentionem dimicandi nempe contra peſtiferam, venenatam & morboſam putredinem omnem plus impleat cæteris omnibus adjunctis, & quod præcipuus ſcopus ſit ægris exhibendi ſalem puriſſimum tam cum quàm ſine theriaca, in morbis enim acutis ſolet eſſe dejecta appetentia, adeò ut ægri plerunque intra aliquot dies parum vel nihil comedant, mos autem fermè ubique invaluit, ut ſal ſaltem in cibis, non autem in potu aſſumatur, at quum quis diu comedere nequeat, homo autem abſque ſale vivere non poſſit, cordati veteres id probè conſiderarunt, ac ſalem una cum medica-

medicamentis propinarunt; Idcircò in conſtanti ſumus ſententia, principaliſſimum theriacæ ingrediens ſcilicet ſalem marinum vel gemmæ optimè candefactum per aliquot ſecula per inſcitiam è theriaca fuiſſe omiſſum, eamque ideò eſſe pigram & defectuoſam inſtar inſulſi ferculi, quod licet longè optima aromata & alia quælibet ſvavia recipiat, ſolus autem ſi ipſi ſal deſit, ſemper eſt ingratum imò planè inſalubre; redintegrari ergò debebat hic defectus in theriaca, tantumque ſalis marini vel gemmæ optimè & ad aliqualem usque fuſionem igniti ipſi immiſceri, ut quælibet doſis quæ pro adulto minor duabus drachmis non ſit, quindecim vel viginti grana ſalis complectatur. Plura de theriaca Andromachi ſelectius & more hactenus ſervato efficacius paranda ſcripſimus in tomo tertio officinæ noſtræ ruralis Germanicæ, quò lectorem remittimus.

Theriacæ Andromachi defectus ingens.

Opii correctio.

Cæterum quoque de opio ſimplicium hujus gradus haud infimo non nulla dicenda ducimus, præter enim magnificas ejus virtutes alias multiplices etiam theriaca eo carere nequit; verùm ejus additione videmur antiquis palmam præripere poſſe, ſi modò velimus, ipſi enim tantummodò crudum & malignum opium admiſcuere, jam verò plures modi comperti ſunt longè optimè opium corrigendi, & tam interius quàm exterius magna cum ſalute adhibendi, præcipua autem correctio ejus verſatur in remotione ſulphuris ipſius graveolentis ſtupefactivi & narcotici, quod aliter atque aliter ab Authoribus inſtituitur, optimè quidem corrigi poſſet noſtra ad hunc gradum indicata corrigendi ratione, ſi etiamnum integrum ſimplex eſſet, at cum ſuccus ſit inſpiſſatus, non poteſt commodum ſuperfuſis hisce liquoribus ſolummodò ſulphur malignum extrahi, ſed etiam magnæ pars genuinæ eſſentiæ ſimul ſolveretur, & vel abjiceretur, vel iterum bonum cum malo reinſpiſſaretur, proinde alia ineunda ratio eſt, ſcilicet ut iſtud ſulphur intenſiori ignis calore, absq; tamen ſubſtantiæ combuſtione exigatur, donec reliquum melioris odoris & digitis friabile deprehendatur, concidatur ergo opium in fruſtula, & vel per ſe in patella vitrea vel lapidea in fervida arena detineatur, donec ſit friabile & ferè odoris violacei, vel etiam commemorata fruſtula dimidiatæ circiter libræ conſpergantur una vel altera uncia aceti roſacei, atque in ſartagine ferrea moderato igni exponantur, continuò agitando, ut liqueſcant, atque demum unà cum exhalante aceto ſulphur graveolens ex opio rapiatur in auras, illæsâ à mediocri toſtione ſubſtantia opii, & pulverabili remanente, quæ deinde à diverſis diversè ulterius in eſſentiam redigitur, quidam enim hoc opium pulveriſatum ſolvuut aceto roſaceo, alii ſpiritu vini tartariſato, noſtro tamem judicio melius foret ſpiritum aceti & vini combinatum pro ſolvente menſtruo adhibere, ut omnes particulæ opii ſcilicet tam ſulphureæ quàm ſalſæ ſolvantur. Solutio

lutio hæc filtratur & inſpiſſatur, additis cordialibus & alexipharmacis, & ſic evadit in laudanum opiatum, cujus integra concinnatio alibi à nobis indicatur.

TRACTATUS X.

De triplicitate melancholica, ejusque ſigno primo ſcilicet Tauro, ipſiusque proprietate & dominio generali.

A Signis aquaticis convertimus nos ad terreſtria magni Saturni mancipia, qui quamvis ſit planetarum altiſſimus, tamen virtute ſua quoque eſt infimus & reliquorum baſis, & nil aliud quàm vis illa totius Naturæ frigida & ſicca, quæ omnia creata viſibilia conſtringit & corporificat, ut in ſua propria ſphæra perſiſtant, per hanc enim vim totus terræ globus congelatus eſt in corpus ſiccum, qui antea chaos aquoſum fuit, imò etiam aquas in vapore exiſtentes iterum congelat, ut redeant in corpus palpabile fluidum, verùm ob calorem Solis aquam non facilè penitius in maſſam rigidam conſtringere poteſt, niſi calore Solis tempore hyemis procul remoto, tunc enim ingentia flumina imò magnam partem maris hyperborei penitus ſtringit in glaciem, vaporesque aqueos in nives, verùm ſulphure Martis unà copioſè concurrente etiam calore Solis propinquo ſuccos aquoſos conſtringit in corpora lignea, lapidea, metallica, carnea & oſſea, & quo magis hæc duo nempe vis Saturni & Martis concurrunt, eò duriora corpora producunt, videlicet inter arbores quercum, ornum & alia ligna compacta, inter lapides adamantes & ſilices, qui concuſſi mox Patronos ſuos produnt odore ſulphureo, inter metalla, ferrum & chalybem, attactu frigidiſſima, at concuſſione cum lapidibus Saturninis mox ſcintillantia, & in igne plus omnibus aliis incandentia. Cauſam verò, quod hi duo contrarii penitus ſibi invicem planetæ adeò indurata ſubjecta producant, eſſe putamus, quod Saturnus ſemper munere coagulativo fungi percupiat, vis autem ignea Martialis conſtringi nolit, unde Saturnus excandeſcens eò majores conſtringendi vires intendit, & multo fortius & compactius rebellem vincit, eſt enim Saturnus magnus Dei carciger, non modò omnia viſibilia creata commaſſans, & in propriam materialitatẽ includens, verùm etiam in futuro ſeculo ſpiritus & homines Creatori ſuo rebelles catena caliginis æternæ vinciens, & æternos Dei captivos eos efficiens, non intelligimus autem per Saturnum peculiare aliquod numen quondam ab ethnicis adoratum, ſed qualitatem illam frigidam & ſiccam ex voluntate Dei toti Naturæ immiſſam, & à principio creationis ad finem usque Mundi omnibus creatis naturaliter dominantem, nullum enim uspiam ſpatium vel locus eſt, ubi non vel frigiditas vel caliditas ipſo actu adſint, modòque hæc, modò altera prædominetur, nec quicquam eſt, quod hæc duo arcere vel impedire poſſit, omnia enim pervadunt

dunt etiam ſolidiſſima, & quo ſolidius vel compactius quid ſit, eò citius & fortius ab ipſis penetratur, vitrum enim & metalla ſunt ſolidiſſima, at quàm citò incaleſcant & refrigerentur, quilibet novit, imò vitrum tam ſolidum eſt, ut ne aër quidem illud perſpiret, ut quilibet ſuctione fortiſſima in vitro, orificio ſuo colliquato experiri poteſt, perfluxum autem frigiditatis & caliditatis impedire minimè poteſt; frigiditas tamen ſemper potentius ferè in hoc Mundo dominatur, per ſe enim ſubſiſtit, caliditas verò niſi à Sole accendatur, nulla uspiam eſſet, ſed frigiditas adeò ſæviret, ut totus Mundus fortaſſis glaciaretur. Frigida hæc & ſicca triplicitas Saturnina & melancholica comprehendit quoque ſub ſe tria ſigna, ſcilicet Taurum, Virginem & Capricornum, quæ reſpondent quartæ diei parti, nimirum nocti intempeſtæ, & ſenectuti hominis decrepitæ, nec non rigidæ hyemi, competit quoque ipſis tractus Septentrionalis, & ventus cardinalis borealis aquilo cum ſuis collateralibus, ut & elementum terræ, ac temperamentũ melancholicum, unà cum morbis frigidis & ſiccis, cujusmodi ſunt: melancholia hypochondriaca, ventris aſtrictio, palpitatio cordis, anxietas, mœſtitia, timor, deſperatio, inflatio hypochondriorum, tumor & ſcirrhus lienis, hemicrania, aſthma ſiccum, quartana, tympanites, pſora, lepra, vertigo, epilepſia, cataphora, paralyſis, tremor, apoplexia, ſyncope, lipothymia, aphonia, lethargus, gangræna, ſphacelus, macies, cancer, lupus, atrophia &c. item omnia ſimplicia frigida, & ſicca, & quæ ſaporem auſterum, acerbum & acidum edunt; præſidet huic triplicitati Saturnus, & partim quoque Venus.

Cæterum Taurus eſt ſignum triplicitatis melancholicæ primum, harmoniacum, fœmineum, magneticum & ſpirituoſum, in quo Sol menſe Aprili moratur, hujus ſigni dominium ſub ſe comprehendit primam noctis partem, ſcilicet ab hora nona, usque ad undecimam, quo tempore Dominus noſter Jeſus Chriſtus cum ſuis diſcipulis in hortum vireſcentem & ob viriditatem ſuam imprimis huc pertinentem profectus eſt, itaque ardentiſſimè pro Eccleſia oravit, & circa ſummum hujus ſigni dominium è toto corpore ſudorem ſangvineum ſudavit; porrò huic ſigno etiam tractus Septentrionalis competit, unde corus ſpirare ſolet, & coro-boreas, nec non color viridis ſmaragdinus, ſapor ipſius eſt ex inſipido auſtereſcens, qualis in ſcolopendrio, plantagine, foliis quercus, hedera arborea & ſimilibus ſimplicibus advertitur, quamvis etiam Taurus ſignum ſit ſpirituoſum & apertum, ſimplicia tamen ipſius nec odora nec oleoſa ſunt ob frigiditatem, exceptis quibusdam floribus, ſcilicet roſarum, violarum & ſimilibus, quibus à præcedente ſigno calido nempe Ariete, ſub quo flores protruduntur, ſulphureitas quædam fugax imprimitur, at parum vel nihil oleoſa ob frigiditatem, ſingula autem Tauri ſimplicia

plicia ſunt frigida & ſicca in ſpiritu, abundantque ſpirituoſitate, at in materialitate deficiunt, ac propter ſuam defectuoſam materiam plus ſpiritualiter quàm materialiter operantur, attrahuntque & loco movent ubique in corpore humores ſalſos & melancholicas ſuperfluitates, parteſque huic triplicitati ſubjectas ab ipſis liberant, ſcilicet fauces, arterias, cor &c. ita ut ſi in fauces defluxiones, vel inflammatio decumbat, vel arteriæ auram depravatam & malignam in ſe ſuſcepiſſent, uti in peſte & morbis contagioſis fieri ſolet, tunc ſimplicia hæc eam commovent, & iterum foras propellunt, tam exterius appenſa & applicata, quàm interius aſſumpta, id quod ſua potenti ſpirituoſitate efficiunt, appenſa quoque oſcula arteriarum occludunt, nec ulli inſpirationi infectivæ & contagioſæ quales ſunt peſtis, lepra, lues venerea, ſcabies, &c. ingreſſum concedunt.

De partibus corporis Tauro ſubjectis, ipſiusque antipathia.

SUb Taurum primariò pertinet cor cum omnibus arteriis totius corporis, imprimis autem arteria magna ſeu aorta, cujus primarius motus radices ſangvini elargitur, item diaphragma, præſertim ejus nervea pars, ac facultas ipſius motiva, adhæc totum collum cum omni ipſius appendice, ut ſunt fauces, lingva, guttur, tonſillæ, epiglottis, arteria aſpera, pulmonumque arteriæ ſcilicet arteria venoſa, & vena arterioſa. Uno verbo quemadmodum Jupiter ſeu jecur & Mars ſeu fel flavum in dextro latere concurrunt in elaborando ſucco venoſo, ita Saturno ſeu ſpleni, & Veneri ſeu pancreati condominium ſiniſtri hypochondrii & collaboratio in conficiendo ſangvine arteriali tribui poterit, prætereà quicquid de ſigno ſpirituali cholerico ſcilicet Sagittario dictum, idem etiam de hoc ſigno ſpirituali atrabiliario contrario modo affirmari poſſe arbitramur, ſunt enim ſibi invicem oppoſita, illud nimirum eſt calidum & bilis amaræ productivum, hoc verò frigidum & bilis atræ acidæ fabricativum, quamvis autem nec adhuc dum ſedes bilis ejusmodi atræ conſtet, vel quicquam ipſius per anatomen inveniri poſſit, non fruſtra tamen talia ad unum omnes protuliſſe antiqui Philoſophi cenſendi ſunt, & imprimis noſter Phœbus Hippocrates, qui pluribus in locis bilis atræ meminit, nec opus eſt ut color ater in conſpectum veniat, ſufficit ut in potentia adſit, quemadmodum in gallis aterrimus color in potentia adeſt, licet non appareat, qui etiam nil aliud eſt quàm qualitas Saturnina ſtiptica, quæ & in partibus melancholicæ triplicitati ſubjectis ſemper in potentia adeſſe ſtatuenda eſt, in aſpectum autem non venire ſanitate vigente, at iſtis partibus malè habentibus ſenſim ſe prodit per icterum nigrum & alios morbos melancholicos, nunquam autem cum bona ſignificatione, quemadmodum enim gallæ non niſi ſucco acerbiſſimo vitrioſa-

triolaceo addito atramentum dant, ita quoque atrificatio partium harum Saturninarum non niſi auſteriſſimo quodam ſucco venenato arrepto in conſpectum prodire autumanda eſt, & quò atriora appareant, eò viciniorem morti ſtatum deſignari certum eſt, prout innumera exempla ſunt eorum qui brevi ante mortem quaſi atramentum vomuerunt. Statuimus itaque bilem atram ſeu qualitatem Saturninam in omnibus ſplenibus imprimis autem pancreate & ſucco pancreatico præſentem, & inevitabiliter non minus ac bilem amaram ad vitam neceſſariam, Taurum autem ipſius principalem gubernatorem, nec non facultatis pulſativæ arteriarum, & ſangvinis circulativæ.

Antipathia autem harum partium conſiſtit in Libra, à cujus ſpiritu ſangvifico depravato ejusque caliditate & humiditate, hæ partes in ſua frigiditate & ſiccitate alterantur & læduntur, quâ antipathia ſangvis arteriarum plus ſalſeſcit, ejusque ordinaria pulſatio depravatur.

De ſimplicibus primi gradus Tauri, ac eorum operatione ſpeciali.

GRadui huic ſubſunt ſequentia: ſcilicet viola ſine odore todte oder unriechliche Hornungsveyeln; juvenculæ ſummitates quercus junge Schößlinge der Eichen; gallæ teneræ junge Galläpffel; carduus ſylveſtris Haber-oder Eſeldiſtel; lingva cervina juvencula kleine Hirſchzunge; chamædrys flore rubro roter Gamander-lein; chondrilla klein Sonnenwirbel; tilia ſaxatilis ſylveſtris wilde Steinlinden; polypodium purpureum brauner Engelſüß; flos tiliæ ſaxatilis Steinlindenblüt; gramen vulgare gemein Gras; ſeges ſeu granum ſiligi-nis in prima ſua teneritudine jung Roggengras; item frumentum ſeu grana ſecalina ac panis ex ipſis confectus Rockenſamen und deſſen Brodbroſamen; folia albarum roſarum weiſſe Roſenblätter.

Vires harum rerum ſunt, quod præ reliquis omnibus, quæ in tota triplicitate melancholica continentur, aptiſſimæ ſint ad emollienda & mitiganda tam nova quàm inveterata melancholica ulcera, durities & ſcirrhos, idque ex tali fundamento, quod conſtent ſubſtantiâ molliuſculâ, tenera ac veluti lactea, intus ſpiritu perfecto & potenti turgidâ, quandocunque itaque ejusmodi ulceribus calloſis & contumacibus, ſcirrhoſisque tumoribus adhibentur, ſpirituoſitate ſuâ potenter per poros ſe profunditati loci affecti inſinuant, eosque aperiunt, ubi deinde materia herbarum tenera & laxa pariter laxatis poris invehitur, ac mollificando, laxando, putrefaciendoque omne id reſolvit, quod membro ſeu loco affecto impertinens & noxium eſt, ulceraque mundat, lenit & ſanat. Scirrhorum remedia.

Collectio eorum maximè idonea aggredienda eſt, quando primùm pronaſcuntur, atque etiamnum tenerrima ſunt, ſcilicet Sole ſe volvente in Piſcibus, Lunâ verò in Tauro, Ariete vel Piſcibus, ſeu in fine Fe-

bruarii vel principio Martii, uno verbo in optima eorum ſucculentia & teneritudine.

Præparatio & *additio* ſunt hujusmodi; capiuntur horum recentiſſimè collectorum partes novem, è gradu primo Sagittarii ſex partes, itidem recentiſſimæ viriditatis & teneritudinis, atque è primo gradu Cancri (cujus tamen ſimplicia prius in aquâ jam jam à fonte ſaliente deſumptâ coquenda parum ſunt unica vel altera ebullitione, & mox ab omni adjectitia humiditate exprimenda) tres partes, hæc invicem mixta eodem tempore optimè contunduntur in pultem cataplasmaticam. Pro exemplo: prenſa ex hoc gradu violarum inodorarum, vel granorum ſiliginis, ipſiusve farinæ vel micæ panis, vel decerptorum à roſis albis nondum plenè apertis foliorum novem partes ſeu ſesquimanipulum, è primo gradu Sagittarii, juvenculi raphani, vel pullulaturæ cæparum, vel eryſimi, vel radicis ephemeri, manipulum, atque è primo gradu Cancri ſcrophulariæ flore albo, vel foliorum braſſicæ, vel anagallidis flore cœruleo, vel ranunculi inſipidi dimidiatum manipulum, hæc invicem contunde ut dictum eſt.

Uſus iſtiusmodi cataplasmatis eſt, ut locis mollificatione egentibus, videlicet tumoribus melancholicis, ſcirrhis, & apoſtematibus induratis, item ulceribus ſalſis contumacibus & calloſis, cujusmodi eſt lupus, & inveteratæ nomæ, ſuperimponatur, & linteo alligetur, idque quotidiè mane & veſperi, vel etiam citerioribus intervallis recenti applicatione reiteretur, donec tumex vel ſcirrhoſa durities aut diſcutiatur, aut in ſuppurationem trahatur, hæc verò applicatio tantummodò valet tumoribus melancholicis, nec adjungi debent ulla ſimplicia Jovialia, ſunt enim his affectibus hoſtilia, prout viciſſim hæc melancholica ſimplicia non conveniunt tumoribus ſangvineis, cujusmodi eſt cancer non apertus, ingentem enim ſua contrarietate corruptionem in talibus eſſent concitatura.

De ſimplicibus ſecundi gradus Tauri, atque eorundem operatione ſpeciali.

ATtribuuntur huic gradui cynogloſſum vulgare gemeine Hundszunge; lichen Steinleberkraut; hedera arborea Epheu/Eppichbaum; viſcum quercinum Eichenmiſtel; viſcum roſetinum Roſenmiſtel; aquilegiæ herba & flos Agleyenkraut und Blüt; adiantum, capillus veneris Frauenhaar; halicacabum Judenkirſchen mit ihrem Samen; gramen ſaxatile Steingras; polygonum majus & minus, centumnodia groß und klein Wegtritt / Säugras; carduus montanus Bergdiſtel; tamariſci lignum, cortex & cinis Tamariſcenholtz / Rinde und Aſche; viola martia cum tota ſubſtantia & ſucco Mertzveyeln mit Safft und aller Subſtantz.

Vires iſtorum ſimplicium ſunt, quod materia ipſorum præcedentibus aliquantulum melius cum pro-

prio

prio ſpiritu adunata & contemperata ſit, atque hinc etiamnum præſtantius eadem præſtent, quæ de ſuperioribus conſignata ſunt, nec enim ſolùm mirandum in modum mollificát, & coquunt, verùm etiam inſigniter conſolidant, ac virtute balſamica ditata ſunt, poſſuntque ex ipſis ulcera inveterata melancholica ex voto mundari, mitigari, & funditus ſanari, dummodò prius fundus ipſorum putridus & corroſivus mortificatus ſit, eo modo, quem ſupra de quarto gradu Leonis indicavimus. Præterea poſſunt quoque hiſce ſimplicibus bubones maligni per vim citò rumpi & aperiri, ſi ipſis ſimul adjungatur aliud è contraria triplicitate, ſcilicet ſangvinea, exempli gratia ſi ex hoc gradu capiantur baccę vel herbæ halicacabi atq; è ſecundo Aquarii caricæ recentes, vel naſturtium aquaticum vel ex Libra malva, vel althæa æqualibus partibus, atque hæc duo contraria recentia & in optima ſucculentia invicem contundantur in pulticulam, eaque ſuperimponatur buboni, contrariante ſibi invicem actione excitant putredinem buboni adverſantem, eumque reſolventem.

Collectio eorum eſt ut antecedentium in ipſorum prima teneritudine, vel decerpantur tempore quocunque per integrum annum iſtorum tenerrimæ ſummitates, Luna ſi fieri poſſit in Tauro curſante.

Præparatio & *additio* hujuſcemodi ſunt: accipiatur ex hoc gradu quantum placeat, vel ſufficiens videatur, exempli gratia tres manipuli ſucculentiſſimorum foliorum viſci quercini, vel halicacabi, vel hederæ arboreæ, vel violariæ, è primo vel ſecundo gradu Sagittarii duo manipuli juvenculi porri, vel allii, vel cæparum juvencularum, vel ſi grandiores ſint ſub cinere aſſatarum, at è ſecundo gradu Cancri exiguus manipulus florum pomorum, vel foliorum recentium viſci pinini, vel medullæ taurinæ, vel axungiæ piſcium, hæc tam molliter invicem piſtentur ac fieri poſſit.

Uſus hujus mixturæ eſt, ut pro vice ſufficiens portio de ea ſumatur, reliquum verò in locum frigidum recondatur, per aliquod enim tempus in frigido vires retinet, nec opus eſt, niſi quis ſuapte ſponte velit, quotidiè recentem ejus parationem remoliri, dicta particula prius nonnihil tepefieri ſinitur ad ignem, ac tum loco affecto applicatur, & ſuperligato linteo adfirmatur, ne decidat, & ſic per horas octo vel decem geſtatur, quibus elapſis recens impoſitio reiteratur, idque tamdiu continuatur donec optatus effectus inſequatur. Ubi verò ulcera aperta refractaria iisdem edomari quis velit, oportet prius eorum fundum eroſivum extirpare illito oleo arſenici, vel betulino, quod ſcilicet per deſcenſum è corticibus betulæ pulſum eſt, vel alio modo, uti ſuperius de quarto gradu Leonis & alibi à nobis indigetatum eſt, quo facto ex hiſce ſimplicibus parato ejuſmodi balſamo ſanativo talia ulcera demum ad optatam poterunt deduci perſanationem.

De ſimplicibus tertii gradus Tauri, eorundemque operatione ſpeciali.

SUb hunc gradum pertinent ſequentia: nempe herba potentilla Genſerichkraut; vinca pervinca, clematis daphnoides Singrün; limonium Wieſenmangold / Biberklee; pyrola, limonium ſylveſtre Wintergrün; ſanicula Sanickel; botrys Traubenkraut; ambroſia klein Traubenkraut; omnes ſpecies roſeti, ſeu virgulti roſarum, imprimis cynosbati ſeu roſæ ſylveſtris cum tota ſubſtantia, nimirum foliis, cortice, radice & fructu alle Geſchlecht der Roſenſtauden ſonderlich der wilde Roſenſtrauch mit gantzer Subſtantz; verbena mas tam huc quam ſub primum gradum Aquarii pertinet gemein Eiſenkraut; tragoriganum, ſeu origanum minus kleiner Doſten; arnoglosſa Schafszungenwegerich; heptaphyllon Siebenfingerkraut; quinquefolium Fünfffingerkraut; fragaria Erdbeerkraut; apium petræum Steinpeterlein mit rötlichten Blättern gröſſer als gemeiner Peterſilgen; flos ſancti Jacobi Jacobsblume; uvularia Zapffenkraut; nummularia, ſerpentaria minor Egelkraut/kleine Naterzung; ſcolopendrium, lingva cervina Hirſchzunge; ceterach Miltzkraut; hedera arborea quercubus accreſcens Epheu ſo an Eichbäumen wächſt; tilia ſaxatilis Steinlinden; virga paſtorea Kartendiſtel; cyno gloſſum ſaxatile Steinhundszungenkraut; bugloſſa ſaxatilis wilde Ochſenzunge; folia vitis vinum rubrum ferentis Laub von roten Weinſtöcken; digitalis major & minor groß und klein Fingerhütlein; cor cervi Hirſchenhertz ꝛc.

Vires harum rerum ſunt, quod in ipſis ſpiritus melancholicus ſit perfectus, & cum materia melius unitus, atque ſimul abundent ſale ultra modum ſubtili & penetrativo, inſerviatque ideò hic & ſequens gradus ad internas potiones & pulveres impotabiles vulnerarios & ulcerarios, intra corpus enim aſſumpta virtutem ſuam ſpiritualiter per totum corpus diffundunt, atque operationem expulſivam, locomotivam, & magneticam per omnes arterias evidenter exerunt, nec ullam inſpiratam auram malignam & infectivam in ipſis relinquunt, ſed per transſpirationem & magneticam protractionem ex iis exigunt, venena quoque calida & toxica acria ſuâ frigefactivâ ſpirituoſitate ipſis contraria, & ſale balſamico oppugnant, viſceribusque contra eorum noxam ſuccurrunt, adhæc potiones vulnerarias omnium nobiliſſimas ſuppeditant tam ad vulnera quam ulcera, eorumque perſanationem & conſolidationem funditus expediunt, nec ullam inflammationem aliaque prava accidentia ſupervenire permittunt, aut defluxiones in locum affectum decumbere, reſerant quoque in fœminis omnem obſtructionem meatuum repurgationis menſtrualis, atque inde devenientes affectus morboſos externaque vitia avertunt, & remedentur, denique quibuslibet paſſionibus faucium, oris & lingvæ

lingvæ conducunt, uti ſunt angina, pruna, lingvæ, oris & gingivarum exulceratio, inflammatio tonſillarum, laxitas columellæ & ſimilia, conſervantque apoplecticis infuſa loquelam; in operatione demum externa chirurgica vulneraria & ulceraria ſanativa tantis pollent viribus, ut omnia reliqua uſualia ungventa & emplaſtra chirurgica antecellant.

Collectio florum hujus gradus defungenda eſt menſe Aprili antequam defloreſcant, imò priusquam penitus hient ſeu omninò plenè aperiantur ungves florituri, herbæ verò circa finem Auguſti.

Præparatio & *additio* tales adhibendæ ſunt: accipiuntur ex his recens collectis herbis vel floribus etiamnum viridibus & recentibus (poſſunt tamen etiam in umbra ſiccari & per annum aſſervari) partes tres, è tertio gradu Sagittarii vel primo Arietis partes binæ, atque è tertio vel quarto gradu Cancri pars una, hæc vel in vino, vel cereviſia vel etiam vino & aqua mixtis vel ſola aqua decoquuntur, vel etiam in propriis ipſorum aquis ſtillatitiis, per veſicam ex ipſis elicitis, poſſunt quoque ex ipſis in liberali quantitate collectis & piſtis ſucci ipſorum prælo exprimi, & quilibet ſeorſim ſuperfuſo oleo aſſervari, teruntur quoque herbæ aridæ in pulverem, qui in præfatis decoctis vel aliis liquoribus aſſumitur, pulveriſatio tamen non fiat niſi brevi ante aſſumptionem, è discontinuatis enim atomis vires facilius & citius exhalant, quàm ex integra aſſervata ſubſtantia, quæ ſat citò teri poterit neceſſitate jam id requirente.

Uſum quod concernit, bibuntur hæc decocta vel infuſio in frigido facta quotidiè ſæpius ad ſananda vulnera & ulcera, ut & ad mundificandum ſangvinem, ciendos menſes & ſimilia, ubi ejusmodi decocta concinnari poterunt ex æqualibus partibus vini & aquæ, ita ut pro quolibet manipulo decoquendo libra vini & tantundem aquæ inſumatur, ac in balneo bulliente in canthara lapideo paſta farinacea oblito decoctio per duas vel tres horas inſtituatur, decoctum ejusmodi decantatum ſeu colatum bibitur ad reconvaleſcentiam usque &, ſi interim abſumatur, mox aliud recens appare tur; poteſt quoque expreſſus ſuccus ad easdem intentiones cochleatim ſorberi, ſique ejus ingratitudo obſtaret, dulcorandus erit ſacharo, vel alterius rei ſvavis interceſſione palato commendandus. In defectibus verò faucium & loquelâ conſervandâ in catarrhis apoplecticis decoquuntur in vino rubro ſtiptico, & patientis ori infunduntur vel hauriuntur, atque etiam ex eadem decoctionis colatura vel ſucco expreſſo oris collutio, & affecti gutturis gargariſatio obeunda eſt. Eadem decoctio in vino albo & aqua facta inſervit etiam ad vulnerum & ulcerum lavamenta & fomenta, quibus peractis reliqua ſubſtantia herbacea in pultem piſta loco cataplasmatis imponetur.

Exemplum potionis vulnerariæ ſit ſequens: ſi quis in locis huic triplicitati *Potio vulneraria.*

plicitati ſubjectis vulneretur, nimirum in ulla parte colli, ſpina dorſi, regione umbilici, vel genubus, tunc ℞. vincæpervincæ manipulos tres, è tertio gradu Sagittarii vincetoxici, vel betæ rubræ vel piloſellæ majoris manipulos duos, è tertio gradu Cancri foliorum ſalicis rubræ, vel berberis manipulum, vini albi & aquæ fontanæ ana libras tres, coquantur ut dictum eſt, habebisque ad prædicta loca potionem vulnerariam ſummam, quâ melior haberi nequit, & ſi loco prædictorum è Sagittario folia aſari vel lyſimachia atque è Cancro equiſetum ſumantur, tunc excellentiſſima potio erit ad ea ulcera quæ fœminis ſæpè obveniunt in dorſo, vel mammis, vel axillis brachiisve à menſibus retentis.

In catarrhis verò apoplecticis & paralyticis accipe florum vincæpervincæ menſe Aprili collectorum partes tres, florum lavendulæ duas partes, equiſeti unam partem, coque hæc in veteri vino rubro ſtiptico non lymphato, & de hoc potu ægro infunde vel propina, & retinebit ſuam loquelam tam in apoplexia quàm aliis caſibus, imo ſolus vincæpervincæ ſuccus expreſſus ſine ulla alia re addita idem quoque efficaciter præſtat; admirandam enim virtutem poſſidet affectibus qualibuscunque faucium ac lingvæ ſuccurrendi, hasque partes ſuo ſubtiliſſimo & penetrantiſſimo ſale conſervandi, quo etiam ſuam propriam ſubſtantiam tam potenter conſervat, ut neque ab ullo hyemis frigore, nec æſtatis fervore lædatur, & ſi ex hac herba aqua deſtilletur, ac laxata columella eâ gargariſetur, vel tantummodò ejus decocto, pulverisve immiſſione, columella brevi iterum erigetur & refirmabitur, imprimis polline piperis long. addito, cujus acredo tamen eo ita captivatur, ut miratu dignum ſit.

Sed quid de cynorrhodo dicamus, cum ipſimet ambigamus, an laudatæ jam herbæ viribus æquale an ſuperius ſit, præſertim in affecti- *Cynorrhodi dotes.*
bus faucium, quibus ſuccurrendi incredibili virtute fructus cynorrhodi Germ. Hagebutteln pollet, uti aliquoties in adoleſcentia in proprio corpore experti ſumus, idque ex communicatione ſimplicis & pauperculi cujusdam ruricolæ, qui nobis referebat, ſe tam vehementer acuta febri decubuiſſe, ut per ſex hebdomadas nil quicquam cibi deglutire potuerit, imò fauces demum adeò coaluiſſe, ut ad omnem deglutitionem inhabiles factæ fuerint, ſuos autem ab aliis edoctos fuiſſe ſibi horum fructuum decoctum pro- *Experimentum*
pinare, qui etiam circa feſtum nativitatis ad dumeta profecti quæſiviſſent quantum eorum reperire potuerint, è quibus quanquam paucis ſaltem affuſa aquâ paraverint decoctum, & decantatum brodium deglutiendum porrexiſſent, à quo brevi fauces omnino in priſtinam integritatem fuerint reſtitutæ. Hoc experimentum nos tum probè notantes quoties impoſterum faucium dolor vel inflammatio oboriebatur, uti quidem ſæpius accidit, ſorpto eodem decocto celerrimè

talia

talia iterum evanuere, quamvis rei medicæ tum imperitiſſimi, nec rationem nec modum utendi genuinum vel minimum ſciremus. Jam verò quilibet noſſe poterit, roſas & imprimis ſylveſtres virtutem harmoniacam, & planè ſpirituoſam à ſigno Tauri totius colli rectoris nactas eſſe, atque ad omnes ipſius ægritudines cæterarumque partium huic triplicitati ſubditarum inſigniter valere, uti ſunt affectus laryngis, pharyngis, humerorum, dorſi, ſplenis, renum, & genuum, præfatosque cynosbati fructus plus ad ſananda prædictarum partium, ac quælibet alia vulnera præſtare, quàm reliqua omnia Chirurgorum ungvina & emplaſtra, excellentiſſimum quoque indurationum remollificativum ex ipſis concinnari poteſt hoc modo: ℞. præfatorum cynorrhodi fructuum novem partes, allii juvenculi ſex partes, fructuum oxyacanthæ tres partes, contunde hæc invicem optimè in maſſam, cujus virtus ad emollienda & mitiganda ulcera eſt indicibilis. Præterea cynorrhodus quoque efficaciſſimas dat potiones vulnerarias, ſi ſumantur foliorum vel corticum ejus tres partes, vincetoxici duæ partes, & è Cancro foliorum ſalicis ſaxatilis una pars, coquantur hæc in vino vel cerevifia, hæc potio permeat totum corpus, purgat arterias, ſubtiliat ſangvinem, reſtingvit bilem, conducit ſpleni & hepati, ſanat renes, ſervitque pro gargariſmo ad omnia vitia faucium.

Potentillæ vires.

Ita etiam herba potentilla non inferiores his virtutes præſtat tam intrinſeco quàm extrinſeco uſu, pro potu vulnerario tribus ipſius partibus addi poſſunt ex Sagittario duæ partes filicis, atque è Cancro anagallidis aquaticæ una pars, atque ex hisce in vino & aqua decoctum parari, quod ad vulnera & ulcera prædictorum locorum eximium eſt; imò ſola decocta in vino rubro vel cerevifia vetuſta, & ulceribus impoſita, ipſa repurgat, mundat & ſanat, atque omnem æſtum ex ipſis extrahit. In febribus quoque acutis ſcilicet tertiana continua, phrenitide, comate bilioſo, & ubicunque ingens fervor internus ſangvinisque advertitur, magna cum ſalute carpis manuum, plantis pedum, temporibusque applicatur, hoc modo: prehende foliorum potentillæ recentiſſimæ manipulos quatuor, aceti roſacei libram, aluminis in pulverem triti lothonem, albuminis ovorum q. ſ. contunde herbam in pultem, & reliquis additis para cataplasma, dictis locis imponendum, & ubi reſiccatum fuerit, recens applica, hujus tamen herbæ defectum in hisce caſibus etiam multæ aliæ conſimili virtute præditæ ſupplere poſſunt, ſcilicet geranium, folia quercina, herba conyzæ, ruta muraria, beta, ſalvia, folia raphani majoris, hederæ arboreæ & ſimilia. Adhæc herba recens potentillæ etiam tumorem pedum hydropicum & melancholicum evocat, tibialibus impoſita, ut inter eundum, ſtandum vel cubandum nudis pedum plantis inceſſanter adhæreant.

De ſimplicibus quarti gradus Tauri, atque eorundem operatione ſpeciali.

SUb quartum gradum pertinent: fraxinus Eſchenbaum; xanthium vel lappa minor kleine Kletten; elatine Klettenkraut; herba aliſma Engeltranckkraut; piloſella, auricula muris major & minor groß und klein Mäusöhrlein; chamæciſſus major groſſe Gundelreben; chelidonium majus groß Schölkraut; ſenecio, erigeron Grindkraut; lapathum, rumex Menwelwurtz; betonica ſylveſtris wilde Betonien; malus cydonia Quittenbaum; urtica mortua vulgaris gemeine taube Neſſeln; terra ſigillata geſiegelte Erden; trifolium humile, pes leporinus Katzenklee/Haſenpfötlein; lapis magnetis Magnetſtein; ſuccinum flavum ad rubedinem tendens hochgelber Agtſtein; carduus angelicus Engelwurtz; oleum corylinum Haſelnholtzöhl; item ipſe ſmaragdus der edle Schmaragtſtein.

Altera claſſis hujus gradus etiam magnetica ſimplicia continet, verum iſta plus attrahunt materialiter quàm ſpiritualiter ſaburram craſſam melancholicam, obſtructiones & indurationes facientem, tam intus aſſumpta, quàm exterius applicata, intus enim ſuâ magnetica & attractivâ vim tam fortiter ad ſe trahunt, ut poſtmodum deorſum attracta colluvies ruat, & per ſeceſſum expurgetur, exterius verò materiam impactam forti attractione discontinuant & evocant, ideòque ex his emplaſtra attractiva & reſolutiva concinnantur; talia autem ſunt: gummi ammoniacum, ſerapinum vel ſagapenum, opopanacum, ſarcocolla, ſolvuntur hæc coctione lenta in vino vel aceto, per pannum exprimuntur, & reinſpiſſantur, ut ita feces ſegregentur, purificata & reinſpiſſata ſubſtantia nobile purgativum & mollificativum magneticum eſt, fiuntque ex ipſa pillulæ & emplaſtra.

Vires harum rerum ſunt, quod materiam fermè perfectam habeant, ſpiritum verò omni modo abſolutum & ſuperabundantem, nec non ſalem admiranda penetratione inſignem, ſuntque ideò hæc ſimplicia omnium nobiliſſima, quæ unquam intro dari poſſunt ad exturbandam omnem melancholiam ſpiritualem, paſſionesque ex ea oriundas, omnesque bilioſos decubitus partibus ſpiritualibus melancholicis inſultantes, & extremo impetu cor impetentes, qualis eſt peſtis, morbique contagioſi maligni, & putredinoſi, refrigerant enim & refocillant cor & omnes totius corporis arterias in ſupremo gradu ſpirituoſitatis, at non materialitatis, præſervant, conſervant ac tuentur cor in ſuo pericardio ab omni corruptione, & malignitate putrefactiva, ſuâque virtute conſervativa & magnetica etiam exterius nulli auræ infectivæ & malignæ acceſſum ad cor concedunt, extrinſecus enim oſcula omnium arteriarum conſtringunt & occludunt, ut nil quicquam contagioſi quale eſt virus peſtilens, Gallicum, lepro-

leproſum, pſoricum, cancrinum, aliive affectus infectivi auratenus inſpirari queant, purgant quoque arterias ac venas ab omni impuritate melancholica, fluxionibusq; e bilioſis, dantque potiones vulnerarias excellentiſſimas, atque etiam extrinſecus applicata mirum in modum non modò ſunt ſanativa, verùm quoque omnis pravitatis ex alto extractiva, extrahendo nimirum impuritatem vi magnetica è profundo corporis ad exteriora, eamque in ſaniem ac cruſtam puſtularem convertendo, donec integra ſpurcities melancholica ſit evocata.

Collectio deproperanda eſt menſe Aprili, Sole & Luna in Tauro exiſtentibus, poſt occaſum Solis, tum enim majorum ſunt virium quam ullo alio tempore, colligi quoque poterunt menſe Auguſto Sole & Luna in Virgine currentibus, at ſi quis ea expetat ad præſervationem cordis, tunc omninò neceſſum eſt eâ præcisè decerpere in puncto ſummi dominii melancholici, quando Sol antipodibus verticalis eſt, ſcilicet media nocte curriculi Taurini utriusque luminaris.

Præparatio & additio eorum ſunt hujusmodi; ad potiones medicas captantur viridium vel in umbra ſiccatorum hujus gradus tres partes, alicujus è tertio vel quarto gradu Sagittarii duæ partes, alicujus è tertio vel quarto gradu Cancri una pars, hæc coqvuntur in vino albo vel cerevifia pro potione vulneraria, vel in æqualibus partibus vini & aquæ ad aliam præfatam intentionem, ſecundum proportionem ſuperius declaratam, parantur qu que ex ipſis pulveres pro interna aſſumptione, atque etiam ulceribus inſpergendi, nec non olea, ungvina & emplaſtra.

Uſus eſt, ut decoctæ hæ potiones ad præfatos effectus conſequendos ſæpius in die bibantur, atque unà ex hoc gradu ſimplex quoddam maximè magneticum, qualis eſt lappa minor tam herbâ quàm radice, chamæciſſus major in tota ſubſtantia, fraxinus &c. menſe Aprili mediâ nocte collectum, de collo appenſum & nudam cutem attingens geſtetur, vel pulſibus manuum ſuperalligetur, & ſic eorum vi ſpirituali magnetica efficitur, ut omnis noxa ex arteriis foras propellatur, adeò quidem, ut ſi horum uſus aliquandiu continuetur, corporis conſtitutio tantoperè exaltetur & roboretur, ut impoſterum ne quidem opus ſit quicquam amplius interius aſſumere, ſed ſola externa geſtatio vel applicatio ſufficiat ad talem præſervationem præſtandam, occludunt enim oſcula arteriarum, & contraria lateraliter à corpore propellunt, nec appropinquare permittunt. Exterius ſuccus eorum incorporatur alicui pingvedini, cujus deinde inunctione interna humoris melancholici depravatio foràs è profundo elliminatur.

Pro exemplo, graſſante peſte vel neceſſitate incumbente cum perſonis lepra, pſorâ, tineâ, cancro, vel lue venerea infectis negotiandi colligantur hæc ſimplicia nocte media,

Luna & Sole in Tauro currentibus, ex eisque lappa minor, vel chelidonium majus & minus, vel fraxini ſemen, vel auricula muris de collo ad nudam cutem vel pulſibus alligata geſtetur, præterea accipiantur ejusdem vel foliorum, corticum, vel ſeminis fraxini, vel chamæciſſi majoris, vel angelicæ ſesqui manipulus, è Sagittario vincetoxici, vel aſari, vel chelidonii majoris manipulus, è Cancro foliorum berberis vel equi ſeti dimidiatus manipulus, coquantur hæc in duabus libris aquæ & tantundem vini albi, ac de colatura bibatur, talique uſu continuato iſte homo ab infectione præſervabitur, at ſi jam infectus quis ſit ſcabie Gallicâ, vel pſora, vel fera ſerpigine, vel morphea & conſimilibus vitiis melancholicis, is utatur ſequenti potione per ſex ſeptimanas idque quotidièter, accipiendo nimirum foliorum erigeri manipulos tres, vincetoxici, manipulos binos, foliorum ſalicis rubræ manipulum, hæc coquantur ut dictum eſt, adhæc capiantur recentiſſimorum foliorum ſenecionis manipuli ſex, piſtentur perquam optimè, tum accipiatur quoque adeps majalis juvenculi in lactatione caſtrati, liquefcat lèni igne, ac deinde aquæ frigidæ ſuperfundatur, & impuritas in aquam tranſit, pura verò pingvedo aquæ ſupernatat, cujus collectæ accipe libram, atque iterum liquatam & eo usque refrigeratam, ut ſaltim adhuc effundi queat herbæ ſucculenter contuſæ ſuperfunde, & utrunque in loco moderatè calido per tres dies macera,

Ungventum ad quævis cutis vitia.

quarto die mixturam plus incaleſcere ſine, & inditam ſacculo ſetaceo ex ea omnem liquorem fortiſſimè exprime, ut nil ſucci in ſubſtantia herbacea remaneat, quam tunc abjice, atque alios ſex manipulos ejusdem herbæ recentes denuo in pultem contunde, expreſſumque liquorem priorem iterum ipſi admiſce, totum etiamnum in loco tepido vel radiis fervidis Solis digere, ac elapſo triduo vel quatriduo fervefactum fortiter exprime, & ſic quater vel quinquies in omnibus procede ut prima vice. Tandem mixtam cum ſucco pingvedinem ad futurum uſum reſerva, quæ jam dives eſt dictæ herbæ ſalſedine ac præſtans ungventum; quo ſingulis quatriduis hominem præfatis ſcabiebus puſtuloſum iiſdem in locis ubi ſerpiginoſus vel cruſtoſus eſt, ſive ætatis ſit juvenilis ſeu provectioris probè ad fornacem perunge, & ſi feriori modo iisdem malis laboret, inunctio ſingulis triduis reiteretur, & ubique ipſius pellis in rimas & foramina dehiſcet, tantaque ſpurcities ex iſtis proſudabit, ut totum ipſius corpus reſolvi in ichorem purulentum videri poſſit, donec omnis impuritas è toto corpore educta ſit, mundat hoc ungventum etiam ulcera inveterata & immunda, ſi in circuitu & intus in cavitate eodem modo probè perungantur, omnemque eorum pravitatem & malignitatem extrahit.

E ligneis quoque ſubſtantiis hujus gradus nempe è ligno & corticibus mali cydoniæ, ligno & corticibus fraxini, lignoque coryli per ſup-

preſſionem olea deſtillari poſſunt, quæ hujuscemodi inveteratis ulceribus impoſita putridum eorum fundum corrigunt, corroſivitatem mortificant, & ſanabilitatem ipſis conciliant.

Terra ſigillata interno & externo uſui maximè valet, eſt enim ſudorifera, reſiſtit putredini & venenis calidis, convenitque in peſte, febribus malignis, dyſenteria, diarrhœa, morſibus venenatis ictibusve, inſervit quoque vulneribus & ulceribus pravis mundandis & mitigandis, exiccat, aſtringit & conſolidat; ſed variorum generum eſt, imò ferè quælibet terra pingviuscula principales horum ſimplicium vires adimplet, ſunt enim pleræque terræ ſpecies totaliter Saturninæ, qualia quoque hæc ſimplicia ſunt, ſcilicet facultatis Saturninæ, terreſtris & aſtringentis, qua ſpiritus malignos, & ferocientes ſua ſiccitate mox in ſe ſorbent & annihilant, qua in re etiam quælibet terra arvenſis plus præſtat, quàm milleſimus fortè credit, reminiſcimur enim quod ipſi nos in pueritia cum aliis pueris ludentes captarimus araneas, easque genis affricuerimus, deinde verò eisdem locos affectos mox terræ communis glebulâ confricuerimus, & nemini noſtrum quicquam nocuit affrictio tam venenata, ut multa exempla ſint eorum qui ab accepto tantillo aranearum veneno interierunt, imò nos aliquando tum temporis ſenſimus acerrimam puncturam in cervice, dum verò loco dolenti manum admoveremus, comprehendimus araneam ferè avellanæ quantitatem æquantem, memores ergò prægreſſi noſtri luſus commemorati affricuimus illico loco ab aranea puncto terram recentem, & nil quicquam mali ſecutum eſt. Statuimus ergò quamlibet terram pingviuſculam eſſe ejusdem cum terra ſigillata indolis & virtutis, nec opus eſſe eandem carè emere, imprimis autem terræ ſigillatæ undecunque apportatæ æquiparanda eſt terra Sileſiaca vulgò Strigenſis appellata & axungia Solis quando rubea eſt, alba verò vel cinerea, axungia Lunæ, de quibus experientia comprobavit, quod à ℨß. ad ℨij. aſſumpta epilepſiam & philtra curarint, ſua nimirum ſiccitate ſpiritus ſylveſtres tumultuantes in ſe ſorbendo. Additio terræ ſigillatæ eodem modo eſſe poterit è tertio vel quarto gradu Sagittarii, & tertio Cancri hoc modo: accipe terræ ſigillatæ dimidiatam drachmam, è quarto gradu Sagittarii euphorbii vel ſulphuris antimonii aurati grana quinque (hæc ſpirituoſiſſima enim longè minori aliis doſi addenda ſunt) & è Cancro oculorum cancri pulveriſatorum grana decem, miſce, impotentur una vice in hauſtulo ſeu ſesquiuncia aceti chelidoniati, ſeu cum chelidonia cocti contra contagium peſtis jam ſuſceptum, bis vel ter idem reiterando.

Denique univerſalem Saturni & Veneris operationem præſtat ſmaragdus, medetur enim peſti febribusque malignis, nec non venenatis morſibus, omnique ſangvinis fluxui, imprimis autem dyſenteriæ, tam al- *Smaragdi virtutes.*

 terius

terius quàm venenatæ originis, confert quoque in cordis & capitis affectibus, palpitatione, ſyncope, paraphrenitide, melancholia, ſed redigendus prius eſt in tincturam, cujus paratio in indice hujus libri evolvatur, ſubſtantia enim ejus ob duritiem parum conferre poteſt niſi per modum amuleti, quo ventri applicatus fluxui hæmorrhoidum confert, at ejus tinctura in hiſce decoctis ad guttas X. vel XII. pota omnes hic conſignatas vires mirè locupletabit.

Lapidis magnetis vires.

Sed ut magnetem quoque non reticeamus, is adeò Saturninus eſt, ut toto corpore & viribus punctualem plagam ſeptentrionalem ſequatur, ad quam ſe convertendo toti Mundo prodeſt, nautis in Oceano viam die ac nocte commonſtrando, immenſarum quoque ipſum virium pro re medica eſſe, vivacior & luculentior omnibus aliis ejus natura indicat, imprimis autem partibus huic triplicitati ſubjectis ſuccurrit præſertim ventri omniaque ejus profluvia tam alba quàm rubra, imò etquælibet matricis inhibet, colicam & contracturam ſiſtit, epilepſiæ, ſpaſmo, hydropi aliiſque affectibus medetur, idque ſolùm virtute magnetica, qua fluxiones bilioſas attrahit, debet ergò in integra ſubſtantia ibidem loci corporis, ubi morbi origo eſt ſui parte qua trahit, & in oppoſita parte alia ejus pars, qua à ſe propellit alligari, exempli gratia in colica & dyſenteria ad umbilicum, & altera parte in dorſo, & ſic morbum retinet in ſuo loco, ne ex ipſo per corpus ſævire poſſit, deinde aliis medicamentis morbus is ulterius eſt oppugnandus & expellendus, magnes enim tantummmodò magneticè ſuccurrit in integra ſubſtantia, at ſi ſale ammoniaco aperiatur, etiam eſſentialiter eadem præſtat, quæ alias lapis hæmatites in eſſentiam redactus.

Succini qualitas.

Magneticam hanc naturam etiam imitatur ſuccinum, quod & ambra citrina, item carabe & electrum nominatur, pari enim modo acceſſum contagii exterius abarcet, ſi geſtetur, ac quotidie ſeptem pulſibus affricetur, donec incaleſcat, divertit quoque ſua vi magnetica ſylveſtres ſpiritus tumultuantes, & ad ſe trahit exterius geſtatum vel ex adverſo applicatum, fruſtum enim recentis ſuccini occipitio annexum dictos ſpiritus ad oculos ruentes atque ipſis ophthalmiam & defluxiones concitantes avocat, & oculos tuetur, ſi vero faucibus inſultent præſertim columellæ, quæ ſæpius ab ipſis relaxatur & flacceſcit, tunc vertici applicetur, vel pulveretenus in cavitatem verticis ſpargatur, atque ſimul fermento piſtorio ſubactum ſuperimponatur, & brevi gargareon rurſus erigetur; quo pacto etiam inſtar magnetis res leves ut paleas, feſtucas & ſimilia attrahat, quilibet novit; Interno uſu confortat cor & arterias, ac conſimiliter ſylveſtres ſpiritus attrahit & expellit, quæ aliàs caput petunt, & vertiginem, apoplexiam, epilepſiam, lethargum, & in fœminis profluvia uterina cauſare ſolent, nec non in ventre tormina ac fluxus alvi albos & rubeos, in corde anxie-

anxietatem, palpitationem, & efferveſcentiam ſangvinis arterialis; his ergò ſuccinum intrò hauſtum atque etiam extrinſecus geſtatum occurrit, multo magis tamen in puriſſimum oleum deſtillatum, & paucis guttis pro vice imbibitum, & exterius ſubinde tantillo naribus allitum, quod ſi unà cum hujus gradus decoctis intus & extra admininiſtretur, Deo volente mirè omnia ſuccedent.

TRACTATUS XI.

De ſigno ſympathico Virginis, ejusque qualitate & dominio generali.

VIrgo eſt ſignum ſecundum ac medium trigoni melancholici, in quo Sol menſe Auguſto usque ad ſuum ingreſſum in ſignum æquinoctiale Libræ moratur, eſtque frigidum & ſiccum in perfectione, in quo videlicet ſpiritus & materia melancholica ſeu ſalſa perfectè atque æqualiter mixta & temperata ſunt, unde hujus ſigni ſimplicia tam ſpiritualiter quàm materialiter ſiccant & refrigerant in ſummo gradu, atque ad uſum tam internum quàm externum idonea ſunt, in omnibus nimirum affectibus, ubi aſtrictione, refrigeratione, ſiccatione, & aſſuctione humorum acrium & tumultuantium opus eſt, ſcilicet in profluviis quibuslibet tam albis quàm rubris, qualia ſunt diarrhœa, dyſenteria menſes & lochia immodica, aliaque hæmorrhagia ſuperna & inferna, item tormina & roſio ventris & uteri à tumultuantibus acribus & flatuoſis humoribus, quos hæc ſimplicia aſſugunt, ſtringunt & annihilant, doloresque ab ipſis illatos dedolere faciunt, lienem præhumidum & tumidum ſiccant, arteriolarum ejus & meatuum infarctionem reſerant, exterguntque & ſic lienem, pancreas, muſculos, renes omniaque vaſa melancholica ab obſtructionibus liberant, curantque quartanam, calculum, aliosque affectus ab obſtructione & coagulatione tartarea proficiſcentes, roborant quoque hepar, dantque efficaciſſimas potiones vulnerarias, prout etiam exterius applicata mirè vulnera ſanant & conſolidant, idque ob ſiccantem qualitatem Saturninam, Saturnus enim corporificationi & incorticationi rerum præeſt, & ubicunque exterior alicujus rei cortex vel pellis dividitur & vulneratur, is profluentem ſuccum lachrymalem iterum conſtringit in novam cruſtam; dominatur autem Virgo in tempus nocturnum præcisè medianum, quod incipit horâ noctis undecima, ac bihorio poſt deſinit, quando nox media eſt, & ſummum dominium tenebrarum in noſtro horizonte, quo tempore magnes ſanctiſſimus animarum noſtrarum à nequiſſimo Juda oſculo proditus, violenter tanquam latro captus, & ad Pontificem maximum abductus, huc illuc raptus, falſis teſtimoniis accuſatus, & circa finem hujus dominii etiam à S. Petro abnegatus fuit. Præterea Virgo poteſtatem exercet in tractum punctualem ſeptentrionale polarem, quem lapis magnetis inceſſanter indigitat,

&

& unde rigidiſſimus ventus cardinalis aquilo ſpirare & aquas glaciare ſolet; color ipſius eſt viriditas atra, qualem lapis ophites in ſe ſpectabilem facit, ſapor acerbitas amareſcens, juxta gallas, cortices quercus, ariſtolochias, vitriolum cœruleum, alumen & ſimilia Saturnina deguſtata; odor ferè nullus in his ſimplicibus deprehenditur, eò quod non modò ſigna ſympathica perfectam compactionem ſuis herbis impertiant, verùm etiam frigida & aſtringens qualitas odorem incarceratum teneat, cuncta hujus ſigni ſimplicia eò ſunt efficaciora, quò umbroſioribus locis increſcunt, propinquiorique mediæ nocti ſpatio decerpuntur, quantæ enim tum temporis dominium Saturni ſit potentiæ, inde palam fit, quod cunctis ferè melancholicis circa mediam noctem paſſio melancholica manifeſtè moveatur, timorque, horror, & palpitatio cordis plus ſolito ipſos divexent, in plurimis etiam vaſtis ædibus, cœnobiis & ſpatioſis cellis tumultuantia & variis ſonis ſtrepera ſpectra audiantur, imò ſubindè cernantur, quæ tamen ſemper circa finem hujus dominii omnino ceſſant & conquieſcunt.

De partibus corporis Virgini ſubjectis, ejusque antipathia.

Subjiciuntur Virgini arteria aſpera, mediaſtinum & arteriæ pulmonum, item ſubſtantia parenchymatica lienis & pancreatis ipſumque diaphragma & cuncti totius corporis muſculi, item renes cum ſuis capſulis atrabilariis; exterius umbilicus cum ejus regione. Antipathia hujus ſigni frigidi & ſicci commemoratarumque partium conſiſtit in Aquario calido & humido, à quo horum ſicca ſalſedo contrariâ ipſis humiditate dulci reſolvitur, & ob contrarietatem unum ab altero efferveſcit, unde ipſis gravitas, obſtructio, punctiones & dolores cauſantur.

De ſimplicibus primi gradus Virginis, eorundemque operatione ſpeciali.

Sub hunc gradum pertinent: acetoſa, oxalis, lapathum groſſer Ampfer; hippolapathum, Saurampfer; acetoſa petralis, Steinampfer; plantago latifolia & acutifolia breiter und ſpitziger Wegerich; lappa major groſſe Kletten; pirus hortenſis & ſylveſtris zahm- und wilder Birnbaum mit allen Geſchlechten; ſalvia ſylveſtris flore rubro wilde Salbey mit roten Blumen; taraxacon Münchsköpffleinkraut/Pfaffenröhrlein; mandibula lucii Hechtkiefer und Zähne; ranunculus vulgaris inſipidus gemeiner ſüſſer Hanenfuß; intybus Endivien; cichorium ſativum Garten-Wegwart; coronopus Rabenfuß; hieracium Habichkraut; lactuca ſylveſtris wilder Lattich.

Vires iſtarum rerum ſunt, quod pauco ſale eoque valdè aquoſo in tota ſua ſubſtantia refertæ ſint, hinc ipſarum multus uſus internus tam ſtomachum quàm hepar lædit, lienique parum prodeſt, ſi tamen admodum

modum ſerò colligantur, plus ſalis procedente tempore acquirunt, dantque potiones internas refrigerativas, poſſuntque tum ex arefactis pulveres concinnari, qui ulceribus inſperſi ea ſiccant & ſanant, citerius verò collectæ pro interno uſu parum aptæ ſunt, at pro externo dant cum ſua legitima additione inſignia remollitiva & conſolidativa ad varia ulcera contumacia in locis huic triplicitati ſubjectis exiſtentia; plura qui ab ipſis ſperant, præſertim qui pro eximiis herbis hepaticis intrinſeco uſu hepar valdè confortantibus eas habent, plurimum hallucinantur.

Collectio ipſarum omni tempore fieri poteſt, ſi ad externa refrigerativa, mollificativa & ſanativa expetuntur, talem enim operationem in ſua recenti ſucculentia ſemper præſtant, verùm ſi interius aliquid laude digni operari debeant, admodum tardè colligendæ erunt, ut prius curſus naturæ earum aquoſitatem ſuperfluam exſiccet, & ipſarum ſubſtantiam reddat ſalſiorem, quod demum fit circa finem Auguſti, quo tempore plantago acuta, radix lappæ majoris & ſalvia ſylveſtris collectæ etiam ad potionem vulnerariam ſatis efficaces ſunt.

Præparationem*, *additionem* & *uſum quod concernit, hæc jam commemorata tria poſſunt, ut dictum, ferè ſatis bonam potionem vulnerariam conſtituere, ſi tribus eorum partibus addantur partes binæ è primo gradu Arietis, nimirum veronicæ vel alterius, atque una pars è quarto gradu Cancri, & tum ſimul in vino albo decoquantur; eorum aquæ ſtillatitiæ etiam eximiæ ſunt in ſputo ſangvinis è pulmonibus prodeunte ſubitò ſiſtendo, ſi ex iisdem jam citatis gradibus itidem aquæ deſtillatæ ipſis addantur, exempli gratia: accipe ex hoc gradu aquæ plantaginis lothones tres, è primo gradu Arietis aquæ urticæ mortuæ vel veronicæ duos lothones, è Cancro ſpiritus vitrioli Hungarici viridiſſimi tantum quantum ad aciditatem hiſce aquis conciliandam largiuſculam ſat ſit, miſce hæc agitatione in vitro optimè, ac deinde uno hauſtu ebibantur ſatis frigidè, imponendo ſimul ventriculi orificio ſeu cordis foveæ pulticulam è mica panis ſecalini, aceto vini fortiſſimo & vino rubro ſtiptico ſubactâ paratam & calefactam, idemque manè & veſpere renovando. Ad externum autem hujus gradus uſum adduntur tribus horum partibus è primo vel ſecundo gradu Sagittarii duæ partes, atque una è quarto gradu Cancri, & ita recens collecta invicem contunduntur, ac prædicto modo ad emolliendum bis vel ter in die iterato imponuntur.

Experimentum ad ſputum ſangvinis.

De ſimplicibus ſecundi gradus Virginis, atque eorundem operatione ſpeciali.

ACcenſentur huic gradui ſequentia videlicet acer, Maßholder / Ahorn; ornus cum tota ſubſtantia, Hagenbüchen mit Blüt / Blättern und aller Subſtantz; alnus Erlenbaum; omnes ſpecies rhamni,

alle Arten von Stechdorn; cornus, Hornkirſchen zahm und wild; caſtanea Keſtenbaum mit Frucht und allem; meſpilus cum fructu & omnibus, Meſpelnbaum mit Frucht und allem; ſpina alba infectoria, Wegdorn/ Kreutzbeerbaum ohn die Frucht; ſorbus cum fructu & omnibus Speyerlingbaum mit Frucht und allem; vitis vini rubri cum radice & toto, roter Weinſtock mit Wurtzel und allem; barba caprina, ſeu angelica equina, Bocksbart oder Roß-Angelic; beta alba, weiſſer Mangold; verbaſcum majus groß Wullkraut; Omnes ſpecies ſigilli Salomonis, Weißwurtz mit allen Geſchlechten; Osmunda, Eichfarn.

Vires horum ſimplicium ſunt, quod præcedentibus meliori ſale abundent, atque ſanandi vulnera & ulcera virtute inſigni prædita ſint, & tam ad internum quàm externum uſum magno cum fructu inſerviant, quocunque modo quis ipſis uti velit vel poſſit, quædam etiam ex his contuſa & expreſſa ſuccum fundunt vel cum vino rubro cocta ipſi eſſentiam largiuntur ad conſervandam loquelam utilem, atque in paralyſi lingvæ ſpecificè propinabilem. Contra paralyſin lingvæ.

Collectio eorum oportuna eſt ut antecedentium menſe Auguſto, Sole nimirum Virgini immorante, florum verò hujus gradus tempore Aprilis, quando partim gemmis ſuis hiſcere incipiunt, partim aperti jam ſunt, quo tempore carpti & in umbra ſiccati ſervant præcipuam vim aſtringendi, & ſalſedinem ſiccantem, poſſunt quoque neceſſitate urgente quovis alio tempore in ſua recentiâ conquiri, atque ad uſum adhiberi, dummodo propria hujus triplicitatis præcipua conſtellatio obſervetur, quæ incipit poſt occaſum ſolis, ceſſatque brevi ante ipſius exortum, & quò proximius tempus ſit mediæ nocti, eò melancholicior ſeu virtuoſior in operatione Saturninâ & melancholica iſtarum herbarum poteſtas deprehendetur.

Præparatio, additio & uſus hujuſcemodi ſunt: accipiantur ex hoc gradu partes tres exempli gratia florum orni vel foliorum ſigilli Salomonis ſeſquimanipulus, è ſecundo gradu Arietis florum hyperici vel foliorum ebuli binæ partes ſeu manipulus, è quarto gradu Cancri herbæ pœoniæ vel equiſeti una pars ſeu dimidiatus manipulus, hæc coquuntur in vino albo vel cereviſia, & obtinetur excellentiſſima potio vulneraria & ulceraria non modò vulnera & ulcera omnifaria mirum in modum ſanans, verùm etiam cunctis partibus huic triplicitati ſubjectis valdè proficua, ipſas enim corroborat, in integra functione & conſtanti ſoſpitate conſervat, vel ſi infirmatæ fuerint, in integrum reſtituit, purgatque cerebrum, nervos, vias reſpirationis, ſplenem, renes &c. à mucoſa appoſitione, defluxionibus, obſtructionibus, æſtu, arena, calculove, ac per vias urinarias educit; exterius poſſunt earundem rerum decocto, vel expreſſo ſucco, vel aquis ſtillatitiis vulnera & ulcera elui, mundari & fomentari, earumque arefactarum pulvis vel crematarum cinis

cinis inſpergi, ſic enim ulcera humida mundant & exſiccant.

Sachari Saturni vis & qualitates.

Huc ante omnia quoque pertinet ipſe Saturnus ſeu plumbum ipſiusque ſal ſeu, ut vocant, ſacharum ob aluminoſam ejus dulcedinem, qualitates enim Saturninas ſcilicet aſtringendi, refrigerandi, corroſiva infringendi, ulcera mundandi, ſanandi & conſolidandi tantoperè præſtat, ut à nulla alia re ſuperetur, verùm intrinſecus ejus uſus non ſat tutus eſt, quamvis à quibusdam intrò detur ad compeſcendam libidinem veneream, probandi tamen non ſunt, eſt enim ſal Saturni admodum nauſeoſum & aliquid maligni in ſe continet, at ſi deſtilletur in ſpiritum & oleum, tunc tutò intrò ſumitur, mirè tamen re rigerat, & venereum ſtimulum ferè omninò ſepelit, ſed externa ſachari applicatio ſemper tutiſſima & ſaluberrima eſt, & admiranda præſtat in ulceribus rodentibus, putrefactivis, cancroſis, quorum acredinem corroſivam mitigat & dulcificat, non aliter atque acerrimum acetum plumbo ſuperfuſum omnem ſuam acredinem amittit & dulcificatur, optimè conducit in impetiginibus, ambuſtis, & qualicunque inflammatione, rubentibus & inflammatis oculis ſolatium & auxilium affert in inſtanti, ſæpius intinctis ſolutioni ejus in aqua roſarum linteolis oculis impoſitum, purgat, mitigat & mundificat ulcera inveterata, foramina apoſtematica, vulneraque ita, ut vix dici queat, quantum his conducat. Ita autem ſolemus hoc ſal facili methodo præparare: accipe ceruſſam, vel minium vel calcem plumbi qualemcunque, vel ipſum plumbum redige in cinerem, quod fit ſi fluat in ſartagine, & quando liquidum eſt, inſpergatur ipſi ſal communis ſeu marinus, & ambo moveantur ferreo inſtrumento, ſenſim continuata adjectione ſalis, donec ex utroque fiat pulvis, tunc aqua affuſa ſalem ſolvi ſine, ſalſam aquam decanta, aliaque reaffuſa reliquam ſalſedinem extrahe, & defunde, calcem edulcoratam deinde exſicca, & vitro inditam ſuperfuſo aceto deſtillato ſolve in loco calido vitrum cum calce & aceto detinendo, donec acetum ſit ſatis dulce ac flavedine tinctum, uti uno vel altero die interjecto contingit, ſæpius quoque materia ſeu calx in fundo baculo agitanda eſt, aliàs conſolidatur ferè in unam maſſam, & fundo vitri fortiſſimè adhæret, quidam vitrum hoc in hypocauſto ad fornacem hyeme detinent, at non ſine hominum in hypocauſto degentium, noxâ capiti nocente; itaque melius eſt ut ſuper proprio huic rei dicato furno deſtillatorio in digeſtione ſervetur, ſolutio hæc calcis plumbi non niſi in vitris vel vaſis in lapideam ſoliditatem coctis nimirum Siburgicis, Waldenburgicis & ſimilibus peragi poteſt, vulgaria enim fictilia argillacea utut probè cocta & undique devitreata perfluit, ſi per aliquot dies in ipſis ſervetur, at per celerem coctionem & bullitionem ejusmodi ſolutio pari modo in hisce fieri poteſt, ſcilicet in olla quadam devitreata & operculo obtecta, calor enim

Salis Saturni paratio.

Oooooo 2 bul-

bulliens longè citius imò paucis horis calcem Saturni in aceto liqueſcere facit, nec metuendum eſt ne optima aceti pars per exhalationem evaneſcat, nil enim evaporat præter phlegma inutile, ſpiritus verò aceti omnes à plumbo attrahuntur, & cum ipſo in ſuccum fuſibilem abeunt, conſtantem è vitriolo Saturni & ſale aceti; notandum quoque ſolutionem iſtam fieri non poſſe niſi in aceto deſtillato, vulgare enim quamvis ferè acrius ſit deſtillato, attamen quia ſpiſſam mellaginem & craſſas feces in ſe continet, ſolutum plumbum ipſis permiſcetur, & nil niſi ſpiſſum & glutinoſum gummi peracta ſolutione & evaporatione obtinetur emplaſtris & epithematibus tantummodò utile, non autem in corpus vitriolaceum clarum cryſtallabile. Aceto itaque deſtillato per digeſtionem præfatam dulci facto & flavedine aurea colorato ſolutionem claram decanta, & aliud acetum deſtillatum ſuperfunde, & ſic perge defundendo & reaffundendo, donec omnis ſalſedo vitriolacea è plumbo extracta ſit, & nullum amplius acetum ſuperfuſum dulceſcat, ſemper autem ſecundum noſtram advertentiam prima vice omnium optima pars in acetum tranſit, non ſecus ac in molitura frumenti, ubi prima mox vice optimus farinæ flos obtinetur, reiterataque farinatione qualibet vice vilioreſcit farina, donec tandem meri furfures remaneant, ita planè eodem modo ſe res habet in hac extractione, ut primò optima pars in plumbo ſolvatur, ac deinde ſemper vilior, donec tandem mera ſcoria inſolubilis ſuperſit, qui ergò boni quid deſiderat, contentus ſit prima calcis plumbi extractione & decantatione, vel ad minimum reiterate ſecundâ, decantatas ſolutiones omnes per filtrum cola, & ad ſpiſſitudinem oleiformem evapora, quæ in frigido loco concreſcit in ejuſmodi corpus vitriolaceum album, vulgò ſacharum Saturni appellatum, quod ulteriori ſolutione, filtratione & congelatione in phlegmate aceti (at non aqua communi deſtillata, quia qualibet vice multum præcipitat) clarificari poterit, & paratum eſt.

Uſus ipſius inſignis & varius eſt ad omnes affectus inflammatorios, & morticativos externos, in igne enim perſico ſolvitur in aqua plantaginis vel polygoni, & madefactis in ſolutione tepefacta linteolis, vel pannis cœruleis crebrius igni perſico applicatur, ad tumores cum oleo chamæmeli & aqua roſacea redigitur in ungventum, ad ulcera, vulnera & membra contracta ſolvitur in oleo terebinthinæ in balſamum præſtantiſſimum inungendum & imponendum, valet quoque contra cancrum, fiſtulas, ulceraque mammarum, tumores & dolores, colicam, inflationem lienis, quartanam & punctiones circa umbilicum; ſi deſtillare quis velit ejus ſpiritum & oleum, cautè procedatur, facilè enim fulminat & nonnunquam integrum furnum in rudera diſturbat, quî autem cum illo procedendum, docuimus

in

in tertio tomo noſtræ officinæ urbano ruralis.

De ſimplicibus tertii gradus Virginis, eorumque operatione ſpeciali.

SUb hunc gradum pertinent ſequentia: ſcilicet ariſtolochia longa & rotunda lange und runde Oſterlucey; quercus cum tota ſubſtantia, nimirum corticibus, glandibus, cupulis & gallis der Eichbaum mit aller Subſtantz was daran iſt; conſolida media gemeine gülden Güntzel; prunella Braunellenkraut; conyza major & minor groſſe und kleine Dürrwurtz; balauſtia Granatenblüt; iſatis Weid; lentiſcus Maſtixbaum; cupreſſus Cipreſſenbaum; ſantalum rubrum roter Sandel; ſabina ſylveſtris Waldſevenbaum; fumaria bulboſa Holwurtzigerdrauch; fumaria communis gemein Erdrauch oder Taubenkropff; fumaria Sclavonica ſeu corydalis ein fremd Erdrauchsgeſchlecht; lupulus Hopfen; inteſtinum & ſtercus lupi Wolffsdarm und Koth; muſcus terreſtris Berlap; benedicta caryophyllata Benedictenkraut und Wurtz.

Vires harum rerum ſunt, quod virtute ſiccante & abſtergente præcedentium graduum ſimplicia etiamnum ſuperent, iisdemque viribus polleant, at fortioribus in omnibus, imprimis autem ex hoc gradu potiones inſignes diureticæ parari poſſunt, quæ mirum in modum ſabulum & calculum renum atterunt, diſſolvunt, & eluunt, morboſque ſplenis, quartanam & melancholicos curant, & ab ipſis præſervant, ſiſtunt quoque externa inſperſione ſangvinem vulnerum, eaque glutinant; & ſi debito tempore colligantur, efficaciſſimas potiones dant vulnerarias, ſanantque affectiones faucium, tormina ventris, dolores umbilici, corrigunt fœminarum vitioſos menſes, aliaque præſtant quæ ſuperius in tertio gradu Tauri conſignata ſunt.

Collectio eorum pari modo inſtituenda eſt Sole exiſtente in Virgine & Lunâ in Libra, ad inveterata verò ulcera oportuniſſimè colliguntur Sole & Luna in Cancro currentibus, triduo vel quatriduo à plenilunio, aſt ſi valdè ſpiritualis & totum corpus perveſtigantis operationis eſſe debeant, tunc carpenda ſunt in ſua prima teneritudine nempe menſe Aprili, inter novilunium & primum lunæ quadrantem, Sole & Luna morantibus in Tauro, nocte jam omnino caliginante, & rore in herbas decidente; ita enim ejusdem cum ſimplicibus tertii gradus Tauri ſunt efficaciæ.

Præparatio, additioque tales accedant: accipiantur ex hoc gradu tres partes, è ſecundo gradu Arietis duæ partes, atque una pars è tertio gradu Scorpii, hæc ſi recentia ſint, coquantur in ſolo vino albo non forti, ſi verò arida, in æqualibus partibus vini & aquæ, ac colatura frigefacta ad præfatam intentionem bibatur, ea tamen, quæ qualitatem laxantem ſeu purgantem habent, ut fumaria, ariſtolochia, macerentur prius per aliquot horas in aceto, &

tum demum exempta ad hanc compoſitionem & decoctionem aſſumantur pro interno uſu, pro externo verò id non opus eſt, ſed ſtatim adhiberi poſſunt; deſtillantur etiam ex ipſis recentibus aquæ ſine alia additione, nec non ex herbis in umbra ſiccatis pulveres parantur, expreſſi quoque eorum ſucci per annum aſſervari poſſunt, ſi prius parum coquantur, & quieſcere permittantur, donec feces fundum petierint, ac deinde vitrum ſtricti orificii iſto ſucco impleatur, & demum non nil olei ſuperfundatur, ut in ſtricto vaſis collo oleum ſupernatet, & ſucci exſpirationem impediat, & ſic absque corruptione diu aſſervari poteſt.

Uſus horum præparatorum varius eſt, ſi enim interna ſanatio ulcerum vel vulnerum hisce perfici debeat, bibendum eſt de tali decocto bis vel ter in die, atque in eodem vel etiam alio quopiam juſculo ſubinde pugillus præfati herbarum pulveris aſſumendus, ſi verò ſputum cruentum vel fluores rubri vel albi inferiores ſtringendi forent, tunc omnino opus eſt, ut hæc ſimplicia ante commemoratam decoctionem prius in aceto per aliquot horas ſint infuſa, vel etiam unica ſaltem ebullitione paulululum cum aceto cocta, ac mox exempta, ne etiam reliquam virtutem in acetum deponant, ac tum denique decoctum ex ipſis cum præfata additione concinnetur. Si tormina & dolores ventris vel matricis demulcendi eſſent, impotentur etiam ſimul in decocto hujus vel ſequentis gradus pulveres, præſertim inteſtinum lupi exſiccatum, quod etiam ventri alligari poteſt; ſorbent enim tales exſiccati pulveres tumultuantes ſylveſtres ſpiritus & rodentes humores in ſuam ſubſtantiam ſicciſſimam, partesque eis afflictas liberant impotati, nec minus potenter bilioſas defluxiones qualitate ſua frigida reſtingvunt, easque combibunt & educunt, exempli gratia ſi catarrhus vehemens bilioſus in pectus rueret, ibiq; apoſtema excitaret, tunc ex hoc gradu cape à juniori quercu denſitatem brachii vel cruris non excedente interiores ſeu medianos cortices ſive libros, non procul à terra degluptos quantitate unius vel alterius manipuli, è Scorpio florum berberis, vel è Cancro florum ſalviæ tertiam partem manipuli, ex Ariete menthæ criſpæ dimidiatum manipulum, aquæ duas libras, vini libram, aceti dimidiatam libram, mellis duas uncias, ex his fac decoctum, ejusque ſæpius unum vel alterum cochlearium ſorbe, ſi hisce non cedat, ſorbeat æger ſubinde cochlearium olei lini vel ſcorpionum, & apoſtema rumpetur, poſtea prædictam potionem continua, donec convaleſcas.

Contra ſputum cruentum & menſes nimios.

Contra dolores ventris.

Aquæ verò ſtillatitiæ hujus gradus valent ad gangrænam incipientem, ſi quadruplicata ipſis immerſa lintea ſingulis quatuor horis applicentur, donec omnis uredo extracta ſit.

De

De ſimplicibus quarti gradus Virginis, atque eorum operatione ſpeciali.

HUic gradui ſubſunt ſequentia: olea ſylveſtris wilder Oelbaum; ilex Steineiche mit Allem; imprimis viſcum ilicis ad epilepſiam valens Steineichemiſtel; viburnum Schlingenbaum; ſuber Pantoffelholtz; frangula ſeu alnus nigra Faulbaum mit Allem was dran iſt; item oleum frangulæ per deſcenſum deſtillatum & cinis ejus das Oel aus Faulbaumholtz per deſcenſum gebrannt / und deſſen Aſche; frutex rhus, ſeu ſumach Gerberbaum; frutex prunorum ſylveſtrium ſeu acaciæ noſtræ cum tota ſubſtantia ut & muſco ipſius der Schleenſtrauch mit Blüt/ Wurtzeln/ Rinde/Laub / Frucht und Moß; acacia noſtra ausgetruckneter Schlehenſafft; carduus benedictus geſegnete Diſtel mit Kraut und Samen; tormentillæ radix & herba Tormentillkraut und Wurtzel; dracontium majus groß Schlangenkraut; biſtorta Naterwurtz; centaurium minus klein Tauſendgülden; ophiogloſſum Schlangenzünglein; muſcus omnifarius præſertim ex cranio humano allerley Moß / ſonderlich von eines juſtificirten Hirnſchedel; hæmatites Blutſtein; ſangvis draconis Drachenblut ein Gummi; chimolea Schleiffſchleim; alumen Alaun; bolus Armena Armeniſche Erde; ochra Ockergeel; rubrica Rötelſtein; marga Steinmarck; crocus martis gebranntes zartes Eiſenpulver; tripolis Trippelerde; ſpodium gebrannt Elfenbein / ſo auch aus gebrannten Oelbaumblättern gemacht wird; rubedo capitis mortui vitrioli edulcata ausgebrannte und ausgeſüſſte Röte aus Vitriol.

Vires horum ſimplicium ſunt, quod in ſummo perfectionis materiæ & ſpiritus gradu ſint conſtituta, adeò ut quoad virtutem refrigerantem & ſiccantem in ſublimius quid provehi haud potuiſſent, nil ergò uſpiam nobilius eſſe poteſt ad emplaſtra ſanativa & conſolidativa, quàm in hoc gradu habetur, nec non in præcedenti, ut & ad ulcera inveterata melancholica, perpetuò manantia, & depaſcentia, talia enim ex hoc gradu mitigari, funditus ſiccari, & ad conſaneſcentiam perduci queunt, depromptis nimirum ex eo præſtantiſſimis emplaſtris, & efficaciſſimis potionibus vulnerariis & ulcerariis, tam pro juniori quàm provectiori ætate, præterea ſunt eximia & ſingularia ad quoslibet affectus ſpleneticos, reſerant enim ſplenis obſtructiones, curantque quartanam qualemcunque, ſuâ quoque qualitate immenſum ſiccante & aſtringente quælibet profluvia nec non dyſenteriam cohibent, combibuntque humores frigidos acerbos, flatusque impetuoſos tormina & dolores ventris & matricis progignentes, eosque exſiccant & ſic præfatas partes ab ipſis liberant; denique etiam hæmorrhagiam vulnerum externam nec non ſinoviam ſiſtunt.

Ulcera rodentia.

Contra quartanam.

Collectio eorum ad potiones medicas factitanda eſt menſe Aprili vel Maji, tum enim ad iſtam operationem

nem meliora ſunt, ad ſiccationem verò ulcerum convenientiſſimum tempus tam collectionis quàm curationis Junius eſt, Sole & Luna currentibus in Cancro, aliquot diebus ante & poſt ferias S. Johannis, ad internam autem aſtrictionem magis convenit Auguſtus.

Præparatio & additio hujuscemodi ſunt: ſiccantur tam herbæ & flores quàm cortices arborum & radicum hujus gradus in umbra, & partim ſubtiliſſimè pulveriſantur, ut pulvis vendibilis croci eſſe ſolet, partim verò radices & cortices per deſcenſum in oleum deſtillantur eodem modo, ac ſupra de quarto gradu Leonis doctum eſt, ex herbis & floribus deſtillantur etiam excellentes aquæ ſcilicet è floribus prunorum ſylveſtrium, carduo benedicto, tormentillâ & reliquis herbis, quarum aquæ ſtillatitiæ etiam dudum decantato in uſu ſunt, pulveres autem quibus interiores arborum cortices adduntur, potiſſimum externo uſui inſerviunt ad ſiccanda & mitiganda ulcera, debentque adeo ſiccari, ut etiam notabilem partem propriæ humiditatis exuant, & omnino ſiticuloſi fiant, ſubſtantia tamen eorum non comburatur, ſpontanea ergò eorum ſiccatio in aura libera non ſufficit, ſed calor ferè deſtillatorius requiritur, & aliquo modo uſtulatorius, non modò in hoc gradu, ſed etiam hisce è quibus additio deſumitur, verùm pulveres, qui interno uſui deſtinantur, oportet integras ſuas ſpiriritales vires retinere, atque ita tantummodò in aura umbroſa ſiccari, niſi ubi validæ dyſenteriæ ſiſtendæ ſint, ibi enim quoque tales pulveres conveniunt, qui aliquo modo per validam exſiccationem pertoſti ſunt; ad pulveres itaque externos ſiccatorios captantur ex hoc gradu tres partes, è ſecundo gradu Leonis binæ partes, atque è primo vel ſecundo gradu Cancri una pars; hæc ſimul arefiant calore aliquatenus uſtulatorio, qualem cruſta panis in clibano experitur, ad internum verò potionalem uſum additio ſit in eâdem proportione è primo gradu Arietis & quarto Cancri. Quædam etiam ex hoc gradu prius ante internum uſum infundi ſeu macerari debent per aliquot horas in aceto vini, ut craſſior & acrior pars extrahatur, ſcilicet frangula, dracontium, carduus benedictus, centaurium minus, ſi nimirum potionibus vulnerariis deſtinantur, exterius verò ejusmodi acredo non admodum impedimento eſt, præſertim ad ulcera eroſiva, quippe quorum fundus putrefactivus & corroſivus omninò prius rebus acribus mortificari debeat, nil itaque nocet dracontii acredinem in tali caſu ita relinquere, imò etiam à Leone pulverem acriuſculum ſcilicet perſicariam & è Cancro mercurium præcipitatum addere, donec putrefactiva pravitas in ulcere ſit edomita; in hunc finem etiam non opus eſt terram rubram vitrioli edulcorare, ſed ſaltem ſubtiliter trita & cribrata ulceribus inſpergatur, ita enim optimè putrilaginem abſumit, & mox incarnat; conſimili etiam modo alu-

men

men acrius reddendum eſt, quod fit per uſtionem; aſt pro interno uſu quælibet quantum fieri poſſit, prius ab acredine liberentur, nihilominus inſenſibiliter corpus purgant, ſangvinem mundificant, & ſanationem vulnerum & ulcerum accelerant.

Uſum quod attinet, is pro cujusvis intentione varius eſt, in affectibus enim ſpleneticis, quartana, nephritide vel ſtagnante urina hæc decocta affatim bibuntur, atque unà horum pulveres in hisce tanquam ſpecificis vehiculis impotantur, item ad compeſcendos dolores & tormina ventris vel uteri, quibus inſigniter conducunt in hunc modum exhibita, ſi nimirum ex hoc gradu capiantur herbæ carduibenedicti ſub initium noctis collectæ vel ſeminis ipſius lothones tres, menthæ criſpæ vel è Sagittario aſari duo lothones, atque è Cancro oſſiculorum muſtelæ fluviatilis, vel truttæ, vel oculorum cancri pulveriſatorum ſemuncia, atque ex hisce ſubtiliſſimus pulvis fiat, cujus pro vice ſcrupuli duo vel tres in conſimili decocto vel etiam in ſimplici vino aſſumantur, ſiſtit tormina quæcunque tam ventris quàm uteri, ea enim tantummodo à frigidis defluxionibus cauſantur, ab hisce verò combibuntur & annihilantur, at ſi fœmina gravida pateretur tormina, tunc opus eſt talia exhibere quæ non ſunt diuretica, exempli gratia, ℞. ſeminis carduibenedicti tres lothones, ſeminis fœniculi duos lothones, herbæ equiſeti unum lothonem, fiat ex hisce pulvis mixtus, cujus drachmā

Contra tormina quælibet.

ægra pro doſi in vino aſſumat, idque per horam adhuc ſemel vel bis reiteret. Contra quartanam accipiantur foliorum carduibenedicti ſesquimanipulus, aſari vel origani manipulus, equiſeti vel parietariæ dimidiatus manipulus, vel etiam omnium partes æquales, coquantur hæc in mero vino vel æqualibus partibus vini & aquæ vel cereviſiâ, tollunt enim quartanam omnino. Ad ſiſtendos autem quoslibet alvi fluxus nec non uteri, bibantur ſimiliter eadem decocta, ſed unà cum ipſis etiam hujus gradus aſtringentes pulveres hauriantur, exempli gratia acaciæ ſeu ſucci prunorum ſylveſtrium exſiccati, vel gallarum, vel lapidis hæmatit. vel boli Armen. vel ſangvinis dracon. tribus drachmis addantur diptamni Cretici, vel vincetoxici drachmæ duæ, vel etiam nucis moſcatæ (quæ & ſola ſine ulla alia re comeſta noſtrum in hoc caſu expertiſſimum remedium eſt) atque è Cancro oſſiculorum lucii drachma, fiatque ex his pulvis ſubtiliſſimus, cujus drachma in hauſtu prædicti decocti impotetur. Nos verò accipimus in hoc caſu è triplicitate cholerica theriacæ Andromachi ſcrupulos quatuor, quinque vel ſex (cujus vicem rob ſambuci vel ebulini in duplo pondere adimplet) hæmat. ſubtiliſſimè triti ſcrupulum vel dimidiatam drachmam, aquæ foliorum quercus vel plantaginis lothones tres vel duas uncias hæc pro una doſi propinata plerunq; prima vice quodlibet alvi profluvium ſiſtunt. Præfatus pulvis etiam ad

Profluvia quævis.

Ppp pppp proflu-

profluvium menſium valet, ſupponendo ſimul plantis pedum in tibialibus recentem muſcum pruni ſylveſtris ab ejus frutice, imò ſaltem ſub ipſa à terra collectum, cujus ſola quoque geſtatione recenti in tibialibus ſine ulla alia re deſperatum & nulli alii remedio auſcultans menſium profluvium ceſſare vidimus.

Adhæc herbæ & radices hujus gradus cum præſata additione etiam exterius applicata ad tormina ventris quælibet eximia ſunt, ſi in vino ad omnimodam mollitiem decoquantur, ac deinde cum ſtercore pullorum columbarum vel aliis è primo gradu Leonis in pultem contundantur & ventri ſuperimponantur, exempli gratia accipe radicis dracontii exſiccatæ libram, coque eam conciſam in æqualibus partibus vini albi & aquæ ad totalem mollitiem, poſtea piſta eam in mortario marmoreo, donec inſtar axungiæ mollis fiat, tunc iſtam paſtam iterum cum vino coque, & rurſus ab omni humiditate exprime, adde prædicti ſtercoris columbini æqualem partem, contunde ſimul in cataplasma, quod tam calidè quàm ferri poſſit umbilico ſuperponatur, confert brevi in omnibus ventris doloribus, cujuscunque ſint qualitatis. Sin autem iſti ventris dolores in hydropem ſiccum ſeu tympanitem abirent, tunc ex hoc vel præcedenti gradu prehende ariſtolochiæ rotundæ vel fumariæ bulboſæ manipulos tres, ex Ariete vel Leone florum lavendulæ itidem tres manipulos, & foliorum raphani duos manipulos,

Tympanites.

ex his ſiccatis fiat pulvis, quem ſacculo inditum coque in vino albo rhenano, atque exemptum tam fervidè quàm tolerari poſſit umbilico appone, frigefactum recalefac, & impoſitionem hanc toties reitera, quoad morbus deſinat, impotando ſimul quotidiè ſequentem pulverem: accipe lapidis ſpongiæ uncias ſex, ſeminis plantaginis acutæ lothones tres, cornu cervi circa finem Auguſti capti, & limando pulveriſati ſemunciam, ex his paretur pulvis, cujus omni manè dimidiata drachma cum aqua vel oleo lavendulæ jejuno ſtomacho aſſumatur, jejunando deſuper usque ad prandium. Potus ordinarius ſit talis: cape cardamomi drachmas decem, dictamni albi drachmas octo, radicis iridis drachmas ſex, vini albi libras tres vel quatuor, coquantur in vaſe lutato, & colatura frigefacta bibatur. Ad rupturam umbilici recipe margæ duas uncias, boli Armeni drachmas decem, aloe hepatici unciam, ariſtolochiæ longæ duas drachmas, gummi Arabici drachmam, fiat ex hisce omnibus pulvis, tum liqueſcant ceræ drachmæ duodecim ſeu quantum ſatis, admiſce præfatum pulverem, & hoc ceratum ſuperpone ita ſiccum, quod per octiduum continuò geſtetur, quo elapſo recens ſubſtituatur, adhibitâ ſimul firma ligaturâ & reprimente ſcuto, ne ramex egredi queat. Toto autem geſtationis emplaſtri tempore potus vulnerarius ex hoc gradu ſimul bibatur, donec æger convaleſcat.

Ramex umbilici.

Ad ſiccanda autem ulcera ichoroſa

Fluxus ſinoviæ. roſa & cohibitionem ſinoviæ hujus gradus pulveres aſtringentes inſperguntur, concurrente ſimul potione ex hoc vel antecedente gradu ulceraria, & ungvento egregio vulnerario quotidiè vulneri immiſſ, ſin quibus emanans ſinovia vix pulveribus aſtringentibus, ſcilicet croco martis & reliquis ſupra conſignatis auſcultabit, ulcera verò manantia iſtis optimè ſiccabuntur, præſertim ſupradictis lignorum & corticum oleis deſcenſualibus ſæpius linteolis intinctis impoſitis, quibus mediis etiam quaſi violenter ad perſanationem coguntur.

TRACTATUS XII.

De ſigno antipathico Capricorni, ejusque qualitate & dominio generali.

CApricornus eſt ſignum tertium & ultimum trigoni melancholici, in quo Sol menſe Decembri volvitur, ipſumque ingrediens ſolſtitium hybernum efficit, metamque extimam ſui curriculi latitudinalis antarctici hemiſphærii, quæ vulgo tropicus Capricorni nuncupatur, nec non diem totius anni breviſſimam ſcilicet habitatoribus hemiſphærii arctici, antarcticis verò longiſſimam, & æſtatis, at nobis hyemis initium, quamvis apud nos dies ab iſto brumali ſolſtitio indies incrementum ſuſcipiant, ſignum enim hoc omnibus reliquis eſt frigidius & ſiccius, eandemque influentiam tempeſtati anni imprimit, eſtque frigidum & ſiccum in declinatione, in quo nimirum ſpiritus melancholicus ſenſim declinat, & tandem omnino deſinit, ita ut hujus ſigni ſimplicia, quò propinquiora ſint gradui quarto, eò pauciorem habeant ſpiritum, & copioſiorem materiam, eòque magis ad internum uſum inepta fiant, eò quod quò materialiores ſint, eò craſſioris deprehendantur ſubſtantiæ, vehantque in ſe vaporem terrenum frigidum venenatum, qui in quarto demum gradu tam craſſus & veneficus eſt, ut homini intrò acceptus lethalis ſit, exterius tamen tales venenatæ herbæ leviter correctæ non modò non nocent, ſed mirandæ virtutis ſunt ad evocandam inſpiratam venenoſitatem ſeu malignitatem è profundo ad ſuperficiem, eòque pacto hominem liberant.

Præeſt ſignum hoc tempori nocturno finali, inchoanti quando apud nos horologia primam ſonant, iſta hora autem horologiorum prima an initium noctis vel diei denotare debeat, nemo facilè dixerit, cum revera neutrius vel initium vel finis ſit, ſed potius veriſſima hora noctis quarta, durantis ab hoc ſpatio etiamnum per duas horas, quo intervallo Capricorni eſt dominium, ita ut integra nox ſit ſex horarum, tempus matutinum etiam ſex, dies ſeu meridies pariter ſex, & veſper conſimiliter ſex at cum ſerena lux diei omni tempore diuturnioris ſit ſpatii, ipſa ſcriptura ſacra medium ſpatium veſperæ & temporis matutini adhuc diei tribuit, & alteram utriusque medietatem nocti; dicitur hoc ſpa-

tium dominii Capricorni ab antiquo noctis Gallicinium, quo ſanctus Petrus Dominum noſtrum abnegavit, & audita voce galli acerbiſſimè reſipuit, reliqua verò corda Saturnina rigida ab ave hac lucis prænuncia minimè tacta vel ad reſipiſcentiam commota ſunt, ſed à poteſtate tenebrarum magis magisque indurata, à quibus benigniſſimus Salvator durante hoc regimine Saturni maximè rigido omni injuriarum genere crudeliter tractatus, tuſus, illuſus, verberatus, ſpurco ſputo conſpurcatus & deniq; circa aurorã damnatus, atq; ad extremũ flagellatus, crucifixus clavisque & lancea transfixus eſt. O horrenda vis Saturnina, quæ cunctis ferè tuæ triplicitatis ſimplicibus adeò ſanativam vulnerum virtutem imprimis, erga benignum verò tuum Creatorem tam atrox & crudelis fuiſti, ipſique lethalia vulnera inflixiſti, è vulneribus tamen ipſius lethiferis nobis balſamum vivificantem vulnerarium animæ noſtræ paraſti, imò tu Deus unice bone cuncta hæc noſtri cauſa condidiſti miracula, tibi pro omnibus inenarrabilibus beneficiis ſit irrequieta laudum litatio in omnem æternitatem. Sed ut redeamus ad punctuale ſpatium dominii Capricorni, illud ut dictum incipit horologiis noſtris horam ſonantibus primam nocturnam, & bihorio elapſo ceſſat, congruit ipſi quoque tractus ſeptentrionalis, qui eſt inter cæciam & aquilonem, item nigredo livida, ſeu livor cœruleus, qualis in obſcuriori lapide lazuli, fructibus mori, myrtilli, rubi, pruni ſylveſtris ſpectabilis eſt, ac ſenſim in cœrulei tatem cyaneam vergit, quæ demum circa finem hujus ſigni in herbarum orientalium floribus plenè emergit, idque tam accurata partitione, ut in ultimo ex hoc ſigno diſceſſu natura napellum diſtinxiſſe videatur in ſpecies quoad cœruleitatem florum ſibi invicem planè conſimiles, in operatione verò penitus contrarias, adeò quidem ut altera ſpecies thora vocata venenoſitatis Saturninæ acutiſſimæ, altera verò antithora appellata qualitatis ſalutiferæ Jovialis particeps deprehendatur. Sapor hujus ſigni eſt acerbitas ſtupida, tam extremè frigida, aſtringens, & proprium ſaporem congelans, ut in ſe ipſo furorem quaſi ſuſcitet, & amarorem ex acerbitate nauſeoſum, extremum enim frigus glaciando adeò furit, ut vehementiſſimo iſto motu iterum calidi quid enaſcatur, & unà cum frigore etiam urat, ita quidem ut incolarum Gronlandiæ color vultus penè nigricet inſtar Æthiopum, ac piſces in Iſlandia ab extremo frigore tam torridi reddantur, ac ſi id factum fuiſſet à fervidiſſimo calore Solis, Saturnus tamen in ſuis ſubjectis & regionibus frigiditatis prædominium gerit, nec amaritiem in ipſis guſtabilem ſinit denotare præcellentem caliditatem, ſed potius frigiditatem furibundè lethalem.

De partibus corporis Capricorno ſubjectis, ipſiusque antipathia.

SUbjiciuntur Capricorno arteriæ lienis, item ductus pancreatis cum ſuo ſucco auſterulo pancreatico, tanquam præcipuo humore atrabilario, quemadmodum enim Jupiter & Mars conſpirant in præparando ſucco cholerico amaro ſeu ſeparando è ſangvine venali, ita viciſſim in ſiniſtro latere Saturnum & Venerem concurrere in pancreate ceu Veneris officina in procreando ſucco atrabilario auſtero ſeu ſegregando è ſangvine arteriali, rationabile eſt, & utrunque ſuccum poſtea in poro biliario commiſceri, atque è duobus contrariis concurrentibus tertium quid nimirum ſalſedinem quandam inteſtinis & meatibus urinariis ſummè utilem conflari, quemadmodum ex oleo vitrioli & ſale tartari tertium quid ſcilicet tartarus vitriolatus conflatur; ad hoc ſignum quoque ſpectat fermentum acidum ventriculi, item vas breve, & quicquid ad vim concoctivam & digeſtivam facere poteſt, ut & ex parte quadam renes; exterius verò genua, & totius corporis oſſa compactiſſima & ſolida; antipathia autem harum partium conſiſtit in ſigno antipathico Joviali nimirum Geminis, qui ſalſedine ſua calida & humida ſubſtantiam frigidam & ſiccam iſtarum partium corrumpere & reſolvere ſatagunt, & defluxiones contrarias & putredinoſas ipſis advolvunt, à quibus iſtæ partes lancinantur, obſtruuntur, inflantur ac variè afficiuntur.

De ſimplicibus primi gradus Capricorni, eorumq; operatione ſpeciali.

GRadui huic ſubſunt ſequentia: nimirum morus cum fructu Maulbeerbaum und deſſen Beer; rubus idæus Himbeer; myrtillus, ſeu vitis idæa Heidelbeer; calendula Ringelblume; rubus major groſſe Brombeer; ceraſa nigra ſylveſtria wilde ſchwartze Kirſchen; milium Hirſen; panicum ſativum & ſylveſtre zahmer und wilder Fench; ſorgum Welſcher Hirſen.

Vires iſtarum rerum ſunt, quod perpaucum habeant ſpiritum, materiam verò ſuperfluam, ac præterea vaporem terreum frigidum nimium, pro ulceribus itaque & vulneribus non conveniunt, ſed potius ipſis damnoſa forent, neque etiam ad internum uſum valent, in his nimirum qui laboribus non dediti ſunt, ſed vitam ſedentariam & otioſam degunt, tales enim materiâ ſeu corporalitate abundant, & ſpirituoſitate deficiunt, atque ab harum rerum multo interno uſu inſigniter læduntur, aſt qui è contra multum & continuò laborant, parum materiæ & plurimum ſpiritus habent, atque ab hisce rebus non modò detrimentum nullum incurrunt, verùm quoque multum commodi inde reportant, & in ſua valetudine ſana firmantur, ex abundantia enim ſpirituum nimium intrinſecè caleſcunt, ab hisce verò caloris æſtuantis re-

 ſtinctio-

ſtinctionem,& copioſum nutrimentum accipiunt, cum tamen otioſis contrariam contingentiam afferant, impertiendo ipſis non ſaltim nutritionem parcam,ſed tormina quoque artuumque dolores iisdem progignendo, ac viſcera relaxando. Virtus autem ipſarum medica præcipua eſt, quod pro parte ex ipſis concinnari poſſint gargariſmi & oris collutiones ad amiſſam vel infirmatam loquelam, inflammationes & exulcerationes oris, gingivarum & faucium, adhæc ſi ante plenam maturitatem acquirantur & arida reddantur, tunc ipſarum pulvis etiam fluxus alvi & dyſenteriam curat.

Collectionis optimum tempus eſt menſe Auguſto circa plenilunium, at ſi ad ſtrictionem internam expeterentur, colligendæ eſſent ante integram maturitatem.

Correctione autem ob pravam ipſis inſitam noxam tali opus habent, ut tribus harum rerum partibus addantur duæ partes ex Leonis ſecundo gradu, ut frigiditas & humiditas ipſarum virtute Leonis ignea abſumatur, itemque una pars è quarto gradu Cancri, hæc invicem coquantur in vino rubro, & colatura egregium gargariſmum ad præfatos affectus ſuppeditabit.

Uſus eſt ut in prædictis affectibus commemorato decocto æger ſæpius in die pro gargariſmo utatur, ejusque non nil in buccam accipiat, atque hinc inde moveat, nec non guttur & fauces gargarizet, & poſt aliquam moram iterum exſpuat, atque aliam ejus portionem iterum ingerat, & ita pergat donec melius habeat. Tale autem decoctum valet ad inflammationes faucium, columellæ, gulæ, tonſillarum, & anginæ principium, item ad ſerpentia oris ulcera, quæ tamen melius & citius ſanantur, ſi è fructibus hujus gradus præſertim moris, quæ ideò Maulbeer/id eſt baccæ oris vocantur, ſuccus exprimatur, & cum melle roſato temperetur, inſtillatis quoque è Leone paucis guttis olei vitrioli, & hujus mixturæ contactu aliquoties repetito ulcera brevi conſaneſcent; ad externa verò ulcera hæc ſimplicia parum valent, & præcedentibus in ejusmodi virtute longè ſuperantur, proinde hæc ſufficiant. Ulcera oris.

De ſimplicibus ſecundi gradus Capricorni, eorumque operatione ſpeciali.

SUb hunc gradum pertinent ſequentia: ſcilicet cynocrambe Hundskohl; lolium Dorte/Unkraut; narciſſi Hornungsblumen; rubus ſchwartzer Brombeerſtrauch; chamæceraſos Erdkirſchen; boleti muſcarii Fliegenſchwäme; horminum Scharlach; verbaſcum Himmelbrand.

Vires iſtarum rerum ſunt, quod ſuperfluo vapore terreo repletæ ſint, nec ſine correctione in uſum vocandæ, præſertim ad vulnera & ulcera, quæ ab ipſis applicatis venefica qualitate inficerentur, probè autem correctæ quædam etiam ex his intro dari poſſunt, nimirum verbaſcum & horminum, non tamen ſine legitima additione, qua accedente multam in corpore & vulneribus carnem

carnem generant, reliqua autem tantummodò extrinſecus applicantur pro ſarcoticis & refrigerantibus, at nunquam ſine optima correctione atque ex aliis convenientibus gradibus deſumpta additione.

Collectio & *correctio* ſunt hujusmodi, quando Sole in Virgine morante collectæ fuerint, tunc ipſis aceti vini vel ex cereviſia confecti ſatis acris duæ partes, atque una pars vini albi non fortis ſuperfundantur, adjecto quoque momento ſalis, atque ita per noctem relinquantur in infuſione, ſequenti manè decantato liquore duabus alicujus herbæ partibus addantur itidem duæ partes è ſecundo gradu Leonis, atque una pars è quarto gradu Cancri primanæ claſſis ſi intrò dare lubeat, ad ulcera verò tertianæ, illa coquuntur in vino & colatura bibitur, hæc verò exſiccantur & in pulverem teruntur ulceribus inſpergendum, quorum prius repurgatorum cavitatem carne nova & bona explent.

De ſimplicibus tertii gradus Capricorni, eorumque operatione ſpeciali.

TRibuuntur huic gradui ſequentia: videlicet ſymphitum Wallwurtz; verbaſcum majus groſſer Himmelbrand; burſa paſtoris ſeu pera paſtorea Hirtentäſchlein / Täſchelkraut; ſangviſorba Herrgottsbärtlein; phœnix Mäuſekorn; acorus gladiolus luteus gelbe Schwertel / Ackerwurtz; taraxacon Münchsköpfflein-kraut; ſemé cardui ſylveſtris Haberndiſtelſamen; malva domeſtica ſeu arborea wilde Pappeln oder Erndroſen; lactuca leporina Haſenköhl; ſonchus ſylveſtris Gänsdiſtel / Säumelck; & omnes ſpecies ſon- hi alle Sonchenkräuter; externa ſunt pili leporis Haſenhaar; crepitus lupi Wolffsfiſt.

Vires harum rerum ſunt ferè conſimiles cum hisce; quæ aliàs ſub gradum ſecundum Virginis referuntur, hæc tamen ſimplicia illis ſalem infirmiorem & debiliorem poſſident, adeò quidem ut unicâ noctis pruinâ confeſtim pereant, conſvetum quoque huic ſigno vaporem terreum frigidum ſibi inſitum habent, levi tamen negotio corrigi poſſunt, ut tutò intrò dari queant, tumque ſiſtunt vomitum cruentum, dyſenteriam, menſium & lochiorum profluvium, gonorrhœam, & lienteriam, econtra autem provocant urinam, id quod aliter fieri nequit, humiditas enim quæ antea in lubricatione ventris feces alvi ita diluebat, ut tenuia & fluida excrementa inde fierent, poſtmodum quando alvus ſtringitur, neceſſariò alium exitum quærere tenetur, colatur itaque à dictis fecibus & per viam urinariam educitur, virtute autem aſtringente & ſtiptica hæ herbæ tam forti pollent, ut etiam hæmorrhagiam è naribus, aliasque præfatas curent ſaltim in manu retentæ vel de collo geſtatæ; mirè quoque ſanant & conſolidant quælibet vulnera tam in- quam externa. Profluvia quælibet.

Collectio eorum fit menſibus Junii, Julii & Auguſti ſtatim à plenilunio, tum enim in virtute ſtiptica longè optima ſunt.

Corre-

Correctio eorum pro interno uſu hæc eſt, ſuperfundatur ipſis recentibus & integris acetum vini vel cerevisiarium ſatis acre, atque in ipſo macerentur per noctem, ſequenti manè exempta absque ablutione ulla, niſi ſi cuiquam ſapor aceti valdè adverſus ſit, & tali in caſu ablui prius poſſent, contundantur, ac ſuccus exprimatur, cujus unciæ duæ vel tres pro vice bibantur in vomitu ſangvinis, aliisque internis eductionibus cruentis, poſſunt etiam ita correcta decoqui in vino rubro, atque ad eosdem affectus colatura bibi, vel etiam absque maceratione in aceto in ſua recenti ſucculentia decerpta deſtillationi per veſicam ſubjici, atque aquæ deſtillatæ loco ſucci vel decocti hauriri queunt in iisdem affectibus, præſertim ſi ad vomitum ſangvinis cuilibet hauſtui hujus aquæ guttæ XV. vel XX. ſpiritus vitrioli & circiter ſcrupulus lapidis hæmat. ſubtiliſſimè triti admiſceantur, & ſic ſimul impotentur. Ad externum autem uſum non opus habent immacerari aceto, ſed ſaltem colligantur circa plenilunium, & recentia in manibus vel de collo nudam cutem attingentia geſtentur, ad vulnera verò additionem requirunt è ſecundo gradu Arietis & quarto Cancri, quæ probè invicem piſta in cataplasma loco vulnerato ſuperponuntur.

Hæmorrhagia narium. Exempli gratia ſi quis nimium propendeat ad hæmorrhagiam narium, vel æquo ſæpius iſtum vel ex aliis partibus prodeuntem ſangvinis fluxum experiatur, tunc gladiolum luteum præfatis menſibus, imprimis autem Auguſto ſtatim à plenilunio, & ſi fieri poſſit inter horam noctis primam & tertiam ſeu ſub ipſum noctis gallicinium, quando Capricorni dominium eſt, colligat, atque mundatam hanc radicem de collo pendulam geſtet, & præſervabitur ab omni ſangvinis fluxu & ſpaſmo, hæc enim radix deſtituta ſpiritu melancholico, eundem in corpore humano depravatum, & tumultum in ſangvine vel nervis excitantem attrahit & in ſe combibit, atque etiam in aliis affectibus ubi attractione opus eſt, plurimum valet, præſertim in attrahendis rebus frigidis & ſiccis, uti ſunt infixæ ſpinæ, ſpicula & ſimilia, tunc enim radix contuſa & applicata rem infixam extrahit, verùm ad externam vulnerum ſanationem non confert uti reliqua hujus gradus, ſcilicet pro externo uſu, at pro intrinſeco, confortat enim ventriculi fermentum acidum & lienem ipſiusque arterias valdè roborat, quibus partibus roboratis, etiam proba concoctio & chylificatio ſequitur, atque ita ſanatio vulnerum ejus interno uſu acceleratur, ſed corrigi prius debet immaceratione aceti, atque additione è ſecundo gradu Arietis & quarto gradu Cancri hoc modo: prehende radicis mundatæ acori uncias tres, ſuperfunde ipſi acetum vinarium per noctem, manè decantato aceto adde ſolidaginis Saracenicæ, vel radicis ebuli duas uncias, atque è Cancro conſolidæ regalis vel equiſeti manipulum ſeu unciam, hæc conciſa coque in vino albo ſolo vel æquali parte aquæ adje-

adjectâ, eritque potio vulneraria inſignis. Vulgò autem radices acori conſciſſas diutius macerant in aceti acris duabus partibus ad unam radicum, ſcilicet per triduum, ac deinde ſimul coquunt, donec dimidium aceti ſuperſit, quod colant, additoque mellis dimidio iterum coquunt & deſpumant, donec mellaginis ſpiſſitudinem mixtura reinduat, atque hujus ſucci omni manè non nihil lambunt ad lienem obſtructum.

Reliqua hujus gradus eodem modo poſſunt colligi ad externa periapta curandæ & præſervandæ cujuslibet hæmorrhagiæ, ſuntque prætereа inſignia vulneraria extrinſecus vulneribus applicanda, atque etiam intrò ad eundem finem exhibenda præſertim cum additione ſequenti:

Symphytum, quæ etiam conſolida major, inula ruſtica, oſteocollon, unctuoſa & alum Gallicum nominatur, gaudet additione conſolidæ Saracenicæ vel bibinellæ & herbæ mercurialis. Radix hæc ſuum nomen mirè adimplet, conſolidat enim potentiſſimè quælibet interna & externa vulnera, ſolutiones continui, rupturas, contuſiones & oſſium fracturas, ſiſtitque ſangvinis profluvia quacunque parte prodeant nimirum unà cum ſputo, excrementis, lotio, vel purgatione uterina. Expurgat quoque purulentum pulmonem & pectus, refrigeratque & ſitim ſedat, exterius ſua glutinoſitate prorumpentem è vulneribus ſangvinem mox conſtringit, ſi pulvis ejus ad uſum aſſervatus tempore neceſſitatis aquâ calida humectatur, & cum ſtupa cannabina vulneri applicatur, concreſcit enim ſangvis ab iſto refrigerante glutine & ſtatim conſiſtit.

Burſa paſtoris, quæ ob ſingularem ſiſtendi ſangvinem virtutem etiam ſangvinaria & criſpula appellatur, addi ſibi poſcit mentham aquaticam, & chryſanthemum ſeu buphthalmum; herba hæc ad ſiſtendum ſangvinem vix ulli alii cedit, tam intra corpus data quàm exterius applicata, vulgò enim decoquitur in vino, vel pulvis ſaltem ipſius vino injicitur, & ſic impotatur vel etiam expreſſus ejus ſuccus per ſe bibitur contra quælibet alba vel cruenta profluvia, item contra gonorrhœam, ad quam qualibet vice pauca quoque grana camphoræ cum prædicto decocto vel potione pulveris vel ſucci aſſumuntur; exterius iſtis locis, ubi ſangvis emanat, contuſam herbam applicant, nimirum in hæmorrhagia narium in fronte, in dyſenteria regioni renum & umbilici, quidam etiam ſi ſangvis è dextra nare fluat herbam tenent in dextra manu, ſi è ſiniſtra, in lavâ, lavant quoq; ejus expreſſo ſucco vulnera, & pulverem inſpergunt.

Carduus ſylveſtris avenarius ſemini ſuo eandem virtutem vulnerariam, & ſimul doloribus acutis juxta ſignaturam pungentium ſpinarum medentem imprimit, ad vulnera ipſi ſcilicet ſemini addi debet hypericon ſeu perforata, & herba pœoniæ, ad demulcendos verò dolores pungentes, quales in pleuritide & iſchiatica

paſſione ſæviunt, conveniunt veronica, vel hyſopus, vel tuſſilago ex Ariete, vel adhuc melius è Sagittario pauca grana præparati antimonii, & è Piſcibus flores papaveris erratici.

Taraxacon, quæ etiam ambubeia, roſtrum porcinum, caput monachi, aphaca, & dens leonis vocatur, amat additionem marrubii albi & equiſetum, valetque ad præfata profluvia alba & rubra ſiſtenda, item ad gonorrhœam, pleuritidem, tuſſim, æſtum internum & dolorem arthriticum, quibus in affectibus tam intrinſecè quàm extrinſecè crebro in uſu eſt, præſertim in dolore pleuritico, ad quem exprimitur ex recentibus foliis ſuccus, cujus tribus partibus addi poſſunt duæ partes ſucci hyſopi vel veronicæ, atque una ſucci berberis vel naſturtii aquatici, admixta ſimul particula aceti ſcillitici, & pauco ſale decrepitato, hæc mixtura per intervalla cochleatim ſorpta mirè inſultum pleuriticum infringet, præſertim ſi prima vice aliquot grana antimonii præparati in uno vel altero ejusdem cochleario impotentur, loco ſucci etiam aqua hujus herbæ ſtillatitia accipi poteſt, quæ etiam inſignis eſt ad clarificandos oculos, & maculas in ipſis extergendas, quin imò radix à plenilunio effoſſa & incipiente oculorum pterygio vel ſuffuſione de collo per menſem geſtata ſuffuſionem tollit, & oculos clarificat.

Malva arborea, quæ etiam malva hortenſis & roſa transmarina nuncupatur cum prædicta correctione & additione ejusdem cum præcedentibus eſt operationis, imò ipſius flores præſertim purpurei in umbra ſiccati tantæ ſunt ad omnes affectus faucium nempe inflammationem tonſillarum, columellæ, orisque putredinem efficaciæ, ut Germanicè Mundroſen / id eſt roſæ oris nominentur, quibus in caſibus ipſis ſaltem aqua fontana in vitro ad eminentiam duorum vel trium transverſorum digitorum ſuperfunditur, donec aqua à floribus coloretur, quod breviſſimè fit, tumque iſtâ aquâ tincta os & fauces gargariſantur; ex hisce floribus & ſubſequente ſemine etiam utiliſſima conſerva ad tuſſim, ac incipientem phthiſin corporisque conſumptionem concinnari poterit.

Sangviſorba ſeu pimpinella Italica quantæ demum ſit poteſtatis ad ſiſtendum ſangvinem, ipſius nomen indicat, quod nimirum ſangvinis fluxum quaſi ſorbendo compeſcat, eſtque præſtantiſſima tam ad alba quàm rubra profluvia, in potulentis decocta & pota, exterius admota ſanat vulnera, ulcera & fiſtulas, addi ipſi poterit ex Ariete dictamnus, vel conſolida Saracenica, atque è Cancro linaria; reliquorum uſus ex hisce facilè ſubintelligetur.

De ſimplicibus quarti gradus Capricorni, atque eorum operatione ſpeciali.

DIcantur huic gradui ſequentia, nempe hyoſcyamus cum omnibus ſpeciebus Bilſenkraut mit allen Geſchlechten; ſolanum, vel ſolatrum

trum Nachtſchatten; aconitum cum omnibus ſpeciebus Wolffswurtz mit allen Gattungen; uva inverſa vel lupina, herba pari Einbeer; tabacum, nicotiana Toback; helleborus niger ſchwartze Nießwurtz; conſiligo wilde Chriſtwurtz/Schlangenwurtz; mandragora Allraun; taxus Eibenbaum; ſolanum furioſum doller Nachtſchatten; bufones Kröten; cerebrum felis Katzenhirn; napellus Eiſenhütlein; opium & meconium der fremde ausgetrucknete Magſamenſafft; flos Tunetanus ſeu Indicus Indianiſche Nägelein mit Kraut und Blumen; aranei Spinnen; ſangvis menſtruus weibliche Gerechtigkeit; tela araneæ Spinnenweb; ſabina Sevenbaum; agaricum nigrum ſchwartzer Tannenſchwamm; chamæleon niger ſchwartze Eberwurtz.

Vires harum rerum ſunt, quod merâ corporalitate conſtent, omni exutâ ſpiritualitate, ſuperfluam igitur habent materiam vapore terreo ac ſulphure frigido refertiſſimam, ſuntque ideò omnia ſub hunc gradum pertinentia valdè venenata, unum tamen altero venenatius, ac magis deleteriæ qualitatis, quumque nullus ipſis amplius ſpiritus inſit, ſed mera meterialitas, idcirco incredibilem in modum attractiva & ſpiritualitatis ſiticuloſa ſunt, attrahuntque corpori applicata ſpiritualitatem eſſentialitatemque bonam & malam ſimul non ſecus atque ſpongia expreſſa attingentem aquam, ac corpus humanum eâdem privando vel lædunt vel deſtruunt, at ſi prius per correctionem vapor iſte terreus & ſulphur algidum extrahatur, tunc ſolummodò ſpiritualitatem peregrinam malignam auramque à fermentatione putrefactiva & peſtilenti contagio inſpiratam attrahunt, hominemque etiam lethaliter ipſâ oppreſſum inſperato liberant, atque inſuper virtute ſanativa indicibilem utilitatem afferunt; conferunt quoque iſtarum herbarum decocta peculiariter ad dolorem dentium fervidè in ore detenta; item affectus inflammatorios renum præſertim diabeticam paſſionem in modum cataplasmatis regioni lumbari applicata.

Collectio eorum fieri poteſt Aprili, Majo, Junio, Julio, Auguſto, uno verbo quandocunque quis ipſorum indigus ſit, ſemper tamen efficaciora ſunt tempore plenilunii inter noctis initium & finem collecta.

Correctio veneficæ qualitatis hoc pacto obtinetur: imponantur ita recenter decerpta vitro vel vaſi devitreato, ipſisque ſuperfundatur aceti acerrimi vinarii gemina ac vini veteris albi ſimpla portio, utriusque verò tantum ut aliquot digitorum transverſalium altitudine ſuperemineant, adjecto ſimul modico ſale decrepitato, & ita macerentur per noctem, vel ſi feſtinatione opus ſit, bulliant mox in eodem liquore aliquantulum ſalito ſaltem una vel altera ebullitione, breviſſima tamen, ne ſubſtantia herbarum ſimul lædatur, ſed ut acetum ſaltem vaporem terreum algidum, & vinum ſulphur venenatum exſugere queant, quo facto liquor decantatur, ac herbæ pau-

lulum expreſſæ tantundem juxta quantitatem ocularem alicujus herbæ recentis è ſangvinea triplicitate deſumptæ, ſcilicet malvæ, althææ, recentium ficuum, vel alterius additur, atque hæc duo peroptimè invicem contunduntur in pulticulam ſucculentam mollemque cataplasmicam, quæ peſtifera lue correpto ubicunque corporis lubeat applicatur, ac mox ibidem loci hæ duæ herbæ ſibi invicem contrariantes & ex oppoſitis triplicitatibus, nempe dulci ſangvinea & acerba melancholicâ depromptæ in ſe mutuò agunt & effervescunt, ac ſubjectam cutem putrefaciunt, ita ut aperiatur, omnisque venenata pravitas è corpore iſtuc trahatur & foras feratur; at ſi quis in votis haberet iſtud cataplasma etiamnum reddere fortius, ita ut bubones peſtiferi celerrimè eo perrodantur, tunc alicujus ex præfatis indicato modo correcti ſimplicis capiuntur tres partes, atque è quarto gradu Leonis duæ partes, nec non è quarto gradu Virginis una pars, hæc ſimul piſtantur dictâ ratione in cataplasma, ac buboni apponuntur, & ipſum brevi perforat, & omnem venenoſitatem evocat expurgatque. Verùm quum hæc ſimplicia multum inter ſe differant, nonnulla notabiliora de ſingulis præcipuis adhuc differenda veniunt.

Primò bufones quod attinet, iſti quidem commemorata maceratione in aceto non indigent, ſed tantummodò baculo cuſpidato per medium caput transfiguntur, nec per ullum alium corporis locum, aliàs ad hunc uſum non valent, transfixi ſiccätur de baculo penduli in Sole, donec omninò aridi ſint, & aſſervantur in loco ſicco, quamprimum autem graſſante peſte alicubi corporis tumor vel bubo peſtilens prorumpat, accipiatur bufo, & malleo complanetur, nec non aceto roſaceo vel alio humectetur, ac non nil calefactus buboni ſuperligetur, & extrahit venenum per integram hominis cutem, & ab eo turgeſcit, at ſi non per medium caput transfoſſus ſit, allicit quidem pariter venenum, ſed non inturgeſcit, bufo ergò ita tumefactus abjiciatur, & alius complanatus & aceto irrigatus apponatur, donec omne venenum ſit evocatum, quod certò fit, peſtis enim eſt venenum fracidum, frigidum & Saturninum, bufo verò itidem tale quid eſt, & ſic ſimile à ſimili extrahitur. Porrò bufo etiam ad alia in uſu eſt, ſcilicet ad hæmorrhagiam narium vel alias, & tenetur tunc ſub alterutra axilla, vel in manu concluſus, vel collo appenſus, donec natura ob præſentem venenatam beſtiolam ſibi ex tota proprietate horridam expavefacta ſui horroris frigus effervescenti ſangvini communicet, unde is ſidit & tranquillus fit.

Napellus, ſeu thora incorrecta quidem venenatiſſima eſt, ſed correcta fit efficaciſſima ad venenum peſtiferum è corpore alliciendum, poteſtque tum ſine omni metu applicari, at non niſi pedibus juxta ſignaturam ejus non fruſtra ipſi impoſitam, quæ deſignat, quod ab inferis in caput usq; operetur, & ex eo ob morbum

bum lividum venenatum cucullato omnem malignitatem deorſum trahat.

Aconitum, iconitum, luparia cum omnibus ſpeciebus pari modo ante correctionem ejus valdè venenata eſt tam hominibus quàm beſtiis, adeò ut inde nomen ſortitum ſit, quod eodem lupi, canes, porci & alia animantia necentur, edoctâ autem hic methodo correctum externâ applicatione itidem fit inſigniter ſaluciferum, præſertim iſta ſpecies quæ dicitur uva verſa, cujus baccæ applicari debent carpis manuum, quando quis peſte correptus ſit, & in brachiis ipſius rubea linea appareat, deſignans venenum peſtilens rectà è brachiis verſus cor ferri, tunc inquam baccarum uvæ verſæ tres vel quatuor pluresve vel etiam herbæ folia recentia contundantur in paſtulam mollem, & circa manum in brachio, ubi præfata linea incipit, & ſurſum ad corpus tendit, applicetur, ſingulisque horis vel bihoriis recens applicatio reiteretur, retrahitque venenum & ex corpore evocat, etiamſi tam vehementer æger eo decumbat, ut jam agere animam videatur, nihilominus tamen ipſum in integrum reſtituit, quemadmodum autem napelli locus applicationis pedes ſunt, ita aconiti ſignatura indicat, ipſum non niſi manibus applicari debere.

Hyoſciamus, jusquiamus ſimiliter venenatæ qualitatis non expers eſt, quamvis non ita vehementer ut priora necet, nihilominus tamen interno uſui minimè valet, ſed tam hominibus quàm beſtiis valdè nocet, imò mortem inferre poteſt; verùm eâdem correctione adeò cicurari poteſt, ut nobiliſſimam virtutem externa applicatione exſerat, ſervitque juxta ſignaturam potiſſimum pudendis, ita ut ſi quis maligno quodam tumore vel inflammatione in extremitate virgæ laboraret, tunc herbæ huic correctæ flores geniſtæ & atriplex addantur, eaque contuſa applicentur, & omnis ardor reſtingvitur, tumorque mollificatur, maturatur, pravitas expurgatur & locus affectus ſanatur; ad quaslibet tamen quoque alias vulnerum inflammationes radix hyoſcyami apud Chirurgos in ſecretiori uſu eſt, recentem enim hanc radicem contuſam aceto roſaceo per aliquod tempus ad calorem ſolis immacerant, ac deinde in hoc aceto ferveſacto linteola humectata quibuslibet vulnerum inflamationibus & phrenitidem vulnerariam minantibus ſuperponunt, qua impoſitione aliquoties repetita vulnerum ardor, & imminentia prava ſymptomata ſedantur, & perfectè præcaventur.

Hyoſcyamus Indicus, ſeu tabacum eandem malignitatem narcoticam ſibi incluſam vehit, quâ per correctionem cicuratâ mirabiles virtutes vulnerarias edit, quam tamen correctionem vix ullus hactenus attentavit, ſed quilibet herbam incorrectam tam intus quàm exterius uſurpavit, & nihilominus multa præclara per hanc herbam præſtita ſunt, imprimis ſucco expreſſo & in ſyrupum redacto, quem lamben-

dum exhibent in pleuritide, phthiſi, aſthmate, tuſſi, hydrope & contra vermes, ſed quam gravia ſæpiſſimè excitet ſymptomata, nemo nunc non novit, ideòque vulgò ſtudent expreſſum hunc ſuccum prius aliquot dierum digeſtione mitigare, & per reſidentiam depurare, exterius folia calefacta vel cruda vel in aliquo oleo prius aliquantulum frixa apponuntur partibus à frigida cauſa dolentibus, ſcilicet capiti, ventriculo, ventri contra vermes & tormina, ut & in nephritide & podagra, item locis ſerpiginoſis, exulceratis, vulneratis, anthracem vel cancrum patientibus, in quibus affectibus etiam aquam ex ipſis recentibus deſtillant, eâque talia loca eluunt; verùm enim verò etiam externa foliorum impoſitione experiuntur, quod ægri inde ſoporoſi reddanturr. Omninò itaque opus eſt genuinam antea correctionem hic præmonſtratam præmittere.

Sangvis menſtruus hac correctione etiam inſigniter miteſcit, imò ſaltem aceto roſaceo disſolutus & eryſipelati exterius applicatus ſubitò illud reſtingvit.

Solani ſpecies ſingulæ pariter huic correctioni auſcultant, aqua tamen ſolani communis ſtillatitia etiam absque prægreſſa correctione alia bibi poteſt ad vehementem internum æſtum, verùm nos in tali caſu ordinamus, ut prius herba perſicariæ urentis ſeu hydropiperis in ipſa coquatur, ac tum demum aqua iſta bibatur, ita enim mirè confert ad internas inflammationes, ſputum ſangvinis, & incipientem phthiſin, herba tamen incocta debet in terram humidam ſepeliri, ut putrefactione annihiletur; vulgò ſolani ſomnifici cortices radicum in vino exhibent pondere drachmæ, ad inducendum ſomnum, putantque eum hisce mitiorem quàm à propinato opio procurari, dant quoque baccarum ejus duodecim & non plures contra hydropem, verùm ejusmodi venefica medicatio probanda non eſt, quamvis enim pro tempore juvet, ferâ tamen ſtuporoſitate intus ſemen futuri alterius morbi pejoris plantant.

Mandragora & ſabina ſalem venenatum phlegmaticum intra ſe reconditum habent, eodem modo ut antea doctum eſt extrahendum, debentque ulterius corrigi additione gentianæ vel bibinellæ & equiſeti, vel radicis cannæ, vel cancrorum è Cancro. Ad ulcera tamen ſananda ſabina exterius non convenit, ob nimis attractivum ipſius ſalem, bilioſas defluxiones attrahentem.

Helleborus vel veratrum nigrum corrigendum eſt vitriolo Hungarico purificato, & tunc quamlibet epilepſiam eradicat, extrinſecè cum ſua additione ſcilicet pulveris corticum betulæ vel ſpartii & herbæ cancri vel ſimilium eximiè ſarcoticum eſt ulceribus inſperſum; herba autem ipſius nulla correctione indiget, ſed tantummodò in umbra ſiccari & in pulverem tundi & teri debet, eſt tamen difficillimæ pulveriſationis, at incredibilis virtutis ad præſervandum corpus humanum ab omni

ægri-

ægritudine , ſi cum dimidiata parte ſachari pulveriſati miſceatur, & ejus quotidiè manè jejuno ſtomacho pugillus devoretur ab eo qui jam quinquageſimum ætatis annum attigit.

Tela aranearum per ſe excellentiſſima eſt ad ulcera melanchrolica & eorum malignitatem , vulneraria quoque eſt & ſangvinem cohibens & inflammationem præpediens, nec non febriles inſultus pulſibus alligata infringens, ex ipſis araneis per infuſionem etiam paratur oleum eodem modo ac oleum ſcorpionum, quod & in omnibus cum illo convenire, & ejusdem uſus eſſe, unumque alteri ſubſtitui poſſe non dubitamus; certum autem eſt, oleum ſcorpionum miram virtutem præſtare uno , duobus vel tribus cochleariis ita frigidè intra corpus datum ad rumpenda interna apoſtemata à nimia potatione oriunda , & ad ipſam peſtem in dextro latere anthracem vel bubonem protrudentem, in quo caſu dimidiatum cochlearium hujus olei cum pugillo ſequentis pulveris intrò ſumitur; pulvis autem ſic fit: ℞. ſcordii tres partes, ſcrophulariæ duas partes , pulveris ſiccatorum cydoniorum unam partem m. f. pulvis.

Ad curandum autem ardorem renum & imprimis diabeticam paſſionem ſupradictæ herbæ ſucculentæ præſertim hyoſcyamus, ſolanum, mandragora coqui debent in propriis expreſſis ſuccis, vel etiam affuſâ aqua communi in balneo bulliente per dies plures leniter, ac deinde omnis humiditas exprimi & colari, quæ poſtmodum per ſe evaporatur ad mellaginem , quæ cum pannis regioni lumbari continuò per aliquot dies applicetur ; prout de hujus affectus curatione ſupra pag. 652. plura ſumus locuti.

Denique omnia & ſingula, etiam venenatiſſima hujus ſigni ad internum quoque uſum apta & planè tuta fiunt, ſi omninò comburantur in cinerem, ejusque manipulus linteolo illigatus potui ordinario impendeat, ac ſingulis quatriduis renovetur, vel ex ipſis ſal extrahatur, ejusque ſcrupulus pro vice in potu accipiatur , hoc enim modo potenter obſtructiones lienis reſerant, atque ad calculum renum & hydropem valent.

Hæc ſunt amice lector , quæ de duodecim ſignis cœleſtibus, eorumque virtutibus influentialibus in ſubjecta medica conſcribere voluimus , ſtabat quoque noſtra firma ſententia etiamnum de aliis arcanioribus tractare , at quum jamdum hic liber major factus fuerit, quàm intenderimus , neceſſum eſt ipſi finem imponere , & reliqua in aliud volumen differre. Interea quæ hic deſunt, majorem partem quoque in noſtro tractatu de panacæa minerali tomo primo officinæ noſtræ urbano ruralis annexo candidè docentur.

INDEX

INDEX

Alphabeticus copioſiſſimus tam ægritudinum & affectuum, quàm medicaminum præcipuarumque præparationum in hoc libro cum omnibus manipulationibus edoctarum.

A.

Abortus 761
Abortns ibid.
Absceſſus ani 487
  epatis 531
  inteſtinorum 446
  lienis 552
  mammillarum 336
  tonſillarum 267
  veſicæ urinariæ 633
  uteri 696
Acari 928
Acetum bezoarticum 40
Acetum terebinthinatum pro extractione lapidum 53
Acetum theriacale 40
Achor 960
Aconitum 360
Acrochordon 964
Adhæſio pulmonum 311
Aeris flores 486
Aerugo 357
Aes uſtum 358
Affectio flatuoſa ſeu hypochondriaca 567
Agaricus niger 361
Albaras 968
Alcolæ 252
Albugo oculorum 178
Alcool viperarum 338
Aliforme ligamentum 685
Alkermes extractum 87
Allantoides 764
Aloëticus balſamus 412
Alphos 968
Altarfati 201
Alvi dejectio cruenta 512
Alvi obſtructio 441.768
Alvi profluvium triplicis generis 455
Alvi tarditas 441
Alvum lenientia 443
Aluminis arcanum 935
Aluminis crudi vis in febribus 885
Amblyopia 191
Ambra rectificata Rudolphi Imperatoris 50
Amentia 74
Amnios 764
Amuletum ad anginam notham ex capite viperæ 276
Amuletum antepilepticum ex frutice ſambuci in ſalice pronaſcentis 115
Amuletum antepilepticum ex radice pœoniæ 114
Amuletum ad catarrhos ex radice verbaſci virginis 166.309

Amule-

Amuletum cephalicum è plantagine 73
Amuletum cephalicum è verbena 72
Amuletum ophthalmicum ex radice malvæ ſimplicis 183
Anacardus 361
Anaſarca 580
Anaſtomoſis 229. 328
Anchylops 193
Aneuriſma 949
Angina 270
Angina notha 271
Anguſtia pectoris 291
Anguſtia ventriculi 392
Ani abſceſſus 487
attrices 491
carunculæ criſtaceæ 495
condylomata 491
exulceratio 487
ficus 491
fiſſura 492
fiſtula 487
inflammatio ibid.
mariscæ 491
mora ibid.
procidentia 501
rhagades 492
thymi 491
verrucæ ibid.
ulceratio 487
Animi deliquium 347
Aniſum laxativum 25
Anodyna medicamenta 56
vulgaria Galenica 58
Anodyno eſſentiali ſemper Medicus inſtructus eſſe debet ibid.
Anodynum frontale 70
minerale 277. 338
Anodynum ſulphur vitrioli 340
Anorexia 398
Anſeris pedum cuticula valet ad fluxum menſium 736
Anthraces peſtilentiales 919
Antidotum colubrinum 916
Antimonium 358
Antimoniales pilulæ per ſeceſſum purgantes 26
valent maximè in podagra 811
Antimonii cinabaris inſigne eſt epilepticum 38
Antimonii flores albi fixi 36
flores correcti 26. 30
diaphoretici 39
Antimonii diaphoretici præparatio 924
doſis 36
Antimonii electuarium 9
flores & vitrum ibid.
oleum dulce purgans 28
liquor in pulverem verſus 587
oleum cum berberibus paratum 7
panacæa ſeu ſulphur fixum 37
ſuccinum 28
tinctura 810
vitrum 9
vitrum purgans 28
Apepſia 410
Apes 359
Aphonia 260
Aphthæ 252
Apoplecticus balſamus 121
clyſter 125. 126
Apoplexia 115
Apoſtema hydatodes 673
peſtilentiale 916
uteri 700
Apozema in aſthmate 334

Apozema in calculo 621
hydrope 599
obſtructione lienis 544
546
Appetentia canina 402
Appetitus proſtratus 398
Aqua ſeu ſuffuſio 197
Aqua albuminis ovorum 196
allii 725
aluminis 215
antapoplectica 121.123
anthypochondriaca ſecreta 88
antinephritica 621
antipodagrica excellens 809
Rulandi ibid.
aridurae membrorum conducens 935
aurea Graſeccii 120
auripigmenti viridis 218
benedicta Graſecciana 120
Rulandica 5.8
Hartmanniana 8
bryoniæ pampinorum 406
camphorata 914
carduibenedicti compoſita 899
cauſtica 966
centaurii minoris compoſita 886
ceparum vel allii 486
cephalica compoſita 72
florum cichorii 186
contra conſumptionem 475
deoppilativa 521
divina Fernelii 612
epileptica 116
ex equi potantis ore delapſa 935
ex mercurio & ſale tartari 957
febrifuga in omnibus febribus 899
Aqua fellium piſcium 178
formicarum 575.935
formicarum compoſita 886
fortis ſeu cauſtica 965
Fuckerorum 622
hordei chalybeata 547
hypropica Weckeri 597
hypochondriaca Zwingeri 88
imperatoriæ radicis 886
lumbricorũ terreſtrium 595
magnanimitatis 50
mellis contra conſumptionem 935
menthæ ejusque extractum & epithema 425.426
mercurialis 861
mortua 927
nucleorum perſicorum 43
nucum vomitiva 411
ocularis ex cichorio 186
externa 177
interna ibid.
ophthalmica 187
pampinorum vitis albæ 406
perlarum 350
perſicariæ deſtillatio & uſus in morbo Gallico 844
peſtilentialis 914
philoſophica ſeu ſpiritus vini tartariſatus 520
radicis imperatoriæ compoſita 886
regia ſeu chryſulca 32.49.55
rubi fructuum cum rob nucum eſt ſpecificum in aſthmate 291
ſabinæ 775
ſangvinis ſuilli 575
ſatyrionis maculati 971
ſaxifraga 622
ſerpilli in omnib. catarrhis 165

Aqua truncis quercuum innatans ſpecificum eſt ad verrucas 967
ſpermatis ranarum 953
ſperniolæ valet ad hæmorrhagiam narium 232
tabaci 885
tartari olei ſeu ex oleo tartari per deliquium facti & mercurio 861
theriacalis 38.39
ventriculi ſeu balſamus ejusdem 413
viridis Hartmanni 218
Plateri ibid.
vitæ 43
vitæ mulierum 102
vitæ coagulatur à ſpiritu urinæ 616
vitis 87
vitis albæ 406
vomitoria Plateri 411
urinæ puerorũ deſtillata 207
Aqua intercutanea ſeu hydrops 580
Arcanum agrimoniæ 669
aluminis 935
bellidis 334
carduibenedicti 38
chamomillæ Romanæ 393
corallinum Paracelſi 28
cumini & carvi in tympanitide 593
euphraſiæ 176
filicis 807
glomorum calloſorum cynosbati 608
hederæ terreſtris 321
perlarum 48
quinquefolii 669
ſalis gemmæ 681
Arcanum ſangvinem purgans in lue venerea 48
tapſi barbati 592
Ardor ventriculi 434
Ardor urinæ 663
Area 962
Argemon 180
Argenti cupellatio 81
Argentum potabile 79
Aridura membrorum 934
Ariduræ cura magnetica 575
Aronis radix ſpecificum in affectibus pulmonum 283
Arſenici oleum 222.962
præparatio 378
Arthetica gutta 795
Arthritis 794
Arthritis univerſalis 815
Arthritis vaga ibid.
Articuli maxillæ defluxio 251
Articulorum dolor 805.815
Aſari coagulum 6
infuſum 7
radicis doſis 14
Aſcarides 481
Aſcenſus uteri 741
Aſcites 580
Aſellianum pancreas 554
Aſitia 398
Aſtacorum ſal & ſuccus 773
Aſthma 283.334
Aſthma duplex 285.287
flatulentum 281
humidum 286
mixtum 288
muliebre 285
ſiccum 286
Aſthmaticus pulvis Rulandi 291
Atheroma 929
Aſtricta alvus 441
Atonia hepatis 511

Atrophia 573.934
Attonitus morbus 117
Aurigo 558
Auditus gravis 212
Aurium affectus 202
dolor 208
fluctuatio 211
fluxus 206
mucus dat vulnerarium balſamum 1067
phlegmone 202
ſibilus 210
ſonitus ibid.
ſtrepitus ibid.
tinnitus ibid.
vermes 207
ulcus 202
Auri calcinatio 54.473
Auri ſulphur 473
Aurum diaphoreticum 49.852
potabile Anglicum 38.49
ejus uſus & doſis 55
potabile Hippocratis 1098
alia præparatio ibid.
Aurum ſolutum 851
transparens 49
vitæ 28.32.71
Axungia ſeu pingvedo cochlearium ſanat fiſſuras labiorũ 240
item papillarum 676
erinacei eſt ſpecificũ ad ſanandas rupturas 682
hirci in umbilicum immiſſa ſedat ſtranguriam 663
thymali piſcis maculis illita eas extergit 970
muſtelæ fluviatilis ex epate ipſius tollit albuginem & nebulas oculorum 179

B.

Balbuties 261
Balſamus aloeticus 412
apoplecticus 121
alius in- & externus ib.
cinamomi 49
fœniculi 412.414
majoranæ 227
paralyticus 135
Peruvianus 308
podagricus 815
Samaritanus 302
Salis gemmæ 681
Samech 996
Saturni 453
ſulphuris 307.310
Rulandi 374
ventriculi 413
vitæ Lichtenackeri 121 362
ulcerarius 853
vulnerarius 1008.1065
vulnerarius nervinus 1008
Balneum aquę dulcis in atrophia 575
calculo 621
ex decocto capitis & pedum vervecum in corporis conſumptione 575
in menſium ſuppreſſione 727
Bellidis minoris eſſentia ſolvit ſangvinem coagulatum 334
flores valent in hæmorrhagia 230
Benedictus pulvis in cancro 378
Bezoartica medicamenta 36
Bezoartici lapidis uſus in palpitatione cordis 38
Bezoarticum animale 338

Bezo-

Bezoarticum Lunare 36
Simplex minerale. ib.
Solare 36.362
Bilis adaucta in cyſti fellis 534
Bocium 929
Bodrion 180
Bothor 179
Bovii Hercules 71
Bradipepſia 410
Bronchocele 929.932
Bronchos 163.321
Bryoniæ præparatio 15
Bryoniæ ſuccus 291
Bubones 856
Bubonocele 675
Bufones exſiccati 917
Bufonum oleum valet ad morpheam & faciei puſtulas 235
& ad ulcera peſtilentialia 918
Bufonum pulvis ſiſtit hæmorrhagiam 596
Bulimus 400
Butyrum antimonii 966
Buxi folia in mania 85
oleum ſopit dolorem dentium 248
Bupreſtes 359

C.

CAchecticus pulvis 519
Cachexia 576
Cacoëthe 977
Caducus 104
Caducus pulmonum 286
Calabæ 252
Calcinatio lapidum ſecreta 606
ſolis 54.473
Calcis vivæ liquor 1118
Calculi ſpecificum 618.1118.1168
Calculus in folliculo fellis 533
Calculus renum 613
veſicæ 626
Caligo oculorum 174
Calvitium 962
Callus 967
Camphorata aqua 914
Camphoræ oleum 124.914
compoſitum ibid.
Cancer 369.376.947.977
non exulceratus intactus relinquendus 375
frontis 376
labiorum ibid.
mamillarum 369
naſi 376
oculorum angulorum ibid.
Cancri cauſa, color, differentia & cura 375.376
Cancri ſpecificum 51
Cancrorum ſuccus & ſal abortum præcavent 773
Canina fames 402
Canis rabidi morſus 89
Capitis dolor 61.769
à caliditate 70
à frigiditate 70.73
à ventriculo 71
dolorem ſedantia 70
ulcera manantia 960
Capillamentorum excretio 670
Capillorum caſus 768
Capræ veſica ad urinæ incontinentiam 655
Caput viperæ in angina notha 276
Carbunculi cura 919
Carbunculus minor 940
Carcinoma narium 220
oculi 181
Cardialgia 352.992
Cardiogmus 392
Carduibenedicti arcanum 38

Carduibenedicti ſal cryſtalliſatus ib.
Cardui minoris pulvis ad albuginem oculorum 79
Carthami ſeminis medulla 15
Carunculæ myrtiformes 684
Caruncula penis 650
Carus 138
Caſſiæ doſis 11
Cataphora 138
Cataplasma è mica panis ad dolorem podagræ 814
Cataplasma anthydropicum è cochleis 595
Cataplasma aliud anthydropicum inſigne ibid.
in tumore ſplenis 539 540
Cataracta 197
Catarrhale amuletum 166
Catarrhus 162. 1200
ſuffocativus 164. 166
Cathartica mineralia 25
ſangvinea 11
vegetabilia 10
Catochus 139
Cautela in exhibitione mercurialium 32
de rhabarbaro & myrobalanis in colica 454
Cauterium 812
potentiale in dolore capitis ubi applicandum 101
potentiale inſigne 919
Cele ſeu ruptura 674. 933
Cepæ ſuccus præparatus in ſurditate 213
Ceparum decoctum in vino ad urinæ ſuppreſſionem 659
Cephalæa 65
Cephalalgia ibid.
Ceratum ad tumorem pedum 513
Cratonis ſtomachicum 412
Ceræ oleum ejusque doſis 43
Cerebri humani ſpiritus 110. 120
pediculi 148
Cerebrum confortantia 87
Cerebrum felis 360
Chalybis limaturæ præparatio 522
Chamomillæ oleum ſaphiricum 394
Chemoſis 184
Chimethla 1063
Chiragra 813
Cholera morbus 429
Cholericum temperamentum 12
Choleram purgantia ib.
Chorio 764
Chyloſus fluxus 456
Ciborum faſtidinm 398
Cicatriſans 977
Cicutæ uſus in inflammatione mamillarum 374
Cinabrium 358
antimonii valet ad epilepſiam 38 109
nativum ejusdem eſt virtutis 109. 110
Cinamomi balſamus 49
elæoſacharum ibid.
Cingulum ex foliis hellebori nigri 736
ſapientiæ Rulandi ad pediculos 150
Cinis flammulæ Jovis 593
ſtercoris murium 493
ſpongiarum 931
ſuberis combuſti 496
Cirſocele 673
Citta 404. 768
Clarificatio ſalium 545
Clavus 967

Clavus oculi 190
Clitoris 684
Clyſſus 590
Clyſter ex croco metallorum 444
in apoplexia 125.126
in dyſenteria 470
hydrope 599
optimus in dolore nephritico 617
Coagulum aſari 6
Cochlearium pingvedo ad fiſſuras labiorum 240
Cœliaca paſſio 456
Cœloma 180
Coitus impotentia 761
Colica flatulenta 451
nephritica 613
Colica paſſio 446
Collectio pæoniæ 114
Colocynthidis præparatio 14
Collyrium oculorum 186
Colubrinum antidotum 916
Columellæ inflammatio 269
laxitas 268.1200
ulcera 269
Coma 138
Conceptio 761
Conceptio fatua 701
Concoctio ablata 409
Condylomata ani 491
uteri 710
Confectio ſtomachalis 434
Confectura purgans 29
Confortantia medicamenta 44
Conſerva radicis cichorii ad obſtructionem hepatis 522
Conſolidæ majoris eſſentia 682
Conſummatum 50
Conſumptio 934
Conſumptionis cura magnetica 575
Contractura 455
Contractura arthritica 811
membrorum 933
à mercurii inunctione 934
à veneno ibid.
Convulſio 155
Convulſio uterina 750
Corallorum ſal 48
ſolutio 480
tinctura 48
Cordis affectus ejusq; deſcriptio 342
dolor 362
eryſipelas 342
palpitatio 350
ſaltus 768
vermiculi 354
ulcera 342
Corium de lardo ad anginam 275
Cornu cervi aqua in malignis 39
ſpiritus eſſentificatus ib.
Corpora pyramidalia 638
Corporis malus habitus 576
Cor talpæ in rupturis 682
Coryza 163.227
Coxendica paſſio 823
Cranii depreſſio 1038
Cremaſteres 640
Cremor tartari ejusque uſus 3
quomodo fiat purgans 25
Crepatura 674
Crepitus ventris frequens 504
Crithe 187
Croci extractum intrat laudanum opiatum 59
Croci martis oleum in dyſenteria & ſangvinis profluviis 472
Croci martis præparatio ad obſtructiones & ſiſtendum ſangvinem 727.472
Croci martis tabulæ ſeu rotulæ ad obſtructionem hepatis 727

Crocus

Crocus martis aſtringens 358. 472
Crocus metallorum dat clyſterem egregium ad obſtructiones ventris 444
Crocus veneris 358
Cruditas ventriculi 409
Cruenta alvi dejectio 513
mictio 665
Cryſtalli martis in aſthmate 336
Cryſtallina veſicula glandis membri virilis in mentulagra 857
Cucupha in catarrhis 167
Cutis defœdatio externa multiplex 853
Cutis tumor flatulentus 936
Cydoniorum ſuccus crudus mire ſiſtit vomitum 425
Cynanche 270
Cynicus ſpasmus 156, 239
Cyphoſis 271
Cyrones, ſirones 928
Cyſtis biliaris deſcriptio & affectus 531

D.

DArtum 640
Decoctum agrimoniæ & menthæ ſaracenicæ eſt ſpecificum ad inflammationem ani 490
ceparum regioni veſicæ applicatũ ſolvit iſchuriam 659
corticum ſalicis rubri in corporis conſumptione 575
expertum in fluore uterino 741
guajaci 246. 858
abſynthii & verbenæ ad aurium tinnitum 211
fragariæ in ictero 564
Decoctum hordei 407
olibani & myrrhæ ad ozænas 219
foliorum quercus ad teneſmum 477
ſaturejæ ad aphtas 253
ſudoriferum in aſcite 596
ſummitatum rubi idæi in putredine & laxitate gingivæ 251
Defectus lactis 351
Deglutiendi difficultas 392
Dejectio alvi cruenta 513
tarda 441
Deliquium animi 347
Delirium 74
Dens ex maxilla mortui evulſus crebro ſuo attactu dentes carioſos ejicit 246
Dentes carioſi ibid.
cavi dolentes. ibid.
corroſi ibid.
Dentifricius pulvis 242
Dentium curatio incipit ab inhibitione defluxionis è capite 248
Dentium dolor 243
eruptio difficilis 246
mobilitas 242
nigredo 241
prolapſus 869
putredo 246
ſtupor 240
Deſipientia 74
Deſtillatio ad articulũ maxillæ 252
Deſtillatum ad phthiſin 338
Diabetes 651
Diabroſis 229. 328
Diacapparum 548
Diacubebæ Paracelſi 592
Diagridii doſis 14
Diapedeſis 229. 328

Diaphoretica 33
Diaphoretica mercurialia 845
Diaphoretici in peracutis doſis 38
Diaprunon 13
Diarrhœa 48. 455
colliquativa 459
epidemia 462
nephritica 951
Diaſenæ pulvis laxativus 21
Diaſulphuris emplaſtrum 375
Difficultas deglutiendi 392
Digeſtiva medicamenta 1
Digeſtiva vulneraria 1009
Digeſtivum in chronicis & contumacibus morbis ib.
in melancholia hypochondriaca 89
in obſtructionibus quibusvis 25
Dilatatio oris ventriculi 394
Discutientia 365
Dislocatio oſſium 1067
Diuretica 40
Diureticus julepus 44
Diureticum in aſcite 594
oxymel 44
vinum 43
Divulſio & ruptio pupillæ 178
Dolorem ſedantia ſeu anodyna 56
Dolor articulorum 815
aurium 208
capitis 61
à caliditate 70
à frigiditate 70. 73
ex crapula 72
per conſenſum ventriculi 71
Dolor dentium 243
dorſi 889
hæmorrhoidum 493
nephriticus 613
Dolor oculorum 183
ventriculi 432
Doloris capitis ſedativum amuletum è plantagine & verbena 72. 73
Dothienes 939
Dracunculi 576
Duelech 614
Dyſenteria 48. 302. 455. 464
epatica 477
epidemia 462
Dyſpepſia 410
Dyſpnœa 283
Dyſuria 659. 768

E.

ECclyſis 347
Ecchymoſes, ecchymomata 237. 969
Elaterium 16
Electuarium antimonii 9
Effluxio 771
Ejectio ibid.
Electuarium aſciticum 595
caryocoſtinum 813
Diacubebæ Paracelſi 592
diaphoreticum 1064
hepaticum 479
impotentiæ conferens 643
martiale deobſtructivum 727
philtris conducens 91
ſennatum ſeu de foliis ſenæ 22
Solenandri 548
ſpleneticum confortans ibid.
ſudoriferum 596
Elephantia 826
Elephantiaſis 826. 834
Elixir contra arthritidem vagam 822

Elixir peſtilentiale 815
proprietatis 48
Emetica ſeu vomitoria 4
Emplaſtrum apoſtemata peſtilentialia rumpens 918
attractivum 812. 992
Avicennæ ad tumorem ſcroti 623
cancro conducens 378
capitale in catarrho ſuffocativo 166
cephalicum vulnerarium 1046
curans morbum Gallicum 857
ex cerâ rubra 967
de cicuta ad ſcirrhos 526
diaſulphuris Rulandi 735
diſſipativum 194. 365
domeſticum 920
epuloticum 855
de gummi ammoniaco 548
hirundinum nidis & albo græco ad anginam 276
de ranis Vigonis 851
magneticum 919
mundificativum 917
nephriticum 618
opoteldoch 918. 980
pectorale 341
podagricum 811
philtris appropriatum ventriculo apponendum 705
pro matrice 735
ruptorium 366. 918
ſanativum ſimplex 855
Emplaſtrum ſanativum compoſitum 856
ſarcoticum 855
ſtomachicum Cratonis 162
ſulphuratum ſeu diaſulph. 735
theriacæ ad dyſenteriam 463
venenũ extrahens 917
vulnerarium nervinum 1009
Emphyſemata 936
Emproſtotonos 155
Empyema 298. 320
Emulſio perlata confortans 51
Encanthis 193
Encauma 180
Enterocele 675
Epatica dyſenteria 477
Epatis deſcriptio 504
Epatis abſceſſus 531
flatus 527
imbecillitas 511
inflammatio 527
intemperies 504
obſtructio 513
putredo 511
oppilatio 513
ſcirrhus 523
ſymptomata 558
tumor 523
ulcus 531
Epatis muſtelæ pingvedo extergit nebulas oculorum 179
Epatum ranarum pulvis curat epilepſiam 110
Ephemera febris 870
Ephialtes 139
Epicauma 180
Epididymides 638

Epi-

Epilepſia adultorum 104
puerorum 102
Epileptica aqua 116
mixtura 114
Epilepticum amuletum 114. 115
diaphoreticum 38
Epinyctis 940
Epiphora 181. 186
Epiplocele 675
Epiploonterocele ibid.
Epithema epaticum in hæmorrhagia narium 231
ex gammaris in dolore capitis 72
in inflammatione mammillarum 374
ex zedoaria in dolore capitis 72
Epithymum 17
Epulis 247
Epulotica 1010
Erinacei axungia ſanat rupturas 682
Erucæ farina valet ad ophthalmiam 185
Eryſipelas 194. 523. 951
cordis 342
narium 219
tibiarum 953
Erythrodes 640
Eſſentia ambræ valet ad impotentiam 644
anacardinarum ſpecierum ad memoriam confortandam 137
bellidis minoris ſangvinem coagulatum ſolvens 334
chamæactes granorum 788
carnis 415
caſtorei ad paralyſin lingvæ 130
conſolidæ majoris 682
Eſſentia croci martis ad obſtructiones 500. 519
ebuli ſeu granorum chamæactes ad uteri ſuffocationem 788
euphraſiæ ad oculorum affectus 176
foliorum tabaci ad paralyſin 130
florum perſicorum 486
formicarum 761
hellebori nigri 807
humani fellis ad ſurditatem 213
martis 512
meliſſæ 398. 404. 412. 444
mellis 336
panis 415
perlarum 51
perſicorum florum ad lumbricos 486
pulegii ad roborandum ventriculum 398. 412
ſangvinis hirci in caſu ab alto 332
ſangvinis lupi ad idem ibid.
ſatyrionis ad ſterilitaté 644
ſatyrionis compoſita 761
ſmaragdi ad dyſenteriá 468
ſulphuris vitrioli plurimarum virium imprimis in lepra 834
ſalis tartari ad alvi tarditatem 445
tabaci 130
trochiſcorum alhandal eſt ſpiritus vitæ aureus Rulandi 22
Euphraſiæ arcanum, eſſentia & ſal mirè valent ad viſus imbecillitatem 476

Exanthematum cura 854
Excoriatio ſcroti 674
Excretio capillamentorum per urinam 670
purulenta 477
Exeſio gingivarum 250
Expectorantia 310
Experimentum in angina 275
dyſenteriâ 472
epilepſiâ puerorum 103
febribus 101
ictero 364
quartana 211
ventoſitate uterinâ 708
Exomphalos 675
Exterminatio molæ 700
Extincta virilitas 642
Extractio ſolis 851
Extractum agarici 444
agrimoniæ ad epatis intemperiem 511
alkermes ad confortandum 87
aſari 813
bellidis minoris 334
caſtorei in ſuffocatione uteri 750
centaurii minoris in intemperie ventriculi 398
colocynthidos 22
croci ad laudanum opiatum 59
croci martis ad hæmorrhagiam narium 230
hellebori 8. 22. 87
epatis bubuli ad menſes ſuppreſſos 725
radicis eſulæ minoris 22
fellis luciorum ad oculorum nebulas 196
Extractum gratiolæ ut & ſal ejus in hydrope 597
guajaci gummi ad gonorrhœam virulentam 648
lapidis lazuli 88
lichenum in ſuffocatione uterina 750
majoranæ in odoratu abolito 227
mechoacannæ 22. 404
meliſſæ ad ventriculi intemperiem 398
peſtilentiale 815
pilularum de ammoniaco 521. 573
pulegii ad ventriculi intemperiem 398
rhabarbari 22. 404
ſcammonii 22
ſenæ ibid.
ſplenis bovis 547. 729
ſulphuris communis extrahens venenum è bubonibus 917
turpethi & rhabarbari 486
zedoariæ ad quoslibet ventriculi affectus 426
Exulceratio ani 487
columellæ 269
penis 648
renum 608
veſicæ 633. 635
uteri 696

F.

FAciei affectus 232
puſtulæ 234
rubor 232
vari 236

Fæcula

Fæcula & pulvis radicis aronis in aſthmate flatulento 283
bryoniæ in ſuffocatione uteri 746
iridis noſtratis in aſthmate 290
Fæcum ventris induratio 444
Fames canina 402
Farina viciarum ad rupturas 675
Faſtidium à cibo 398. 768
Faucium inflammatio 1200
ulcera 269
Favus 960. 961
Febres 769. 870
acutæ 892
intermittentes 884
curandi methodus 896
Febris compoſita 892
continua 877
ephemera 870. 877. 879
hectica 889
lactis 786
maligna 892
marasmodes 890
puerperalis 786
quartana 887
quotidiana 892
renum 604
ſynochos 880
tertiana intermittens 884
vulneraria 1015
Felis cerebrum 361
Fel tauri ad obſtructionem alvi 444
Fellis humani eſſentia in ſurditate 213
veſiculæ obſtructio 531
in cyſti bilis adaucta 534
calculus ibid.
Fermos Avicennæ 946
Fernelii pilulæ cephalicæ 72
Ficus ani 491
Ficus uteri 710
Fimi ſanant hydropem 587
Fiſſura ani 492
labiorum 239
papillarum 374
plantarum pedum ibid.
volarum manuum 854
Fiſtula 981
ani 489
oculi 193
Flatulentia 768
Flatus ventriculi 415
uteri 705
Flores antimonii correcti 26. 30
diaphoretici 39
zinci 790
æris 486
ſulphuris communis ejusque lac in aſthmate 290
Fluctuatio aurium 211
Fluor albus uterinus 737
Fluxus aurium 211
chyloſus 455
hepaticus 477
inteſtinorum 455
menſium nimius 729
ſtercoroſus 459
ventris 455
Fœces ventris induratæ 444
Fœniculi balſamus 414
Fœtor narium 224
ventriculi 392
Fœtus expulſio 780. 781
in utero mortuus 781
Fomentum in aſcite 595
dyſenteriâ 471
iſchuriâ 659
paralyticum 132
ſpleneticum 548
tympanitide 592

Formica, herpes 955
Formicarum aqua ad conſumptionem 575. 935
Foſſula 180
Fractura oſſium 1067
Fragariæ decoctum in ictero 564
Frontale anodynum 70
Fuliginis ſpiritus 50
Fumaria 17
Fumigium in ventoſitate uteri 708
Fungi 361
nucum ad rupturas 682
Furor ex philtris 92
Furunculus 939

G.

GAgatis oleum in ſuffocatione uteri 748
Galbanetum Paracelſi in paralyſi 131
Galiopſis ad tumorem lienis 539
Galli guttur crematum ad incontinentiam urinæ 655
Gallinarum ſtercus luteum ad exulcerationem veſicæ 637
Galreda humanorum oſſium in podagra 806
Ganglion 929. 932
Ganglion penis 649
Gangræna 954. 971. 1182
Gargariſma in affectibus oris, angina & guſtu depravato 264
in catarrho ſuffocativo 167
Geranium rupertianum ad tumores pedum 513
Gibbus 1081
Gilla Theophraſti 6
Gingivarum exeſio 250
exulceratio ib.
laxitas ib.
putredo ib.
Gingivarum putreſcentium mundificatio 251
Glandula 929
Glans 639
Glaucoma 190
Globuli in dolore dentium 249
febribus intermittentibus 884
Glomorum cynosbati ſpiritus in calculo 608
Gonorrhœa 645. 861
mulierum 737. 741
virulenta 648
Grando 187
Granorum chamæactes eſſentia in ſuffocatione uteri 748
Granum tilli 16
Gratiola ibid.
ex ea pilulæ in hydrope 597
Gravedo 227
Grumoſitas lactis 373
Guajaci decoctum 858
gummi vel extractum ad gonorrhœam 648
Gummi guttæ 9
Guſtus abolitus 263
depravatus & imminutus ib.
Gutta gemu 16
Gutta rabioſa 234
roſacea 219. 968
arthetica 795
Guttur galli crematum 655

H.

HÆmodia 240
Hæmoptiſis 327
Hæmatoptyſis. ib.
Hæmoptoe ib.
Hæmorrhagia critica 231
narium 228. 1224
quando impedienda vel non 231

Hæmor-

Hæmorrhoides cæcæ 493
narium 228
ſuppreſſæ 500
Hæmorrhoidum dolor 493
profluvium 497
Harpyia 701
Hæreditarium ſecretum contra ſterilitatem 759
Hectica febris 889
Hederæ folia in dolore capitis 73
Hederæ folia valent ad apoſtema pleuriticum rumpendum 340
Hellebori extractum 87
radicum præparatio 17. 22
Hellebori nigri foliorum cingulum ad ſiſtendum ſangvinem 500. 736
Hermaphroditicum Baſilii Valentini vitriolum ad omnes uteri affectus 710
Hepatis imbecillitas 511
intemperies 504
obſtructio 513
putredo 511
Hemicrania 65
Hemiplegia 127
Hemiplexia 117
Hercules Bovii 71
Hermodactylus 15
Herniæ ſpecies 674
Hernia gutturis 675
Herpes, formica 955
Herpes eſthiomenus. ib.
miliaris ib.
Hippocratis aurum potabile 1098
Hirci axungia in ſtranguria 663
Homoplatæ dolor 815
Hordei decoctum 407. 769
Hordeolum oculi 187
Hyacinthi liquor 52
Hydatides 523
Hydatodes apoſtema 673
Hydroa 959
Hydrocele 675
Hydrocephalum 943
Hydrophobia 89
Hydropiſis, hydrops 580
notha 588
Hydropica medicamenta 292
Hydropicum purgans 24
Hydropis ſummum arcanum 32
Hydrops matricis 708
ſiccus 580
Hydrotica 844
Hyoſcyamus 361
Hypochondriaca melancholia 24. 75. 557
Hypochondriacum Zwingeri 88
Hypochyma oculi 197
Hypopion 201. 969
Hypopyon 192
Hypophthalmion 201
Hypoſphagma oculi ib.
Hyſterica paſſio 741

I.

Jalappæ doſis 12
Icteritia 558
nigra 565
Icterus ſimplex 558
ſymptomaticus ib.
ab aſthmate 288
Jectigatio 161
Jecoris ſymptomata 558. plura de jecore vide in E de epate.
Ignis aduſtio, ambuſtio 1061
Ignis ſacer 951
S. Anthonii 971
Iliaca paſſio 446
flatulenta 451
Imbecillis virilitas 642
Imbecillitas ventriculi 436
Impetigo 957
colli 959

Impetigo faciei 238. 959
Impotentia 761
Inappetentia ciborum 398
Incontinentia ſtercoris 504
  urinæ 653
Incubus 139
Induratio fæcum ventris 444
Inflammatio ani 487
  epatis 527
  inteſtinorum 447
  lienis 552
  mamillarum 366
  meſenterii 554
  oculorum 186
  oris ventriculi 391
  renum 602
  ſcroti 671
  teſtium ib.
  tonſillarum 266
  ventriculi 390
  veſicæ 633
  uteri 683
  uvulæ 267
Inflatio ventriculi 417
  uteri 705
Infuſum martiale ad menſes ſuppreſſos 728
Inſania 74
  ex morſu canis rabidi 89
Intertrigo 490
Inteſtinorum absceſſus 446
  aſtrictio ib.
  cancer 446
  fluxus 455
  inflammatio 445
  obſtructio 437
    à fœcibus induratis 444
  tumor 445
  ulcus ib.
Jonthi 236
Iſchuria 656
Julepus in aſcite 596
  ardore urinæ 664
  diureticus 44
  refrigerans in febribus 896
  in pleuritide 339
Juniperi aqua per deſcenſum in pelvi deſtillata 9

L.

Labiorum aſpredo 236
  fiſſura ib.
  paralyſis ib.
  veſiculæ ib.
Lac aſininum in hectica 892
  caprillum in atrophia 575
  equinū in conſumptione corporis ab aſſumpto philtro ib.
  humanum in tabe ibid.
Laconicum Hartmanni 38
Lacrymæ oculorum 187
Lachrymalis fiſtula 193
Lac augentia 48. 376
  exſiccantia 369
Lac virginis 367
Lactis caſeatio ſeu grumoſitas 373
  defectus 371
  redundantia 372. 376
Lactucimen 252
Lacerta viridis 862
Lævitas inteſtinorum 455
Lamii pulvis ad affectus lienis 539
Lapis lazuli 17. 359
Lapidis lazuli extractum 88
Lapidum calcinatio ſecreta 606
Lapis armenius 359
  bezoar 38
    valet in palpitatione cordis ibid.
  calaminaris 359
Laſurinus color 356

Lauda-

Laudanum antepilepticum 57.123
ad matricis ſuffocationem 57.749
opiatum 57.59
ſine opio 57
aliud 59
Laxitas gingivarum 250
uvulæ 267
Lenientia alvum 443
Lentigo 237.969
faciei 237
Leontiſis 826
Leporis oculi in Martio capti in partu difficili 781
Lepra 826
Arabum ibid.
Græcorum 959
Lethargus 138
Leuce 968
Leucomata 178
Leucophlegmatia 580
Lichen 957
colli 959
faciei 238
Lichenum extractum 749
Lienis deſcriptio & affectus 534
ſymptomata 558
tumor 534
Lienteria 455
Ligamentum aliforme 685
Ligni nephritici vis 623
Limaturæ chalybis præparatio 522
Lingvæ affectus 253
abſceſſus 258
carcinoma ibid.
deſquamatio ibid.
exulceratio 257
nigrities & ſcabrities 256
paralyſis 258
puſtulæ 255
ranula 253
Lingvæ ſcirrhoſi tumuſculi 255
Lipopſychia 347
Lipothymia ibid.
Liquor calcis vivæ 1118
capillos generans 963
corallorum 480
contra calculum 622
guajaci acidus 861
hyacinthi 52
hydropicus 596
lunæ viridis 79
oculorum cancrorum 607
oris vitia quælibet tollens 256
ſachari cum raphano ad tuſſim 326
tapſi barbati florum ad oculos 592
Lithargyrium 356
Lithiaſis 613
Lithontripticon ex millepedibus in calculo veſicæ 632
Lixivium capitale in mania 85
Lixivium è ſcoriis reguli antimonii ad ſuppreſſionem menſium 580 725
Lochiorum fluxus immodicus 783
Lochiorum ſuppreſſio 784
Lombardorum frater 701
Loquela amiſſa 130
Lordoſis 271
Lucii fellis ſpecificum ad oculorum nebulas 196
Ludi humani calcinatio ſecreta 606
oleum ad diſſolvendũ quamlibet lithiaſin 607
Lues venerea 837
ejus ſpecificum 32
Lumbrici 480
cucurbitini 481

Lumbrici longi 481
rotundi ibid.
Luna potabilis 79
reſtituit dementes & maniacos etiã multorum annorum 81
Lunæ purgatio per cineritium ibid.
vitriolum ejusque ſpiritus & oleum 84
Lupus 220
Lupi inteſtina exſiccata ſunt ſpecificum in colica 454
Lupus rabioſus 360
Lupus, ulcus 976
faciei 957
Lupia 929
Luſcioſitas 172
Luſitani opiata ad alvi fluxum 461
Luxatio oſſium 1067. 1079

M.

MAculæ 968
Macula oculorum 201
Magiſterium perlarum reſolubile 52
Riverii 805
corallorũ confortat 48
oſſis ſepiæ in gonorrhœa 648
Magma theriacæ extrahit venenum è bubonibus 917
Magnanimitatis aquà 50
Magnes 359
arſenicalis 919
Magnetica cura conſumptionis corporis 575
Majoranæ extractum in odoratu abolito 227
Malacia 404. 768
Maligna febris 892
Malvæ radix dat periaptõn ophthalmicum 183
Malum mortuum 968
Malum pilare 373
Malus corporis habitus 576
Mamillarũ deſcriptio & affectus 362
abſceſſus 366
cancer 369
exulceratio 368
inflammatio 366
intumeſcentia 364
phlegmone 366
ſciſſura 374
tumor œdematoſus 364
ulcera 368
Mandragoræ ſuccus ebur diſſolvit 552
Mania 74. 101
Mannæ doſis 11
Marasmodes febris 890
Margaritæ 361
eſſentia 51
Mariſcæ ani 491
uteri 710
verrucales 711
veſicales ibid.
uvales ibid.
Marrhozes radix indica efficax eſt contra venena 362
Martis crocus 472
cryſtalli 336
eſſentia 512
præparatio anthydropica 593
ſolutio 519
vitriolum 710
Maſticatorium in ſalivatiòne 845
Maſtichis oleum ad tenesmum 477
Matricis ſeu uteri affectus 683
hydrops 708
Maturativum optimum 214
Maxillæ immobilitas 252
Mechoacannæ doſis 12
extractum 22
Medicamenta anodyna 56

Medi-

Medicamentum anodynum univerſale 338
Mediccmenta capitalia 69
caput confortantia 167
cathartica 10.11.25
cerebrum confortantia 87
confortantia 44
diaphoretica 33
digeſtiva 1
diuretica 40
expectorantia 307
ſomnifera 147
vomitoria 4.9
Melancholia 74
hypochondriaca 24.75 567
Melancholiæ hypochondriacæ conducens emplaſtrum 25
Melancholicum digeſtivum 24
Melancholicum temperamentū 16
Melas 968
Melasma 969
Meliceris 928
Meliſſæ eſſentia 398.404
Mellis eſſentia 336
liquor contra corporis conſumptionem 935
Melon 189
Membrorum aridura 934
contractura 933
luxatio 1067.1079
Memoriæ affectus 135
Memoriam roborat pulvis Trithemii 137
Menſium fluxus nimius 48.729
ſuppreſſio 712
Menſtrui virginis uſus in eryſipelate 235
eryſipelate nariū 220
Menſtrui virginis uſus in puſtulis faciei 235
inflam̄atione tonſillarum 267
Menſtruum ſanat inſtantem lepram pecorum 718
item contracturam equorum ibid.
Mentagra 959
Mentulagra lupanaris 840
Mercurialia medicamenta quomodo exhibenda 32
Mercurialis aqua 861
Mercurii cum auro præcipitatio 31
cupri ſeu veneris præparatio 912.1131
dulcis paratio 612
oleum diaphoreticum 850
rubrum 846
panacea alba vulgaris 30
ſpiritus albus 846
dulcis 611
rubeus 846
ſublimatio 611
dulcis operatio in corpore cacochymico 30.481
Mercurius crudus in vermibus 486
dulcis 25.30
luteus aperiens eſt ſpecificum in ictero 564
laxativus 29
præcipitatus 357.1166
præcipitatus luteus 564
præcipitatus Paracelſi curat omnem hydropem 586
præcipitatus Wurzii 333
Meſenterii inflammatio 554
obſtructio ibid.
Mezereum 16.360
Mictio cruenta 665

Minium 357
Millefolii ſuccus excitat hæmorrhagiam narium 230
Mineralia cathartica 25
Miſerere mei ſeu iliaca paſſio 446
Mixtura antepileptica 114
antiparalytica 132
confortans 644
è cornu cervi 39
in palpitatione hyſterica 354
Mixturæ ſimplicis præparatio & uſus 90
Mola ſeu fatua conceptio 700
Mola aquoſa 709
ventoſa ibid.
Molæ exterminatio 705
Mora ani 491
uteri 710
Morbilli 921
Morbus arquatus 558
Gallicus 837
Hungaricus 893
Neapolitanus 840
regius 558
regius ater 565.837
Morphæa 234.968
Morſus canis rabidi 89.360
hominis 360
Moſchus confert capiti & aurium tinnitui 210
Mucilago angelicæ 934
in urinæ ardore 663
Muſculorum abdominis tumor 527
Muſtelæ epatis pingvedo ad albuginem oculorum 179
Myocephalon 189
Myopia 191
Myrachialis 567
Myrmecia 964
Myrobalanorum doſis 12
Myrrhæ oleum ad quartanam 889

N.

NÆvi 969
Napellus 360
Napta 929
Narium affectus 216
carcinoma 220
eryſipelas 219
fœtor 224
hæmorrhagia 228
hæmorrhoides 223
ulcera 217
Naſturtii ſuccus in febribus & quartana 223.899
Natta 929
Nauſea 422
Nauſea à ſumpto medicamine ibid.
Nebula oculi 178.195
Nephritica colica 613
Nephritici ligni vis in dolore nephritico 623
Nephriticum ſpecificum ibid.
Nephriticus dolor 613
Nigella Romana ad catarrhum ſuffocativum 167
Nigredo dentium 242
lingvæ 256
Nitrum 358
Nitri præparatio 995
Noctambulus ſomnus 138
Noctuæ combuſtæ pulvis ad anginam notham 276
Nodulus in calculo 622
in hydrope 1122
Nodus 929
Noli me tangere 220.957.976
Nomæ uteri 700
Nomodes 976
Nucis moſchatæ fumus ſpecificum in ventis uteri 708
Nucum fungi ad rupturas 682
Nutricula 556

Nux vomica 361
Nyctalopia 191
Nymphæ 684

O.

OBauditio 211
Oblatæ purgantes 29
Obſtipatio } alvi 441
Obſtructio } alvi 441
Obſtructio epatis 513
 inteſtinorum 441
 meſenterii 554
 renum 605
 ſplenis 540
 veſicæ fellis 531
Obſtructionum digeſtivum 25
Oculorum affectus & deſcriptio 168
 albugo 178
 ardor 187
 caligo 174
 carcinoma 181
 clavus 190
 dolor 186.187
 fiſtula 193
 hordeolum 187
 hypochyma 197
 hypoſphagma 201
 imbecillitas 174
 inflammatio 186
 lachrymæ 187
 maculæ 190
 nebula 178.195
 paralyſis 173
 procidentia 188
 pterygia 195
 puſtulæ 190
 rubor 187
 ſtrabismus 172
 ulcera 180
 ungves 195
 vulnus 200.1046
Oculi leporis in Martio capti in partus difficultate 781
Oculorum cancri oleum ad calculum renum 621
Odontalgia 243
Odontalgica medicamenta ibid.
Odoratus abolitus 225
Oedema 364.523.941
Oedematoſus tumor 673
Oleum acuativum Paracelſi 633
 antimonii dulce 28
 antimonii cum berberibus 7
 arſenici 222.962
 betulinum 1149
 bufonum ad morphæam 235 918
 buxi ad dolores dentiũ 248
 calculi humani 607
 camphoræ 124.914
 compoſitum 914
 caryophyllorum ad dolorem dentium 246
 ceræ ejusque doſis 43
 chamomillæ ſaphiricum 394
 cinamomi 435
 corallorum 480
 corylini ligni 248
 croci martis 472
 florum antimonii & ſachari 256
 fuliginis 50
 gagatis 748
 heracleoticum 248
 Jovis ad ſuffocationem uterinam 741
 lactis 932
 lauri granorum ad varos 237
 lini in pleuritide 319
 ludi humani 607
 maſtichis ad tenesmum 477
 mercurii album 846
 mercurii diaphoreticum 850

Oleum mercurii rubrum 846
mirabile 135
myrrhæ ad quartanam 899
nucum juglandinum inſpiſſatum 374
oculorum cancri 621
oſſium equorum 821
panis ad cruditatem ventriculi 415
papaveris cum mercurio præcipitato coctum 973
petroleum compoſitum ad dolorem podagræ 809
piperis nigri refrigerans 885
rutæ ad priapiſmum 642
ſabinæ 725
ſachari magiſtrale 326
Saturni 178.1047
ſulphuris per campanam 486
tartari fœtidũ in parotide 216
viridis æris 854
zedoariæ 435
Omentum vituli ad feces ventris induratas 444
Oniſcorum pulvis ad calculum veſicæ 632
Ophiaſis 962
Ophthalmia 183
Ophthalmicæ aquæ 177.186.187
Ophthalmicum periapton 183
Opiata in fluxu nimio menſtruo 734
Luſitani ad alvi fluxum 461
Opiſtotonos 155
Opii correctio 1191
Opium correctum ſeu laudanum opiatum 57.59
Opoteldoch 918
Opopanacum 15
Oppilatio hepatis 513
Orbiculi in catarrho ſuffocativo 167
vide plura de rotulis.
Orexis 1174
Oris ventriculi dilatatio 394
Orthopnœa 283
Oſcheocele 675
Oſſium dislocatio 1067
fractura ibid.
luxatio 1079
Oſteocolla 1082
Otalgia 208
Oxymel diureticum 44
Ozæna 216.977

P.

PÆoniæ maris radix eſt ſpecificum in epilepſia 114
collectio optima ibid.
Palati ulcera 269
Palpitatio cordis 350
hyſterica 354
Pampiniformia vaſa 638
Panacæa Hartmanni 37
mercurii alba vulgaris 30
Panaritium 1057
Panchymagogon Crollii 22
Hartmanni ibid.
Quercetani 25
vegetabile 23
Pancreas Aſellianum 554
verum 555
Panis eſſentia 415
Pannus 195.969
Panus 937
Papillarum fiſſuræ 374.376
Papula 955
Paracynanche 270
Paralyſis 127
ex colica 133.455
labiorum 239
lingvæ 258.1210
oculi 173
Paraphrenitis 99
Paraplegia 127
Paraſtatæ variciformes 638

Paraſynanche 270
Paronychia 1157
Parotis 214.937
Parotontides 251
Parthenium 371
Partus difficilis 774
Parulis 247
Paſſio colica 446
iliaca ibid.
hypochondriaca 567
hyſterica 741
Paſſulæ laxativæ 25
Paſta regalis 337
Pavonis pennarum ſpecula ad inflammationem mamillarum 374
ſtercus ad vertiginem 154
Pectoris anguſtia 291
Pecus ſpecies molæ 701
Pediculi cerebri 148
Pediculi totius corporis ibid.
Pedilavium in vigiliis 147
Pedum anſeris cuticula ad fluxum menſium nimium 736
Pedum tumor 513
Peliomata 237.969
Penis ſeu priapus 639
Penis caruncula 648
ganglion 649
ulcera 648
Penoti linimentum ad convulſionem 160
Pepſis, pepaſmus 1
Peregrinantium pulvis 408
Periapton ad epilepſiam 13
ophthalmiam 183
Peripneumonia 292
notha ibid.
Perlarum arcanum 48
aqua 350
eſſentia 51
Perlarum magiſterium reſolubile 52
Riverii 805
ſal 47
ſyrupus 48
Perniones 1063
Perſicariæ aqua ad morbum Gallicum 844
Peſſi 728
Peſtis 900
Peſtilentialia apoſtemata 916
Phagedænica ulcera 976
Philoſophica aqua ſeu ſpiritus vini tartariſatus 520
Philtrum 91
Philtri ſecretum ſeu antidotum ib.
Phlegmaticum temperamentum 14
Phlegmone 523.939
Phlyctena 179.954
Phlyctis ibid.
Phrenitis 93
Phrenitis vulneraria 1015
Phthiriaſis 148
Phthiſis 302.336
Phygethlon 937
Phyma ibid.
Pica 404
Pilare malum 373
Pileolus capitalis 167
Pilorum leporis fumus ſiſtit hæmorrhagiam narium 230
Pilulæ de ammoniaco gum̄i 545.547
antimoniales in podagra 811
antimoniales per ſeceſſum purgantes 26
de bdellio 496
caput confortantes 69
caput purgantes 86
febriles de vitro antimonii 884
Fernelii ad dolorem capitis 72
hydropicæ 597.1167
in exulceratione renum 610

Pilulæ

Pilulæ in quartanâ 24
in ſuffocatione uteri 746
plumales ſeu ex plumis 444
podagricæ 804
Riverii 521
urinam pellentes 658
Pineolata 337
Pingvedo angvillæ in ſurditate 213
è cochlearibus ligneis ad fiſſuras 240
ex epate muſtelæ fluviatilis ad albugines 179
ſerpentis ad ſurditatē 213
talpæ ad idem ibid.
Piſcis in ventre lucii inventus ad urinæ incontinentiam 655
Plateri vomitorium 6
tabulæ hæmoptoicæ 331
Pleuritis 311.338
notha 312
Plumbum uſtum 357
Pneumatocele 675
Pneumatoſis uteri 705
Pneumonia 292
Podagra 813
Polypodium 17
Polypus 222
Pollutio 646
Porrigo 960
Porrus 964
Potiones vulnerariæ 1005
Potus ad conſumptionem 1106
Potus ad ſitim morboſam 407
Potus ſanativus 698
vulnerarius ad ſanandam fiſtulam ani 490
Præcipitatus Crollii 28
luteus 564
ſeu præcipiolum Paracelſi 587
viridis 862
Præcipitatus Wurzii 333
Præparatio chalybis 513
Præputium 639
Priapismus 156.638
Procidentia ani 501
oculi 188
uteri 751
Profluvium alvi ſeu ventris 455
hæmorrhoidum 497
menſium 729
Proptoſis rhagoidis 189
Proſtatæ glanduloſi 639
Pruna 1021
Prunellæ ſylveſtris radicis vis ad procidentiam ani 503
Pruritus 959
Pruritus & excoriatio ſcroti 674
uteri 712
Pſora 959
Pſyllii ſemen 14.361
Pterygium oculorum 195
Ptyalismus 252
Ptyalismum provocans maſticatorium 845
Puerperæ tractatio 787
Pulegii eſſentiæ vis in affectibus ventriculi 398.412
Pulmones ventoſi 272
Pulmonia 297
Pulmonum deſcriptio & affectus 277
adhæſio 311
vomica 297
Pulvis antepilepticus curativus 109
110
præſervativus 103
antiparalyticus 132
Arnoldi de villa nova ad ſtrumas 931
arthriticus 808
aſthmaticus Rulandi 291
benedictus ad cancrum 378

Pulvis buſonum 596
ſiſtit hæmorrhagiam narium 230
cachecticus ſimplex 519
cancrorum fluviatilium ad vulnera oculorum 201
cardui pratenſis minoris ad albuginem oculi 179
caryocoſtinus purgans defluxiones podagricas 807
cinabaris nativæ ad vertiginem 154
contra caſum 332
cynosbati capitulorum 623
dentifricius 242
diaſenæ laxativus 21
dyſentericus 472
emeticus 26
epatũ ranarũ ad epilepſiam 110
epilepticus 103
fumigatorius in ſuppreſſione menſium 728
gonorrhϾ conducens 648
hepatis lupini 518
incarnativus 380
inteſtinorum gallinæ combuſtorũ ad fluxum ventris 463
itinerantibus ſitim ſedans 408
lacertæ aquaticæ efficax ad evellendos dentes 246
laxativus ſennatus 21
laxitatẽ uvulæ corrigens 267
mundificans ſangvinem 932
mundificativus 480
noctuæ in angina notha 276
oniſcorum ad calculum 632
oſſium ſepiæ ad gonorrhœam 648
panis ſucco baccarum ſambuci impaſtati & reſiccati in dyſenteriâ 469
Pulvis in penis caruncula 650
pro peregrinantibus 408
in pleuritide 328
pro ptiſana 408
ſcarabæorum ad procidentiam oculi 189
ſecundinæ primiparæ 93.705
ſiſtens ſangvinem 428
ſitim ſedans 408
ſpongiarum 931
ſternutatorius 115.120
ſtillicidio uteri conferens 740
ſympatheticus 997
Trithemii ad memoriam 157
ventriculum roborans 414
viperarum 380
Pupillæ divulſio & ruptio 173
Purgans in hydrope 24
Purgantia mineralia 25
vegetabilia 10
Purulenta excretio 477
Puſtulæ oculi 190
faciei 234
lingvæ 255
Puſtulæ Gallicæ 854
Puſtularum morbi Gallici curatio 854
Putredo gingivarum 250
tonſillarum 267
Pyramidalia corpora 638
Pyra moſcatellina purgantia 29

Q.

Quartana febris 887
Quartanæ confert ſal cardui-benedicti cryſtalliſatus diaphoreticus 38
Quartanariæ pilulæ 24
Quotidiana febris 892

R.

Radicis pæoniæ collectio ad epilepſiam 114

Radicis lapathi collectio in dolore dentium 246
Radix lappæ majoris ſedat dolorem dentium ibid.
Radix rheumatica ſeu verbaſci virginis de collo geſtata præſervat à catarrhis 309
Ramenta ungvium dant vomitoriũ
Ramex inteſtinalis 674. (6
Ranarum epata 110
Ranula lingvæ 253
Ranunculus 361
Raſura dentis apri in pleuritide 328
Raucedo 163.321
Redundantia lactis 372
Regius morbus 558
Renum calculus 613
dolor ibid.
exulceratio 608
inflammatio 599
obſtructio 605
Reſina ſcammonii 22
Rhabarbari doſis 12
extractum 22.404
Rhagades ani 492
uteri 710
Rhamnus 16
Rheumatica radix 309
Rheumatiſmus 815
Rhixis 229.328
Rhyas 193
Riſus ſardonius 156
Riverii pilulæ in obſtructionibus hepatis 521
Roſarum ſyrupus ſolutivus 13
tinctura 407
Rotulæ ſeu tabulæ antepilepticę 114
antiparalyticæ 132
in aſcite 595
aſthmate 335
aliæ ibid.
Rotulæ in catarrho ſuffocativo 167
colica 454
de floribus ſulphuris 340
Rubor faciei 232
oculorum 202
Rubrica 959
Ructus 415
Rudolphi Imperatoris ambra rectificata 50
Rulandi cingulum ſapientiæ 150
aquæ benedictæ paratio 8
balſamus ſulphuris 374
diaſulphuris emplaſtr. 735
Ruptura 674

S.

SAchari & florum antimonii oleum ad quælibet oris vitia 256
Sachari oleum magiſtrale ad tuſſim 326
Sacculus contra catarrhos 166
in dolore capitis 73
ocularis 200
Sagapenum 15
Sal aluminis ad fiſtulas 985
& ſuccus aſtacorum ad abortum præcavendum 773
armoniacum 358
purificatum 412
cinerum 415
cinerum caulium antiquorum ad lentigines 971
cinamomi in pica 406
è combuſtis bufonibus 590
corallorum confortans 48
euphraſiæ ad viſus imbecillitatem 176
fuliginis eſt cancri ſpecificum 51
gratiolæ ad hydropem 597
Jovis ſeu ſtanni ad uteri ſuffocationem 748
lupinorum in iſchuria 659

Sal majoranæ in odoratu abolito 227
menſarius in lue venerea injuſtè prohibetur 84
peregrinum vel peregrinantium 425
perlarum 47
pumicis 930
Satyrionis 761
ſtipitum fabarũ in ſtranguria 663
ſuccini volatile 43
ſulphuris ad lumbricos 486
turturis ad fluxum menſium 36
Salis gemmæ balſamus 681
ſpiritus dulcis 867
Salivationem provocans 845. 979
Saltus membrorum 161
Sambucus 16
Sandaracæ præparatio 378
Sangvinem purgat arcanum perlarum 48
Sangvinem vulnerum ſiſtentia 993
Sangvineum temperamentum 12
Sangvinis poſt partũ elapſi uſus 737
Sangvinis profluvium ex utero 730
Sangvinis ſputum 327
vomitus 332
Sangvinolenta mictio 665
Sangvinis ſuilli aqua 575
Sangvis angvillæ ad clavos 968
aſini ſpecificum ad melancholiam 84
criſtę galli ad difficilem dentitionem 247
grumoſus in ventriculo 429
humanus deſtillatus ad maculas 970
menſtruus vide menſtruum
mortuus 201
ſubcutaneus congelatus 1030
quomodo ſiſtendus 428. 992
Saphatum 961
Saponea 325
Sarcocele 675
Sarcocolla 15
Sarcoma 222
Sarcotica 1010
Sardonius riſus 156
Saturni balſamus 453
oleũ & ſpiritus 178. 641 1047
ſalis paratio 1211
Satyriaſis 156. 638. 826
Satyrionis eſſentia 644
Scabies 925 957
veſicæ 635
volatica 239. 927
Scabrities cutis 834
Scammonii extractum 14
præparatio ibid.
Scarabæorum pulvis ad procidentiam oculi 189
Scirrhomata miliacea 712
Scirrhoſus tumor 673
Scirrhus 523. 946
epatis 523
ſplenis 550
uteri 700
Sciſſuræ lingvæ 256
mamillarum 374
Scliroſis 946
Scolioſis 271
Scorbutus 862
oris 218
Scorbuti ſpecifica 1121
Scoria ferri 357
Scoriarum reguli antimonii ſuffumigium 725
Scorpius 360
Scrophulæ 928. 932
Scrotum 640
Scroti excoriatio & pruritus 674
inflammatio 671
tumor ibid.

Scutum ſtomachale 414
Sebel 195
Secretum ad calculum 618
epilepſiam 112
Helmontii ad partum 704
in inflammatione renum 605
Secundinæ eductio 781
Secundinarũ præparatio medica 705
Sena 17
Senæ electuarium 22
extractum ibid.
pulvis laxativus 21
Sephiros 946
Serpigo 238.957
Serpilli collectio ad catarrhos 165
Sibilus aurium 210
Silices igniti dant diureticum 43
Singultus 419
Siphita ſtricta 138
Sitis 406.597
Smaragdi tinctura 468
Somnus amicus naturæ 57
Soldanella 16
Solutio corallorum 480
martis 519
Sonitus aurium 210
Soporoſi affectus 138
Spasmus 156
cynicus 156.239
Specificum in angina 275
auditu gravi 213
calculo 618
capitis doloribus frigidis 73
colica 451
dentium dolore 249
diabete 653
epilepſia puerorũ Electoris Saxoniæ 103
Specificum in eryſipelate nariũ 219
febrile Crollii è conchis 899
purgans ex vitro antimonii 884
in hæmorrhagia 232
hæmorrhoidibus cæcis 496
hemicraniâ 73
inſaniâ ex ſangvine aſini 84
maniâ è decocto anagallidis 85
oculorum è felle lucii piſcis 196
in philtris è ſecundina pulveriſata 93
pleuritide & peripneumonia 316
pulmonibus ventoſis è radice ari pulveriſata 283
inflammationibus renum è ſucco aſtacorum 605
tympanitide liquor è floribus tapſi barbati 592
vertigine è cinabari nativa 154
uterinum è vitriolo martis 710
Specula pennarum pavonis ad mamillas 374
Sperma ranarum ad eryſipelas 953
Sperniolæ compoſitum 737
Sphacelus incipiens 971
Spiritus antepilepticus 104
aperitivus Penoti 519
cerebri humani 110.120
cornuum juvenculorũ ſeu topho-

tophorum cervi eſſentificatus 39.436
Spiritus cynosbati glomorum 608
fuliginis 50
guajaci 592
lumbricorũ compoſitus 823
mellis & formicarum 935
mercurii albus ſimplex 846
dulcis 611
rubeus 846
nitri 43.1053
pulegiatus 437
pulegii cum ſale ejus ad ſuppreſſionem menſium 729
ſalis 49
ſalis armoniaci 127.545
ſalis dulcis 867.916
ſalis lacteſcens 590
ſimplex 43
ſangvinis arterioſi 120
tartari alcalioſatus 38
tabaci 857
terebinthinæ 307
vini in dolore capitis ex crapula 72
vini camphoratus 914
vini tartariſatus 520
vitæ aureus Rulandi 22
vitrioli philoſophicus 398.400
vitrioli veneris 398
urinæ 54
urinæ coagulat ſpiritum vini. 616
Splenis abſceſſus 552
inflammatio ibid.
obſtructio 540
ſcirrhus 550
tumor 534
ulcus 552
Splenis bovis extractum 729
Spongiarum cinis 931
Spongia ſalicibus adnaſcens 432
Sputum ſangvinis 327
Staphyloma 189
Staphis agria 361
Steatoma 928
Stercoris incontinentia 504
Stercus aſininum ad hæmorrhagiam narium 232
equinum in partus difficultate 781
gallinæ luteum ad exulcerationem veſicæ 637
humanum in peſte 912
lupinum in colica 454
pavonis 154
ſuillum in hæmorrhagia narium 232
de vacca nigra in epilepſia 103
Sterilitas 754
Sterilitas ab incantatione 760
Sternutatorium antapoplecticũ 120
Stigmata 237.970
Stillicidium urinæ 659
uteri 737
Stomachica 400.436
Stomachicum ceratum 412
Strabiſmus 156.168.172
Strangulatus uteri 741
Stranguria 659
Strepitus aurium 210
Struma 928
Stupor 139
dentium 240
Subeth 138
Succini ſal 43
Succinum antimonii 28
Succus aſtacorum 605.773
bryoniæ in pectoris anguſtia 291

Succus cepæ in ſurditate 213
cydoniorum crudus ad vomitum ſiſtendum 426
millefolii in hæmorrhagia narium excitanda 230
naſturtii in pleuritide 319
idem in quartana 899
Succus pancreaticus 555
Sudamina 959
Sudorifera 131.770
Sudorifera in morbo Gallico 842
Sudoriferum efficaciſſimum 1017
Suffocatio uterina 741
Suffumigium in epilepſia 117
ſuppreſſione menſium 725
Sugillatio 201.237.969
Suilli ſangvinis aqua 575
Sulphur antimonii fixum 37
ejus virtus 704
Solis 472.473
tartari 44
vitrioli 341.834
vulgare 358
Sulphuris balſamus 307.310
balſamus cũ oleo aniſi ib.
Rulandi 374
flores albiſſimi 291
lac ibid.
oleum per campanam 486
ſal. ibid.
tinctura 308
Suppoſitoria 444
Suppreſſio hæmorrhoidum 500
menſium 712
Surditas 212
Syderatio 971
Synanche 270
Syncope 347
Syrones 928
Syrupus alkermes 53
Syrupus antaſthmaticus 289
ex aqua benedicta 69
caryophyllorum 437
cinamomi ibid.
de eryſimo Lobelii 323
magiſtralis in ſuppreſſione menſium 717
in obſtructione ſplenis 546
perlarum 48

T.

TAbaci aqua 9
eſſentia 130
infuſum 9
ſpiritus 857
Tabes incipiens 302.309.934
Tabulæ antepilepticæ 114.116
anthydropicæ 595
de croco martis 522.727
in extincta virilitate 644
fluxu hepatico 479
hæmoptoicæ Plateri 331
in obſtructione ſplenis 548
Tæniæ 481
Talpa ſeu talparia 929
Talpæ cinis ad ſcrophulas 932
cor ad rupturas 682
Tamarindorum pulpæ doſis 13
Taraxis 184
Tartari cryſtallus 3
ſulphur ſeu tinctura 44
Tartarus vitriolatus 3
Taxus 361
Temperamentum cholericum 12
melancholicũ 16
phlegmaticũ 14
ſangvineum 11
Tentigo prava 220
Teneſmus 474
Terebinthinæ præparatio & doſis 12. 610 617

Teredi-

Teredines 928
Terra vitrioli ad emplaſtra 919
Terminthus 940
Terror 773
Tertiana intermittens 884
Teſtium inflammatio 671
Teſtudo 929
Tetanos 156
Theriacale acetum 40
Theriacalis aqua 39
Thymum 964
Tibiarum ulcera 869
Tinctura antimonii 810
corallorum 480
corticum aurantiorum 451
granorum actes ad convulſionem uteri 754
gummi laccæ 869
hepatica 480
roſarum 407
ſmaragdi 468
ſeu ſulphur tartari 44
ſulphuris 308
Tinea 961
Tinnitus aurium 210
Tithymalus 16.360
Tonſillarum absceſſus 267
inflammatio 266
putredo 267
tumor 265
ulceratio 267
Tophi & nodi 853
Topinaria 929
Tormina 773
Tormina à partu 785
Torpedo 360
Tortura oris 156
Tragæa antipleuritica 338
Tremor 139
Triſmus 156
Trithemii pulvis ad memoriam 137
Trochiſci ad ſuffimigiũ in ozæna 219
in catarrho ſuffocativo 167
Tubæ uteri 686
Tuberculum pulmonum 297
Tumores 936
Tumor cutis flatulentus 936. 944
epatis 523
muſculorum abdominis 527
œdematoſus 937
pedum 513.768
ſcroti 672
ſplenis 534
teſtium 672
tonſillarum 265
ventriculi 417
ventris 592.595
Turbit 15.361
Turturis pulvis ad fluxum menſium nimium 736
ſal ad idem ibid.
Tuſſis 323
Tympanites 580.1218

V.

VAri 236
Varices 947
Variolæ 921
Vaſa deferentia 639
ejaculantia ibid.
præparantia 638
Venena 355
Venerea lues 837
Veneris impotentia 761
Ventriculi deſcriptio & affectus 381
absceſſus 418
anguſtia 392
animalcula 435
ardor 434
cruditas 409
dolor 432
flatus 415

Ventri-

Ventriculi fœtor 392
imbecillitas 437
inflammatio 390
inflatio 417
intemperies 395
orificii ſuperioris dilatatio 394
inflammatio 391
tumor 417
ulcera 392
Ventriculo inhærens ſangvis grumoſus 429
Ventriculus frigidus 598
Ventris aſtrictio 441
crepitus frequens 504
fluxus 455
Ventus uteri 705
Veratrum album & nigrum 361
Verbenæ vis in capitis doloribus 72
amuletum ibid.
Vermes aurium 207
cerebri 148
cordis 354
corporis totius 148
ventriculi 435
Vermiculi atrophiales ſeu dracunculi 576
capillares Haarwurm 978
Vernicis vis in inflammationibus mamillarum 374
Verrucarum equinarum uſus 776
Verrucæ 964
ani 497
faciei 238
uteri 710
Vertiginis ſpecifica 154
Vertigo 152
Veſica capræ in urinæ incontinentia 655
Veſicæ urinariæ deſcriptio & affectus 624
Veſicæ urinariæ abſceſſus 633
calculus 624
exulceratio 633
inflammatio ibid.
Veſicula cryſtallina in glande membri virilis 557
Veſiculæ fellis calculus 533
obſtructio 531
Veſiculæ ſeminales 639
Veſpertilio 360
Veternus 144
Vibices 237. 970
Vigiliæ 145
Vinum antipodagricũ Paracelſi 806
chalybeatum 516
extinctionis ſilicum 43
malvaticum martiale 512
martis in hepatis obſtructione 519
medicatum contra catarrhos 165
meliſſatum in podagra 806
viperinum ad lepram 836
Vini tartariſatus ſpiritus in melancholia hypochondriaca 572
Violarum ſyrupus ſolutivus 13
Viperæ 360
Viperarum alcohol & uſus 338. 835
caput exſiccatum pro amuleto in angina notha 276
præparatio 835
trochiſci ibid.
Viridellus in lepra 833
Virilitas extincta ſeu imbecillis 642
Virium debilitas 347
Viſcus 361
quercinus ejusq; collectio 114
Viſus caligo 174
imbecillitas 174. 191

Vitellus ovi crudus in fluxu menſium nimio 736
Vitiligo 968
Vitrioli ſpiritus volatilis 114
Vitrioli uſus in lepra 833
ſulphur 841
ſulphuris eſſentia 834
ſulphuris præparatio ibid.
terra ad emplaſtrum magneticum 919
Vitriolum 359
album 6
ejus doſis & depuratio ib.
Vitriolum correctum vomitivum & purgans Angeli Salæ 7
Vitriolum Martis 513.710
hermaphroditicum ibid.
Vitrum antimonii purgans 28
Vitulorum omenta & inteſtina ad fæces induratas 444
Ulcera 852.973
ani 487
aurium 202
cacoëthica 977
capitis ibid.
columellæ 269
cordis 342
ductus penis 637
epatis 531
faucium 269
fœtida ibid.
inteſtinorum 445
lienis 552
lingvæ 257
luis venereæ 269.855
mamillarum 368
narium 217. 977
oculorum 180
oris 769
palati 269
penis 648
Ulcera peſtilentialia 917
phagædenica 976
putrida 269
renum 608
tibiarum 869.977
tonſillarum 267
ventriculi 392
uteri 696
Ulcus rheumaticum 976
Ultramarinum 357
Umbilici ramex, exomphalos 675
Ungventum de alabaſtro 73
antiphthiſicum 336
armarium 999
arthriticum 820
ad cancrum 380
ad contracturas 934
conſolidans 489
ad cutis vitia quævis 1204
in elephantiaſi 836
contra fiſſuras in morbo Gallico 854
In fluxu nimio menſtruo 735
ex fungis nucum ad rupturas 682
de linaria 496
pectorale 335
aliud ib. 341
in polypo 224
mudificativum 368.855
Saturninum 957
contra ſcabiem Gallicam 854
ſomniferum 147
Ungventa vulneraria 1007
Ungvis oculorum 195
Ungvium ſegmenta & uſus 6
Ungula 195
Vomica pulmonum 297

Volvulus 446
Vomitivum hellebori Conradini 6
Vomitoria medicamenta 4.9
ſenibus non tuta 4
ſæpè ſumpta lædunt ſtomachum 2
Vomitorium Angeli Salæ 467
Plateri 6.411
Vomitio 768
Vomitus 422.773
Vomitus cruentus 426
Vomitus à medicamentis inhibitio 10
Uredo 490
Ureteres 600
Urethra 639
Urina hirci in iſchuria 659
hominis in partu difficili 781
puerorum deſtillata in fluxu aurium 207
Urinæ ardor 663
incontinentia 653
ſpiritus 54
ſuppreſſio 656
ſtillicidium 659
Urinam cientia 40
Uteri affectus & deſcriptio 683
abſceſſus 696
Uteri apoſtema 700
aſcenſus 741
cancroſitas 696
condylomata 710
convulſio 750
ficus 710
hydrops 708
inflammatio 683
mariſcæ 710
nome 700
prolapſus 751
rhagades 710
ſcirrhoma, ſcirrhus 696.700
ſtillicidium 737
ſtrangulatus 741
ventoſitas 705
ulcus 696
Vulnera 985
Vulnerarius balſamus 1008
vulnus cœcum 1030
Uvulæ inflammatio 267.1200
laxitas ibid.

Z.

ZEdoariæ extractum valens in omnibus ventriculi affectibus 425
Zephirius fœtus 700

Teutſches

Teutſches Regiſter derer Kranckheiten und Zuſtände/ ſo in dieſem Buch Officinæ Sanitatis gedacht werden.

A.

Abnehmen deß Leibs 573
Aderkröpffe varices 947
Adern die güldene öffnen 500
Adern die güldene ſtopffen 497
Affters Ausfallung 501
Entzündung 487
Feigwartzen 491
Fiſtel 487
Geſchwer ibid.
Aiſſen/ Blutaiſſen 939
Allgemeine Gicht 815
Alp oder nächtliches Drucken 139
Angeſichts Finnen 236
Angeſichts Röte vertreiben 232, 233
Antoni Feuer 971
Anſteckendes Fieber 892
Anwachſung der Lunge 960
Apoſtem der Lunge 297
Appetit bringen 398
Arterien Geſchwulſt 949
Aſchenſchmaltz 970
Athems Kürtze oder Keichen 283
Auffſteigen der Bärmutter 741
Augenblutstropffen 201
Augen Dunckelheit 174
Fell 195
Flecken 190
Gerſtenkorn 187
klar machen 174
Gewächs oder Staar 197
Hitze 186
Röte 187
Staar 197
Weh 185
Ausſatz 826
Auswerffen machen 310
Auszehrung oder Abnehmen deß Leibs 573

B.

Balſam von Samech oder Weinſteinſaltz zu Wunden 996
Bauch erweichen 441. 443
Bauchfluß ſtopffen 455
Bauchkrimmen 733. 1086
Bauchſchwulſt 592
Bauchwürme 480
Bärmutter auffſteigen 741
Beinbrüche 1067
Beulen 937
von Frantzoſen 939
Biſſe der tollen Hunde 360
Blaſen deß Harns Beſchreibung 624
Blaſen Geſchwer 633
Schäbigkeit 635
Stein 626
Blattern/ Pocken 922
Blattern braun 940
Blöd Geſicht 174
Blutaiſſen 939
Bluten der Naſen 228
Blut auswerffen 327
Blutsentzündung 1086
Blut generiren 1105
Blutiger Harn 665
Blut reinigen 48
Blut ſo geronnen 429
Blutruhr oder dyſenteria 464
Blutſtillen der Wunden 992
Blut ſpeyen 327. 426
Böſe Flechten 959
Böſer Grind 960
Brand der Heiſſe 971
der Kalte ibid.
Brand vom Feuer 1061
Bräune 1021
Brechſucht 429
Brüche 674
Bruſtflüſſe oder Catarren 162
Bruſtgeſchwer innerlich / empyema genannt 298. 320
Brüſte Beſchreibung 362
Brüſte Krebs 369
Schäden 362
Wärtzlein Schrunden 374
Buckel 1081
Bürdlein oder Nachgeburt 781

C.

Carbunckel oder Feurblaſe 919
der Kleine 940
Catarr 162
Catarr der Stöckende 164
Colic oder Krimmen 446. 1086
Contractur 133. 933
Corallen Saltz 48
Tinctur 48. 522

D.

Daerme Beſchreibung 437
Entzündung 445
Verletzung od Verwundung 1056
Verſtoffung 441
Dauung ſtärcken 409
Dörre 889
Dorn und Splitter ausziehen 1062
Drittägig Fieber 884
Drüſen und Knollen 523
Dunckelheit der Augen 174
Durchlauff/ Durchbruch 455
Durſt 406
Dyſenteria oder rote Ruhr 446

E.

Ehliche Wercke fordern 761. 642
Eiſſen/ Schlier und Geſchwer 937. 939
Empfängniß befordern 761
Engbrüſtigkeit 283
Entgehung der Gedächtniß 135
Entzündung 971. 1015
Erbgrind 961
Erbrechen 422. 773
Erfrörung 1064
Eſchen Holtzes gebrauch zu Wunden 998
Etzen 812

F.

Fallartzney 332
Fallende Sucht 104
der Kinder 102
Feigblattern 493
Feigwartzen Fluß öffnen 500
ſtillen 497
Fell der Augen 195
Feuerblaſe oder Carbunckel 919
Feuerblaſe klein 940
Ferckleín Drüſen ſcrophulæ 928
Fieber allerley 769. 860
das drittägige 884
das hitzige 892
der Kindbetterinnen 786
eines Tags ephemera 870
Fieber das ſchwindſüchtige 889
das viertägige 887
Fingerwurm 1157
Finnen deß Angeſichts 236
Fiſteln 982
deß Affters 489
der Augen 193
Flechten 238. 957
Flecken und Mahlzeichen 238. 968
Fleiſch wachſend machen 1010
Flüſſe 162
Frantzoſen 837
Frattigkeit deß Gromenſäckleins 674
Freißlich 102
Fröſchlein unter der Zungen 253
Fröſchpulvers Gebrauch 995
Froſt erfroren 1064
Fruchtbar machen 754
Frucht in Mutterleib erhalten 761
Frucht zur Geburt helffen 774
Füſſe ſo erfroren 1183
Füſſe ſo geſchwollen 513

G.

Gallen Beſchreibung 531
Gallen Verſtopffung 533
Geblüt reinigen 1105
vermehren ibid.
Geburt behalten 761
Geburt fordern 774
Geburtsglieder Entzündung 671. 683
Gedächtniß Entgehung 135
ſtärcken 137
Gehör ſtärcken 212
wiederbringen ibid.
Geilheit vertreiben 1211
Gelbeſucht 558
die ſchwartze 565
Gemächts Beſchreibung 368
Erſtarrung priapiſmus 638
Säckleins Entzündung 671
Geſchwer 648
Geſchwulſt 671
Gerſtenkorn der Augen 187
Geruch wiederbringen 225
Geſchmack wiederbringen 263
Geſchwer ulcera 973
der Brüſte 368
Naſen 977
Schenckel ibid.
heilen 978
Geſchwulſt 936

Geſichts

Geſichts Blödigkeit 191
Geſicht ſtärcken 174
Geſtoſſen und gequetſcht 1030
Gewalt Gottes oder Schlag 117
Gicht 794
die lauffende 815
Gifft 355
Glaichſucht 794
Glieder Veerenckung 1067
Gliedwaſſer 989. 1023
Gottes Gewalt apoplexia 117
Grieß und Sand 613
Grind deß Haupts 960
Grind der böſe ibid.
Grind und Krätze 925
Gromen Entzündung 671
Grüner Siechtagen 576
Güldenaderfluß bringen 500
Güldenaderſchmertzen 493
ſtopffen 497

H.

Hagedroß 939
Haar Ausfallen wehren 768
Haar wachſend machen 963
Haarwürme 978
Halsgeſchwer angina 276
Halswehe 1198
Händeſchrunden 854
Hanenfuß / Brennkraut 361
Harnblaſen Beſchreibung 624
Harns Entgehung 653
Harnruhr diabetes 651
Harn blutig 665
Harns Verſtopffung 656
Harns ſchneiden und brennen 663
Harnwinde 659
Hartigkeit und Beulen weichen 946
Hauptkranckheit morbus Hungaricus 893
Haupt purgiren 86
Haupt und Hirn ſtärcken 69
Hauptwehe und Schmertzen 61
Wunden 1037
Heerbrand herpes 955
Heilig Ding/ Rotlauff 951
Heiſerigkeit 321
Hertzens Beſchreibung 342
Hertzgeſchwer 346
Klopffen und Ohnmacht 350
Hertzgeſpan 392
Hirnſchale ſo eingedruckt 1038
Hirnwüten 93
Hoſer 1081
Holer Zähne Schmertzen 246
Honigflecken 238. 669
Hüfftweh/ Hüfftgicht 823
Hundsbiſſe der raſenden 89
Hundshunger 402
Hüneraugen 967
Huſten 323

J.

Jucken und Beiſſen 959

K.

Kahlwerdung alopecia 962
Kalte Piſſe 659
Kalter Brand 971
Kehlen Rauheit 321
Keichen 283
Kellershals 360
Kindbetterin Fieber 786
Kindbeterin Wartung 787
Kinderpocken 921
Klapholtz 939
Klopffen jectigatio 161
Kluxen 419
Knollen 929
Kopffwehe 61
Kotzen 422
Kräenaugen 361
Krampff 155
Krampffadern 947
Krätze 925
die lauffende 927
Krebs 947
an Brüſten 369
Krimmen 446
Kröpffe 928
Kröß meſenterium ſo verſtopfft 554
Kröſſes Entzündung ibid.
Kühhunger 400
Kurtzer Athem 383

L.

Lähme und Contractur 133. 933
Lämniß und Schlag 127
Lauffende Gicht 815
Lauffend Feuer 955
Läuſeſucht 148
Leber Beſchreibung 504
Entzündung 527
Erhartung 523
Geſchwer 531
geſchwollen 523
Schwachheit 511

Leber Verſtopffung 513
Zelten 523
Leberruhr 477
Lefftzenſchrunden 239
Leib eröffnen 441
Lendengrieß 613
Lendenweh ibid.
Liechtdörner 967
Liebstranck 91
Lungen Apoſtem 297
Lungen Blehung 281. 277
Entzündung 291
Geſchwer 297
Lungenſucht 302
Lungenſucht præſerviren 336

M.

Magens Beſchreibung 381
Magens Aufblehung 417
Aufröpſen 415
Entzündung 390
Erkältung 395. 398
Geſchwulſt 417
Hitze 434
ſtärcken 437
Verſchleimung 409
undauen ibid.
Wehe 432
Winde 415
Würme 435
Mähler 968
Maltzey 826
Mandeln Entzündung 266
Geſchwulſt 265
Mannheit wiederbringen 642. 761
Männlichen Gliedes Entzündung und Geſchwer 648
Männlicher Ruten ſtete Steiffigkeit 638
Maſern 921
Maßdarms Entzündung 487
Fiſtel ibid.
herausfallen 501
Schrunden 492
Mattigkeit 347
Melancholey 74
Melancholiſche Unſinnigkeit 75
Meſenterium öffnen 554
Milch bringen 371
Milchknollen 375
Milch vertreiben 372
Miltz Beſchreibung 534
Miltz Entzündung 552
Miltz Erhärtung und Apoſtem 550
Geſchwulſt 536
Miltzſucht 567. Miltz Verſtopffung 540
Mißbürtigung 761
Mißdauung 409
Monatblume bringen 712
ſtellen 729
Mohnkind mola 700
Morphæa 234
Mundfäule 218
Geſchwer 252
Mutter Beſchreibung 683
Mutteraufſteigen 741
Mutter Bruch 751
Schrunden 710
ausfallen 751
Entzündung 693
Geſchwer 696
Waſſerſucht 708
weiſſer Fluß 737
Windſucht 705
Muttermähler 969

N.

Nabelbruch 675
Nachgeburt ausführen 781
Nachtblattern 940
Nachtbrand 954
Nächtliches Drucken incubus 139
Nachwehe 785
Nagelgeſchwer 1157
Naſenbluten 228
Gewächs ſarcoma 222
Naſenkrebs 376
Naſen Rotlauff 219
Naſen Schaden ozæna 216. 217
Naſenſtanck 224
Nerven Wundbalſam 1008
Nerven ſpannen 155. Nerven ſo zerhauen 1162
Nieren Beſchreibung 599
Entzündung 602
Geſchwer 608
Stein und Schmertzen 613
Verſtopffung 605

O.

Opoteldoch Pflaſter machen 980
Ohnmacht 347
Ohrenbeule 939
Ohrklamm/ Ohrzwang 940
Ohrenfeuchtigkeit und Eiter 206
Ohrmitzel 214. 939
Geſchwer 202

Ohren-

Ohrenklingen und Sauſen 210
Schmertzen 208
Würme 207

P.

Peſtilentz 900
curiren 856
Pfauenſpiegel Gebrauch 374
Pflaſter ſo Blut ſtillet 994
Pocken der Kinder 921
Pocken Spaniſch 837
Podagra 813
Schmertzen ſtillen 811
Purpeln 922

Q.

Quartanfieber 887

R.

Raſender Hunde Biſſe 89
Raudigkeit 925
Rauheit deß Halſes 321
Reinigung nach der Geburt fordern 784
ſtellen 783
Reiſſen im Leibe 773
Reitlieſen 928
Rohrlöcher 982
Roſe / Rotlauff 951
Roſen der Weiber bringen 712
Rotküpffern Angeſicht 233
Röteln 922
Ruhr die rote 464. die weiſſe 455

S.

Saamenfluß 645
Sand und Stein 613
Schäden heilen 269. 973. 977
Scharbock 862
Scheelheit der Augen 168
Schenckelſchäden 869
Schlafloſigkeit 145
Schlafſucht 138
Sciatic 823
Schlag 117
Schlagaderkropff 949
Schlichtbeule 939
Schlier oder Kolben 937
Schmertzen ſtillen 243
Schnupffen 227
Schrunden 374. 1063
Schwammen deß Mundes 252
Schwangerer Gelüſten 404
Schwerer Athem 283
Schwere Geburt 774
Schwermütigkeit 74
Schwere Noth 104
Schweiß treiben 131
Schwindel 152
Schwindſucht 302. 336
Schwindung aridura 934
Schwindſüchtig Fieber 889
Schwülen 967
Schwul 936
Scrophulen / Kropffdrüſen 928. 932
Seitenſtechen 311
Seltzames Gelüſten 404
Sommerflecken 237. 969
Sood 434
Spaniſche Pocken 837
Sprachloſigkeit 260
Spröſeln 237. 969
Spulwürme 480
Staar der Augen 197
Stamlen und Liſpeln 261
Stärckende Artzney 44
Stein in Nieren und Blaſen 613
Stöckfluß catarr. ſuffocativ. 166
Stulgang bringen 441
Stulgang ſo blutig 513
Süren / Reitlieſen 928
Sympathetiſch Pulver 997

T.

Taubheit 212
Taubſucht mania 74. 101
Tertianfieber 884
Tobigkeit 74
Todte Geburt 781
Toller Hundsbiß 360
Tröpfflendes Harnen 659

V.

Uberbein 1081
Verbrennung 1061
Vergicht der Kinder 102
Verrenckung / Verſtauchung 1079
Verſtopffung der Leber und Miltzes 513. 540
der Monatzeit 712
deß Stulgangs 441
Viertägig Fieber 887
Unfruchtbarkeit 754
Unkräffte 347
Unluſt zur Speiſe 398
Unſinnigkeit 74
Untergeronnen Blut 237
Unwillen erregen 419
ſtillen 422
Urſchlechten 922

W. Wach-

W.

Wachfieber 138
Wachen/ Schlaffloſigkeit 145
Waffenſalbe 999
Wartzen 238. 964
Waſſerkopff 943
Wäſſerige Geſchwulſt 941
Waſſerſcheu hydrophobia 89
Waſſerſucht 580
Wehne/ Kröpffe 928
Weibliche Blödigkeit 712
Weiſſer Fluß der Mutter 737
Wildfeuer 954
Windige Geſchwulſt 449
Wolff 956
Wulchen angina 270
Wunden 985
Wundſucht 1815
Wurm am Finger 1157
Würme deß Bauchs 480

Z.

Zahnfleiſches Erſchwerung 250
— übriges Wachſen 247
Zähne ſchwartz 241
Zahnſchmertzen 243
Zähne wackeln 242
Zäpfflein ſo gefallen 267
Zappeln jectigatio 161
Zauberey 1094
Zelten ſcirrhi 946
Zipperlein 794
Zittermahl 959
Zittrechten/ Zittriſſen 238. 957
Zungen Geſchwär 257
— Lämniß 258
Zwang zum Stulgang 474

Errata craſſiora; a. ſignificat priorem fiſſi ſeu interſecti lateris cujuslibet paginæ columnam, b. poſteriorem.

PAg. 54. a. lin. 10. lege: ſpatula. p. 56. b. l. 39. l. hyoſcyamus. p. 66. a. l. 10. pro generativus lege gravativus. p. 69. b. l. 16. l. debellandum. p. 71. b. l. 38. l. odoratis. p. 107. b. l. 22. l. alliſio. p. 123. b. l. 22. l. peculiares. p. 125. b. l. 11. l. immiſſo. p. 133. a. l. 30. pro in l. nî. ibid. l. 31. pro nî l. in. p. 161. b. l. 14. l. mobilitatem. p. 180. b. l. 2. pro fugit l. figit. ibid. l. 16. poſt conſiſtat dele o. p. 184. a. l. 11. poſt vocatur, l. atque. p. 238. a. l. 2. l. exprimunt. p. 245. b. l. 6. pro fumum l. fimum. p. 286. b. l. 11. l. dormiat. p. 292. b. l. 15. l. circumcoſtatis. p. 302. b. l. 13. l. allatura. p. 326. a. l. 4. pro cum l. quem. p. 344. b. l. 36. poſt exuperantem dele, in. p. 356. a. l. 11. l. deleteriis. p. 357. b. l. 7. l. ſumi. p. 392. b. l. 12. l. triſti. p. 405. b. l. 7. l. oppletam. p. 406. a. l. 8. l. vitis albæ. p. 411. b. l. 1. l. expurgetur. p. 428. b. l. 7. l. interioris. p. 429. a. l. 12. poſt paranda, dele; ſpir. ibid. poſt. ℥VI. l. ſpir. p. 440. a. l. 1. l. delapſus. p. 494. a. l. 26. l. antecedente. ibid. b. l. 12. l. aliasque. ibid. l. 37. diſcriminantur. p. 495. a. l. 14. pro affecto l. affectui. p. 497. b. in margine l. 1. pro fluor. l. fluoris. p. 505. b. l. 10. poſt, vertebris, l. per. p. 413. a. l. 23. l. contractu. p. 525. b. l. 27. pro quæque l. quoque. p. 535. b. l. 7. pro Philoſophicis l. Philoſophis. p. 547. b. l. ult. l. nutritæ. p. 549. b. l. 6. l. refervefactis. p. 575. b. l. 11. l. reſerva. p. 578. b. l. 26. l. ſacharo. p. 580. b. l. 22. pro ſicut l. ſunt. ibid. l. 24. l. leucophlegmatia. p. 581. b. l. 13. l. cruentam. p. 582. a. l. 23. pro tabem l. labem. ibid. b. l. 9. l. vitæque. p. 588. a. l. 24. l. ſpirituum. p. 589. a. l. 14. l. reciderint. ibid. l. 36. l. quam. p. 603. a. l. 34. pro araneam l. arenam. p. 611. b. l. 13. l. requiritur. p. 616. b. l. 7. l. didiciſſe. p. 620. b. l. 23. l. laud. opiat. ʒiſ. p. 638. a. l. 24. l. geminove. p. 650. b. l. 20. ſeptimam. p. 651. a. l. 6. dele frape. p. 654. a. l. 11. l. retentrice. p. 655. b. l. 27. l. repetita. p. 668. b. l. 33. l. ℈ij. vel ʒj. boli Armeni veri. p. 790. a. l. 14. l. avaritiam. ibid. l. 20. l. jucundius. p. 695. b. l. 27. l. lilior. alb. p. 696. a. l. 23. pro tunc l. nunc. p. 705. a. l. 9. l. proceſſerit. p. 716. b. l. 13. l. indelebilem. p. 718. a. l. 15. l. edoctas. p. 719. b. l. 1. l. permanſuram. p. 744. a. l. 34. l. propendent. p. 758. a. l. 13. pro ac l. at. p. 777. a. l. 34. l. ruborem. p. 778. b. l. 13. pro alterutrinis l. alterutrius. p. 780. b. l. 29. pro vino l. vivo. p. 781. b. l. 16. l. ſuccini. p. 782. b. l. 25. l. hujuscemodi. p. 785. a. l. 25. dele qua. p. 789. a. l. 13. l. permanſuram. p. 793. a. l. 1. l. capacitas. ibid. l. ult. l. promptitas. p. 798. b. l. 33. l. continuando. p. 799. a. l. 37. pro ſpermatici l. ſpermati. p. 800. a. l. 39. l. panaritii. p. 810. a. l. 15. pro iiij. l. III. ibid. b. l. 2. poſt antimonii l. ſulphur) & tinctura. p. 815. a. l. 7. l. flavedinem. p. 817. a. l. 20. pro craſſionem l. craſſitudinem. p. 820. b. l. 38. l. contunde. p. 824. b. l. 11. l. particulas. p. 827. b. l. 20. l. abominabili. p. 829. a. l. 30. pro tractus l. tactus. p. 831. a. l. 36. pro ut l. &. p. 835. a. l. 24. pro friga l. frigida. p. 837. b. l. 32. l. Paſchalis. p. 847. b. l. 4. l. chalybis. p. 848. b. l. 37. l. ruber. l. 872. a. l. 2. pro arra l. atra. p. 876. b. l. 34. pro iſthæc l. iſthac. p. 890. a. l. 2. l. continuitas. p. 936. b. l. 21. l. tumores. p. 937. a. l. 12. l. qui. p. 945. a. l. 40. l. ſint uſu. p. 965. b. l. 8. l. laventur. p. 984. a. l. 5. l. gutture. p. 997. b. l. 34. pro vulneris l. pulveris. p. 1002. b. l. 18. l. illicitam. p. 1013. b. l. 30. pro caſſat l. ceſſat. p. 1076. b. l. 30. pro ex l. &. p. 1090. b. l. 2. l. melilotus. p. 1097. a. l. 40. l. depurant. p. 1107. b. l. 34. l. notabitur. p. 1109. b. l. 36. l. contraijervæ. p. 1115. b. l. 20. pro cadentem l. candentem. p. 1116. a. l. 17. l. Zaun- oder Schneekönig. ibid. b. l. 39. l. acificationem. p. 1123. a. l. 15. l. guttæ. ib. l. 17. l. dulcificati. p. 1133. b. l. 12. l. ingreſſo. p. 1134. b. l. 20. l. Paradißkörner/Cardamom. p. 1140. b. l. 28. l. roriditate. p. 1152. a. l. 39. pro cujuslibet l. quibuslibet. p. 1157. a. l. 15. l. exoriatur. p. 1159. b. l. 16. l. ſucculenter. p. 1163. b. l. 9. l. portionem. p. 1178. b. l. 20. pro potus l. potius. p. 1179. a. l. 19. l. verſicolor. p. 1181. a. l. 14. l. adnata. p. 1221. b. l. 15 pro Fenchel l. Fench. p. 1226. b. l. 7. pro Germanicæ l. Germanicè p. 1229. b. l. 2. l. verùm.

F I N I S.

B3548